


DE TABERNACULO FŒDERIS, DE SANCTA CIVITATE JERUSALEM, ET DE TEMPLO EJUS.

LIBRI SEPTEM.

Autore BERNARDO LAMY, *Congregationis Oratorii Presbytero.*



PARISIIS,
Apud DIONYSIUM MARIETTE, viâ Jacobæâ, sub signo Scuti Veneti, & Sancti Augustini.

M. DCC. XX.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

PRÆFATIO.


ICONES urbium, regionum, aut insignium ædificiorum, quas peregrinatores, sæpiùs ea in re mendaces, in diariis suis, seu stylo, seu incisis ære imaginibus effingunt; tanta cum animi propensione à doctis simul & indoctis, tamque avidè excipiuntur; ut erudito Lectori omnibus suis lineis absolutam Templi Hierosolymitani effigiem, quam ex ipsis veritatis fontibus eruit Bernardus Lamy, voluptatem maximam allaturam esse non dubitem. Et profectò quantùm opulentia & magnitudine, tantùm artificio cultuque templum à Salomone apud Judæos in honorem supremi numinis consecratum profanis Idolorum templis, veteribusque quarumlibet gentium publicis ædificiis antecellebat. Hujus itaque descriptio non jucunda solùm, verùm apprimè utilis, etiam seposito relligionis studio, censeri debet, quòd templum, si ita loqui fas est, omnium fuerit artium incunabulum.

Nonne insignis temeritatis est, inquient aliqui, immo dementissimæ audaciæ depictum ab ipsa veritate ædificium fallaci penicillo retractare, & quæ aliquot paginis descripsit Spiritus sanctus immenso nobis volumine obtrudere.

Huic objectioni ut faciam satis, ultro fateor in sacris libris templi sæpiùs mentionem ingeri, at tanta sub brevitate, ut vix Lector, quæ narrantur intelligere possit. Illud certè nullibi integrum & cum omnibus suis partibus simul in Scripturis depingitur, sed tantùm per partes & divisim, quòd autores divinitùs afflati de re tunc temporis omnibus cognita loquerentur; unde fit, ut non veteris modò, sed & novi testamenti libri omnes evolvendi sint, ut vel imperfecta habeatur templi cognitio. Judæi siquidem nec sanctius ædificium habentes, nec magnificentius, sæpius, dum confabularentur aut scriberent, ad illud alludebant. Ex istis allusionibus, quæ passim in sacris paginis occurrunt, perfectam quidem, sed cum maximis laboribus, templi Hierosolymitani imaginem effinges. Ut sacrarum litterarum studiosos hoc labore levaret, mirum! quantos pertulit hujusce libri autor. Omnes locos Scripturæ in quibus vel de templo Judaïco, vel de supellectili & ministris ejus agitur, qui loci non omnibus pervii sunt, tantâ diligentiâ scrutatus est, ut nullum indictum reliquerit; immo quæ in eis occurrere possunt difficultates commentariis suis solvit, admissis in auxilium plurimis quas callebat scientiis, mathesi, architectura, veterum linguarum peritia, quæ ad intelligentiam scripturarum maximo illi adjumento jam fuerant in concinnanda harmonia sua evangelica, & aliis sacras paginas illustrantibus libris, ut ultrò fatentur docti omnes. Si quis verò de immensa hujusce voluminis mole obmurmurat, sciat non templi solius, Tabernaculi Mosaïci, urbis Hierusalem, præcipuorumque ædificiorum ejus icones in illo contineri, verùm arcæ Noë, Turris Babel, & aliquot veterum monumentorum, quorum cognitio, his, quæ de templo autor habebat dicenda, lucem confert non minimam. Quin & artium principia, ipsarum autores, alia denique scitu dignissima, quæ eumdem in finem collimant, autor scrutatus est, adeo nulli labori pepercit, quo susceptum opus omnibus suis partibus perfectum in lucem emitteret.

Doctissimus quidem Villalpandus è Societate Jesu Tabernaculum Mosaïcum & templum Salomonis, suis super Ezechielem commentariis, quæ Philippi II. Hispaniarum Regis munificentia in publicum prodierunt, fusiori sermone & tabulis æneis elegantissimis delineaverat. Eamdem descriptionem multi in suis exercitationibus biblicis nec sine laude susceperant. Bernardum Lamy nec Villalpandea templi delineatio, nec aliorum doctorum virorum lucubrationes, quominus eadem retractaret, deterrere debuerunt; aliam siquidem planè viam secutus est. At quidquid in eorum opere optimum illi visum est, laudatis autoribus, suum in librum transtulit, ut in eodem volumine, quæ eruditissimi quique de rebus iisdem scripserunt, uno velut intuitu Lector perlegere possit. Quin Villalpandi opus si cum autoris nostri opere quis conferre voluerit, posteriori, si mea me non fallit opinio, primum non officere forsan existimabit. Villalpandus etenim nimium suo genio videtur indulsisse: seu, ut mitius de tanto viro loquar, dum mira Josephus, & alii Judæi, immo ipsa scriptura de templo Hierosolymitano commemorant, illudque verbis magnificis attollunt, falsò sibi persuasit omnia in illud congesta fuisse tum sculpturæ, tum architecturæ ornamenta, quæ in superstitibus ad nostra usque tempora antiquitatis monumentis stupemus, & in hodiernis ædificiis non sine admiratione conspicimus. Hinc in multiplices impegit errores, templo scilicet, & adjacentibus ædificiis Doricos, Ionicos, Corinthiosque ordines, quos vocant, affingit, qui multis post ædificatum templum sæculis à Græcis adinventi fuêre: altari holocaustorum, altari panum propositionis, candela-

bro aureo, mari æneo, cæterisque templi vasis ea tribuit ornamenta, quæ omni carent verisimilitudine, quod Judaicæ Religioni adversentur, & pleraque, nisi multis post conditum templum sæculis, à peritis artificibus, in quorum operibus non tam materia quam ars laudatur, excogitata sint. In eumdem errorem impegerat Bernardus Lamy pravis Villalpandi vestigiis insistens, verùm hunc secundæ curæ meditationesque assiduæ à devio itinere ad veritatem, saltem ad verisimilitudinem perduxerunt. Nihil ille magnitudini, nihil dignitati templi aut vasorum ejus detrahit, nulla licet extranea, fictitiave his affingat ornamenta: immo evincit templum Salomonis vetera, quæ laudantur ædificia, non antiquitate modo, verùm divitiis, magnificentiaque longè superasse. Ut uno, quod aiunt, veluti intuitu, quantum Bernardus Lamy in descriptione ædificiorum templi & vasorum ejus à Villalpando discrepet, cognoscas, erudite Lector, oculos in utriusque operis æneas tabulas conjice, & rem eamdem tam variè effigiari à viris eosdem libros elucidantibus obstupesces. Id absque eruditissimi Villalpandi injuriâ dicere mihi liceat: Bernardus Lamy presso pede scripturæ verba dum sequitur, sæpè quam amplectitur opinionem usque ad demonstrationem adducit, aut saltem, dum conjecturis indulget, plurima siquidem in tam obstrusa materia certitudine carent, tam prope ad verum accedit, ut nos impellat ad credendum ita se res habuisse uti narrat: in his siquidem rebus elucidandis quæ ut pote minus notæ conjecturas admittunt, eas quæ notæ sunt & indubitatæ fidei sic in auxilium advocat, ut ignotæ à notis lucem mutuentur & certitudinem.

His quæ veritatis amore, non adulandi studio de tanti viri doctissimo opere dicenda habebam præfatis, paucis methodum Autoris, totiusque operis divisionem exponam. Methodi causas rationesque taceo, quas ipse passim, quoties sese dat occasio, lectoribus suis detegit Autor eruditus.

Opus in septem libros dividitur. Quatuor priores ea pertractant, quæ ad absolutam eorum, quæ libris nimirum quinto & sexto de templi Salomonici ædificiis dicentur, notitiam maximè conducunt. Ultimus non jam de ædificiis, sed de Sacerdotibus, musica, supellectili sacra, festis diebus, & similibus, quæ ad templum spectant, fusè loquitur. Rursus duo priores sunt veluti prolegomena & apparatus ad quinque posteriores: in his siquidem de rebus iis agitur quarum aliqua saltem habenda est cognitio ad ea intelligenda quæ in tertio de tabernaculo Mosis, in quarto de civitate sancta Jerusalem & ejus ædificiis, in quinto & sexto de ipso templo, in septimo de vasis & omnibus ad Dei cultum pertinentibus, dicenda sunt. Singulorum porrò methodum & materiam penitiùs introspiciamus.

In primo operis sui libro Autor omnem adhibet diligentiam in exponendo quænam fuerint Hebræorum pondera, quibus mensuris usi fuerint, sive in areis planis, sive in granis, aut liquoribus metiendis; scilicet agit de stadio, de palma, de cubito; de coro, de bato, ephi, & similibus: variasque Hebræorum mensuras cum mensuris Ægyptiorum, Græcorum, Romanorum, & nostratibus confert, quò plenior & perfectior earum habeatur notio. Eamdem curam impendit in statuendo nummorum Hebræorum & ponderum valore, eadem nostratibus, immo Ægyptiorum, Græcorum, Romanorum aliarumque gentium nummis & ponderibus comparando. Uti vero, quæ nonnisi noctes plurimas vigilando ipse adinvenit, absque ullo labore Lector perciperet, illius oculis quatuordecim subjecit tabulas, in quibus pondera, nummi, mensuræ variarum gentium inter se conferuntur, & nostrates ad modulos reducuntur.

In secundo libro fusè differit de artium origine & principiis; sculpturæ videlicet, picturæ & architecturæ, de qua quinque postremis hujusce libri capitibus loquens, clariora veterum ædificia ex probatissimis quibusque autoribus conatur depingere. Capite secundo ac tertio arcæ Noë fabricam ex capitibus sexto, septimo & octavo libri Geneseos, quæ doctissimo commentario illustrat, eruere nititur, & quidem haud vano conamine. Quarto capite turris Babel ex undecimo Geneseos effigiem efformat. In quinto evincit Patriarchas artes, quas ante diluvii tempora adinvenerant, posteros suos docuisse, ab eisque Ægyptios earum cognitionem hausisse: Græcos tandem à Tyriis aut Phænicibus artes accepisse, seu eas ab Ægyptiis Phænices aut Tyrii edocti sint, seu ipsi earum fuerint inventores.

Tabernaculum Mosaïcum, quod templi Salomonici veluti exemplar fuit, ita libro tertio depingitur, ut quidquid non tantùm de forma & materia ejus, sed & de sacra supellectili, de ministris & ministerio illius, de vestimentis denique Sacerdotalibus scitu dignum uspiam occurrit, Lectoris ob oculos exponatur. Præter plurima tam Exodi quàm Levitici capita, innumera etiam Scripturæ loca quæ tabernaculi mentionem quocumque modo ingerunt, hoc in libro explanantur atque illustrantur.

Civitatis sanctæ Hierusalem, in qua, dissoluto tabernaculo, jussit sibi Deus templum ædificari, situm, murorum ambitum, præcipuorumque illius ædificiorum formam quartus liber exquirit. Caput sextum regiam Salomonis graphicè depingit. In eo libro multa Regum & Paralipomenorum capita elucidantur. In ultimo hujus libri capite de Synago-

gis

gis, de forma, ministris & ministerio earum Autor fusè disserit.

Libro quinto cum ex libris Regum & Paralipomenon, tum ex Ezechiele, aliisque compluribus sacrorum librorum locis primum septum, id est, atrium gentium, & secundum seu Israëlitarum cum eorum ædificiis, templi nimirum partes extimas autor perlustrat.

In septum tertium seu atrium Sacerdotum lectores introducit libro sexto, & cum eis usque ad sacratissima templi loca, sanctum, & Sanctum Sanctorum penetrans, omnes & singulas illorum partes, thalamos, cœnacula, vasa, altaria curiosis oculis scrutatus, sublato quod ea tegebat velo, nuda lectorum ob oculos exponit.

In septimo libro variam multiplicemque templi supellectilem evolvit. Tum agit de illius ministris, quorum varia ministeria edocet. De Judæorum tandem Kalendario, eorumque diebus festis ac jejuniis; de musica denique atque instrumentis musicis ad laudes supremi numinis decantandas adhiberi solitis fusè copioséque disserit.

Ultimum hunc librum excipiunt cùm locorum sacræ Scripturæ, tum rerum & verborum memorabilium indices copiosissimi, quos Reverendus admodum Pater Domnus de Verson Carthusiæ Borboniæ seu Gallionensis alumnus Bernardo Lamy dum in vivis degeret maxima necessitudine devinctus, licet diutinis gravissimisque morbis vexatus subinde fuerit, summa cura diligentiaque adornavit.

Indices sequitur dissertatio de templo Jerosolymitano. In ea, quæ fusiori stylo libro potissimum quinto & sexto descripta sunt dum in compendium contrahuntur, templi & illius appendicum, novis adductis in medium conjecturis, nova Lectoris ob oculos sese offert delineatio, Scripturæ sacræ & Josephi verbis, usuique cui templum inserviebat, eis quas Villalpandus, & Bernardus Lamy efformarunt imaginibus, magis, ut mihi videtur, consona.

De doctissimo eruditi Scriptoris opere sat prælocuti sumus jam de Autore ipso verba faciamus.



VITA AUTORIS.

BERNARDUS LAMY Cœnomani anno reparatæ ſalutis milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo, menſe Junio, natus eſt, quod conjicere licet ex baptiſterii teſtimonialibus litteris, quæ eum ſacro Baptiſmi fonte ablutum tradunt tertio Kalendas Julii. Parentes ejus Alanus Lamy Dominus de la Fontaine, & Maria Maſnier exiguâ licet fortunâ fruerentur, filium ſuum Bernardum linguas addiſcere, arteſque liberaliores excolere impulerunt, omnique eum ea in re ope ſua juverunt. Primis juventutis annis non plurimum illi arriſit litterarum ſtudium, uti ipſe teſtatur in primo circa ſcientias colloquio. *Tædium*, inquit, *mihi ingerebant regulæ Latinæ ſyntaxeos, quas memoriter addiſcere à magiſtris cogebar. Verum poſt aliquot annos in magiſtrum incidi, qui, licet parum eruditus, Hiſtoriæ Romanæ, Geographiæque prima rudimenta mihi tradere aggreſſus eſt. Quæ ab eo dicebantur, cùm intelligentiâ aſſequerer, ſtudium à quo magno antea tædio afficiebar, volupe mihi eſſe cæpit.* Hæc ille. His magiſtris cùm valedixiſſet, in Collegio Cœnomanenſi Patrum Congregationis Oratorii D. N. J. C. ſtudiis operam dedit. Quantum his ducibus ſive in pietate, ſive in ſcientiis tum ſacris, tum profanis profecerit vix credibile eſt. Animam ſcilicet à Deo optimam ſortitus, & aſſiduis parentum ſuorum monitis & exemplis ad virtutem incenſus à teneris eam unguiculis ita amplexus eſt, ut inter pravos ſæculi mores purè ſemper caſtéque ſe gerens ab ea nunquam diſceſſerit. Sic affectus puræ Religionis ſincerum amorem inter ſtudia hauſit.

Emenſo ludo litterario annum agens decimum octavum, quos Religionis & ſcientiarum Magiſtros habuerat, in convictores elegit, & Congregationem Oratorii ingreſſus, totum ſe Deo & Eccleſiæ mancipavit. Cœnomano itaque Pariſios profectus domum Inſtitutionis, ut vocant, anno 1658. ingreditur. Ibi precibus, meditationibuſque aſſiduis, Pſalmis decantandis, ſacrarum Scripturarum, piorumque autorum diuturnæ lectioni, piis de Deo ſacraque Religione ſermonibus totus cum cæteris hujuſce domûs alumnis vacabat: ſic regulæ, ſic ordini obſequentem ſe præſtitit, ut ab eis deinceps ne minimum quidem unguem deflexerit. Virtutis amor altiſſimas in ejus animo radices egit, quæ multiplices varioſque fructus per diverſa vitæ illius ſpatia, protulerunt.

Imprimis fuit omnis fuci expers, maximéque ingenuus, uti veritatis amantem decet. Ingenio tam fœlici præditus erat, ut ad ſcientias omnes & ſingulas natus crederetur. Et quidem omnes excoluit, unam alteri facem præferre & ſingulas ſeſe mutuò juvare ratus: nec omnes, ut plerique, delibaſſe contentus, tantos in ſingulis proventus fecit, ut de quacunque illum conſuleres, eam, ſecluſis aliis, didiciſſe videretur, eique operam omnem ſuam inſumpſiſſe, ut docta præclaraque illius in omni ſcientiarum genere opera teſtantur. Clariſſimi viri D. Du Pin teſtimonio id confirmare non pigebit.

Biblioth. Script. Eccleſ. 17. ſæc. Tom. 5. p. 347.

Floribus Rethorices & Poëſeos, humaniorumque litterarum delinimentis ſtudium linguarum, cui ſubeſt ſemper aliquid laboris & tædii, nec non abſtruſioribus matheſeos meditationibus artem criticam ſpinis ſcatentem & ſalebris ultrò adjunxit. Ethnicorum Philoſophiam omnem noverat, at Ethicam Chriſtianam maximè callebat. Artium, quas liberales vocant, Architecturæ ſcilicet, Picturæ & ſimilium principia didiciſſe ei ludus fuerat, hiſque diligentius inquirendis delectabatur, dum totus doctrinæ Chriſtianæ, Theologiam vocant, ſtudioque ſacrarum litterarum incumberet, quarum pleniorem intelligentiam ut compararet, ſalebroſa Rabbinorum ſcripta perlegere non dedignatus eſt.

Hæc quanta quanta ſint, à Chriſtianæ charitatis officiis pium Sacerdotem non dimovebant. Animum ſuum ſacris meditationibus paſcebat quotidie, & quos in meditatione conceperat ignes, in alios refundebat; hos arguens, illos conſolans, omnibus conſulens. Diebus ſingulis offerebat incruentum altaris ſacrificium, at quantâ cum reverentiâ! quantâ cum fide! excipiendis confeſſionibus frequenter vacabat. Divinæ legis lectioni & precibus ultra penſum diurnum (horas canonicas vocant) certis diei, noctiſque horis incumbebat, totus nempe Deo & ſtudio vacans, uti decet Sacerdotem, qui Deo vota hominum deferre, hominibus præcepta Dei debet propalare.

Tanta humilitate, tanta modeſtia præditus fuit, ut hominum de libris ſuis judicia grato animo exciperet, eoſque ex eorum opinione vel à nævis levioribus, quos alii defendere ſolent, aut excuſare perpurgaret. Contentionem fugiebat tam in ſcriptis, quam in familiaribus colloquiis: non ſe, ſuamve opinionem, ſed veritatem ſolam in libris ſuis polemicis ſuſcepit defendendam. Hinc dum opiniones quorumdam ſcriptorum reprehendit, in errores tantùm modeſtè invehitur, nunquam in eorum autores, quos è contra, dum ſe præbet occaſio, ingenuè laudat. Neminem primus aggreſſus eſt, immo laceſſitus injurias regeſſit numquam, ſed intra modeſtæ defenſionis limites ſemper ſtetit; nihil unquam veritus

magis quàm tuendæ veritatis titulo, ab ipsa caritate, quæ individua veritatis comes est, deflectere.

Paupertatis amans, divitias, quæ omnium ferè hominum animos ad se alliciunt, semper sprevit, nullas unquam possedit, licet maximas libris suis, uti eheu tristis nimium, sed quotidiana experientia probat, parare potuisset. Scilicet quæ gratis acceperat, gratis in alios refundenda esse existimavit: & certè nihil non Sacerdoti modo, sed viro Christiano accidere potest indignius, quam scientiam nundinari, & Dei optimi maximi donis ad avaritiam abuti. Totum illius peculium, tota supellex Bibliotheca, non tam librorum numero, quam delectu æstimanda. Hac solâ laborum, studiorumque suorum mercede fruitus est. Adeò laboris patiens fuit, ut omnia ferè itinera sua pedes confecerit. Modestiam, temperantiam, in dictis, in vestibus, in omni denique supellectili spirabat. Divitias licet nullas, ut dixi, aut perexiguas possederit, multa tamen (adeò est ingeniosa caritas) sive ad inopes sublevandos, seu ad templa exornanda, contulit. Rothomagi in Oratorio Congregationis nostræ altare extruxit marmoreum, quod picturis elegantissimis celeberrimi viri D. de la Fosse decoravit. Caritatem non in corpora modò, sed & in animos exercebat. Nullum unquam ad se venientem respuit: comiter omnes semper excepit, suisque ultrò consiliis juvit. Eos verò fovebat maximè, qui deserto errore, veritatem amplexi Catholicam Religionem profitebantur. Eis monita salutis dare, etiam suis amicorumve suorum opibus patrociniisque sublevare nunquam destitit. Plurimorum suæ Congregationis confratrum studia dirigebat: *omnibus* cum Paulo Apostolo *omnia factus est, ut omnes faceret salvos.*

Quantùm in alios misericors, tantùm in se ipsum austerus fuit. Corpus vigiliis, jejuniisque frequentibus domabat. Variis modis vir planè innocuus in se se piè sæviebat, ut sic Deum si non suis, saltem alienis peccatis infensum flecteret, iramque ejus à populo Christiano averteret. Quod ab amico illius rescivi silentio præterire piaculum esset. Vestitus semper cubabat: tum ut modestiæ tutiùs consuleret; tum ut somnus fractior eum à cogitatione Dei non revocaret diutiùs; tum ut tempus illud, quod in exuendis circumponendisque vestibus insumitur, ad studium, orationemve lucraretur, adeò temporis, quòd illud scilicet lucrandæ æternitati hominibus datum sciret, avarus fuit. Cæteros utinam ab ipso tam animo quàm corpore exanthlatos labores possem enarrare; at vir modestus, Deo non hominibus placere studens, profundo hos silentio & oblivione tegebat.

Bernardum Lamy totum hic effinxi: liceat nunc vitæ illius, studiorum ejus præsertim, partes singulas breviter strictimque percurrere.

Peracto Lutetiis quem vocant *Institutionis* anno, in Salmuriensi Collegio Patrem Carolum *de la Fontenelle*, Philosophiam docentem audivit à feriis anni 1659. ad ferias anni 1661. quo anno Vindocinum ad humaniores litteras docendum missus, Quintam ibi, Quartam & Tertiam, ut vocant, professus est, jam è discipulo magister. Inde anno 1664. in Juliacensem Academiam prope Domnum-Martinum commigravit. In ea Tertiam, Secundam, & Rethoricam docuit. Emenso tandem humaniorum litterarum stadio ad sacrum Presbyteratus ordinem evectus est anno 1667. Paulo post in Cœnomanense Collegium missus, per duos annos juventutis educationi præfuit. E Cœnomano Salmurium petiit anno 1669. & sub Patribus Andrea *Ma tin* & Joanne *le Porc* sacræ Theologiæ studio vacavit duobus annis, statimque ibidem Philosophiam docuit à feriis anni 1671. ad ferias anni 1673. Mox Andegavi eandem denuò palæstram, idemque stadium, maximo omnium applausu, emensus est. Cursum itaque alium aggreditur, sed ab incœpto destitit, Superiorum jussu, qui eum, ineunte anno 1676. ex Andegavo Gratianopolim advocarunt.

Huic Ecclesiæ præerat Eminentissimus Cardinalis le Camus, vir morum gravitate spectabilis, scientiâ pietatéque inter omnes Galliarum Episcopos conspicuus, qui Bernardum Lamy in curarum munerumque partem recepit, suâque eum deinceps amicitia prosecutus est. Ille verò Eminentissimum Cardinalem uti Doctorem suspicere, venerari ut parentem, jussa illius & nutus observare; hujus siquidem jussis obtemperare, Dei ipsius voluntatem exequi semper existimavit. Quantum seu in scientia, seu in pietate sub sancti illius Episcopi disciplinam profecerit, vix credibile est. Quos jussu illius exanthlarit labores, hinc existimare licet, quòd sanctissimum Cardinalem Diœcesim suam peragrantem seu visitantem secutus sit, ubique verbum Dei prædicans; Religionis elementa populos edocens; nulla non adiens per montes, per nives pericula; dies integros laborans, vix noctibus quiescens; scilicet messis tanta erat, ut, nocte silenti, quæ per diem eloqueretur, appararet. At virum Evangelicum sanctissimi Cardinalis labores exemplaque recreabant. Fœlix Sacerdos qui sub tanto Pontifice, & illius ob oculos munia sua exercuerit! Fœlix Præsul qui talem ministrum cooperatorémque nactus fuerit! Fœlix Gratianopolitana Ecclesia quæ tot virtutum exemplis, tamque salutaribus doctrinis saginata fuit. Illi Gratianopolim reverso Clericorum tum ad pietatem, tum ad doctrinam sacram instituendorum à sapientissimo Præ-

ſule provincia demandata fuit. Hanc haud impigrè adminiſtravit, tumque ad comparandam, quam in alios refunderet, Scripturæ ſacræ intelligentiam ſtudium omne ſuum convertit, nec irrito conatu, uti varia doctiſſimaque ab eo ad ſacrorum librorum elucidationem elucubrata opera teſtantur. In Clericorum itaque quos inſtituebat gratiam *apparatum ad Biblia ſacra, in quo de Hebræorum gente, legibus, ritibus, variiſque ad Bibliorum intelligentiam ſpectantibus, tabulis XX. diſpoſitum, in folio Gratianopoli typis N.... Fremont anno* 1687. emiſit in lucem. Hoc opus ab omnibus laudatum avidéque exceptum eſt. Hunc librum Dominus Franciſcus Boyer tunc Collegiatæ Eccleſiæ Monbriſonii Canonicus, quo junioribus Clericis, immo fidelibus omnibus prodeſſet, è Latino in Gallicum ſermonem tranſtulit. Prodiit Lugduni ſub hoc titulo: *Introduction à la lecture de l'Ecriture ſainte, Lyon, Certe.* 1689. *in* 12. Ad ſacræ Scripturæ lectionem manuductio.

Ante hos quidem libros plures jam in omnì ſcientiarum genere conſcripſerat, inter quos, eruditorum omnium judicio, palmám obtinet illius Rethorica gallicè ſcripta quam in publicum emiſit anno 1675. ſub hoc titulo: *L'Art de parler, Paris, Pralard* 1675. *in* 12. Ars dicendi. Hic liber, licet è manibus autoris in publicum, non omni ex parte, uti nunc eſt, abſolutus exierit, magnam autori ſuo laudem, magnumque nomen peperit. Hîc quidem obiter fatendum eſt Bernardum Lamy opera ſua, ut plurimùm, antequam ea publici juris faceret, non ſatis elucubraſſe, ſeu varietatis amans eadem ſæpius retractare refugeret, ſeu potius, innata ingenii vis, promptiorque ſpiritus in ea quæ ſcribebat, diutius eum immorari non ſinerent. Quidquid illud ſit, quotquot ferè edidit volumina, in prima quidem editione manca & imperfecta fuere; verum ſecundis curis formâ meliore donata perfectioráque in ſequentibus editionibus prodierunt in publicum. Quoties ſiquidem opera ſua prælo denuò committebat, ea limatiore ſtilo, ratiocinio exquiſitiore, methodo denique excellentiore donabat. Aſt hoc omnium ferè Scriptorum vitium eſt. Ad Artem dicendi redeo. Aurei illius libri autor Phyſici ſimul & Rethoris partes agit, ac laudem ſub utroque nomine meretur maximam. Plurimam in eo eruditionem oſtendit, allatis undecunque tum è Græcis, tum è Latinis, nec non è Gallicis, Italis, Hiſpaniſve Scriptoribus exemplis, ita exquiſitis ut ejus judicium non deſideres. In Bernardum Lamy invidus ſim, ſi ſummi viri de hoc elegantiſſimo opere judicium reticeam. Reverendus admodum Pater Nicolaus Malbranche non tantum Congregationis noſtræ, ſed & ſui ſæculi decus ac ornamentum, & omnium retrò Philoſophorum facilè Princeps, vir exquiſitæ naris, & pauca admodum laudare ſolitus, Artem dicendi non probare modò, ſed maximis laudibus exornare, cùm ſe dabat occaſio, nunquam deſtitit. De hoc ingenioſo libro ad amicum quemdam ſcripſit his verbis: *Si tibi deeſt ars dicendi, manca eſt tua bibliotheca, deeſt tibi liber exquiſitiſſimus, omnibuſque ſuis numeris abſolutus.*

Tribus ab hoc opere annis elapſis, edidit judicia ſua de arte Poëtica ſub hoc titulo: *Nouvelles Reflexions ſur l'art poëtique, &c. Paris, Pralard* 1678. *in* 12. In eo libello, quem magno judicio conſcriptum dicit Dominus Ellies Du Pin, de Poëmatum in animos noſtros vi & efficacia diſſerit, cauſas motuum, qui eorum lectione in nobis excitantur, inquirit, Poëtices denique primarias tradit regulas. Verùm meo judicio, hæc tantum attigit autor, non pertractavit.

Ex Rethoricis ad Mathematica tranſeamus. Anno altero vertente Tractatum mechanices de ſolidorum & liquidorum equilibrio edidit: *Traité de mechanique, de l'équilibre des ſolides & des liqueurs, in* 12. *Paris, Pralard* 1679. & anno ſequenti Tractatum de magnitudine in genere, in quo elementa arithmetices, algebræ & analyſis methodo facili traduntur. *Traité de la grandeur en general, qui comprend l'Arithmetique, l'Algebre & l'Analyſe, in* 12. *Paris, Pralard* 1680. Et poſt quinquennium Elementa Geometriæ in publicum emiſit: *Elemens de Geometrie, in* 8. *Paris, Pralard* 1685. His operibus, quæ methodo & perſpicuitate maximè commendantur, magnum ſibi apud eruditos nomen peperit, & inter ævi ſui toto orbe celebres Mathematicos non ultimum locum meruit. Sed inter opera ejus Mathematica primas ſibi partes tulit Tractatus de magnitudine, toties impreſſus, tamque avidè à mathematices ſcientiæ candidatis exceptus. Verùm ingenuè fatebor in hiſce lucubrationibus nihil novi, nihil quod autori proprium ſit, ab eoque inventum reperies præter methodum, quâ maximam illis abſtruſioribus diſciplinis lucem attulit. Nec minorem certè laudem meretur qui pluribus profuerit, quam qui ignota prorſus excogitarit. Quod mirum, Tractatum *de magnitudine* inter ambulandum, ſcilicet dum pedes è Gratianopoli Pariſios peteret, confecit, compoſuitque. Anno 1701. Tractatum Dioptrices publicavit, cujus titulus is eſt: *Traité de perſpective, où ſont contenus les fondemens de la peinture,* 8. *Paris, Aniſſon* 1701.

Antequam Geometriæ elementa vulgaret, illius circa ſcientias Colloquia in publicum jam prodierant ſub hocce titulo: *Entretiens ſur les ſciences, dans leſquelles on apprend comment*

comment on se doit servir des sciences pour se faire l'esprit juste & le cœur droit, in 12. *Lyon*, *Certe*, 1684. Hic liber studiosæ juventuti apprimè utilis, utinam omnium scientiæ candidatorum manibus tereretur, illius lectione non ad scientias modò sed ad virtutem ipsam amplectendam mirum quantum eorum accenderetur animus. In eo libro dirigendorum studiorum methodum tradit, quæ maximè illius judicium Lectoribus commendat: cùmque verisimile sit eamdem ipsum in scientiis, de quibus agit, perdiscendis amplexum fuisse, fiduciam non mediocrem illam secuturis ingenerat, tantum in omni scientiarum genere proficiendi quantum ipse profecit, modò ad eas excolendas ardorem eundem attulerint, eamdemque his adhibuerint diligentiam.

Moralia deinde colloquia conscripsit, quorum hic titulus. *Demonstration ou preuves evidentes de la verité & la sainteté de la morale Chrétienne, premier & second entretien. 2. vol. in 12. Paris, Pralard*, 1688. Duobus his colloquiis meliorem in formam redactis, tria alia adjecit. Quinque hæc colloquia totidem voluminibus comprehensa Rothomagi annis 1706. 1709. & 1711. typis D. Boucher prodierunt. In eo opere totius moralis Christianæ principia exponit, ac veræ Religionis certitudinem adversus Atheos Epicureosque demonstrat. Verùm illud haud satis elucubravit. Verbosos collocutores inducit, qui nimia loquacitate tædium ingerunt Lectoribus. Nimirum dum omnia vult probare, quæ maximè erant demonstranda molliter nec sine Lectorum fastidio tradit. At quanti constet Autori brevitas quæ luci nihil detrahat, eorum, qui scientiis illustrandis incumbunt, nemo nescit, *Brevis esse laboro, obscurus fio*, inquit Horatius. Brevitas luci conjuncta his tantum in libris invenitur quos autores gloriæ avidi, & in id unum quod scribunt intenti, in nonum annum premunt. At Bernardus Lamy aliorum utilitati gloriam suam postponens, pluribusque simul operibus incumbens, eam brevitatem seu perfectionem libris suis indere non potuit. Hæc vir insigni modestia præditus ultro de se fatebatur: maximè verò in his colloquiis contra brevitatem se peccasse sentiens, eorum inutilem abundantiam plurimis in locis resecare studebat, novamque illorum editionem adornabat, quam præpropera illius mors nobis invidit.

Ad majora transeamus ad eos scilicet libros quos ad faciliorem plenioremque divinorum eloquiorum intelligentiam conscripsit. Jam de illius ad sacræ scripturæ lectionem Manuductione verba fecimus. Dum hic liber in Gallicam linguam à Domino Boyer translatus Lugduni prælo subdebatur, primigenius illius Autor Parisiis apud D. Pralard forma quam vocant 12. typis committebat, *Harmoniam seu concordiam quatuor Evangelistarum, in qua vera series actuum ac sermonum Domini nostri Jesu Christi, hoc est, vera vitæ ejus historia, adjectâ locis novi ordinis ratione. Parisiis, Pralard*, 1689. In eo opere tres potissimum opiniones, vel longa dudum oblivione deletas, vel pridem à doctis rejectas, probandas suscepit, quæ quidem lites illi plurimas peperêre.

1. Quæ Evangelistæ de B. Joannis Baptistæ incarceratione referunt, nonnullam videntur contradictionem involvere, hanc ut tollat, argumentis haud spernendis probare nititur bis in carcerem missum fuisse sanctum Joannem Baptistam, primùm quidem Hierosolymis jussu magni synedrii, paulò post Salvatoris nostri baptismum, quem iniqua synedrii in Joannem sententia, ut Galilæam peteret, permovit, uti innuunt Matthæus & Marcus. Denuò Herodis jussu, quòd Regi amores suos incestos exprobrasset, in arce Machæruntis in Galilæa, ut narrat Josephus antiquitatum Judaïcarum libro 18. capite septimo.

2. Negat Christum in ultima cœna agnum Paschalem cum discipulis manducasse, immo mortuum fuisse affirmat eo ipso die, quo Judæi Pascha ex lege manducarunt quod clarè evincunt B. Joannis Evangelistæ verba, dum dicit Judæos non intrasse in prætorium, *ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Quæ verba de alia re, quam de esu agni Paschalis intelligere nefas: nec contrarium adstruere videntur cæteri Evangelistæ, dum referunt verba discipulorum ad Christum, *ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Siquidem Paschatis nullam deinceps mentionem ingerunt, sed cœnæ tantum, & institutionis Sacramenti Eucharistiæ. Hanc opinionem licet à viris doctissimis impugnatam, libratis utrimque argumentis ultro amplexi sunt, adhucque amplectuntur magnæ eruditionis viri, inter quos unum nominare liceat illustrissimum Bossuetum Meldensium Episcopum quem defunctum luget Ecclesia Gallicana, luget ipsa Religio, quam indefessè semper adversus insurgentes undequaque hostes tuitus est.

3. Stabilire nititur Mariam Magdalenam eamdem esse ac Peccatricem & Mariam sororem Marthæ & Lazari. Quæ sententia licet à multis retro sæculis recepta fuerit ac probata, à viris doctissimis paulò ante expugnata fuerat, & ab omnibus veritatis amantibus unanimi ferè consensu explosa, uti nullo nixa fundamento, & sacris Evangelii verbis adversa.

Has opiniones aliis subinde scriptis confirmare aggressus est: scilicet Epistolâ Gallicâ ad R. P. Fourré Congregationis Oratorii Presbyterum data: *Lettre au R. P. F. P. de l'O.*

dans laquelle on éclaircit quelques points de la nouvelle harmonie des Evangiles. Argumens pour les deux prisons de S. Jean. Argumens qui prouvent que J. C. dans la derniere Cene, dans laquelle il institua le Sacrement de l'Eucharistie, n'a pas mangé l'Agneau Paschal. De la Magdelaine in 12. *Paris*, 1690. At nedum cogitata illius novis argumentis fulta eruditis arriserint, ut dato veluti signo à multis impugnata fuerint variis dissertationibus, totidemque responsionibus à Bernardo Lamy propugnata.

Primus in illum signa movit D. Bulteau Doctor Sorbonicus qui harmoniam Evangelicam suo calculo approbarat, opinionem de duplici B. Joannis carcere nullatenus recipiendam esse conclamans. Verum B. Lamy in supra memorata ad R. P. F. Epistola cujus extant fragmenta in diario eruditorum anni 1690. ita doctissimi censoris objectiones solvit ac diluit, suamque sententiam validis adeo argumentis suffulsit, ut Victor ex prælio redierit, judice D. Ellies Du Pin qui anno 1719. proximè elapso mortales exuvias deposuit, in Biblioth. Autor. Eccles. XVII. sæculi.

Eodem anno Joannes Pienud, in Harcuriano Collegio humaniorum litterarum Professor, qui anno 1698. linguæ Græcæ Professor Regius renuntiatus est & anno 1703. è vivis excessit, duas dissertationes Gallico idiomate conscriptas edidit. Primâ, duplicem B. Joannis carcerem impugnabat: alterâ, Christum pridie mortis suæ Pascha manducasse contendebat. Sebastianus le Nain Dominus de Tillemont vir tum pietate tum scientia erudito orbi notissimus utramque hanc opinionem, quòd bis S. Joannes Bapt. in carcerem missus fuerit, quodque pridie mortis suæ Christus cum Judæis Pascha ritè non celebraverit, duabus notis tomo primo doctissimorum ad historiam Ecclesiasticam Commentariorum intextis, impugnavit; (notâ nimirum 26. in vitam D. N. J. C. & in D. Joannis Bapt. historiam nota 9.) Ast in eam potissimum invehitur quæ Christum Pascha anno mortis suæ cum Judæis non manducasse affirmat. D. Petrus Nicole cui sua in historiam Ecclesiasticam commentaria, antequam prælo mandarentur, D. Tillemontius communicaverat, cum R. P. Lamy colloquens ejus opiniones pereruditо viro haud arridere, easque notis variis impugnare ultro fassus est. Harum lectionem sibi permitti postulavit R. P. Lamy, quod ultro concessit vir modestissimus ea animi magnitudine, cujus exemplum hactenus desiderabatur, inquit ipse Bernardus Lamy in Præfatione libri sui de Paschate.

Cum verò tot adversariis doctrina & eruditione claris vidit impeti suum de Paschate systema, veritus ne specie novitatis veritas ipsa repelleretur, quod hactenus, ut ita dicam, enuntiare contentus fuerat, firmis validisque cum ab ipso ratiocinio, tum ab autoritate petitis demonstrationibus confirmare; nec tantùm propositas objectiones, sed & quæ proponi possent, in antecessum dissolvere, quæstionem denuò retractare, ac penitius quæcunque hoc argumentum spectabant scrutari instituit in Tractatu historico de antiquo Paschate, cui adjunxit dissertationem qua multiplicibus argumentis B. Joannem Bapt. bis in carcerem missum fuisse adversùs Domini Tillemontii objectiones probat. Prodiit hic liber Gallicè scriptus, Rothomagi, sub hoc titulo: *Traité historique de l'ancienne Pâque des Juifs, avec de nouvelles preuves des deux prisons de S. Jean Baptiste, &c. Roüen, Paris, Pralard*, 1693. *in* 12.

Dominus Tillemontius, perlecta hac responsione, autoris argumentis minimè cessit, scripsit itaque ad eum Epistolam in qua totas ingenii sui vires intendit, quo illius argumenta veluti fluxo innixa fundamento diruat. Extat hæc Epistola ad calcem tomi secundi Commentariorum in historiam Ecclesiasticam. In tres partes ab Autore divisa fuit: in prioribus de ultimo Christi Paschate differit, in postrema de duplici B. Joannis Bapt. carcere. Ducibus Dominis Nudipede & Tillemontio stadium hocce ingressi sunt alii cum scientiæ tum pietatis laude percelebres. R. P. Joannes Harduinus è Soc. Jesu, Collegii Claromontani Bibliothecæ Præfectus novum systema excogitavit, Judæos nempe per duos dies Pascha immolasse atque manducasse, quidquid in contrarium statuat Deus per Moysen Exodi XII. 6. Concedit itaque Judæos usque ad captivitatem Babylonicam Pascha immolasse luna decima quarta juxta Dei præceptum. Verùm cùm post captivitatem Judæorum numerus in infinitum excrevisset, tum quod gens ipsa multiplicata esset, tum quod ex idololatris plurimi Judaïcam religionem amplexi fuissent, contendit Levitas tantam agnorum multitudinem, quæ sufficeret omnibus Israëlitarum tempore Christi existentium familiis, uno die immolare haud potuisse; proindeque Judæos non tantùm luna decima quarta, sed & decima quinta illo ævo Pascha immolare atque manducare solitos fuisse. His positis putat Christum Pascha legale cum discipulis, immo cum potiori Judæorum multitudine luna decima quarta, die Jovis comedisse, quod innuere videntur Matthæus, Marcus & Lucas, cæteros die Veneris luna decima quinta, occiso jam vero Paschate D. N. J. C. ut scribit sanctus Joannes Evangelista. Hoc systema liti dirimendæ aptissimum nullus tamen è litigantibus amplexus est, ut pote meram conjecturam, nullis nixam fundamentis, contra quam reclamare videntur Judæorum ac Christianorum testimonia. Pro-

diit hoc doctiſſimi Harduini opus Pariſiis, anno 1693. ſub hocce titulo : *Diſſertatio de ultimo Chriſti Paſchate.*

R. P. Michael Mauduit Congregationis Oratorii Domini Jeſu Preſbyter qui è vivis exceſſit anno 1709. Evangeliorum Analyſim anno 1693. Pariſiis publicavit ; & inſerta huic operi diſſertatione, Bernardi Lamy de ultimo Chriſti Paſchate ſententiam elevare tentat ; contenditque tum unanimi Patrum conſenſu, tum ipſa traditione, Evangeliſtarum apprimis teſtimonio conſtare Chriſtum luna decima quarta die Jovis Paſcha ritè immolaſſe, Judæos vero contra præceptum Moſis, luna decima quinta Paſcha celebraſſe ipſo die Veneris, quo Chriſtus Agnus immaculatus, & Paſcha noſtrum in ara crucis ſeipſum Patri ſuo obtulit.

Singulis his adverſariis ſeorſim reſpondit B. Lamy, variaſque has reſponſiones Gallico idiomate conſcriptas ipſo anno 1693. uno eodemque volumine vulgavit ſub hoc titulo : Continuatio Tractatus hiſtorici de antiquo Judæorum Paſchate : *Suite du Traité hiſtorique de l'ancienne Pâque des Juifs.*

Vix dum hoc volumen prodibat in publicum cum R. P. Harduinus emiſit in lucem colloquium inter Irenæum & Euſebium in quo præcipua capita latinæ ſuæ Diſſertationis Gallicè redduntur, ac novis ſubinde ratiociniis confirmantur. Hos Collocutores, Epiſtolâ in 40. diario eruditorum anni 1693. impreſſa, refellit Pater Lamy. Dominus Pienud diuturnum ſilentium tandem rupit, publicata in quarto diario eruditorum anni 1695. in modum Epiſtolæ reſponſione, ad eam quam adverſus ejus Diſſertationem vulgaverat Bernardus Lamy in continuatione Tractatus hiſtorici de antiquo Judæorum Paſchate. Huic Epiſtolæ aliam oppoſuit Bernardus Lamy, quam in duodecimo ejuſdem anni eruditorum diario reperies.

Reverendus admodum Pater Gabriel Daniel è Societate Jeſu non varia ſolùm multiplicique ſua eruditione, ſed & politiore ſcribendi ratione inter litteratos clarus, Ludovici Leonis Mutinenſis inter Eremitas S. Auguſtini vota profeſſi, ac in Salmanticenſi Academia Theologiæ Profeſſoris librum, *De utriuſque Agni typici & veri immolationis legitimo tempore*, è Latino in Gallicum vertens, dum aſſutis ad Autorem notis, ejus ſententiam nititur confirmare, in Bernardum Lamy, ejuſque ſyſtema excurrit. Tanti hoſtis incurſus nova Diſſertatione repulit. Eâ Leonis Mutinenſis librum perpetuis inniti paralogiſmis probat, & conſequenter nullas eſſe viri doctiſſimi ac eloquentiſſimi argumentationes, quòd fluxo nitantur fundamento.

R. P. Paulus Yvo Pezron Ordinis Ciſtercienſis Alumnus, qui anno 1706. defunctus eſt, *Hiſtoriæ ſuæ Evangelicæ* Diſſertationem attexuit, in qua probare ſatagit, Judæos duas neomenias habuiſſe, proindéque lunam decimam quartam bis numeraſſe, & in qualibet Agnum Paſchalem comediſſe ; quo conceſſo, conciliantur inter ſe varia Evangeliſtarum teſtimonia, quæ pugnantia antea videbantur. Hoc argumento quo Domnus Pezron ad R. P. Harduini opinionem videtur accedere ; Bernardo Lamy, quòd pro ſua ſententia non ſtaret, eam viſus eſt impetiiſſe.

Dominus Carolus Vitaſſe ſacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis Doctor, nec non Scholæ Sorbonicæ Profeſſor Regius, vir morum comitate ſumma in Deum pietate raraque eruditione bonis omnibus carus, quem ab ineunte vere anno 1716. ſibi ereptum lugent Scholæ Sorbonicæ candidati, dum in Tractatu de Euchariſtia quæſtionem de ultimo Chriſti Paſchate agitat, communem ſententiam adductis ex Scriptura ſacra & ex traditione teſtimoniis pro virili propugnat, adverſaque Bernardi Lamy argumenta tentat elevare.

Doctiſſimi illi viri licet Autoris noſtri ſententiam aperta fronte non impetiiſſent, quod diverſas ab eo opiniones ſequerentur, ne eorum autoritate adverſarii ſui gloriarentur, quintam partem addidit Tractatui de antiquo Judæorum Paſchate, in ea omnes vires intendit quo Doctorum virorum argumenta labefactet, ſuamque opinionem ruinis adverſæ ſententiæ ſuperſtruat. Dominus Carolus Vitaſſe in diario eruditorum anni 1696. Epiſtolam inſeruit adverſus hanc reſponſionem : cui Epiſtolæ duabus aliis, quæ in eodem Diario leguntur ; reſpondit B. Lamy. Neque his pugnæ finis impoſitus. Uterque ſiquidem in Diario anni 1697. Epiſtolam imprimi curavit, in qua utrimque variè agitur de impii Marcionis hæreſi quâ contendebat Chriſtum in ultima Cœna Diſcipulis ſuis illuſiſſe, fingendo Agnum Paſchalem ſe manducare, licet eum haud manducaverit.

Poſt tot Doctorum virorum inter ſe conflictus, poſt ventilatam tanto animorum æſtu utrinque quæſtionem, magnis laboribus partâ ſibi quiete Bernardum Lamy tandem fruiturum quis non crederet ? Quis poſt crambem toties recoctam materiam penitus exhauſtam non exiſtimaret ? At novus Athleta exoritur, & prælium denuò redintegrat. R. P. D. Gabriel Beſſin Monachus Benedictinus è Congregatione S. Mauri Judicia ſua in novum Patris Lamy de ultimo Chriſti Paſchate ſyſtema typis committit, Rothomagi anno 1697. ſub hocce titulo : *Reflexions ſur le nouveau Syſtême du Pere Lamy.* Hujus adverſa-

rii ictus repulit duabus Epistolis quas eodem anno in diariis eruditorum 40 & 41. publicavit, & anno sequente prælo mandavit, sub hoc titulo : *Sixiéme suite du Traité historique de la Pâque.* Pars sexta, seu continuatio Tractatus historici de antiquo Paschate.

Post varia, multipliciaque certamina è quibus contendentium quisque, se judice, victor evaserat ; post tot exanthlatos labores pro Concordia sua Evangelica, eam rursus doctis auctam commentariis vulgavit Parisiis anno 1699. duobus tomis in 4. En rursus conferendus ensis. Dominus Anquetin Pastor, seu Rector Ecclesiæ Lionensis (de Lions) eodem anno 1699. emisit in publicum Dissertationem, qua in R. P. Natalem Alexandrum Dominicanum R. P. D. Paulum Yvonem Pezron Cisterciensem, Bernardum Lamy & Michaëlem Mauduit Congregationis Oratorii Gallicani Sacerdotes invehitur, quod Mariam Magdalenam, Mariam sororem Marthæ & Lazari, & Peccatricem, unam eandemque esse mulierem variis argumentis sibi persuaserant : Econtra contendit tres exstitisse, seu Mariam Magdalenam aliam esse ac Mariam sororem Marthæ & Lazari, & neutram fuisse Peccatricem quæ pedes Domini unxit unguento, dum apud Publicanum pranderet, cujus nomen in Evangelio reticetur : evincitque tres has mulieres variis caracteribus ab Evangelistis designari, multosque sanctos Patres atque Autores Ecclesiasticos omnibus Ecclesiæ sæculis Marias duas à se invicem & à Peccatrice distinxisse, proinde opinionem quæ Mariam Magdalenam sororem Marthæ & Lazari simulque peccatricem fuisse contendit, nunquam fuisse ab Ecclesia definitam, licet plures ex sanctis Patribus eam amplexi sint, & ab omnibus ferè Ecclesiis in publicis suis officiis recepta fuerit. Bernardus Lamy doctissimi viri ratiociniis non persuasus, illius dissertationem confutare aggressus est duabus Epistolis, quæ eo ipso anno (1699.) sub hoc titulo prodierunt : *Defense de l'ancien sentiment de l'Eglise Latine touchant l'Office de sainte Magdelaine, ou suite de la Dissertation latine sur le même sujet imprimée dans le Commentaire sur la Concorde Evangelique :* Defensio veteris opinionis Ecclesiæ Latinæ de Officio sanctæ Magdalenæ, seu continuatio dissertationis Latinæ commentario super Concordiam Evangelicam insertæ. His duabus Epistolis alias reposuit D. Anquetin quas tacito suo nomine vulgavit sub hoc titulo : Clerici Rothomagensis Epistolæ ; *Lettres d'un Ecclesiastique de Roüen.* Siluit quidem P. Lamy, verùm sententiam haud mutaverat, quam ab Ecclesia semper defensam fuisse contendebat, & ab eruditissimi Scriptoris argumentis impeti quidem, minimè vero labefactari existimabat.

Quæ pro defensione concordiæ suæ Evangelicæ suscepit doctissimus Autor, non eum à majoris momenti operibus dimoverunt : inter ipsum siquidem hostium undequaque occursantium conflictum Apparatum Biblicum seu Manuductionem ad sacram Scripturam tùm clariùs, tùm faciliùs intelligendam Lugduni publicavit, anno 1696. in 8. Hic liber ab Abbate de Bellegarde in Gallicum translatus est, impressusque Parisiis, 1697. in 8. Sed cum hæc versio eo inscio atque inconsulto, vulgata fuisset, aliam ab amico quodam suo D. Boyer Canonico Ecclesiæ Monbrisonii elaboratam calculo suo approbavit, eamque multis in locis auxit, correxitque. Prodiit hæc Lugduni, anno 1699. in 4. apud Certes Bibliopolam Lugdunensem. Additamenta Gallica in Latinum apparatum intulit, eumque multis in locis auxit atque correxit. Moxque vulgatus est Jenæ anno 1709. & Amstelodami anno sequente. Hanc Latinam editionem secutus est Dominus Boyer in nova editione Gallica quam anno 1709. Lugduni publicavit : anno denique 1715. Latinam editionem cæteris auctiorem in publicum emittere parabat B. Lamy, at morte præventus eam absolvere non potuit ; huic editioni D. ***** Autori multa necessitudine devinctus incumbit.

Eodem ferè tempore, ut diximus, Colloquia sua moralia edidit. Præter hæc Historiam Theologiæ scolasticæ latinè conscripsit. In eo opere quo tempore quæque opinio nata sit, quis primus eam invexit, scrutatur. Huic Tractatui multiplici eruditione referto Bibliothecam Theologorum scolasticorum, seu indicem librorum à Theologis scolasticis de Theologia editorum ordine chronologico dispositum attexere volebat, sed aliis studiis ab eo opere perficiendo impeditus est : siquidem Tractatum de J. C. homine Deo, cujus in eo, quod tibi sistimus, opere sæpius meminit, eo ipso tempore meditabatur. Opus ut Christiani Autoris pietate dignum, ita Congregationis Oratorii Sacerdoti apprimè congruum ; siquidem ejusce Congregationis Sacerdotes D. N. J. C. Dei & hominis vitam & mysteria perpetuo meditari suæ Institutionis præcipuum ducunt, ut pote quem suspiciunt atque venerantur uti exemplar Sacerdotum novæ legis, quorum ipse est caput & Sacerdotii autor : sibi quisque dictum putat, *Inspice & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.*

Verum præcipuum illius opus, cui triginta annos, ipso teste, insudarat, tandem in publicum prodit, Templi scilicet Salomonici descriptio. Huic multis ante mortem suam annis manum ultimam admoverat Autor, sed opus multæ impensæ à Bibliopolis, qui distri-

buendis aliis Autoris elucubrationibus plurimas opes conflaverant, respuebatur; cum ea Domini Mariette & Delespine Bibliopolæ Parisienses, non tam lucro, quam existimationi comparandæ, utilitati publicæ inserviendo, intenti, librum hunc suis sumptibus imprimendum suscepêre. Nullis impensis, nullis laboribus pepercit Autor quò opus sacræ Scripturæ studiosis maximè necessarium omnibus partibus absolutum in publicum emitteret, ter quaterve integrum illud exscripsit, semperque in melius commutavit. Æneas tabulas quas à Domino Mariette elegantissimè sculptas hic cernis, frequentesque toto hocce opere occurrunt à doctissimis quibusque viris sculptura, picturave effingi curavit, ut ipsius musæum à peritis harumce artium frequentaretur.

Tot librorum conscribendorum componendorumque inter varios vitæ Sacerdotalis labores copiam illi fecit firma cùm mentis tùm corporis valetudo, quam sat constantem expertus est ad annum vitæ suæ septuagesimum quartum, quo illius animum affecit mœror ingens ex quo corporis haud minor secuta est ægritudo. Causam mœroris hujus paucis liceat aperire.

Quidam juvenis perlectis aliquot Reverendi Patris Lamy opusculis, falsæ relligionis errores ejurare, seque totum pietati ac scientiæ devovere postquam consilium iniisset, eum adire, ejusque his de rebus monita exposcere cœpit, moxque adeo stupendos, his obsequentem se præbens, tam in pietate quàm in scientiis progressus fecit, ut majora quæque de illo pius monitor speraret. At tam fausta initia tristis exitus excepit, spemque præconceptam planè fefellit eventus; juvenis siquidem vix anno uno aut altero elapso ad errores pristinos rediit. Hujusce defectionis nuntium statim ac ad Bernardum Lamy perlatum est; pereuntem juvenis animam miserans tantus eum mœror invasit ut non animum modo sedet corpus ipsum paulatim depasceretur.

Tandem anno 1715. exeunte Januario ingravescente morbo de illius salute desperandum fuit. Inter has corporis fatiscentis angustias superiores sui ut culcita uteretur, nam paleæ stratum illi præbebant, & cilicium, quo semper induebatur, deponeret, ab eo vix tum obtinuere. Vigesimo nono Januarii cùm è venæ pulmonaris ruptione sanguinem plurimum excreasset, deficientibus viribus supremam horam sibi adesse, nec falsò persuasus, absque ulla mora, ultima Ecclesiæ Sacramenta sibi administrari enixè petiit; hisque solita cum pietate atque reverentia susceptis, suam voluntatem divinæ subjectam testabatur, ac in ipsa tremendorum Dei judiciorum meditatione timorem lætitiâ temperatum demonstrabat. Tandem eo ipso die inter fratrum suorum suspiria & preces, ætatis suæ anno 74. ex hac mortali ac infœlici vita ad immortalem fœlicioremque, uti sperare licet, commigravit. Bibliothecam suam, id est, quidquid possidebat, in tres partes Domibus Oratorii testamento divisit. Unam Cœnomani, alteram Parisiis, tertiam Rothomagi in grati animi monimentum legavit. Tanti viri elogium cum Domino Ellies Du Pin juvat concludere. Doctus erat, inquit, at simul modestus, magnoque judicio præditus. Linguas plurimas callebat, artes omnes ac scientias pervaserat, maximè verò Sciptura sacræ intelligentiam fuerat adeptus. Mens illi prompta ad omnes artes, atque elocutio facilis. Puro sermone scribebat cùm Gallicè, tùm Latinè, & in suis scriptis conjecturas ac ratiocinia intendebat, sed non ultra metas. Huic felicitatem adprecare, Lector, ejusque elucubrationibus quarum indicem tibi sistimus, fruere.

Index Operum R. P. Bernardi Lamy Cœnomani Congregationis Oratorii D. J. Presbyteri.

1. L'Art de parler avec un discours, dans lequel on donne une idée de l'art de persuader, in 12. Paris, Pralard 1675. seconde édition, in 12. Paris, Pralard 1676. 3. édition revûë & augmentée in 12. Paris, Pralard, 1688. 4. édition augmentée, in 12. Paris, Delaune 1701.
2. Nouvelles Reflexions sur l'Art Poëtique in 12 Paris, Pralard 1668. *lisez* 1678.
3. Traité de Mechanique de l'Equilibre des solides & des liqueurs, in 12. Paris, Pralard 1679.
4. Traité de la grandeur en general, qui comprend l'Arithmetique, l'Algebre & l'Analyse in 12. Paris, Pralard 1680. Le même sous ce titre, Elemens de Mathematiques, ou Traité de la Grandeur en general, 2. édition, augmentée, in 12. Paris, 1689. 3. édition revûë & augmentée, in 12. Paris, Mariette 1704.
5. Entretiens sur les Sciences, dans lesquels on apprend comme on doit étudier les Sciences, & s'en servir pour se faire l'esprit juste, & le cœur droit, in 12. Lyon, Certe 1684. 2. édition augmentée d'un tiers, in 12. Lyon, Certe 1694 3. édition augmentée, in 12. Lyon 1706.
6. Elemens de Geometrie in octavo Paris, Pralard 1685. 2. édition revûë & corrigée in 12. Paris, Pralard 1695. 3. édition . . . . 4. édition revûë & augmentée, Paris, Mariette. 1710.
7. Apparatus ad Biblia sacra in quo de Hebræorum gente, legibus, viribus, variisque ad Bibliorum intelligentiam spectantibus tabulis XX. dispositus, in folio, Gratianopoli, Fremon 1687. Le même Ouvrage traduit en François & imprimé sous ce titre: Introduction à l'Ecriture sainte, in 12. Lyon, Certe 16[illegible]. & dans le Dictionnaire de la Bible de M. Simon in folio, Lyon 1703.
8. Demonstration ou Preuves évidentes de la verité & la sainteté de la Morale Chrétienne, 1. & 2. Entretien, 2. vol. in 12. Paris, Pralard 1688.
9. Harmonia seu Concordia quatuor Evangelistarum, in qua vera series actuum ac sermonum D. N. J. C. Hoc est vera vitæ ejus histo ia restituitur, adjectâ suis locis novi ordinis ratione, in 12. Paris, Pralard 1689.
10. Traité historique de l'ancienne Pâque des Juifs, où l'on examine à fond la question, si J. C. fit cette Pâque la veille de sa mort, & ce que l'on en a crû, avec de nouvelles preuves des deux prisons de S. Jean Baptiste, in 12. Rouen 1693.
11. Lettre du P. Lamy au R. P. F. P. D. L'O (Fourré Prêtre de l'Oratoire) dans laquelle il éclaircit quelques points de la nouvelle harmonie des Evangiles. Argumens pour les deux prisons de S. Jean. Argumens qui prouvent que J. C. dans la derniere Cêne, dans laquelle il institua le Sacrement de l'Eucharistie, n'a pas mangé l Agneau Paschal. De la Magdelaine, in 12. Paris 1693. 2. édition, Paris 1699.
12. Reflexions sur le nouveau systême du P. Hardoüin Jesuite touchant la derniere Pâque de N. S. J. C. ou suite du Traité historique de la Pâque, in 12. Paris Pralard 1693.
13. Reflexions sur quelques dissertations de l'Auteur de l'Analise des Evangiles (Michel Mauduit) sur le même sujet, & sur un livre intitulé l'Apologie de M. Arnaud, & du P. Bouhours, in 12. Paris Pralard 1694.
14. Réponse du P. Lamy à la Lettre de M. de Tillemont sur la derniere Pâque de N. S. in 12. Paris, Pralard 1694.
15. Reflexions sur le systême de Loüis de Leon sur le même sujet proposé par le P. Daniel, avec les preuves des deux prisons de S. Jean Baptiste mises en ordre geometrique in 12. Paris, Pralard 1695.
16. Réponse au Dialogue du P. Hardoüin, dernier Journal des Sçavans de 1695.
17. Réponse à M. Piénud, 12. Journal des Sçavans de 1695.
18. Réponse à un écrit inseré dans les Journaux 41. & 42. des Sçavans de l'année 1696.
19. Extrait de la Lettre d'un Docteur (Charles Vitasse) contre le Traité de la Pâque dans le Journal 7. des Sçavans de 1696.
20. Reflexions sur la Lettre d'un Docteur de Sorbonne à un Docteur de la même Maison, & sur l'Histoire Evangelique du R. P. P. Pezron de l'Ordre de Cîteaux, in 12. Roüen 1696.
21. Lettre au P. Gabriel Bessin Religieux Benedictin sur ses Remarques contre le Systême du P. Lamy sur la Pâque, in 12. Paris 1696.
22. Apparatus Biblicus seu Manuductio ad sacram Scripturam tum clariùs tum faciliùs intelligendam, nova editio aucta & locupletata omnibus quæ in Apparatu Biblico desiderari possunt in 8. Lugduni, Certe 1696. Jenæ 1709. Amstelodami 1710.
23. Le même Ouvrage traduit en François par l'Abbé de Bellegarde, in 8. Paris, Pralard 1697.
24. Le même Ouvrage traduit en François par M. Boyer Chanoine de Montbrison in 4. Lyon, Certe 1699 nouvelle édition revûë & augmentée in 4. Lyon, Certe 1709.
25. Seconde Dissertation sur Marie Magdelaine contre M. Anquetin in 12. Roüen 1699.
26. Commentarius in Harmoniam Evangelicam seu Concordiam Evangelistarum cum Apparatu Chronologico ad Harmoniam Evangelicam & Apparatu Geographico 2. vol. in 4. Paris. Anisson 1699.
27. Demonstration par laquelle on prouve la possibilité de l'immolation de l'Agneau Paschal, in 12. Roüen 1700
28. Introduction à la lecture de l'Ecriture, ou Methode de lire l'Ecriture en une année in 8. Paris Pralard.
29. Traité de Perspective, où sont contenus les fondemens de la peinture in 8. Paris Anisson 1701.
30. Demonstration, ou preuves évidentes de la verité & de la sainteté de la Morale Chrétienne, Ouvrage qui comprend en cinq Entretiens toute la Morale, 5. vol. in 12. Rouen, Boucher 1706. 1707. 1708. 1711.
31. De Tabernaculo fœderis, de sancta civitate Jerusalem, & de Templo ejus, libri septem in folio, Paris, Mariette 1720.
32. De Jesu Christo Homine-Deo, in 4. liber MS. forsan imperfectus.
33. Historica disquisitio de Theologorum Scholasticorum opinionibus in 4. MS.

INDEX
CAPITUM ET SECTIONUM

quæ in hoc Volumine continentur.

Liber Primus.

De antiquis mensuris, quarum fit in Scripturis mentio, & earum certa æstimatione.

Caput primum.

Præfatio totius operis.

LIBER TERTIUS.

Liber Quartus.

LIBER QUINTUS.

quod

LIBER SEXTUS.

LIBER SEPTIMUS.

FINIS.

APPROBATIO.

EGo infraſcriptus juſſu Illuſtriſſimi Galliarum Cancellarii legi opus, cui præfigitur hic titulus, *De Tabernaculo fœderis, de ſancta civitate Jeruſalem, & de Templo ejus libri ſeptem*, Autore BERNARDO LAMY, Congregationis Oratorii Preſbytero, & diſſertationem hiſtorico-criticam de Templo Salomonis ſine autoris nomine, nihilque in hoc libro inveni, quod Patris Lamy viri tot nominibus illuſtris, & de Republica Chriſtiana benemeriti pietatem, in omni artium, ſcientiarum & linguarum genere eruditionem, in elucidandis abſtruſioribus Scripturæ ſacræ locis ſtudium, & zelum non referret; undè illius labores tot annis exantlatos utiles cenſeo iis, qui Arcæ, Civitatis ſanctæ, Templi, & Ædis ſacræ menſuras, cultûſque Moſaïci ritus ſcutari volunt. Datum Pariſiis die decimâ Januarii anni 1721.

A THOMASSIN.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre: A nos amez & feaux Conſeillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes Ordinaires de noſtre Hoſtel, Grand Conſeil, Prevoſt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra, SALUT. Noſtre bien amé DENYS MARIETTE Libraire à Paris, Nous ayant fait remontrer qu'il luy a été mis entre les mains un livre intitulé, *De Tabernaculo fœderis, de ſancta civitate Jeruſalem: & de Templo ejus*; lequel Ouvrage il deſireroit faire imprimer: mais comme il ne le peut faire ſans s'engager à une très-grande dépenſe, Nous voulant favoriſer le zele dudit Mariette, & luy donner les moyens d'executer cet Ouvrage; voulant en même temps encourager les Libraires & Imprimeurs à entreprendre des Editions de Livres dont la lecture peut eſtre avantageuſe à l'avancement des Sciences & des belles Lettres, qui ont toûjours fleuri dans noſtre Royaume, ſoûtenir en même temps la Librairie & l'Imprimerie qui ont été juſques à preſent cultivées par nos Sujets avec autant de ſuccès que de reputation, & recompenſer ceux qui ſe diſtinguent dans cette Profeſſion par les Editions des bons Livres, Nous luy avons permis & accordé, permettons & accordons par ces Preſentes d'imprimer ou faire imprimer ledit Livre *De Tabernaculo fœderis, de ſancta civitate Jeruſalem, & de Templo ejus*, & de réimprimer ou faire réimprimer l'*Imitation de Jeſus-Chriſt traduction nouvelle; les Leçons de la Sageſſe par le Pere Lamy Benedictin; Meditations courtes ſur les Epiſtres & Evangiles de l'Année; Poëſies de Baraton; Heures Canoniales contenuës dans le Pſeaume 118. & Soliloques ſur le même Pſeaume; les Epiſtres & Evangiles de l'Année, traduction nouvelle; Livres ſervans à l'Office divin de l'Ordre de Citeaux; Maniere d'entendre la ſainte Meſſe ſelon l'eſprit & l'intention de l'Egliſe*; en telle forme, marge, caractere, en un ou pluſieurs volumes, conjointement où ſeparément, & autant de fois que bon lui ſemblera, & de les vendre, faire vendre, debiter par tout noſtre Royaume pendant le temps de dix-huit années conſecutives, à compter du jour de la datte deſdites Preſentes. Faiſons défenſes à toutes ſortes de perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion étrangere dans aucun lieu de noſtre obéïſſance; & à tous Imprimeurs, Libraires & autres d'imprimer, faire imprimer, vendre, faire vendre, debiter ni contrefaire aucun deſdits Livres cy-deſſus expliquez en tout ny en partie, ny même d'en faire aucuns extraits ſans le conſentement par écrit dudit Expoſant, ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de confiſcation des Exemplaires contrefaits, de ſix mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hoſtel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit Expoſant, & de tous dépens, dommages & intereſts: A la charge que ces Preſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, & ce dans trois mois de la datte d'icelles; que l'impreſſion deſdits Livres ſera faite dans noſtre Royaume & non ailleurs, en bon papier & en beaux caracteres, conformément aux Reglemens de la Librairie, & qu'avant de les expoſer en vente il en ſera mis deux Exemplaires de chacun dans noſtre Bibliotheque publique, un dans celle de noſtre Château du Louvre, & un dans celle de noſtre cher & feal Chevalier Chancelier de France le Sieur Phelypeaux Comte de Pontchartrain, Commandeur de nos Ordres, le tout à peine de nullité des Preſentes. Du contenu deſquelles vous mandons & enjoignons de faire joüir l'Expoſant ou ſes ayans cauſe pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la copie deſdites Preſentes, qui ſera imprimée au commencement ou à la fin deſdits Livres, ſoit tenuë pour dûëment ſignifiée; & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires, foy ſoit ajoûtée comme à l'Original: Commandons au premier noſtre Huiſſier ou Sergent de faire pour l'execution d'icelles tous Actes requis & neceſſaires, ſans demander autre permiſſion, & nonobſtant clameur de Haro, Charte Normande, & Lettres à ce contraires: CAR tel eſt noſtre plaiſir. DONNE' à Verſailles le quatriéme jour du mois de Fevrier, l'an de grace mil ſept cens quatorze, & de noſtre Regne le ſoixante & onziéme. Par le Roy en ſon Conſeil. Signé FOUQUET.

Regiſtré ſur le Regiſtre No. 3. de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, Art. 822. *page* 737. *conformément aux Reglemens, & notamment à l'Arreſt du* 13. *Aouſt* 1703. *A Paris ce cinquiéme Fevrier* 1714. Signé, ROBUSTEL, Syndic.



Tu autem fili hominis ostende domui Israel templum, et confundantur ab iniquitatibus suis, et metiantur fabricam et erubescant ex omnibus quæ fecerant. Figuram domus et fabricæ ejus exitus et introitus, et omnem descriptionem ejus, et universa præcepta ejus, cunctumque ordinem ejus, et omnes leges ejus ostende eis, et scribes in oculis eorum; ut custodiant omnes descriptiones ejus et præcepta illius et faciant ea. Ista est lex domus in summitate montis. Ezech. c. 43 v. 10 11

DE TABERNACULO FŒDERIS, DE SANCTA CIVITATE JERUSALEM, ET DE TEMPLO EJUS.

LIBRI SEPTEM.

DUO PRIORES SUNT APPARATUS OPERIS.

LIBER PRIMUS.

De antiquis mensuris, quarum fit in Scripturis mentio, & earum certa æstimatione.

CAPUT PRIMUM.

PRÆFATIO TOTIUS OPERIS.

Ad veram Tabernaculi & Templi notionem comparandam, necessaria est prævia antiquarum mensurarum cognitio. Unde illa peti possit, expenditur.

SECTIO PRIMA.

Quæ describendis Tabernaculo, sanctæ Civitati & ejus Templo datur opera, magni pretii est; inde enim multa lux affulget Scripturis sacris.



CHRISTIANIS sacrarum litterarum, ut decet, amantibus, nihil jucundius utiliusque esse potest, quàm ut oculis suis, quantum fieri potest, hæc intueantur loca, in quibus olim præludebatur Christi morti salvificæ, scilicet Tabernaculum Mosaïcum, Urbem Jerusalem, & Templum ejus. Etenim intra primi tentoria; & parietes sanctæ Civitatis, & Templi illius administrabatur religio Judaica novæ & Christianæ typus. Eruuntur è

A vetustis ruderibus multâ diligentiâ veterum ædificiorum reliquiæ ad Græcas Romanasque antiquitates illustrandas; quo ergo studio incumbere decet in laborem, ubi non agitur de Amphitheatro in quo innumera populorum multitudo ludos spectare poterat; non de Thermis, in quibus olim sordes corporis deponebant Romani, & curabant cuticulam: non de palæstris, ubi sine ullo altero præmio, nisi coronæ marcessibilis luctabantur Græci athletæ; quorum ædificiorum imagines, si elegantes sint, suspiciunt tamen & deosculantur, qui se habere limatum judicium putant. Non, inquam, agitur de hisce profanis ædificiis, quæ vani homines stulto labore struxerunt; sed de veri Dei habitaculo, &, ut ipse loqui
B non dedignatus est, de domo suâ; quæ licet eversa (ut fieri oportuit juxta antiqua vaticinia, postquam excitata est Ecclesia Christiana) adhuc stat aliquo modo, & in æternum stabit in codicibus sacris; qui, si hujus structura incomperta sit, passim tenebricosi fient.

Plus autem hîc in recessu est quàm in fronte. Titulus solam Tabernaculi, Civitatis sanctæ & Templi ejus descriptionem promittit; sed cum Judaïcæ Religionis in illis perageretur, ut dixi, res omnis, quam tractat sacer codex, tam necessariam cum istâ descriptione conjunctionem ille habet, ut totus inde collustretur. Neque enim partes Architecti tantummodò

agam, sed & scripturarum Interpretis. Tentoria, A pelles, tabulas Tabernaculi, vicos & pomœria Jerusalem, porticus, altaria, cellas Templi non solùm explicabunt libri, quos cudo; sed dum hæc patefacient, simul proferent in clarum diem pleraque, quæ hactenus forsan non retecta sunt. Primùm enim, quæ Tabernaculum, muri Jerusalem & Templum complectebantur, cùm essent artis opera, ut ea nota facerem, ipse indagavi artium antiquitatem sive originem; & quantùm jam profecissent artifices eâ mundi ætate, quâ Moyses & Salomon vixêre. Exposui quæ tunc ratio esset opificiorum, quis modus, & quæ opificum industria & consuetudo. Non alienum ab instituto erat, qui de artibus suscepissem disserere, sermone attingere Arcam Noë, ædificium turris Babel, prima & præstantissima artis opera. Prosequor autem non negligenter omnia quæ fabrilium artium sunt, & quorum fit in scripturis mentio. Etenim eâ lege me devinxi, ut singula loca scripturæ sacræ adirem, quæ proxima essent his in quibus versarer.

Situs Templi, & quæ de eo scire interest, non possunt esse aperta, nisi primùm loco ejus cognito. Igitur librum destinavi describendæ Jerusalem, in quâ locatum fuit, Urbis sanctæ pomœria, ædificia publica, synagogas quas numero plures habebat, Regiam Salomonis, palatia, prætoria, piscinas, suburbana verbis & penicillo, ubi opus est, expono. Non solùm sacris utriusque Testamenti paginis lucem inferre satago, sed Philoni, Josepho, Judæorum commentariis, cæterisque vetustis scriptoribus, qui quoquomodo mentionem fecerunt tabernaculi Mosaïci, Templi Hierosolymitani, suppellectilium ejus & ornamentorum. Quandoque excurro, scrutans quid portenderent religiosi ritus, quibus absolvebatur Mosaïcum ministerium: cur, verbi causâ, tanta copia sanguinis effundebatur. Enumero solemnitates certis anni diebus recurrentes, quâ occasione quæro, quæ ratio esset subducendi tempora, ut statis diebus illæ celebrarentur.

Hæc Sacri Scriptores supponunt nota, quæ quidem tempore illorum neminem latere poterant, nunc vero indigent interprete. Aliquando aliud agentes loquuntur de Tabernaculo & Templo; & iis quæ huc pertinent. Immoror autem omnibus D locis, in quibus sive clarè illa enarrantur, sive obscurè indicantur. Fusis commentariis expono ea capita Geneseos, ubi Arca Noë describitur; sicut capita Exodi, quæ pertinent ad Tabernaculum, ad suppellectilia ejus, ad sacerdotum vestes, ad sacerdotes ipsos, ad consecrationem & ministerium eorum: plura Levitici, ne dicam omnia: non pauca ex Numeris, ex Deuteronomio, ubi de sacrificiis & festivitatibus, & singulis Tabernaculi muniis fit sermo. Cùm autem ad descriptiones urbis & Templi venio, multa capita Regum, Paralipomenorum, & Nehemiæ interpretor obscurissima: Ezechielem in multis, & abstrusioribus locis, Jeremiam in aliquibus. Præterquam etiam conatus sum explicare illas propheticas visiones, sive imagines, quibus E Deus majestatem suam reddebat conspicuam, quando Ezechieli, Isaiæ, Danieli, Joanni apparuit. Mirum quantam lucem fœneretur Evangelicæ historiæ notum Templum, in quo nata est, & adolevit Christiana Religio. Quæ cùm ita sint, susceptum opus haberi potest pro universali locorum scripturæ difficiliorum commentario. Sed ne quis dicat:

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturient montes, nascetur ridiculus mus.

Protinus re ostendam suscepti operis multam, si rectè perficiatur, frugem esse.

SECTIO II.

Tabernaculi & Templi symmetria, sive partium utriusque suis usibus apta dimensio, cognosci non potest, nisi præcognitis Hebræorum, Ægyptiorum, Græcorum & Latinorum mensuris.

Conor, quod viri docti difficile esse agnoscunt, veram Tabernaculi & Templi notionem animo ingerere, & verbis lineisve expressam conspiciendam dare. Nemo hanc ut falsam repudiaverit, si verbis sacri codicis sit congrua & secum ipsa consentiat; hoc est, si quas partes exhibet, cohæreant inter se & congruant usibus in quos constat fuisse paratas. Tabernaculum compingi non potuisset, nisi tabulæ, B columnæ, bases, tentoria, pelles habuissent dimensiones certo & eodem modulo definitas. Pariter cùm Salomon excitavit templum, necesse fuit ut hujus artifices adhiberent operi suo normam & calamum, nempe certam & eandem mensuram; alioquin partes conjungere & uni formæ totum opus reddere non potuissent. Cum suscepto opere ergo conjunctus est tractatus de mensuris; de quibus tot scripta edita sunt, ut auctorum catalogus, non dico paginas, sed volumina impleat. Cùm omnes diffideant, quid ipse sentirem de verâ longitudine mensurarum, quarum usurpo nomina, incertum fuisset nisi priùs mentem meam aperuissem, & methodo, quæ brevitate C suâ & claritate forsan non displicebit, declarassem, quod in hisce rebus opinor propius vero esse. Neque enim id mihi sumo ut certò definiam præcisam cujusque mensuræ quantitatem, quæ nec hilo dispar sit à vero valore. Quominùs id fieri possit multa obstant; sed quoniam, ut volumus, non licet, ut quimus rem perscrutamur. Nec in hisce error multùm expavescendus est, quasi scelus sit paululùm à verâ alicujus partis Tabernaculi & Templi quantitate aberrare; modò imago totius opificii proxima sit veræ notioni.

Omnes, cujuscumque generis sint, mensuras hocce sermone complector, & de re nummariâ dissero. Certum nummum pendebant Hebræi, primùm Tabernaculo, deinde Templo, in tributum annuum, cujus nummi valorem ideo cogor expendere; quod facere non potui, nisi primùm expensis ponderibus Hebræorum. Mare æneum vas illud ingens, quod positum fuit ante fores Templi, non potui præterire silentio; cujus ad æstimandam capacitatem, ideò necessarius fuit sermo de vasis Hebraicis. Præterquam, ut liquebit, omnes mensurarum species, sive longæ sive cavæ, vasa, pondera, nummi tantam habeant inter se affinitatem, ut dissociari non possint. Si quidem verò jam ante ortum Domini, mensuræ & nummi Græcorum, quorum potestas in Oriente invaluerat, deinde & Romanorum, in usu promiscuo erant apud Hebræos, & nominantur in ipsis scripturæ fontibus, & hujus versionibus; ut jam non liceat illas ignorare.

Itaque in hoc-ce de mensuris tractatu, à quo initium operis duco, antiquas gentium celeberrimarum mensuras expono maximè Græcorum & Romanorum; quia græcè & latinè verbum Dei expressum reperitur, vel ex parte primitùs græcè scriptum, vel ex fonte Hebræo dictis linguis redditum. Non sufficit autem scire quibus vocibus, verbi causâ, Græci qui verterunt Biblia græcè, mensuras hebræas significent: quæritur res ipsa, videlicet quæ sit ratio veterum & novarum mensurarum, verbi causâ, Hebræarum & nostratium. Ista autem ratio deprehendi non potest, nisi interpositis mensuris alterius gentis, quacum Hebræi aliquo com-

mercio juncti erant. Diu illi paruerunt Ægyptiis, à quibus, ut fieri solet, acceperunt suas mensuras; penes enim est principes eas statuere. Ergo operæ pretium est inquirere in mensuras Ægyptiorum & quibus antiquitùs usi fuerint & hodiernas; undè æstimabimus Hebræas. Ratio mensurarum Romanarum cum Gallicis, multis experimentis potest cognosci: quoad Græcarum cum Latinis, illa passim signata est in scriptoribus utriusque gentis. Vetusti verò interpretes Romanis, Græcisque mensuris expresserunt Hebræas; quæ ergo possunt definiri testimonio veterum scriptorum. Quæ cùm ita sint, tractatus de mensuris sacris & prophanis, quæ scilicet nominantur & usurpantur in sacris & prophanis codicibus, non hîc temerè assutus est.

SECTIO III.

Suis membris pro mensurâ olim usi sunt homines; undè ex notâ ratione membrorum inter se, & ordinariâ corporis staturâ veteres mensuræ æstimari possunt.


UT rem ab ipso initio repetam, protinus scrutabor quis mensurarum auctor fuerit, & undè acceptæ in publicum usum venerint. His carere poterat prima vivendi simplicitas & integritas, cùm domus antra fuêre; nec augendi proprias opes libido adhuc animos invaserat. Etenim mensuræ non nominantur nisi mortalium genere jam in vitia ruente, temporibus Caïn, cui mensuras tribuit Josephus C (lib. 1 Antiq. cap. 3.) *Post occisum fratrem Abelem multas regiones cum uxore exterris emensus, tandem Naida condidit. Pejor autem factus, suis voluptatibus vel cum aliorum injuriâ indulgens, & facultates domesticas per vim ac rapinas accumulans, accitis undequaque latrociniorum & nequitiæ sociis, magister illis ad facinorosam vitam effectus est. Ad hæc, simplicem hactenus vivendi rationem, excogitatis mensuris & ponderibus, immutavit, pristinamque sinceritatem & generositatem ignaram talium artium in novam quandam versutiam depravavit. Primus agrorum terminos fixit.* Videlicet postquam more & exemplo Caini corrupti sunt homines, tunc necessarius fuit mensurarum usus. D

Mensurantur corporum longitudo, latitudo, profunditas, numerus, moles, pondus. Corpora alia sunt liquida, alia sicca, quorum partes non inter se cohærent, ut sunt fruges, olea. Ambo mensurari non possunt nisi infusa certæ capacitatis vasis. Nummi sunt etiam species mensurarum, à ponderibus solùm distincti impresso aliquo caractere, qui definit pretium eorum. Omnes igitur mensuræ dividuntur in longas & cavas, sive in vasa, in pondera & nummos. Iterum longæ mensuræ, vel sunt continuæ, vel discretæ. Omnium usus necessarius est. Etenim artifices ad aliquod unum opus struendum, non potuissent industriam & laborem conferre; nisi priùs convenissent de quadam definitâ mensurâ. E In Genesi dicitur Noë Arcam perfecisse in cubito; eam ob rationem, ut opinor, quòd elaborandis singulis operis partibus, non diversâ mensurâ, sed cubito ejusdem longitudinis usus fuerit, ut quas congruebat esse æquales, æqualem haberent dimensionem. Similiter & pondera reperta, ut cùm rerum pretium semel statutum esset, nemini fraus fieret; si quidem ponderum beneficio, puta stateræ aut bilancis, justa possit esse, sive emptio, sive venditio, sive permutatio. Eâ de causâ percussi & signati nummi, qui res aptè exæquarent. Neque enim, inquit Aristoteles libro quinto in Ethicis ad Nicomachum, *societas communioque esse potest, neque commutatio, nisi sit æqualitas: neque æqualitas, nisi sit quædam velut*


A *commensuratio, parilitasque. Ac reverà quidem fieri non potest, ut ea quæ tantùm inter se differunt, paria fiant. Nummus verò omnia paria facit: æstimantur enim omnia nummo.* Nec minùs in plerisque aliis rebus necessariæ fuerunt mensuræ, in structurâ ædium, palatiorum, templorum, ut innui; & potissimùm in dimetiendis agris, cùm limitibus signandi sunt.

Solemne est hisce uti mensuris, quæ notiores sunt, & quarum magis obvius usus. Non alia res tam nota, & ad usum parata magis quàm proprium corpus, brachia, manus, pedes. Hinc factum ut olim, quod & nunc fit, opifices componerent quidquid vellent metiri, aut cum totius corporis staturâ, aut cum partibus ejus, cum passibus, cum pedibus, cum B brachiis & ulnis, cum cubito, cum manu sive extentâ sive contractâ, cum palmâ, cum digito, cum pollice. Quapropter qui mensuras suscipit explicandas, debet ante omnia considerare totius corporis & partium ejus certam rationem, quæ ut plurimùm eadem est, nisi morbo aliquo aut casu vitiosa sit corporis conformatio; indè enim sequitur mensuras in genere eam habere inter se rationem, quæ est inter partes corporis, quarum nominibus appellatæ sunt. Sic veteres cum hodiernis possunt comparari; nam verisimile est primis temporibus ex ordinariâ hominum staturâ definitas; ut exempli causâ, non liceat æstimare mensuram hanc, quæ Hebræis dicebatur cubitus, multò fuisse majorem cubito viri staturæ nec humilioris, nec procerioris.

Ab his autem mensuris, quæ à corporis membris nomen habent, pendent cæteræ mensuræ; non solùm longitudo, quæ exploratur pedibus, manu, cubito, sed & fruges, liquoresque; neque enim possunt mensurari, nisi vase contineantur; cujus magnitudo pendet à laterum suorum magnitudine. Similiter cujuscumque rei pondus non æstimari potest, nisi ex mole suâ sive ex loco quem implet; qui prout arctior aut laxior est, res quæ expenditur, ponderosior aut levior censetur. Locus est spatium; quod pariter pedibus aut aliis partibus corporis mensuratur. De mensuris autem cùm fit sermo, puta de cubito, pede, distinguendum an simplices, vel compositæ sint; verbi causâ, an cubitus sit porrectus, sive linearis, qui unâ lineâ exprimi possit: an verò quadratus, concludens spatium quadratum; cujus latera sint æqualia; an denique sit cubicus, nempè similis cubo sive tesseræ quâ luditur. Cubus solidus est vel cavus, & utriusque capacitas exhiberi potest lineis. Comparando mensuras cubicas, solidas & cavas, facili lapsu errant, qui Geometriam non percallent. Etenim si cubus D habeat latera duplo majora, quàm cubus C non ideo tantùm est duplo major sed octies major.



Facilior est vasorum comparatio, cùm revocantur A ad eandem formam super basi æquali, qualia sunt parallelipeda E, & F & cylindrica G & H. Etenim



quæ insistunt æqualibus basibus, sunt inter se ut altitudines.

Revertamur ad harmoniam sive symmetriam corporis humani, quam quisque explorare potest experiendo, nisi velit acquiescere his quæ explorata re- C periuntur in veterum scriptis. Vitruvius lib. 3. cap. 1. docet hominis benè figurati eam esse exactam rationem. *Corpus enim hominis* inquit ille, *ita natura composuit, uti os capitis à mento ad frontem summam, & radices imas capilli, esset decimæ partis, Item manûs palma ab articulo ad extremum medium digitum, tantumdem. Caput à mento ad summum verticem, octavæ. Tantumdem à cervicibus imis. Ab summo pectore ad imas radices capillorum sextæ. Ad summum verticem quartæ. Ipsius oris altitudinis tertia pars est ab imo mento ad imas nares: nasus ab imis naribus ad finem medium superciliorum, tantumdem: ab eo fine ad imas radices capilli, ubi frons efficitur, item tertiæ partis. Pes verò altitudinis corporis sextæ* D *cubitus, quartæ, pectus item quartæ*; & paucis interjectis. *Item corporis centrum medium naturaliter umbilicus. Namque si homo collocatus fuerit supinus, manibus & pedibus pansis, circinique collocatum centrum in umbilico ejus, circumagendo rotundationem, utrarumque manuum, & pedum digiti lineâ tangentur. Non minùs quemadmodum schema rotundationis in corpore efficitur, item & quadrata designatio in eo invenitur, Nam si à pedibus imis ad summum caput mensum erit, eaque mensura relata fuerit ad manus pansas, invenitur eadem latitudo, quemadmodum areæ, quæ ad normam sunt quadratæ.* Hoc videre est in Tabula Ænea prima quæ occurret versus finem primi hujusce libri figura 1 & 2. Ratio E illa membrorum corporis, quam assignat Vitruvius, non sine exceptione approbatur; sed nemine refragante cubitus, cujus longitudo est à brachii flexu ad extremitatem medii digiti, totius corporis quarta pars est, sicut pes sexta; ita ut si eadem esset omnium hominum statura, tum hodiernorum tum priscorum, nulla occurreret de mensuris difficultas. Verum nec in omnibus regionibus, nec etiam in diversis ætatibus contigit homines æqualis esse staturæ. Hodie nascuntur corporis valetudine, tùm & proceritate inferiores, ut non liceat ex præsenti eorum staturâ judicare de antiquis mensuris Qui nunc proceriores sunt, non multùm excedunt senos Parisinos pedes Statura mediocris sive ordinaria censetur, quæ supra quinos est pedes, infra senos. Germanorum, a quibus originem ducimus, alta erat statura. *Plerisque hominibus Gallis præ magnitudine corporum suorum nostra brevitas contemptui est*: inquit Cæsar lib. 2, de bello Gallico. Indè factum ut in Galliâ, quod suo loco dicemus, pedis mensura major statuta, sive pes Francicus admissus sit longior Romano. Plinius libro septimo capite 11. scribit homines in Indiâ grandiores nasci. *Multos*, inquit, *ibi quina cubita constat longitudine excedere.* hoc est septem pedes Romanos cum semipede, qui ut puto, faciunt septem parisinos pedes. Unde colligitur homines septem talium pedum, ætate Plinii, visos prodigiosæ esse magnitudinis Olim statura ordinaria major erat, quæ decrevit in dies, ut idem B Plinius astruit ejusdem libri capite XVI. *In plenum autem, cuncto mortalium generi minorem in diem fieri mensuram, propemodum observatur: rarosque patribus proceriores, consumente ubertatem seminum exustione, in cujus vices nunc vergat ævum. In Cretâ terræ motu rupto monte inventum est corpus stans XLVI. cubitorum*, (hos numeros corruptos arbitror) *quod alii Orionis, alii Oti fuisse arbitrantur. Orestis corpus Oraculi jussu refossum VII. cubitorum fuisse monumentis creditur. Jam verò ante annos prope mille, vates ille Homerus non cessavit minora corpora mortalium, quàm prisca conqueri.* Has Homeri querelas allegat Juvenalis Satyra XV.

Nam genus hoc vivo jam decrescebat Homero.
Terra malos homines nunc educat atque pusillos.

Attestatur & Herodotus *Cùm puteum*, ait, *facere vellem, incidi in loculum septem cubitorum: & quia incredulus eram omnino fuisse majores quàm nunc sunt homines, aperui eum, & inveni cadaver æqualis cum loculo magnitudinis.*

Ergo nemo inficias ibit quin cubitus, qualem adhibuerint Noë & Moyses, possit censeri major Romano & nostro. Pluribus sæculis vixère ante Homerum; grandior ergo tunc erat hominum statura. Sed neque nimium augendus est cubitus antiquus, quasi primis sæculis nullus homo non nasceretur nisi Gigas. Raros fuisse sive extraordinarios Gigantas discimus ex eo quod de illis ipsis narratur. In Deuteronomio cap. 11. v. 11. mentio fit cujusdam Og Regis Basan, qui solus restabat de Gigantum stirpe; & ibi declaratur statura ejus. *Monstratur lectus ejus ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis, ad mensuram cubiti virilis manûs.* Ibi Moyses innuit cubitum communem sumptum ex virili staturâ, quemadmodum in Apocalypsi loquitur Joannes capite 21. 17. agens de Angelo qui metiebatur sanctam civitatem. *Et mensus est murum ejus centum quadraginta quatuor cubitorum, mensurâ hominis, quæ est Angeli.* Nempe cubitus, quo Angelus dimetiebatur civitatem, hominis erat, in cujus formâ apparebat Angelus. Lectus autem regis Basan potuerat parari longior corpore ejus, ut commodior esset, tum & ad ostentationem, quemadmodum Alexander magnus in expeditione Indicâ [Curtius libro IX cap. 3.) *Munimenta quoque castrorum jussit extendi, cubiliaque amplioris formæ, quàm pro corporum habitu, relinqui, ut speciem omnium augeret, posteritati fallax miraculum præparans.* Sacri codicis auctoritas dubitare non sinit quin Goliath sex cubitorum fuerit & palmi 1. Regum capite 17. 4. *Et egressus est vir spurius de castris Philistinorum nomine Goliath de Geth, altitudinis sex cubitorum & palmi.* Nullus autem homo major esse potest mensurâ quatuor suorum cubitorum; eam enim esse rationem cubiti cum celsitudine corporis constat: unde Aristoteles in libro sexto Topicorum hominem definit ζῶον πεζὸν δίπουν τετράπηχυ, hoc est, *animal pedestre, bipes, quatuor*

cubitorum. Voluit ergo facer codex indicare Goliath duobus cubitis excessisse staturam consuetam, à quâ mensura cubiti olim desumpta fuerat.

SECTIO IV.

Pars religionis apud omnes populos fuit æquas mensuras servare. Typi earum servabantur in sanctuariis.

MAgna pars religionis est non afficere damno proximum suum; quod ne fieret, præeaverunt qui respublicas administrabant, ut immutatæ essent mensuræ, æqua pondera, vasa justa; & ne minuerentur aut augerentur; ideo in locis sacris aut in Regum palatiis mensurarum typos sive exemplaria olim asservaverunt tanquam res sacras. Quibusdam in locis prostabant in propatulo, ut omnibus innotescerent, ne venditor damnum ipse pateretur, aut emptorem fraudaret. Deus Israëliticam Rempublicam instituens, quæ esset typus omnium Rerumpublicarum, præceperat in Levitico cap. 19.

35. *Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regulâ, in pondere, in mensurâ.* Pro regulâ legitur in fonte מדה, *middah,* hoc est mensura longa, pes nempe vel cubitus. Nomen illud hebræum non aliter accipitur in Numeris capite 13. 34. ubi quos Vulgatus viros proceræ staturæ appellat, fons hebræus dicit viros מדות *middoth,* id est dimensionis. Nomen משורה *mischourah,* quod versum est *mensura,* habere potest laxiorem significationem, ut & indicet vasa quibus Hebræi solebant metiri fruges, legumîna, & liquores, vinum & oleum; de quibus sic præcipitur in Levitico.

36. *Statera justa, & æqua sint pondera, justus modius æquusque sextarius.*

Fons de verbo ad verbum redditur: *bilances justitiæ, lapides justitiæ, ephath justitiæ, & Hin justitiæ erit vobis.* Hebræi lapidibus cæsis utebantur ad ponderandum. Ephath, Hin sunt vasis genera, de quorum capacitate quæremus suo loco. Dolus est malus, cùm non eâdem mensurâ quis metitur, quâ & alios vult remetiri. Ergo duplici & diversâ mensurâ ne quis utatur prohibet Deus in Deuteronomio cap. 25.

13. *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus & minus:*

14. *Nec erit in domo tuâ modius major & minor.*

15. *Pondus habebis justum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi; ut multo vivas tempore super terram quam Dominus Deus tuus dederit tibi:*

16. *Abominabitur enim Dominus Deus tuus eum qui facit hæc, & aversatur omnem injustitiam.*

In sacculo, in quo scilicet colliguntur pondera & parva & magna, non erit lapis & lapis. Vox אבן *Even* sonat idem quod *lapis.* Mercerus putat & notare massam ex quâcumque materiâ, plumbeam & ferream: sed olim Judæi, ut quidam nunc sentiunt, non utebantur massis ex metallo, quia rubiginem contrahunt, quâ pondus deteritur & minuitur. Sponius in miscellaneis eruditæ antiquitatis sectione IX. plura proponit, ponderum Romanorum schemata, quæ penè omnia sunt ex marmore nigro. Ergo nomen *Even* sumi potest in propriâ suâ significatione pro lapide. Quidquid sit, Salomon exprimens integritatem judiciorum Dei, dicit in Proverbiis capite 16. 2. *pondus & statera judicia Domini sunt; & opera ejus omnes lapides sacculi,* in fonte: *statera & lances judicii Jehovæ, opus ejus sunt omnes lapides sacculi.* Nempe expensa Dei opera, tum staterâ, tum bilance, & omnibus ponderibus deprehenduntur justa. Non autem ibi interminatur Deus ne in eodem sacculo reponantur diversi lapides, sive diversa pon-

A dera, majora & minora; sed ne ejusdem signi pondus multiplex & diversum sit; ita ut verbi causâ quis utatur graviori cùm quidpiam pretio comparat, leviori cùm vendit, quod coram Deo esse abominabile affirmat Salomon capite 20. 10. *pondus & pondus, mensura & mensura utrumque abominabile est apud Deum,* id est duplex pondus, & duplex mensura res est abominabilis coram Deo.

Inter sacerdotalia munia, cura ponderum censetur in primo Paralipomenorum capite 23. 29. *Sacerdotes autem super panes propositionis, & ad similæ sacrificium, & ad lagana azima, & ad sartaginem & ad torrendum, & super omne pondus atque mensuram.* Romæ Ædiles præficiebantur mensuris, ne B qua fraus in illis committeretur. Pondera, quæ extant apud Sponium, habent puncta, quibus indicatur numerus librarum, quas ponderabant; tùm & inscriptum nomen Præfecti urbis, sub quo illa expensa fuerant. Ammianus Marcellinus scribit de Prætextato Præfecto urbis: *quod pondera per regiones instituerat universas, cùm aviditati multorum ex libidine trutinas componentium, occurri nequiret.* Mensurarum typos in locis sacris servatos fuisse, etiam quando errabant Israëlitæ in deserto, demonstrat mentio ponderis sanctuarii, quæ fit in Exodo capite 30. 13. *Dabit dimidium sicli juxta mensuram Templi:* in fonte juxta mensuram הקדש *hakkodesch,* id est, *sanctuarii,* & versu 24. *Casiæ autem quingen-* C *tos siclos in pondere sanctuarii.* Et in Levitico capite 5. v. 15. *qui emi potest duobus siclis juxta pondus sanctuarii.* Et alibi sæpiùs; quod diligenter animadvertendum est; neque enim ideo quæpiam mensuræ putandæ sunt majores, quia dicuntur sacræ. Pondus sanctuarii erat, cujus typus reconditus fuerat olim in sanctuario Tabernaculi, postea in Templo, ne mutatio in illo fieret. Ita non sacra dicitur quæpiam mensura propter eximiam quantitatem, sed propter locum. In templis Ethnicorum pariter asservabantur mensurarum typi, quod de amphorâ, quæ erat præcipua Romana mensura, asserit Fannius.

Quam ne violare liceret,
Sacravêre Jovi Tarpeio in monte Quirites.

D Postquam verò Ethnicorum templa eversa vel clausa sunt, norma mensurarum in ædes vero Deo sacras translata est. Justinianus *in auth. de Collat. coll.* 9. mensuras & pondera in sacratissimâ cujusque civitatis Ecclesiâ custodiri mandat. Quæ in palatiis Regum servabantur mensuræ, dicebantur regiæ. In secundo Regum cap. 14. 26. legimus capillos Absalonis pondus habuisse ducentorum siclorum; *in pondere publico,* juxta Vulgatam interpretationem: juxta fontem, *in pondere Regis.*

SECTIO V.


Quâ ratione cujusque rei mensura numerari & exprimi possit.


E ETiam in mediocri longitudine partes sunt complures, quæ oculis non distinguuntur. Indè difficultas componendi inter se mensuras diversarum regionum, quæ tenui discrimine differunt: etenim si verbi causâ millesimâ tantum sui parte hæc ab alterâ discrepet, vix potest numerari tam exigua quantitas, nisi arte adhibitâ quam multæ praxes Geometriæ docent; unam è pluribus afferam. Parentur duæ regulæ Z & Y sic conjunctæ ut non moveantur nisi motibus inter se parallelis. Sit exigua quantitas A B in qua tamen plurimæ partes centesimæ, & millesimæ sint assignandæ. Erigatur ista quantitas A B ad perpendiculum supra lineam A C ductam ad libitum. Postea ducatur transversa linea B

C, cujus longitudo facile dividi poſſit in centum, e- A tiam in milleſimas partes. His paratis regulis ſi A B dividenda ſit in tot partes, applicetur regula Z lineæ A C; alterâ verò Y immotâ, moveatur regula Z per omnes diviſiones lineæ B C. Hæc regula Z ſecabit ſimiliter lineam A B; & ſi quæratur centeſima ejus pars, applicando regulam Z centeſimæ parti B C, hæc ſecabit A B in centeſimâ parte ſuâ, ut liquet. Ergo ſi pes pariſinus componendus eſſet cum aliquo pede, & ambo differrent unâ centeſimâ parte, puta lineæ A B, hæc quantitas licet exigua, exprimi poſſet ope harum regularum parallelarum Z & Y. Nec inane huic operæ pretium eſt, menſurarum enim non negligendum diſcrimen quodcumque ſit; cùm enim quæpiam menſura ſæpiùs repetitur, error, ſi quis ſubeſt, creſcit, & multiplicatur.

genteſima grani etiam aurei non cenſetur multùm pretioſa.


Quæ ad terram ſponte feruntur, dicuntur ponderoſa, & eò ponderioſiora quo moles eorum minor. Propterea tum ponderis tum molis diſcrimen expenditur; & aliud ex alio invicem æſtimatur; idcirco in menſurandis liquoribus & frugibus, in metiendo verbi causâ oleum, duplex libra adhibetur, ponderalis & menſuralis, ut loquuntur Romani. Prima conſtat bilancibus, quarum ope comparatur certa olei quantitas cum notis ponderibus. Altera libra vas eſt quo menſuratur ille liquor; cujus moles dijudicatur ex capacitate vaſis cui infunditur. Vaſis, inquam, rerum moles exploratur, ponderibus ve- B rò gravitas. Pariter res aridæ, frumenta, ſemina, legumina, ſal menſurantur vaſis, interdum & ponderantur: metalla ſolùm appenduntur.





Pondus quodlibet, etiam leviſſimum, poteſt & C in partes adhuc leviores reduci; & id multiplici viâ; primùm componendo pondus, de quo quæſtio eſt, cum leguminibus. Scilicet pondus unius libræ poteſt comparari cum ejuſdem menſuræ leguminibus, in unâ lance ſtatuendo pondus, in alterâ legumina donec æqualiter librentur bilances. Nam ſi pondus unius eſt libræ, & leguminum numerus ſit millenarius, unumquodque legumen cenſeri poteſt pars milleſima dicti ponderis. Verùm fieri poteſt ut legumina & grana & ſemina exiliora non habeant æquale pondus; ideò huic experimento non decet omnino acquieſcere. Æs deducitur in bracteolas ſi- D ve folia tenuiſſima; quæ licet exigui ponderis multam expanſionem habent; idcirco diviſibilem in plurimas partes ſive momenta. Nos Galli unciam dividimus in 576. grana ſive momenta. Igitur bracteola ænea vel orichalcea ponderis uncialis, ſi quæ in tot partes dividatur, quæque pars ponderaret unico grano. Signari ſolet unico puncto bracteola unius grani, duobus bracteola duorum granorum, & ſic de cæteris bracteolis, quarum uſus eſt apud monetarios. Noſtris autem granis pondera adhuc multùm leviora aſſignari poſſunt. Ex auro, ex argento, ex orichalco, ex ferro deducuntur ſtamina non craſſiora ſubtilioribus filis lineis vel laneis. Stamen argenteum deducendum curavi longum pedibus triginta E ſex, quod non pendebat ultra duodecim grana, ita terni pedes non pluſquam granum. In pede ſunt duodecim pollices, in pollice duodecim lineæ, ſic in pede centum quadraginta quatuor lineæ, & in tribus pedibus 432 lineæ; quarum ſingulæ in dicto filo argenteo ſic ponderabant partem unius grani expreſſam hocce numero; nempe pars 432. unius grani. Sic uncia integra 576. granorum diviſa eſt in partes 248832. Stamen argenteum multò ſubtiliùs deduci potuiſſet. Quapropter pondus leviſſimum licet iterum in momenta leviora potuiſſem dividere: Scilicet in quolibet pondere momenta ferè numero infinita aſſignari poſſunt. Sed rem ad tantam diligentiam perducere haud neceſſe; quippe pars quadrin-

Quarumlibet rerum ſive liquidarum ſive ſolidarum ubi componendæ ſunt moles, & gravitates, ad ſimilem formam prodeſt illas revocare. Exempli causâ, ſi quæratur ratio quam habet aurum ad argentum, tum quo-ad molem, tum quo-ad gravitatem, duo parallelipeda ejuſdem baſis conflanda, unum aureum A aliud argenteum B. Horum diverſitas in pondere indicabit rationem utriuſque metalli; quantùm enim moles aurea magis ponderabit quàm argentea; tantò hæc levior, & aurum cenſetur ponderoſius. Nempe




ſi duo illa parallelipeda ejuſdem baſis habeant idem pondus, altitudo eorum indicabit rationem molis eorum. Aurei minor erit moles, major argentei.

Si quidem non ita facile eſt talia parallelipeda conflare, ſumantur duo fruſta auri & argenti quæ deterantur donec ſint æqualis ponderis: quam habeant formam non refert. Ubi æqualia reperta fuerint in pondere ex ſtaterâ X ſuſpendantur exili filo, ut videre eſt in fruſto Z, & aquis immerſa ponderentur. *(Tab. I. Fig. II.)* Tantùm ex pondere cujuſque decedet, quantùm pondus aquæ, cujus ſpatium in aquâ occupaverint. Ambo leviora reperientur in aquâ quàm in aëre; nimirum quia partim ſuſtinentur aquâ, ſive ponderi ſtateræ adverſatur moles aquæ cujus ſpatium tenent; adeo ut corpora quorum moles & pondus æquant pondus & molem aquæ, non gravitent immerſa. Ita quia argenti moles major eſt quàm auri, ponderata in aquâ, magis minuetur pondus ejus in aëre ponderatum; quæ res demonſtrat majorem ejus molem eſſe.

Ubi constat de pondere aquæ; quodnam verbi A gratiâ sit pondus cubi aquei, cujus latera sint unius pedis; sciri etiam potest quantùm argenti major sit moles quàm auri, & aliud alio levius. Sed & cognitâ mole & pondere cujuspiam corporis, pondus aquæ cognoscitur. Nam si, verbi gratiâ, cubus æreus Z esset pollicis parisini unius (quo major erit cubus, certior erit exploratio.) si, inquam, cubus æreus dictæ dimensionis ponderatus in aëre sit quinque unciarum, quinque grossorum & viginti octo granorum; postquam verò aquis immersus est, decesserint ex hoc pondere quinque grossi, duodecim grana, indicium est cubum pollicarem aquæ ponderare totidem quinque grossis & duodecim granis.

Forma cubica simplicior est, quia eadem est omnium laterum suorum mensura. In his-ce ergo experimentis, de quibus loquimur, prodesset adhibere cubos; qui è metallo, vel è marmore, cùm vix conflari possint, & ob maximum pondus non librentur sine negotio, lignei aptiores essent; quippe qui facilè parentur, & paulò superent pondus aquæ; sed inducendi sunt cerâ, aut illinendi oleo, ne his adhærens aqua, aut eos penetrans pondus eorum augeat. Inductæ autem ceræ & ratio habenda.

Diversorum liquorum pondera facili negotio deprehenduntur, quia pro lubitu eis inditur forma, nempè illos infundendo in vas formæ, quam volueris ut induant. In uno, inquam, & eodem vase, cujus latera recta sint & parallela, infundantur duo liquores unus post alium: Qui in vase altiùs surget, censendus levior; ut ipsa altitudo vasis metiatur rationem nativi ponderis utriusque; quod sic æstimandum est, non ex vasis crassitudine, sed ex altitudine. Paretur tubus vitreus X recurvus, in cujus imo fundo A infusum fuerit argentum vivum, quod omni alio liquore ponderosius est. Deinde in unum tubi ramum E D infundatur unus ex duobus liquoribus qui componendi sunt inter se. Alius liquor occupet ramum B C. Ea verò copia utriusque liquoris infundatur, ut argentum vivum in dextro & sinistro ramo maneat in æquilibrio, sive in eâdem lineâ B D. Locus quem quisque liquor occupabit sive altitudo ejus, denotabit pondus illius. Qui levior; surget magis. Non autem, ut innui,



mens advertenda ad latitudinem tubi, sed ad altitudinem D M & B N quò usque surgunt liquores. Si unus ramus esset recurvus, liquor qui usque ad N surgebat, in tubo obliquo F G ad eundem altitudinis gradum ascenderet, puta usque ad P Q. Tubus autem obliquus distinguit magis discrimina diversorum liquorum, quatenus, verbi causâ, linea obliqua O Q longior est perpendiculari B N.

Quandoque liquorum diversorum pondera inter se differunt tam exili discrimine, ut illud nec staterâ nec dictorum tuborum ope notari possit. *Levioris aquæ,* inquit Plinius libro XXXI. c. 3. *levitas deprehendi aliter quàm sensu vix potest, nullo penè momento ponderis aquis inter se distantibus.* Verùm sentitur diversitas stomacho qui leviores aquas faciliùs concoquit. Veteres supponebant vini & aquæ idem pondus esse; sed in Ephemeridibus regiæ Academiæ parisiensis an. 1696. adstruitur aquam, ut plurimùm, unâ octogesimâ parte superare pondus vini; aquam autem Sequanæ eam habere rationem ad gravitatem vini, quæ est inter hos-ce numeros 46. & 45. Attamen liquorum, quamvis tenue, discrimen deprehenditur ope machinæ, quæ vernaculè dicitur, *un pezeliqueur;* & numeratur inter nova reperta, sed veriùs inter antiqua deperdita, & novò recuperata debet censeri; hanc enim describit Fannius vetus Poëta. *(Tab. I. Fig. III.)* Hæc machina constat tubo vitreo recto C D, cujus altitudo mensuratur diversis granulis, tanquam punctis. Tubo subjiciuntur duo globi, quorum A major plenus aëre sustinet machinam, ne tota demergatur. In minorem B infunditur ea copia vivi argenti, quæ necessaria est ne tubus totus etiam emergat. Cùm duorum liquorum expenditur pondus, in unum & deinde in alterum immittitur machina. In leviori liquore magis deprimitur; quò hic ponderosior, magis illa emergit. In vertice machinæ animadvertendus discus in quo reponuntur pondera, quibus dijudicandum est de utriusque liquoris pondere. Ante autem quàm machina in liquorem mittatur, proprium explorandum est pondus ejus, quo ipsa deprimi potest intra liquorem: postea, ubi comparandi sunt duo liquores, utrum quis ex duobus sit levior vel gravior, addenda disco pondera, quæ utriusque liquoris, quoad eorum pondus discrimen signabunt. Hanc machinam sequentibus versibus descripsit Fannius.

Illud præterea tecum cohibere memento,
Finitum pondus varios servare liquores:
Namque nec errantes undis labentibus amnes
Nec mersi puteis latices, aut fonte perenni
Manantes, par pondus habent: non denique vina,
Quæ campi, aut colles nuperve aut ante tulêre,
Quod tibi mechanicâ promptum est depromere musâ
Ducitur argenti, tenuive ex ære cylindrus,
Quantùm inter nodos fragiles producit arundo;
Cui cono interius modico pars ima gravatur;
Ne totus sedeat, totusve supernatet undis
Lineaque à summo tenuis descendit ad ima
Ducta superficie, tot quæque in frusta secatur,
Quot scrupulis gravis est argenti ærisve cylindrus.
Hoc cujusque potes pondus spectare liquoris.
Nam si tenuis erit, majori mergitur undâ.
Sin gravior, plures modulos superesse notabis.
Aut si tantùm laticis sumatur utrinque
Pondere, præstabit gravior, si pondera secum
Conveniunt, tunc major erit quæ tenuior unda est.

Etiam corpora solida ejusdem speciei, ut aurum ex diversis fodinis effossum, vix habent idem pondus; quod discrimen frustra tentabis deprehendere staterâ aut bilancibus; sed id certò fit, cum duo ejusdem ponderis frusta sumuntur, & utrumque, ut dictum est, primum in aëre, postea in aquâ ponderantur; cujus enim major moles minùs gravitabit, agnoscetur levius.

Sæpiùs mentio fiet libræ, stateræ, trutinæ, lancium, bilancium. Saltem harum machinarum figura notanda, & nomina quibus designantur. Libra, quæ & bilanx dicitur, constat jugo, nempe vecti seu trabe, cujus ab extremis dependent duæ lances, unde libra appellatur bilanx; etiam *jugum*; ex eo quòd lancium appensiones interjungat. Axis est quod transversim infigitur in medio jugo, & illud in duo brachia æqualia dividit, quæ ab axe porriguntur ad appensionem, undè lances liberè dependent. Lancibus immittuntur pondera: in unâ notum, in alterâ explorandum. Trutinam propriè appellant manubrium sive scapum, quo axis extrema utrinque sustinentur, & cum axe jugum ipsum. Mathematici in mechanicis demonstrant quæ requiruntur, ut in

trutinando fraus non fiat. *(Tab. I. Fig. IV.)* Subjicimus tuis oculis, lector, bilancem & stateram. Quæ unilanx est, vulgò appellatur Romana. Non tam exactè illa indicat ponderum differentias, quam bilanx. Causa est, quia notæ ponderum, quibus librile sive scapus unilancis distinguitur, exiguo distant inter se intervallo, quod non potest satis exprimere ponderum differentias. Satagendum ut duo brachia scapi, sive jugi utrinque directa paris crassitiei & longitudinis sint. Circa ista morari non est instituti mei.

SECTIO VI.

Veteres mensuras cognoscere difficile est; si quidem his etiam apud quos usitatæ fuerunt, non satis notæ. In illis exprimendis parùm cauti sunt scriptores, & in exscribendis negligentes librarii.

ANtequam ultia pergamus, considerare decet quæ obstant, aut adjuvant, ubi agitur de mensuris. Scriptores antiqui mensuras suâ ætate usitatas poterant explorare; attamen quasi ignoraverint, raro exactâ ratione eas exprimunt, unam pro aliâ interdum ponentes. Ubi Græci de rebus Romanis loquuntur, aut econtra Latini de Græcis, quia vocibus peregrinis nolebant uti, vocabula sibi consueta usurpant; de quâ confusione queritur Divus Hieronymus, commentans caput XLV. Ezechielis *Hìc mutatis nominibus mensurarum in LXX. editione confusa sunt omnia, ut quid dicatur non possit intelligi. Qui enim supra pro Ephi mensuram & pro bato choenicia dixerant, pro coro gomor, pro siclo appendiculum & hìc pro Ephi posuêre mensuram: pro coro nunc gomor, nunc ipsum corum, & in mensurâ olei pro bato* κοτύλην, *id est cyathum.*

His accedit quòd optimorum auctorum libri sæpè mendis scatent in iis, quæ mensuras, pondera, nummos spectant; utebantur enim notis, in quibus effingendis facilis lapsus est. Quin (quod mirum dictu) vix hodie certò scire possumus mensuarum, quas in manibus habemus, veros valores. Etenim si de pede regio, de regiâ sexpedâ sive expedâ sit quæstio, proferanturque ex unâ vel diversis officinis plures, vix duæ tales mensuræ reperientur, quæ aliquâ quantitate non inter se differant. Joannes Grævius, cujus doctrinam & diligentiam prædicabimus, etiam inter archetypas Angliæ mensuras dicit deprehendisse discordiam; quæ & occurreret inter Romanas: de quo narrat Gaspardum Bertium virum diligentem apud se questum esse. Equidem tale discrimen non potest esse nisi exiguum; sed crescit illud, cùm multoties fallax mensura, repetitur. His adde quòd si unus vel multi eâdem sexpedâ utentes, seorsim idem intervallum aliquod semel & iterum metiantur, quisquis à se ipso, tum & ab aliis dissentiet; quod viri industrii sæpiùs experiuntur. Ille quidem, ut dixi, dissensus non est immanis; sed tamen aliquis est. Id animadvertant, qui putant se assecutos veram mensuram pedis Romani, quia mensi fuêre illa intervalla columnarum, quibus olim Romani signabant milliaria. Nonnullæ ex his columnis quidem supersunt; sed opifices illa metiendo intervalla, & signando, forsan aliquo errore lapsi sunt. Pes Romanus antiquus expressus fuit in monumento Cossutii, de quo iterum infra sermo fiet. Plerique hujus pedis magnitudinem exprimere voluerunt; quo successu discere licet à Villalpando, qui sic loquitur in apparatu Urbis ac Templi, parte 2. lib. 3. cap. 25. *Hunc Cossutianum pedem circino expendi, & in annotationibus Guillelmi Philandri solertissimi viri, & apud Georgium Agricolam, & apud Lucam Pætum, & Stanislaum Grepsium, & nullum potui reperire alteri æqualem, imò verò neque ejusdem pedis assignatas similes partes.* Parùm diligentes erant antiqui artifices. Videre est negligenter ab eis mensurata intervalla, quæ signantur lapidibus. Juxta Anxur, altæ rupis quæ abscissæ sunt partes, numeris designantur; sed ipso oculorum judicio constat non æquis intervallis dispositos fuisse numeros. Alium pedem antiquum, qui in digitos divisus Romæ visitur in monumento Statilii, dimensus est Joannes Grævius, omni diligentiâ adhibitâ. Testatur autem duos in illo pede signatos digitos non esse æquales inter se. Visum huic-ce loco attexere verba sequentia Georgii Agricolæ quibus exponit impedimenta, quæ occurrunt veteres mensuras scrutantibus. Sic ille ferè initio operis sui de mensuris. *Hæc autem ratio explicandarum mensurarum & ponderum multis de causis est perdifficilis & lubrica. Primùm enim diversarum regionum non minùs ac hodie diversæ fuerunt mensuræ & pondera. Sic aliis scriptoribus in usu sunt mensuræ Romanæ, aliis Atticæ, atque item aliis aliæ: eademque varietas etiam existit in ponderibus. Deinde auctores tam Græci quàm Latini regionem, cujus mensuris vel ponderibus utantur, interdum non nominant, interdum de eâ memorant nimis obscurè. Tum etiam unus & idem auctor mensurarum capacitatem, gravitatem rerum quas metitur, vel ipsa pondera, modò hujus, modò alterius regionis declarat. Preterea Græci de rebus Romanis loquentes, aut contra Latini de Græcis, mensuram vel pondus vocabulis suæ regioni usitatis sæpè explicárunt: quòd aliquibus res, & si non fuerunt eædem, parùm tamen viderentur inter se differre: aliis, etiam si multùm differrent, uti vocibus externis non placeret. Postremò libri mendosè sunt scripti. Nam ut de reliquis nihil dicam, mensuræ & pondera notis significantur quibusdam, quas advertimus aliquando vel diuturnitate & injuriâ temporum deletas, vel mutatas librariorum incuriâ aut temeritate; vel denique excudentium negligentiâ, aut pravâ corrigentium diligentiâ vitiatas esse.*

Igitur non mirum est si inter eos, qui de mensuris & ponderibus differunt, tanta sit discordia; dum quisque se se tuetur aliorum testimoniis, aut suis propriis experimentis: nempè dum certa intervalla ipse metitur, aut veteres nummos, vetusta pondera lance expendit, & liquores, quorum vasa quæ supersunt, capacia erant. Incerta sunt veterum testimonia; neque enim quia, verbi causâ, interdum & sæpè valor Græci numismatis à scriptoribus æquatur Romano, idem est utriusque. In vicinis regionibus videre est numismata, quæ pondere vicina sunt, licet non sint prorsus eadem, à mercatoribus tamen permutari, discriminis nullâ habitâ ratione; scilicet ne mora interponatur commercio. Altero loco, antiqui nummi antiqua pondera quæ servantur inter Principum gazas, imminuta fuêre, ut solo oculorum judicio constat. Nullum pariter vas est antiquum, à longævitate non exesum; indè cavitates in parietibus internis quæ efficiunt, ut majus volumen liquoris accipiant & reddant. His adjungamus quòd omnes qui expendunt pondera, non utuntur iisdem lancibus & ponderibus. Vix autem duæ lances omnino pares reperiri possunt. Et error oritur ex ipsâ materiâ ponderum, quorum si volumen diversum est, ut notavimus, minùs aut magis ponderosa sunt prout in aëre vel in aquâ ponderabuntur. Omnium liquorum ejusdem speciei, non idem est pondus; aqua fluvialis & pluvialis aliquanto levior fontanâ; & tempore hyberno quàm æstate aquas omnes centesimâ quadragesimâ parte esse ponderosiores demonstrant, experimenta facta à physicis Academiæ Regiæ scientiarum.

Quorsum hæc? an ut despondeamus animum, imò ut

ut quò major est difficultas, vires eò magis contendamus. Sed iterùm dicam, nemo credat veritatem hisce in rebus posse sibi illucescere puram. Non ideo tamen inanis erit opera ejus, modò id consequatur ut vera à falsis, certa ab incertis valeat secernere. Huc itaque tendit susceptus labor, primùm ut habeamus non obscura principia, undè deducamus quæ certò sciri possunt de mensuris vetustis: si secum scriptores aut cum aliis discordes sint, discordia notetur, & si fieri potest, ineatur inter illos concordia.

SECTIO VII.

Principia & experimenta quæ suppetant ad scientiam veterum mensurarum. An sit quæpiam mensura universalis, in quâ conveniant omnes omnium locorum & ætatum mensuræ.

Si quæpiam res ejusdem mensuræ occurreret in naturâ, componendo cum illâ cujusque regionis & temporis mensuras, quod quærimus confectum foret; ut dicit Fannius,

Semina sex alii siliquis latitantia curvis
Attribuunt scrupulo, lentes veraciter octo,
Aut totidem speltas numerant, tristesve lupinos
Bis duo: sed si par generatim his pondus inesset,
Servarent eadem diversæ pondera gentes.
Nunc variant: etenim cuncta non fœdere certo
Naturæ, sed lege valent, hominumque repertis.

Cujusque regionis, verbi causâ, frumentum, etsi ejusdem agri, etiam spicæ constat non æqualiter esse ponderosum. Vidimus quidem utcumque æstimari posse veteres mensuras ex staturâ primorum hominum: sed illa non est cognita; nec difficultas abesset, si res esset statuenda ex præsenti staturâ. Tanta est in genere corporum diversitas, ut inter species, quas totius orbis machina complectitur, ne una quidem inveniri possit constantis magnitudinis aut gravitatis, undè cæterorum pondera simul & mensuras æstimare liceat.

Optandum tamen esset dari universalem mensuram, ad quam cujusque gentis & ætatis particulares mensuræ revocari possent. Alii id se assequi putarunt, metientes intervalla, pondera, vasa granis frumenti, quo nihil magis hominibus notum aut necessarium. Arabes ad id pilis camelinis utuntur. Hi baccis & nucleis plantarum atque arborum: sed hæc, ut modo dixi, differunt inter se; & in errorem incurritur, cùm ab illis sumuntur mensuræ. Quamquam enim discrimen tenue sit inter granum & granum, inter pilum & pilum, attamen grandescit error, ubi mensurandis intervallis longioribus, gravioribusque ponderibus, grana sive pili usurpantur. Millies enim augetur error, cùm mensura deficiens à verâ metitur intervallum millies majus. Quapropter, utor verbis Villalpandi lib. 3. cap. 25. de mensuris. *Illud unum monitos velim eos omnes, qui mensurarum ac ponderum cognoscendorum desiderio tenentur, ne à minimis incipiant examinare majora: nam vel minimus quisque error sæpius multiplicatus in magnum adducit errorum cumulum, & reipsâ cùm pro archetypo ponderis sumitur centipondium, sive pondus centum librarum, faciliùs est opifici minora pondera conflare verbi gratiâ, unius libræ; quorum nempè centum addita efficiant centum libras; quàm si pro archetypo sumeret pondus unius grani; vix enim fieret ut grana eo numero, qui decet, repetita, æquarent centipondium.*

Revertamur ad universalem mensuram, si reperiri fortè possit. Quia in omnibus orbis plagis apes pariter construunt sexangulas domos, simillimas, & ut videtur æquales, fuêre qui in alveis apum quærerent illam mensuram universalem. Sed ista æqualitas non in ipsâ re est; sed in oculis, qui discrimen non advertunt. Omnia corpora (tanta est divini opificis ars fœcunda) differunt inter se magnitudine, ut in cæteris. Quod etiamsi non accideret hominum opificiis, tamen ab illis non possemus obtinere id quod optamus. Omnia enim mutationi subjacent: revelluntur positi termini: variis casibus evertuntur marmora, tempore dissolvuntur etiam metalla. Illa ignis vel rubigo absumit, ut frustra quis speret mensuram posse æternam parari, nulli obnoxiam mutationi: præterquam quòd illa deferenda esset in diversas regiones, ut omnibus præsto esset.

Expressa quæpiam quantitas mandetur typis, dicat aliquis. Hæc, per totum orbem delata, fiet universalis simul & perpetua; charta enim dùm capsâ conditur, non perit. Verùm & ille modus plerumque fallax est; quia, ut loquitur Snellius in libro II. Eratosthenis Batavi cap. 1. *Charta uda, dum prælo subjicitur, & typum patitur, ipsâ pressurâ & humore, quem antea imbiberat, non nihil extenditur, & se ipsâ fit amplior; quæ post modum siccata iterùm contrahitur, & simul linearum mensuras, quas receperat, justo exhibet minores, Pars enim sexagesima typorum & formarum longitudinis excusis decedit: quemadmodum à diligentibus & peritis typographis sciscitando edoctus sum.*

Hæ difficultates non obstant quominus habeamus mensuram universalem; etenim terra *in æternum stat*, ut dicit scriptura, id est, in eodem situ ad cæli certam regionem permanet. In illâ ergo inveniri potest universalis mensura, parata omnibus incolis quorumcumque locorum & quarumcumque ætatum. Omnes terram incolimus, & fruimur cæli aspectu. Terra in centro est, vel apparet esse centrum hujus ambientis sphæræ, cui defixa sidera; quorum alia, prout ab uno ad alterum polum progredimur, conspicua nobis fiunt, alia occultantur. Sidera, inquam, polaria depressiora vel altiora apparent pro diversitate plagarum orbis; quod experimentum demonstrat terram rotundam esse, & partes ejus distinctas distinctis partibus cæli respondere. Itaque cùm singuli terræ gradus numerati in meridiano circulo, sive in majori circulo, qui transit per polos, sint omnes inter se æquales; nec ista æqualitas tempore vel locis mutetur, modò hi gradus distingui possint, universalis erit mensura. Etenim si in diversis regionibus viri astronomiam callentes, quisque metiatur unum terræ gradum, sive partem terræ, quæ uni gradui cælesti respondet: nempè observationibus suis deprehendat certos in terrâ limites unius gradûs, & usitatâ loci mensurâ dimetiatur; quod in aliâ regione faciat vir pariter astronomus, uterque habebunt eandem quantitatem, quæ suppeditabit mensuram communem; quod paulò fusiùs dicendum est.

Astronomus potest ex altitudine poli; seu polarium siderum & cæterorum, adhibitâ cautione, dignoscere fines cujusque gradûs, cui parti cæli locus in quo versatur respondeat. Id docent qui Astronomica tractant. Verùm sive defectu instrumentorum, sive negligentiâ multùm peccatum est in his definiendis cujusque regionis gradibus. Primò animadvertendum est totum terræ ambitum ab Astronomis dividi in ter centum & sexaginta gradus. Veterum Astronomorum opiniones de ambitu terræ colligit Plinius in libro secundo versùs finem: Joannes Baptista Riccioli & veterum & recentiorum in libro suo quinto de Geographiâ. Noto autem terræ circuitu, intervallum unius gradûs non ignoratur; si quidem est pars trecentesima & sexagesima hujus circuitûs. Sed tum circa totum terræ circuitum, tum circa unius gradûs intervallum diversitas opinionum admonet nos viam astronomicam, quæ initur ad

comparandam mensuram universalem, multâ cautione egere; ut re patuit. A Ante octingentos annos jussu Almamonis Califæ Babylonis, in campis Singaricis tale spatium quod unius gradûs, putabant viri Astronomi, mensuratum est. Hi, ut narrat Albufeda Geographus Arabs, deprehenderunt quinquaginta & sex milliariorum cum duabus tertiis partibus milliarii. Alii præcisè quinquaginta sex milliariorum. Adeò difficile est ut plures, qui idem intervallum dimetiuntur, conveniant inter se; sed res suscepta & perfecta est aliquot ante annos à Regiis Astronomis Parisinis; qui adjuti novis instrumentis facilius & certiùs potuêre gradus cælestes distinguere & numerare. Suppetebant illis Regiæ gazæ; nulli ergo sumptui parcebant. Quâ methodo usi fuerint, B explicant in libro quem Regiis typis ediderunt de terræ dimensione. Definiunt unum gradum terrestrem sumptum in meridiano circulo 57060. sexpedarum sive hexpedarum sive toisiarum; quæ mensura constat sex parisinis pedibus. Imposterum ergo, quibusvis temporibus & locis, modo id fiat pari diligentiâ & solertiâ, ex mensurâ unius gradûs habebitur universalis & perpetua mensura sexpedæ parisinæ; nam si quis in Indiâ dimetiatur unum gradum; mensuram Indicam cum Parisinâ comparans, utriusque exactam rationem deprehendet.

Propagandæ universalis mensuræ alia ratio inventa est, quæ adhuc magis est expedita. Tempus quo orbis cælorum revolvitur circa terram, aut revolvi C videtur, constat viginti quatuor horis: Hora sexaginta primis scrupulis sive minutis: minutum primum sexaginta secundis scrupulis: Secundus scrupulus totidem tertiis scrupulis, & sic in infinitum. Horologia, quorum motus æqualis esse debet, metiuntur hunc-ce diurnum cælorum motum. His regendis adjungitur, ut vocant, pendulum nempe filum immobili puncto innexum, & habens appensum exile pondus; quod cùm à perpendiculo expellitur, huc redit, & ultra fertur; itibus & reditibus iteratis describens circulorum portiones aut circulorum quasdam species. Galilæus primus ad similia pendula mentem advertit; illa autem Hugenius regendis horologiis feliciter aptavit; qui repetitis observationibus expertus fuerat pendulum longum tribus Pa- D risinis pedibus, cum octo lineis, & tribus tertiis partibus unius lineæ in quinque partes divisæ, absolvere Parisiis unam vibrationem intra spatium unius scrupuli secundi: ut quoniam in horâ sint 3600. scrupuli secundi, spatio unius horæ, vibretur necesse sit pendulum dictæ longitudinis 3. pedum 8. linearum $\frac{3}{5}$ exactè 3600. vicibus. Hoc-ce experimentum libris mandatum numquam sinet mensuram Parisini pedis oblivione deleri. Etenim si quem juvet futuris sæculis hîc vel alibi cognoscere longitudinem Parisini pedis eam deprehendere poterit, sic aptando horologium Huguenianum, vel etiam simplex pendulum, ut suis singulis recursibus occupet scrupulum secundum; etenim tunc erit æqua- E le tribus pedibus & octo lineis cum $\frac{3}{5}$ unius lineæ.

Dicta longitudo penduli fundatur experimento Parisiis facto; quod advertendum est, nam versùs æquatorem ad quartum ab eo gradum diligentes Mathematici experti sunt pendulum horarium brevius esse unâ integrâ lineâ; videlicet in regionibus quæ proximæ sunt lineæ æquinoctiali, penduli recursus tardiores esse.


Notis mensuris longis, cæteræ notæ sunt; vasorum enim capacitates pendent ex laterum longitudine; tum & pondera ex mole, cujus quantitas facilè potest mensurari longitudine dicti penduli. Quod licet magnam posteris afferre possit utilitatem ad mensuras comparandas, nullo tamen modo emendant, aut illustrant antiquam Statmicam. Mensuras & antiqua pondera restituendi modus esset optimus, si viatores vetusta marmora, & ædificia quæ nec ætas longa, nec barbarorum sævitia corrumpere, vel atterere adhuc potuit, inter sese, & cum modulis nostris sedulò conferrent. Talia quidem monumenta credimus, loquitur Eduardus Bernardus, qui ante aliquot annos edidit libellum pereruditum de mensuris, Templum Minervæ celeberrimum in Acropoli Athenarum, Ædemque veterem Thesei, & stadium magnum Herculis: aut in urbe Româ Agrippæ Pantheon, columnas Trajani, & Antonini, Theatra, balnea, portus, Aquæductus; nec non alia innumera antiqui operis. In gazis Regum, in Cimeliis curiosorum, in eruditorum musæis quærenda essent antiqua numismata, pondera, vasa. Litem procul dubiò secaret pondus antiquum alicubi repertum, cui nec vetustas rubigine, nec alius casus alio modo detraxissent quidpiam. Romana quidem pondera sæpiùs effossa sunt ex antiquis ruderibus. Idem etiam præstare possunt nummi veteres, quorum forma, caracteres indicant legitimum pondus; nostris enim ponderibus expendentes, deprehendimus nostratium cum externis, & antiquis rationem. Sed cavendum primò ne nummi falsi sint; ex quo enim illi magno sumptu redempti sunt à viris Principibus, fuêre artifices qui ejusdem formæ cuderunt. Quin inter antiquos reperiuntur subærati, nempè ærei, vel etiam ferrei tenuissimâ pelliculâ argenteâ superinductâ; quos dicimus *des pieces fourées*. Altero loco, etiam si nummus integer videatur, non abrasâ coronâ, non deletis caracteribus, attamen deteri potuit longo usu, & de suo pondere aliquid amittere, dum tractatur manu; nam ut canit poëta.

Quin etiam multis solis redeuntibus annis
Annulus in digito subter tenuatur habendo.


Hoc potissimùm auro contingit. Attamen pluris referret examinare pondera nummorum aureorum, quia in his cudendis eò potior cura adhibita est, quòd peccare magis damnosum; qui igitur jure censentur præ aliis legitimum pondus habere; quia illud servare in æreis aut in argenteis haud multum sit operæ pretium.

Inprimis expendendum an alicubi quæpiam veterum mensurarum, quarum valorem scire nostrâ pluris refert, adhuc in usu esset in regione aliquâ in quam pervadere possimus; aut a testibus fidis accipere rationem ejus cum usitatis & notis mensuris. Eâ in re non vulgarem exhibuit solertiam & diligentiam Joannes Grævius Anglus, Matheseos & linguarum peritiâ insignis; qui peregrinationes longas suscepit ut oculis suis antiqua monumenta, quæ in Italiâ, in Græciâ, in Ægypto supersunt, exploraret, metiretur, & harum regionum mensuras cum Anglicis componeret. Edidit libellum verè aureum de pede & de denario Romano; quem rogatu meo ex Anglico idiomate in vernaculum sermonem transtulit vir omni genere doctrinæ excultus Joannes Pelletarius Rothomagensis, nuper è vivis ereptus. Dicam suo loco quid deducat Grævius ex antiquis illis monumentis quorum cùm perennis sit duratio, videntur posse accipi in perpetuam mensuram. Nam si fortè unquam lis oriatur, verbi causâ, de pede Anglico, illam quis facilè solvat dimetiens eadem monumenta, quorum mensuras Grævius anglicis mensuris expressit. Loquor de Ægyptiacis pyramidibus, quæ adhuc extant, & de illâ columnâ marmoreâ Corinthiacâ, quæ cernitur non procul ab Alexandriâ. Hanc alii à Pompeio erectam volunt: alii ab uno ex Ptolomeis. Quisquis eam erexerit, facies ejus occidentalis baseos ejus, in

parte A B eſt pedum Anglicorum $12\frac{539}{1000}$ & in A
parte C D $14\frac{417}{1000}$



Antiqua aut illuſtria monumenta in Italiâ pariter B
menſus eſt Grævius. Juxta Anxur rupes eſt mari Thyrreno imminens, quæ abſciſſa eſt, ut intra illam & mare, via Appia perduceretur. In iſtâ autem rupe multæ his perſimiles figuræ altè inſculptæ ſunt, quæ intervalla dictæ viæ indicant. Linea ſuperior A B in figurâ CXX. in profundiori parte eſt pedum $4\frac{702}{1000}$. Inferior, autem linea C D pedum $4\frac{592}{1000}$.



C

CAPUT II.

A notis initium ſumentes diſſeremus primùm de menſuris, quæ hodiè & antè oculos noſtros exercentur, rem monetariam exponemus; excoctionem metallorum, artem quâ ex illis cuduntur nummi, & pretium metallorum undè petatur.

D

SECTIO I.

De menſuris intervallorum notis & uſitatis in Galliâ.

Fieri non poteſt ut menſurarum, quas oculis non vidimus, claram & certam notionem habeamus, niſi illas comparemus cum notis. Ignorari non poſſunt, pes Regius, toiſia, & aliæ Pariſinæ menſuræ. Statim quidem ac regnatum eſt in Galliâ, non fuêre ordinatæ à Regibus, quorum eſt ſignare nummos, definire quaſcumque menſuras. Ordo non potuit induci in pondera, in vaſa, cæteraque inſtrumenta, quibus ſuum cuique jus redditur, vel ſervatur, niſi poſtquam depoſitis feris moribus cœpêre E
homines juſtitiam colere. Serò Franci deſierunt omnia ferro decernere. Non ſtatim tota Gallia in unum Regnum coaluit. Regiones diverſæ diverſis parebant Principibus. Quin in uno & eodem principatu, quot domini, ſive vicedomini, tot erant metiendi, ponderandi rationes. Scilicet nulla erat ſuprema auctoritas, quæ omnes teneret ſub uno & eodem jugo. Idcircò penes quos erat aliquod dominium, pro lubitu, pro avaritiâ, pro ſævitie in ſubditos, & propriâ utilitate augebant, minuebant menſuras. Indè adhuc tanta in Regno diverſitas, quia ubi ſemel mos quiſpiam invaluit, ſine multis incommodis non poteſt emendari. Ad nos non pertinet iſta diverſitas. Intereſt quidem viri mercatoris, & eorum qui civilia tractant, non ignorare quo pondere quæque urbs utatur, quo modio in metiendis frugibus, quâ ulnâ in vendendis & emendis pannis; ſed hæc nos negligimus, aliis intenti. De noſtris menſuris alio fine ſermonem non facimus, niſi ut habeamus notas menſuras, quibuſcum comparemus antiquas. Agam igitur de illis ſolis menſuris, quæ ſunt uſitatæ in principe urbe, & quarum formæ religiosè conſervantur in Curiâ ejus. De pariſinis, inquam, menſuris tantùm loquar, atque à longitudinis menſuris initium ducam.

Pes Regius, Pariſinus (neque enim ubique in Galliâ omninò par eſt menſura hujus nominis) conſtat duodenis pollicibus. Pollicis craſſitudo dividitur in duodecim lineas; nec proceditur in ulteriorem diviſionem. Minima ergo diviſio pedis Regii uſitata fit in centum quadraginta quatuor lineas. Verùm in computis, pro ut lubet, poteſt in has vel illas minores partes iterùm dividi quæque linea, vel in decem, vel in duodecim, prout commodum eſt. Sex pedes Regii conſtituunt hexpedam, ſive ſexpedam, quæ vulgo dicitur toiſia, *la toiſe*, menſura ſtaturæ hominis, ex quâ ductæ primùm menſuræ. Non de aliâ ſexpedâ loquor, quàm de Pariſinâ. In cæteris Regni urbibus, ut innui, non ejuſdem longitudinis eſt. Hîc minor; alibi major. Pariſinæ forma aſſervatur in Caſtello, *au Châtelet*. Olim ferrea appoſita fuerat ad pedem imum majoris ſcalæ, quæ aulam reſpicit, primitùs adeò negligenter diviſa in ſenos pedes, ut illi pares, non eſſent inter ſe. Præterea longitudo ejus fuerat detrita, cùm ſæpius probandi alicujus pedis menſura ei applicaretur. Idcircò anno 1668. nova Hexpeda ferrea appoſita eſt rigidior, & diligenter magis in ſuos ſex diviſa pedes. Species eſt menſuræ, quæ virga dicitur *la verge*; quam aliqui faciunt duarum hexpedarum. Leuca noſtra ſive leuga omnium menſurarum longarum, quibus utimur, maxima eſt, ab antiquis temporibus uſitata in Galliâ; nomen enim ejus legitur apud B. Hieronymum in commentario in caput nonum Joëlis. *Nec mirum*, inquit ille, *ſi unaquæque gens certa viarum ſpatia ſuis appellet nominibus; cùm & Latini mille paſſus, & Galli leucas, & Perſæ Paraſangas, & Raſtas univerſa Germania: atque in ſingulis nominibus diverſa menſura ſit.*


Attamen leuca à tanto tempore celebrata & uſurpata nullam habebat certam & definitam longitudinem. Tanta erat leucarum diverſitas, ut quid nomine ejus eſſet intelligendum, neutiquam conſtaret. Attamen vulgò Galli Aſtronomi & Geographi viginti quinque leucas numerabant in ſpatio illo orbis terræ, quod cenſetur unius gradûs; quod ſpatium ut dixi, Regii Mathematici cùm deprehendiſſent 57060. ſexpedarum, partiti ſunt huncce numerum in viginti quinque partes; ex quâ diviſione natus numerus $2282\frac{2}{5}$. ab illis tributus eſt unius leucæ longitudini; viginti enim quinque leucas numerandas eſſe cenſuerunt cum cæteris Aſtronomis in uno gradu. Iſta longitudo media eſt inter majores & minores leucas: nam itinera in viciniâ Pariſiorum, quæ ſolent unius leucæ cenſeri, non complectuntur tot ſexpedas; in quibuſdam verò provinciis multò longiores ſunt. Hanc à Regiis Mathematicis definitam leucæ longitudinem ſequimur, nempè eam ſtatuimus bis mille hexpedarum cum ducentis octoginta duabus. Negligimus autem duas quinas partes hexpedæ, quæ tanto in numero nullius ſunt momenti.

Aliæ uſitatæ menſuræ longæ Pariſiis ſunt, *ulna*, *canna*. Juxtà Servium, apud antiquos ulna erat ſpatium quantum intercipitur inter utramque manum extenſam; dicta ulna ἀπὸ τῶν ὠλενῶν, id eſt, à brachiis, quaſi intervallum, quod brachia extenſa am-

prædtuntur. Juxta a ios ulna est cubitus qui græcè A ὠλένη dicitur. Quicquid sit, apud Gallos ulna non habet determinatam longitudinem, nisi ex consuetudine loci; in aliis enim urbibus longior, in aliis parva est. Ex edicto Henrici II. anni 1557. Parisina ulna constat tribus pedibus, & septem pollicibus cum octo lineis. Præter illam ulnam, duæ aliæ memorantur Parisiis usitatæ; alia, quâ pannus venditur, trium pedum, septem pollicum, novem linearum, & septem punctorum. Altera, quâ plerique mercatores utuntur, habet tres pedes, septem pollices, decem lineas, decem puncta. Cannas sive calamos in mensuras natura gignit, nodis enim æquali intervallo dissitis dividit in plures partes. Cannâ sive calamo mercatores in dimetiendis pannis se- B ricis, laneis, lineis utuntur aliquibus in locis.

Pertica mensura est agrimensorum Hujus quoque longitudo varia est pro varietate locorum. Hîc viginti pedum: alibi decem octo; quam vulgarem esse longitudinem ex consuetudine Parisinâ docent nos lexica Gallica novissima.

Ubi de mensuris intervallorum fit sermo, observandum alias exprimi lineâ unicâ, alias figuris, quæ ex pluribus lineis conficiuntur. Pes extensus sive pes simplex mensuratur unicâ lineâ. Pes quadratus, ut jam diximus, exprimitur quadrato, cujus quatuor singula latera sunt unius pedis simplicis, sive duodecim pollicum ita cùm in pede simplici sint tantùm duodecim pollices, pes quadratus habet centum quadraginta quatuor pollices. Sic cùm in pollice simpli- C ci sint duodecim lineæ, in pollice quadrato sunt centum quadraginta quatuor lineæ quadratæ. Ita de hexpedâ, quæ simplex est vel quadrata. In simplici sunt sex simplices pedes; in quadratâ verò triginta sex pedes. Quadrati linea A B repræsentat pollicem simplicem. Figura quadrata C D E F pollicem com-



D


positum sive quadratum, in quo notare est oculis centum quadraginta quatuor lineas quadratas.

Intervalla mensurantur lineis, superficies quadratis. Superficies intelligo areas, campos, & spatia quæcumque, quibus insunt duæ dimensiones, longitudo & latitudo. Jugerum est determinata area sive campus, qui hujus magnitudinis sit, ut jugo boum possit in uno die arari. Jugerum vernaculè dicitur *acre*, *arpent*, sed jugero Gallico non ubique eadem portio assignatur. Alibi majori, alibi mino- E ri perticarum numero circumscribitur. Præterquam quòd, ut diximus, non in omnibus locis eadem sit perticarum longitudo. Jugerum Parisiense juxta Mersennum habet centum perticas quadratas; Pertica verò supponitur decem & octo pedum, sive trium sexpedarum. Ita latus quadrati jugeri centum perticarum constat decem perticis, sive triginta sexpedis. Sic jugerum habet 900. sexpedas. Sexpeda quadrata, ut dixi, habet pedes 36 quadratos. Ita jugerum Gallicum sive Celticum, *l'arpent de Paris* 32400. pedes quadratos; sed ut dixi, mensura illa varia est in Galliâ; de quâ diversitate differunt Agrimensores. Article 13. de l'Ordonnance de Henri II. l'arpent de Paris 100. perches quarrées, la perche de 22. pieds, ainsi se mesurent les forests du Roy par l'Ordonnance de 1557. Ecole des Arpenteurs folio 312. anni 1692.

SECTIO II.

De mensuris cavis sive de vasis, quibus arida, & liquida Parisiis mensurantur.

Tertia dimensio addita duabus, nempe altitudo longitudini & latitudini, constituit corpus, sive solidum. Pes simplex distinguitur à quadrato; ita à quadrato cubicus. Simplex constat additis simplicibus duodenis pollicibus: quadratus duodenis pollicibus in se ductis; ex quâ multiplicatione oritur numerus 144; qui iterum multiplicatus per duodecim pollices, producit huncce numerum 1728, valorem pedis cubici; qui sic par est 1728 lineis cubicis. Ista advertere operæ prætium est; neque enim capacitatem vasorum, de quibus ordimur sermonem, æstimare possumus, nisi priùs illa revocemus ad cubicam formam, quæ pendet ex laterum longitudine; nimirum omnem cujusque vasis capacitatem æstimantes, comparando illud cum tali pollice, quem repræsentat A B C D E F. Hujus quantitas pendet ex longitudine lateris verbi causâ A B; quoniam omnia latera ejus sunt æqualia.



Res sive aridæ, sive liquidæ cùm mensurantur, quæritur earum vel pondus, vel moles, vel, ut loquimur, volumen; frugibus enim pretium statuitur ratione ponderis; vel molis earum, sive capacitate vasis, quo mensurantur. Primùm agam de vasis, sive de rerum mole, posteà de ponderibus. Vasa autem in diversis, non dico, Provinciis, sed & in urbibus ejusdem regionis; quin in ejusdem urbis vicis, suburbiis, pagis differunt nominibus, re, formâ, capacitate. Omnia revocabo ad pollicem cubicum; cujus latera omnia æqualia sunt. Princeps civitas habet vas hujus capacitatis, quod appellari solet *tessera uncialis*, nam, ut suo loco dicetur, pars duodecima cujusque rei integræ, verbi causâ pedis integri, qui duodecim pollices habet, dicitur uncia. Illa tessera uncialis nominatur *poinçon*.

Enumeremus vasa, quibus mercatores solent Parisiis frumentum, & cæteras fruges, legumina vendere, emere. Illa sunt *le demi-litron*, *le litron*, *le boisseau*, *le minot*, *la mine*, *le sextier*, *le muid*. Vasa vero liquidorum sunt *le petit demi-sextier*, *la chopine*, *la pinte*, *la quarte*, *le grand sextier*, *le muid*. Quam habeant inter se rationem illa vasa, tabulæ sequentes significant, simul & eorum capacitatem, quam numerus pollicum appositus metitur. Numerus qui sub pintâ est, indicat capacitatem ejus esse 48 pollicum: qui sub modio est, hoc vas continere 13824; qui numerus divisus per 1728, quot continentur pollices in cubico pede Parisino, ostendit præcisè esse octo pedum cubicorum. Viginti septem modii faciunt modium hexpedalem, nempe cubum,

cujus latera sunt hexpedalia. Ita cum hicce numerus 8 sit cubicus, cujus radix cubica 2, vas cubicum cujus latera essent duorum pedum, caperet unum modium vinarium; dico vinarium; nam alia est capacitas modii quo mensurantur fruges. A

Mensuræ Parisienses liquorum quam inter se habeant rationem.

POUCES.	Le demi-Sextier					
12.	1.	La Chopine.				
24.	2.	1.	La Pinte.			
48.	4.	2.	1.	La Quarte		
96.	8.	4.	2.	1.	Le grand Sextier.	
384.	32.	16.	8.	4.	1.	Le Muid.
13824	115.	576	288.	144	36.	1.

Hæc ratio supponitur vera, licet haud omnino concors cum vasis archetypis; nam pinta hic supponitur duplo major, quàm chopina, quæ continet 24 pollices cubicos. Attamen, ut ex commentariis Regiæ Academiæ scientiarum discimus, Piccardus, D cujus sagacitas & diligentia laudantur, pintam, quæ in Æde publicâ Parisiensi in typum servatur, cùm mensurasset, reperit eam non 48 pollicum, sed tantùm 47 cum $\frac{4}{7}$. Ita non exactè esset duplo major chopinâ; quod tamen admittere coactus, dico 36 pintas implere pedem cubicum, qui constat 1728 pollicibus. Juxtà vetusta statuta modius continebat 300 pintas; verùm nunc tantùm habet 288; id est, octies 36 pintas. Quapropter modius par est octo pedibus cubicis. Vulgo vas illud dividitur in 36 sextarios quorum singuli debent capere 8 pintas.

Ubi sermo est de frugibus, modius, *le muid* non habetur pro quopiam vase, sed pro nomine cujuspiam mensuræ, quâ æstimatur complurium vasorum E capacitas. Horum autem vasorum, quorum nomina hîc leguntur, certa capacitas non prorsùs constat; sive non conveniunt inter se auctores, qui de mensuris scripserunt. Forsan vasorum formæ æneæ archetypæ, quæ servantur in Æde publicâ Parisinâ, demutatæ; aut si integræ, hactenus in illis æstimandis peccatum est. Scilicet rotundæ illæ formæ erant, quarum capacitatem non cuique datum est calculis subducere, sive justum earum valorem exprimere. Ergo quando Ædiles susceperunt restituendas mensuras, & præscripserunt vasa omnia formari eâ latitudine & altitudine, ut inter se illam rationem haberent, quæ vulgo supponebatur, opifices non omnino affecuti sunt; ut verbi causâ quisque bosellus sic latus & altus esset, ut 144 boselli præcise æquarent modium.

Rerum aridarum mensuræ parisinæ & quam rationem habeant inter se.

Le demy Litron.							
1.	Le Litron.						
2.	1.	Le Quart.					
8.	4.	1.	Le Boisseau.				
32	16.	4.	1.	Le Minot.			
96	48.	12.	3.	1.	La Mine.		
192	96.	24.	6.	2.	1.	Le Sextier	
384	192.	48.	12.	4.	2.	1.	Le Muid.
4608	2304.	576.	144.	48.	24.	12.	1.

Errorem deprehendunt diligentiores calculatores; nam si subducatur capacitas boselli, cujus forma rotunda, sive cylindrica est, cujus diameter 10 pollicum, altitudo 8 pollicum cum tribus lineis & parte quartâ; hæc capacitas reperietur 649 $\frac{3}{5}$ hoc est tot pollicum cum tribus partibus pollicis qui in quinque partes divisus fuerit. Hos calculos subduxit solers Geometra, quo alterum non novi diligentiorem, usus tabulâ Logarithmorum in illâ boselli capacitate æstimanda.

In subsequenti tabula, exponimus in primis columnis leges de altitudine & latitudine cujusque vasis, confirmatas edicto anni 1670. Quod potissimum spectat opifices, qui præficiuntur explorandis mensuris an æquæ sint *les Jaug. urs & les Etalonneurs.* Vasa autem his legibus conformia non omnino eam rationem sive capacitatem habent, ut diximus, quam eis publicus sermo tribuit. Conjungimus veram capacitatem, quam ex illorum mensuris laudatus Geometra subduxit; tum & illam, quæ sequitur ex hypotesi probatâ Piccardo, & aliis, nempe modium parisinum, quo æstimantur fruges, esse præcise 54 pedum cubicorum, sive pollicum 93312, qui numerus divisus per 144, quot dicuntur boselli contineri in dicto modio, dat pro singulis bosellis 648 pollices. Amicus vero cujus diligentiam laudavi, ex dimensione boselli assignatâ deducit hoc vas habere 649$\frac{3}{5}$ pollices. In subsequenti tabulâ, statutas cujusque vasis dimensiones proponimus, secundo quæ sit horum vasorum præcisa capacitas, sicut quæ ex hisce legibus sequatur, tertio quæ censea-

tur iſta capacitas, ſi æſtimetur juxta hypoteſim 54 A pedum cubicorum in modio, & juxta rationem quam vulgo habere inter ſe dicuntur vaſa minora, & majora, quibus fruges Pariſini mercatores metiuntur. Nam poſito quod *le minot* capax ſit unius pedis cubici & 256 pollicum, modius eſſet 55. pedum, & pollicum 255. Poſito quod boſellus ſit $649\frac{3}{5}$ pollicum, modius eſſet 54 pedum, & 229 pollicum.

Capacitas vaſorum quibus fruges Pariſiis menſurantur.

	I.		II.	
	Juxta dimenſiones quas illis vaſis leges aſſignant.		*Juxta rationem quam illa vaſa habent cum modio qui ſupponitur 54 pedum cubicorum.*	
NOMINA.	Diameter. Pol. Lin.	Altitudo Pol. Lin.	Soliditas. Ped. Pol.	Soliditas Ped. Pol
Le Muids	Modius non ſpecies alicujus vaſis, ſed certus numerus quorumdam vaſorum minorum ita de ſextario. Non ergo leges definiunt modii, ſextarii dimenſiones.			54
Le Sextier.				4 86
La Mine				2 43
Le Minot	14 . 8	11 9	1 25 Pollices	1 21(
Le Boiſſeau	8 $2\frac{2}{3}$	10	$661\frac{1}{3}$ $644\frac{2}{3}$	648
Le demi Boiſſea.	6 5	8	$330\frac{2}{3}$ $322\frac{1}{2}$	324
Le quart de Boiſſ.	4 9	6 9	$165\frac{1}{3}$ 170	162
Le demi quart de Boiſſeau	4 3	5	$82\frac{2}{3}$ [illegible]	81
Le Litron	3 6	3 10	$41\frac{1}{3}$ [illegible]	$40\frac{1}{2}$
Le demi Litron	2 10	3 1	$20\frac{2}{3}$ $21\frac{1}{6}$	$20\frac{1}{4}$

B C D E

Quando componemus exteras menſuras cum Gallicis, ſupponemus modium Pariſienſem eſſe præcisè quinquaginta quatuor pedum.

SECTIO III.

De ponderibus Pariſinis, librâ & diviſionibus ejus. Quomodo pondera poſſint revocari ad menſuras longas. De pondere & mole corporum, tum ſolidorum, tum liquidorum.

Libram noſtrates duplicem habent: prima zygoſtatica appellatur à Budæo in libris de aſſe, quâ negotiatores, & pigmentarii, aromatariique utuntur, omneſque omnino, qui appenſas merces venditant. Hæc ſexdecim unciarum eſt. Altera libra hujus ſemis eſt; ita non propriè libra, ſed ſelibra, B ſive ſemi-libra, quâ monetarii & aurifices & vaſcularii utuntur. Illam appellant marcam, Gallicè *le marc*. Latinè dici poteſt bes, quatenus hoc nomine ſignificantur duo trientes libræ Romanæ ſive octo unciæ, quales duodenas hæc libra continebat. Marca vetus eſt nomen Gallicum etiam uſitatum apud gentes vicinas. Marca Pariſina habet octo uncias, uncia octo groſſulos, *huit gros*, groſſuli ſinguli tres denarios. Denarii ſinguli, ſive ſcrupuli dividuntur in viginti quatuor minores ſcrupulos, Gallicè *des grains*; quales ergo in unciâ numerantur quingenti ſeptuaginta ſex. Illas diviſiones & ſubdiviſiones ponderum exhibet ſubjecta tabula.

Grain.	Denier.	Gros.	Once.	Marc.	Livre.
1					
24	1				
72	3	1			
576	24	8	1		
4608	192	64	8	1	
9216	384	128	16	2	1

Hodiernorum ponderum granum leviſſimum eſt nomen habens à granis ſive ſeminibus; quæ quidem E leviſſima ſunt; ſed cùm magna ſit in ſingulis ſpeciebus granorum differentia quoad pondus, pro diverſitate regionum, agrorum, annorum rerum pondus definiri non poteſt numero granorum, ſive tritici, ſive hordei, aut aliorum cujuſcumque ſpeciei. In Italia pondus eſt quod apellamus *granum*, nempe pelliculam aurichalchi tenuiſſimam uno puncto ſignatam; quæ cùm aſſumi poſſit minùs aut magis extenſa, tenuior, aut ſpiſſior, non dijudicari poſſet quæ ſit ratio ponderum noſtrorum cum exteris, quæ & granorum numero ſolent definiri. Sed, ut innui, pondera noſtra poſſunt revocari ad menſuras longas; ut, ſi archetypa deperdita eſſent, iterùm abſque ullo errore pararentur, modo pedis Pariſini & diviſionum ejus monumentum aliquod extaret. Etenim pondera conficiuntur vel ex metallo

quopiam, vel ex marmore, saxove. Ergo si notum A
sit pondus pedis cubici, sive aurei, sive argentei, sive ænei, vel pollicis cubici, servabitur in omne ævum pondus libræ Parisinæ. Ad hoc conficiatur ex auro, vel saltem cubicus pollex, cujus pondus expendatur librâ Parisinâ. Non omne quidem aurum prorsùs defæcatum est; & ideo non ejusdem ponderis; sed discrimen, quippe tenuissimum, non animadvertendum. Viri sagaces cùm cubos conficiendos curassent ex omni materiâ, expenderunt & consignarunt scriptis pondera eorum, quæ exhibentur sequentibus tabulis. Non mirum autem videri debet, si diversa experimenta non prorsùs consentiant; circa metalla; primùm enim fieri potest, ut non sint perfectè excreta sive expurgata ab omni inferiori materiâ, ut, quæ sint ejusdem molis, possint ha- B
bere diversum pondus. Secundo etiam inter metalla, in quibus purgandis pariter ars adhibita est, alia sunt naturæ purioris, sive perfectioris, quod cæteris rebus accidit; neque enim omnia vina, omnes aquæ habent idem pondus. Insuper cùm liquida ponderari non possint, nisi vasis contenta; vasa autem diversimode alia ab aliis compleantur, fit ut non omnino concordes sint inter se, qui rem de quâ loquimur, expendendam susceperunt. Inde, exempli causâ, factum, ut tanta sit sententiarum diversitas circà pondus pedis cubici aquæ Sequanicæ. Alii eum faciunt 69 librarum cum duodecim unciis, alii 70 præcisè librarum. Hi promovent pondus ejus usque ad 71 libras cum unciis quinque. Discrepantia refundi potest vel in vasa paulo capaciora, quia pes assumi potuit major vero; vel in diversum aquæ pondus; aut quia liquor in vasa æqualia inæqualiter infusus sit, & diversimode potuit intumescere. Celebre experimentum factum est Parisiis in Curiâ monetali, quo constitit cubum, cujus capacitas esset $171\frac{1}{2}$ pollicum, cepisse aquæ puræ fontanæ, quæ canali Arcuato influit in urbem, libras 6 cum unciis 14 grossis 4 & granis 2 seu omnino grana 63650; unde sequitur cubum pedalem Parisiensem continere ejusdem aquæ libras 69 cum unciis 9 & granis 22, seu summatim grana 6413126; & pollicem cubicum ejusdem aquæ grana $371\frac{1}{10}$ Vir Academicus, cujus diligentia in hisce rebus nota est, asserit libro, quem de aquarum motu scripsit, se rem expertum fuisse in cubo ex aurichalcho, cujus latus esset semipedis; & iteratis experimentis sibi constitisse aquam, quam capere potuit, ponderasse octo libras cum dodrante unciæ, hoc est, 8 libras $\frac{3}{4}$ Pes ergo cubicus aquæ, nempe quæ pedis cubici spatio contineri potest, qui sit octies major, ponderare deberet præcisè septuaginta libras. Tabulam sequentem proferimus ex ephemeridibus Regiorum Astronomorum pro annis 1683. & 1688.

Tabula prima exhibens absolutum pondus corporum sequentium.

	Pondus pedis cubici.		*Pondus pollicis cubici.*		
	Libra	Unc.	Unc.	Gros	Gran.
Auri	1326	4	12	2	52
Mercurii	946	10	8	6	8
Plumbi	802	2	7	3	30
Argenti	720	12	6	5	28
Æris	627	12	5	6	36
Ferri	558	0	5	1	24
Stanni	516	2	4	6	17
Marmoris candidi	188	12	1	6	0
Saxi quadrati	139	8	1	2	24
Aquæ sequanæ	69	12	0	5	12
Vini	68	6	0	5	5
Ceræ	66	4	0	4	65
Olei	64	0	0	4	43

Tabula secunda exhibens relativum pondus. & molem relativam sequentium corporum.

M	Mercurius.	Mel.	Aqua maris.	Aqua fluvialis.	Vinum	Oleum
Mercurius.	I	$\frac{203}{1900}$	$\frac{322}{4275}$	$\frac{7}{95}$	$\frac{413}{5700}$	$\frac{77}{1140}$ A
Mel.	9 $\frac{73}{203}$	I	$\frac{184}{261}$	$\frac{20}{29}$	$\frac{50}{87}$	$\frac{55}{87}$ C
Aqua maris.	13 $\frac{89}{322}$	1 $\frac{77}{184}$	I	$\frac{45}{46}$	$\frac{177}{184}$	$\frac{165}{184}$
Aqua fluvialis.	13 $\frac{4}{7}$ B	1 $\frac{9}{20}$	1 $\frac{1}{45}$	I	$\frac{59}{60}$	$\frac{11}{12}$
Vinum	13 $\frac{131}{413}$	1 $\frac{28}{59}$	1 $\frac{7}{177}$	1 $\frac{1}{59}$	I	$\frac{55}{59}$
Oleum	14 $\frac{62}{77}$ B	1 $\frac{32}{55}$ D	1 $\frac{19}{165}$	1 $\frac{1}{11}$	1 $\frac{4}{55}$	H

Hanc Tabulam Lancellotius, ex cujus libro de Hemina, profero, dicit fuisse subductam à Robervallo celebris nominis Geometrâ. Illa non omnino convenit cum præcedenti tabulâ, quod non mirum est, si quidem experimenta ab eodem viro facta diversis temporibus sæpe secum diffideant. Diagonalis linea M H partitur hanc quadratam tabulam. Quæ supra diagonalem sunt cellulæ ostendunt horum liquidorum, quæ his respondent, rationem, quoad pondus suum, si par est eorum moles; vel quoad molem, si par est pondus. Initium in eâ tabellâ sumitur à gravioribus. Numeri vero cellularum infra diagonalem docent quali numero exprimendum sit pondus gravioris, cùm levius pondus sit unitas; vel quanta sit moles levioris, cùm gravioris moles exprimitur unitate. Ergo si mercurius esset cum oleo comparandus, quærenda esset cellula, nempe A, in quam illa duo concurrunt, & in eâ advertendi numeri $\frac{77}{1140}$ sive 77 & 1140, quibus exprimitur ratio, puta duorum pedum cubicorum, quorum unus constat mercurio, alius oleo; nempe pedis cubici mercurii ad pedem cubicum olei; aut si par sit pondus, puta libræ, moles mercurii ad molem olei erit ut 77 ad 1140. In cellulis vero infra diagonalem, si de comparatione mercurii cum oleo agatur, & utriusque sit par moles, si pondus olei expressum fuerit unitate, verbi causâ ponderet unâ librâ, pondus mercurii erit librarum 14 & $\frac{62}{77}$. Contra vero si paris ponderis, & moles mercurii constet uno cubico pede, moles olei erit pedum cubicorum 14 & $\frac{62}{77}$; nam si partiaris 1140 in 77, quotus numerus erit 14 $\frac{62}{77}$ Si similes comparationes fiant inter mel & oleum, in primâ considerare decet cellulam C, in secundâ comparatione cellula D exhibet quæsitum. Videlicet numerus cellulæ D $\frac{32}{55}$ indicat molem mellis unius pedis cubici esse ad molem, quæ sit ejusdem ponderis ut 1 ad 1 $\frac{32}{55}$ quod consentit cum numeris cellulæ C; nam si dividatur 87 per 55, quotus numerus exurget 1 $\frac{32}{55}$

SECTIO IV.

De re monetariâ. Primùm de materiâ, de auri & argenti gradibus puritatis diversis.

NUmmi cuduntur ex ære, ex argento, ex auro. Veterum nummorum cum nostris difficulter instituitur comparatio, tum propter materiem, tum propter pondus, quibus interdum accidit mutatio, ut licet eodem caractere & nomine signentur nummi, recte pretio sint diversi. Egestate aut avaritiâ de justo pondere eorum detrahitur, tum admiscetur aliena materia, & id ubique fere gentium. Excipiendam tamen puto rempublicam Israëlitidem, dum leges Dei in eâ viguêre. Etenim in Deuteronomio cap. XXII. prohibebantur Israëlitis כלאים *Chelaim*, id est, vestes commixtæ lino & lanâ; inde Judæi nummos suos debere esse impermixtos collegerunt, eos maximè quos tenebantur pendere Deo. Cæteris gentibus contigitquod de Romanâ republicâ scribit Plinius lib. 33. cap. 3. *libra autem pondus imminutum bello punico primo cùm impensis Respublica non sufficeret; constitutumque, ut asses sextantario pondere ferirentur. Ita quinque partes factæ lucri, dissolutumque æs alienum.* Et paulo post. *Posteà Annibale urgente Q. Fabio Dictatore asses unciales facti, placuitque denarium pro sexdecim assibus permutari, quinarium octonis, sestertium quaternis.* Denique paucis interjectis. *Livius Drusus in tribunatu plebis octavam partem æris argento miscuit.* Hoc contigisse nostro solido experimur, quod primùm solidum erat de argento; sive nummus erat totus argenteus, qui posteà ita ære permixtus est, ut abierit in nostrum usualem solidum. Isidorus dicit lib. XIV. cap. 24. denarium Romanum nuncupari solidum *quia nihil illi deesse videtur. Solidum enim antiqui integrum dicebant & totum.*

Ista metallorum permixtio multas turbas ciet in re monetariâ, locum fraudibus præbens; neque enim facile est deprehendere in nummo non puro quantùm alienæ & inferioris materiæ admixtum sit, puta quæ in nummo aureo conjuncta sit portio argenti cum auro; in nummo argenteo, an plùs vel minùs æris sit. Modo inferior materia non excedat, furtum non conspicuum est. Contra vero si puri essent nummi aurei solo sensuum judicio ex colore, ex sonitu, ex pondere, ex mole quisquis consuesceret veros à falsis secernere; nam veris proprius est color, proprius sonus, proprium pondus, propria moles. Idcirco, qui de administratione Rerumpublicarum scripsêre, statuunt nihil tam adversari bono regimini, quàm illam metallorum permixtionem. Sunt etiam qui ad cudendos nummos censent tantum admittendum aurum & argentum; repudiandum æs quippe rubigini obnoxium; & à subdolis mercatoribus invehi posset copiosum; quo cum probas merces vili pretio permutarent. In Hebræorum republicâ quam ipse Deus constituit, in publico & probato usu, non alii nummi erant, quàm aurei & argentei. Postremis quidem temporibus æreorum mentio fit in sacris libris, sed à Gentibus invecti in Judæam. In veteri lege non nominantur; tum id indicat ipsum eorum nomen, quod Græcum aut Latinum est, ut animadvertemus, cùm deditâ operâ de Hebræis numismatibus disseremus. Hîc addam circa nummorum æreorum usum illos in minutis emptionibus tantùm necessarios, in cæteris molestos. Pecuniâ, ut observat Mariana, ad commercii facilitatem inventâ, sine dubio illa commodior existit, quæ id meliùs & opportuniùs præstabit. Quod in æreâ monetâ contra accidit;

dit; vix enim integro die quis numeret in eâ monetâ summam mille aureorum. Insuper difficilis vectura. Denique quoties de bonitate auri & argenti detractum est, admixto ære, multa perturbatio consecuta est; pravitas enim monetæ efficit ut eâ se quisque lubentiùs abdicet, nec cum eâ velint merces suas commutare mercatores, nisi auctis in immensum pretiis; ex quo extat commercii difficultas, quæ & seditiones plerumque cierit.

Ergo optandum esset ut non modò ærei nummi reprobarentur, sed & aurei & argentei, qui non omnino puri essent ab alienâ materiâ; quod vix fieri potest; nam nec in ipsis fodinis aurum reperitur defæcatum & impermixtum. Id adstruit Georgius Agricola, qui de metallis doctos & utiles libros scripsit. Sic ille loquitur initio libri decimi, ubi docet quomodo metallum pretiosum à vili, vel contrà vile à pretioso secernatur. *Sæpius duo metalla, rariùs plura ex unâ eâdemque venâ conflari solent. Naturaliter autem potissimùm auri quædam portio inest in argento & in ære; argenti quædam in auro, in ære, in plumbo nigro, in ferro; plumbi nigri aliqua in argento; ferri denique quædam in ære.* Purgantur quidem scoriis & additamentis metalla, dum sæpiùs excoquuntur, & liquantur in fornace; ad quod alludebat Regius Psaltes, cantans Psalm. XI. 7. *eloquia domini, eloquia casta; argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum;* id est, verba domini pura sunt ab omni additamento fraudis & mendacii; ob id similia argento, quod purgatum est in catino lectissimo terræ, & defæcatum septies, sic fons Hebræus potest Latinè exprimi. Ignis autem non sufficit ut perfectè secernantur metalla; quâ autem arte ista secretio fieri potest olim latebat; alioquin tam difficilibus calculis Archimedes non inquisisset in furtum redemptoris, cui auream coronam votivam faciendam locaverat Hiero. Redemptor ille, pro auro, portionem argenti in id coronarium opus admiscuerat; quod ut deprehenderet Archimedes (rem narrat Vitruvius lib. nono) coronam ex auro solidam ejusdem ponderis conflandam curavit, & immersit in vas aquâ plenum; quod & fecit in coronâ suspectâ, eam pariter immergens in idem vas; ex quo cum major copia aquæ effluxisset, deprehendit quanto coronæ adulteratæ major esset moles, & ideo quantùm impurioris materiæ huic esset admixtum. Eâdem arte adulterini nummi facile cognoscuntur; nam si duo nummi in aere expensi, reperiantur habere idem pondus, quod postea sit diversum, cùm in aquis ponderantur, indicium est non ejusdem esse materiæ. Ille, cujus pondus magis est imminutum, nimirum propter majorem molem, est materiæ impurioris. Neminem latet molem auri esse minorem quàm alterius cujuscumque metalli.

Hac arte fortè usus est Archimedes, quia parcebat operi eleganti, quod igne liquatum patefecisset quidem furtum opificis, sed opificium amisisset formam suam; nam videre est apud Plinium rationem multiplicem secernendi & purgandi metalla; quod tunc temporis non tam facile fiebat. Novissimum inventum est secretio metallorum quâ utuntur artifices ope aquarum valentium sive fortium. Budæus autorem inventi facit quemdam Cointium, *le Cointe*, qui regnante Francisco primo primus usus est aquâ illâ, quæ habet vim chrisulcam, nempe auri ab argento abstrahendi. Postquàm aurum in aquâ chrisulcâ deferbuit, sidit in vase; argentum verò quod cum aquâ confunditur, post demptum aurum alio artificio separatur ab aquâ, ut videre est in aurifabrorum officinis.

Aurum perfectè excoctum & impermixtum cum

A alienâ materiâ dicitur *obrussa*, sive aurum nativum; quod cùm naturâ suâ mollius sit plumbo, ab opificibus non impenditur conflandis, includendis gemmis, cæterisque aureis operibus, nisi admisceatur ei quædam æris portio certis legibus. Nempe edictis Regiis præscribitur quota pars æris auro admisceri possit. Puros tamen dixi fuisse nummos Hebræis; neque enim mollities auri obstare potest, quominus ex eo cudantur nummi. In admixtione auri aurifices utuntur certo pondere, quod appellant *Karatium*, vernacule, *carat* & docent nos bonitatem hujus metalli in quatuor & viginti Karatiis indicaturæ consummari, ultra id nihil exquiri posse. *Indicatura est,* Budæus sic explicat in lib. tertio de asse,
B *quam lingua nostra legem vocat, id est, notam, gradumque bonitatis. Eadem lingua caractas à ceratio verbo Græco vulgari inscitiâ deflexit. Est enim ceratium minuti ponderis vocabulum à grano siliquæ ductum, qui fructus est arboris Italicæ prædulcis; digitorum hominis longitudine & pollicis latitudine. Nos in hâc urbe importatum vidimus, Intus sunt grana, quæ ceratia dicuntur, nomine cum fructu communicato.* Addit Budæus *Sed hic ceratium non ad pondus, sed ad indicaturam referendum est.* Scilicet cùm dicitur de nummo aureo 22 caractas habere, sensus est duos tantùm gradus, sive duas partes ex viginti quatuor in eo esse materiæ inferioris. Quo autem valor auri exquisitâ magis ratione significetur, ite-
C rùm caracta subdividitur in duas partes, in quatuor, in octo, in sexdecim. Ita nummus ad 23 caractas, cum $\frac{1}{2}$ dicitur defæcatus, quando tantùm quadragesimam octavam aut quadragesimam septimam sui partem habet ex alienâ materiâ.

Similiter diversi gradus notantur in argento, ut valor ejus declaretur, si in illo sit temperatura, sive æris quæpiam admixtio. Purum argentum dividunt in duodecim denarios aurifabri, sic loquentes ubi de argento fit sermo; non enim utuntur caractarum nomine, nisi cùm de auro loquuntur. Itaque cùm significandum est argentum verè purum esse, ad duodecim denarios excoctum dicunt, ut scilicet nulla aliena materia in eo supersit; ad undecim vero temperatum, si pars ejus duodecima sit
D aerea. Denarius quatenus pondus est, dividitur in 24 grana, singula grana in duas, in quatuor, in octo partes. Argentum, quod undecim denariorum est, granorum vero duodecim, vigesimum quartum gradum puritatis amisit.

Quoniam vix fieri potest, ut opifices assequantur gradum puritatis lege præscriptum, quia pendet ex vi ignis, qui non ita facile temperari potest, non datur vitio opificibus, modò quos conflant nummos nonnisi quodam intervallo discedant à lege. Idcirco, ut loquitur Joannes Casp. Eisenschmidius, qui nuper de ponderibus & mensuris eleganter scripsit, *indulgentiâ magistratûs & tolerabili conniventiâ intra spem veniæ ipsis concessum est, determinato granorum*
E *numero in singulas marcas, à rigore legis deficere, quod artifices, ipsæque publicæ constitutiones remedium* le remede *appellant.* Nummi citiùs deteruntur usu, qui puriores sunt. Igitur concessum monetariis ut ad quandam duritiem nummis conciliandam paucas aureis argenti particulas, argenteis certas æris portiones admiscerent. Hâc admixtione inferioris materiæ partim vel ex toto resarciuntur impensæ, quæ faciendæ sunt in conflandis formandisque nummis.

SECTIO V.

De formâ nummorum. Quâ arte nunc & olim conflabantur & signabantur.

INter novissima reperta numerari potest ars nunc usitata signandi nummos & reducendi ad certum pondus, quam paucis verbis exponam. Postquam metallum igne excoctum est & temperatum, in laminas extenditur, quæ iconio & typario posteà subjiciuntur. Extensio autem hujus crassitudinis, quâ nummus suum pondus habeat, fit ope duorum cylindrorum chalibæorum, qui in summam duritiem temperati fuerint. Illi sic contrario motu adversum sese aguntur simul, ut superior deorsum, inferior sursùm semper rotetur. Ambo inter volvendum accedunt ad sese cum eâdem proportione. In orbem euntibus illis cylindris admovetur frustum metalli, quod veluti dentibus apprehensum illi attrahunt, deglutiunt, sensimque devorant totum, dum à tergo evomunt idem frustum in laminam extenuatum, æqualis prope crassitudinis & ponderis in omni suâ parte; quæ facilè intelliguntur conjectis oculis in machinam.

In officinis monetariis videre est aliud instrumentum, quo perinde ac si cartâ non duriores essent dictæ laminæ, postquam fuêre extenuatæ, abripitur ex illis ea portio orbicularis, quæ convenit nummo, magna aut parva, ut lubet artificibus facilitate & celeritate admirabili. Portiones omnes illæ si pondus legimum superent limâ deteruntur, deinde typis subjiciuntur, ut signentur propriis caracteribus. Hæc omnia fiunt nullo ferè laboris & temporis impendio; sed nondum his inventis machinis, minùs eleganter & justè, signabantur antiqui Romanorum nummi, ut judicare licet ex illis qui hodie supersunt, & ex eo quod Plinius refert lib. VI. cap. 22. de Rege Taprobanes insulæ, ad quem cùm pervenisset Annii Plocami libertus, & percontanti enarrasset quæ fierent à Romanis: *mirum in modum in auditis justitiam ille suspexit quòd pares pondere denarii essent in captivâ pecuniâ, cùm diversæ imagines indicarent à pluribus factos*, Eandem historiam referens Solinus sic loquitur cap. LVI. stupebat Rex quòd, *tametsi* pecunia *signata disparibus foret vultibus, parem tamen haberet modum ponderis.*

Primis temporibus gentes non utebantur signatâ pecuniâ. Permutabant merces; & quoniam quò metalla rariora, eò magis pretiosa, quàm fruges & pecudes, quæ ubique obviæ sunt; ideo metallorum usus frequentior evasit in permutationibus, maximè auri & argenti. Scilicet, ad coëmendas merces illa inferuntur, aut his venditis domum referuntur faciliùs. Statim autem non signatum est metallum, sed rude ponderabatur. Sequentibus temporibus tandem usus docuit illud certo signo donare, ut sola forma ostenderet ejus pretium; nempe quod lex νόμος statuerit; inde nummus traxit nomen, quia non naturâ, sed lege factus est ὅτι οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ ἐστὶ, ait Aristoteles. Nota, inquam, impressa nummis, superscriptio Reipublicæ, vel imago Principis faciunt eorum pretium; simul ut habeatur pro sacrilegio eos adulterare, nec reputetur leviori supplicio dignus, qui eò audaciæ venerit, quàm si nefario ausu personam Principis violasset, ut Cassiodorus, vel potiùs Rex Theodoricus apud Cassiodorum dicit. *Omninò monetæ integritas debet quæri, ubi & vultus noster imprimitur, & generalis utilitas invenitur. Quidnam erit tutum, si in nostrâ peccetur effigie; & quam subjectus corde venerari debet, manu sacrilegâ violare festinet?* In nummis duplex A pretium distinguendum, unum quod pendeat ex arbitrio Principis; quandoque enim ob egestatem ferreis nummis, etiam corio Reges utuntur. De hoc primo pretio non hîc disserimus: ubi enim diversorum temporum & locorum comparantur nummi, mens tantùm advertenda ad pondus eorum & materiam. Verbi causâ, cùm res agitur inter Gallum & Germanum, nulla habetur ratio superscriptionis in nummis. Igitur hocce loco expendimus quid in illis citrà principis lubitum efficiat ut pretiosiores censeantur.

SECTIO VI.

B *De nummorum valore, qui pendet ex pretio metallorum. De ratione & proportione quam inter se habent aurum, argentum, æs.*

NUmmi habent valorem suum intrinsecum, sic loquuntur Scholastici, ex materia sua, cujus pretium pendet ex hominum judicio, quod & varium est. Idcirco cum pendet ex his quæ extra nummum sunt, ab iisdem Scholasticis appellatur extrinsecum. Metalla quidem alia sunt naturæ magis perfectæ. Ignis non consumit aurum, sive huic nihil deperit in igne: acria non illud corrodunt: manus non sordescunt ejus attactu; colore præstat & fulget. Quoad hominum judicium rariora vulgo pretiosiora æsti- C mantur. Nempe id contingit metallis, quod cæteris rebus: cariori pretio venduntur fruges, quò infœcundiores agri: copia facit eas viliores. A quo tempore auri & argenti incredibilem copiam Peruviana regio infudit in Europam, horum pretium quis auctum dicet; sed re imminutum est; etenim istâ, quâ ætate vivimus, plus auri impendendum est, ut vitam alamus, comparemus vestimenta, ædes conducamus; quod non fieret, si nunc ac olim aurum paris valoris censeretur; qui enim antea cum tot libris auri censebatur dives, quippe qui posset opiparè cœnarè, ornatè vestiri, superbe habitare: tunc temporis par librarum numerus vix sufficiat in victum tenuem; quippe aurum & argentum ut cætera, ubi abundant, vilescunt. Agricolæ fruges D suas nolunt permutare, nisi cum majori horum metallorum copia: fruges, vinum, panni, & cætera omnia, quibus vita indiget, emenda cariori pretio, nempe graviori auri & argenti pondere: cariùs artifices operas suas locant Ut rem paucis significem, ex quo duplicatum est auri & argenti pretium; nempe pluribus libris, ut loquimur, Turonensibus æstimantur, jam duplo plus auri & argenti opus est, ut suppetant victus & vestitus.

Hæc diligenter pensitanda ut de veterum nummorum pretio dijudicetur. Scilicet inquirendum in raritatem, aut abundantiam metallorum; quæ res vices habuit varias. Tempore Salomonis, quoniam classes ejus ex Ophir multos thesauros adduxerant, alicu- E jus pretii non putabatur argentum; quod & contigit novissimis temporibus. Non ergo decet mirari olim exigua auri summa redemptas magnas possessiones, aliquot nummos fuisse stipendium viri militis. Polibius scribit duos obolos fuisse Romani peditis obsonium. Vulgus audit cum stupore exiguo sumptu constructa magna ædificia. Scilicet tunc carius aurum, quod postea minùs pretiosum fuit, licet videatur pretium ejus crescere. Qui rem non expendunt, cum valor monetæ augetur, pro divite eum habent qui majorem numerat auri summam. Hic quidem si debebat centum Lodoïcos, cùm Lodoïci duplicantur, æs alienum cum quinquaginta dissolvet; sed illo augmento reipsa fit pauperior, qui videbatur ditescere; cariùs enim, ut diximus, in po-

iterum vivet.

Itaque pecuniæ valor geminus eſt: alter intrinſecus & naturalis ex metalli conditione & pondere, quibus accedit cudendi labor, & apparatus non ſine ſumptu ſuſceptus. Alter valor eſt extrinſecus & legalis, nempe conſtitutus lege Principis, penes quem eſt uti aliarum mercium, ita pecuniæ præſcribere pretia. His autem, penes quos rerum eſt arbitrium, curæ eſſe debet, monet Mariana, ut hi duo valores exæquentur, neque multùm diſcrepent inter ſe; ſed non cenſet iniquum ut legalis valor paulò ſuperet naturalem, quia, ut diximus, moneta non conflatur ſine ſumptu. Niſi autem uterque valor ſeſe aliquâ contingant viciniâ, ſive plus taxentur nummi, ſive augeantur inferiori materiâ, redit quæ emendata videbatur egeſtas; merces enim omnes majori pretio comparantur, quantùm de pecuniæ bonitate, aut pondere fuerit detractum.

Hîc dicam quid intelligi debeat nomine libræ Turonenſis cujus nomen ſolet uſurpari in redemptionibus, in venditione, in coëmptione, in contractibus & commercio; & cum pretium auri & argenti vel augetur vel imminuitur; pariter illud ſignificant edicta Regia, nempe nomine librarum Turonenſium illud taxant. Hæc edicta afferre non alienum eſt à loco.

annis.	*Auri Marca.*	*Argenti Marca.*	
	Sub Franciſco I.		
1540	165 lib. 7 ſols 6 deniers.	14 l.	
	Sub Henrico II.		
1549	172 lib.	15 lib.	
	Sub Henrico III.		
	925	15 lib.	15 ſ.
1577	222 l.	19 l.	
1580		19 l.	
1589	240 l. 10 ſ.	20 l.	4 d.
	Sub Ludovico XIII.		
1610, 1615, 1630, 1631, 1633, 1636	278 l. 6. ſ. 6. d.		
	320 l.	23 l.	10 ſ.
	384 l.	25 l.	
1641		26 l.	10 ſ.
	Sub Ludovico XIV.		
1662	423 l. 10 ſ. 11 d.		
1679	437 l. 9 ſ. 8 d.	29 l. 6 ſ. 11 d.	
1686	457 l. 7 ſ. 5 d.		
1687	447 l. 7 ſ. 2 d.		

In his omnibus edictis non definiuntur puritatis gradus quos habeat Marca ſive auri, ſive argenti. Noviſſimo edicto anni 1709. die 17. Maii.

Marca auri ad 24 Karats excocti id eſt puriſſimi, æſtimatur 531 lib. 16 ſolidis 4 denariis.

Marca auri ad 23 Karats & demi, 520 lib. 14 ſ. 9 den.

Marca auri ad 23 Karats 509 lib. 13. ſ. 2. den.

Marca auri ad 22 Karats & demi 498 lib. 11 ſ. 7 d.

Marca auri ad 22 Karats 427 lib. 10 ſ.

Marca argenti puriſſimi à 12 deniers æſtimatur 35 lib. 9 ſ. 1 denier.

Marca argenti à 11 deniers douze grains æſtimatur 33 lib. 19 ſ. 6 d.

Marca argenti à 11 deniers 10 grains æſtimatur 33 l. 14 ſ. 7. d. pite.

Marca argenti à 11 deniers æſtimatur 32 lib. 10. ſ.

Æri ob vilitatem non accedunt tantæ mutationes, ex aucto enim ejus valore non multa fiſco redeunt emolumenta; idcirco ad libram Turonenſem, quæ videtur ære conſtare, revocatur auri & argenti pretium, ſed tandem quæ iſta libra?

Cangius in ſuo Gloſſario in voce *Marcâ* obſervat olim quadruplicem marcam, ſive libram obtinuiſſe in Gallia, Trecenſem, Lemovicenſem, Turonenſem & Rupellenſem ſive Anglicanam, pondere diverſas. Turonenſis in Gallia fuit celebris, Trecenſis in Germania & in Hiſpania, etiam hodie in Anglia; ſcilicet quia in nundinis Campaniæ, ſeu Trecenſibus, quibus nullæ in Europa celebriores & antiquiores extiterunt, hocce pondere uterentur. Tunc uſuales nummi qui dicebantur ſolidi, appendi ſolebant hacce libra Turonenſi; in quo pondere tales nummi erant numero viginti. Sed tunc temporis ſolidi facti ſunt ærei; quorum viginti numero nec ponderant marcam ſive ſemilibram; quapropter inane eſt nomen quod dicimus vernaculè, *livre tournois*. Attamen qui annuam poſſeſſionem vel ſolvit, vel exigit definitam numero librarum Turonenſium, verbi causâ mille librarum, intelligit non diſſolvi tabulas, niſi numeratâ eâ ſummâ auri & argenti, quæ taxatur mille libris Turonenſibus: quæ ſumma, ex quo ſolidi, quorum viginti faciebant unam libram Turonenſem, viles facti ſunt admixtione materiæ inferioris, valdè incerta eſt; ſolidum enim vocamus duodecim denarios æneos; viginti autem numero ſolidi non faciunt, ut expertus ſum, niſi novem circiter uncias.

Pertinet ad huncce locum explorare quæ ratio ſit auri ad argentum, & æris ad utrumque, quæ etiam aliquo modo pendet ex lubitu Principum; niſi quòd, ut diximus, metalla eò cariora cenſentur, quò rariora ſunt. Eo primo tempore, quo aurei nummi Romæ percuſſi ſunt, ſcrupulus auri paris erat valoris, ac quindecim ſcrupula argenti; quæ ratio eſt 1. ad 15. non conſiderato pretio, quod percuſſori potuit dari. Poſtea aurum non ita rarum fuit, & ideo ratio ejus ad argentum imminuta eſt. Fuiſſe à primis temporibus decuplam colligere poſſumus ex capite 18, quarti Regum, ubi Ezechias juſſus eſt ab Aſſyrio Rege pendere in annuum tributum 300 talenta argenti, & 30 talenta auri; qui locus ſic intelligi poteſt, ut Ezechias teneretur ſolvere vel 300 talenta argenti, vel 30 talenta auri. Utriuſque ſummæ valor idem eſt, ſi tum temporis ratio horum metallorum eſſet decupla. Ezechias oneratus eſt hocce tributo circa annum DCCXXVII. ante Chriſtum natum. Narrat Titus Livius lib. 38. pactum à Romanis fuiſſe cum Ætolis, ut, ſi illi aurum dare mallent, quàm argentum, pro argenteis decem unum aureum perſolverent. Plato videtur pretium auro tribuere duodecuplum argenti. Vir rei monetariæ peritiſſimus obſervat quod eo tempore, quod Lodoïcei aurei valebant undecim libras Turonenſes cum quinque ſolidis, & ſcutatum argenteum tres libras, eam fuiſſe rationem auri ad argentum, quæ eſt inter hoſce numeros 1 & $15\frac{1}{4}$. Addit hiſce ſæculis, quæ beatiora habita fuerunt, vulgò ſtatutam eam rationem, quæ eſt inter 1 & 11 vel inter 12 & 13. Nimirum hiſce ſæculis modo undecim libræ argenti, modo duodecim, modo tredecim æquabant valore ſuo unam auri libram Anno 1641. cùm Ludovicus XIII. rem monetariam novis & optimis legibus conſtituere voluiſſet, variis factis experimentis deprehenſum eſt in Germania & Mediolani ſervatam eam rationem auri ad argentum quam hi duo numeri exprimerent, 1 & 12: in Flandria 1 & $12\frac{1}{2}$: in Anglia 1 & $13\frac{1}{7}$: in Hiſpania 1 & $13\frac{1}{3}$ Placuit tunc Regi Chriſtianiſſimo horum numerorum

1 & $13\frac{1}{2}$ ratio ; & tunc æſtimati ſunt Lodoicei aurei decem libras, ſcutati argentei tres libras. Verùm ſequentibus annis iterum immutata eſt iſta ratio. Anno 1656. pretium auri auctum eſt, argenti ſervatum. Lodoicei aurei habiti ſunt undecim librarum ; & auri ad argentum ratio ea evaſit, quæ eſt inter 1 & $14\frac{15}{16}$. Ab hocce tempore certa ratio non ſtetit, aucto vel imminuto pretio tum auri tum argenti, diversâ ratione, prout ex mutatione rei monetariæ Rex percipiebat fructus ad impenſas bellorum, quibus Regnum non vacavit.

Ratio æris ad aurum & ad argentum varia eſt, quia è vicinis locis accerſitur, quandoque tantâ copiâ ut vix ſit alicujus pretii. Apud veteres Romanos ideo vilius, quia rara auri & argenti metalla. Infra videbimus Romæ argentum ad æs fuiſſe ut 1 ad 960. Hinc diſcere licet per reſpectum ad æs ſummam fuiſſe Romæ argenti raritatem ; nam hodie, ut puto, pro duabus marcis ſive pro una libra argenti penderentur centum circiter libræ rubei æris. Ita ratio utriuſque metalli hodie exprimi poteſt hiſce numeris 1 & 100. Idcirco autem difficile eſt quidquam certi de pretio æris ſtatuere, quia diverſæ ſunt ejus ſpecies, tum ratione fodinarum, tum & temperaturæ. De ſuæ ætatis ære loquebatur Plinius lib. 34. cap. 11. *ſumma gloria æris nunc in Marianum converſa, quod & Cordubenſe dicitur. Hoc à Liviano Cadmium maximè ſorbet, & aurichalchi bonitatem imitatur.* Olim aurichalchum pluris æſtimabatur ære crudo. Secus hodie ſe res habet ; æs enim tinctum cadmia, quæ vernaculè dicitur *calamine*, aurei coloris, quod noſtrum aurichalchum eſt, ob magnam hujus mineralis copiam abſorptam, minori aliquantum pretio vænire ſolet.

SECTIO VII.

Comparatio veteris pecuniæ cum novâ non poteſt certis calculis inſtitui niſi ſecundùm utriuſque pondus. Quâ cautione id fieri debet.

REi monetariæ mutationes perturbationem afferre Regnis evincit Joannes Mariana, in opuſculis ſuis, de moneta, diſputatione IV. *Commercii,* inquit ille, *haud dubium fundamenta, quibus univerſa mercaturæ moles incumbit, pondera & menſuræ ſunt, atque pecunia . . . Quæ eò pertinent ut ſit omnibus perſuaſum, uti in ſtructuris fundamenta immota manent & intacta, non ſecus pondera, menſuras, pecuniam non moveri ſine periculo & commercii detrimento.* Verùm multa facere ſuadet egeſtas, cauſa fere omnium mutationum quibus ſubjacet res monetaria. Quapropter cùm hocce malum ſæpiùs recurrat, ſi velimus prodeſſe alteri ſæculo, cui forſan ignorabuntur nummi nunc probati, neceſſe eſt uti regulâ certa in componenda veteri pecunia cum nova, quæ non alia eſt niſi ut exploretur utriuſque pondus. Aliter nihil poteſt decerni, ſaltem quod diu proſit. Etenim ubi vetuſta & externa numiſmata ad præſentia revocaverimus, quæ nota nobis ſunt, calculi noſtri fient inanes & obſcuri, cùm nova cudentur alterius formæ & ponderis ; nempe cùm Principi aliquod emolumentum accedet ex mutatione monetæ, & placebit reprobare antiquos nummos, & novos inducere. Ponderum mutatio non afferret fructum, ſed perturbationem ; quapropter cum nec libra, nec marca ſubeant diverſas vices, liquet pecuniam comparandam eſſe ſecundùm pondus ſuum ; quod quaſi in omne ævum valet. Nam licet poſt temporis ſeriem numiſmata alterius nominis & formæ fuerint in uſu, tabulæ quas ſubduxuri ſumus de pretio veterum nummorum, non inutiles erunt ; ſi quidem æſtimemus illos ex ſuo pondere. Nempe ad recentes nummos non eos revocamus, ſed ad Gallicum pondus, quod non ſolet demutari. Omnis alia comparatio incerta eſt ; ſed illa ſupponit veteres & novos nummos pari ex metallo cuſos, ſive æqualiter puros. Nec detraho lucra fiſcalia & impenſas in ſignatione factas. Scilicet cùm æſtimabo ſiclum Hebræorum ſive aureum, ſive argenteum, & exprimam valorem ejus noſtrâ pecuniâ, id unum quæram, quod fuerit hujus ſicli pondus, ſivè quot noſtratibus granis ponderarit. Ut autem faveam ætati noſtræ, & ex notis nominibus, ſive notis nummis hunc valorem ſignificem, ſubjicio ſimul quod ſit cujuſque uſitati nummi pondus.

Hocce anno, in quo cudo hoſce libros, aureus Ludovicus hodie ponderat 5 denariis cum 6 granis, ſive 126 granis. Semi Ludovicus aureús duobus denariis, & quindecim granis, ſive 63 granis. Nummus argenteus major, qui & Ludoviceus dicitur, ponderat 21 denariis, octo granis, ſive 512 granis. Semi nummus quoque argenteus 10 denariis, 16 granis, ſive 256 granis. Quadrans 5. denariis, 8 granis, ſive 128 granis. Minor nummus, qui eſt pars duodecima majoris, ponderat denario uno, decem octo granis & $\frac{1}{2}$ ſive 42 $\frac{1}{2}$ granis. Cùm autem uniuſcujuſque nummi pondus legeris, Lector, paulò majus cogita, quia, ut loquitur Merſenus, *antiſacoma* tantulum ſuperare debet nummus, ut vincat æquilibrium. Verbi gratiâ, nummus aureus Gallicus, *l'écu d'or*, cujus præciſum pondus eſt duorum denariorum, & quindecim granorum, habet inſuper $\frac{8}{145}$ unius grani, hoc eſt, 8 partes, quales licet in grano numerare 145, ut deprimat lancem. Itaque quilibet nummus cenſendus paulò ponderoſior ſtatuto ſuo pondere, ut lanx, qui illum ſuſtinet, inclinet & cadat ; quod vernaculè dicimus ; *le poids de l'écu doit être trébuchant*. Reprobatur, ſi manet in æquilibrio, inter duo ferra, ut aiunt, *entre deux fers.*

CAPUT III.

Componuntur menſuræ Pariſinæ cum menſuris quæ uſitatæ ſunt in vicinis Galliæ regionibus.

SECTIO I.

De menſuris longitudinis, quæ uſitatæ ſunt in Angliâ, in Italiâ, & alibi ; & de ratione, quam habent ad Pariſinas.

ANtequam veteres menſuras exploremus, ut non ſolis Gallis utilis eſſet labor noſter, præcipuarum urbium & regionum menſuras exponere deceret & rationem quam habent cum Pariſinis ; unde Hiſpano, Italo, Germano, Anglo, Batavo facile ſit ex tabulis noſtris veteres menſuras ad populares revocare. Animadvertendum autem eſt, quòd, licet menſuræ diverſarum regionum conſtent eodem particularum numero, & hæ particulæ minimæ ſint, non ideo cenſendas inter ſe æquales. Etenim, ut liquet, cùm duo inæqualia corpora ſimiliter dividuntur, putà in mille partes, majorum majores ſunt ; quod non advertebant, qui ſupponebant omnia grana, in quæ diverſi populi ſimiliter dividunt uncias ſuas, reputari poſſe ſimilia. Hocce errore peccaſſe Fernellium Medicum notat Ludovicus Savotus in opere ſuo de antiquis nummis. *Miror*, inquit ille, *errorem tam craſſum in virum adeo doctum cadere*

potuisse, quoniam opinionis ejus falsitatem experientia, & comparatio ponderum exoticorum cum nostris satis ostendit. Uncia enim Hispanica, uti omnibus constat, in totidem grana divisa est, ac nostra; nihilominus quoniam uncia Hispanica pondere à Gallicâ differt, fieri non potest quin & grana Gallica ab Hispanicis discrepent. In ista tamen comparatione, quam instituimus, eâ divisione, quæ supponitur ultima, dividimus mensuras omnes, nimirum in partes adeo parvas, ut discrimen quod habent non sit animadvertendum. Verbi causâ, pes Parisinus constat duodecim pollicibus, quorum singuli iterùm dividuntur in partes duodecim, quæ nominantur lineæ; ita ut, cùm pes habeat duodecim pollices, pollex duodecim lineas in pede Parisino numerentur centum quadraginta quatuor lineæ. Hæ vero singulæ si secentur in decem partes, tunc in pede integro erunt 1440 particulæ; quæ adeo exiles sunt, ut si similiter dividatur pes Anglus, licèt particulæ ejus dictis pedis Parisini particulis non prorsus sint æquales, inæqualitas quæ est inter illas, nulla censeri & negligi possit dùm componuntur hi duo pedes. Pedem Parisinum cum diversis Italicarum urbium pedibus comparavit Auzoutius Rothomagensis; unus ex illis, quibus Academia Regia ortum suum debet. Illa comparatio inserta reperitur in collectione mathematica edita anno 1693. typis Regiis, unde excerpsi quæ sequuntur. Pes Parisinus assumptus est, qui præcisè pars esset sexta hexpedæ sive toisiæ, cujus typus asservatur in Castelleto Curiæ. Supponitur divisus in 1440 particulas; quarum particularum numero declaratur quantitas sequentium mensurarum.

Palmus Romanus in archetypo Capitolino continet 988½ vel pollices 8, lineas 2 & 8½ Palmus Romanus plicatilis, constans ex multis regulis, quæ vel explicari, vel complicari possunt, ut perâ faciliùs contineantur, paulò major censetur, nimirùm octo pollicum, & trium linearum. Palmus divisus est in 12 uncias, uncia in quinque minuta; ita integer palmus habet sexaginta minuta. Decem palmi faciunt Architectorum cannam.

Pes vetus Romanus, quem Lucas Pætus mensus est in Capitolio, continet 1306 aut 1307 partes, quales numerantur in pede Parisino 1440 ut dictum est. Observat Auzoutius pedem hunc paulò minorem esse; si quidem palmus duodecim digitorum dodrans est pedis, in quo sexdecim digiti numerantur, & ita deberet esse 1318 partium.

Pes Romanus antiquus expressus reperitur in duobus monumentis, Statilii & Cossutii. Primus habet partes 1311 sive 10 pollices, 11 lineas, & partem lineæ in decem partes divisæ. Alter habet partes 1315 sive 10 pollices, 11 lineas, & 5 decimas unius lineæ; & quoniam extrema videntur detrita, censeri posset sexdecim unciis palmi Romani. Sic ulna Parisina par haberi potest quatuor pedibus Romanis vetustis.

Pes Græcus in Capitolio notatus est 1358 particularum sive pollicum 11, linearum 3, & 8 decimarum.

Palmus mercatorum, qui octies repetitus componit cannam, quâ illi solent pannos mensurare, est particularum 1102½ vel 9 pollicum 2¼ unius lineæ. Palmus ille & dicta canna in usu sunt in Gallia apud Montispessuli incolas.

Brachium Florentiæ, cujus mensuræ typus est juxta carcerem, habet 2580 vel 2581 particulas, id est, 1. pedem, 9 pollices, & 6 lineas.

Pes Bononiensis constat partibus 1686, sive 1 pede, 2 pollicibus, & 6 partibus; brachium vero hujus urbis habet 2826 partes, sive 1 pedem, 11 pollices, 6 lineas.

Brachium Mutinense 2812½, sive 1 pedem, 11 pollices, 5 lineas ¼.

Parmense 2520, sive 1 pedem, 9 pollices, 9 partes.

Lucense 2615, sive 1 pedem, 9 pollices, 9 lineas, 5 partes.

Brachium item Senense 2667, sive 1 pedem, 10 pollices, 2 lineas & 7 partes.

Pes Mediolanensis 1760, sive 1 pedem, 2 pollices, 8 lineas. Brachium verò Mediolanense 2640, sive 1 pedem, 10 pollices.

Pes Ticini, *de Pavie*, 2080, sive 1 pedem, 5 pollices, 4 lineas. Brachium verò 2780, sive 1 pedem, 11 pollices, 2 lineas.

Pes Taurinensis 2274, sive 1 pedem, 6 pollices, 11 lineas, 4 partes.

Pes Lugdunensis 1515 & $\frac{2}{5}$ unius particulæ, sive 1 pedem, 7 lineas & $\frac{27}{50}$ Toisia hujus urbis 7 pedes ½. Ulna 3 pedes, 7 pollices, & 8 lineas, & 3 partes.

Huicce loco attexamus comparationem ejusdem Parisini pedis cum aliarum nationum pedibus, quæ reperitur in scripto Anglico Joannis Grævii de Romano pede, quod interpretatus est Gallicè Pelletarius & mensuris Parisinis aptavit calculos Grævianos. Supponit ille nobiscum pedem nostrum constare 1440 partibus. Grævius hos antiquos pedes Romanos, qui reperiuntur in monumentis Statilii & Cossutii, mensus est, & comparavit cum pede Anglico.

Pes Anglicus 11 pollicum, 2 linearum, & 8 partium lineæ. Est enim ex Grævio ad pedem Parisiensem præcisè ut numerus 1000 ad 1068 vel 250 ad 267.

Pes Romanus Cossutii in his Grævianis calculis est 10 pollicum, 10 linearum, 3 partium.

Pes alius Romanus, dictus Statilii, 10 pollicum, 11 linearum & $\frac{50}{89}$ partium decimarum unius lineæ.

Pes Romanus, qualem eum statuit Villalpandus, 11 pollicum, 9 partium unius lineæ & $\frac{239}{534}$.

Pes Græcus antiquus, nempe juxta Grævium, 11 pollicum, 3 linearum, & 8 partium unius lineæ cum $\frac{3959}{5340}$.

Pes Venetus 1 pedis, 1 pollicis, 6 partium lineæ $\frac{66}{89}$.

Pes Rhinlandicus, sive Leidensis, juxta Snellium, 11 pollicum, 7 linearum, 2 partium $\frac{72}{89}$.

Derah aut Deraga Cahiræ in Ægypto 1 pedis, 8 pollicum, 5 linearum, 9 partium $\frac{29}{89}$.

Arish Persarum 2 pedum, 11 pollicum, 11 linearum $\frac{50}{89}$

Magnum Pike Turcicum 2 pedum, 8 linearum, 6 partium $\frac{26}{89}$.

Parvum Pike Turcicum ad magnum est ut 31 ad 32.

Brachium Florentinum, *la brasse de Florence*, 1 pedis, 9 pollicum, 5 linearum, 4 partium $\frac{172}{267}$.

Brachium Neapolitanum 1 pedis, 11 pollicum, 7 linearum, 1 partium $\frac{41}{89}$.

Canna Neapolitana 6 pedum, 5 pollicum, 3 linearum, 6 partium $\frac{36}{89}$

Virga, *la barre*, freti Gaditani & Almariæ in Hispania 2 pedum, 7 pollicum, 1 partis lineæ $\frac{31}{89}$.

Palma Genuensis 9 pollicum, 1 lineæ, 8 partis $\frac{78}{80}$.

Ulna Antuerpiana 2 pedum, 11 pollicum, 7 linearum, 8 partium $\frac{54}{267}$.

Ulna Amstelodamensis 2 ped. 1 poll. 5 lin. 7 part $\frac{261}{267}$.

Ulna Leidensis 2 ped. 1 poll. 4 lin. 7 part. $\frac{51}{267}$.

In eadem collectione Mathematica Regiæ Academiæ reperiuntur mensuræ sequentes expositæ à

Picardo celebre Astronomo supposito pede Parisino, A partium 720, erit pes Rhinlandicus vel Leydensis ex propria observatione 696.

Pertica Rhinlandica continet 12 pedes.

Pes Londinensis ad me missus $675\frac{1}{2}$

Danus ex propria observatione $701\frac{8}{10}$

Ulna Danica continet duos pedes.

Dantiscanus ex proportione cum Leydensi lib. 1. Selenograph. Hevelii 636.

Lugdunensis Galliæ ex observatione D. Auzout $757\frac{1}{2}$

Bononiensis Italiæ ex observatione ejusdem 843.

Brachium Florentinum ex eodem & Mersenno 1290.

Brachium Florentinum dividitur in 20 solidos, B solidus in 3 grossos.

Pes Suecus mihi traditus $658\frac{1}{4}$

Pes Bruxellensis ad me missus $609\frac{1}{2}$.

Amstelodamensis ex Leydensi juxta Snellium 629.

Palmus Romanus Architect. ex propria observatione D. Auzout $494\frac{1}{4}$

Canna Architecta continet Palmos 10.

Pes Romanus Capitolii ex propria observatione, & D. Auzout 653 vel $653\frac{1}{2}$, meliùs ex Græco 652.

Numerus 652 pro pede Romano Capitolii exactè convenit cum pede Græco, qui ibidem prostat partium 679 juxta proportionem 24 ad 25, sed C quia ex Grævio Pes Anglus est ad Romanum ut 1000 ad 967 sequitur Romanum esse $653\frac{1}{2}$ in eo statu in quo est.

Pes Romanus Vilalpandi ex Congio juxta Ricciolum $653\frac{2}{15}$.

Nam ex Ricciolo Romanus est ad Bononiensem ut 120 ad 152, vel 15 ad 29, verùm si ex observatione D. Auzout, dictus Congius Vespasiani seu Farnesianus, continet aquæ fontanæ Trevianæ uncias 10 grossos 9, grana 24; proindeque Pes cubicus Congii octuplus sit librarum 54, unciarum 11, grossorum 2, & granorum 48, cum ex propria observatione Pes cubicus Parisiensis continet aquæ fontanæ libras 69, cum 9 unciis, 3 grossis, 22 granis, hinc supposita aquarum similitudine esset Pes Romanus Congialis ad parisiensem ut 663 ad 720.

Si Pes Romanus esset $664\frac{1}{3}$ erit ratio ut 13 ad 12, sicut unciarum ratio.

Sed Pes Romanus Statilii in Belvedere $655\frac{1}{2}$.

Pes Romanus in hortis Mattei $657\frac{1}{2}$.

Pes Romanus ex palmo $658\frac{3}{4}$, seu ferè proximè 659.

Vide Plin. lib. 7 cap. 2, Ghetaldum in Archimede promoto, ubi Palmus seu Spithama per dodrantem indicatur.

Romæ in pavimento Panthei lapidum quadratorum latera Parisienses pedes 9 cum lineis 8 continent quæ si Romanorum pedum 10 supponantur, erit pes Romanus 653.

Fascia marmorea ejusdem pavimenti lata ped. Paris. 2, cum pollicibus $8\frac{1}{2}$ quæ si fuerit 3 pedum Romanorum, erit pes Romanus 650.

Portæ ejusdem templi latitudo est pedum Parisinorum 18, cum pollicibus $4\frac{3}{4}$ hinc si supponamus dictam portam fuisse pedum Romanorum 20, erit Pes Romanus $661\frac{1}{5}$

Nota ex Grævio Anglo dictam portam esse pedum Londinensium 19 cum $\frac{602}{1000}$, unde sequeretur pedem Londinensem esse ad Parisiensem ut $674\frac{1}{3}$ ad 720, cum revera sit ut $675\frac{1}{2}$ ad 720, hinc igitur aut pedem Anglum mutatum fuisse, aut dictum Grævium usurpasse pedem Anglum justo minorem. Idem porrò arguitur & proportione brachii Florentini quam tradit.

Pyramidis Cestii basis latera pedes Parisinos habent $86\frac{1}{4}$, sed si ea supponamus passuum Romanorum 19, aut pedum 95 erit Pes Romanus $653\frac{1}{2}$.

In Arcu Septimi Severi columnarum diameter prope basim est pedis Parisini 1 cum 4, poll. $\frac{1}{4}$ quod accedit ad latitudinem fasciarum porphyreticarum in pavimento Rotundæ, seu Panthei, nempe 1 pedis cum pollicibus $4\frac{2}{3}$ pro sesquipede Romano.

Ex diametro columnarum erit Pes Romanus 650, ex fascia porphyretica $653\frac{1}{3}$

Longitudo penduli, cujus vibrationes singulis temporis medii secundis absolvuntur, observata Parisiis, Uraniburgi, Lugduni, in monte Setio & ad Pyreneos montes inventa fuit 36 poll. 8 lin. $\frac{1}{2}$, seu pollicum 36 cum $\frac{71}{100}$ ferè juxta pedem Parisiensem.

Longitudo Penduli juxta varias mensuras.

	Mensuræ variæ ad pedem Parisinum comparatæ.	Pollices seu unciæ.		Millesimæ partes Pollicis.
Pes Parisinus.	720	36	cum	708
Rhinlandicus.	696	37		974
Bononiensis.	843	31		352
Palm. Rom. Archi.	$494\frac{1}{4}$	35		42
Brach. Florent.	1290	20		480
Seu 1 Brach cum solidis 24 groff.		$0\frac{44}{100}$		
Pes Roman. Cap.	$653\frac{1}{4}$	40		459
	$653\frac{1}{2}$	40		443
	652	40		536
Ex Congio.	655	39		744
Sit Pollex Parisi $40\frac{1}{2}$ erit tunc Pes Romanus partium earumdem $652\frac{6}{10}$.				
Pes Anglus	$675\frac{1}{2}$	39		126
Seu Pollicum ferè, & quàm proximè		$39\frac{1}{2}$		

Hero Mechanicus in Isagoge.

Ὁ δὲ Ἰταλικὸς πούς δακτύλους ἔχει τρεῖς, καὶ δέκα καὶ τρίτον. Hinc Salmatius in exercitationibus Plinianis, pag. 684. arguit pedem alium fuisse 16 digit. in urbe; scilicet, alium in Italia digitorum $13\frac{1}{3}$ sed malè; loquitur enim Hero de pede Romano expresso in digitis Alexandrinis. Constat enim ex eodem Herone Alexandrinum fuisse ad Romanum ut 6 ad 5, seu ut 16 ad $13\frac{1}{3}$

Item Hyginus de limitibus constituendis. *In Germaniâ*, inquit, *& in Tungris Pes Drusianus habet monetalem & sescunciam.* Constat pedem Romanum in 12 uncias divisum hîc appellari monetalem. Unde si supponamus, pedem Romanum 655 erit Drusianus 747 major scilicet Parisiensi sed minor

Lugdunenſi. Sed ſi fuit Pes Romanus 653, erit A Druſianus 737 circiter.

Ibidem loquens de Cyrene: *Pes eorum qui Ptolemaicus appellatur habet monetalem & ſemunciam*, ſeu 25 ad 24, quemadmodum Græcus ad Romanum, quod non convenit cum Herone, niſi dicamus pedem Cyrenenſem minorem fuiſſe Alexandrino.

Item Hero Mechanicus in Iſagoge.

Milliare intelligo Alexandrinum ſtadia habet $7\frac{1}{2}$, *pedes philetereos, hoc eſt Alexandrinos ſeu Regios* 4500, *Italicos* 5400. Hinc ſequitur ratio pedis Alexandrini ad Romanum ut 6 ad 5, itemque ratio B Milliaris Alexandrini ad Italicum, ut 5400 ad 5000. nam Italicum fuit paſſuum 1000.

Nota Alhazenum dum tribuit terræ ambitui milliaria 24000 intelligendum de milliari Alexandrino.

Pro pede Arabico.

Juxta Albufedam 500 ſtadia & quidem Alexandrina, ut ſuppono, æquivalent milliaribus $66\frac{2}{3}$: ergo milliare Arabicum æquivalebit $7\frac{1}{2}$ ſtadiis, ſicut & milliare Alexandrinum ex Herone ſuprà citato. Ergo milliare Arabicum æquale Alexandrino. Sed in milliari Alexandrino dantur pedes Alexandrini 4500 & in Arabico 6000 Arabici: eſt igitur ratio C pedis Alexandrini ad Arabicum, ut 4 ad 3 ſeu Pes Arabicus erit dodrantalis ſeu ſpitama reſpectu pedis Alexandrini, hoc eſt 4 ad 3.

In Ægypto ſingula latera majoris Pyramidis ſunt pedum Anglicorum 693, ſeu Pariſienſium 650, hinc Ægyptius ad Pariſienſem ut 13 ad 12.

Nota Pariſiis anno 1668 facta eſt reformatio pedis Latomorum, quorum ſexpeda veram excedebat lineis 5: ulna Pariſienſis, alia *des Merciers*, continet pedes 3, pollices 7, lin. $10\frac{4}{5}$, alia *des Drapiers*, continet pedes 3, poll. 7, lin $9\frac{3}{5}$.

Prior æqualis eſt 4 pedibus Romanis, quorum ſinguli $658\frac{1}{2}$ partium, quarum Pes Pariſinus 720.

Canna Monſpelienſis continet pedes Pariſinos 6, cum pollice $1\frac{1}{2}$, dividiturque in octo palmos, vul- D go *Pans*, quorum ſinguli æquales ſunt palmo Romano mercatorum, quorum 8. in canna.

Pan Monſpelienſis continet 9 pollices, 2 lineas, $\frac{1}{4}$, ſicut Romanus mercatorum palmus.

Pedum comparatio & æquipollentia.

Alexandrini,	144
Græci,	125
Romani,	120
Arabici,	108
Pariſienſes,	131

SECTIO II. E

De ponderibus diverſarum nationum, quæ reducuntur à Grævio ad pondus Anglicanum, calculi verò Graviani ad Pariſina pondera.

Pondera conſiderantes diverſarum nationum, decet obſervare ſuperpondium quandoque addi; ita ut, verbi causâ, centumpondium ſeu centenarium Argentoratenſe, ut notat Eiſenſchmidius, non præciſè habeat 100 libras, ſed iis ſuperdondii loco addi libras 4; quâ ratione vix ſenſibiliter differt à centenario pariſienſi; vulgo *le Quintal*. Joannes Vuallis in capite XXXI. ſuæ Matheſeos univerſalis dicit de Anglicanis ponderibus *Conſenſu totius Regni Angliæ menſura Regia ſic conſtituta eſt, ut denarius Anglicus, qui vocatur ſterlingus, rotundus ſine abraſione pendeat triginta duo grana tritici benè exſiccata, & ex medio ſpicæ collecta: & viginti denarii conſtituant unciam: & duodecim unciæ conſtituant libram, & octo libræ conſtituant congium vini, & octo congii vini conſtituant modium Londinenſem, qui eſt octava pars quartarii. Juxta hanc conſtitutionem*, pergit loqui Vuallis, 32 *grana tritici pendent denarium.* 640 *grana pendent unciam.* 7680 *grana pendent libram (adeoque conſtituunt menſuram pintæ octavam partem congii.)* 61440 *grana conſtituunt vini congium; &* 491520 *grana conſtituunt modium.*

B Obſervandum eſt Anglos uti duplici librâ: unam appellant Trecenſem; nempe, ut diximus, quæ olim in uſu erat in nundinis Trecenſibus. Vuallis hanc Trojanam libram facit granorum 7680. Aliam libram Angli appellant *avoir du poids*, quâ res craſſas ſolent ponderare. Hæc major eſt duabus unciis, & ſemiſſe ferè quàm Trecenſis libra. Joannes Grævius loquens de diverſarum nationum ponderibus, initium ducit à pondere denarii Romani, qui ſignatus fuerit ante Cæſares; & ideò ſolet dici Conſularis, quia percuſſus ſub Conſulibus, antequam Imperium ceſſiſſet penes Cæſares. Plurimos & integros ponderavit Grævius, quos reperit æquiponderare granis Anglicis $62\frac{4}{7}$

C Uncia Romana ſive vetus, ſive hodierna eſt granorum, 438

Libra Romana hodierna & vetus granorum eorumdem, 5256

Libra Anglicana, quâ utuntur aurifabri, habens duodecim uncias, granorum eſt, 5760

Uncia æqualis ponderi quinque ſillingis novis, & duobus novis peningis, granorum eſt, 480

Libra Pariſina ſexdecim unciarum ponderat granis Anglicis, 7560

Hinc colligitur libram Anglicanam ſe habere ad Pariſinam ut 7680 ad 7560, ſive ut 64 ad 63.

Uncia ſive decima ſexta pars libræ Pariſinæ granorum eſt Anglicorum, $472\frac{1}{2}$

D Libra Hiſpanica uſitata in freto Gaditano talium granorum eſt, 7090

Altera libra Hiſpanica, quam in eodem loco exploravit Grævius, granorum erat, 7085

Libra Hiſpanica juxta Villalpandum non ponderat niſi Anglicis granis, 7035

Uncia Hiſpanicæ libræ, quæ ſexdecim eſt unciarum, 443

Intelligenda eſt uncia hujus libræ, quæ reperta eſt 7090 granorum.

Libra Veneta, habens duodecim uncias, pondus habet Anglicorum granorum, 5528

Uncia hujus libræ, $460\frac{2}{3}$

Libra Neapolitana duodecim unciarum pondus habet Ang. gran. 4950

E Uncia vero ejus, $412\frac{1}{2}$

Libra Florentina, Piſana, Ligornienſis, omnes duodecim unciarum gran Ang. 6286

Idcirco harum librarum ſingulæ unciæ, $440\frac{1}{2}$

Libra Senenſis duodecim unciarum ponderat gran. Ang. 5178

Idcirco uncia ejus, $431\frac{1}{2}$

Oce ſive Ocia Conſtantinopolitana conſtans 400 drachmis argenteis ponderat granis Ang. 19128

Drachmæ autem argenteæ, $47\frac{41}{50}$

Rotula Cahiræ, quà utuntur Aurifices, habens 144 drachmas, gran. Angl. $6886\frac{2}{25}$

Rotula Damaſcena 720 drachmarum, quâ expenditur pondus ſericorum filorum, eſt granorum

Anglicorum, $34430\frac{2}{5}$ A

Hæc pondera ſic granorum Anglicorum numero reducit Pelletarius ad Pariſina grana, qualia continentur in uncia 576 & in libra ſexdecim unciarum 9216.

Denarius Conſularis,	$75\frac{183}{315}$
Libra Romana vetus & nova,	6407
Uncia Romana vetus & nova,	$533\frac{53}{35}$

Hactenus ex Grævio; quæ autem ſequuntur ſumpta ſunt ex Auzoutio in Ephemeridibus anni 1696.

Libra Romana hodierna duodecim unciarum, continet 10 uncias Pariſinas cum 7 groſſis, 12 granis, ſive eſt 6276 granorum Pariſinorum. Sic uncia Romana levior eſt Pariſinâ 53 granis; ſive reperitur 523 granorum. Marinus Merſenus facit eam leviorem noſtrâ Pariſinâ granis 45. B

Libra Anglicana Aurificum,	$7021\frac{133}{189}$
Uncia Anglicana,	585
Libra Hiſpanica,	8643
Uncia Hiſpanica, quales ſunt ſexdecim in iſta libra,	540
Altera libra Hiſpanica,	$8636\frac{180}{189}$
Libra Hiſpanica juxta Villalpandum,	8576
Libra Veneta duodecim unciarum,	$6738\frac{846}{945}$
Uncia Veneta,	$56\frac{1}{2}$
Libra Neapolitana duodecim unciarum,	603[illegible] $\frac{54}{189}$
Uncia Neapolitana,	$502\frac{162}{189}$
Florentina libra, Piſana, Ligornienſis duodecim unciarum,	$6445\frac{837}{945}$ C
Unciæ ſingulæ harum librarum,	53[illegible] $\frac{936}{945}$
Libra Senenſis duodecim unciarum,	$6312\frac{216}{945}$
Uncia Senenſis,	$526\frac{18}{945}$
Uncia Genuenſis,	$464\frac{306}{945}$

Oce ſive Ocia Conſtantinopolitana, habens 400 drachmas argenteas, ponderat granis Pariſinis, quibus ſupradictas libras & uncias expendimus, $23317\frac{891}{945}$

Drachma argentea uſitata Conſtantinopoli, in Perſide, & pluribus Orientis regionibus, $58\frac{258}{875}$

Rotula Cahiræ centum quadraginta quatuor drachmarum, $8394\frac{434}{945}$ D

Rotula Damaſcena ſeptingentarum & viginti drachmarum, $41973\frac{402}{875}$

Juxta Eiſenſchmidium uncia Argentoratenſis, *Strasbourg*, æqualis eſt $554\frac{3}{8}$, vel ſi mavis uti rotundiore numero, $554\frac{1}{2}$ granis Pariſienſibus.

Uncia vero Colonienſis continet $550\frac{1}{4}$ grana Pariſienſia.

SECTIO III.

De diverſis nummis, qui per Europam frequentiori ſunt in uſu, & eorum cum Gallicis nummis comparatione.

Pondera tantummodò indicamus noſtrorum & exoticorum nummorum; valor enim eorum expreſſus libris Turonenſibus in dies mutatur. Ita vix abſolverim haſce tabulas, ut novæ eſſent conficiendæ. Quæque gens pro lubitu auget aut minuit pretium nummorum, quibus utitur; ita ut non alia ratione poſſint comparari inter ſe, niſi quoad pondus. Supponuntur ex eadem materia conflati, & quæ eoſdem gradus puritatis habeat; *qui ſoient un même titre*; quod non pariter obſervatum eſt in omnibus Regnis. Edicto Regio anni 1641. ſic definita ſunt pondera nummorum ſequentium. Valor etiam notatur, & exprimitur libris Turonenſibus; ſed quia ſubinde mutatur, non putavi exſcribendum. E

Nummorum aureorum in Galliâ pondus.

Le Loüis d'or peze deux deniers, quinze grains, c'eſt-a-dire, 63 grains. C'eſt ce que nous appellons à preſent le demy-Loüis.

Le double Loüis 5 deniers, 6 grains, ou 126 grains. C'eſt ce que nous appellons le Loüis.

Le quadruple 10 deniers, 12 grains, ou 252.

Ecu ſol 2 deniers, 15 grains, ou 63 grains.

Le demy Ecu d'or 1 denier, 7 grains, ou $32\frac{1}{2}$ grains.

Ecu couronné 2 deniers, 14 grains, ou 62 grains.

Le demy 1 denier, 7 grains, ou 31 grains.

Franc à pied & à cheval 2 deniers, 20 grains, ou 68 grains.

Royal d'or 2 deniers, 20 grains, ou 68 grains.

Double Henry 5 deniers, 17 grains, ou 137 grains.

Nummi argentei Francici.

Loüis 21 deniers, 8 grains, ou 512 grains.

Le demy 10 deniers, 16 grains, ou 256 grains.

Le quart 5 deniers, 8 grains, ou 128 grains.

Le douziéme 1 denier 18 grains & demy, ou $42\frac{2}{3}$ grains.

Le Franc d'argent 11 deniers, 1 grain, ou 265 grains.

Le quart d'Ecu 7 deniers, 12 grains, ou 180 deniers.

Le Teſton 7 deniers, 10 grains, ou 178 grains.

Le Teſton de Dombes meme poids.

Aurei nummi exotici.

Le double Ducat à deux têtes d'Eſpagne & de Flandre 5 deniers, dix grains; ou 130 grains.

Piſtole d'Eſpagne 5 deniers, 6 grains, ou 126 grains.

Saint Eſtienne, ou Milleres de Portugal, 6 deniers, ou 144 grains.

Portugaiſe ou quadruple 9 deniers, 12 grains, ou 228.

Milleret à la petite croix 2 deniers, 17 grains, ou 65 grains.

Milleret à la longue croix 2 deniers, 17 grains, celui cy n'eſt pas de ſi bon or.

Noble à la roſe d'Angleterre 6 deniers, ou 144.

Noble Henry d'Angleterre 5 deniers, 10 grains, ou 125 grains.

Angelot d'Angleterre 4 deniers; ou 96 grains.

Jacobus d'Angleterre & Ridre de Hollande viel 7 deniers, 20 grains, ou 188 grains.

Le nouveau Jacobus 7 deniers, 2 grains ou 170 grains.

L'Imperial de Flandre 4 deniers, 4 grains, ou 100 grains.

Real de Flandre 4 deniers, 4 grains, ou 100 grains.

Albertus de Flandre 4 deniers, ou 96 grains.

Souverain de Flandre 6 deniers, 12 grains, ou 156 grains.

Ecu Reine de Flandre 2 deniers, 15 grains, ou 63 grains.

L'Ecu Philippe même poids.

L'Ecu d'Ecoſſe même poids.

Piſtoles d'Italie, de Rome, Boulogne, Milan, Veniſe, Florence, Parme, Savoye, Dombes, Orange, Beſançon, 5 deniers, 4 grains, ou 124 grains.

Ecu

Ecu d'Italie, de Rome, Boulogne, Ferare, Lucques, Sienne, Veniſe, Genes, Valence, Dombes, la Mark, Savoye, Geneve, 2 deniers, 14 grains, ou 62 grains. A

Piſtoles de Lorraine 5 deniers, 4 grains, ou 124 grains.

Piſtoles de Liege & de Spinola 5 deniers, 4 grains, ou 124 grains. Ces monnoyes n'ont pas la même valeur, quoyque d'un même poids, parce qu'elles ne ſont pas egalement bonnes.

Ecu de Liege 2 deniers, 14 grains, ou 62 grains.

Florin de Mets de même poids.

Ridre de Friſe, de Gueldres 2 deniers, 15 grains, ou 63 grains.

Florin Real 2 deniers, 14 grains, ou 62 grains. B

Ducats de l'Empire, d'Hongrie, de Veniſe, de Savoye, de Parme, Salsbourg, de Pruſſe, de Friſe, des Provinces Unies, Ferrare, Turquie 2 deniers, 17 grains, ou 65 grains Le Sultanin Turc, ou le Scherif d'Egypte, pieces d'or, poids d'Angleterre, peze $53\frac{1}{2}$ grains, & poids de Paris $65\frac{207}{545}$ grains.

Nummi exotici argentei.

Pieces de 8 Reales d'Eſpagne 21 deniers, 8 grains, ou 512 grains.

Ducaton de Milan 1 once, 1 denier, ou 577 grains.

Pieces de Milan 21 denier, 12 grains, ou 512 grains. C

Ducaton de Florence, de Savoye, de Veniſe, de Parme 1 once, 1 denier, 8 grains, ou 608.

Ducaton de Flandre 1. once, 1 denier, 8 grains, ou 608 grains.

Ducaton d'Avignon 1 once, ou 576 grains.

Pieces d'Avignon, ou du Pape 2 deniers, 9 grains, ou 57 grains.

Patagon de Flandre 22 deniers, ou 528 grains.

Pieces des Provinces Unies, Dalles au lion 21 deniers, ou 504 grains.

Pieces de Zelande à l'aigle 15 deniers, 12 grains, ou 372. grains.

Pieces de Friſe gros bonnet 14 deniers, ou 336 grains. D

Pieces de Liege 13 deniers, 12 grains, ou 324.

Dalle de l'Empire 22 deniers, ou 528 grains.

Teſton d'Orange 7 deniers, 10 grains, ou 178 grains.

Vieux Teſton de Lorraine & de Mets 7 deniers, 14 grains, ou 182 grains.

Teſton du Cardinal de Lorraine 6 deniers, 15 grains, ou 159 grains.

Teſton de Dole 6 deniers, 12 grains, ou 166.

Teſton de Bezançon même poids.

Chelin d'Angleterre 4 deniers, 12 grains ou 108.

Pieces de Flandre 4 deniers, ou 96 grains.

Real de Flandre 2 deniers, 10 grains, ou 58 grains. F

Pieces de Zelande 1 denier, 6 grains, ou 30 grains.

Gros de Lorraine 10 deniers ou 240 grains.

Ex quo tempore confeci has tabulas mutatio fieri contigit in noſtrâ re monetariâ, quam mutationem paucis verbis indicare viſum eſt. Anno 1709. menſe Aprili datum eſt Pariſiis edictum de cudendis novis nummis, quod ſequenti menſe correctum eſt altero edicto menſis Maii die decimâ quartâ; quo cuſi ſunt nummi aurei & argentei, tum pondere ſuo, tum forma ſive ſigno impreſſo diverſi ab iis qui hactenus in uſu fuerant, quorum pondus in hoc præſenti articulo aſſignavimus. Pondus aureorum ſtatutum eſt ſex denariorum, novem granorum cum tribus quinque partibus unius grani, nempe granorum $153\frac{3}{5}$ Cum ergo marca habeat 4608 grana, ex una marca conflati ſunt triginta nummi aurei; diviſo enim numero 4608 per $153\frac{2}{3}$. Quotus numerus eſt triginta. Argenteorum pondus ſtatutum eſt præcisè unius unciæ; ſic ex unâ marcâ conflati ſunt octo nummi, quot in marcâ unciæ ſunt.

Eodem edicto Regio præſcribitur titulus materiæ, videlicet quantum inferioris materiæ admiſcere liceat. *Les Loüis d'or ſeront au titre de 22 Karats*; quæ verba ſic interpretantur monetarii, ut illi nummi probentur modo ſint *à 21 Karats*, $\frac{22}{32}$ *juſques à 22 Karats*; hoc eſt modo non in illis ultra duas partes ex viginti quatuor, ſint inferioris materiæ. Diximus Karactas ſubdividi in diverſos gradus. Præſcribitur edicto ut nummi aurei ſaltem habeant 21 Karats & $\frac{22}{32}$ nempe viginti duas partes unius Karactæ diviſæ in triginta duas partes. Cætera quæ deficiunt à 22 Karats conceduntur monetariis in remedium, ut ipſi loquuntur, neque enim poſſunt adeo præcisè obſervare legem. Propterea addit edictum, *Les Loüis d'or ſeront au titre de 22 Karats au remede de poids de douze grains, & de dix trente-deuxiémes de fin par marc.* Titulus nummorum argenteorum ſtatuitur d'*onze deniers de fin au remede de poids de trente-ſix grains & de trois grains de fin par marc.* Sic interpretantur monetarii, ut lex illis indulgeat conflare hos nummos *de dix deniers vingt-deux grains.* Ibi denarios accipimus pro gradibus puritatis ad quos excoquitur argentum, ut ſupra ſignificatum eſt cap. 11.

SECTIO IV.

De capacitate vaſorum, quorum frequentior eſt uſus apud vicinas Galliæ regiones.

Mirum quanta ſit vaſorum diverſitas, non ſolùm in quibuſque Regnis, ſed & in ejuſdem regionis vicis. Tantam diverſitatem numerare nec vacat, nec utile eſt. Ut ſcriptum noſtrum aliis proſit, & proſint nobis aliorum ſcripta, ſufficit in inſtituendâ comparatione ſuſceptâ menſurarum cavarum, illas revocare ad vaſa quadratæ formæ, quam pedes uſitati, metiantur. Grævius in pede Pariſino numetat 1068 partes, quales mille ſupponit in Anglico. Ita pollex Pariſinus tales habet 89 quales $83\frac{1}{3}$, pollex Anglus, ſive pars duodecima pedis Angli. Poteſt ergo inde deduci quam habeant vaſa Anglica cum Pariſinis rationem; modò Anglicorum dimenſiones certò innoteſcant. Quantùm fieri poteſt vaſa quæque reducenda ad formam cubicam; & in primis explorandum quæ ſit vel pedalis cubi, vel ſaltem pollicaris cubi capacitas; quâ cognitâ poſteà facile inſtituitur comparatio inter diverſarum regionum menſuras. Juvat autem prius inquirere in pondus vini, cujus capax eſt dictum vas cubicum. Vidimus aquam quæ in pede cubico Pariſino continetur ponderare circiter libras Pariſinas 70 aut 71. Cubici pollices $165\frac{1}{2}$ capiunt tres pintas $\frac{1}{2}$, cùm verè æſtimatur $47\frac{2}{7}$ pollicum, nam ſi habeatur 48 pollicum, ut vulgaris opinio ferebat, tres illæ pintæ cum dimidiâ facerent 168 pollices. Qui vulgarem opinionem ſequebantur, pintam eſſe 48 pollicum ſtatuebant aquæ fontanæ plenam ponderare 2 libras, unciâ minus & 41 granis, ſive 17814 granis $\frac{1}{2}$, aut unam libram quatuordecim uncias, & circiter ſeptem groſſos, ſed cum vino impleretur ponderare unam libram, quatuordecim uncias, duos groſſos cum dimidio groſſo; quod ſi verum eſt, ponderis aquæ & vini diverſitas ſit $\frac{1}{10}$. Huc adduci potuiſſet forma vaſorum, quibus utitur quæcumque re-

gio, ſed hæc ad rem non pertinent.

CAPUT IV.

De menſuris antiquis Romanorum; & ratione quam inter ſe habent.

SECTIO I.

De menſuris longis Romanorum, ſive de his quas adhibebant, metientes intervalla.

POſt hodiernas menſuras locorum quæ incolimus, aut quæ in viciniâ noſtrâ ſunt, cognitu faciliores ſunt Romanæ. Præterquam enim a pluribus expoſitæ, multa adhuc extant monumenta, quorum ope comparari poſſunt cum noſtratibus. Verum prius componamus illas inter ſe, initium ducentes à longis, quarum notio cæteris facem præfert. In longitudinibus ſive in intervallis dimetiendis adhibuerunt populi varii varias menſuras; utentes propriis ſui corporis partibus, cùm non aliæ ſunt ad manum menſuræ, pede, paſſu, digitis, palmo, cubito, ulnis, totâ ſuâ ſtaturâ, ut obſervatum eſt. Non eadem autem eſt omnibus hominibus ſine ullo diſcrimine menſura membrorum, quapropter in Rebuſpublicis bene ordinatis ad ſecandas lites, quantitas partium corporis, definita eſt. Suppetunt abunde veterum auctorum teſtimonia, qui luculenter ſignificaverunt quam apud Romanos hæ menſuræ habuerint inter ſe rationem.

Prima & minima menſura erat illis tranſverſus digitus; nempe latitudo digiti: inde natum proverbium, *Non licet tranſverſum digitum diſcedere*, pro nec minimo licet intervallo diſcedere. Sunt qui dividunt digitum in grana hordei ſecundùm latitudinem ſuam conjuncta. Septem grana numerant in pollice, quinque in indice, tot in medio, quatuor in ſubſequente. Alii aliter. Horum granorum non fit mentio ab antiquis Scriptoribus. Apud illos nec frequens erat uſus pollicis. Nominatur tamen à Plinio Lib. XV. 24. ubi loquitur de ſiliquis. *Digitorum hominis longitudo illis, & interim falcata pollicari latitudine.*

Solebant Romani tranſverſâ manu metiri, ſcilicet quatuor conjunctis digitis: ſpatium autem quatuor tranſverſorum digitorum palmus dicebatur; qui diſtinguendus à palmâ manûs. Palma capit majus intervallum, nempe quod eſt ab articulo manus ubi illa jungitur cum brachio, uſque ad extremum medium digitum. In pede numerat Vitruvius quatuor palmos, & ideo ſexdecim digitos: in cubito ſex palmos, & ideo viginti quatuor digitos. Itaque cubitus eſt æqualis pedi cum ſemipede. Vidimus pedem ab hocce Auctore ſtatui ſextam partem ſtaturæ hominis, cubitum quartam.

Omnem quantitatem integram Romani *aſſem* vocabant. Ita ſicuti aſſem, pondus de quo poſtea fiet ſermo, in duodecim uncias; ſimiliter & pedem dividebant, ſimilibuſque nominibus ſignificabant partes hujuſce diviſionis. Exempli causâ, digitum cum tertiâ parte digiti, quales in pede erant ſexdecim, appellabant unciam, id eſt, pedis partem duodecimam. Inde litteræ illæ appellatæ ſunt unciales, quas menſurabat pars duodecima pedis. De his litteris loquebatur Hieronymus, cùm dicit in Præfatione in Librum Job *Habeant qui volunt veteres libros, vel in membranis purpureis auro, argentoque deſcriptos: vel uncialibus, ut vulgò aiunt, litteris, onera magis exarata quàm codices: dummodò mihi meiſque permittant pauperes habere ſchedulas, & non tam pulchros codices, quàm emendatos.* Sic appellabantur ætate B. Hieronymi litteræ unciales, quæ longitudine unius duodecimæ partis, ſive unius unciæ pedis intervallo extendebantur. Uncia erat una pars totiûs. Duæ partes dicebantur *ſextans*; quia ſexies erant in toto, ſive erant ſexta pars ejus. Tres unciæ vocabantur *quadrans*, quia quarta pars. Quatuor unciæ, ſive quatuor partes *triens* dicebantur, quia tertia pars. Quinque unciæ ſunt *quincunx*, à *quinque* & *unciæ*. Sex unciæ, *ſemiſſis* quaſi *ſemiaſſis*; quia *as* nomen eſt rei integræ. Septem unciæ *ſeptunx*, à *ſeptem* & *uncia*. De cæteris ſic loquitur Varro lib. 4. de linguâ Latinâ. *Reliqua obſcuriora, quòd à diminutione: & ea quæ diminuuntur, ita ſunt, ut extremas ſyllabas habeant; ut à duodecim una dempta uncia, deunx, dextans, dempto ſextante, dodrans, dempta quadrante. Bes, ut olim, des, dempto triente.* Quia bes ſignificat octo uncias, ideò marca ſive ſelibra noſtra à quibuſdam ſic nominatur ut obſervavimus. Hiſce vocibus appellatas partes pedis Romani conſtat multis veterum Scriptorum teſtimoniis. Craſſitudo quadrantalis habebat tertiam partem pedis. Beſſales laterculos appellat Vitruvius qui unciarum octo latitudinis eſſent.

Majores menſuræ ſunt, *Paſſus* ſive greſſus, qui eſt intercapêdo duorum pedum hominis progredientis; à paſſis ſcilicet & diductis pedibus. Sunt qui diſtinguant duplicem paſſum; alium ſimplicem, quem faciunt quadraginta digitorum, ſive duorum pedum & ſemipedis; alium compoſitum octoginta digitorum, ſive quinque pedum. De hoc paſſu accipiendus locus Plinii libro 11. cap. 23. ubi de ſtadio loquitur. *Stadium centum viginti quinque noſtros efficit paſſus, hoc eſt pedes ſexcentos viginti quinque.* Quinquies autem centum viginti quinque paſſus efficiunt pedes ſexcentos viginti quinque. Stadium erat menſura uſitata Græcis, de quâ diſſeremus ſuo loco.

Mille paſſus conſtituebant *Milliarium*. Itaque in milliario octo ſtadia erant; nam octies centum viginti quinque faciunt mille. Itali milliaria ſua diſtinguebant lapidibus. Ita *primus ab urbe lapis*, in eorum ſcriptis, idem eſt ac *primum ab urbe milliarium*. Sic accipienda verba hujuſce Epigrammatis ex libro X. Martialis.

Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum.
Ad quartum breve rus emit Octacilius.

Lapides illi ad ſignanda milliaria dicuntur eſſe inventum C. Gracchi, de quo hæc Plutarchus in vitâ ejus. *Ad hæc viam omnem per milliaria dimenſus (capit autem paulò minus octo ſtadia milliare) columnas lapideas, ſpatii ſignandi causâ, locavit.* Res viſa eſt utilis ſequentibus ſæculis, & viri Principes Gracchum imitati ſunt. Ad iſtas columnas lapideas viam dimetientes alludit Rutilius Numatianus in Itinerario canens.

Intorvalla viæ feſſis præſtare videtur
Qui notat inſcriptus millia crebra lapis.

Auguſtus vero Imperator erexit *Milliarii aurei* columnam in capite fori Romani, quod in mediâ eſt urbe, ſub æde Saturni. Hanc totam inauravit, atque inde per milliaria viarum publicarum dimenſiones inchoari & numerari juſſit: hinc nomen dicta columna accepit *Milliarii aurei*; cujus meminêre Scriptores vitæ Auguſti. *Tunc autem ipſe Auguſtus*, inquit Dion Caſſius libro LIV. *viarum, quæ ſunt circa Romam, curator conſtitutus, milliarium aureum: quod vocatur, fecit.* Uſum ejus docet Plutarchus in vitâ Galbæ; quod in eam colum-

nam omnes Italiæ viæ militares desinerent & com- A peterent. Inter mensuras Romanas numeratur pertica; quæ proprie Romanus baculus est oblongus, quo fructus decutiebantur. Sed & regula erat, quâ agros metiebantur; non alia quàm decempeda, quâ major non memoratur iu dividendis agris. Rationem enumeratarum mensurarum exponit sequens tabula.

Milliare.	8	500	1000	2000	$3333\frac{1}{3}$	5000	20000	80000
	Stadium.	$62\frac{1}{2}$	125	250	$416\frac{2}{3}$	625	2500	10000
		Pertica.	2	4	$6\frac{2}{3}$	10	40	160
			Passus Geometricus	2	$3\frac{1}{3}$	5	20	80
				Passus simplex.	$1\frac{2}{3}$	$2\frac{1}{2}$	10	40
					Cubitus.	$1\frac{1}{2}$	6	24
						Pes.	4	16
							Palmus.	4

Quæcumque ex illis dictis mensuris sumi potest vel juxta unam vel juxta alteram & tertiam dimensionem. Pes, verbi gratiâ, 1. *porrectus* dicitur, quo metimur longitudinem. 2. *Quadratus*, longus & latus in quatuor angulos se extendit. 3. Pes cubicus similis tesseræ ille est cui tres competunt dimensiones, omnes æquales. Apud Scriptores Latinos pes quadratus vulgò idem est ac cubicus. Quadrantal erat vas cubicum, cujus latera singula erant unius pedis. In agris metiendis decempedæ, quæ erat pertica decem pedum, frequentior usus erat; unde à Cicerone metator appellatur *decempedator*. Portiones agrorum sunt jugera, actus Jugerum erat in longitudine pedum 240. Actus vero 120; utriusque latitudo 120, ut docet Plinius libro XIX cap. 3. *Jugerum vocabatur, quod uno jugo boum in die exarari posset. Actus in quo boves agerentur, cùm aratur uno impetu justo. Hic erat CXX. pedum: duplicatusque in longitudine jugerum faciebat.*

Ulnæ longitudo videtur incerta. Nomen factum ex ὠλένη, quod πῆχυν *cubitum*, Pollux & Glossæ E Philoxeni, interpretentur βραχίονας Hesychius. Itaque ulna proprie de eubito seu brachio dicitur; unde ut cubiti vox, sic & ulnæ nomen ad mensuram translatum: secundùm alios, ut notat Servius, ulna est spatium in quantum utraque manus extenditur, sive utriusque manus extentio, vernacule *brasse*,

SECTIO II.

De mensuris cavis sive vasis, quibus fruges, & res omnes aridas, tum etiam vinum, oleum, aliosque liquores Romani metiebantur.

Multi refert, ut vidimus, vasa, pondera, mensurasque omnes revocare ad illas quæ exprimi possunt ductis lineis Res est confecta de Romanorum mensuris cavis, quas nunc expositutri sumus. Mensura quæ amphora dicebatur, vas erat cavum simile tesseræ, pedalis dimensionis, ideò dictum quadrantal. Ab hocce vase initium sumemus, & ad illud omnem de cæteris vasis sermonem referemus. Describitur amphora à Rhemnio Fannio, B quem jam allegavimus.

Pes longo spatio atque alto, latoque notetur,

In vulgatis editionibus sic legitur ille versus.

Pes longo spatio, latoque notetur in Anglo.

Ineptus fuit, ait Elias Vinetus, qui cum notis edidit Fannium, qui hoc *in Anglo* subjecit ad complendum versum, quem sic mancum invenerat.

Pes longo spatio latoque notatur.

Petrus Daniel Aurelianensis codicem antiquum miserat ad me, ait Vinetus, in quo etiam mutilus erat hic versus, sicut in omnibus aliis antiquissimis. Pergit Fannius describere Amphoram.

Pes longo spatio atque alto, latoque notetur:
Angulus ut par sit, quem claudit linea triplex:
Quatuor & quadris medium cingatur inane, C
Amphora fit cubus. Quam ne violare liceret
Sacravêre Jovi, Tarpeio in monte, Quirites.

Ne quis verò dicat hanc descriptionem amphoræ esse figmentum, audiamus Sextum Pompeium Festum, qui in libris de verborum significatione, ad vocem *quadrantal*, similiter describit amphoram. *Quadrantal vocabant antiqui, quam ex Græco ἀμφορὰν dicunt, quod vas pedis quadrati, octo & quadraginta capit sextarios.* In onomastico *quadrantal redditur* κάδος, *Amphora*, ait Isidorus Hispalensis, *recipit vini vel aquæ pedem quadratum.* Itaque tamquam certo principio inniti possumus his quæ de amphorâ Fannius cecinit, illam esse tesse- D ræ similem, sive fuisse cubicam; cujus latera omnia essent pedis, nempe Romani. Fannius ideo dignus fide videtur, quia mensuras Romanas diligentius expenderat; neque enim sermonem de illis non exactum suscepisset astringere carminis legibus: quæ leges etiam nos certiores faciunt de integritate scripti ejus; quia non tam facile corrumpuntur versus quàm pedestris sermo.

Omnium mensurarum, quæ ad liquores metiendos Romæ adhibebantur, *culeus* capacissimus fuit. Vas erat è corio viginti amphorarum, ut cantat Fannius.

Est & bis decies, quem conficit amphora nostra
Culeus: hac nulla est major mensura liquoris.

Amphora erat pars vigesima *culei*; media Medimni, quo res aridæ mensurabantur. Amphora sub se habebat duas urnas, vel tres modios. *Urna* vini, *modius* frugum mensura erat. Hanc divisionem carminibus suis celebravit Fannius.

Hujus dimidium fert urna, ut & ipsa Medimni
Amphora: terque capit modium: sextarius istum
Sedecies haurit, quot solvitur in digitos pes.

Scilicet modius continebat sexdecim sextarios, quot digiti sunt in pede. Vidimus pedem Romanum constare sexdecim digitis. Urna habebat ex eodem Poeta quatuor congios; ità amphora duplo major, octo congios. In congio erant sex sextarii Congius autem cùm esset vas usitatum magis, pars ejus sexta dicebatur simpliciter *sextarius*. Nempe cùm

nominabatur sextarius, intelligebatur pars sexta congii Hoc est quod dicit Fannius.

E quo sextarI nomen fecisse priores
Crediderim, quòd eos capiat sex congius unus.

Pars dimidia sextarii erat Hemina.

Heminas recipit geminas sextarius unus.

Hemina, inquit Festus, ex Græco *ἥμισυ quod est dimidia pars sextarii.* Vossius deducendum putat ab *ἡμι* semis: ut syllaba *na* sit vocis productio. Sextarius continebat duodecim cyathos. Cyathus vas est potorium; quod & numeratur inter mensuras. Subjiciam oculis rationem horum vasorum, ut memoriæ faciliùs defigatur, aut ubi opus est, revocetur citiùs.

1	Hemina							
6	1	Sextarius.						
12	2	1	Congius.					
72	12	6	1	Modius.				
192	32	16	$2\frac{2}{3}$	1	Urna.			
288	48	24	4	$1\frac{1}{2}$	1	Amphora.		
576	96	48	8	3	2	1	Medimnus.	
1152	192	96	16	6	4	2	1	Culeus.
11520	1920	960	160	60	40	20	10	1

Jam significavimus omnem integram quantitatem, sive porrectam, sive cavam *Assem* vocari à Romanis; quæ sub se haberet duodenas partes. Ergo cùm haberent sextarium veluti assem, in eo numerabant duodecim partes. Cyathus autem erat sextario, quod uncia pedi, vel libræ. Cyathis metiebantur in conviviis pocula, appellantes iisdem nominibus, quæ partibus assis propria essent. Verbi causâ, *sextantem* vocabant calicem duorum cyathorum: *quadrantem*, calicem trium cyathorum, *trientem* quatuor, *quincuncem* quinque, *semissem* sex, *septumcem* septem, *bessem* octo, *dodrantem* novem, *dextantem* decem, *deuncem* undecim, nempe cyathorum. Quibus nominibus non semel usus est Martialis. Ita libro XI Epigrammate 37.

Quincunces & sex cyathos, bessemque bibamus.

Sub sextario & erant alia vasa minora. Dividebatur ille in duas heminas, quæ & cotylæ dicebantur; & in octo *acetabula*, sive *oxibapha*. Acetabulum capiebat sesquicyathum, id est, unum cyathum cum dimidio cyatho. Sextarius & in quatuor quartarios dividebatur. Quartarius erat heminæ dimidium; ita ut in sextario quatuor quartarii continerentur. Minimum vas, seu mensura omnium minima erat *cochlear* seu *ligula*, vel ut imperitè quidam scribunt, lingula, serviebatque ad jusculа in mensis, nempe ad liquidiores cibos hauriendos; eratque quarta pars cyathi. Cochlear habebatur in vasis, quod *scrupulus* in ponderibus, inquit Fannius.

Cochlear extremum est, scrupulique imitabitur instar.

In duodecim uncias, ut sextarius, divisus erat; & quædam vasa alterius mensuræ simili duodenâ divisione dividebantur. Totum vas appellabatur libra, lineis autem distinguebatur in duodecim partes. Ita distingui solet duplex libra; alia ponderalis, de quâ agemus in sequenti Sectione; alia mensuralis. De istâ librâ allegatur locus Galeni ex tertio libro de compositione medicamentorum. *Est*
B *autem apud Romanos mensura, quâ oleum metiuntur, intersecta lineis dividentibus totum in duodecim partes: atque mensura integra vocatur ab eis libra, duodecima ejus pars uncia.* Et ex libro sexto. *Ego tamen oleι libram Romæ nuncupatam, quam intersectis cornibus metiuntur*, vasis è cornu utebantur, *appendi aliquando; cupiens scire quantùm ponderis haberet. Inveni verò duodecim uncias mensurales, decem ponderalibus æquales.* Vasa dant æstimandam solam molem liquorum qui in illa infunduntur; moles enim spatio, quod occupat, circumscribitur & definitur; librâ explorandum pondus liquoris, qui infusus fuerit in quoddam vas; verbi causâ, quod sit pondus vini, vel aquæ, cujus
C capax est congius. Hocce pondus definiebant leges. Festus in verbo *publica pondera* profert plebiscitum, quod rogatum est à Tribunis plebis duobus Sillis Mario & Publio, hac formulâ. *Q. duo Sills P. & M. Tribuni pleb. rogarint his verbis. Ex ponderibus publicis, quibus hac tempestate populus œtier qui * solet. uti coæquetur sedulum, ut quadrantal vini octoginta pondo fiet: Congius vini decem P, fiet. Sex sextarii congius fiet vini. Duodequinginta sextarii quadrantal fiet vini. Sextarius æquus æquo cum librario fiet.*

Hisce vasis publicis, adscribebatur pondus liquoris, cujus essent capacia; ut videre est in æreo congio quem Lucas Pætus, dum rem mensurariam
D tractaret, ait ad se allatum ex pretiosissimo promptuario Cardinalis Farnesii. Integer admodum erat congius ille nisi quod ab altera parte, quâ obrutus terram attigerat, paululùm ab ærugine prærosus erat. Hujus exemplar in calce sui operis exhibuit Pætus. Reperitur etiam in tomo tertio Villalpandi. Hîc suâ formâ, & mensuris expressum & cum suâ inscriptione ponimus ob oculos. *Tab. I.*

Duos alios congios æneos ejusdem formæ Villalpandus dicit à se visos Romæ, primum, de cujus antiquitate nullus jure dubitavit apud Odoardum Cardinalem Farnesium. Is est, inquit Villalpandus, ex orichalcho ductili, cujus inscriptio, lineæ, ac signa omnia omnia ita sunt integra, ac perspicua, ac si nunc denuo deductus efformatusque
E fuisset. Alterum vas ejusdem mensuræ oblatum sibi narrat: Congius erat fusilis ex ære, quod vulgò dicitur *Bronze*, exteriùs affabrè elaboratus, sed alterâ ex parte exesus; ita ut refossus fuisse videretur ex antiquorum ædificiorum ruinis. Fatetur tamen Villalpandus suspectum fuisse sibi hunc congium, quem solers artifex potuerat recens conflare ad imitationem Farnesiani. Quidquid sit, utriusque inscriptio, quæ eadem est, indicat congium fabricatum fuisse, imperante Cæsare Vespasiano sextùm & Tito Cæsare Augusto filio quartùm Consulibus, & mensuras congio inclusas exactas fuisse ad normam amphoræ & congii in Capitolio asservati. Epigraphe, inquam, indicabat congium cape-

re vini scilicet defæcati, vel aquæ puræ pondo seu libras decem; nam utriusque liquoris idem esse pondus credebatur, ut adstruit Fannius. A

Nam libra, ut memorant, bessem sextarius addet,
Seu puros pendas latices, seu dona liæi.

Experientia arguit falsi illam opinionem, ut supra animadversum est; sed horum liquorum non magna est discrepantia quoad pondus, cum aqua Romæ non biberetur in pondere & mensura; & amphora & congius vasa essent vinaria, fit verisimile illam partem inscriptionis P. X. attinere ad pondus vini quod continebat congius. Forma autem congii non erat cubica, ut amphoræ; sed constabat quasi duplicis decurtati coni basibus annexis, quod apposita ejus forma ostendit. Si in cubum fuisset ef formatus, habuisset in singulis suis lateribus semipedem Romanum; erat enim octava pars amphoræ B cubicæ, cujus latera erant unius pedis. Igitur congius cubus ad amphoram cubum fuisset ut 1 ad 8; quorum cuborum radices, ut Geometræ norunt, sunt 1 & 2. Ita posito lateræ amphoræ unius pedis, latus congii par erat semipedi.

SECTIO III.

De librâ Romanâ, ejus divisionibus, cæterisque ponderibus.

VUlgatissimum pondus apud Romanos as erat, qui constabat librâ æris; unde quidam putant C dictum *as*, quasi dicas *æs*. Etiam libra dicebatur *pondo*, quod alii habent pro ablativo recti nominis *pondus pondi*, ut *dominus domini*. Alii volunt esse nomen indeclinabile. Tria autem illa nomina *as*, *pondo*, *libra* pro re eadem usurpantur. Scilicet rerum initio, ad certum æris pondus omnia revocabant Romani, sive quæ ponderanda erant, sive quorum pretium æstimandum. Ita as erat & nummus, & præcipuum pondus, quo librantes sive trutinantes utebantur; sicut Hebræi suo siclo, quo numerant cujusque rei pondus. Eâ de causâ non solùm *assis* mentio fit, ubi de nummis agitur; sed & de quacumque re quæ ponderatur, numeratur, æstimatur. Jam vidimus id omne quod D consideratur ut totum, sub quo continentur partes, nomine assis significari. Ita hæres bonorum omnium dicebatur *ex asse hæres*; qui ex triente dictus fuisset, si tertia pars summæ bonorum omnium viri fato functi ei obtigisset. Itaque integra libra etiam as appellabatur, pariter divisa in duodecim partes, quarum singulæ dicuntur unciæ, quasi *unæ*. *Sextans* erat pars sexta libræ, seu assis: *Quadrans* quarta: *Triens* tertia: *Quincunx* quinque unciæ; quæ olim cum sic quinque lineis sicut vides dispositis ‾‾–‾‾ exprimerentur, ut vult Grævius, inde dictæ sunt arbores in quincuncem ordinatæ, quæ simili dispositione erant inter se consitæ. Alii alia sentiunt de etymo hujus nominis. Nota denarii nu- E meri erat littera X. Nomen illud *decussis* sonat idem ac decem asses; unde *decussare* est aliquid ad hanc litteram X redigere. Hic censetur duas lineas obliquas ducere in decusses, qui illam imitatur; quam si seces in duas partes, superior pars erit littera V. quæ quincuncis sive quinque assium nota erat, sicut & quinque unciarum. In arboribus autem quincunciatim consitis, una arbor comparata cum duabus superioris versùs sibi proximis, litteram V. videtur referre. Hinc per has voces *in decussim* & *in quincuncem*, idem ordo significatur. Pergamus enumerare alias divisiones libræ; quæ non aliæ sunt ac pedis Romani; ita nobis jam expositæ.

Semis sive semissis sunt sex unciæ, & ideo dimidium libræ. *Septunx* septem unciæ: *Bes* ut olim *Des* octo unciæ: *Dodrans* novem unciæ: *Dextans* decem: *Deunx* undecim; quia ab unciis duodecim, quot ad assem seu libram requiruntur, deest una uncia. Sic *dextans*, quia deest sextans, sive duæ unciæ. *Dodrans*, quia deest quadrans; *bes*, quia deest triens, ut jam diximus.

Uncia	Sextans	Quadrans	Triens	Quincunx	Semis
1 uncia	2 unciæ	3 unciæ	4 unciæ	5 unciæ	6 unciæ
$\frac{1}{12}$	$\frac{2}{12}$	$\frac{3}{12}$	$\frac{4}{12}$	$\frac{5}{12}$	$\frac{6}{12}$

Septunx	Bes	Dodran	Dextans	Deunx	As, seu libra
7 unciæ	8 unc.	9 unciæ	10 unciæ	11 unciæ	12 unciæ
$\frac{7}{12}$	$\frac{8}{12}$	$\frac{9}{12}$	$\frac{10}{12}$	$\frac{11}{12}$	$\frac{12}{12}$

Singulas uncias iterum multipliciter Romani dividebant, vel in duas *semuncias*, vel in sex partes; quarum unaquæque dicebatur *sextula*. Sic duæ sextulæ faciebant tertiam partem unciæ; quæ tertia pars nominabatur duella par duabus sextulis. Semiuncia etiam dividebatur in duas partes, quarum singulæ vocabantur *sicilicus* à vetusto verbo *sicilire*, hoc est *secare*, quia semiunciam secet. Iterum uncia dividebatur in octo drachmas; drachma in tres scrupulos, qui à Græcis *grammata*, id est, *littera* ideo dicuntur, quòd quatuor & viginti litteras Græci in alphabeto suo habeant, quot uncia scrupulos capit, & dies civilis horas. Scrupulus rursum in duos obolos dividitur; & obolus in binos semiobolos. Comparatione, ut diximus, granorum quæ tellus progignit, & ideo usu nota sunt, veteres æstimabant pondera. Semioboli dividebantur in siliquas, in lentes seu lupinos; quæ pondera nomen accipiebant a rebus quæ ad ponderanda leviora adhibebantur. Fannius facit *gramma* par sex siliquis. Siliqua vulgò accipitur pro folliculo seu integumento, cui grana leguminum integuntur, & si quid est leguminibus simile, vernaculè *l'écosse ou gousse des feves, des pois, & autres grains semblables.* sed & siliqua genus est leguminis, quo vescebantur pauperes, ut indicat illud Horatii carmen.

Vivis siliquis & pane secundo.

Adhibebantur ad res ponderandas etiam *scrupuli* hoc est lapilli, grana siliquæ & lentes seu lupini. De his non conveniunt Auctores. Priscianus dicit à Dardano non distingui obolum à scrupulo, in quo numerandæ sunt sex siliquæ. Fannius dividit libram in partes suas.

Ordiar à minimis. Post hæc majora sequentur.
Nam majus nihil est aliud quàm multa minuta.
Semioboli duplum est obolus: quem pondere duplo
Γράμμα vocant: scriplum nostri dixêre priores.
Semina sex alii siliquis latitantia curvis
Attribuunt scriplo: lentis veraciter octo.

Lentes distinguendi à lupinis, qui species sunt fabarum, nostris Gallicis crassioribus similium quoad folium & stipitem, sed amaritudinis non ferendæ; ideò has tristes Poeta appellat. Spelta Gallicè *Epeautre* est species frumenti, ex quâ panis conficitur. In unciâ Romanâ erant 96 sive speltæ, sive lupini.

Aut totidem speltas numerant, tristesve lupinos
Bis duo. Sed si par generatim his pondus inesset
Servarent eadem diversæ pondera gentes:
Nunc variant. Etenim cuncta non fœdere certo
Naturæ, sed lege valent hominumque repertis.
Scripula tria drachmam faciunt: quo pondere doctis
Argenti facilis signatur nummus Athenis.

Holceque à drachma non re, sed nomine dif- A *fert.*

Legendum putarem *tres scripuli drachmam faciunt.* Quid sit Holce dicemus, cùm ad Græcas mensuras perveniemus.

Drachmam si gemines, aderit quem dicier audis
Sicilicus. Drachmæ scriplum, si adjecero, fiet
Sextula quæ fertur. Nam sex his uncia constat.
Sextula cùm dupla est, veteres dixère duellam.
Uncia sit drachmis bis quatuor. Undè putandum
Grammata dicta, quòd hæc viginti quatuor in se
Uncia habet: tot enim formis vox nostra notatur.
Horis quot mundus peragit noctemque diemque
Unciaque in librâ pars est quæ mensis in anno.
Hæc magno latio libra est, gentique togatæ.

1	Lupini sive Lentes.									
4	1	Siliquæ.								
5 1/3	1 1/3	1	Semi obolus.							
8.	2	1 1/2	1	Obolus						
16	4	3	2.	1	Scripulus sive Gramma					
32	8	6	4	2	1.	Drachma				
96	24	18	12	6	3	1	Sextula.			
128	32	24	16	8	4	1 1/3	1	Sicilicus.		
192	48	36	24	12	6	2	1 1/2	1	Duella.	
512	128	64	32	16	8	2 2/3	2	1 1/3	1	Uncia.
768	192	144	96	48.	24.	8	6	4	3	1

SECTIO IV.

De re nummariâ Romanorum.

ÆRe appenso, non signato, olim utebantur Romani, æstimantes æs, argentum, aurum pondere, non formâ, aut figurâ; quod nunc fit. Indè, ut quidam autumant, *æris gravis* pœna dicta, cùm aliquis cogebatur numerare pecuniam; sed Vossius in Etymologico docet *æs grave* non idem esse quod *rude*. *Æs grave* opponitur assibus unius sextantis, unciæ, aut semi-unciæ; etenim, ut mox dicemus, as primùm unius libræ, postea evasit unciæ, semi-unciæ. Dicebatur ergo æs grave, cùm asses librales erant. Indè etiam militaria stipendia, cò B quòd stipes ponderaretur. Propter istam antiquam consuetudinem factum ut sæculis posterioribus, licet jam numeraretur pecunia, nec ponderaretur; attamen in omni emptione, quæ mancipii sunt, sive quâ comparabatur dominium & jus possidendi libra fuit interposita; de quâ re audiendus Plinius libro XXXIII. cap. 3. Locus integer huc adducendus est. *Populus Romanus ne argento quidem signato ante Pyrrhum Regem devictum usus est. Libralis, undè etiam nunc libella dicitur, & dipondius appendebatur assis. Quare æris gravis pœna dicta. Et adhuc expensa in rationibus dicuntur: item impendia & dependere. Quin & militum stipendiorum, hoc est stipis ponderandæ pensatores, libripendes dicuntur: quâ consuetudine in his emptionibus, quæ*

mancipii ſunt, etiam nunc libra interponitur. Servius Rex primus ſignavit æs. Antea rudi uſos Romæ Remæus tradit. Signatum eſt notâ pecudum; unde & pecunia appellata.

Quia æneâ pecuniâ primùm uſi ſunt Romani, æs rude opponitur æri ſignato. Quia, inquam, pecuniam non numerabant, ſed appendebant, indè vocabula illa *impenſæ*, *compendii*, *diſpendii*, *libri-pendis*, *diſpenſatoris*, pariter voces *ærarii*, *obæratorum*, *æris uxorii*, *æris alieni*; quæ non magis dicunt æreos nummos, quàm argenteos aut aureos. Æs ſignatum appellatum eſt *nummus*, ut jam diximus, quia valorem habeat à lege, quæ Græcè dicitur νόμ&. Primus igitur nummus Romanorum fuit as. Duo aſſes vocabantur *dupondium* tres aſſes *tripondium*; B centum aſſes *centipondium*. Quin & tres aſſes dicebantur *treſſis*, quatuor *quadraſſis*, decem *decuſſis*, viginti *viceſſis*, triginta *triceſſis*, centum *centuſſis*. Majoris ponderis non erat aliud nomen apud Romanos.

Succeſſu temporis, cùm mercatura invaleſceret, & pondus æris pluſculùm gravaret, & moleſtum eſſet ſemper adhibere bilancem, loco æris appenſi uti cœperunt ære ſignato Romani ſub Servio Rege, ut dictum eſt; nec tam à materiâ valor aſſis ſumptus eſt quàm à figurâ impreſſâ. Pondus aſſis imminutum eſt tempore primi, ut contigit bello Punico primo. Rem narrat Plinius loco ſupra citato. *Cùm impenſis Reſp. non ſufficeret, conſtitutumque ut aſſes ſextario pondere ferirentur.* Priùs erant librales, ſive duodecim unciarum; poſt facti ſextan- C tes, id eſt, duarum unciarum, id enim ſignificat vox *ſextans*. Non ampliùs fuit as unius libræ, ſive duodecim unciarum; *Ita quinque partes facti lucri, diſſolutumque æs alienum*, inquit Plinius. Nam quoniam ſextans, ſive duæ unciæ habuêre valorem duodecim unciarum; decem unciis augebatur unius aſſis pretium, ſive quinque ſextantibus. *Poſtea Annibale urgente, Q. Fabio Maximo Dictatore, aſſes unciales facti: placuitque denarium XVI. aſſibus permutari, quinarium octonis, ſeſtertium quaternis. Ita Reſp. dimidium lucrata eſt. In militari tamen ſtipendio ſemper denarius pro X. aſſibus datus. Nota argenti fuêre bigæ, atque quadrigæ; & indè bigati, quadrigatique dicti. Mox lege Papianâ ſemi-* D *unciales aſſes facti. Livius Druſus in Tribunatu plebis octavam partem æris argento miſcuit.* Sic, inquam, factum, ut as nummus non ampliùs fuerit libra æris duodecim unciarum, ſed nec uncia quidem æris; ita vilis nummus. Undè vulgari ferebatur adagio *unius aſſis facere*, pro, vili pretio æſtimare. Attamen & infra aſſem fuêre alii nummi ærei, ſcilicet ſemiſſes, trientes, quadrantes, ſextantes, qui omnes *æra minuta* appellantur. Sextans notabatur duobus punctis, ſive ſphærulis quadrans tribus: Triens quatuor; ut videre eſt in iis quæ ſuperſunt apud antiquarios.

Ex Plinio in eodem loco nota aſſis fuit ex alterâ parte Janus geminus, ex alterâ roſtrum navis; in triente verò & quadrante rates. Petavius in animad- E verſionibus ad librum Epiphanii de menſuris, obſervat denarium, qui primis ſæculis erat argenteus, factum nummum æreolum, quem intuebatur Macrobius lib. 1. cap. 7. cùm de vetere figurâ nummis impreſſâ ita loquitur. *Æs ita fuiſſe ſignatum, hodieque intelligitur in aleâ luſu, cùm pueri denarios in ſublime jactantes, capita aut navim, luſu teſte vetuſtatis, exclamant.* Romani dupondium cum ſemiſſe, ſeu duo aſſes cum medio aſſe appellabant unum ſeſtertium, qui eſſet quaſi *ſemis tertius as*, ut adſtruit Varro lib. 4. de linguâ Latinâ. Imitabantur Græcos, quibus τρίτον ἡμιτάλαντον ſignificat duo talenta cum dimidio. Primitus ſeſtertii nota

A fuit I. I. vel L. L. S. id eſt, duæ libræ ſive duo aſſes cum ſemiſſe; quæ nota in iſtam H. S. commutata eſt. Seſtertius maſculini generis juxta quoſdam notat duos aſſes cum dimidio; ſeſtertium neutrius generis mille aſſes; ita ut duo ſeſtertia idem ſint quod duo mille aſſes. Alii verò ſeſtertiorum, cujuſcumque generis ſint, parem eſſe valorem ſentiunt. Lis iſta facili negotio haud poteſt dirimi, quia olim ſeſtertiorum numeri notis declarabantur, & ſæpè in genitivo plurali ponebatur M ſeſtertiûm pro mille ſeſtertiorum. Genitivus autem ille communis eſt maſculini & neutrius generis nominibus. In illo carmine Juvenalis ſeſtertium non plus valet quàm ſeſtertius Satyra IV.

Mulum ſex millibus emit
Æquantem ſane paribus ſeſtertia libris.

Nempe mulus ille (licet piſcis) tot libras pendebat, quot pendunt ſeſtertia, quibus emptus fuit. Sex autem millia ſeſtertiûm pendunt libras ferè XVIII. ait Agricola.

Seſtertius autem nummus in maximo uſu erat apud Romanos, ſicut apud nos ſolidi Turonenſes. Itaque in auctoribus Latinis, ubi vox nummi ſola adhibetur, accipienda pro ſeſtertio, cujus nomen ſubauditur. Sic ſeſtertius eſt prima communis menſura pecuniæ argenteæ, ſicut as æreæ; nam cùm dicitur res aliqua væniſſe decem æris, aut centum æris, aut mille æris, decet ſubintelligere aſſes. Denarius appellatus eſt *ſolidus*, quia ut alibi ſignifica- C tum eſt, ſeſtertius pars erat hujus nummi qui denarius appellabatur; ita hic reſpectu ſeſtertii erat nummus integer, ut adſtruit Vitruvius, cujus modò proferemus verba. Æs quidem priùs ſignatum fuit Romæ, ſerius argentum, non ante annum ab urbe conditâ DLXXXV, Quinto Fabio conſule, quinque annis ante bellum Punicum, ut narrat Plinius. *Et placuit*, inquit, *denarius pro decem libris æris, quinarius pro quinque, ſeſtertium pro dipondio ac ſemiſſe.* Ante Punicum eadem dixerat Vitruvius lib. 3. cap. 1. *Noſtri autem primò decem fecerunt antiquum numerum, & in denario denos æreos aſſes conſtituerunt, & eâ re compoſitio nummi ad hodiernum diem denarii nomen retinet, etiamque quartam ejus* D *partem, quod efficiebatur ex duobus aſſibus, & tertio ſemiſſe, ſeſtertium nominaverunt.* Drachma, obolus, talentum nummi ſunt Græcorum, de quibus ſuo loco dicemus. Romanam autem monetam æſtimare non licet, niſi conſtet quod fuerit cujuſque nummi pondus; in quo non convenit inter eos, qui de menſuris & ponderibus ſcripſerunt. Quapropter viſum eſt articulum proprium huic quæſtioni aſſignare.

SECTIO V.

De denarii Romani argentei ſuperſcriptione, & pondere. De proportione auri, argenti, æris, & quo in pretio erant hæc metalla apud Romanos.

E JOannes Græviùs, qui peculiari doctrinâ & diligentiâ diſſeruit de denario Romano, admonet denarios diſtinguendos, qui cuſi ſunt ſub Conſulibus, ante everſam Rempublicam, ab aliis qui poſt ſtabilitam Monarchiam, nempe quando Cæſares imperarunt, conflati fuêre. Tunc imagine Cæſarum ſignati ſunt denarii, qui ſolebant in tributum pendi; erat enim pecunia uſitata apud Romanos, ſicut drachma apud Græcos, ſiclus apud Hebræos. De hoc ergo nummo ſermo fit in Evangelio Mathæi cap. 22. v. 17. Ubi Herodiani, id eſt, Aulici Herodis poſtulabant à Domino an liceret cenſum dare Cæſari; reſponſum enim Domini oſtendit hujus censûs ſive tributi numiſma eſſe denarium inſcriptum ima-

gine Cæſaris 19. *Oſtendite mihi numiſma cenſus. At illi obtulerunt ei denarium.* 20. *Et ait illis Jeſus: cujus eſt imago hæc, & ſuperſcriptio?* 21. *Dicunt ei: Cæſaris. Tunc ait illis: reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.* Nummi ſignabantur variis figuris. Undè hacce periphraſi pecuniam ſignificat Juvenalis Satyrâ XIV.

Conciſum argentum in titulos, facieſque minutas.

Primum ſignati nummi pecude, ut dictum eſt, Jano, navi, victoriâ, bigis, quadrigis; qui ſignati victoriâ, victoriati dicti. Cæſares poſtea imaginem ſuam impreſſerunt nummis; tum & præclaros actus, quorum forent monumenta; ad quod alluditur in hocce verſu Juvenalis in Satyrâ VI.

Dacicus & ſcripto radiat Germanicus auro.

Inde vetuſtis nummis colligendis tantum ſtudium viri periti impenderunt, quia illuſtrant veterem hiſtoriam.

De pretio denarii & pondere ejus, viri docti diſputant. Convenit inter eos, ubi Græci de nummis Latinis agunt, pro denariis uſurpare drachmas, ſicut Latini pro drachmis uſurpant denarios; undè ſequitur, niſi hi & illi parùm diligentes dicantur, utrumque nummum fuiſſe ejuſdem ponderis. Drachma erat pars octava unciæ Romanæ; in quâ ergo numerandi eſſent octo denarii. Refragantur Georgius Agricola, & Joannes Grævius, & plerique alii. Non meum eſt componere iſtam litem, quæ difficillima eſt, quia teſtimonia veterum, quibus res decerni poſſet, forſan non vacant mendis. De integritate aut veritate denariorum, qui ſuperſunt lis etiam eſt. Loca Scriptorum veterum, ubi mentio fit ponderis denariorum, diverſimodè leguntur, & illa quiſquis pro opinione ſuâ mutat, corrigit. Grævius, qui cum Agricolâ ſentit ſeptem denarios fuiſſe pares unciæ, intelligit eos denarios, qui cuſi ſunt ſub Conſulibus; Cæſareos enim agnoſcit fuiſſe leviores. Grævius, inquam, allegat quod dicit Scribonius Largus in præfatoine. *Erit autem nota denarii unius pro Græcâ drachmâ; æque enim in librâ denarii octogintaquatuor apud nos, quot drachmæ apud Græcos incurrunt.* Numerus ille 84 ſi dividatur per 12 quot ſunt unciæ in libra, quotiens numerus erit 7. Ita denarius pars una eſt è ſeptem, in quas ſupponeretur integra uncia diviſa. Videtur eadem adſtruere Plinius [lib. 33. cap. 9.] *Miſcuit denario Triumvir Antonius ferrum. Alii è pondere ſubtrahunt, cùm ſit juſtum octoginta quatuor è libris ſignari.* Sed idem [lib. 21. cap. 34.] *Drachmæ Attica*, inquit, *denarii pondus habet*; ſecum ita pugnans, ſi integri ſunt ejus codices. Citatur & Cornelius Celſus ex libro quinto [cap. 17.] *Sed antea ſciri volo in unciâ pondus denariorum ſeptem eſſe. Unius deinde denarii pondus dividi à me in ſex partes, id eſt, ſex uncias, ut idem in unciâ denarii habeant quod Græci habent in eo quem obolum appellant.* Videbimus à Græcis in qualibet drachmâ numerari ſex obolos.

Quidquid ſit de pondere denarii, quoniam non imminutum fuit, niſi ubi Cæſares cæperunt regnare, ſub quibus ortus eſt Dominus, antiquos licet ſupponere drachmales; & cùm denarius argenteus valeret decem aſſes, in illo continebantur quatuor ſeſtercii argentei; quales numerabantur 384 in librâ; quo calculo mulus Juvenalis pondere ſuo par ſex millibus ſeſtertiis, ponderabat quindecim libras Romanas cum 240 ſeſterciis. Libella erat pars decima denarii. Cùm igitur denarius valeret decem aſſibus, ipſa libella, ut decima pars ejus, valebat aſſem, libralem, inde ille numulus à librâ, libellæ nomen acceperat, ut dicit Agricola. Libella in duas partes, tanquam as in duos ſemiſſes dividebatur, quæ partes dicebantur ſembella, quaſi ſemilibella.

De aureis nummis ut aliquid dicamus, primùm animadvertendum eſt omnes fuiſſe pretioſos. Etenim non poterant redigi ad exiguum pretium, quin eis detraheretur pondus; quòd cùm fieret, quaſi evaneſcebant. Deinde audiendus Plinius, qui invehitur in eum qui primus aurum ſignavit. Redarguerat luxum in aureis annulis, ſic deinde pergit loqui [lib. XXXIII. cap. 3.] *Proximum ſcelus fecit, qui primus ex auro denarium ſignavit; quod & ipſum latet, auctore incerto.* Deinde infra ſubjungit. *Aureus poſt annum LXII. percuſſus eſt quàm argenteus, ita ut ſcrupulum valeret ſeſtertiis vicenis, quod efficit in libras rationes ſeſtertiorum, qui tunc erant, ſeſtertios DCCCC, Poſt hæc placuit XL. millia ſignari ex auri libris, paulatimque Principes imminuère pondus. Minutiſſimus verò ad XLV M.* Hi numeri corrupti ſunt: nam cùm ſint in unciâ 24 ſcrupuli, & ideo 288 in librâ, quæ eſt unciarum duodecim, ſi nummus aureus unius ſcrupuli par eſt viginti ſeſtertiis, tales nummi aurei numero 288, qui ſimul faciunt pondus unius libræ, æquabunt 5760. ſeſtertios; ſi quidem quiſque ſcrupulus æquaret ſeſtertios viginti; ex duobus autem numeris 20 & 288 multiplicatis exurgit numerus ille. Ergo falſum eſt aureos nummos pondus unius libræ, conflaſſe tantùm ſummam 900 ſeſtertiorum. Vidimus ſeſtertium valuiſſe duos aſſes cum dimidio, quales denarius decem; ita quatuor ſeſtertii æquabant denarium. Scrupulus ergo auri ex Plinio, ſi hunc non exſcripſerint negligenter librarii, par 20 ſeſtertiis, æquabat quinque denarios. Et manu medicâ egere videtur quod legitur in eodem Auctore: *Poſt placuit XL millia ſignari ex auri libris; paulatimque Principes imminuère pondus: minutiſſimus verò ad XLV M.* Si enim accipiantur hæc verba eo ſenſu ut nummi ſignati ex ſingulis auri libris valerent XL millia ſeſtertiorum, ſcrupulus auri 150 & ampliùs ſeſtertios valuiſſet, quod non par eſt credere. Villalpandus ſentit inſertam eſſe litteram M à librariis; quæ ergo eſſet delenda.

Ex iis quæ dicta ſunt, quam habeant inter ſe rationem metalla, obſcurum eſſe non poteſt. Etenim cùm denarius argenteus permutaretur cum decem aſſibus libralibus, ſive cum decem libris æris, modò conſtet quota pars ſit libræ denarius, dicta proportio nota erit. Vidimus juxta quoſdam ex unâ librâ argenti conflatos 84 denarios; juxta alios uſque ad 96: unus ergo denarius argenteus pars erat octogeſima quarta unius libræ vel nonageſima ſexta; cùm ergo unus denarius tantùm valeret, quantùm decem libræ æris, argentum tunc temporis ad æs erat ut 1 ad 840, aut 1 ad 960. Ergo tunc temporis maxima erat argenti inopia, ſive raritas & magna æris abundantia, & ideo vilitas; quod Lucretius expreſſit hocce carmine.

Nunc jacet æs, aurum in ſummum ſucceſſit honorem.

CAPUT

CAPUT V.

Valor Romanorum menſurarum longarum, cavarum, ponderum, & nummorum expenditur per reſpectum ad Pariſienſes menſuras. Qua ratione iſte valor ſciri poteſt.

SECTIO I.

Primùm Romana pecunia utcumque æſtimari poteſt noſtrate, animadvertendo quid pecuniæ erogarent Romani in victum, in ſtipendium, in conductitiam operam. Ex nummis eorum & antiquis ponderibus quæ reperire eſt, illa æſtimatio certò fit.

CUpiditas dat pretium opibus: ab his enim qui parvo contenti ſunt, flocci fiunt. Primis temporibus Romani aureis & argenteis nummis non abundabant, nec inhiabant colligendis. Plinius in libro XXXIII. [cap. 3.] dicit ſub Servio Rege maximum fuiſſe cenſum CX. M. aſſium. Populus Romanus diſtinguebatur in claſſes, ratione opum. Prima claſſis erat eorum, quorum dictus cenſus erat, ſive quorum cenſus hocce nummorum pondere definiebatur; pluris autem, aut minoris pretii cenſebantur metalla pro commodis majoribus, aut minoribus, quæ horum commercio comparari poterant. Certum eſt primis temporibus magnam fuiſſe argenti, & auri raritatem. Stipendium militum olim fuit tres aſſes; à tribus aſſibus ventum ad quinque. Polybius lib. VII. dicit peditum ſtipendium diurnum fuiſſe duos obolos. Summa ergo annonæ vilitas erat. Plinius lib. XVIII. cap. 3 loquens de eâ aureâ Romanorum ætate, quâ ipſi Dictatores, cæterique viri Principes colebant agros: *Ergo iis moribus*, inquit, *non modò ſufficiebant fruges, nullâ Provinciarum paſcente Italiam; verum etiam annonæ vilitas incredibilis erat. Manius Marcius Ædilis plebis primùm frumentum populo in modios aſſibus donavit. Minutius Augurinus, qui ſpurium Melium coarguerat, farris pretium in trinis nundinis ad aſſem redegit undecimus plebei Tribunus.* Idem Plinius lib. XV. [cap. 1.] ſcribit denas olei libras ſingulis aſſibus præſtitiſſe Seium Ædilem circa annum ſexcenteſimum octogeſimum. Inde cognoſcimus quis fuerit nummorum Romanorum valor extrinſecus hiſce temporibus. Nunc agendum de intrinſeco qui pendet ex pondere; quod potiſſimum inquirimus ſupponentes eundem puritatis gradum in illis & in noſtris.

Numiſmata antiqua quàm plurima & diverſa aſſervantur in gazis Regum, & eruditorum muſæis, ex quorum pondere ratio noſtratium cum antiquis ponderibus videretur poſſe deprehendi. Quin & antiqua pondera, qualia plurima Peireſcius collegerat, nunc videre eſt in Muſæo Abbatiæ ſanctæ Genovefæ. Verùm tum rubigine deteri potuêre, tum & uſu. Indè fortè tanta diverſitas eſt experimentorum. Forſan nec ejuſdem formæ nummi idem ſtatim pondus habuêre, fraude vel potiùs ignorantiâ eorum qui olim cudebant monetam. Etenim haud primitùs nota iſta ars, quâ idem pondus & eadem forma numiſmatibus inditur admirabili facilitate. Veterum numiſmatum materies, ut re cernimus, deterior erat; quare non videbatur operæ pretium eſſe impendere tantam diligentiam, ut legitimum pondus haberent. Plæraque ad propagationem nominis cudebantur, & infodiebantur ædificiorum fundamentis, quæ ergo juſto pondere carere potuerùnt; horum ergo numiſmatum, quæ nobis viri eruditi venditant, non debet tanta eſſe autoritas, ac publicorum ponderum, quæ olim in typum ſive formam cæterorum conflabantur, & religioſè aſſervabantur in ſacris ædibus. Menſuræ, ut monuimus, quò ſunt minores, ſi paululùm deficiant, magnum in errorem impellunt, qui grandeſcit, dum rebus grandioribus menſurandis adhibentur. Ergo nihil optatiùs quàm ut nanciſcamur grandiuſculam aliquam menſuram ex illis, quæ in templis ſervabantur in publicum omnium menſurarum modulum; qualis fuit amphora, vel ſaltem congius, ex quibus omnes Romanorum menſuræ æſtimari poſſunt.

SECTIO II

Congius olim à Veſpaſiano dicatus in Capitolio in publicum n o lulum, nunc reſtat. Huicce monumento fides adſtruitur; tum & propria forma & menſura congii & amphoræ, cujus erat pars octava.

OPtatus ille congius ab uno & altero ſæculo effoſus eſt ex Romæ ruinis. Illum ſupra protulimus: ſi in dubium revocetur, jam nulli alteri monumento, quod pariter effodiatur ex ruderibus, fides adhibenda erit. Omnia pariter monumenta ſuſpecta ſunt; quæ cùm nemo dicere audeat, miratus ſum audiens dictum congium reprobari à Mabilonio in ſuo itinere Italico MDCLXXXV. (Sectione 20. pag. 73.) Qui ſemper plurimi eum fecerim ob doctrinam & pietatem, protinus locum indicatum adii, ut adverterem an aliquo ratiocinio mihi ignoto uteretur, aut aliquâ auctoritate, cui par eſſet cedere. Ibi Mabilonius loquitur de Raphaëlis Fabretti ſcriptis; & refert quod judicium tulerit de congio dicto. *In libro de Aquaductibus, inter alia multa variæ eruditionis, Fabrettus probat congium Romanum in ædibus Farneſianis aſſervatum, ad cujus normam diverſæ menſuræ pro legitimis fabricatæ ſunt, omnino ſuppoſitum eſſe.* Fabretti opus de Aquæductibus evolvi; in hujuſce operis ſecundâ diſſertatione diſſerit de pede Romano; quâ occaſione mentionem facit congii Farneſiani, non ut illum improbet, ſed Villalpandum, quòd falsò opinaretur hocce vas non tantùm ad menſuram liquidorum inſtitutum, ſed ut cæteræ menſuræ exactæ indè peterentur. Scilicet ſentiebat Villalpandus ipsâ vaſis altitudine notari pedem Romanum; in quo eum peccare evincit Fabrettus; ſed neutiquam congium ipſum reprobat; ita Fabretti mentem non percepit Mabilonius, & deceptus decepit eos, qui ejus auctoritate commoti ſunt. Igitur quæ dicturi ſumus, comparantes Romanas menſuras cum Pariſienſibus nitimur hocce certo fundamento, Farneſianum congium haud ſuppoſititium eſſe; ſed ante omnia ex antiquis Scriptoribus, qui fide digni ſunt, diſcendum quæ Romani congii eſſet menſura legibus determinata.

Protulimus ſupra quæ de congio Romano leguntur in Sexto Pompeio Feſto, & in carminibus Fannii, de quo Poëtâ ſic loquitur Villalpandus: *Hujus Poëtæ auctoritas tanta eſt, ut à nullo cordato viro aut impugnari, aut non admitti queat, aut debeat: is enim Claudii & Neronis temporibus Romæ floruit. Qui Plinii teſtimonio commendatur & Criniti maximè; qui Lucani Cordubenſis præceptorem eum fuiſſe commemorat, ac in poëticâ ducem.* Alii eum faciunt Arnobii diſcipulum, temporibus Conſtantini. Quidquid ſit de ætate ejus, pondera & menſuras explicuit eleganti carmine; quo, quaſi veritatem non potuerit exprimere, impeditus poe-

E

ſeos vinculis, non illi abroganda fides. Immo potius judicandum eum curam magnam impendiſſe in opus, quod coram oculis ſuis advertebat publico uſu confirmatum. Nec Feſtus comminiſcitur plebiſcitum, quod ex eo depromſimus. Nollem tam temerè elevatam à quibuſdam viris doctis utriuſque auctoritatem eo ſolo argumento, quòd grammaticæ tantùm artis non pariter Matheſeos ambo eſſent periti. An ideo inquam Feſtus mendax, quia non Mathematicus; aut indiligens Fannius, qui deditâ operâ laborioſum carmen condidit? Ergo Feſti & Fannii teſtimoniis certum ſit amphoram fuiſſe verè cubicam, unius Romani pedis; & vinum ſive aquam cujus capax erat, ponderaſſe octoginta libras Romanas: congium octies contentum in amphorâ; & ideo vinum ſive aquam, cujus capax erat congius, ponderaſſe decem libras. Hoc poſito certo fundamento, ſuperſtruam æſtimationem menſurarum Romanarum. Obſervatum eſt liquores omnes non idem pondus ſervare, vinum levius eſſe aquâ; ſed diſcrimen adeo tenue eſt, ut vix ſtaterâ deprehendi poſſit; quapropter in publico uſu non animadvertebatur. Dioſcorides, ut legere eſt in ejus fragmentis, cenſet aquam & acetum par habere pondus, & in hiſce experimentis meliùs eſſe adhibere aquam pluvialem.

SECTIO III.

Ex noto pondere aquæ quam continet congius Veſpaſianus, deprehenditur ratio Romanæ libræ cum Pariſinâ, & ideo valor veterum nummorum.

LUcas Pætus, qui primus & teſtimonio Feſti, & congio Farneſiano uſus eſt, expendit etiam primus quot libras ſuâ ætate Romæ uſitatas penderet aqua, quam vas illud continere poterat. In epigraphe ejus leguntur hæ duæ litteræ P. X. *Ex quâ inſcriptione*, loquitur Pætus, *etſi manifeſtè legerem & intelligerem congium pondo decem fuiſſe, & Feſtus Dioſcorides, cæterique ſupra nominati teſtantur: attamen, ut me omnino redderem certiorem, eum congium, obſtructis rimulis cerâ, purâ aquâ ex ciſternâ uſque ad ſupremum anguſtum, ut ſchema demonſtrat, plenum feci: (nam partem latam ſupra illud anguſtum ad conſervandum, ne menſura violari poſſet, factam fuiſſe exiſtimavi.) ſicque plenum cum juſtiſſimâ trutinâ, quâ hodie Romæ utimur, cum appendiſſem, inveni aquam, quâ eum compleveram, libras noſtri temporis novem, uncias ſex & ſemis efficere, quibus uncias quinque, drachmas quatuor, ſcrupulum unum, & grana quatuordecim, (de quibus nullam rationem habendum eſſe putavi) ex antiquis libris prædictis pendere inveni.* Villalpandus dicit Lucam Pætum non adhibuiſſe requiſitam diligentiam: aſſerit & rem toties expertum, donec experimentis acquieverit animus, ſe reperiſſe aquam ejuſdem congii ponderare decem libras Romanas, quibus tunc temporis uterentur Romani; ita ut dubitare non potuerit quin hodierna libra Romana par fuerit veteri ſine ullo diſcrimine. An ipſe erraverit Villalpandus, qui Lucam Pætum arguit, experiantur qui Romæ degunt.

Peireskius celebris Senator Aquiſextienſis rem experiri voluerat; certus ab hoc experimento poſſe deduci rationem veterum menſurarum cum hodiernis. Audiendus Petrus Gaſſendus in vitâ hujus Senatoris, ubi refert colloquium de eâ materiâ quod habuit cum Vario. Requiſierat à Peireskio Varius, quod diſcrimen eſſet libræ ſive unciæ Romanæ & noſtratis; *excepit Peireskius, ſibi eâ in re nundum penitùs factum ſatis*, hiſce verbis loquentem eum inducit Gaſſendus. *Nam habere ſe quidem pondera antiqua librarum triginta, decem, trium, ſingularum, quæ cum librâ Pariſienſi ſenûm denûm unciarum zygoſtaticâ comparaſſet; ſed comperiſſe tamen ſolùm uncias Romanas duodecim, decem circiter unciis Pariſienſibus exæquari. Circiter, inquam; nam nunc exceſſum, nunc defectum excurrere ad tres, quatuor & quinque drachmas. Tametſi verò doctus Budæus proportionem præſcripſiſſet proximè ſeſquialteram, quòd putaret libram Romanam ſemiunciâ ſupradictâ libræ marcæ, ſeu octo unciis Pariſienſibus æquam eſſe. Attamen ſe varios denarios antiquiores, integrioreſque quàm Budæo fuiſſent ad manum, ad eandem libram exegiſſe, deprehendiſſeque libram Romanam cum ſemiunciâ decem Pariſienſibus unciis, ut minimum æquipollere. Non audere tamen adhuc rem decernere; quod illi quoque denarii paſſi fuiſſent intertrimentum, expectareque donec Româ impetraviſſet modulum congii, qui à Veſpaſiani uſque tempore in Capitolio conſecratus extaret, aſſervareturque in Farneſiano palatio.* Non unum quidem duntaxat, ſed duos quoque modulos congii temporis progreſſu Peireskius obtinuit; verùm numquam ſatis vacavit rem pro voto expendere, & poſtquam poſteriorem obtinuit, citò nimis interiit. Ipſe Gaſſendus rem ſuſcepit explorandam. Sic ille loquitur. *Cautiones adhibuimus eaſdem, quas Lucas Pætus & Villalpandus, dum vas ipſum ad ſummum collum puteali aquâ opplevimus, expendimus, vaſis pondus ſubduximus. Deprehendimus autem aquam, quæ Romano pondere eſſe debuit decem librarum, ceu unciarum centum viginti, eſſe pondere Pariſienſi (quale nempe Pariſiis exploratum, miſſumque eſt) librarum ſeptem, minùs unciæ quadrante, ſeu unciarum centum undecim cum dodrante unciæ. Deinde ex hac proportione collegimus unciam Romanam continere grana quingenta & triginta ſex, qualium quingenta ſeptuaginta ſex in Pariſienſi continentur.* Auctor eruditus appendicis ad Biblia Latina in folio, quæ Antonius Vitré edidit anno 1662. advertit illam diſcuſſionem non omninò fuiſſe exquiſitam. Si enim uncias Pariſinas $111\frac{3}{4}$ per grana 576 duxeris, factumque per 120 diviſeris, quotus erit, non præcisè 536, ſed 536 & $\frac{2}{5}$. Sed cùm fractus ille numerus ſit infra valorem ſemigrani potuit meritò negligi.

Ille congius, quem Peireskius conflandum curaverat, cum pleriſque aliis pretioſioribus ejus cimeliis ſervatur Pariſiis in Bibliothecâ Abbatiæ ſanctæ Genovefæ. Quapropter non ſemel viri docti exploraverunt capacitatem ejus. Verùm Eiſenchmidius ſuſpicatur congium illum fuiſſe quidem Romanum, hoc eſt, auctoritate Romanorum factum; ſed ad uſum alicujus Provinciæ, cui diverſa fuerint à Romanis pondera; & majoris amplitudinis, quàm Romanus ferre poſſit. Experimentum autem fecit ſupra laudatus Auzout in ipſo congio æreo, qui Romæ inter rariora Farneſiorum monſtratur. *Expertus is eſt*, loquitur Eiſenſchmidius, *aquam fontanam di Trevi, quem congius ceperat, eſſe librarum Pariſ.* 6, *cum unciis* 12, *groſſis* 7, *& granis* 48; *ſive unciarum Pariſ.* 109 *minùs granis* 24 *adeoque granorum Pariſinorum* 62760. *Unciæ itaque Romanæ veteri competunt grana Pariſina* 523. Ita cùm uncia Pariſina ſit 576 granorum, Romana levior fuiſſet 53 granis. Eiſenſchmidius obſervat, ut vidimus, tempore hyberno aquas centeſimâ quadrageſimâ ſui parte ponderoſiores reperiri quàm æſtate. *Quod ſi ergo*, pergit loqui, *ponamus experimentum Dn. Auzout factum fuiſſe hyemali tempore, primum verò congii examen olim inſtitutum, tempore æſtivo, ſequeretur differentiam quatuor*

granorum inde in unciam ex observatione Dn. Auzout inventum redundare, quibus scilicet gravior redderetur verâ. A

Grævius capacitatem congii Romani etiam exploravit; & comparavit experimenta facta Romæ à Villalpando, & in Galliâ à Petro Gassendi. Dum Romæ versaretur, dicit ex ruderibus erutum semicongium æreum, qui reipsâ media pars congii Vespasiani: narrat quomodo Villalpandus expertus fuerit libram, quâ tunc temporis utebantur Romani, omnino parem esse antiquæ; quæ nec tot ætatum successione, nec Romani imperii perturbationibus fuerit mutata. Diligentiæ à Villalpando in explorando congio adhibitæ acquiescere videtur Grævius. Libra autem Romana, inquit ille, redu- B cta ad pondera Anglica, quibus argentum ponderatur, præcisè æqualis est 5256 granis Anglicis aurifabrorum, quorum libra integra ponderat granis 5760. Cùm itaque congius contineret aquæ decem libras Romanas, totum illud pondus erat 52560 granorum Anglicorum. Vidimus illud pondus juxtà observationem Petri Gassendi $111\frac{3}{4}$ unciarum esse Parisinarum. Undè sequitur unciam Romanam continere grana quingenta & triginta sex, qualium quingenta septuaginta sex in Parisiensi continentur. Pergit Grævius. Uncia autem Parisiensis, quæ à viro docto missa est Parisiis in Angliam continet $472\frac{1}{2}$ grana Anglica. Ita $111\frac{3}{4}$ unciæ Parisienses & pondus aquæ congialis, ponderat Anglica grana C $52801\frac{7}{8}$ Ex Villalpando autem tantùm 52560. Ita utriusque Romanæ & Parisiensis observationis differentia est $241\frac{7}{8}$ granorum Anglicorum, & ideo plusquam semi-unciæ Romanæ.

Differentia illa oriri potuit ex ipsâ aquarum diversitate, quibus Romæ & in Galliâ congius impletus est; vel ex copiâ aquarum, quæ major aut minor infusa fuerit in congios; vel ex ipsâ congiorum inæqualitate, aut ex ponderibus, aut lancibus, quibus observatores usi sunt. In hisce nemo adeo diligens est, ut extra omnem errorem possit veritatem consequi. Hanc, à quâcumque causâ oriatur, differentiam pro nihilo habendam esse demonstrat Grævius. In unciâ Romanâ numerandi sunt septem denarii, quales sub Consulibus, florente D Republicâ ante Cæsares, cudebantur; ita sentit Grævius. Ergo in duodecim unciis, sive in librâ Romanâ numerabantur 84 denarii, & in decem libris, quot continet congius, 840 denarii. Grana 52560 Anglica, quibus ex Villalpandi observatione congius ponderat, dividantur per 840 denarios, quotus numerus exsurget $62\frac{4}{7}$ Si per eundem huncce numerum 840 dividatur $52801\frac{7}{8}$; quot granis ponderabat aqua congialis ex Petro Gassendo, orietur quotus numerus $62\frac{361}{420}$ Videre est hosce fractos numeros posse negligi. Juxta utramque observationem fermè idem est denarii Romani pondus. Grævius autem affirmat plures centenos denarios consulares expendisse ad pondus Anglicanum, E & omnes, qui integri erant, ponderasse 62 grana Anglicana. Sic certiorem se factum dicit Grævius quòd denarius fuerit septima non octava pars unciæ Romanæ.

Quoniam alicui experimento fides adhibenda, inhæreo Gassendiano; & eam rationem stàtuo inter Romanam & Parisinam unciam quæ est inter hosce numeros $536\frac{4}{5}$ & 576; sive unciam Romanam facio $536\frac{2}{5}$ granorum, qualia sunt 576 in Parisinâ. Sic libra Romana duodecim unciarum ponderabat 6432 granis Parisinis. Itaque prout denarius supponitur unciæ Romanæ pars septima aut octava, in librâ Romanâ erant 84 denarii aut 96. Per duos hosce numeros divisa libra dabit pondus denarii juxta duas opiniones; quod compendiosius fiet dividendo unciam Romanam 536 granorum per 7 & per 8; orietur $76\frac{4}{7}$ & 67, valor denarii. Eisenschmidius, qui in unciâ Romanâ non ultra 523 grana Parisina numerat; dividens illa grana per 7, denarium quem habet pro septima parte unciæ Romanæ, debuisset statuere $74\frac{5}{7}$ granorum Parisinorum; sed eum facit $74\frac{2}{7}$ Si reipsâ pondus denariorum integrorum non excederet 74 grana, argumentum esset congium, quem expendit Gassendus, justo majorem fuisse, ut opinatur Eisenschmidius; sed ut dixi, veteres nummi usu vel ærugine amiserunt legitimum pondus; quapropter iterum dicam pedem me figere in Gassendiano experimento, & in sequentibus paginis omnes calculi nostri supponent unciam Romanam præcisè 536 granorum Parisinorum.

Vidimus omnem pecuniæ summam significatam à Romanis certo sestertiorum numero. Singuli sestertii erant quarta pars denarii; ità prout ille statuitur nostrorum granorum $76\frac{4}{7}$ vel 77 pondus sestertii erat $19\frac{1}{7}$ vel $16\frac{3}{4}$ granorum. De nummis æreis non loquor; quos legitimum pondus habere non certi sumus: omnes ferè diversum habent; quod unicuique licebit experiri in pluribus assibus qui inter cimelia Regalis Abbatiæ sanctæ Genovefæ asservantur.

SECTIO IV.

Non tantùm libra Romana, sed cæterarum mensurarum Romanarum cum Parisinis rationem ostendit congius Vespasianus.

Congii Farnesiani sive Vespasiani, beneficio non solùm pondera Romana nobis innotescunt, sed & cæteræ mensuræ, puta ratio pedis Romani antiqui cum nostrate, & idcirco omnium antiquorum vasorum cum nostratibus. Scimus enim amphoram Romanam æqualem fuisse cubo, cujus latera præcisè essent æqualia pedi Romano. Congius pars ejus octava erat; nimirum in amphorâ octo congii continebantur. Grævius cùm Romæ esset, curâ ejus conflatus est cubus, cujus latera omnia essent unius pedis antiqui Romani, qualis visitur in monumento Cossutii, de quo sermonem iterum faciemus. Obtinuit congium Farnesianum, quem milio benè purgato implens, iteratis vicibus expertus est non octo, sed septem tantùm congios cum semicongio in vase cubico contineri; unde unus est ex illis qui Festo & Fannio, fidem abrogant, tanquam meris grammaticis qui rem eâ diligentiâ quæ requirebatur, non exploraverant. Sunt qui in sententiam Grævii pedibus eunt; me verò retinet plebiscitum illud, quod Festus mandavit scriptis, quo adstruitur amphoram continuisse vini octoginta libras, & congium libras decem. Forsan Grævius adhibuit pedem, qui vero minor fuerit; ideo, vas cubicum, quod conflandum curavit, non fuit octies majus congio Iterum dicam, quoniam alicubi figenda sunt vestigia me supponere verum fuisse congium, quem Gassendus mensus est; qui cùm caperet pondus aquæ unciarum $111\frac{3}{4}$, numerus ille ductus in 8, & producens 894, docebit quot unciis ponderis Parisini ponderet aqua, quæ amphoram implet. 894 unciæ faciunt 55 libras Parisienses cum unciis quatuordecim. Quot libris Parisinis ponderet pes cubicus aquæ, sive aqua quam capit vas æquale pedi cubico, non convenit inter omnes. Etiamsi mille viri millies rem tentarent, vix duo idem statuerent pondus, si iisdem vasi non utantur; quæ, ut observatum est, nunquam om-

nino fiunt æqualia à fabris, aut non æqualiter im- A plentur. Præterquam quòd non omnes latices par pondus habent. Pluribus placet pondus dicti pedis cubici esse 70 librarum Parisiensium: aliis 71 librarum. Sunt etiam qui huic librarum numero addunt quinque uncias. Juxta illas tres diversas opiniones calculos inibo, ad quos Lector mentem adverte. Suppono amphoram aquæ, sive pedem cubicum Romanum aquæ ponderare 55 libras & 14 uncias nostrates: pedem verò Parisiensem cubicum aquæ libras 70, vel 71 præcisè, vel 71 additis quinque unciis.

Ut 70 libræ, vel 71 libræ, vel 71 libræ cum unciis quinque sunt ad pedem Parisinum duodecim pollicum; sic 55 libræ cum unciis 14, valor pedis B Romani cubici aquæ, sunt ad partes pedis cubici Parisini, quibus æquatur pes Romanus cubicus. Hujus proportionis tres primi termini noti sunt; ita ope regulæ, quam auream vocant Arithmetici, ducendo 55 lib. 14 un. in 12 pollices pedis Parisini, & factum dividentes numero librarum quas ponderat pes cubicus aquæ Parisinus; hoc, inquam, calculo elicietur quartus terminus in hacce proportione qui ignotus est, & quæritur scilicet numerus qui indicet, quot partes pedis nostri cubici reperiantur in pede Romano cubico. Radix autem cubica hujus numeri dabit longitudinem pedis Romani.

Ut hos calculos faciliùs subducamus, supponan- C tur, centum quadraginta quatuor lineæ; quas continet pes Parisinus, iterum singulæ divisæ in decem minores partes, ut pes integer sit 1440 talium partium. Hujus numeri cubus est 2985984000. Insuper libras ponderis dicti cubi ad uncias reducamus. Libra nostra continet sexdecim uncias. Ita

70 libræ	partes	1120
71		1136
71 lib. 5. un.		1141

Libræ 55 & 14 unciæ, quot ponderat pes aquæ cubicus Romanus, æquales sunt 894 unciis. Ergo sic constitutis terminis dictæ proportionis, per regulam auream ignotum terminum assequemur, D hanc ineuntes rationem. Pondus dicti pedis cubici nostratis in uncias redactum, quod est vel unciarum 1120 vel 1136 vel 1141, dat partes pedis cubici nostratis 2985984000; quotum ergo numerum dabunt 894 unciæ, quas ponderat pes aquæ cubicus Romanus. Multiplicatione & divisione factâ, ut regula aurea docet, exurget quartus numerus partes pedis cubici Romani exponens, sive potiùs tres diversos valores, prout pes cubicus Parisinus aquæus supponitur unciarum vel 1120, vel 1136, vel 1141. Exsurgent, inquam, hi numeri, pro quarto termino proportionis.

2383455085
2349885296
2339587814 E

Jam educenda radix cubica horum numerorum, arte quam norunt, qui elementa Matheseos attigerunt. Hæc radix dabit longitudinem pedis Romani per respectum ad valorem pedis nostri secundum tres diversas opiniones de pondere pedis cubici aquæi. Ita quales pes noster habet 1440, pes Romanus æquales partes habet juxta tres diversas opiniones, juxta primam 1336, juxta secundam 1329, juxta tertiam 1327. Hîc negligimus fractos numeros. Reductis integris ad terminos notos, in pede Romano sunt vel

Pollices.	*Lineæ.*	*Fracti numeri.*
11	1	$\frac{3}{5}$
11	0	$\frac{9}{10}$
11	0	$\frac{7}{10}$

Igitur si pondus dictum aquæ sit præcisè 70 librarum, pes Romanus est undecim pollicum nostratium, unius lineæ cum tribus partibus, quales linea integra habet quinque. Hæc longitudo satis congruit cum illâ quam assignat Villalpandus ex congio Romano, quam intuetur ut compendium cæterarum mensurarum. Animum suum adduxerat ut crederet alias mensuras Romanas certis lineis in congio designatas. Hoc est quod Riccioli suscepit declarandum, nimirum quòd latitudo orificii supremi decimam sextam partem altitudinis congialis, id est, digitum contineret: altitudo à summo labro ad torum imum, pedis longitudinem, sive latus cubicum amphoræ; tria verò cingula exteriora congii, supremum paulò infra orificium, secundum paulò infra ventrem, & tertium paulò infra medium, sic inter se dissita essent, ut recta linea à summo labro ad infimum cingulum æqualis esset semipedi, nempe lateri cubico congialis cubi; cui lineæ æqualis quoque esset linea recta ab imo toro ad tertium cingulum. Recta verò linea à primo ad tertium cingulum exhiberet semi-congii latus, sicut linea recta à primo ad secundum cingulum, sextarii cubicum latus; & recta linea à secundo cingulo ad tertium, latus cubicum heminæ. Denique rectè ab imo toro ad cingulum secundum producta linea congrueret lateri cubico modii. Quidquid sit, quoniam vera falsis non sunt admiscenda, quam pedis Romani longitudinem calculis subduxi, confirmabo ex antiquis monumentis.

SECTIO V.

Omnia antiqua monumenta confirmant quam statuimus Romani pedis longitudinem; quo cognito, mensuræ cavæ non ignorantur.


Hisce experimentis & ratiociniis statuo pedem Romanum antiquum esse undecim circiter pollicum, quales Parisinus habet duodenos. Ita cubitus Romanus, qui est sesquialter pedis, habet pollices $16\frac{1}{2}$. Quatuor ergo cubiti Romani faciunt 66 pollices nostrates, videlicet quinos pedes Parisinos cum semi-pede; quam mensuram veteres Romani statuebant staturæ mediocris, quatenus cubicus quater repetitus metitur hominem. Germani à quibus originem ducimus, ut jam diximus, erant proceriores; & ideo pes noster Romano longior statutus nempe 12 pollicum, & ideo cubitus 18 pollicum; sic quatuor cubiti faciunt septuaginta duos pollices, quos pro mediocri staturâ habuêre, qui definierunt mensuras nostras; & fecerunt proceriores, utpote sumptas à corporibus procerioribus. Romani verò breviores staturâ pedem suum fecerunt longum undecim tantùm pollicum. Age videamus an quibusdam monumentis hæc ratiocinia confirmari possint. Scilicet an forte extet aut memoretur alicubi pes Romanus, quo quis mensor olim usus sit, aut qui expressus reperiatur in aliquo vetusto saxo.

Guilielmus Philander in annotationibus suis in Vitruvium [lib. III. cap. 3.] mentionem facit pedis antiqui sculpti in marmore, quod suâ ætate servabatur in hortis Angeli Colotii; unde pes ille sculptus in hoc marmore vulgò appellatur pes Colotianus. *Eum autem pedem*, inquit Philander, *nos cæteris, qui circumferuntur, prætulimus, quòd conveniret cum eo, quem sculptum invenimus in alio marmoreo epitaphio T. Statilii, Vol. Apri mensoris ædificiorum, quod operâ Jacobi Meleghini summi Pontificis Architecti ex Janiculo non ita pridem*







Proportiones corporis humani ex Vitruvii lib. 3. cap. 1.



Tubus vitreus quo liquorum pondus exploratur vulgò pese-liqueur


III.
Col. 14.
C
D
A
B







EPITAPHIUM COLOTIANUM



VI
Col. 56.

IMP. CAESARE
VESPAS VI
COS
T. CAES. AUG. F. IIII
MENSURAE
EXACTAE. IN
CAPITOLIO

P. X

CONGIUS ROMANUS

Pes Romanus antiquus juxta Vilalpandum.

refossum, in Vaticanum hortum translatum est. Lucas Pætus sic de hoc pede loquitur in libro suo de mensuris. *Leonardus Portius Vicentinus, vir sanè doctus; primus omnium nostræ ætatis, qui de hac re scripserit, mensuram Colotiani pedis pro verâ tradidit: cùm nec tunc alia appareret. Is autem Colotianus ex marmoreâ basi sepulchri Cn. Cossutii sculptoris, ut arbitror sumptus est.* Meminit Vitruvius Cossutii Architecti. *Quæ quidem basis olim in hortis Angeli Colotii, (unde Colotiani pedis nomen) ad P incii montis radices, viri sanè doctissimi erat.* Lucas Pætus hujus sepulchri schema exhibet, *ut appareat*, inquit ille, *sculptoris concilium fuisse non exactam pedis mensuram demonstrare, sic nec circinorum, nec libellæ, aut mallei; sed tantùm ostendere cujus professionis hominis cineres ibi conservarentur. Sicque Colotianus his potiùs ansam perquirendi legitimum pedem præbuit, quàm quòd ipse legitimus sit.* Ne putes, Lector candide, quæ hîc corrupta legis in hoc Colotiano epitaphio impressoris vitio facta, scias ita in marmore legi. *Tab. I. 7.*

Hoc advertere est in pede Æbutiano, qui in hortis Mathæiis jacet insculptus inter alia fabrilia instrumenta. In hoc pede diligens partium divisio desideratur, & multis scrupulis differe, at ab aliis pedibus, qui celebrantur Fabrilia illa instrumenta non parùm depravata sunt; norma enim ibi & enormis & amblygonia, & perpendiculi crura claudicant, ut observat Raphaël Fabretus in suâ secundâ dissertatione de Aquæductibus. Attamen Joannes Grævius diligens scriptor Anglus pedem Colotianum habet pro legitimo, & conatur ei fidem adstruere ex antiquis monumentis. Constare debet solitos Architectos uti rotundioribus numeris non fractis; indè deducit Grævius pavimenta quæ reperiuntur in vetustis templis, verbi causâ, in templo Agrippæ, quæ omnia æqualia sunt, potiùs definita pedali mensurâ, aut unius, aut duorum, aut trium pedum, vel plurium, certo numero. Singula autem saxa dicti pavimenti præcisè lata sunt vel tribus pedibus, aut pede uno cum semipede, quæ quidem dimensio casu non facta est, nec in aliis saxis, quæ supersunt ex fundamentis Capitolii, in triumphalibus arcubus Titi, & Severi.

Grævius dicit à se repertos plerosque vetustos pedes æreos Colotiano pedi æquales ut sunt F. Ursini, necnon Leonardi de Portis Jurisconsulti Vincentini. Sed & fatetur se in alios incidisse vel paulò minores, vel paulò majores; & pedem Colotianum non convenire huic, qui in monumento Statilii cernitur, in quo numeravit partes 1944 & in Colotiano 1934, quales pes Anglicus habet 2000; ut si supponamus in pede Parisino mille partes, pes Statilii sit $910\frac{120}{267}$, & pes Cossutii $905\frac{115}{267}$ Eduardus Bernardus alter Anglus in libris suis de antiquis mensuris memorat Raphaëlem Fabretum eruisse Romæ ex suburbanis ruinis aliquot pedes ferreos, qui tribus millesimis unius pedis excedunt mensuram Grævianam, ut si Cossutianus sit 1000, ferrei illi sint 1003. Posito autem pede Cossutiano 1000, pes Parisiensis ex calculo Grævii est $1104\frac{45}{61}$. Neglectâ fractione, pars duodecima hujus numeri est 92, quæ addita numero 10003 facit 1095, ut nec Romanus pes ille ferreus Fabreti sit omnino undecim nostratium pollicum.

Fabreti pedem contendit Bernardus congruere veteribus monumentis, quæ Romæ visuntur, & id confirmat portâ magnâ Panthei latâ tales viginti pedes: tot circa urbem ductibus aquarum Marciæ, Tepulæ, Juliæ, Claudiæ, Cripto porticu Alexandri, & Mammææ Parentis 80 pedes longa; & pyramide quadratâ, & eleganti C. Cæstii Epalonis, super humilem suam basim lata pedes Romanos 98; ut antiquis monumentis Grævius frustra conetur suo Colotiano pedi fidem adstruere.

Quæ cùm ita sint, pedem Colotianum, sive Cossutianum licet statuere justo minorem. Cossutii artem, ut dictum est, potiùs ostendere voluit, qui marmor sepulchrale excidit, quàm valorem pedis exprimere; in quo efformando sculptor potuit peccare & deficere aliquâ millesimâ parte. Indè factum ut pes ille solidus, sive cubus pedalis, quem paraverat Grævius, non ceperit octo plenos congios, contra fidem Fannii & omnium antiquorum, qui testantur quadrantal, sive amphoram, quæ pes erat Romanus solidus, tantæ fuisse capacitatis.

Ex tantâ opinionum varietate, & ex tot diversis experimentis concludere licet, non longè abesse à veritate qui statuerit non multò majorem, nec multò minorem esse undecim pollicibus Parisinis. Quod judicium si certum est, cavarum mensurarum, quæ & usu erant apud Romanos, cum nostratibus cavis mensuris comparatio facilis est. Nam cùm amphora esset pes cubicus Romanus, latera ejus erant undecim pollicum qui cubicè multiplicati faciunt 1331 pollices. Congius pars erat octava amphoræ; ita $166\frac{3}{8}$ pollicum. Sextarius pars sexta congii; sic $27\frac{35}{48}$ pollicum. Denique hemina plus quam tredecim pollicum & semi-pollicis.

CAPUT VI.

De mensuris longis, cavis, ponderibus, & nummis Græciæ: de harum mensurarum inter se ratione, & cum mensuris Romanis.

SECTIO I.

Non iisdem legibus regebantur diversi Græciæ populi; indè diversis utebantur mensuris. Quædam apud eos artes ut Scholæ Medicorum, habebant proprias mensuras.

Scribebat Claudius Salmasius Joanni Wallæo hisce verbis. *Ita quidem est ut dicis, clarissime & doctissime Vvallæe; nihil in totâ antiquitate, de quo magis varient veterum auctorum sententiæ, quàm de ponderibus ac mensuris; nec id ipsorum fortasse vitio, sed rei, quæ tam varia, cùm singulæ gentes sua habuerint, & quædam partim eadem sub diversis appellationibus, partim diversa sub iisdem. Hæc omnia ut explicatu difficilia, si quis vel solas differentias exponere satagat, ita conciliari inter se posse quæ discrepant, vix unquam sperandum.*

De Græcis autem mensuris ideo major difficultas, quia sicut non eidem imperio, ita nec eisdem legibus & institutis subditi erant Græci omnes; undè fit ut sint ambigua testimonia, quæ allegantur ex eorum scriptoribus, nisi aliundè constet de quibus loquantur mensuris, an de Atticis, an de Laconicis. Quin & nonnullæ artes suas proprias mensuras habebant; ut Scholæ Medicorum, inter quos distinguendi qui jumenta curabant, dicti ἱππίατροι, id est *Medici equarii*, vel κτηνίατροι *veterinarii*. Latinis *veterinum* est τὸ κτῆνος *jumentum*. Medici, inquam, illi non utebantur ponderibus, quæ apud cæteros Medicos erant in usu. Apud Agricolas erant certæ mensuræ usitatæ, quæ idcirco dicuntur *Georgicæ*. Hæc omnia tum ratione regionum, tum artificum sedulo distinguenda sunt. Respublicæ in Græciâ floruêre præ cæteris, Attica, Corinthia, Laconica, Æginæa, Euboica. Harum omnium regionum,

tum cujusque artis mensuras prosequi non visum est. A Non vacabat, nec necesse erat. Ad scopum properabam. Qui otio abundant, possunt adire Budæum, Agricolam & alios, sed in primis Matthæum Hostum.

Quod nunc generale nomen est τὸ μέτρον, Latinis *mensura*, olim ætate Homeri particulare erat cuidam vasi minori, quo majorum vasorum capacitas æstimabatur; ideo propter frequentiorem usum simpliciter, dicebatur μέτρον *mensura*; sed hujus vasis capacitas non definitur ab Homero; & in cæteris scriptoribus nomen est commune omnibus mensuris. Quod autem de unâ quâque mensurâ speciatim dicemus, Lector interpretabitur de illis omnibus quæ toti Græciæ erant communes, nisi alicui B regioni proprium esse admoneamus.

SECTIO II.

De mensuris quibus Græci intervalla metiebantur. De stadio & aliis.

Nobile & proprium Græcis mensuræ genus fuit stadium; quod Censorinus triplex facit, Italicum, Olympicum, & Pythicum. Primis temporibus stadium erat curriculum, in quo armati sive cum armis de pedum velocitate contendebant. Pausanias inter monumenta Græciæ pleraque talia curricula numerat candido & alio marmore exornata. Sta- C dium autem dictum à statione, complectens spatium quod uno spiritu conficiebatur, nec ante sistebatur cursus. Nempe emensus hocce spatium, qui prius currebat, tunc stabat. Hinc huic spatio nomen. Celebre est Olympicum spatium, quod Hercules dicitur uno sic spiritu metatus.

Priusquam definiamus stadii longitudinem, decet enumerare inferiores mensuras porrectas. Eadem fermè inter illas ratio, quæ est inter Romanas. Digito, palmo, pede, cubito Græci metiri intervalla solebant; nimirum pleræque Græcæ mensuræ, ut Romanæ, à membris humanis initia, incrementa & appellationes sumunt, & his multiplicatis constant; ut ostendunt Agricola, Matthæus Hostus, ex Onomasticis Græcis Julii Pollucis, Hesychii, Sui- D dæ, qui singula mensurarum nomina explicant, definiunt.

Minima mensura erat Δάκτυλος *digitus*, indè Δακτυλιαῖος *digitalis*. Consideratur ejus crassitudo sive latitudo, non longitudo. Ita cùm simpliciter nominatur *digitus*, intelligi debet latus, seu transversus, sexta decima pars pedis. Non eadem est crassitudo omnium digitorum. Pollicis major est, qui ideo dicitur major digitus; minor est ille, qui auricularis appellatur. Sed cùm nominatur digitus, nec pollex, nec auricularis intelliguntur, sed quædam latitudo; quæ decima sexta pars est pedis.

Δοχμὴ quarta pars est pedis, quæ Latinè *palmus* dicitur. Apud Pollucem sunt quatuor digiti con- E clusi: sive manus transversa. Eadem mensura appellabatur δῶρον; indè δίδωρον, τετράδωρον, πεντάδωρον, quod est quoquò versùs palmorum duorum, quatuor, quinque. Appellatur etiam παλαιστὴς in masculino genere; & ἡ παλαιστὴς & ἡ παλαιστὴ in fœmineo genere. Παλαιστὴ *palæste*, inquit Hesychius, mensura est quatuor digitorum. Indè est διπάλαιστος, τετραπάλαιστος, πενταπάλαιστος, hoc est duorum, quatuor, quinque palmorum.

Σπιθαμὴ *spithame*, ut definitur à Polluce, mensura est extensorum digitorum à magno ad minimum, sive ab extremo pollicis ad extremum digiti auricularis. Redditur à Plinio *dodrans*, id est novem unciarum pedis, qui integer, ut vidimus, valet sexdecim digitos: ita dodrans pedis idem est ac duodecim digiti. Spithame itaque totidem digitorum est. Malè a quibusdam accipitur pro palmo. Distingunt illi duplicem palmum, minorem, & majorem. Hunc cum dodrante confundunt, sine ullo veterum auctorum testimonio. Etiam malè σπιθαμὴ redditur palma.

Λιχάς. Si magnum digitum contra indicem extenderis, mensura *lichas* est, inquit Pollux. Decem digitorum censetur ab Hosto.

Ὀρθόδωρον. Quod est à primâ parte manûs seu palmæ usque ad summitatem digitorum, tota manus Orthodorum vocatur. Undecim digitorum est ex Hosto.

Πὲς *pes*, apud Herodotum mensura est τετραπάλαιστος, nempe quatuor palmos continens, & ideo digitos sexdecim, quoniam παλαιστὴς sive δοχμὴ sit quatuor digitorum.

Πῆχυς pro membro hominis & parte brachii sic finitur à Polluce in Onomastico. *Intervallum à brachii flexu seu ulnâ ad medii digiti summitatem cubitus est.* A Suidâ, *cubitus est extensio à cubito usque ad digitos manûs.* Habet pedem & dimidium, sive sex palmos, sive viginti quatuor digitos.

Πυγὼν *pygon* apud Pollucem sic finitur: si digitos simul flexeris, à cubito ad ipsos pygon est: Apud Hesychium mensura est à cubito usque ad extremam manûs partem, si digiti inflexi fuerint; vel ut alii loquuntur, cubitus mensura est à cubito ad nodos medios digitorum tendens. Viginti digitorum est, ita cubitus est decurtatus quatuor digitis.

Πυγμὴ, undè Pygmæi nomen habent, est mensura à cubito ad digitos, sed clausos. Si concluseris digitos, inquit Pollux, pygme est. Quod alii sic exprimunt: spatium à cubito ad extremum metacarpium. Sex digitis brevior est cubito. Dicitur & cubitus decurtatus, sed additur minor, quia *pygon* etiam est cubitus decurtatus, sed tantùm quatuor digitis.

Ὀργυιὰ Orgya est ambarum manuum extensio; sive mensura, ut orgyam definit Suidas, quæ inter manus expansas & brachia continetur. Si verò ambas manus extenderis, ut & pectus una cum eis dimetiaris, orgya mensura est, inquit Pollux. Illa extensio, ut demonstratum est supra apposito schemate ex Vitruvio, ipsa est statura hominis, qui definitur ab Aristotele animal pedestre, bipes, quatuor cubitorum. Orgya ergo, ut testimonio Herodoti alioquin constat, est τετράπηχυς quatuor cubitorum & ἑξάπους sex pedum. Malè habetur pro passu Romano. Pro ulnâ eam accipit Plinius

Hæ enumeratæ mensuræ sumuntur à membris corporis humani, vel longitudine, vel latitudine, vel extensione. Sequuntur mensuræ quæ ex pede multiplicato nascuntur.

Πλέτρον quod & πέλετρον: Pletrum apud Suidam habet pedes centum; & ideo statuitur ab Herodoto stadium æquale sex pletris: Juxta Scholiastas Homeri, sexaginta sex cubitorum & bessis. Sexaginta sex cubiti faciunt nonaginta novem pedes. Deest δίμοιρον hoc est *bes*, sive duæ tertiæ partes cubiti; quæ faciunt unum pedem. Plutarchus Latinam vocem *jugerum*, Græcâ πλέθρον reddit. Sed ista vox πλέθρον usurpatur à scriptoribus Græcis pro mensurâ longâ. Latinis verò jugerum mensura est simul longa & lata, quo nomine Virgilius reddit Græcam πέλεθρα in sequenti carmine quod, versio est Latina Græcæ poëseos Homeri.

Nec non & Tityon, terræ omniparentis alumnum,
Cernere erat: per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur.

Ἄρουρα *Arura* pedes habet quinquaginta, ut vult

Suidas. Etiam arura campus eſt, àruum & terra a- A rata. De illâ menſurâ iterum loquemur in menſuris Ægyptiacis.

Στάδιον *ſtadium* primitùs erat locus certaminis, *curſus*, *curriculum*, ut modo dicebamus. Poſtea certa fuit menſura. Centum orgyæ juſtæ, inquit Herodotus, ſunt ſtadium ſex plethrorum. Singula plethra erant centum pedum. Singulæ orgyæ ſex pedum. Ita conſtat ſtadium habuiſſe ſexcentos pedes ſive quadringentos cubitos, ut dicit Gellius. Stadio Olympico tot pedes tribuuntur: Italico ſexcenti viginti quinque. Attamen inter Italicum & Olympicum nullam eſſe differentiam ideo dicit Gellius, quia pes Græcus excedit pedem Romanum ſemunciâ. Pythico ſtadio mille pedes tribuuntur.

Στάδιον à veteribus αὐλὸς quoque dicebatur; inde erat δίαυλος nempe curſus duplicatus, ſpatium obeundi & regrediendi. Cùm enim curſum relegerent, totum ſpatium quod ſine intermiſſione percurrebant, δίαυλον nominabant. Stadium illud ſic duplicatum, ſive curſus & recurſus appellabatur δόλιχος. Georgius Agricola allegat Heronem, qui ſcribit δόλιχον fuiſſe duodecim ſtadiorum; quod vix credi poteſt. Curſus erat δόλιχος ut oſtendunt illa verba Pollucis Τὰ ἢ τῶν γυμνικῶν, δόλιχος δολιχοδρόμος, καὶ ὁ τὸν δόλιχον θέων, καὶ ὁ τὸν μακρὸν δρόμον ἀγωνιζόμενος. *Gymnicorum verò ſunt, curſus plenus, curſus longus, & pleno curſu currens & longo curſu certans.* Quadruplex ſtadium dicebatur ἱππικὸν, id eſt equeſtre, quia equeſtris curſus eſſet quatuor ſtadiorum. Μίλιον deflectitur à voce Latinâ mille; quod Plutarchus facit ferè octo ſtadiorum. Τὸ ἢ μίλιον ὀκτὼ ςαδίων ὀλίγον λείπει. Sequens tabula exponit has rationes, quas habent inter ſe dictæ menſuræ.

Inferiores menſuræ quotæ ſuperiorum partes ſint, numerus additus indicat.

Μίλιον	1									
Ἱππικόν	2	1								
Στάδιον	8	4	1							
Πλέθρον	48	24	6	1						
Ἄρουρα	96	48	12	2	1					
Ὀργυιά	800	400	100	16 2/3	8 1/2	1				
Πῆχυς	3200	1600	400	66 2/3	34	4	1			
Ποῦς	4800	2400	600	100	50	6	1 1/2	1		
Παλαιστή	19200	9600	2400	400	200	24	6	4	1	Σπιθαμή
Δάκτυλος	76800	38400	9600	1600	800	96	24	16	4	1

SECTIO III.

De Græcorum vaſis, ſive menſuris cavis, quibus illi utebantur, metientes tum fruges tum liquores, res aridas & liquidas.

PRæter antiqua onomaſtica & lexica Græca, quæ exponunt nomina propria menſurarum, de illis Galenus & Dioſcorides deditâ operâ ſcripſerunt. Hos fontes adii, ſimul & eos Auctores per quos hi fontes, ut ita dicam, limpidiores facti ſunt. Obſervavi menſuras Græcas multiplices eſſe ſive diverſas, ratione tum locorum, tum artificum ſeu utentium. Atticæ præcipuæ ſunt, quæ & medicæ cenſeri poſſunt: *ferè enim Atticâ obſervatione medici utuntur*, ait Plinius, lib. XXI [cap. 34.] Prima autem ex menſuris cavis Atticorum Μετρητὴς *Metreta* eſt; quæ aliquando pro quocumque vaſe uſurpata eſt; nam idem ſonat Græcis quod Latinis menſura. Μετρητὴς Græcis eſt maſculini generis; Metreta tamen Latinis quoque feminino genere dicitur. Pro certâ menſurâ, ſive pro certo vaſe etiam

accipitur ; ſed ab omnibus antiquis Scriptoribus non eadem illi tribuitur capacitas. Ex Galeno Metreta Attica continet 72 ſextarios. Vas illud appellatur à Fannio *Amphora Attica* ſeu cadus.

Attica præterea dicenda eſt amphora nobis
Seu cadus : hunc facies, noſtræ ſi addideris urnam.

Amphora Romana capit duas urnas : urna viginti quatuor ſextarios ; ita amphora quadraginta octo, quibus ſi addatur urna fient ſeptuaginta duo ſextarii. Ergo amphora Attica Fannii eſt ipſa Attica metreta, nimirum 72 ſextariorum. Hoc vas apud Pollucem appellatur à Phillilio ἀμφορεὺς, ſed addendum Ἀττικὸς ; ſicut cùm à Græcis Scriptoribus amphora Romana nominatur μετρητὴς, adjungitur Ἰταλικός. Et metreta Græcè dicitur κάδος, Latinè *cadus*. Κάδος reperitur nominatus κεράμιον à materiâ ſuâ, quòd eſſet vas fictile : κεραμεὺς *figulus* eſt. Dicitur quoque σταμνίον apud Heſychium.

Χοῦς, qui & χοεὺς, à verbo χεῖν, id eſt, *fundere*, derivatur. Primùm enim in genere vas fuit, quo aqua hauriebatur ac fundebatur ; deinde quæpiam menſura liquoris, ut conſtat ex Dioſcoride, Galeno, Heſychio, & aliis. Χοῦς *chus*, ex Fannio par erat congio Romano duodecima pars metretæ, quæ duodecim congiorum capax erat.

Ξέστης ſextarius vox Græca nova à voce Romanâ *ſextarius*, derivata eſt, ut teſtatur Galenus. Allegat ex eo locum Agricola, ubi ille, dico Galenum, declarat ſextarii nomen, & uſum olim Athenienſibus non fuiſſe cognitum ; nunc verò ex quo Romani rerum potiuntur, ſextarii nomen omnibus, qui Græcâ linguâ utuntur innotuit ; at ipſa menſura Romanæ æqualis non eſt. Hæc Galenus. Villalpandus ibi hunc medicum putat non loqui de ſextario Attico, ſed de aliarum civitatum Græciæ ſextariis. Verùm in hoc loco ſtatim mentio fit Athenienſium. Ita contendit Agricola, & pugnat prolatis teſtimoniis ſextarium Atticum minorem fuiſſe ſextario Romano duabus unciis menſuralibus. In tabulis exhibetur tanquam *Metretæ* pars ſeptuageſima ſecunda.

Κοτύλη *Cotyla* à cavitate nomen habet ; nam omne cavum *Cotylam* vocabant veteres. Cotyla fuit diverſæ capacitatis. Attamen ſæpiùs dicitur fuiſſe ſextarii partem dimidiam. Ita Fannius.

At cotylas, quas, ſic placeat, dixiſſe licebit
Heminas : recipit geminas ſextarius unus.

Cotyla non eſt diverſa menſura à *Tryblio*. Græcum nomen eſt τρύβλιον.

Τέταρτον eſt quarta pars ſextarii, & media cotylæ. Alias minores menſuras liquidorum recenſet Agricola, quæ uſitatæ erant præſertim apud Medicos.

Ὀξύβαφον *Oxybaphum* quod bis continetur in Quartario. Juxta Agricolam oxybaphum continet *ſeqnicyathum*. Cyathus conchas duas, *Myſtra* quatuor, *Chemas* quinque, cochlearia duo.

His dictis vaſis menſurabantur liquores. Ad metiendas autem fruges Græci utebantur Medimno, qui Græcè dicitur ὁ μέδιμνος & τὸ μέδιμνον. De ejus capacitate non convenit ; forſan quia in diverſis Græciæ locis non erat unius capacitatis. Ex Fannio Medimnus erat duplo major amphorâ, quæ erat 48 ſextariorum ; ita Medimnus cupiebat 96 ſextarios. Fannius de amphorâ canit.

Hujus dimidium fert urna, ut & ipſa Medimni
Amphora : terque capit modium.

Fannio conſentit Cornelius Nepos in vitâ Pomponii Attici, ſex modios æquans medimno Athenienſi. Hujus menſuræ non ſemel meminit Cicero; unde cùm medimnus & menſura ſit Romana, poeſt fieri ut Fannius de Italico medimno loquatur ; quod aliud ſit ab Athenienſi, in quo Pollux numerat 48 chænicas.

Χοῖνιξ *Chænix* erat certa menſura cibi, qui diſtribuebatur ſervis. Ex eodem Fannio capiebat quatuor ſextarios. Agricola teſtimonio Cleopatræ medici probat chænicam apud medicos continuiſſe tantùm ſeſquiſextarium, ſive ſextarium cum dimidio. In medimno, ut dicit Pollux, erant quadraginta octo chenices ; ita ut numerandi eſſent in medimno Attico 192 ſextarii Hæc incerta ſunt, quia tum ratione regionum, tum artificum, menſuræ ejuſdem nominis non erant ejuſdem capacitatis. Sequens tabula exhibet rationem vaſorum, quæ uſitata erant Athenis in metiendis frugibus & liquoribus. Menſuræ Georgicæ ſive quæ in re ruſticâ adhibebantur ; ſicut & Hippoiatricæ, quibus utebantur medici, qui artem impedebant equis, mulis, jumentis ſanandis. Menſuræ, inquam, illæ ad nos non pertinent.

1	Sextarius.					
2	1	Chænix.				
8	4	1	Chus.			
12	6	$1\frac{1}{2}$	1	Amphoreus.		
72	36	9	6	1	Metreta ſive amphora Attica ſive cadus.	
144	72	18	12	2	1	Medimnus.
384	192	48	32	$5\frac{1}{3}$	$2\frac{2}{3}$	1

SECTIO IV.

De ponderibus Græcorum.

NOn omnes Græci uſi ſunt iiſdem ponderibus ; inde tot ambiguitates, & difficultates. Uſitatiſſimum Atticis & Medicis pondus fuit Δραχμὴ *drachma* ; quæ ideo ὁλκὴ *holce* dicebatur ; quod nomen ſonat Græcis, quod Latinis *pondus*. Δραχμὴ autem ſignificat *manipulum*. Lacedæmonii olim, teſte Plutarcho, pro nummis utebantur obelicis ſive verubus minutis. Ex obelicis facti oboli, qui plani & rotundi evaſerunt. Hinc ſex obolorum, quantùm complectebatur manus, numerus appellatus eſt *drachma*, hoc eſt *manipulus*. Drachma continet tres ſcripulos, obolos ſex apud Suidam, lupinos novem, ſiliquas octodecim, æreolos 48 Cleopatra teſte. Ἀδραχμὴ eſt δίδραχμον, τέδραχμον, τετράδραχμον, quæ tàm de pondere quam de nummo intelliguntur.

Ὀβολὸς

Ὀβολὸς Latinè *obolus* & ponderis & nummi nomen est, drachmæ sexta pars. Obolus continet apud Atticos sex χαλκοῦς, hoc est æreolos, ut est apud Suidam ex Diodoro. Cleopatra obolo sesquilupinum tribuit, siliquas tres, æreolos octo.

Χαλκοῦς *æreolus* est pondus & nummus, oboli pars sexta. Continet septem λεπτὰ, hoc est minuta apud Suidam. Λεπτὸν æreoli pars septima est. Seneca *minutiam* vocat, & manet indivisum. Hæ minutiæ non erant species nummorum, vix enim tractari poterant, granis nostris in quæ uncia Gallica dividitur, multo leviora. Leviores nummi apud Græcos, si credimus Fannio erant oboli.

Nam nihil his, obolove minus, majusve talento.

Hæc sunt minora pondera. Majora sunt: primum Μνᾶ Jonicè μνέα, Latinè *mina* ponderis & rei nummariæ nomen. Mina Attica erat centum drachmarum; ita quatuor drachmis major erat librâ Romanâ, quæ tantùm nonaginta sex drachmas habebat, quod dicit Fannius.

Accipe præterea patrio quam nomine Graii
Μνᾶν vocitant, nostrique minam dixêre priores.
Centum hæ sunt drachmæ. Quod si decerpseris illis
Quatuor, efficies hanc nostram denique libram.
Attica quæ fiet, si quartam dempseris hinc mnâ.

Hoc est Attica libra fiet, si ex mnâ sive ex centum drachmis, decerpseris quartam partem centum drachmarum, nempe viginti quinque drachmas. Sic Attica libra erat minor librâ Romanâ, ut idem Fannius docet nos.

Attica nam minor est; ter quinque hanc denique drachmis
Et ter vicenis tradunt explerier unam.

Scilicet libra Attica erat 75 drachmarum. Confundunt nonnulli Mnam cum librâ, sed malè Hoc non facit Dioscorides, qui nunc libræ, nunc minæ vocabulo utitur tanquam diversis ponderibus. Galenus apertè dicit diversas esse mensuras.

Τάλαντον talentum primitivâ suâ institutione significat *stateram, libram, lances*. Ταλαντοῦ idem est ac *pondero* seu *libro*. Olim ergo talentum nomen erat ponderis; cujus non idem valor fuit apud omnes gentes. Græcis valebat teste Fannio.

Cecropium superest post hæc docuisse talentum
Sexaginta minas, seu vis sex millia drachmas
Quod summum doctis perhibetur pondus Athenis.
Nam nihil his obolove minus, majusve talento.

Agricola contendit duplex fuisse apud Græcos talentum, minus & majus. Nimirum aliud sexaginta minarum, alterum octoginta minarum.

Græci Medici pondera quædam à Romanis, postquam illi in Græciâ rerum potiti sunt, acceperunt mutuo. Interdum usurpant hocce nomen λίτρα, quod idem est ac libra; quam & in uncias partiuntur: unciam verò in scrupulos, quos nominant γράμματα. Etiam agnoscunt siliquas Κεράτια.

Galenus & Cleopatra satagunt definire quot libras vini aut aquæ, utrumque enim liquorem æqualis fuisse ponderis reputant, vasa enumerata superiori articulo, caperent. Sicque non solam molem liquoris, qui in hæc vasa infunderetur, sed pondus considerant. Τὸ κεράτιον, quod redditur Latinè siliqua, & est κόκκιον *granum*, in ponderibus est, inquit Galenus, quod unitas in numeris. Obolus continet κεράτια siliquas, seu κόκκια grana tria. Medimnus autem continet libras 48. Congius libras decem. Non exscribam Galenum & alios; quæ enim de mensuris dicunt, adtexta reperiuntur plerisque Græcis Lexicis.

Talentum	Τάλαντον	1					
Mna.	Μνᾶ	60	1				
Drachma.	Δραχμὴ	6000	1	1			
Obolus.	Ὀβολὸς	36000	600	6	1		
Æreolus	Χαλκοῦς	216000	3600	6	6	1	
Minuta au Minutia.	Λεπτὸν	1512000	25200	252	42	7	1

SECTIO V.

De nummis Græcorum, & æris, argentive, & auri apud eos pretio.

Græcorum nummi ferè omnes nomen suum habent à suo pondere. Ponderum loco erant. Drachma enim pondus est & nummus. Per drachmas Græci, ut Latini per sestertios, nummarias suas summas colligebant & conficiebant. Sæpiùs drachmâ argenteâ utebantur; undè illud Fannii carmen.

Tres scripuli drachmam faciunt: quo pondera doctis
Argenti facilis signatur nummus Athenis:
Holceque à drachmâ non re sed nomine differt.

Erant apud Græcos nummi duarum, trium, quatuor drachmarum; ut modo dicebamus. Apud Athenienses nummus erat quatuor drachmarum, qui γλαῦξ *noctua* dicebatur; nempe in tetradrachmo sculpta erat noctua; sic & quidam didrachmus nummus nominabatur *bos* propter inscriptum bovem. Erat & pentadrachmum & hexadrachmum & pen-

tacontadrachmum In ſcriptoribus autem Græcis, cùm voci ἀργυρίω non additur nomen numerale, intelligenda drachma nummus, quo nempe frequentiùs Græci uterentur.

Ὀβολὸς & ὀβελὸς eſt inſtrumentum culinarium, quod Latinis dicitur *veru*. A formâ vetus nummus ὀβολὸς dictus eſt, ut vidimus. Sex obolos drachma continebat. Ex ferro, ex ære, ex argento cuſi ſunt oboli. Alii obolo tribuunt ſex æreolos, alii octo, alii decem. Æreoli autem ſeptima pars eſt λεπτὸν minutum ſive *minutia*.

Στατὴρ ſtater nummus erat & pondus. Uſurpatur pro librâ; derivatur enim à verbo ἱςάναι, quod præter alia ſignificat *appendere, ponderare, librare*. Ita ſignificationem habet generalem; & nomen ejus tribuitur nummis diverſi ponderis. Stateres argentei ſæpiùs erant tetradrachmi unde Epiphanius dicit eos habuiſſe pondus, quod unciæ dimidium ſit: ſive, ut ait Cleopatra, quatuor drachmas. Hoſtus plures alias nummorum ſpecies recenſet; quas prætermittimus, quia properamus ad eas menſuras, quæ in ſacro codice memorantur, quarum mentio fit vel in fonte vel in verſionibus. Dicam ergo quid ſit minutum ſive Κοδράντης *Quadrans*, quem minimum nummum vidua pauper dicitur miſiſſe in gazophylacium (Marc. 12, 42.) Nummus erat æreus Romæ aſſ..atus; ubi vilis habebatur, ut colligitur ex hoc carmine, quo Horatius ridet hominem tenuem & ſordidum.

> *Dum tu quadrante lavatum*
> *Rex ibis; &c.*

Ita & ἀσσάριον *aſſarium* in Græco fonte Matthæi 10. 29 in verſione Latinâ *as*, nummus erat æreus Romanus, vilis; undè Dominus aiebat, nonne duo *paſſeres* ἀσσαρίου *aſſe væneunt*.

Μνᾶ Mina Attica erat centum drachmarum, ut vidimus. Quæ dicta ſunt de ponderibus, dant hujus nummi ſicut & talenti cognitionem. Talenti autem nomine ſæpiùs ſignificatur infinitum pondus, quod à diverſis nationibus & diverſis temporibus variè definitum eſt.

De pretio æris, argenti & auri non multis dicam; ſatis enim declaravimus illud pendere ex raritate horum metallorum, tum ex commodis, quæ eorum commercio comparantur. Primis temporibus res rebus permutabantur. Quoniam de Græcis hìc loquimur, ſufficiat in teſtimonium adducere illa Homeri carmina ex ſeptimo Iliados. verſ. 472.

> Ἔνθεν ἄρ' οἰνίζοντο καρηκομόωντες Ἀχαιοί,
> Ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἴθωνι σιδήρῳ,
> Ἄλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ' αὐτοῖσι βόεσσιν.

Illinc vinum emebant capitibus comati Achivi, alii quidem ære, alii autem ſplendido ferro. Alii autem pellibus, alii verò ipſis bobus. Videre eſt in XXIII. verſ. 703. magnum tripodem, duodecim boum pretio æſtimatum: tempore Thucididis, unuſquiſque miles in diem accipiebat drachmam. Erat hæc merces diurna: referente Polybio (lib. 6.) peditibus Romanis ſtipendium diurnum erant duo oboli: ductoribus quatuor oboli: equitibus una drachma. Idem Scriptor (lib. 2.) oſtendens quantùm excellat is Italiæ tractus, qui oram maritimam Adriatici ſinus occupat, ſcribit comparatum ſuâ ætate medimnum frumenti quatuor obolis, & hordei duobus obolis; & oboli quartam partem ſuppeditaſſe victum diurnum. Athenæus lib 6. oſtendit olim per quam rarum fuiſſe apud Græcos uſum auri; adeo ut Philippus Alexandri Magni patrens exiguam phialam auream, quam penes ſe habebat, in lecto cubans pulvinari ſemper ſubderet. At poſtquam Alexander magnus Aſiæ theſauros diripuit, prorſus exorta eſt opulentia. Plura exempla & teſtimonia adducit Athenæus, quibus demonſtrat olim ſummam fuiſſe in Græciâ argenti & auri raritatem; ideo nummorum argenteorum, & aureorum pretium ſummum erat.

SECTIO VI.

Græcæ menſuræ componuntur cum Romanis & Pariſinis.

COmpoſuimus menſuras Romanas cum Pariſinis; modò ergo ratio Græcarum cum Romanis non lateat, quam Græcæ habeant cum noſtratibus, erit comperta. Sufficit, inquam, Græcas cum Romanis componere, ſive adducere verba auctorum, qui pridem illas ſecum invicem compoſuerunt. Plinius (lib. 11. cap. 23.) ſtadium ſtatuit 625 pedum Romanorum. *Stadium centum viginti quinque noſtros efficit paſſus, hoc eſt, pedes ſexcentos viginti quinque.* Idem verò intervallum erat præcisè 600 pedum Græcorum, ut colligitur ex eo quod Herodotus æquale faciat ſtadium centum Orgyis. (lib. 11.) Orgya enim ſex pedum eſt. Joſephus ſtadium par facit quadringentis cubitis; id eſt, ſexcentis pedibus Græcis; loquebatur enim, ut liquet de Græcis cubitis. Ratio pedis Græci cum Romano apparet in monumento, quod allegat Agricola, loquens de pede Græco. *Græcus verò* pes, *quantus ſit, percipi poteſt ex columnâ, quæ eſt in æde duodecim Apoſtolorum. Ea autem eſt in Vaticano prope obeliſcum. In ſupremâ enim parte ejus columnæ, quæ, ut mihi videtur, quondam ex Græciâ fuit translata Romam, quod etiam indicat Græca hæc inſcriptio* ποδῶν. θ. *id eſt, pedum novem. Cujus columnæ longitudinem ſi in novem partes diſtribueris, quæque efficiet Græci pedis menſuram.* Vidimus à Philandro in ſuis in Vitruvium annotationibus mentionem fieri hujus columnæ, cùm ſignificaret pedes in eâ notatos non eſſe ejuſdem menſuræ ac pedes Coſſuti & Statilii. *Quamvis jacentem in baſilicâ Apoſtolorum columnam ex porphyrite cum his Græcis in calce litteris* ΠΟΔ. Θ. *id eſt, pedum novem, nos cum dimenſi eſſemus, deprehenderimus non reſpondere noſtro* nempe Colotiano, *eum quo uſus fuerat ejus columnæ artifex, ſed noſtro eſſe majorem duobus ſcrupulis & beſſe, id eſt, unciæ parte nonâ. Ut argumentum aliquod eſſe poſſit pedis Græci fuiſſe modulo ſcapum columnæ factum: quod faciliùs conjicere potuiſſem, ſi integra eſſet alia ex eadem lapide columna, quam in viâ latâ eſt conſpicere jacentem; his in calce litteris* ΠΟΔ. ΙΒ. *inſignitam. Verùm quando ſtadium Herodoto libro ſecundo, Heroni, Suidæ, cæteris Græcis ſexcentorum pedum, Plinio, Columellæ, cæteris Latinis ſexcentorum viginti quinque noſtrorum, neceſſe eſt Romanum à Græco ſemunciâ ſuperari.*

Iſta ratio manifeſta eſt. Etenim cùm 625 Romani pedes æquales ſint 600 pedibus Græcis, partiendo 25, differentiam numerorum 600 & 625, inter ſexcentos pedes Græcos, quotus numerus $\frac{25}{600}$ declarat hos pedes augendos vigeſimâ quartâ parte pedis Romani. Nam fractio iſta reducitur ad illam $\frac{1}{24}$: ita pes Romanus minor eſt Græco vigeſimâ quartâ pedis Romani, ſive ſemunciâ. Pes Romanus eſt undecim pollicum Pariſinorum, & ideo 132 linearum, quales in unoquoque pollice Pariſino numerantur duodecim. Vigeſima quarta pars 132 lineæ ſunt 5 cum $\frac{1}{2}$, ſive lineæ quinque cum ſemilineâ: quâ ergo longitudine pes Græcus major eſt Romano; ſic à Pariſino differens ſex lineis cum ſemilineâ.

Pes ſexta pars eſt hominis ſtaturæ: ex pede Græ-

co deduci ergo posset quæ fuerit Herculis statura, A quod fecit Pythagoras, ut narrat A. Gellius lib. 1. cap. 1. *Nam cùm ferè constaret curriculum stadii, quod est Pisis ad Jovis Olympii, Herculem pedibus suis metatum, idque fecisse longum pedes sexcentos: cætera quoque stadia in terris Græciæ, ab aliis postea instituta, pedum quidem esse numero sexcentum, sed tamen esse aliquantulùm breviora: facilè intellexit modum, spatiumque plantæ Herculis; ratione proportionis habitâ, tantò fuisse, quàm aliorum procerius, quantò Olympicum stadium longius esset, quàm cætera. Comprehensâ autem mensurâ Herculiani pedis, secundùm naturalem membrorum omnium inter se competentiam modificatus est: atque ita collegit, quod erat consequens,* B *tantùm fuisse Herculem corpore excelsiorem quàm alios, quantò Olympicum stadium cæteris pari numero factis anteiret.* Solis sex pedibus vulgaribus Græcis altus Hercules non excessisset quinque Parisinos pedes, cum octo pollicibus & lineis novem. Quæ statura haberi potest pro mediocri. Sed pes Herculanus major pede vulgari Græco; & Græci breviores hominibus regionum borealium. Semel ac reperta est ratio pedis Græci cum Romano & Parisino, patet cæterarum mensurarum longarum proportio.

Quoad vasa Græca, vidimus quæ esset capacitas eorum, juxta veterum sententiam æstimata mensuris Romanis. Sextarius Romanus capiebat duas C Græcas cotylas sive heminas. Quatuor sextarii æquabant choeniam. χοῦς par erat sex sextariis, & uni congio. Ita χοῦς & congius ejusdem capacitatis erant. Hæc confirmat suis carminibus Fannius.

At cotylas, quas si placeat, dixisse licebit
Heminas, recipit geminas sextarius unus.
Qui quater assumptus, Graio nomine χοῖνιξ.
Adde duos, χοῦς fit. Vulgò qui congius idem.

Vidimus Agricolam facere sextarium Atticum minorem sextario Romano; sed nos sequimur Fannium, & alios, qui de utroque sextario loquuntur, ut paribus.

Pondera autem & ideo nummi Græcorum sæpiùs reperiuntur composita cum Romanis. Uncia Romana ponderabat octo drachmas. Attestatur D Fannius.

Uncia fit drachmis bis quatuor.

Drachma Attica, inquit Hesychius, τὸ ὄγδοον οὐγκίας, octava pars est unciæ. *Drachmæ autem octo*, ait Hieronymus in caput quartum Ezechielis, *Latinam unciam faciunt.* Vidimus unciam Latinam ponderare granis Parisinis $536\frac{4}{5}$. Neglectâ fractione, pars octava horum granorum, sive 67 grana erunt pondus drachmæ Atticæ. Indè cætera pondera Græca facilè æstimari possunt, sicut & omnes nummi.

Collatio denarii Romani cum drachmâ Græcâ difficilior est; quia non constat quot sint in unciâ Romanâ, drachmæ, an octo an septem. His quæ diximus, pro æqualitate drachmæ, addendum tes- E timonium Cleopatræ eruditissimæ fœminæ quæ sic loquitur: Τὸ Ἰταλικὸν δηνάριον ἔχει δραχμὴν α'. Hoc est *Italicus denarius habet drachmam unam.* Sic Galenus lib. VIII. cap. 3. de Medicamentorum compositione. *Perspicuum autem est quòd drachmam nunc in hujus modi omnibus dicimus, quod Romani denarium nominant.* Colligit Hostus loca varia, in quibus scriptores Latini historiæ Romanæ mentionem faciunt denariorum, quorum numerum scriptores Græci exprimunt pari drachmarum numero. Reperiuntur denarii drachmales. Vidimus Consulares nempe percussos sub primis Consulibus fuisse verè drachmales; quod cognoscere licet ex caractere & imagine superscriptâ; sed Grævius e- A numerat complures nummos dracmales, didrachmos, tetradrachmos, quorum jam pondus exploraverit; & indè didicerit drachmam Græcam ponderosiorem esse octavâ parte unciæ Romanæ. Quid autem reponunt ad tantam testium nubem, qui æquant drachmam denario? ab illis, inquiunt, non expressum est discrimen, quod pro nullo haberent, sed vix credi potest discrimen, si quod fuerit, à nullo scriptore animadversum. In his cavendum ne adulterini nummi obtrusi fuerint, aut propter deteriorem materiem non curaverint fabri an infra vel supra præponderarent.

B

CAPUT VII.

De mensuris Babylonicis, Persicis, Syriacis, Alexandrinis, Ægyptiacis.

SECTIO I.

De mensuris Babylonicis & Persicis.

Babylonicarum & Persicarum mensurarum in sacro codice mentio fit; idcirco pertinet ad institutum nostrum, ut saltem perstringantur. Sermonem de illis exordiar à cubito Babylonico. Herodotus in Clio, sive in primo suo libro, ubi Baby- C lonis muros describit, cùm dixisset fuisse quinquaginta cubitorum regiorum crassitudine, ducentorum celsitudine, statim subjicit. Ὁ δὲ βασιλήιος πῆχυς μετρίου ἐστὶ πήχεος μέζων τρισὶ δακτύλοισι. *Regius cubitus mediocri major est tribus digitis.* Interpres Latinus Herodoti sic reddit hunc locum. *Est autem regius cubitus, quàm is quo mensurâ utimur, tribus digitis major.* Videtur legisse τοῦ ἡμετέρου pro hodierno τοῦ μετρίου quæ novissima lectio videtur reprobanda. Etenim verisimilius est Herodotum comparasse cubitum regium Babylonium cum noto, nempe cum Græco: Græcis ille scribebat, qui ignorare poterant quod fuisset apud Babylonios discrimen inter regium cubitum & alium mediocrem sive minorem, nisi præmonuisset eos quod non facit. Ergo Hero- D dotus loquebatur de cubito usitato Babylone, quem ideo appellat regium; quia publicus erat; & dicit hunc Baylonicum cubitum fuisse Græco majorem tribus digitis. De istâ mente Herodoti dubitare non sinit Plinius in lib VI. cap. 26. ubi describit Babylonem sive exscribit Herodotum. *Sexaginta millia passuum amplexa, muris ducentos pedes altis, quinquagenos latis, in singulos pedes ternis digitis mensura ampliore quàm nostrâ.* Lapsu autem memoriæ, sive calami proprii vel alieni, pedes pro cubitis ibi ponit Plinius. Nam apud Herodotum est βασιληΐων πηχέων. Sed certò comparat Babylonicam mensuram cum Latinâ, & hanc minorem agnoscit tribus digitis. Insuper peccat Plinius, & ostendit se parùm E diligentem in componendis mensuris; nam Herodotus intuetur Græcum cubitum, qui Latino major est, ut vidimus. In cubito Græco erant 24 digiti; ita Babylonicus habebat 27 digitos; nempe erat octavâ parte major. Pes Græcus repertus 11 pollicum, 5 linearum, & $\frac{1}{2}$ sive semilineæ; idcirco cubitus Græcus continebat decem & septem pollices, cum duabus lineis, & quartâ parte lineæ. Ita Babylonius cubitus octavâ parte major debet statui nempe decem novem pollicum, cum quatuor lineis $\frac{5}{32}$.

Persæ itinera parasangis metiebantur; quarum longitudinem non omninò certam esse monet Plinius lib. VI. cap 26 *Inconstantiam mensuræ diversitas auctorum facit, cùm Persæ quoque per schoenos*

& pa asangas, alii alia mensurâ determinent. Nimirum si quidem ipsi Persæ non eamdem mensuram suis parasangis assignant, alibi magis alibi minùs faciunt prolixas. Vulgò tamen *Parasanga*, quæ ut loquitur Festus, mensura viarum est apud Persas, statuitur triginta stadiorum; ut adstruit Herodotus lib. II. & V. δύναται τριήκοντα στάδια. *Par est triginta stadiis.* Ab Hesychio, a Suidâ eadem parasangis tribuitur mensura.

Inter vasa autem, quibus Persæ admetiebantur fruges, & cibaria, celebrior est Ἀχάνη *Achana*, quæ erat mensura Persica, ut Artaba apud Ægyptios, ait Suidas. Quadraginta quinque medimnos Atticos capiebat, ut testatur Aristoteles. Alii verò, pergit loqui Suidas, dicunt esse cistam, in quâ ad spectaculum missi, commeatum reponebant. Apud Hesychium ἀχάνη μέτρον σίτου ἐν Βοιωτίᾳ χωροῦν μέδιμνον ἕν. *Achana mensura frumenti est in Bœotiâ, quæ capit medimnum unum.*

Artabam sic definit Herodotus lib. 1. *Est autem Artaba mensura Persica capacior quàm Atticus medimnus tribus chœnicibus Atticis.* Mentio fit Artabæ a Daniele cap. 14. in historiâ Belis. *Et erat idolum Babylonis, cui nomen Bel: & impendebantur in id quotidie similæ artabæ duodecim, & oves quadraginta.*

Καπίθη *capitha* mensuræ Persicæ species erat; cujus Xenophon meminit.

Persæ nummis æreis Darii formâ percussis utebantur: qui, quod hujus Principis imaginem insculptam haberent, indè Daricorum nomen traxerunt. Χαρακτῆρα enim Δαρεικὸν habuisse eos, Diodorus libro XVII ait. Unde venustè Socratem dicere solitum βούλεσθαι Δαρεικὸν ἔχειν μᾶλλον φίλον, ἢ τὸ Δαρεῖον, *velle magis habere pro amico Daricum, quàm Darium.* Hocce dictum Socratis refert Plutarchus libro de amicitiâ. Definit valorem hujus nummi Harpocration in lexico *Darici sunt stateres aurei, quorum unus valebat aureum Atticum.* Δαρεικοὶ *tamen non, ut plerique existimant, à Dario Xerxis patre, sed ab alio Rege nomen acceperunt. Sunt qui tradant* τὸν Δαρεικὸν *valere drachmas argenteas viginti: ita ut quinque Darici facerent argenti minam.* Priùs legebantur in Harpocratione δραχμὰς ὀκτώ. Valerius correxit, & posuit δραχμὰς εἴκοσι; quam lectionem confirmat Suidas. Δαρεικοὶ *Darici sunt aurei stateres. Tantùm autem ipsorum unusquisque valebat, quantùm ille, qui apud Atticos aureus vocabatur. Non à Dario Xerxis patre: sed ab alio quodam antiquiore nominati fuerunt. Quidam autem Daricum valere argenti drachmas viginti, ut quinque Darici valeant argenti minam.* Pondus autem Daricorum erat drachmarum Atticarum quatuor; ideo illa mortariola aurea, quæ in numerorum capite septimo dicuntur ablata à Principibus Israël, denos siclos appendentia, æquantur à Josepho in lib. III. Antiq. cap. 9. decem Daricis. Ex eo autem quod ibi Josephus nominat Daricos, quispiam contendebat, Deuteronomium non scriptum nisi postquàm Darius regnarit in Perside. Si ipse Moyses usurpasset nomen hujus numismatis, argumentum valere posset; sed imperitè & ineptè arguitur antiquitas libri ejus ex novitate interpretationis.

SECTIO II.

De mensuris Syriacis, Arabicis, & Alexandrinis.

Cum Hebræis vicini fuerint Syri, Arabes, Alexandrini, ex mensuris quæ apud eos fuerunt usitatæ, nonnulla lux accedere potest Hebraicis. Syrorum mensuræ sunt quatuor: quarum prima est μετρητὴς, metreta, vas quod ex Cleopatrâ apud Syrios est sextariorum Italicorum centum viginti. Altera mensura nominatur ab Epiphanio Κόλλαθον, quod dicit esse dimidium Bathi, sextariorum viginti quinque. Tertia mensura Syriaca juxta eundem Epiphanium dicitur Σαβιθὰ *sabitha*, vas cujus in torcularibus usus est, apud Ascalonitas sextariorum viginti duo. Quarta denique mensura Chœnix est, sed capacitas ejus apud Syros non definitur. Hæc sunt vasa Syriæ. Habuêre alias mensuras, sive metiendis intervallis, sive ponderibus expendendis; sed nihil eis proprium observatur in antiquis scriptis, quod intersit non ignorare.

Arabes habuerunt proprias mensuras; quarum crebra quidem mentio in Medicis Arabibus; sed horum Medicorum scripta multo tempore post scriptos sacros codices exarata sunt. Mensuris Alexandrinis immorari institutum nostrum postulat. Etenim Græcæ versionis bibliorum auctores, nimirum LXX. Græci interpretes Alexandrini fuêre, aut certè cuderunt suam versionem Alexandriæ; undè ut linguâ, ita & mensuris hujus urbis usi sunt. Vulgò dicitur Alexandrina pondera fuisse duplo majora Atticis. Ex Fannio, ut vidimus, talentum Atticum erat sex millium drachmarum, sive sex mille denariorum juxta Varronem. Nam ubi apud Plinium lib XXXV. cap. 11. legitur in antiquis codicibus: *Talentum Atticum* XVI *taxat M. Varro;* quem locum sic restituunt viri docti. *Talentum Atticum* VI. M. (id est sex mille denariis) *taxat Varro;* quod Festus Pompeius dicit. *Talentorum non unum genus. Atticum est sex millium denariorum.* Ibi à Festo & à Plinio ponuntur denarii pro drachmis. Subjungit verò Festus *Alexandrinum duodecim millium denariorum.* Plinius lib XXXIII. cap. 3. scribit talentum Ægyptium juxta Varronem capere pondo LXXX. Octoginta libræ faciunt 960 uncias: hæ unciæ faciunt 4080 drachmas sive denarios. Attamen video plerosque allegare Varronem, tanquam talentum Alexandrinum faciat drachmarum duodecim mille. Sed si testimonia Græcorum & Latinorum non suppetant, habemus Philonem Alexandrinum qui clarè innuit verè Alexandrina pondera duplo fuisse majora Atticis Nam in libro *Quis rerum divinarum sit hæres*, pag. 506. Liquidò dicit illud quod Deo Israëlitæ capitatim pendebant tributum, fuisse unius drachmæ Verba ejus expendenda ἆρά γε οὐχὶ τοῦτον τρόπον καὶ τὸ δίδραχμον διενοήθη τὸ ἅγιον; ἵνα τὸ μὲν ἥμισυ αὐτοῦ τὴν δραχμὴν καθιερῶμεν, λύτρα τῆς ἑαυτῶν ψυχῆς καταθέντες *Quid drachmum sacratum, nonne ad eumdem modum intelligendum est? ut ejus dimidium, scilicet drachmam seponamus in redemptionem animæ.* Josephus verò qui Atticis mensuris utitur, & B. Hieronymus illud tributum fuisse didrachmum, hoc est, duabus drachmis solutum, sentiunt. Ambo siclum appellant tetradrachmum, sive faciunt quatuor drachmarum. Sic Josephus libro III. cap. 10. Antiq. ὁ δὲ σίκλος νόμισμα ὢν Ἀττικὰς δέχεται δραχμὰς τέσσαρας. *Siclus autem nummi genus est apud Hebræos, quales sunt sunt tetradrachmi Attici.* Ergo Alexandrini drachmis utebantur ponderosioribus; & ideo unica drachma Alexandrina par erat duabus Atticis, sive duobus Hebræis semisiclis. Quæcùm ita sint, non mirum est LXX. Græcos interpretes, qui, ut dixi, Alexandrini erant, aut Alexandrinis paraverunt suam Græcam versionem siclum, qui verè erat τετράδραχμος interpretari δίδραχμον. Usui & consuetudini Alexandrinorum, quorum gratiâ scripsêre, serviebant. Sic dicti interpretes facilè conciliantur cum Josepho; discordia enim non rei est, sed nominis.

SECTIO III.

De mensuris Ægyptiacis. Circa illas magna erat Ægyptiorum religio, præsertim circa cubitum.

CUbitus Ægyptius erat ex Herodoto lib. II. par samio; sed non definit longitudinem samii cubiti; qui ex nullo monumento veteri colligi potest; neque enim ex eo quod Græci samum incoluerint, sequitur mensuras samias fuisse Atticas; cùm quæque Græciæ regiones habuerint proprias & diversas. Samos colonia erat Phœnicum; qui in hanc urbem mensuras suas ut pleraque alia deduxerant. Apud Ægyptios, ut docet nos Strabo lib. 17. Geographiæ suæ, Νομοὶ hoc est præfecturæ Ægypti dividebantur in τοπαρχίας, τοπαρχίαι in alias divisiones, quarum minimæ erant ἄρουραι. Ita ἄρουραι certæ erant agrorum possessiones; quas Herodotus in libro II. dicit fuisse centenorum cubitorum quoquò versus. Σχοῖνος *Funiculus* species erat mensuræ, quam etiam usurpabant Ægyptii. Hujus mensuræ usum Hieronymus in commentariis suis in Joelem sic explicat. *In Nilo flumine, sive in rivis ejus, solent naves funibus trahere, certa habentes spatia, quæ appellant funiculos, ut labori defessorum recentia trahentium colla succedant.* Mensura autem illa Ægyptia definitur ab Herodoto sexaginta stadiorum. A Strabone nunc stadiorum triginta, nunc quadraginta, nunc plurium. Certam ergo non videntur funiculi habuisse longitudinem. Huic Plinius lib. V. cap. 10. tribuit triginta stadia; lib. XII cap. 14. *Schoenus patet Eratostenis ratione, stadia XL, hoc est pass. quinque M. Aliqui XXXII. stadia singulis schoenis dedere.*

Artaba vas erat quo utebantur Ægyptii in metiendis frugibus; de quâ mensurâ sic Græcus auctor in libello de mensuris & ponderibus Ἡ Αἰγυπτία ἀρτάβη ἔχει μοδίους ε΄· ὁ δὲ μόδιος ὁ Αἰγύπτιος καὶ ὁ Ιταλικὸς ἔχει χοίνικας η΄. *Ægyptia artaba capit modios quinque. Modius verò Ægyptius & Italicus capit choenices octo.* Ut tota hæc artaba contineat quadraginta choenices. Fannius scribit capere tres modios cum tertiâ parte. Sic enim canit.

Est etiam terris, quas advena Nilus inundat.
Artaba, cui superat modii pars tertia post tres.
Nam decem modiis explebitur artaba triplex.

Nomina mensurarum, quibus Græci utebantur, occurrunt in vetustis scriptis, ubi nominantur Ægyptiæ mensuræ, quæ, ut jam innuimus, ponderosiores erant. *Talentum autem Ægyptium pondo LXXX. capere Varro tradit*, ut notat Plinius lib. XXXIII. cap. 3.

Multa autem religione Ægyptii curabant ut integræ suæ mensuræ servarentur. De illis agens Diodorus in primo libro suæ bibliothecæ, narrat præcisas manus hujus, qui immutasset mensuras. Τῶν δὲ νόμισμα παραχαραττόντων ἢ ἕτερα καινὰ σταθμὰ παραποιούντων. *Illis qui monetam adulterarent, aut nova substituerent pondera .... Lex utramque manum præcidi jussit.* Luculentus est locus apud Clementem Alexandrinum de istâ religione Ægyptiorum in servandis mensuris integris. Libro VI. stromatum, ubi exponit ceremonias eorum sacras, agens de illo ministro qui nominabatur ἱερογραμματεὺς, id est, *scriba sacrorum*, inter instrumenta quæ manibus præferebat, numerat Clemens κανόνα *regulam*; deinde ait: *Hunc oportet scire & ea quæ vocantur hieroglyphica, & mundi descriptionem, & geographiam, & ordinem solis & lunæ, & Nili descriptionem, & descriptionem instrumentorum, ornamentorumque sacrorum, & locorum eis consecratorum, mensuras-*

A *que, & quæ sunt in sacris utilia.* Clarè indicat hunc Hierogrammatea, sive scribam sacrorum eruditum fuisse in his quæ spectant mensuras περὶ τῶν μέτρων... εἰδέναι χρή Post hunc in pompis sacris sequebatur qui dicebatur Στολιστὴς, id est, *ornator*, ἔχων τόν τε τῆς δικαιοσύνης πῆχυν, καὶ τὸ σπονδεῖον. *habens justitiæ cubitum, & ad libandum calicem.*

Mensuræ servabantur in templo Serapidis; quod constat de cubito, quo incrementum Nili mensurabatur. Hunc jussu Constantini in Christianorum Ecclesiam deportatum, Julianus Apostata reduxit in templum Serapidis, refert Sozomenus lib. V. cap. 3. Julius Maternus Firmicus in libro de erroribus prophanarum Religionum scribit Serapidis capiti impositum fuisse modium; quod & dicit Rufi-
B nus lib. II. hist. cap. 23. Suidas in voce Σάραπις expressè asserit idolum illud habuisse modium in capite & cubitum, nempe ut Interpretor gestabat manu cubitum archetypum. Videre est apud Tristanum & plerosque alios antiquarios complures nummos, in quibus exhibetur Serapis eâ formâ, cum modio, sive cophino, sive Calatho in capite. Sic vas illud capiti ejus impositum appellat Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 20. de Serapide loquens: *cujus vertex insignitus calatho.* Colebant præ cæteris numinibus Serapidem Ægyptii; quorum interfuisse mensuras non mutari diligenter animadvertendum est.

C

SECTIO IV.

Ægyptios sine mutatione eodem cubito semper usos fuisse par est credere, propter Nilum, quo singulis annis inundante, confusi agrorum limites iterum signandi erant.

ÆGyptii agros suos dimetiebantur diversis mensuris; ut nos docet Herodotus in secundo libro; *Nam*, inquit, *quotquot quidem soli seu terræ inopes homines sunt*, ὀργυιῇσι *orgiis regionem dimensi sunt: quotquot verò minùs inopes sunt soli, stadiis: qui verò amplam terram tenent, parasangis: sed qui nimis copiosam* σχοίνοις *schoenis metiun-*
D *tur.* Cuique portionem fuisse quadratam innuit ille historicus quam æquam omnibus Sesostris Rex dederat κλῆρον ἴσον ἑκάστῳ τετράγωνον διδόντα impositâ certâ pensione annuâ. *Quod si cujus portionem alluvione flumen decurtasset*, pergit loqui Herodotus ore Latini interpretis, *is adiens Regem, rei quæ contigerat certiorem faciebat. Rexque ad prædium inspiciendum, mittebat qui metirentur quantò deterius factum esset, ut ex residuo proportione taxatum vectigal penderetur: atque hinc geometria orta videtur in Græciam transcendisse.* Eâ de causâ geometriam ab Ægyptiis excultam fuisse scribit Diodorus libro primo Bibliothecæ historicæ, non solùm ut æquum tributum penderent Regi; sed ut
E controversiæ inter agrorum possessores æquo judicio finirentur. Loquitur de sacerdotibus Ægyptiis. *Sacerdotes duo litterarum genera, tum quas sacras vocant, tum quæ communiorem habent disciplinam, pueros docent. Nam qui fluvius quot annis egressus variè agros transformat, multas omnis generis controversias inter vicinos de limitibus excitat, quas exactè dirimere non facile est, nisi geometriæ peritiâ veritas ostendatur.* Ergo omnis quæ cubito Ægyptio accidisset mutatio, & rebus Ægyptiacis multas turbas attulisset. Etenim singulis annis cum omnes agrorum terminos Nilus obduceret limo, sic dimetiendi essent; aucto cubito, ditiorum prædia aucta fuissent, diminutis quæ erant pauperum. Itaque, quò quisque frueretur avitis portionibus,

oportebat definitam ab antiquis mensuram nec augeri nec minui.

Refert Herodotus Reges militibus custodiæ suæ assignasse certam agrorum possessionem, nempe duodecim arouras. Vidimus arouras constitutas quadrattas, quarum latera præcisè essent centum cubitorum; quam mensuram cùm adstruat Philo, libro de Plantatione Noë, argumentum est suâ ætate non mutatam arouram & cubiti antiquam longitudinem. Non prætermittendum argumentum ex monumento, quod omnium subjiciebatur oculis. Intelligo Νειλομετρεῖον *Nilometrium*; quo incrementa Nili indicabantur cubitalibus intervallis, Passim Strabo libro XVII. de Nilo sic loquitur. *Sanè ante Petronii tempora tunc maxima fertilitas erat, cùm Nilus ad quartum ac decimum cubitum excrescebat: cùm verò ad octavum tantummodo adsurgeret, fames & penuria adveniebat, &c.* In id consentiunt scriptores omnes & observant fuisse Νειλομετρεῖον, ut loquitur Strabo, vel Νειλοσκοπεῖον, ut videbimus loqui Diodorum, quo notabantur spatiis cubitalibus diversa Nili incrementa. *Syene verò & Elephantina*, ait interpres Latinus Strabonis, *altera quidem in finibus est Æthiopiæ, & Ægypti urbs: altera insula dimidio stadio in Nilo ante Syenem posita, inque eâ urbs, quæ Cnuphidis templum habet &* Νειλομετρεῖον *Nilometrium. Hoc autem est puteus quidam in Nili ripâ ex integro lapide constructus* Νειλομετρεῖον συν μονολίθῳ κατεσκευασμένον, *in quo & maxima & minima & mediocria Nili incrementa adnotantur; nam putei aqua cum Nilo pariter crescit & decrescit. Suntque in pariete notæ quædam inscriptæ incrementorum.* Audiamus interpretem Latinum Diodori siculi, libro I. Bibliothecæ suæ. *Propter verò metum ex inundatione ortum, specula quædam Nili* Νειλοσκοπεῖον *à Regibus in Memphi extructa est, ubi mensurâ illius exactè cognitâ, negotii hujus curatores per litteras ad urbes huc illuc missas, significant quot cubitis & digitis fluvius adscenderit, & quando decrementi fecerit initium. Ita populus de reciprocatione amnis edoctus, sollicitudine & metu liberatur, & è vestigio quanta frumentorum copia sit futura, omnes prænoscunt. Observatio hæc per multas hominum ætates diligenter in litteras ab Ægyptiis relata est.*

Hæc postrema verba Diodori comprobant non facilè admissam in cubiti mensurâ mutationem; & ad illam fuisse attentos animos Ægyptiorum, si quidem inde illis opes, ut observat Seneca, Quæst. Natural. lib. IV. cap. 2. *Quantùm crevit Nilus, tantùm spei in annum est. Nec computatio fallit agricolam: adeò ad mensuram fluminis respondet, quam fertilem facit Nilus.* Videre est in epistolâ quinquagesimâ Juliani Imperatoris, quo gaudio incrementa Nili afficerent omnes; quæ cubito mensurabantur. *Nilus, ut ferunt, multis in altum cubitis elatus universam exundavit Ægyptum. Ac si cubitorum quoque numerum audire vis. A. D XII. Kalendas Octobris quindecim deprehensi sunt.* De incrementis Nili audiamus Plinium loquentem libro V. cap. 9. *Auctus ejus per puteos mensuræ notis deprehenduntur. Justum incrementum est cubitorum XVI. minores aquæ non omnia rigant: ampliores detinent tardiùs recedendo. Hæ serendi tempora absumunt solo madente: illæ non dant sitiente. Utrumque reputat Provincia. In duodecim cubitis famem sentit, in tredecim etiamnum esurit: quatuordecim cubita hilaritatem afferunt: quindecim securitatem: sexdecim delicias. Maximum incrementum ad hoc ævi fuit cubitorum decem & octo, Claudio Principe.* Ad istas notas quibus incrementa Nili mensurabantur alludit Philostratus in istâ imagine quam Nili pingit. πήχεις sive *cubiti* circa Nilum ludunt velut pueri, corporis quantitati cognomines: quibus summopere videtur Nilus delectari.

Forsan diutiùs circa Nilum moror; sed meâ refert adstruere servatam mensuram cubiti Ægyptiaci, sine ullo vel additamento vel detrimento. Hunc veterem morem durasse attestantur etiam qui scripserunt novissimis sæculis. Rabbi Benjamin in Itinerario, ubi describit quæ viderat in Ægypto, non prætermittit illud Nilometrium. *Habent Ægyptii*, inquit ille, *columnam marmoream, quam ibi prudenter ante insulam quandam in mediâ erexerunt aquâ: quæ ex ipsa aqua duodecim cubitis extat. Quocirca exundante aqua, eamque operiente, eam intumuisse aquam, & Ægypti regionem ad quindecim dierum iter obtexisse cognoscunt; quod si columnæ medium operiat, non nisi dimidiam regionem obtexisse; singulis verò diebus quidam ea omnia dimensus Tsoane & in urbe Mitsraim, proclamat dicens, tribuite Deo gloriam, quia hac vel illa quantitate excreverit flumen, &c.* Rabbi Benjamin obiit anno 933. juxta calculos Hebræorum, qui respondet anno Christiano 1173. ut videre est in Chronico Davidis Gans. Geographus Arabs sive Nubiensis, quem Gabriël Sionita Latine interpretatus est, dictam marmoream columnam pariter describit. Igitur concludere licet non abludere à vero, quæ nunc cubitalis mensura hodie in Ægypto usurpatur, non differre ab antiquâ. Quæ sit vera ejus longitudo articulo sequenti quærimus.

SECTIO V.

Cubitalis mensuræ, quæ tunc temporis in Ægypto usitata est, nec diversa ad antiquo Ægyptio cubito, ratio cum pede Anglico & Parisino.

DUo Angli eruditi, Joannes Grævius in libro de pede Romano, & Richardus Comberlandus in libello de cubito Hebræo, ex Nilometrio & aliis relatis supra observationibus deducunt non alium esse cubitum Ægyptiacum hodiernum quàm veterem. Prolatis argumentis adjungunt, quod si in Ægyptiaco cubito aliqua facta esset mutatio, ea ab iis qui Ægyptum invasêre variis temporibus, invecta esset; At Babylonii certe non mutarunt, cùm eorum cubitus sit Ægyptiaco brevior: non Turcæ. *Pika* enim eorum (quæ vox ἀπὸ τοῦ πήχεως deducta) cubito Ægyptiaco est longior; ut liquet ex tabulâ Joannis Grævii, ubi mensuras Orientalium cum pede Romano & Anglico confert. Ergo neque Babylonii, neque Turcæ, neque etiam Romani aut Græci, quorum cubiti omnino diversi sunt novam mensuram in Ægyptum intulêre. Non alii eam regionem subegerunt; nam Arabes pro nativis Ægyptiis haberi possunt, quippe olim Ægyptiorum Regibus paruerint. Grævius & Comberlandus Anglicè scripserunt. Pro ut illi narrant, extat adhùc in urbe Cairo non remota ab eo loco, in quo prisca Menphis fuit, *Nilometrium* in cubitos divisum, quorum mensuram exploravit Grævius. Reperit esse esse partium 1824, qualium habet pes Anglus 1000, Parisinus 1068. Inde sequeretur cubitum Ægyptiacum quem *Derach* vocant, statui posse viginti Parisinorum pollicum & ferè semipollicis nostratis $20\frac{44}{89}$. Nam si numerus ille 1068 valor pedis Parisini dat 12 pollices; numerus 1824 valor cubiti Ægyptiaci docebit quot pollicibus Parisinis hic constet. Etenim ducendo 12 in 1824, & quod hac multiplicatione productum est, dividendo per 1068, ut

docet regula aurea, quotus numerus divisionis dabit 20 pollices & illam fractionem $\frac{132}{267}$, æqualem quinque lineis cum $\frac{249}{267}$; sive cum 249 partibus, integræ lineæ, quæ divisa fuerit in 267 partes. Itaque *Derah* sive cubitus Ægyptiacus censeri potest 20 pollicum, quibus ferè semipollex addendus sit, nimirum adnumerandæ quinque lineæ cum $\frac{249}{267}$. Fractio illa non multùm infra est integram lineam; ita supponi posset cubitus Ægyptiacus viginti pollicibus nostratibus cum semipollice sive sex lineis. Hodiernum Cairi cubitum non differre ab antiquo quo etiam ante Moysem Ægyptus utebatur, probat Græviu ex vetustis pyramidum monumentis, quæ ante ætatem Moysis, aut non multo post eum tempore creduntur constructæ. Prima maximarum Ægyptiacarum pyramidum & orientalior, à Septentrionali plagâ aperturam habet, in quam cùm delapsus fueris, statim occurrit capiti tuo imminens linea, quam efficiunt duo saxa conjuncta & parallela limini, sive saxo quod pedibus teris. Intervallum vacuum aperturæ in hocce loco est Anglicorum pedum $3\frac{462}{1000}$.

In eâdem pyramide, intra illam reperitur conclave, cujus planam cameram conflant novem grandia saxa. In hoc conclavi visitur sepulchralis loculus ex uno saxo marmoreo. Longitudo conclavis à meridionali latere, ubi primus & secundus saxorum ordo conjunguntur, est Anglicorum pedum $34\frac{350}{1000}$ Ab occidentali latere, ubi primus secundo ordini saxorum superstruitur, est $17\frac{190}{1000}$ Ipsa apertura loculi versùs occidentem est $6\frac{488}{1000}$ Septentrionem versùs $2\frac{218}{1000}$ Hodiernus cubitus Cairi illas dimensiones præcise dimetitur. Architecti autem non solent ædificiorum partes, quæ præcipuæ sunt, absolvere curtis mensuris. In Romanorum ædificiis certo pedum numero omnia finiuntur; ita & cubitorum in Ægyptiacis illis monumentis. In sacris scripturis pariter certus cubitorum aut semicubitorum numerus comprehendit quamlibet dimensionem. Arca Noë, ut videbimus, longa erat trecentum cubitis. Arca fœderis, Altare aureum, mensa, altare, longitudo, latitudo Tabernaculi, Templi definiuntur cubitis. In illâ pyramide, quæ cernitur in agro Memphitico, omni historiâ antiquior, recessus graduum infimorum sunt bicubitales. Latus quadratæ baseos ejus est 462 Ægyptiorum cubitorum. In meditullio autem hujus pyramidis camera est marmorea, longa viginti tres similes cubitos. Ibi theca marmorea reperitur longitudine quatuor cubitorum, quantula est humani corporis justa ac grata proceritas. Quæ omnia simul collecta demonstrant veteres Ægyptios non alio usos cubito, quàm qui nunc *Derah* appellatur.

CAPUT VIII.

De mensuris Hebræorum longis, cavis, ponderibus, nummis; & harum inter se ratione.

SECTIO I.

De mensuris Hebraicis, intervallorum & interpretatione nominum, quibus in fonte Hebræo appellantur. De itinere Sabbati.

ARias Montanus in suo libro de mensuris sacris, quem inscripsit *Thubal-cain*, dicit primam mensurarum, quibus Hebræi metiebantur intervalla, fuisse grana hordei. *Ponderis & mensuræ,* inquit, *prima æstimatio fuit ex hordei granis; sex enim hordei grana simul conjuncta eâ parte, quâ crassiora sunt, digitum unum pollicem constituunt. Digitus verò pollex prima notabilis mensura est, quæ nomen formamque certam sortitur, appellaturque* אצבע Etsbagh. *Hujus ratio describitur in libro* Deuteroseon *à D. Hieronymo appellato, quem nos frequenter citantes Hebraico verbo* Misnaioth *dicemus. In illo libro tractatu de* Chelaim *capite 7. Paragrapho* א, *latè de digito disputatur.* Verùm quidquid dicat Arias Montanus, granorum tritici in mensuris sacris nulla fit mentio, sed digitorum; ut cùm Jeremias de columnis æreis templi loquitur. cap. 52. 21. *De columnis autem, decem & octo cubiti altitudinis erant in columna una: & funiculus duodecim cubitorum circuibat eam: porro grossitudo ejus quatuor digitorum*, אצבע אצבעות, quatuor *Etsbaoth.* Irrepsit in Vulgatam *grossitudo* pro *crassitudo.* Ergo digitis utebantur Hebræi intervalla metientes; sed nomen Hebræum non magis dicit majorem digitum sive pollicem, quàm minimum; ita videtur intelligendus communis digitus. Quin quatuor isti digiti, crassitudo columnæ æneæ, cogitandi sunt quatuor transversi digiti, inter quos pollex non numeratur. Hæc mensura, ut modò dicemus appellatur. *Tophach.* In primo Paralipomenorum cap. 20. v. 6. memoratur quidam homo nomine Geth longissimus *senos habens digitos, id est, simul viginti quatuor.* In fonte, *vir mensuræ; & digiti ejus sex & sex, viginti quatuor.* Illa repetitio *sex & sex* indicat distributionem, scilicet viginti quatuor digitos sic distribuendos, ut digiti tum manuum, tum pedum essent numero viginti quatuor, sex in singulis manibus & pedibus. Locus ergo iste non spectat mensuras. Profert idem Arias Montanus aliam mensuram, *minorem*, inquit ille, *quàm digitus modò definitus eam Hebræi vocant* זית zith *minimi in manu digiti crassitudinem continens.* Hujus in sacro codice nulla fit mentio.

טפח *Tophach* mensura est usitatissima in scripturis. Nomen illud constanter redditur à septuaginta Græcis interpretibus παλαιστὴς; quam mensuram Græci ipsi statuunt, ut vidimus, esse conclusorum quatuor digitorum, sive manûs transversæ. Consentiunt Hebræi doctissimi. In Exodo cap. 25. v. 25. ubi coronæ aureæ, quâ præcingenda erat mensa, altitudo præcipitur esse *tophach.* Ibi septuaginta, ut in cæteris locis, utuntur nomine παλαιστὴς Latinus interpres dicit hanc coronam *altam quatuor digitis.* In Paralipomenis libro 2. cap 4. v. 5. ubi crassitudo maris ænei definitur unius tophach, in Græca versione est τὸ πάχος αὐτῦ παλαιστὴς, in Latinâ verò versione. *Porro vastitas ejus habebat mensuram palmi.* At in tertio libro Regum cap. 7 26. ubi eadem crassitudo maris ænei exponitur Hebraicè, Græcè, Chaldaicè, iisdem nominibus quibus supra vulgata versio habet: *Grossitudo autem luteris, trium unciarum erat.* Quatuor *digiti, palmus,* & *tres unciæ* rem eamdem significant, ut liquet ex iis quæ de mensuris Romanis dicta sunt. Pes Romanus erat sexdecim digitorum. Dividebatur in duodecim uncias, ita tres unciæ ejus pares erant quatuor digitis. Latinus interpres elegantiam, venatus est, quæ obscuriorem facit versionem ejus. In Psalmo 38. v. 6. ubi in fonte *tophach* legitur, & usurpatur pro brevi & exiguo alicujus rei modulo, sic loquitur ipse interpres: *Ecce mensurabiles posuisti dies meos.* Græci in editione Græcâ Romanâ vertunt *veteres dies meos* παλαιὰς ἡμέρας posuisti, sed ipsa autem Vulgata lectio Latina suffragatur Hebræo codici, quem secuti sunt Patres Græci, non legentes παλαιὰς sed παλαιστὰς Græci, inquam, exprimunt significationem vocis *tophach*, vertentes πα-

παλαιστὰς ἔθου τὰς ἡμέρας μου *palmares posuisti dies meos*, id est, brevis mensuræ. In Lamentationibus Jeremiæ cap. II. v. 20. & Vulgatus vocem Hebræam *tophach* interpretatur *palmam*. *Comedent mulieres fructum suum, parvulos ad mensuram palmæ*. In fonte עללי טפחים *olele tiphuchim*, id est, *parvulos palmares*; nempe adhuc exiguos. Græci sensum exprimentes vertunt νήπια θηλάζοντα μαστοὺς *pueros sugentes ubera*.

Arias Montanus memorat alias mensuras in Rabbinorum libris usurpatas. סים *Sit* paulò plus, inquit ille, quàm quatuor digitos continet, quantùm vola manûs inter carpum & digitos extenditur. רוסנים *Rozzenim* & רוסניקמא *Rosnikema*, mensura est quatuor digitorum. Alia est ejusdem longitudinis dicta בטרי *Batri*; cujus nomen apud Chaldæos paraphrastas invenitur.

זרת *Zereth* mensura est, quæ digitis expansis notatur ab extremo pollicis usque ad minimi extremum. Nomen illud à Græcis septuaginta interpretibus ubique redditur Σπιθαμὴ, sicut *tophach*, semper παλαιστής. Ergo distingunt illas duas mensuras *zereth* & *tophach*, quas Latinus interpres confundit, eas reddens eodem nomine *palmi*, licet magnum sit inter illas discrimen. Ne ille interpres errasse videatur, sunt qui duplicem faciunt palmum, alium minorem alium majorem; sed cùm non admoneat de istâ distinctione, peccat anbiguitate versio ejus. *Zereth* autem constat præcisè tribus *tophach*, sive duodecim digitis; quæ est longitudo σπιθαμῆς apud Græcos, ut notatum est, dum agemus de Græcorum mensuris. *Zereth* semper à Latino interprete redditur *palmus* quod nomen, si sonet Latinis idem quod Græcis σπιθαμὴ, bene *zereth* interpretatus est palmum; sed eodem nomine non decebat reddere *tophach*, quæ alia est mensura. Distinctionem minoris & majoris palmi dicitur Budæus adinvenisse.

אמה *Amma*, Græce πῆχυς, Latine *cubitus* Hæc mensura erat duplo major quàm *zereth*; quæ sic mensura fuit semicubitalis. Maimonides, ubi agit de instrumentis Templi capite IX. dicit panni quadrati, qui apponebatur pectori summi pontificis, & dicebatur *rationale* longitudinem fuisse unius cubiti, & cùm duplicaretur, unius *zereth*, nimirum semicubiti. Josephus σπιθαμὴ habet pro semicubito. Pro eo quod est in Exodo capite 25. longitudinem Arcæ fuisse duorum cubitorum & semis, latitudinem unius cubiti & semis; Josephus lib. III cap. 7. dicit hanc longitudinem fuisse πέντε σπιθαμῶν, & latitudinem τριῶν σπιθαμῶν In *Amma* sive cubito Hebræo erat sexies *tophach*. Sic cubitus statuendus viginti quatuor digitorum. אמה *amma* est antiquissima mensura, ante diluvium etiam solemnis; hac si quidem Arcæ Noë modus à Deo præscriptus est; & universum opus tabernaculi in deserto definitum. Tota etiam Templi amplitudo, atque aliorum ædificiorum, quæ à Salomone perfecta sunt, fabrica hujus mensuræ rationibus commensurata. Quæritur an duplex fuerit cubitus, nempe unus legalis, sive sacer major, alius communis, sive prophanus minor. Id constanter affirmant Rabbini. Buxtorfius in historicâ Arcæ fœderis, capite 7. allegat Abraham Harophe; quem sic inducit loquentem. *Sciendum cubitos, de quibus Rabbini nostri loquuntur, non fuisse omnes æquales & ejusdem generis. Nam cubiti altaris aurei, cornuum, ambitûs & fundamenti, seu fundi ejus, fuerunt quinque palmorum*, quinque tophach, *secundùm R. Jehuda in Talm. Menachoth. capite II. in Mischna quinta, & hi vocantur* אמות קטנות *cubiti parvi. Verùm cubiti structuræ templi, & reliquarum rerum sacrarum, fuerunt sex palmorum* sex tophach *secundùm sentententiam R. Meir, quam omnes sequuntur.* Hoc est quod sentit Maimonides, & statuit in tractatu de domo electâ capite 2. *Jam qui erant in altaris altitudine cubiti decem, eorum alii è palmis* nempe minoribus, tophachim *quinque, alii constabant è palmis sex: verùm in reliquo Templi ædificio, cuncti cubiti constabant è palmis sex.* De hocce duplici cubito idem Maimonides observat in fine Tractatûs *Meila* sive de sacrorum abusu, quòd cùm aliquid aut in Templo, aut in atriis ædificandum locaretur opificibus, pacto fiebat ut ad hunc illum numerum cubitorum pro hoc illo numero siclorum efficerent. *Cubitus ille omnino digitorum erat viginti: verùm enim ad rationom ineundam, atque ad metiendum id quod ab opificibus ædificatum fuerat, utebantur cubito majori, qui digitorum erat viginti quatuor, ne fortè daretur prævaricationi locus, quia enim in ineundâ mensurâ plerumque non est hominum nimis accurata consideratio.*

Hæc sapiunt commenta Rabbinica. Distinctio duplicis cubiti nullum habet fundamentum in sacro codice. Josephus nullibi eam adstruit; sero illam Rabbini commenti sunt, postquam verus modulus cubiti evanuerat cum Templo. Sacri & communis sive prophani cubiti distinctio Deo exosa fuisset; etenim ut Salomon declarat in Proverbiis capite 20. *Pondus & pondus, statera & statera utrumque abominabile ante Dominum.* Non magis, ut puto, duplex cubitus fuisset Deo acceptus.

Cubiti, quo usus Moyses, longitudo tempore Ezechielis non fuerat mutata; nam eædem mensuræ in libris Regum assignatæ templo Salomonico, conveniunt templo quod ille Propheta exprimit. Quin Angelus metitur templum Salomonicum, ad cujus exemplar erat novum excitandum, & non alio utitur cubito. Sed quispiam dicat alium exhibet quàm communem, ut indicant illa verba Ezechielis capite 43. v. 13. *Istæ autem mensuræ altaris in cubito verissimo, qui habebat cubitum & palmum.* Fons ad verbum sic reddi potest. *Istæ sunt mensuræ altaris in cubitis: cubitus, cubitus & tophach.* Ad explicandum huncce locum, commenti sunt Rabbini duplicem cubitum. Vulgaris interpretatio Ezechielis supponit Babylonicum cubitum minorem fuisse Hebræo, uno tophach sive quatuor digitis. Cùm ergo Propheta vaticinaretur, inquiunt interpretes, Israëlitis eo tempore quo captivi inter Babylonios, & eorum legibus subditi uterentur iisdem mensuris, necesse fuit ut declararet altare, de cujus structurâ loquebatur, mensurandum eo cubito, quo templum dimetiendo usus erat Salomon, & quo usurus erat Zorobabel illud restaurans. Ergo declarabat Propheta, ut supponunt, quod sacer cubitus adhibendus esset ad mensuram altaris, qui superaret Babylonicum uno tophach, sive quatuor digitis. Hæc quidem verisimilia sunt; sed non ideo vera. Etenim nullâ re demonstrari potest cubitum Babylonium fuisse digitis minorem Hebræo. Nec ipse Ezechiel ullo modo innuit comparationem à se institui inter utrumque cubitum. Locum hunc Ezechielis excutiemus in hujusce operis libro sexto. Interea dicere possumus sic intelligi posse, ut indicet non usurpare calami mensuram altare dimetiendo, quod hactenus fecerat, sed tantùm cubitum & palmum. *Et istæ mensuræ altaris in cubitis, cubitus & cubitus & palmus.* Græci vertunt καὶ ταῦτα τὰ μέτρα τοῦ θυσιαστηρίου ἐν πήχει τοῦ πήχεως καὶ παλαιστῆς *Et istæ mensuræ altaris in cubito cubiti, & palmi*; id est, in mensurâ cubiti, qui in palmos dividitur.

Quidam etiam allegant in argumentum duplicis

cubiti

cubiti ſacri, & communis, illam apparentem contradictionem libri tertii Regum cap. 8. v. 15. & ſecundi Paralipomenorum cap 3. v. 15. ubi deſcribuntur duæ æneæ columnæ Templi, Jachim & Boos. In Regibus quæque columna ſtatuitur alta decem & octo cubitorum; in Paralipomenis dicuntur habuiſſe triginta quinque cubitos, nempe intelligendæ ſunt duæ columnæ ſimul conjunctæ. Obſervato, inquiunt, ſacrorum & communium cubitorum diſcrimine, evaneſcit illa contradictio. Quaſi verò columnæ illæ inter vaſa templi recenſitæ potuiſſent alio quam ſacro cubito menſurari! Præterea, ut ſuo dicetur loco, in Paralipomenis altitudo duarum columnarum colligitur in unam ſummam, quæ in libris Regum tribuitur cuique columnæ. Nec forſan baſeos earum ratio habita eſt in Paralipomenis; de quo plurimus alibi ſermo fiet. Certè in his omnibus locis Scripturæ, ubi cubitorum mentio fit, animus meritò anceps fluctuaret; quippe nullibi, quod decebat, ſacri codicis auctores admonent, quis cubitus in menſuram à ſe adhibeatur, an ſacer, an communis. Addunt denique: ſolvi non poteſt ſine dictâ diſtinctione diffi ultas quæ oritur ex magnitudine quæ lapidibus Templi tribuitur in tertio Regum cap. 7. v. 10. *Fundamenta autem de lapidibus pretioſis, lapidibus magnis decem ſive octo cubitorum.* Lapides, aiunt, menſurati cubito ſacro, habebant tantùm octo cubitos, & prophano, qui minor eſſet, cubitos decem. Liquet innui à ſcriptore ſacro lapides omnes fundamentorum fuiſſe grandes, nempe decem aut ſaltem octo cubitorum.

קנה *Kaneh*, canna calamus. Hanc menſuram definit Ezechiel capite 40. v. 5. *Calamus menſuræ ſex cubitorum & palmo.* In fonte: *calamus menſuræ ſex cubiti in cubito & tophach.* Alii ſingulis cubitis dant palmum, ſive quatuor digitos, quibus volunt cubitos Hebræos Babylonium cubitum ſuperaſſe. Villalpandus uni calamo addit tantummodo quatuor digitos, quibus ille excederet ſex Babylonios cubitos. Propheta non admonet ullius diſcriminis inter menſuram Angeli & menſuras Babylonias. Declarat tantummodo hunc qui formam Architecti induerat, habuiſſe in manu calamum, qui conſtabat ſex cubitis, ſicut cubiti ſex palmis; & erat primaria menſura, quam ab Angelo acceptam ipſe tradebat Judæis, ut ad illam dirigerent opus Templi, quod inſtauraturi erant. Menſura autem illa *Kaneh* calamus, nomen accipiebat à materiâ, à cannâ, à calamo qui aptus eſt tum propter longitudinem & rectitudinem ad menſurandum, tum propter internodia, quibus diverſæ partes menſuræ diſtingui poſſunt. Angelus qui apparuit Ezechieli in imagine viri architecti, habebat etiam in manu פתיל *Pathil* filum, ſive funiculum lineum σπαρτίον, quo opifices utuntur. Ezech. cap. 40. v. 3. *Et ecce vir, cujus erat ſpecies quaſi ſpecies æris, & funiculus lineus in manu ejus.* Non alia forma viri architecti deſcribitur à Zachariâ cap. 2. v. 1. *Et levavi oculos meos & vidi: & ecce vir, & in manu ejus funiculus menſorum.* In fonte חבל מדה *chebel hammidah* σχοινίον γεωμετρικόν. Hocce nomen *chebel* ſæpiùs occurrit. *Chabalim* nempe funiculis Hebræi partiebantur agros; unde illud Pſalmi 15. v. 6. *Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hereditas mea præclara eſt mihi.* Opinor & illum funiculum, quo uterentur agrimenſores & alii, dictum ab Hebræis קו *Kaf* ſeu *Kau*; quod nomen LXX. interpretes ſæpiùs reddunt μέτρον; ſed & σπαρτίον in capite 38. v. 5. Job, ubi Aquila interpretatur κανόνα *regulam, normam*, Symmachus σχοινίον μέτρου. Apud Iſaiam redditur σπαρτίον γεωμετρίας: a Latino interprete nunc *funiculus*, nunc *perpendiculum*, nunc *reſticula*, nunc *filum*, nunc *linea*.

ברת *Berath* eſt menſura longiſſima; cujus nulla in ſacro codice mentio, niſi confundatur cum כברה *chibrah*, quod nomen legitur in Geneſi cap. 35. v. 16. כברת הארץ *cibrath haaretz.* Etenim illud derivant a ברה, aut ברה; ita ut in chibrath littera *Caph* ſit particula ſimilitudinis, & *chribrath terræ* ponatur pro *quaſi berath terræ.* Alii dicunt eſſe milliare; alii duo mille paſſus. Nomen eſt alicujus intervalli; ſed quantum fuerit, nullibi declaratur.

Pleraque alia ſunt menſurarum nomina in libris Judæorum uſurpata. De inſtituto noſtro non eſt his omnibus exponendis immorari. In Judicum tertio capite v. 16. deſcribitur capulus gladii Aod & ſtatuitur longus in fonte גמד *ghomed*, id eſt, juxta interpretem Latinum longitudinis palmæ manûs. Nomen eſt, ut videtur, exiguæ cujuſdam menſuræ. Græci interpretantur σπιθαμῆς: a גמד venit גמדים *ghammadim*. φύλακες in verſione Græcâ. Judæi intelligunt *pygmæos, nanos*; quos Hieronymus ſequitur, interpretans Ezechielem capite 27. v. 11. *ſed & pygmæi qui erant in turribus tuis.* Iſta ſunt extra inſtitutum.

Iter ſabbati erat ſpatium, quod die ſabbati poterat confici; extra autem progredi non licebat. Hocce fundamento ſtatutum nitebatur, quia Deus in Exodo cap. 16. v. 30. ſic præcepiſſet: *Nullus egrediatur de loco ſuo die ſeptimo.* Benignâ autem interpretatione laxaverant Judæi præceptum illud, jam ab antiquis temporibus. Sic enim loquitur paraphraſtes Chaldæus, qui antiquus eſt, in caput 1. v. 6. libri Ruth. *Præceptum accepimus de ſervandis ſabbatis & diebus feſtis, ne longius iter faciamus, quàm duorum millium cubitorum.* Quidquid ſit, vigebat iſta lex de itinere ſabbati, dum Dominus in terris adhuc verſabatur. Hujus enim meminit B. Lucas; & dicit hocce intervallo montem Oliveti remotum fuiſſe Hieroſolymis Act. 1. cap. 1. 12. Joſephus autem in Antiquitatibus libro XX. cap. VI. dicit montem Oliveti quinque ſtadiis diſſitum fuiſſe Hieroſolymis. Stadium Græcum eſt 600 pedum Græcorum, ut vidimus; ideo 400 cubitorum Græcorum; qui numerus quinquies repetitus, nempe quinque ſtadia faciunt 2000 cubitos Græcos. De Hebræis cubitis ſermo eſt in præcepto de itinere ſabbati; ſed Joſephus non mentem advertit ad diſcrimen utriuſque cubiti Hebraici & Græci. Æſtimavit ſtadium ex conſuetudinibus Hebraicis; nempe ſtadium appellavit quod eſſet quadringentorum cubitorum Hebraicorum; qui, ut dicemus, longiores erant Græcis. Sed fortè ſuppoſuit pares; undè neceſſe eſt inter utrumque non fuiſſe enorme diſcrimen. Divus Hieronymus in Epiſtolâ 151. ad Algaſiam, quæſtione 10. Iter ſabbati facit 2000 pedum; ſed aut librarius erravit, aut ipſe negligenter poſuit pedes pro cubitis; quia Latini mentionem pedum lubentiùs quam cubitorum faciebant. Sic, ut vidimus ſupra, Plinius exſcribens Herodotum, pro cubitis ponit pedes. Origenes in libro quarto principiorum numerat duo millia ulnarum in hocce itinere ſabbatico. Verùm obſervavimus apud Græcos ulnam ὠλένην & idem ſonare quod cubitus. Tabula ſubjecta exhibet quam rationem inter ſe habeant Hebrææ menſuræ.

Tabula exhibens menſuras Hebræorum longas.

Atsbag, ſive digitus.	Tophac ſive palmus minor	Zereth ſive palmus major	Cubitus.	Calamus.	Stadium Hebræorum.	Chibrath.
1						
4	1					
12	3	1				
24	6	2	1			
144	36	12	6	1		
9600	[illegible]40	800	400	66 2/3	1	
[illegible]4000	[illegible]000	[illegible]000	1000	166 2/3	2 1/2	1

SECTIO II.

De menſuris cavis, ſive vaſis, quibus Hebræi vinum, oleum, triticum, & cæteras fruges, metiebantur.

MEnſuræ quibus Hebræi liquores dimetiebantur, uſitatæ ſunt *Bath*, *Hin*, & *Log*. Quidam addunt quartarium, qui ſit pars quarta Log. Frugum verò ſive rerum aridarum *Corus* ſive *chomer*, *Lethec*, *Epha* ſive *Ephi*, *Satum*, *Omer* ſive *Gomor*, qued & *Aſſaron* dicitur, id eſt, *Decima*. *Cabus* etiam numeratur inter iſta vaſa Hebræorum, quorum maximum fuit חומר *Chomer* ſive *Omer*. Nomen illud Hebræis ſonat quod Latinis acervus. Vicinum eſt חמור *aſinus*; à quo iſta menſura acceperit nomen, quaſi fuerit juſtum aſini onus. *Chomer* redditur à LXX κόρος; quæ vox Hebræa. כור ſive כר *cor*, menſura eſt Hebræa, eadem ac חומר *chomer*. Sed & apud Græcos κόρος fuit menſura: μέτρον τι ϛιτικόν: *menſura quædam frumentaria*; quod & nomen tranſiit ad Latinos. Legitur in Evangelio Lucæ capite 16. v. 7. ubi villicus ei qui debebat ἑκατὸν κόρους *centum coros tritici*, permittit ut pro centum ſcribat octoginta. Sæpiùs in verſione græcâ LXX. nomen חומר redditum eſt γομὸρ: quo & nomine pariter interpretantur aliam & multùm diverſam Hebræorum menſuram; nempe עמר *Gomer* ſive *Omer*, quæ decima pars eſt menſuræ ephi ſive epha, ſicut epha pars eſt decima chomer. Ita *omer* non erat niſi centeſima chomer, ut modo dicemus. Attamen eâdem voce tam diverſæ menſuræ exprimuntur in verſione Græcâ, quod multam confuſionem parit. Hæc duo Hebræa nomina חמר & עמר differunt hiſce litteris ח & ע, quæ in exempla-

A ribus antiquis facilè permutantur, non quidem ob figuræ, ſed ob ſoni ſimilitudinem. Forſan antiquitùs in verſione Dræcâ pro חומר *chomer* fontis legebatur χόμορ, & pro עומר *omer* γομὸρ: poſtea oſcitantiâ librariorum duæ voces confuſæ ſunt; ubique poſitum γομὸρ, cujus vocis ambiguitas multos fefellit, & inter alios ſanctum Epiphanium; cujus librum de ponderibus & menſuris miſerè ſcatere deceptionibus viri docti ſentiunt. Non ſibi ipſe conſtat; quod innuimus, ne quis auctoritate tanti viri abripiatur in errorem.

בת *Bath*, ſive Batus, erat ex Ezechiele pars decima *chomer* ſive cori; & eadem ejus capacitas ac menſuræ quæ dicitur ephi ſive epha ca-
B pite 45. v. 11. *Ephi & batus æqualia & unius menſuræ erunt: ut capiat decimam partem cori ephi: juxta menſuram cori erit æqua libratio eorum.* Batus & ephi eſſe decimam partem chomer ſive cori adſtruit Propheta v. 14. *Et decem bati corum faciunt, quia decem bati implent corum.* Septuaginta interpretes hanc menſuram nempe batum variè transferunt. Primùm enim vocem hebraicam retinent, ſed non nihil variatam; ſcribunt enim tum βαίθ (fortaſſe βαθ legendum eſt) 2. Paralip. capite 2. tum ab illis redditur βάθος 1. Eſdræ cap. 7. Deinde μετρητὴν 2. Paralip. cap. 4 interpretantur; & κεράμιον, & μέτρον, & χοίνικα, & κοτύλην; ut videre eſt in concordantiis Conradi Kircheri, qui ſubjicit oculis loca omnia ſcripturæ, ubi hiſce omni-
C bus nominibus Græcis vox Hebræa *Bath* exprimitur. Iſta nominum diverſitas arguit verſionem Græcam diverſis temporibus, forſan & à diverſis interpretibus cuſam; vel fuiſſe incertos quâ voce Græca potiùs exprimenda eſſet menſura Hebræa. Villalpandus ſentit fuiſſe duos batos majorem & minorem. Id comminiſcitur, ineundæ concordiæ causâ inter libros Regum & Paralipomenorum. Tertio Regum cap. 7. v. 26. de Mari æneo, quod curâ Salomonis conflatum eſt, dicitur, *Duo millia batos capiebat*; ut habet fons Hebræus: in verſione autem Græcâ Romanæ editionis locus ille non comparet; forſan ut declinaretur difficultas. In ſecundo libro Paralipomenorum cap. 4. v. 5. ad-
D ſtruitur de eodem vaſe, juxta fontem, quod caperet ter mille batos; juxta Græcos & Latinum interpretem, *capiebatque tria millia metretas.* Villalpandus, ut nodum ſolveret, opinatus in his duobus diverſis locis ſcripturarum de diverſo agi bato, de minori in Paralipomenis, & de majori in libris Regum. Ab iſtâ opinione Villalpandi multa me revocant. Primò nullibi, neque in Bibliis, neque apud Joſephum, invenitur quæpiam diſtinctio minoris & majoris bati; nec afferri poteſt ullum exemplum, quo probetur diverſas menſuras eodem nomine in ſcripturis appellari. In vulgatis quidem Bibliis eodem nomine *Palmi* diverſæ menſuræ *Tophach* & *Zereth* redduntur; ſed illud vitium non eſt fontis Hebræi in quo habent diverſa nomina.
E Quoties Joſephus uſurpat nomen alicujus menſuræ, quod æquivocum videtur, cavet ne ambiguitate decipiatur lector; verbi causâ de medimno loquens, admonet alium eſſe ſiculum, alium Atticum. Jam falſi arguimus omnem duplicem menſuram. Damnatur expreſſis verbis à Domino in Deuteronomio cap. 25. v. 14. *Nec erit in domo tuâ modius major & minor.* Quo aperto teſtimonio ipſe Villalpandus, licet ſupponat duplicem batum, compellitur fateri menſuras ſacras non fuiſſe diſtinctas à plebeis. Si fuiſſet autem diſtinctio inter batum & batum, ſive in ſacro, ſive in profano uſu, Ezechiel quando ſtatuit batum eſſe decimam partem *chomer* ſive cori, procul omni dubio innuiſſet de quo

bato faceret sermonem; neque enim duo vasa inæqualis mensuræ poterant æqualiter esse decima pars ejusdem vasis. Batus erat mensura liquorum

הין Hin mensura olei & vini, ut videre est passim in scripturis sacris. Interpres Latinus quandoque nomen Hebræum litteris Latinis scribit; ut Græci Græcè scribentes modò ἵν sine aspiratione, & cum diphtungo & aspiratione ἵν. Licet dicere vocem הין intactam relictam esse à Latinis & Græcis interpretibus, uno loco excepto Levitici capite 19. v. 36. ubi Græci habent *χοῦς δίκαιος ἔσται ἐν ὑμῖν congius justus erit inter vos:* a vulgato interprete redditur *sextarius*. Ex nullo loco scripturæ colligi potest quæ sit hujus vasis capacitas, quam ex traditionibus Judærum petemus in sequenti articulo; hîc tantùm quærentes quibus nominibus Græcis & Latinis vox Hebræa *Hin* reddita fuerit. Josephus de illo vase sic loquitur in Antiquitatibus lib. 3. cap. 9. *Εἰν μέτρον δὲ ἐστι τοῦτο ἐπιχώριον δύο χόας Ἀττικὰς δεχόμενον Hin mensura verò hæc est patria, duos congios Atticos capiens;* quod & adstruit capite sequenti. Hujus autem mensuræ in sacrificiis frequens fit mentio, plurimus usus; cùm ergo magna esset sacrificantium multitudo, Josephus observat Antiq. lib. 8. cap. 11. *Hines & Assaronas* mensuras à Salomone aureas vicies mille paratas: argenteas verò bis totidem. In Levitico cap. 23. v. 13. indicatur mensura, quæ quarta pars esset vasis hin. Itidem in Numeris cap. 15. v. 4. & in eodem capite v. 5. Tertia pars Hin nominatur, sicut v. 9. medium mensuræ Hin. Ezechieli aquæ potus concessus est usque ad sextam partem Hin cap. 4. v. 11. Undè Arias Montanus colligit divisam illam mensuram sextuplici divisione, & statuit ex libris Misnaiot, in tractatu Chedioth, Hin sextam partem esse Bati.

לוג *Logh* parvula est mensura, de quâ fit sermo in capite 14. Levitici quater in locis in quibus à LXX. interpretibus redditur *κοτύλη cotyle*, & à Latino interprete *sextarius*. Ex Judæis logh septuagesima secunda pars est bati, duodecima *Hin*. De verâ capacitate ejus disseremus infra. Vas erat quoddam continens quartam partem ejus.

Prima & maxima mensura frugum erat, ut dictum est, *Chomer* sive corus; cujus media pars dicebatur לתך *Lethec*, si fides adhibenda sit Judæis in Misnaioth, tractatu de Juramento Judicum. Hos secutus est B. Hieronymus, interpretans prophetiam Oseæ, qui capite 3. loquens de muliere quam propheta desponderat in uxorem: *& conduxi eam,* inquit Propheta, *quindecim argenteis & coro hordei & dimidio coro hordei.* In fonte *Lethec*. LXX. interpretes transtulerunt *νέβελ οἴνου nebel vini*. Vas autem erat dictum נבל *nebel*, sive coriaceum sive testaceum; quod ipsi LXX. quandoque retinent, scribentes νέβλα. 1. Reg. cap. 1. v. 24. & 2. Reg. cap. 16. v. 1. Interpretantur alibi *ἀσκὸν utrem, ἀγγεῖον vas κεράμιον*. Dictum autem nomen lethec B. Hieronymus loquitur, *cæteri interpretes ἡμίκορον hordei transtulerunt; id est, mediam partem cori; quæ facit quindecim modios.*

איפה *Ephi* sive *Epha* mensura est frugum, sicut batus liquorum. Hæc duo vasa erant paris capacitatis, ut Ezechiel declarat, & utrumque dicit fuisse decimam partem *chomer* sive *cori* cap. 45. v. 11. Vocem Hebræam retinent LXX. sed variè scribunt, ὑφί, ὑφεὶ, οἰφὶ, & οἰφεὶ, ut videre est in concordantiis. Ab iisdem transfertur *μέτρον*; sed cùm sufficit indicare in genere omnem mensuram, ut in Deuteronomio capite 25. *Non erit in domo tuâ epha & epha.* Non erit in domo tuâ *μέτρον καὶ μέτρον mensura & mensura.* Ita forsan & apud Isaiam cap. 5. ubi veritas Hebraica habet, *sementis chomer faciet epham.* Illi scribunt *ὁ σπείρων ἀρτάβας ἓξ ποιήσει μέτρα τρία. seminans sex artabas faciet tres mensuras.* Sæpius hi interpretes non verbo verbum reddunt, sed sensum tantummodo exprimunt. Ita quandoque pro epha posuerunt *πέμματα placentas*; ut apud Ezechielem cap. 45. v. 24. ubi in fonte, & in Vulgatâ, *Et sacrificium Ephi per vitulum, & ephi per arietem faciet, & olei Hin per singula Ephi.* LXX. habent *πέμμα τῷ μόσχῳ, καὶ πέμματα τῷ κριῷ, ποιήσεις, καὶ ἐλαίου τὸ ἵν τῷ πέμματι*, hoc est, *& placentas vitulo & placentas arieti facies, & olei hin placentæ.*

סאה *seah* satum, in plurali סאים *seim* sata. Paraphrastes Chaldæus docet nos vas illud fuisse tertiam partem ephi; nempe tria sata implevisse ephi. Ubi enim in libro Ruth cap. 2. v. 17. dicitur quòd Ruth invenerit in agro Boos hordei כאיפה *ceepha*, hoc est quasi ephi; aut potiùs simpliciter ephi, nam littera כ *caph* sæpè veritatem confirmat, non minuit. Ibi, inquam, dicit Chaldaica paraphrasis Ruth invenisse tria sata. Utrumque conjunxit vulgata nostra, *Invenit hordei quasi ephi mensuram, id est, tres modios.* Ex Hebræo סאה factum est סתה *seath* inde *σάτον, satum*, quod nomen non Latinum est. Hanc mensuram senes Græci interpretantur *μέτρον*; scilicet quia videbatur illis satis esse uti nomine generali; sed & cum ephi confundunt in primo Regum capite 25. Latinus interpres modò *satum*, modò *modium* interpretatur. Redditur etiam à LXX. *μετρητὴς metreta* tertio Reg. cap. 8.

עמר *Homer*. Græca editio Bibliorum, ut litteræ gutturalis sonum fortiorem exprimeret, aiin Hebræorum per gamma Græcum exprimit, scribens *γομὸρ*; alii cum accentu in penultimâ *γόμορ*. A Græcis didicerunt Latini dicere *Gomor*. Sic dicitur *Gotholia* pro *Atalia*, quæ filia fuit Achab Regis apud Josephum lib. IX. cap. 5. quod nomen in initio habet litteram gutturalem ע *ain* & per *g* effertur. *Omer sive gomor pars est decima Ephi*, ut loquitur fons Hebræus, עשרית האפה *assirith haepha*. Ideo appellatur à Josepho lib. III. cap. 7. *ἀσσαρὼν Assaron.* Vox ista Hebræa est עשרן *issaron*, & hac significatur quæpiam decima pars.

קב *Kab* cabus, mensura erat nota Hebræis, de quâ mentio fit in libris Regum 4. cap. 6. v. 25. Ubi quarta pars cabi stercoris columbarum dicitur vendita quinque argenteis. In fonte est חריונים, quod nomen interpres Latinus habet pro columbarum stercore. Sunt verò qui interpretantur de specie quadam ciceris. Fieri potest ut fames tali cibo etiam homines vesci compulerit. Varro in libro primo de re Rusticâ cap. 38. quærens quod sit stercus optimum, ait præstare columbinum, *quod non solùm ad agrum utile, sed etiam ad cibum, ita bubus & suibus ut fiant pingues.* Quæ autem hujus mensuræ, de quâ sermo est, sit ratio cum aliis mensuris Hebræis, ex nullo scripturæ loco deduci potest. Alii cabum faciunt sati sextam partem, sicut omeris dimidiam: alii sati quartam. Dicemus articulo sequenti quid Judæi sentiant. Juxta sententiam eorum cabus non præcisè est media pars omer; duæ enim istæ mensuræ sunt inter se, ut numeri illi 24 & 43 $\frac{1}{5}$

Mensuras Græcas Judæi quandoque usurparunt. Ita in Apocalypsi cap. 6 v. 6 *χοῖνιξ σίτου* nominatur. Chœnix autem, ut vidimus, est mensura tritici, quæ homini unico die ad vitam sustentandam sufficit. De illâ mensurâ suo loco sermonem fecimus.

Mirum tibi videatur, Lector, ubi recensemus vasa Hebræa, prætermitti hydrias, quarum mentionem facit B. Joannes Evangelista. Verùm, ut ostendimus in commentariis in Evangelicam Harmoniam, apud Hebræos illæ hydriæ non erant men-

furæ, sed vasa destinata aquæ recipiendæ, quæ in A mensurâ non solet bibi. Vasa erant non portatilia, sed lapidea, hujus aquæ capacia, quæ sufficiebat ad Judaica lavacra. *C'étoient des cuves pour se baigner & se purifier à la maniere des Juifs.*

SECTIO III.

De vasorum Hebræorum ratione, quam inter se habent ex scripturis & traditionibus Judaicis.

VIdimus Ephi & Batum fuisse decimam partem chomer sive cori. Gomor autem sive omer pars erat decima sive bati, sive ephi; & ideo pars centesima sive chomer, sive cori. Cæterarum au- B tem mensurarum aliunde quàm ex scripturis cognitio petenda est; nempe ex antiquis traditionibus, quas nempe Josephus, Paraphrastæ Chaldæi; libri Misnajoth mandaverunt scriptis suis. Vasorum capacitatem definiunt Judæi ovorum gallinaceorum numero, quæ capere possunt; nempe quantùm testæ ovorum talis & talis numeri. Ipsi non explicant quæ intelligant ova, sed verisimile est hæc sentire de ovis gallinarum. Gallinæ autem, ut de Numidicis, quòd alterius generis sunt, nihil dicam, triplices sunt, magnæ, mediocres, & parvæ. Hîc mediocres considerantur; & ovorum quæ pariunt capacitas, ipsum est eorum putamen, quod continet tam luteum colorem quàm candidum. Audiamus C Ariam Montanum sic loquentem de Hebræorum mensuris in genere & speciatim de his ovis. *Initium autem omnium harum mensurarum*, inquit Montanus, *quibus liquida & arida expediuntur, gallinæ ovum est, idque commune; quod dividitur in quinque partes, tanquam unciolas. Atque ovum, cum quintâ parte ejus, quod capit, mensuram efficit, à quibusdam* עכל ghachal *dictam, cujus mentio in Midras Raba cap. 9. & in fine gemara in capite de eo qui navim vendit. De ovi autem communis ratione observandâ traditur in libris Misnaioth, his verbis. Quantitatum & mensurarum fundamenta sunt ovum commune, malogranatum commune, oliva communis, carica sive palma communis, faba communis, lens Ægyptia communis, & hordei granum* D *commune, item pugillus communis. Certissimus autem pugillus, qui in publicis mensuris constat, fuit pugillus Ben Betiahh, id est, viri cujusdam suâ ætate noti, cognomento filii Betiahh: hæc docemur tract. de Chelaim cap. 17. parag.* ה, *& parag.* ז, *& parag.* ח *&* ט *&* ב'.

Allegat idem Arias Talmudis & aliorum scriptorum Rabbinicorum loca, ubi æstimatur cujusque mensuræ quantitas. Licet & hoc discere, perlustrando singula mensurarum vocabula in lexico Davidis Kimchi; quod lexicum inscribitur *Miklol.* Rabbi Alphes tractatu de Paschate cap. V. rationes illas, quas exponendas suscipimus, sic expressit numero ovorum, quorum testæ tantùm caperent. E *Quartarius*, sive vas quod erat quarta pars vasis *Log*, continebat ovum & sesqui-ovum; hoc est quantùm capi potest testâ ovi integrâ, & mediâ testâ. *Log* quantùm testâ sex ovorum: *Cabus* quantùm testâ viginti quatuor ovorum: *Gomer* sive *Omer* quantùm testâ $43\frac{1}{5}$: *Hin* quantùm testâ ovorum 72: *seah* sive *satum* quantùm testâ ovorum 144: *Ephi* quantùm testâ ovorum 432. Denique *chomer* sive *corus* quantùm testâ ovorum 4320. Hæc rationes non pugnant cum iis quæ ex scripturis certò comperta sunt. Vides lector illas rationes numero ovorum definitas in sequenti latêre expressas.

$1\frac{1}{2}$	6	24	$43\frac{1}{5}$	72	144	432	4320
Quartarius.	Logus	Cabus	Gomor sive omer.	Hin	Satum.	Batus & Ephi.	Chomer sive Corus.

Ex istâ autem suppositione factâ à Rabbinis, satum est tertia pars Ephi; quod hi numeri 144 & 432 indicant. Istam rationem confirmavimus testimonio paraphrastis Chaldæi, ut omnino fidem Rabbinis abnuere non debeamus. Cabus sexta pars est B sati; sed non dimidia præcisè omer; ut supra positi numeri ostendunt 24 & $43\frac{1}{5}$. Ita si cabus sit 1, omer erit $1\frac{4}{5}$. Alterius dispositionis tabulâ sequenti expressimus easdem rationes, quas habent inter se mensuræ cavæ, de quibus scriptura loquitur; sed distinctis tabulis rerum liquidarum & rerum aridarum. Corum autem censemus inter mensuras rerum liquidarum cum scriptore libri Regum tertii cap. 5. v. 11. & cum Ezechiele cap. 45. v. 14. Corus autem & chomer, eadem mensura est. In dicto loco Regum dicitur Salomon dedisse Regi Tyrio viginti coros purissimi olei.

Mensura cava rerum aridarum.

						Ovum
					Cabus.	1
				Omer sive gomor & assaron	1	24
			Satum sive seah.	1	$1\frac{4}{5}$	$43\frac{1}{5}$
		Epha sive Ephi.	1	$3\frac{1}{3}$	6	144
	Lethec.	1	3	10	18	432
Corus sive chome	1		15	50	90	2160
1	2	10	30	01 00	180	32

Mensura cava rerum liquidarum.

				Ovum.
			Log.	1
		Hin.	1	6
	Bathus.	1	12	72
Corus.	1	6	72	432
1	10	90	720	4320

SECTIO IV.

De Hebræorum ponderibus. Siclus erat præcipuum eorum pondus & numisma. C

PRæcipuum Hebræorum pondus erat *ſiclus* hebraicè שקל *shekel* à *shakal* quod idem eſt ac ponderavit. Vetus interpres nunc *ſiclum*, nunc *ſtaterem* interpretatur. σατὴρ Græcis idem ſonat; deducitur enim à verbo ἱςάναι, quod itidem *ponderare* ſignificat, ut jam notatum eſt. Pondera autem omnia apud Hebræos ad ſiclum revocabantur, quaſi ad normam ſuam. *Omnis æſtimatio ſiclo ſanctuarii ponderabitur.* Levit. cap. 27. v. 25. videre eſt in Exodo cap. 30. oleum unctionis ita confectum pondere ſicli; *ſume tibi*, loquitur Dominus ad Moyſen v. 23. *aromata primæ myrrhæ & electæ quingentos ſiclos, & cinnamomi medium, id eſt, ducentos quinquaginta*, 24. *Caſiæ autem quingentos ſiclos in pondere ſanctuarii, &c.* D Illud pondus ſanctuarii, ut monuimus, non denotat duplicem fuiſſe ſiclum, alium ſacrum, alium prophanum; ſed fieri ſermonem de pondere publico, æquo & juſto, cujus norma ſive typus ſervabatur in ſanctuario. Sæpiùs innuimus nihil magis adverſatum legibus ſacris, quàm pondus & pondus, id eſt duplex & diverſum pondus.

Miror viros peritos in argumentum duplicis ſicli afferre ſiclum à Græcis temibus appellari δίδραχμον didrachmum, quem Joſephus dicat τετράδραχμον tetradrachmum, ſeu quatuor drachmarum. Hujus, inquiunt, diverſæ appellationis non eſt alia ratio, E niſi quòd LXX. loquantur de ſiclo prophano: Joſephus verò de ſacro. Primùm Joſephus Græcos Gentiles, quibus ſcribit, de iſtâ diſtinctione non admonet; quod eum facere decuiſſet. Ille & LXX. loquuntur de eâdem re: quam ergo ſi diverſis exprimant nominibus, ratio aliunde accercenda. Ubique LXX cùm de ſiclis ſermo eſt, ſemper dimidiant numerum ſiclorum Ubi verbi causâ in fonte dicitur capillos Abſalonis ponderaſſe ducentos ſiclos, illi ponunt tantùm centum ſiclos; non propter ponderum diverſitatem, ſed quia pondera Alexandrina quod obſervatum eſt, duplo ponderoſiora erant Atticis: ſic ſiclus, qui Joſepho erat A tetradrachmus, ſive ponderabat quatuor drachmas, par erat ponderi duarum drachmarum Alexandrinarum. Inde, ut evicimus, LXX. rGæci interpretes, cùm eſſent Alexandrini, aut Alexandriæ & Alexandrinis ſcriberent, quod Joſephus nominat tetradrachmum, ipſi appellant didrachmum.

Teſtimoniis, quibus ſupra pugnavimus, adjungam quod occurrit in Joſepho circa hanc rem animadverſione dignum, libro ſeptimo [cap. XXVI [de bello, ubi narrat Titum impoſuiſſe Judæis, ubicumque degerent, duas drachmas, nempe dimidium ſicli; quod, inquit Joſephus, illi tributum in Capitolium deferrent, ſicut anteà ſolebant in Templum Hieroſolymitanum. Intelligit tributum quod præcipitur in Exodo [capite 30. v. 13. B *Hoc autem dabit omnis qui tranſit ad nomen dimidium ſicli juxta menſuram templi.* Ibi autem LXX. ſic loquuntur. Καὶ τοῦτό ἐςιν ὃ δώσουσιν ὅσοι ἂν παραπορεύωνται τὴν ἐπίσκεψιν. τὸ ἥμισυ τοῦ διδράχμου ὅ ἐςι κατὰ τὸ δίδραχμον τὸ ἅγιον. *Et hoc eſt quod dabunt quicunque tranſibunt ad viſitationem: dimidium: didrachmatis, quod eſt juxta didrachma ſanctum.* Ergo rem eamdem, nempe ſiclum Joſephus appellat tetradrachmum, quem LXX. nominant didrachmum. Tributum illud, de quo loquitur Mathæus cap. 17. v. 23. quod & didrachmum vocat, non aliud erat quam illud dimidium ſicli. *Et cùm veniſſet Capharnaum, acceſſerunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magiſter veſter non ſolvit didrachma;* nempe tributum dimidii ſicli, quod Judæi tenebantur annuatim pendere primùm Tabernaculo, deinde Templo, hoc eſt, Deo; unde Chriſtus Filius Dei ſe eâ lege non teneri declarabat. Reges enim, aiebat, non ſolent exigere vectigal à filiis, qui ideo immunes ſunt. Sicut autem ſiclus integer pendebat quatuor drachmas Atticas; ita dimidius ſiclus duas drachmas: quapropter in eodem loco Matthæi dicitur Chriſtus pro ſe & Petro dediſſe σατῆρα *ſtaterem*; quia, ut diximus, ſtater erat quatuor drachmarum. Hæc ſi expendiſſent viri docti non commenti eſſent duplicem ſiclum. Siclus ſanctuarii, ille eſt qui norma & lex eſſet ponderum, & ſervabatur in ſanctuario, de more qui invaluerat apud omnes gentes. Conſtituti erant ſacerdotes ſuper omne pondus, atque menſuram, ut initio hujus tractatûs diximus; adeo rebus ſacris pondera accenſebantur. Allegari non poteſt pro duplici pretio ſicli, quod Philoni ſit ſiclus didrachmus, qui Joſepho eſt tetradrachmus. Philo erat Alexandrinus, qui more patrio loquitur. Drachmæ Alexandrinæ, ut vidimus, duplo ponderoſiores erant; ita ut ſiclus quatuor drachmarum in Judæâ, diceretur ab Alexandrinis duarum drachmarum.

Siclus habebat viginti גרה *gherah*, hoc eſt, minutas partes; ut dicitur in Exodo cap. 30. v. 13. viginti *gherach*, ſiclus. LXX. Εἴκοσι ὀβολοὶ τὸ δίδραχμον, Siclum ſolent illi interpretari δίδραχμον, ut diximus. Noſter interpres fontem vertit, *ſiclus viginti obolos habet.* Scilicet ille interpres & Græci, cùm non occurreret nomen ponderis, quod accederet magis ad illud *gherah*, reddiderunt *obolos*. גרה *gherah* derivatur à verbo גרר *gharrah*; quod eſt *concidit, ſecuit, diſſecuit*, Obolus pondus erat leviſſimum; verùm adhuc levius *gherah*. Drachma enim ut ex ante dictis notum, valet ſex obolos, & ideo ſiclus qui eſt tetradrachmus æquat pondus viginti quatuor obolorum.

Pondus grande erat uſitatum Hebræis, quod appellabant מנה *Mna*. Idem eis ſonans ac Latinis libra, à verbo מנה *mana* numeravit Forſan Græcorum μνᾶ & Latinorum *mna* non aliunde accepêre ortum ſuum. Quod autem ſit pondus *mna*, docet

nos Ezechiel cap. 45. v. 12. *Siclus autem viginti obolos habet. Porro viginti sicli, & viginti quinque sicli, & quindecim sicli, mnam faciunt.* His verbis Ezechielis assentit Josephus cùm scribit lib 14. Antiq cap. 12. Ἡ δὲ μνᾶ παρ' ἡμῖν ἰσχύει λίτρας β' καὶ ἥμισυ. *Mina autem apud nos constat duabus libris cum dimidiâ.* Ex isto scriptore siclus valebat quatuor drachmas Atticas; quatuor autem drachmæ erant pars dimidia unciæ; ita siclus semi-uncia erat. Ergo sexaginta sicli faciebant triginta uncias; nimirum duas libras (duodecim unciarum) cum dimidiâ librâ. Sunt qui velint *Minam* sive *Mnam* esse nomen æquivocum, quod modò siclos in genere denotet, modo certum siclorum numerum. Dicam iterum, non adduci potest animus meus ut credat diversis mensuris idem nomen tributum ab ullo scriptore sacro, qui proculdubio præmonuisset, ne quis ambiguitate nominis falleretur. Istud duplicis significationis commentum, inductum puto ab iis qui conciliare non poterant duo loca scripturarum, quæ videntur secum malè cohærere. In tertio libro Regum cap. 10. v. 16. Salomon dicitur fecisse *trecentas peltas ex auro probato; trecentæque minæ auri unam peltam vestiebant.* Quis tam firmo corpore, ut clypeum trecentarum minarum gestaret? nam, si singulæ minæ faciunt duas libras cum semilibrâ, ut Josephus dicit, quæque ex illis peltis ponderabat 750 libras. Locus alter est huic parallelus in secundo Paralipomenorum cap. 9. v. 16. in quo hæc leguntur. *Trecenta quoque scuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur singula scuta.* Nisi minæ & sicli ibi non differant, manifesta esset, inquiunt, dissonantia. Quid ad hæc? Primo loco convenit inter peritos quod ubi fit sermo de ponderibus, subintelligi debeat vox sicli, si aliud ponderis genus non exprimatur. Secundo illud commentum quod impugnamus, & dissonantia, quæ videtur esse inter duo loca parallela, evanescunt, cùm fons consulitur; nam in libris Regum, nec in fonte, nec in versione Græcâ, nec in Paraphrasi Chaldæâ, nec denique in Josepho legere est trecentas minas, ut in vulgatâ, sed tantùm tres minas. Horum ergo clypeorum pondus erat novem librarum Romanarum, non multo plus quam sex librarum Parisinarum; quibus ferendis homo miles non est impar. In Paralipomenis autem, ubi leguntur trecenti aurei, error potuit irrepere, ut pro מנים minæ scriptum sit oscitantiâ librarii מאת *meoth;* hoc est centum; qui error antiquior sit Græcâ versione. Legendo autem שלש-מנין טגנים *trium minarum clypeos*, omnem difficultatem præcidimus; sive illa oriatur ex apparenti dissonantium, sive ex nimio pondere. In utroque loco scripturarum similiter adstruitur aurum pondere trium minarum inductum fuisse singulis scutis.

Opponunt tamen Josephum, qui Antiquit. lib. 2. cap. 3. scribit Joseph à fratribus suis venditum pretio viginti minarum, cùm sacer textus dicat hoc pretium fuisse viginti siclorum. Ergo aiunt, aut sicli & minæ par valor est, aut Josephus non legerat codicem sacrum. Respondeo locum illum Josephi vel corruptum esse, vel hunc scriptorem, ambitiosè rem exaggerare, ne viliori pretio venditus Joseph Etnicis vilis videretur & diceretur. Quidquid sit, non semel locutus est de minâ; & clarè, ut vidimus, definit pondus minæ esse duarum librarum cum semi-librâ. Dicit Antiquit. 7. cap. 8. Cæsariem Absalonis pependisse ducentos siclos, & mox subdit, nimirum quinque minas; ibi ergo non habet siclum pro minâ: sed & errat, aut librarius; nam cùm ex ipso mina pendeat duas libras cum didiâ, & siclus semi-unciam, ducenti sicli debent pendere tres tantùm minas cum tertiâ parte unius minæ. Infra agemus de pondere capillorum Absalonis.

ככר *Chicar*, quod Josephus exprimit Græcis litteris Κίγχαρες, maximum erat Hebræorum pondus, idem illis sonans quod Latinis *frustum, massa*; maximè cùm quæpiam massa formatur in orbem; ut colligitur ex capite 16. primi Paralipomenorum, ubi dicitur David distribuisse singulis ככר לחם *chicar panis* nempe *tortam panis*, ut habet vulgata. Vox illa *chicar* tum in Græcis, tum in Latinis versionibus redditur *talentum*, quod pondus erat gravissimum apud Græcos & Latinos, ut chicar apud Hebræos. Vidimus pedem cubicum auro solidum ponderare 1326 libras Parisinas. Indè semipedem cubicum sequitur ponderare $165\frac{6}{8}$ quæ octava pars est 1326 librarum; talentum autem Hebræum evincemus ponderasse 174 marcas cum quatuor unciis & septem grossis, & ideo 87 libras cum duabus unciis & tribus grossis cum semigrosso; unde æstimare licet longitudinem sive latus talenti Hebræi, quando donabatur formâ cubicâ.

Quæque fuerit forma hujus ponderis, rationem quam haberet cum siclo colligimus ex eo quod singuli Israelitæ penderent annuatim dimidium sicli. Etenim in Exodo [cap. 38.] dicitur sexcenta millia hominum solvisse centum *chicarim*. Si sexcenta millia semi-siclorum valeant centum chicarim, sive ter centum mille sicli valeant centum chicarim; ter mille sicli pares sunt uni *chicar*, id est, uni talento Hebræo; quod ergo par erat duodecim mille drachmis Atticis. Josephus vero loquens de pondere candelabri aurei, quod erat unius chicar, subjungit pondus illud fuisse centum minarum, sic duplo gravius faciens chicar. Nam statuit singulas minas esse sexaginta siclorum. Ita centum minæ faciunt sex mille siclos. Chicar autem juxta scripturam par erat tribus tantùm mille siclis. Quid ad hæc? Josephus aut ambitiosè, ut quandoque solet, auxit pondus candelabri, aut librarius corrupit textum ejus; quod si accidit, reponendum *quinquaginta* pro centum. Pronum est errare in effingendis numericis notis. Licet autem chicar ponderet tantùm ter mille siclis, quorum pondus est centum viginti quinque librarum Romanarum, vix concipi potest, quod narratur in primo Paralipomenorum cap. 20. v. 2. ubi celebratur victoria de Ammonitis, tulisse Davidem coronam Melchon de capite ejus, cujus pondus erat auri talentum. In fonte מלכם *Malecham*, id est, *Regis eorum*. In Græcâ versione Μολχὸμ τοῦ βασιλέως. Si autem verè homo Melchon Ammonitarum Rex, quomodo suo capite gestare potuisset auream coronam tanti ponderis? Verùm nulla est difficultas, si litteræ consonantes textus Hebræi hodierni legantur cum aliis punctis; nempe non legatur *Melcham*, sed *Melchom*, quod nomen idoli est, cujus mentio est in quarto Regum (cap. 23. v. 13.) apud Jeremiam (cap. 49. v. 1.) apud Amos (cap. 1.) & apud Sophoniam (cap. 1.) Capiti hujus idoli imposita erat ista corona aurea, quam ei detraxit David, postquam devicit Ammonitas. Qui id interpretantur de Rege, dicunt hanc coronam affixam conopeo Regio, ut vertici sedentis Regis perpetuo immineret. Rabbini vero quidam comminiscuntur magnetem lapidem, qui illam coronam sursum attraheret, ne pondere ejus gravaretur caput Regis. Alii meliùs sentiunt, supponentes consuetudinem in terrâ Ismael, ut ostentationis sive decoris causâ suspenderetur corona supra caput Regis, dum in throno sederet. In quarto Regum [cap. 5. v. 23.] Naaman compulit Giezi puerum Elizæi, ut acciperet duo talenta. *Et coëgit eum, li-*

gavitque duo talenta argenti in duobus saccis, & duplicia vestimenta. & imposuit duobus pueris suis, qui & portaverunt coram eo. Onus cujusque sacci non erat ponderosius quàm centum librarum, quod non superat vires viri robusti. A

Tabula exhibens rationem quam inter se habent pondera & nummi Hebræorum.

			Gherah
		Siclus.	1
	Mina.	1	20
Chicar sive talentum.	1	60	1200
1	50	3000	3600.

SECTIO V.

De Hebræorum, & aliarum Gentium nummis æreis, argenteis, aureis. Apud Hebræos primitus non erant in usu ærei; deinde autem fuerunt, postquam cum Romanis & Græcis commercio commixti sunt.

PRimis temporibus, ubique gentium non numerabatur, sed appendebatur pecunia. Serò, ut vidimus, Romæ signata est pecunia. Usque ad Esdræ ætatem, ab quo in sacro codice, cùm mentio fit venditionis & emptionis, videre est omnem contractum fieri interventu ponderationis; ut in Genesi (cap. 23. v. 16.) *Abraham appendit pecuniam, quam Ephron postulaverat, audientibus filiis Heth, quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ.* Ut habet fons. *Siclos argenti commeantis ad mercaturam.* In Exodo (cap. 22. v. 17.) ubi agitur de dote violatæ puellæ, a stupratore dandâ, in vulgatâ est: *reddet pecuniam juxta modum dotis.* In fonte: *argentum appendet juxta dot m virginum.* Non vacat colligere omnia similia loca, quibus apertum est olim nummos appendi solitos, usque ad tempora captivitatis; nisi liceat cogitare vetustum morem loquendi servatum, etiam si rerum alius esset usus. Nam verbi causâ Romæ, ut vidimus, postquam signati nummi, adhuc in emptionibus & venditionibus interponebatur libra, quâ olim explorabatur valor eorum. Itaque ex eo quod argentum dicitur ponderatum etiam Esdræ tempore, non concludendum esset priùs Hebræos non usos pecuniâ signatâ. Sed nummi cui eorum, qui imaginem Salomonis & Christi præferunt, omnes adscribendi sunt falsis; neque enim mos erat Judæis exsculpere similes imagines. Probantur pro veris, qui in unâ facie ostendunt vasculum plenum manna, quod in sanctuario in Arcâ vel juxta illam, ad sæculorum monumentum, Dei jussu & Moysi procuratione fuerat repositum, cum hac perigraphe *Shekel Israelis.* In alterâ videre est ramum illum admirabilem, quem in fasciculum virgularum plurimarum Aaronis nomine illatum, posterâ die D E

populus omnis florentem, amygdalaque explicantem miratus est, cum aliâ istâ inscriptione, *Jerusalem sancta.* Annus quo cusi fuêre, non signatus est. Antiquos esse monstrat inscriptio exarata litteris Samariticis, quæ apud Hebræos usitatæ erant ante captivitatem Babylonicam. Has dictorum siclorum litteras viri docti censent Samaritanas, sive sic appellant, ad distinctionem novarum quas Judæi secum deportaverunt, reduces ab Assyriis seu Chaldæis; & à tempore Esdræ his utuntur, relictis Samaritanis. Ipsi Judæi hodiernos suos bibliorum caracteres nominant Assyrios seu Chaldæos. Sicli, inquam, illi qui inscripti sunt Samariticis caracteribus habentur antiqui, & veri; neque enim verisimile est à Judæis cusos diu post captivitatem, cùm hisce litteris non ampliùs uterentur; nec à Samaritanis, quorum hæresis in eo potissimum erat, quod Hierosolymam electam à Deo non reputarent nec præ Samariâ sanctiorem. Non ergo cudissent nummos cum hac inscriptione *Jerusalem sancta.* B

Sive formâ, sive caracteribus distinguerentur nummi Hebræi, non opus est ut plura addamus his quæ de ponderibus Hebræis dicta sunt; loco enim ponderum erant nummi, & à suo pondere nomen habebant. Sicut præcipuum pondus, ita & præcipuus nummus erat siclus. Solebant autem cudi sicli ex argento. Non ex aliâ materiâ sunt antiqui, qui notati sunt dictis inscriptionibus & imaginibus vasculi in quo manna, & virgæ Aaronicæ. Jam protuli testimonium Josephi in Antiquitatibus (lib. 3. cap. 10.) qui dicit siclum nummum Hebræorum valere quatuor drachmas Atticas Ὁ δὲ Σίκλος νόμισμα ἑβραίων ὢν Ἀττικὰς δέχεται δραχμὰς τέσσαρας. Non de pondere autem loquens, sed de pretio, satis indicat siclum argenteum fuisse; nam drachmæ Atticæ materia fuit argentum; & Josephus præcidit omnem causam dubitationis. ἔφερον δὲ τὸ ἀργύριον τῶν ἐλευθέρων οἱ ἀπὸ εἴκοσιν ἐτῶν ἄχρι πεντήκοντα γεγονότες. *Ferebant autem argentum, qui erant ingenui a vigesimo anno usque ad quinquagesimum.* Non nominat argentum sed supponit, & in libro 7. cap. 10 earumdem antiquitatum, ubi narrat aream Ornan Jebusæi emptam à Davide, textus Hebræus habet emptam illam quinquaginta siclis argenti. Septuaginta vertunt: ἐν ἀργυρίῳ πεντήκοντα σίκλων. Josephus autem nullam facit argenti mentionem, sed simpliciter scribit: πεντήκοντα σίκλων ὠνεῖται γὰρ αὐτὸ τὴν ἅλω. Sicli vocem accipi solitam de argento demonstrat lex de solvendo semi-siclo, Exodi cap 30. v. 13. ubi argenti vocabulum omissum est. Si autem fuisset recepti moris vocem sicli ἁπλῶς positam, non de solo argento, sed de alio etiam metallo aliquo accipere, non potuisset populus intelligere quodnam metallum Deus offerri vellet; quod satis liquebat ex consuetudine. Genes 25. 16. dicitur Abimelech Regem dedisse Abrahamo mille כסף, id est *mille argenti* ellipticâ phrasi, vocem sicli subintelligunt LXX. vertentes χίλια δίδραχμα: quâ voce siclum ab iis significari vidimus. C D E

Igitur quoties mentio fit in scripturis nummi argentei, quin etiam aurei, cujus genus non nominatur, decet interpretari siclos; ubi ergo scriptum est in Evangelio Judam proditorem vendidisse Dominum triginta argenteis, juxta vaticinium Zachariæ cap. 11. v. 12. sicli sunt intelligendi; nempe intelligendus nummus qui erat maximè usitatus. Pariter in Actis cap. 19. v. 19. ubi dicitur in fonte Græco, pretium librorum qui combusti sunt Ephesi, fuisse quinquaginta millia argenti, quoniam Ephesus urbs Græca esset, par est credere fuisse drachmas, quæ solebant esse argenteæ. Latinus interpres ponit: *Invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.* A plerisque enim denarius

par credebatur uni drachmæ. Romani qui æreis assibus vulgo utebantur, ob eam rationem nomen *assis* sæpius reticebant; indè Livius frequenter dicit *centeno æris*, & *mille æris*, & *dena millia æris*, prætermissis utrobique *assibus*, qui ex ære percutiebantur, & per quos non tam expresso quàm tacito nomine Romani numerabant. Similiter quia sestertii erant ex argento, quoties agebatur de nummo argenteo, nec nominabatur species, sestertius indicabatur. Nominantur in scripturis minores nummuli, qui sicli erant partes. Celebre est numisma, dimidium sicli, quod Judæi appellant בקע Bekah, & pendebant Templo per singulos annos. Trientis mentionem facit Nehemias cap. 10. v. 32. Quadrantis auctor primi libri Regum cap. 9. v. 8. qui & speciem nummi nominat cap. 2. v. 36. אגורה *Agorath*. Hanc speciem aliqui non distingunt a *ghera*; quam vocem Græci, ut vidimus, interpretantur *obolum*. Nummorum aureorum non semel fit mentio in scripturâ.

Judæi utebantur Romanorum nummis, ex quo ab illis devicti sunt; non enim proprium illis numisma censendum est quod præferebat imaginem Cæsaris; qualis ille fuit denarius, quem Domino ostenderunt discipuli Pharisæorum apud Matthæum cap. 22. v. 17. Denarius ille habebat superscriptam imaginem Cæsaris. Nominantur in Evangelio denarii sicut & *assis*, Græcè ἀσσαρίον. Vidimus assem fuisse exigui valoris. Undè Christus apud Matthæum cap. 10. dicit *duos passeres asse venire*, cùm vellet indicare vile pretium. Observavimus plures & diversos fuisse nummos æreos. Laudatur in Evangelio muliercula pauper, quæ æs minutum projecerat in Gazophilacium. Quadrans censendus inter nummos æreos; de quo Dominus apud Matthæum cap. 5. v. 26. *Non exies inde donec reddas novissimum* κοδράντην *quadrantem*. Nummus ille non videtur Hebræus, qui esset quarta pars sicli. Nomen est nummuli Romani, qui erat quarta pars assis; & ideo vilis, ut diximus. In hocce loco fieri sermonem de æreo nummulo clarè significat Marcus, sic loquens cap. 12. v. 42. *Vidua una pauper misit* in Gazophilacium *duo minuta, quod est quadrans*. λεπτὰ δύο ὅ ἐστι κοδράντης. Supra dixerat Marcus turbam misisse in Gozophilacium æs χαλκὸν, dum divites multa injicerent, nempe pretiosiores nummos, ita duo minuta viduæ erant nummuli ærei; & ideo quadrans erat æreus.

Inter nummorum species usitatas in sacro codice, referunt quidam קשיטה *Keschitah*, quam volunt speciem nummi esse, cui impressa esset imago agni, qui קשיטה *Keschitah*, dicitur. Alii opinantur in genere nummos probos, puta siclos intelligendos esse, ubi nomen illud occurrit; non itaque usurpari ut speciem. Derivant illud à קשט *Koscheth*, quod idem sonat Hebræis ac *veritas* Latinis. Species quædam nummi nominatur apud Esdram [cap. 2. v. 69.] דרכמון *Drachmon*. Hocce nomen, ut liquet, fecerant ex Græcâ voce δραχμή. Nummus ille Græcus cum suo nomine penetraverat in Chaldæam. Opinor nummum, qui in primo Paralipomenon cap. 29. 7. & Esdræ cap. 8. 27. nominatur אדרכן *Adarcon*, non alium esse nummum quàm דרכמון. Utrumque nomen non differt nisi præfixo aleph Libber Paralipomenon scriptus est temporibus Esdræ, cùm nummi Græci, & ideo drachmæ innotuerant Chaldæis qui pro ה pro nomine demonstrativo Hebræorum, ponebant א ut אדרכן positum sit pro הדרכן, ex quo factum דרכמון. Paraphrastæ Chaldæi, atque Syri, nec non Rabbinorum scholia meminerunt quorumdam aliorum nummorum Nimirum סלא *selah* vel סלעא *silha* qui nummus est ipse siclus. מעא *Meha* vel מעה *Mahab*, זוז *zuz* vel זוזא *zuza*. De hisce nummis non satagimus.

CAPUT IX.

Collatio mensurarum Hebræarum cum antiquis Gentium mensuris, & hodiernis nostratibus. Expenditur capacitas maris ænei, pondus panum propositionis, capillorum Absalonis. Valor argenteorum quibus appretiatus est Dominus.

SECTIO I.

Longitudo cubiti Hebræi colligitur ex notâ & ordinariâ hominis staturâ. Arguuntur qui minorem aut majorem, quàm par est, huncce cubitum faciunt.

Hebræarum mensurarum non pariter ac Romanarum moduli extant. Vetus Jerosolyma adeo funditùs eversa est, ut abiisse in ventos videatur: neque enim ex eo loco in quo olim fundata est, effodiuntur marmora, vasa ænea aut argentea, & diversi metalli numismata; quod Romæ sæpiùs contingit. Non fragmentum ex immensâ templi mole servatum est, non quæpiam vasa sacra, licet horum numerus prope infinitus fuerit. Omnia incendio urbis & templi absorpta & absumpta sunt. Veteres quidam scriptores, itidem & Josephus, & alii sacras mensuras exprimunt nominibus, quæ usitata erant populis, quorum linguâ utebantur. Verum neminem latet, & præmonuimus, parùm diligentes esse interpretes, tum in comparandis gentium diversarum mensuris, tum in declarandâ cujusque mensuræ verâ quantitate. Quæ fuerit propriâ cubito Hebræo colligitur ex ordinariâ hominis staturâ.

Varro, ut refert Agellius lib. 3. cap. 10. enarrans virtutes numeri septenarii, *modum esse dicit summum adolescendi corporis humani septem pedes.* Pes Romanus erat, ut evicimus undecim pollicum nostratium; ita septem pedes faciunt sex pedes Parisinos cum quinque pollicibus. Apud nos proceri sunt viri hujus staturæ; multum proceriores vix reperiuntur. Vidimus eam esse rationem membrorum corporis, ut pes sit pars sexta staturæ, cubitus verò sequi altera; ita ut quatuor cubiti metiantur totam staturam. Esto nunc homines magis pusilli nascantur; sed certè olim non omnes gigantes erant; alioqui Goliath, non visus esset abnormis staturæ, altus sex cubitis & zereth sive semicubito [1. Reg. cap. 17. v. 5.] Nimirum duobus cubitis & semicubito superabat staturam ordinariam, si quidem cubitus quater repetitus huic par sit. Ita cùm scriptura lectum ferreum Og. Regis Basan dicit fuisse novem cubitorum (Deuter. cap. 3. v. 11.) æstimandam relinquens altitudinem corporis ejus, quæ forsan erat septem aut octo cubitorum, pariter admonet quot cubitis infra illum esset cæterorum hominum genus; neque enim Og & Goliath habuere in altitudine suâ septem aut octo cubitos, pares propriis suis cubitis. De Og loquens Moyses, addit: *in cubito viri*, sive ut habet vulgatus interpres: *ad mensuram cubiti virilis manus*. Nempe lectus ille ferreus Og longus erat novem cubitis, qualis & quantus est cujusque viri, non gigantis cubitus. Paraphrastes Chaldæus habet באמת מלך, quod interpres Latinus vertit *in cubito ejusdem Regis*; ego interpretarer in cubito publico, & consueto.

Ex

Ex his locis manifestum est, cubitum Hebræum A fuisse parem cubito viri, cujus statura erat ordinaria & mediocris. Itaque cùm ista statura non multùm excedat septem pedes Parisinos, ut innuimus, statuendus cubitus Hebræus, ut cùm quater repetitur, non multò longior sit septem pedibus Parisinis. Non vero multùm decurtandus est infra huncce pedum numerum; etenim non verisimile est antiquos Patriarchas, à quibus ille definitus est, fuisse tam pusillos, ut non pervenerint ad octoginta circiter pollices Parisinos, sive ad sex pedes nostrates cum octo pollicibus.

Villalpandus supponit Batum, cùm fiebat cubicæ formæ, fuisse semicubitalem, sive latera ejus fuisse semicubitalia; ex quo putat cubitum He- B bræum posse demonstrari parem duobus pedibus Romanis & semipedi. Sic rationem init Villalpandus, innixus Josepho, qui dicit Batum parem 72 sextariis. Amphora autem Romana, cubica & pedalis tantùm capiebat 48 sextarios; ergo si Batus caperet 72, cùm fiebat cubicus, latus ejus erat majus pede Romano. Itaque Villalpandus definit cubitum Hebræum duorum pedum Romanorum cum semipede, hoc est juxta mensuram quam assignavimus pedi Romano; viginti septem pollicum cum semipollice. Quod si verum est, olim statura ordinaria fuisset 110 pollicum, sive novem pedum & duorum pollicum, quoniam cubitus quarta pars est staturæ. Si, inquam, ordinarius cubitus fuis- C set tantæ magnitudinis; lectus Og novem cubitorum, censendus est 251 ½ pollicum sive plusquam viginti pedum. Goliath altus sex cubitos cum semicubito, habuisset 178 pollices & novem lineas, nimirum ferè quindecim pedes; quod superat omnem fidem. Infra expendemus utrum verè Batus Hebræus ceperit 72 sextarios; quâ hipothesi nititur Villalpandus, putans id scriptum à Josepho; cujus iterum verbis pugnat, quibus ille describens murum quem Judæi extruxerant, & excreverat ad viginti cubitos: *habebat*, inquit murus ille (lib. 6. de Bello.) *minas quidem binis cubitis, propugnacula verò trinis.* καὶ διπήχεις μὲν τὰς ἐπάλξεις, τριπήχεις δὲ προμαχῶνας ἔχον. Est autem, ait Villalpandus, ἐπάλξις D pinna, προμαχῶνες sunt propugnacula, quæ sustinent à muro minas; quæ ergo cùm fiant ad tutelam militum murum protegentium, necessum est eas altitudinem staturæ humanæ vel excedere, vel ab eâ non plurimùm deficere. At cùm cubitus vulgaris quarta pars sit staturæ humanæ, bini cubiti dimidiam militum altitudinem non transcenderent; quo fieret ut minæ duorum cubitorum partem hominis superiorem, quæ maximè defensione, protectione, ac munimento indiget, nullâ ratione protegerent. Concludit ergo Villalpandus, quemque cubitum sacrum, quo putat uti Josephum, æquasse duos cubitos vulgares, ut quatuor sex pedum Romanorum facerent staturam hominis.

Male interpretatur Josephum Villalpandus. Vo- E ces illas ἐπάλξεις & προμαχῶνες retorquet à verâ suâ significatione. Προμαχῶνες erant propugnacula, quo nomine optimi scriptores significare solent mutulos, quibus minæ sustinentur, tum & lorica sive pinna quæ objicitur & deffendit propugnatores à sagittarum ictibus, modo altitudo ejus sit trium cubitorum Hebræorum, hoc est quinque pedum, ita protegit totam hominis staturam. Ἐπάλξεις verò, id est minæ, partes erant in murorum pinnis minùs altæ, ex quibus retorquebantur tela in hostes; & illi arcebantur, si voluissent muros scandere; idcirco necesse erat ut extra illas pars media corporis posset prorumpere. Etymologia hujus Græcæ vocis usum illum indicat. Videre est in libris Lipsii de militiâ Romanâ, ex minis obsessos pugnare in obsessores; & dum pugnarent, eminuisse partem corporis eorum superiorem. Si enim abditi omnino latuissent post pinnas, quomodo arcere potuissent, qui scalis ad summa murorum fastigia evasissent? Ergo ex hoc loco Josephi patet duos cubitos, quos assignat minis, æquasse mediam hominis, non totam staturam, ut opinatur Villalpandus.

Si alicubi sacer cubitus adhibitus fuisset, maximè in struendo altari aureo, quod in sacro codice ponitur duorum cubitorum, hoc est, quinque pedum Romanorum, si fidem habemus Villalpando. Ita altare illud saltem altum fuisset 55 pollicibus Parisinis, hoc est, quatuor pedibus cum septem pollicibus. Ergo in illo non potuissent sacerdotes nisi Gigantei commodè, & decenter adolere, nisi sublati gradibus, quos non memorat scriptura. Duo cubiti metiuntur hominem à plantâ pedis usque ad umbilicum; ita sacerdos staturæ non pusillioris, supponendo cubitum Hebræum circiter viginti pollicum, poterat rem sacram facere in hujusce altitudinis altari, corpore erecto, dimissis ad opus brachiis; qui corporis habitus expeditior est, & decorus magis. Villalpandus fatetur, imò adstruit Josephum non alio usum cubito quàm sacro; qui cubitus si longior statuatur, quæ dicit Josephus de altitudine murorum Templi, de magnitudine saxorum quibus illud ædificatum est, haud possunt fidem invenire; scribit enim muros fuisse altos trecentorum, etiam quadringentorum cubitorum; saxa viginti cubitorum, ut suo loco videbimus. Trecenti cubiti Villalpandiani faciunt saltem 1375 pedes, & viginti cubiti saltem Parisinos pedes 91 ⅔.

Josephum non censuisse cubitum Hebræum, multò longiorem Græco, argumentum inde accersimus quod nullibi innuat inter utrumque cubitum abnorme discrimen; etenim illud intervallum à monte Oliveto Jerosolymam, quod sanctus Lucas appellat spatium itineris sabbatici, ipse Josephus statuit quinque stadiorum. Stadia Græca constabant sexcentis pedibus sive quadringentis cubitis Græcis. Iter autem sabbaticum erat bis mille cubiti Hebraicorum. Cùm igitur tot cubiti Græci faciant quinque stadia; necesse est ut inter cubitum Hebræum & Græcum non observaverit Josephus discrimen magnum. Esto in hisce negotiis parum diligens ille fuerit, nec liceat concludere ejus auctoritate Hebræum fuisse Græco majorem; sed nec Græco minorem fuisse verisimile est; eâ enim ætate, quâ homines proceriores nascebantur, non assumptus est in mensuram cubitus, qui non æquaret cubitum viri staturæ mediocris, quæ non multùm infra septem pedes hoc tempore potest statui; quatuor autem cubiti Græci faciunt sexaginta octo pollices Parisinos cum novem lineis, hoc est quinque pedes cum septem pollicibus. Quatuor Romani cubiti faciunt præcisè quinque pedes cum octo pollicibus & novem lineis; quæ statura mediocrior est pro ætate Patriarcharum. Nos ergo cubitum Hebræum facimus viginti pollicum, ut statura solita fuerit sex pedum & octo pollicum; in quo, ut spero, animus tuus, ô Lector, acquiescet, cùm ostenderimus cubitum in Ægypto usitatum fuisse circiter hujus longitudinis.

SECTIO II.

Cubitus Hebræus innoteſcit, comparatus cum Ægyptiaco & Babylonio.

MUlta ſuadent illum cubitum, de quo toties Moyſes loquitur, non alium fuiſſe quam Ægyptium. Quoties nomen hujus menſuræ uſurpat, non indicat aliquam diverſitatem, quæ eſſet inter Hebræum cubitum & hunc quo uterentur Ægyptii. Pauci numero advenerant in Ægyptum filii Jacob, ut pronum ſit credere advenas accepiſſe potiùs menſurarum modulos ab indigenis, quàm intuliſſe. Saltem decuiſſet Moyſem, ſi alio cubito populares ſui, & alio Ægyptii uterentur, de diſcrimine admonere. Sed non tam Ægyptii quàm ipſe Noë habe.i poteſt auctor determinati cubiti. Etenim Arcam conſtruens, niſi definitâ menſurâ uſus, haud potuiſſet tantum ædificium compingere. Partes, inquam, quibus illud conſtabat, ſibi invicem non cohæſiſſent, niſi ad certam menſuram porrectæ vel contractæ. Si quidem verò Moyſes, modò egreſſus ex Ægypto, dum Arcæ fabricam deſcribit, cubitum quem nominat, non dicit majorem aut minorem Ægyptiaco, qui innotuerat Iſraelitis, dum tot tantaque monumenta ipſi ſuis manibus ſtruxerant; concludimus cubitum Hebræum eumdem fuiſſe ac Ægyptium, ſaltem hacce Moyſis ætate non diſcrepaſſe diſcrimine animadvertendo: quod & probamus auctoritate Herodoti, qui dicit in Euterpe ſive in libro 2. Samios uſos cubito, qui par eſſet Ægyptiaco. Ὁ δὲ Αἰγύπτιος πῆχυς τυγχάνει ἴσος τῷ Σαμίῳ. Samii coloni erant Phœnicum, ut oſtendit Bachartus de coloniis Phœnicum diſſerens. Sic Hebræus cubitus pervenire potuerat ad Samios; quorum cubito cùm par eſſet Ægyptius, indè ſequitur hunc Hebræo æqualem fuiſſe.

Evicimus hodiernum Ægypti cubitum non alium eſſe, quàm qui antiquitus in hac plagâ orbis uſitatus erat; & huic cubito per annorum ſeriem nihil detractum vel additum. Parem viginti pollicibus Pariſinis cum ſex ferè lineis, Grævius deprehendit. In eo adnumerat partes 1824, quales ſunt in pede Anglico 1000, in Pariſino 1068. Potuit aliquis error ſubrepere in tot partibus numerandis in tam exiguo intervallo; quapropter neglectis lineis ſtatui cubitum Hebræum præcisè viginti pollicum; quem ſic potuiſſem majorem facere; ſed præcidi cauſam, quâ quis dicat à me ambitiosè auctas menſuras templi Hieroſolymitani. Quinque aut ſex lineæ, ubi aliquorum cubitorum ſpatium menſuratur, vix animadvertendæ ſunt. Maximus autem cubitorum numerus, qui nominatur in deſcriptione templi, eſt quingentorum; in quo intervallo dimetiendo qui adhærebit opinioni Grævii, poterit augere calculos noſtros vicenis tantum pedibus Pariſinis; qui ergo error, ſi jure quis putat nos errare, non gravis eſt.

Præterea non temerè ſic decurtamus Grævianum cubitum aliquot lineis. Hebræum Babylonio non fuiſſe diſparem veriſimile eſt. Arca Noë conſtructa eſt in Babyloniâ; quam ipſe Noë cum primogenitis ſuis incoluit per trecentos annos. Ibi ædificata turris Babel, & alia ædificia, quæ ſibi habitacula præparavit, in quibus parandis non alio quàm paterno cubito uſi ſunt. Babylonius ergo cubitus idem eſt ac Noachiticus, & idcirco ac Hebræus. Certo autem teſtimonio comprobavi Babylonium non fuiſſe multùm infra viginti pollices. Herodotus, ut vidimus, facit eum Græco majorem tribus digitis; cùm enim in ſecundo ſuæ hiſ- A toriæ libro deſcribit muros Babylonios, & declarat quot cubitis Babyloniis illi alti eſſent, debuit comparare hos cubitos cum notis, nimirum cum Græcis, quibus ſcribebat; nec ſufficiebat dicere apud Babylonios cubitum Regium alio quodam mediocri eſſe majorem, ſi uterque fuiſſet Græcis ignotus. Ideo, hodiernâ lectione Herodoti reprobatâ, admiſimus antiquam, quâ ille facit cubitum Babylonium majorem Græco tribus digitis. Pes Romanus definitus eſt undecim pollicum; poterat paulò major ſupponi; Græcus verò ſtatutus eſt undecim pollicum cum ſex lineis. Ita cubitus Babylonius, qui Græcum ſuperabat tribus digitis, ſive octavâ parte, poſſet perduci ſine ullo veritatis diſpendio B uſque ad decem & novem pollices cum ſex lineis; ita ferè ad viginti pollices. Nam Herodotus forſan non tantam diligentiam adhibuit, comparans cubitos Græcum & Babylonium, ut non neglexerit diſcrimen aliquod tenue. Licet & cogitare Ægyptium aliquibus lineis auctum, ſive ipsâ re, ſive in Grævii deſcriptione; etenim, ut obſervatum eſt, etiam ſolertiſſimi artifices vix poſſunt aſſequi, ut duas menſuras prorſus æquales efficiant. Differunt ſemper aliquâ quantitate, quæ licet exilis ſit, tamen inducit diſcrimen. Ægyptus quidque dicat Grævius experta eſt crebras mutationes: menſuræ quibus à primis temporibus utebatur, potuere deteri. Quorſum hæc? Ut hiſce nemo ſperet ſum- C mum apicem veritatis attingere. Huic benè ceſſit, qui minori intervallo ab eâ aberrat. Igitur placuit cubitum Hebræum ſtatuere viginti pollicum major erat ferè ſemi-pollice, ſi illum comparemus cum Ægyptio Græviano; minor eâdem quantitate, ſi referamus ad Babylonium Herodoti. Ita quaſi media via incedimus, ut quantùm licet, utrinque declinemus ab errore.

SECTIO III

De figurâ & capacitate Maris ænei; undè Bati capacitas, & Bati cum cubito Hebræo ratio deducitur.

D NOtâ cubiti Hebræorum verâ longitudine, deduceremur in cognitionem cæterarum menſurarum ope Maris ænei, ſi de verâ ejus formâ conſtaret & capacitate. Mare æneum, de quo alibi fiet à nobis copioſus ſermo, vas erat capaciſſimum, quod Salomon conflandum curavit. Scriptura ſacra illud deſcribit hiſce verbis (3. Regum cap. 7. v. 23.) *Fecit quoque mare fuſile decem cubitorum à labio uſque ad labium, rotundum in circuitu: quinque cubitorum altitudo ejus, & reſticula triginta cubitorum cingebat illud per circuitum.* Forma hujus vaſis fuit rotunda; ſed & iſta rotunditas diverſo modo concipi poteſt; potuit enim ſphærica, vel rotunda quidem, ſed habens recta ad perpendicu- E lum latera, *faite comme une cuve.* Utrique formæ congruit id quod dicit ſcriptura, ut latitudo, nimirum intervallum à labio ad labium, eſſet decem cubitorum; altitudo quinque cubitorum, & reſticula triginta cubitorum metiretur circuitum. Maris autem ænei capacitas major aut minor æſtimanda eſt pro illâ duplici formâ. Nam ſi portionem cylindri referebat, erat in ratione ſeſquialtera ad aliam formam, quæ ſphærica eſſet; ita ut ter mille batos contineret, ſi duo mille bati in ſphæricâ continerentur; quod norunt Geometræ. Ergo de capacitate ejus non licet decernere, niſi priùs conſtet quæ fuerit vera ejus forma.

Nos cum Joſepho adſtruimus hemiſphærium. Non adverſatur deſcriptio ſacri codicis, imo favet;

neque enim rectorum laterum & fundi meminit, sed tantùm altitudinis; quod declarare sufficiebat si vas haberet formam hemisphærii. Contra vero altera forma fis describenda, ut mentio fieret fundi plani. Vox Hebræa עגל *agol* indicat quidpiam omnino orbiculare: quapropter verisimilior est forma sphærica; cujus dimensiones sola diametri dimensio satis declarat. Erat ex scripturâ decem cubitorum; qui, si vera sentimus de longitudine cubiti Hebræi, faciunt ducentos pollices, sive sexdecim pedes cum octo pollicibus. Indè etiam deduceretur Bati dimensio sive capacitas; si constaret de numero batorum quos continebat mare. Sed scriptura videtur ipsa sibi non constare. Etenim Mare æneum *duo millia batos capiebat*, juxta tertium librum Regum cap. 7. v. 26 & juxta secundum Paralipomenorum cap. 4 v. 5. *tria millia metretas*, in fonte, *tria millia batos*. Hanc discordiam componemus in libro sexto hujus operis, cum singula, quæ in sacro codice de Mari æneo habentur, exponemus, tum & diversas rationes, quibus iniri potest concordia inter scriptores sacros. Alii, ut Villalpandus, ad hoc comminiscuntur duos diversos batos, alium majorem, alium minorem, & statuunt quod hunc minorem intuebatur autor Paralipomenorum; de majori autem loqueretur Regnorum scriptor. Sed, ut diximus, huicce commento nullus locus est in toto sacro codice. Alii sentiunt horum locorum discordiam oriri ex librariis, qui corrupere numericas notas, quibus olim utebantur Hebræi & in effingendis facilis est lapsus. Pro eâ opinione pugnat Ludovicus Capellus; & ea utitur B. Hieronymus in Quæstionibus, seu traditionibus Hebraicis, ubi loquitur de ætate Mathusala. *Restat ergo*, inquit, *ut quomodo in plerisque, ita & in hoc sit error in numero.* Multis placere potest conjectura eorum, qui sentiunt in Mare æneum solitos fuisse infundi bis mille batos, sed quibus non expleretur capacitas ejus; quoniam mille alios batos insuper caperet, quando usque ad marginem sive summitatem impleretur; quod vulgò non fiebat, ne per ventos exundaret, aut cùm in illud ingrederentur sacerdotes abluendi; quod illi stultè putant, qui contendunt Mare quandoque potuisse accipere ter mille batos. Nituntur hocce verbo מחזיק *Machatzic*, quod legitur in Paralipomenis, ubi locum in quo moramur, sic interpretantur *fortiter comprehendebat* mare, *ter mille batos*. Nempe cùm fortiter, si fas sit ita loqui, implebatur, tot capiebat batos. Verbum חזק inter alia sua significata, idem sonat ac *comprehendit, fortiter retinuit*. Verùm inter bis mille batos, & ter mille batos discrimen majus est, quàm ut potuerit non adverti à scriptore Regnorum; quem secutus est Josephus, cum eo adstruens Mare æneum cepisse βάδυς δισχιλίας *duo millia batos*. His diversis ratiociniis, interpretationibus, conjecturis adjungemus quod si nullibi à librariis erratum sit, satiùs sit cogitare Paralipomenorum scriptorem loqui de toto mari æneo, quod constabat tum vase quod esset aquarum conceptaculum, & subjectâ pelvi sive basi, in qua sacerdotes pedes & manus lavabant, ut evincemus suo loco; quæ basis caperet mille batos, sicut mare bis mille batos. Sic inibimus concordiam inter scriptores Regum & Paralipomenorum.

Ergo hìc supponentes quod mare æneum fuerit hemisphæricum, capiens duo mille batos, expendamus quæ sequuntur ex istâ suppositione, & ex longitudine, quam tribuimus cubito Hebræo. Cùm ille sit viginti pollicum, ergo diameter maris ænei decem cubitorum, erat 200 pollicum; cujus numeri cubus est 8000000. In nostris elementis Geometricis demonstravimus ut 21 ad 11, ita cubum diametri sphæræ esse ad soliditatem sphæræ. Igitur, pro ut regula aurea præcipit, ducendo in 8000000, hunc numerum 11, & multiplicationis productum 88000000 dividendo per 21, quotus numerus $4190476\frac{4}{21}$ erit sphæræ soliditas, ita media pars hujus numeri nempe 2095238 (negligendo fractum numerum $\frac{4}{21}$) erit soliditas hemisphærii, & ideo capacitas maris ænei. Indè comparari potest scientia de bato Hebræo. Nam si mare æneum verè caperet duo mille batos; partiendo 2095238 in 2000 quotus numerus divisionis $1047\frac{1238}{2000}$ ostendet capacitatem cujusque bati. Radix cubica 1047 paulò plus est quàm decem pollices. Ita latera bati essent semicubitalia; nempe cum vas illud conflabatur in cubicam formam. Hujus numeri 10, cubus est 1000, qui non multùm discrepat à $1047\frac{1238}{2000}$. Si verò mare æneum ponatur capax 3000 batorum; partiamur numerum 2095238 in 3000 batos, quotus numerus $698\frac{1238}{3000}$ erit capacitas bati. Non erit cubicus iste numerus; sed ex eo colligimus quod latera bati cubici fuissent majora octo pollicibus, minora novem; sed omnia vetusta testimonia de capacitate bati demonstrant fuisse capaciorem. Adhæreo huic opinioni mare fuisse hemisphærium, & continuisse duo mille batos; quos ergo singulos facio 1000 pollicum neglectis 47 pollicibus, ita maris ænei capacitas erat 2000000 pollicum; quales numeramus in modio vinario Parisino 13824. Undè cognoscere licet quot modios similes mare æneum capere posset: dividendo 2000000 per 13824. quotus numerus erit 144 modii, cum 9344 pollicibus, quos si partiaris in 48, quot pollices pinta Parisina habet, orientur 194 pintæ cum $\frac{32}{48}$ sive $\frac{2}{3}$. Ista capacitas maris ænei erat sufficiens, ut liquet, usui in quem erat destinatum. Jam expendendum an ista capacitas cujusque bati, quam facimus paulò majorem mille pollicibus, conveniat hisce quæ idem Josephus de hocce vase dixit.

SECTIO IV.

Sententia Josephi de Bati capacitate. Vera hujus vasis æstimatio; cæterorumque vasorum & duorum Gomor sive Omer, ex quorum farinâ conficiebantur panes propositionis; & mensuræ Hin, quæ concessa est Ezechieli ad bibendum.

Si fatigissent LXX. interpretes Græci vel unam mensuram, in scripturarum fonte celebratam, æquare alicui mensuræ vel Græcæ vel Romanæ, jam nullum nobis incumberet negotium. Verùm, ut D. Hieronymus queritur, commentans caput 45. Ezechielis v. 13. *mutatis nominibus mensurarum in LXX. editione confusa sunt omnia: ut quid dicatur, non possit intelligi.* Modo diversis nominibus exprimunt easdem mensuras; modo iisdem, quæ sunt diversæ. Interdum Hebræam vocem *Bath* interpretantur χόεις congios, modo μετρητὰς; quæ vasa immanè discrepant. Congius sex sextarios capit, quales duodecim in metretâ. Josephus de capacitate Bati non ipse sibi constat. Sæpiùs quidem eam facit 72 sextariorum Atticorum, ut in libro 8. Antiquitatum (cap. 2.) ubi loquitur de mensurâ tritici, quam Salomon dabat Hiram Regi Tyrio. In eodem capite, ubi fit sermo de mari æneo, usurpat vocem βάδυς. Potuit hisce Græcis litteris exprimere vocem Hebræam בת. Sed βάδυς pro κάδυς in hodiernos codices irrepsisse puto. Vas autem κάδος ejusdem est capacitatis ac μετρητὴς, nempe 72 sextariorum Atticorum. In libro tertio Antiquitatum (cap. 10.) mensuram Hin interpretatur δύο χόας

Ἀττικὰς duos Atticos congios. Congius enim sex habet sextarios; ita duo congii sextarios duodecim. Hin autem sexta pars est bati; qui ergo est 72 sextariorum. Idem scriptor libro 15. (cap. 12.) coro Hebræo tribuit decem medimnos; Medimnus autem Atticus continet 72 sextarios. Batus idem quod Epha erat pars decima cori; ita batus æqualis medimno, sic à Josepho ibi similiter statuitur 72 sextariorum. Idem libro 9 (cap. 2) dicit satum Hebræum cepisse μόδιον καὶ ἥμισυ Ἰταλικὸν sesquimodium sive modium & dimidium Italicum; hoc est 24 sextarios. Cùm ergo satum Hebræum sive sea esset tertia pars epha sive bati videretur Josephus æquare batum 72 sextariis; & errasse calamum ex scriptoris ejus in fine tertii Antiquitatum, ubi 70 cori pares fiunt 40 medimnis Atticis; quibus singulis singulos coros decies majores dixerat. Sed desideratur in hoc scriptore major diligentia in comparandis mensuris Hebraicis cum Græcis; & ideo, quia numquam satis eas expenderat, non sibi constat dum loquitur de illis. In eodem tertio Antiquitatum libro cap. 7. epham sive batum duplo minorem facit, nempe non 72 sextariorum, sed 72 semisextariorum. Dicit singulos ἀσσαρῶνας assarenas, nempe mensuram Hebræam עמר *Omer* capere septem cotylas Atticas. Omer decima pars est epha, & ideo bati; ita epha decies septem cotylas sive decies septem semisextarios, sive triginta quinque sextarios integros contineret. Quæ ergo sedebat in animo Joseph sententia? Licet cogitare eum quandoque res ambitiosè augere; ut vidimus dicere venditum Joseph à fratribus pretio viginti minarum, pro viginti siclorum. Videamus num sextarios posuerit pro cotylis sive semisextariis.

Amphora Romana in formam cubi redacta, habebat pro radice pedem Romanum, scilicet in nostrâ sententiâ undecim pollices, qui cubicè multiplicati faciunt 1331 pollices. In amphorâ sunt 48 sextarii, qui ergo si faciant 1331 pollices, 72 sextarii dabunt $1996\frac{1}{2}$ sextarios. Hos sextarios si posuerit Josephus pro *cotylis*, sive semisextariis, hic numerus $1996\frac{1}{2}$ bisecandus est, & oritur $998\frac{1}{4}$, qui non adeo infra est 1047, capacitatem bati, secundùm superiora ratiocinia fundata in hac hypothesi quod cubitus Hebræus sit viginti pollicum. Videamus quæ debeat esse ista longitudo, si batus aut epha sint 72 sextariorum. Tot sextarii faciunt, ut diximus, pollices $1996\frac{1}{2}$: hunc numerum multiplico per bis mille batos, quot in mari æneo continebantur, oritur 3993000, capacitas maris ænei, sive numerus pollicum quos continebat, si singuli bati capiunt 72 sextarios. Duplicemus huncce numerum ut habeamus totius sphæræ capacitatem 7986000. Ut 11 ad 21 ita hæc capacitas 7986000 ad cubum diametri hujus sphæræ. Multiplicemus ergo 7986000 per 21, fiet 167706000. Dividatur hic numerus per 11 quotus erit 15246000 cubus diametri sphæræ totius, cujus mare æneum erat hemisphærium. Non est cubicus ille numerus, radix proximioris cubi est 247. Tot ergo pollicibus longior est diameter maris ænei. Sed diameter iste constabat decem cubitis; ita singuli cubiti erant viginti quatuor pollicum cum septem decimis partibus pollicis, nam si 247 dividantur per 10, quotus numerus erit $24\frac{7}{10}$. Si batus contineat 72 sextarios erit $1996\frac{1}{2}$ pollicum, ut dictum est; ita latera ejus plusquam duodecim pollicum; cubus enim numeri duodenarii nempe 1728 minor est. Sic major aut minor cubitus Hebræus censendus erit pro opinione de capacitate bati. Si verò 72 cotylas caperet, demonstratum est cubitum fuisse viginti pollicum, & latera bati decem pollicum. Si 72 non cotylas sed sextarios, cubitus longior est 24 pollicibus, & latus bati plusquam duodecim pollicum. Sed multa concurrunt, quæ suadeant non tantæ fuisse longitudinis cubitum Hebræum. Primò enim fere tertiâ parte longior fuisset cubito Græco, quod discrimen non siluisset Josephus. Quoniam homo ζῶον τετράπηχυ, ut vidimus, nempe quater repetitus proprius cubitus est mensura ejus, ordinaria statura hominum fuisset 96 pollicum sive octo pedum Parisinorum; quod falsi arguit experientia. Concludam ergo positos à Josepho sextarios pro semisextariis. Et ideo in ea me perseverare sententia batum paulò plus esse quàm mille pollicum; & cum forma cubica illi inditur, latera præcisè 10 pollicum, sive semicubitalia, cùm cubitus integer positus sit viginti pollicum.

Sunt qui batum parem faciunt quadrantali, sive amphoræ Romanæ, sive vasi quod sit cubus, cujus latera erant unius pedis Romani; & ideo juxta nos undecim pollicum; sic batus fuisset 1331 pollicum. Cubus cubiti Hebræi 20 pollicum continet 8000 pollices; qui numerus si in sex dividatur, quotus numerus erit $1333\frac{2}{6}$. Ita batus par amphoræ Romanæ, & ideo 1331 pollicum, haberi posset pro sextâ parte vasis cubici, cujus latera cubito Hebræo mensurarentur. Richardus Cumberlandus Anglus in tractatu de cubito Hebræo contendit reipsâ vas epha, & ideo batum fuisse sextam partem cubi, cujus radix est cubitus Hebræus. Allegat apud Arabas & Ægyptios esse quandam mensuram usitatam, cujus forma cubica est, latera habens unius cubiti Ægyptiaci. Mensura illa dicitur *Ardob* sive *Ardubu*, cujus sexta pars est vas aliud quod appellatur *Vvaibah*. De hisce mensuris loquitur Joannes Wallis in Arithmeticâ suâ. Cumberlandus conjicit epha Hebræorum idem esse ac *Vvaibah* vas Arabicum, sive Ægyptium. Verùm etiamsi epha a Vvaibah non prorsus sono differret, non indè sequeretur utrumque vas ejusdem esse capacitatis. Quapropter ex viciniâ soni duorum horum nominum *Vvaibah* & *Epha* nullum argumentum deduci potest. Nullo autem testimonio scripturæ vel Josephi probari potest epha fuisse sextam partem vasis cubici, cujus latera metiretur cubus Hebræus; & epha sive batum fuisse vasa quadrantali Romano æqualia. Immò, si stemus diversis Josephi testimoniis, aut majora aut minora erant. Quapropter ejus auctoritate niti non possunt.

Igitur, quanquam de mensurâ cubiti idem sentiam ac Angli sæpiùs allegati; in contrariam sententiam ab eo, quoad capacitatem bati, & idcirco cæterarum mensurarum cavarum; quarum ratio clarè notata est in sacro codice. Ita ut cùm semel statuerimus batum & epham habere mille pollices, statim cæterorum vasorum mensuræ sequantur. Verbi causâ, quoniam mensura Hin erat sexta pars bati, capacitas Hin est $166\frac{4}{6}$ pollicum; nam hic numerus 1000 divisus per sex, quotus ille $166\frac{4}{6}$ exurgit. Hinc scire possumus quæ esset ista aquæ mensura concessa Ezechieli in potum cap. 4. v. 11. *Et aquam in mensurâ bibes, sextam partem Hin: à tempore usque tempus bibes illud.* Hin sexta pars bati habebat, ut diximus, pollices $166\frac{4}{6}$; qui numerus in 6 divisus dat $27\frac{7}{9}$. Cùm ergo in chopinâ Parisinâ sint 24 pollices; mensura aquæ concessa Ezechieli erat una chopina cum pollicibus tribus & $\frac{7}{9}$ unius pollicis, hoc est sextâ ferè parte chopinæ.

Æstimare etiam utcumque possumus è quantâ farinâ coquerentur singuli panes, qui dicuntur *propositionis*; & quæ essent dimensiones illorum, & quod pondus. Mensurabatur illa farina duabus decimis epha; quod est 1000 pollicum: ita capi pote-

rat vase 200 pollicum. Igitur curavi conficiendum vas quadratum, cujus quadrati latera essent 10 pollicum; altitudo verò vasis duorum pollicum; sic capacitas ejus erat pollicum 200. Si fidem adhibeamus Hebræis doctoribus, mensuris quæ in sacro codice imperantur, superpondium addebatur, quod esset sexta pars justi ponderis. Id adstruit Misna in tractatu *Menachoth* sive de muneribus cap. 7. sect. 1. *Eucharisticum munus constabat è quinque satis Hierosolymitanis, quæ sunt sex deserti.* Nempe, ut explicat Rabbi Obadias de Bartenora, quinque sata Hierosolymitana paria erant sex satis, quæ tempore Moysis in deserto offerebantur: quoniam sexta pars addebatur, nempe his quinque, quæ præcipiebantur in lege. Præterea, ut in capite nono ejusdem tractatus *Menachoth* dicitur sect. 5. *omnes mensuræ in sanctuario erant cumulatæ.* Ita ut vix constare possit quantùm farinæ sumeretur ad quemque dictorum panum conficiendum; Cumulus enim farinæ poterat esse major aut minor. Vas quod paraveram implevi farinâ, quam mediocriter accumulavi. Vas autem gomor, quo utebantur Hebræi, erat una decima epha; ita dum bis implebatur, duplici cumulo censenda est aucta farina, ex quâ singuli panes conficiebantur. Notum est quo farina magis succreta est ope subtiliorum cribrorum, eam esse ponderis levioris. In experimentum ex illo longo & multiplici cribro, quo hodie utuntur pistores, & vernaculè appellant *un bluteau* sumpsi florem siligineum, ex quo primarius panis solet coqui. Vas quod paraveram, ut dixi, implevi, & reperi pondus farinæ quam capiebat, fuisse octo librarum. Dum pinsitur, admiscetur aquâ: quantùm aquæ [illegible] pistor observare non potui; sed ex dictâ farinâ coctus panis ponderabat decem libras cum septem unciis & duobus grossis. Panis erat depsticius, elaboratus, qui vulgò dicitur *pain mollet.* Itaque è furno depressus & rotundus exiit, diametrum habens viginti pollicum. In orâ erat depressior, altitudo ejus mediocris erat trium pollicum, cum duabus lineis. Potissimùm refert notam habere molem singulorum panum propositionis. Depsebantur illi in aquâ tepidâ, ut videre est in capite quinto allegati modò tractatûs misnici. Puri autem erant ab omni fermento; quod cùm admiscetur subactæ farinæ, illa sufflatur, rarefit, ita ut augeatur moles ejus. Fermentatus autem erat panis, quam pistor meus coxit. Quapropter quanquàm è majori copiâ farinæ singuli panes propositionis facti essent, molem multò majorem non habuere. Ergo statuatur altitudo eorum quatuor pollicum. Si verò panes hi cogitantur, ut Judæi volunt, quadrati, & latera hujus formæ fuisse viginti pollicum, multùm detrahendum esset ex istâ altitudine. Hæc sufficiant ut aliquam nobis notionem panum de quibus sermo est, animo efformemus. Non poterant ponderare ultra duodecim libras. Latitudo non superavit viginti pollices, altitudo pollices quatuor. De his panibus fiet copiosus sermo in libro tertio.

SECTIO V.

De æstimatione ponderum quibus utebantur Hebræi. De pondere loricæ Goliath, & capillorum Absalonis.

QUod de cæteris Hebræorum mensuris diximus, & de ponderibus Hebræorum licet dicere. ex nullo monumento, quod extet veram eorum capacitatem certo colligi posse. Etenim sicli, quos erutos è ruderibus videre est inter cimelia eruditorum, sunt quidem pondera, sed erosa & de-

A trita. Joannes Græviùs dicit se in multos se[illegible]cicisse, sed in nullum satis integrum, ut ejus pondere antiqua Hebræorum pondera dijudicari possent. Verum Josephus non uno loco siclum parem facit quatuor drachmis, hoc est semi unciæ, quoniam uncia constat octo drachmis. Beatus Hieronymus sequitur Josephum. Disserit de hisce panibus quos Deus jusserat Ezechieli, ut conficeret ex frumento, hordeo, fabâ & lente, quibus vesceretur spatio dierum trecentorum & nonaginta. *Cibus autem tuus*, Deus Ezechielem alloquitur cap. 4. *quo vesceris, erit in pondere viginti stateres in die.* Exponens hunc locum B. Hieronymus. *Panes illi*, inquit, *habent vicenos siclos, id est, stateres.*
B *Siclus autem, id est, stater, habet drachmas quatuor. Drachmæ autem octo Latinam unciam faciunt: ita ut unus panis decem uncias habere dicatur: quo trahitur magis anima quàm sustentatur.* Reipsa panis ille arctus est; nam cum uncia Romana pendeat tantum grana 536$\frac{2}{5}$, sic à nostrâ unciâ 576 granorum deficiat 39$\frac{3}{5}$; decem unciæ Romanæ, cibus Ezechielis, faciunt tantum novem uncias Parisinas, & 180 grana, hoc est paulò minùs quàm tertiam partem unciæ. Ita tam arcto pane & improbo vescens propheta, & singulis diebus bibens aquam ad mensuram, nempe ut calculis subduximus, chopinam cum sextâ chopinæ parte, animam potiùs trahebat quàm sustentabat, ut loquitur Hieronymus; quod ut liqueat animadvertendum olim cibum
C diurnum servorum fuisse choenica, qui duos capiebat sextarios Romanos; & ideo pollicum 55$\frac{11}{24}$, posito latere amphoræ Romanæ 11 pollicum; & cubicâ ejus potestate 1331 pollicum. Pondus autem hujus cibi diurni pendet ex naturâ frugum. Triticum ponderosius est hordeo; & ipsum triticum pro conditione anni magis aut minùs ponderat; ut certò vix possit statui pondus frugum. Dabatur frumentum, ut puto, non molitum servis, qui panem cum furfuribus comedebant, duæ ferè libræ Parisinæ panis in cibum diurnum concedebantur, hoc est 32 unciæ; Prophetæ vero non multùm ultra novem unciæ. Thucidides narrat in libro quarto, Athenienses permisisse Lacedæmoniis, qui in con-
D tinente erant, ut suis civibus in insulâ interceptis, afferrent frumentum præscriptum molitum; binas videlicet farinæ choenicas Atticas, totidem vini cotylas, & carnis frustum viritim; servis vero dimidium horum, nempe unum choenica; sed satis innuitur intelligendum frumentum molitum, sive tantùm farinæ datum servis quantùm choenix caperet. Hæc affero ut liqueat arctum fuisse panem quo Ezechiel pastus est eo spatio trecentorum & nonaginta dierum. Pondus loricæ Goliath, in primo Samuelis cap. 17. dicitur fuisse quinque millia siclorum æris; ut loquitur Vulgata: fons reddi potest; *loricæ ex ære pondus erat quinque millia siclorum.* Singuli sicli ponderabant semi-unciam Ro-
E manam, quæ juxta nostros calculos erat 536$\frac{2}{5}$ granorum Parisinorum. Ita pondus illud æstimari potest 146 librarum Parisinarum; quibus ferendis par erat vir Gigantæus. Ferrum hastæ ejus habebat sexcentos siclos ferri, nimirum circiter decem & octo libras Parisinas.

Capillorum Absalonis, pondus indicatur in secundo Regum cap. 14. v. 26. *Et quando tondebat* Absalon *capillum (semel autem in anno tondebatur, quia gravabat eum cæsaries) ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico.* In fonte *in pondere Regis.* Quod idem est; Regio enim pondere omnes uti tenebantur. Testimonio tonsorum, coma densior & prolixior virginum post plurimos annos exsecta non solet libram integram pendere;

Ducenti autem sicli faciunt ferè sex libras. Capillamenta illa ascititia, quæ prolixiora sunt, vix ponderant duas aut tres libras. Nec probabile est crines Absaloni fuisse ita excisos, ut ad radices usque abraderentur. Iste nodus dignus est vindice; qui ut solvatur, primùm quærendus sensus codicis sacri. In fonte Hebræo dicitur Absalonem detondisse comam *à termino dierum in dies*. Hoc est, ut alii interpretantur, *quot annis*: alii *semel in anno*, quia plurale ימים dies quandoque unum annum significat. Chaldæus interpres in hanc partem verba scripturæ accepit, ut hic nulla fieret temporis designatio, *à stato tempore in tempus*. Ita auctor quæstionum Hebraicarum inter opera B. Hieronymi: *statuto autem tempore tondebatur*. Et in annotationibus adjungitur: *Non enim semel in anno, ut Latini codices habent tondebatur caput ejus, sed statuto tempore*. Sermo ille fontis מקץ ימים לימים *Mikets jamim leiamim* id significat, ut diximus, à termino dierum ad dies. Vernacule *de temps en temps*. Promittebant capillos Judæi; nec ad vivum sese radebant. Pontifex autem maximus tenebatur tondere comam suam singulis sabbati vigiliis, ut dicit Maimonides in tractatu de apparatu templi cap. 5. Id moris fuisse Hebræis, ut interdum tonderentur, demonstrat præceptum Nazaræis datum, ut toto suæ consecrationis tempore non tonderent cæsariem; quod & vetabatur in jejuniis. Caput radere, & comam nutrire, sunt duo opposita. Cùm raditur caput, fit glabrum & deforme; cùm coma nutritur, id est, promittuntur capilli, signum est luctûs; Ideoque utrumque prohibetur sacerdotibus apud Ezechielem [cap. 44. v. 20.] *caput autem suum non radent, neque comam nutrient*. in fonte *comam non mittant*, quod fieri solebat in luctu. Itaque necessario sacerdotes de die in dies tondebant capillos; quod faciebat, ut vidimus, summus Pontifex singulis sabbatis.

Id consuetum erat Magnatibus, qui majori curâ solent crines suos componere τό τοι κομᾶν, καί τοι σπουδαζόμενον βασιλεῦσί τε καὶ βασιλέων παισίν. *Comam utique nutrire, licet id Regibus, Regumque liberis curæ est, &c.* Hæc Philostratus in Heroicis. Hanc curam impendebat suis crinibus Absalon; quos cùm præcideret de die in dies, & exoneraret caput superfluâ cæsarie, id quod resecabatur, dictum pondus habebat. Etsi quis alat crines suos, tenetur, ut ita dicam, luxuriantes compescere, præcidendo nimia eorum incrementa. Josephus scribit in Antiquitatibus libro 8. cap. 2. Salomonis comites fuisse juvenes corpore præstantes, pulchritudineque insignes, qui insuper longissimos capillos haberent. μηκίστας καθειμένους χαίτας. Non ergo licet cogitare Absalonem totum abrasum. Quando tonsurâ capilli egebant, circumcidebat eos; & ideo contigit ut quercui implicarentur eâ die, quâ victus à Davidis exercitu, & fugiens ingressus est sylvam. Igitur opinor in hocce scripturæ loco, non de totius cæsariei Absalonis pondere fieri sermonem, sed de incrementis nimiis, quæ resecabantur.

Sed quis dicat: hæc magis nodum restringunt, qui suscipitur solvendus. Etenim difficile creditu est, illa resecta incrementa pependisse ducentos siclos. Quidam sentiunt non de pondere agi, sed de pretio capillorum. Hæc opinio non verisimilis est; cùm enim Hebræi non uterentur capillamentis ascititiis, caro pretio non vendebatur res nullius utilitatis. Alii volunt siclos illos fuisse prophanos, cujus pondus duplo minùs erat. Præterquàm distinctio siclorum sacrorum & prophanorum vana est, ut comprobatum est, haud concipi potest tonsura ordinaria tanti ponderis; quam nec tota ipsa Absalonis cæsaries exæquasset. Præterea contra morem hujus ætatis erat, ut princeps ille formosus totum caput abraderet. Cùm dicitur totundisse capillum, intelligendum est compescuisse quandoque crines luxuriantes, & amputasse eos qui officerent formæ; ut non nisi de pondere projectitii purgamenti agatur; scilicet cùm statuto tempore, id est, subinde tonderet. Verbum Hebræum גלח non dicit totalem capitis tonsuram sive rasionem, sed amputationem inutilium crinium, causâ munditiei, & ornatûs. In eo scripturæ loco, in quo versamur, verbum גלח redditur à Græcis per verbum κείρω *tondeo*. Tonsores non semper radunt caput, sed sic exsecant capillos, ut sint magis ornati. Ita Joseph ad Pharaonem è carcere ducendus, ne squallidus appareret, ministri Regis curarunt tondendum, & mutaverunt vestimenta ejus; ut dicitur Geneseos 41. v. 14. *Protinus ad Regis imperium eductum de carcere Joseph totunderunt, ac veste mutatâ, obtulerunt ei*. Moris erat in luctu, captivitate, & servitute intonsos esse; non quidem calvos, sed neglectis & sparsis capillis; quod refertur de Esther cap. 14. v. 2. *Pro unguentis variis cinere & stercore implevit caput.... Omniaque loca, in quibus antea lætari consueverat, crinium laceratione complevit*. Summus sacerdos, ut diximus, quod Martinus Geierus in tractatu de luctu demonstrat apertis testimoniis, qualibet sabbati vesperâ tondendus erat, ita ut forcipe circumquaque crines æquarentur, capite tantùm non raso. Illud enim radere, quod intelligendum radicitùs, prohibebatur omnis sacerdos. Levitici cap. 21. v. 5. *Non radent caput*, id est, non inducent sibi calvitium; quod faciendum nautis Tyri prædicit Ezechiel ob futuram hujusce urbis cladem. Cap. 27. v. 31. *Et radent super te calvitium*, הקריחו ברחה, id est, glabrabunt se calvitio. קרח *glabrare se*. Igitur licet aliquando contigerit ut Absalon sibi induxerit calvitium, hoc ab eo factum *statuto tempore*, id est, *subinde* nemo dixerit.

Sed si de purgamentis projectitiis crinium ejus agitur, redit difficultas, quomodo illa purgamenta habuissent pondus ducentorum siclorum, hoc est fere sex librarum; aut si sicli illi leviores erant, trium librarum? Locus iste viris doctis videtur non omni mendâ carere. Scilicet suspicantur notas numericas potuisse à librariis vitiari. Observat Bochartus, differens de isto pondere capillorum Absalonis, quòd potuerit propheta in hoc loco scribere ד שקלים *siclos quatuor*; ob similitudinem verò litteræ hujus ד *Daleth*, quæ nota est quaternarii numeri apud Hebræos notantis, & litteræ ר ducentesimum significantis, errante librarii calamo inductam ר pro ד; & postquam librarii notis uti desierunt, & numeros ad longum expresserunt, posuisse ducentesimum pro quaternario. Sic numerus, integer nempe *ducenti sicli* pro *quatuor siclis*, fuerit substitutus. Capellus in Criticâ sacrâ, quod opus tam acceptum fuit Catholicis, quàm Calvinistis suis ingratum, sylvam colligit variarum lectionum, quæ ortæ sunt ex numeralium nominum permutatione. Lib. 1. cap. 10. ostendit tantam numerorum discrepantiam ubique in sacro codice non aliunde ortam, *quàm ex librariorum inter describendum in notis numericis lapsu, ob notarum figuræ similitudinem atque affinitatem, quomodo, hactenùs varias ex ejusmodi affinitate litterarum alphabeticarum ortas lectiones annotavimus. Nam etsi nullæ jam sint in sacro textu notæ numericæ, non sequitur veteres ejusmodi notis usos non fuisse*. Non aliter sese expedit B. Hieronymus ex difficultate annorum Mathusalam, quam sic concludendo: *restat ergo ut*

quomodo in plerisque, ita & in hoc sit error in numero.

Qui in tonstrinâ observaverit & expenderit pondus capillorum deciduorum, cùm cæsaries forcipe componitur, agnoscet cæsariem illam densam & feracem fuisse, cujus capilli sub manu tondentis decidui ponderabant quatuor siclos, hoc est, quatuor semi-uncias Romanas; maximè cùm tonsura sæpiùs repetitur, ut fiebat Absaloni, quia gravabatur suâ cæsarie. Non dissimulandum est istam meam conjecturam ideo audaciorem censeri posse, quia lectio hodierna non alia fuerit in codicibus quibus LXX. & paraphrastæ Chaldæi usi sunt; & hanc confirmet Josephus, qui rem auget, lib. 7. Antiq. cap. 8. loquens de formâ Absalonis τοσοῦτο μὲν ποίγε ἦν τὸ βάθος τῆς κόμης αὐτοῦ, ὡς μόλις αὐτὴν ἡμέραις ἀποκείρειν ὀκτώ. *Is adeo comatus fuit, ut vix suffecerint dies octo capillis abradendis.* Geierus, sive aliter legerit, sive errorem corrigendum intellexerit, sic vertit. *Tanta autem fuit ejus cæsaries, ut intra octavum quemque mensem ad ducentos siclos, hoc est ad quinque pondo accresseret.* Samuel Bochartus æstimans siclos ducentos codicis sacri non ponderasse plusquam centum siclis, putat capillos Absalonis potuisse habere pondus trium librarum, quia coma ejus esset densior, tum naturâ fertili, ob illita unguenta, ut tunc fiebat, quorum plerique evocabant capillos, quod probat testimonius ex Plinio & ex Cosmeticis vetustis. Præterea olim pulvis aureus aspergebatur cæsariei, quod Josephus testatur de honorariis Salomonis equitibus. Pensentur ista, quibus ille eruditus scriptor claudit epistolam, quam Faukelio scripsit de hacce materiâ. *Ut hæc tandem in universum concludamus; tametsi quæcunque eam in rem hactenus a nobis allata fuêre, minùs vera essent; meminerint tamen, qui hocce loco scripturæ authoritatem infirmare contendunt, in scriptis quibuslibet nihil esse faciliùs numerorum depravatione; quia sæpiùs adscriptione plenâ non signentur, sed vel numeralibus litteris, vel ciphris notentur. Eâ de re frequentes adeas Budæi in libris de asse, querelas. Et quamvis hodie iidem illi plenè in Hebræo textu sint expressi, sic tamen non egerunt semper librorum exscriptores; sed aliquoties compendiariis notis usi sunt.* His nostra sententia non placebit, quibus, quæ fidem superant, sunt gratiora; neque enim extraordinarium omnino fuit illud pondus capillorum Absalonis, si fuerit siclorum quatuor. Verùm rem miraculo scriptura non assignat; dicit tantùm fertilem fuisse hujus Principis cæsariem.

SECTIO VI.

De valore nummorum, qui memorantur in sacro codice. De argenteis, quibus appretiatus est Dominus.

Quæ dicta sunt de ponderibus Hebræorum; rem eorum illustrant nummariam. Eadem sunt nomina ponderum & nummorum, ut noto, verbi causâ sicli pondere, statim intelligitur valor ejus. Ad siclum cætera pondera revocabantur. Idem erat ac Græcorum stater, qui quatuor drachmarum erat. Josephus (lib. 2. de Bello cap. 26.) tribuit nummo Tyrio quatuor Atticas drachmas; de quo sic loquitur Cardinalis Norisius. *Nummus Tyrius quem*, inquit, *è musæo Medicæo produxi, à me in bilance appensus semi-unciam pendebat, ac proinde est tetradrachmus, id est, valens quatuor drachmas Atticas.... Quatuor Hebræorum siclos ejusdem Gazæ Medicææ ponderavi, ac singuli semi-unciam pendebant, ac cum eodem nummo Tyrio æquatâ lan-*

A *ce pares erant.* Hæc testimonia adjungenda cæteris, quibus probavi siclum ponderasse semi-unciam Romanam; quæ, ut vidimus, erat granorum 536 $\frac{2}{5}$ qualia in nostrate numeramus 576. Igitur pondus pariter & valor sicli argentei, sive semi-unciæ est granorum 268 $\frac{1}{5}$ Nummus noster argenteus scutatus integer ponderat 512 grana; dimidiatus 256. Loquor de vetustis nummis; novi enim sunt ponderosiores, & in dies fit in re monetariâ mutatio, ut de pretio nummorum nihil statui possit nisi advertendo pondus eorum. Sicli in quorum valor 268 $\frac{1}{5}$ superabat valorem dimidiati scutati cujus pondus sit 256 granorum. Sic omnium nummorum, qui in utriusque Testamenti paginis memorantur, valor certo definiri potest, verbi causâ denarii Evangelici. B Denarium Romanum alii parem faciunt drachmæ; ut octo denarii, sicut & octo drachmæ, faciant unciam Romanam. Alii verò septem tantùm denarios in hac unciâ numerant. In prima opinione denarius est octava pars granorum 536 $\frac{2}{5}$, nimirum 67 grana $\frac{1}{20}$ habet, quod est pondus drachmæ. In alterâ opinione denarius septima pars est ejusdem numeri 536 $\frac{2}{5}$, nimirum grana habet 76 $\frac{1}{80}$

De valore argenteorum, quibus Dominus appretiatus est à filiis Israel, & quos accepit Judas proditor pretium proditionis suæ disputant viri docti. Ut lis dirimatur, primò animadvertendum est, ut jam declaravimus, ubi in sacro codice fit sermo de nummis argenteis, nec ulla species exprimitur, C subintelligendos esse siclos, tum etiam dictorum argenteorum valorem non æstimandum ex dignitate hujus qui venderetur; vili enim pretio fieri debebat ista venditio ex antiquis vaticiniis; nec ex cogitatione proditoris Judæ, qui ignorare non poterat quanti pretii rem venderet. *Certam*, inquit Hieronymus, *non postulat summam, ut saltem lucrosa videretur proditio; sed quasi vile tradens mancipium in potestate ementium posuit quantum vellent dare.* Utebatur Deus malo animo Judæ ut implerentur antiqua vaticinia. *Non temerè factum videtur*, ait Casaubonus in exercitationibus contra Baronium, *quod filius Dei, qui se exinanivit, assumptâ servi formâ, triginta argenteis venderetur,* D *sicut lege dei mancipia totidem siclis æstimantur.* Exod. 21. 32. Triginta illi argentei, triginta erant sicli, quorum cùm quisque pendebat 268 $\frac{1}{5}$, & ideo non poterant summam conflare majorem 8046, quod pondus est quindecim nostrorum scutatorum, & ferè dimidiati scutati loquor de scutatis nostris cùm pondera eorum erant 512 granorum.

Horum argenteorum valorem quibus appretiatus est Dominus auget Baronius, & conatur probare ex emptione agri figuli, qui pro tam modico pretio emi non potuit; sed si ex eo educeretur argilla ad figlinam non multi pretii esse poterat.; similes enim agros steriles & neglectos esse constat. E Quin & hic ager ideo forsan figuli dicebatur quia operiretur fragmentis operum figulinorum. Monstrantur argentei quos quidam venditant fuisse pretium proditionis Judæ, sed nulla iis debetur fides; ponderosiores enim sunt siclis. Joseph, Christi Domini typus pari pretio viginti argenteorum à fratribus suis venditus fuerat, Genes. 32. 28. In fonte Hebræo & in Vulgatâ Latinâ pretium illud dicitur fuisse viginti argenteorum; sed apud LXX. interpretes pro argenteis ponuntur aurei quorum pondus auget Josephus historicus scribens venditum viginti minis. Scilicet veriti ne viliori pretio Joseph venditus à fratribus demonstraret totius gentis malum animum, malam mentem, LXX. pro argenteis substituerunt aureos; & Josephus pro siclis minas. Singulæ autem minæ valebant sexa-

ginta ſiclos. Quidam opinati ſunt minas & ſiclos A quandoque ſumi in eâdem ſignificatione; ſed illa opinio nullo nititur fundamento. In fine ſecundi Regum dicitur quòd David emerit ab Areunâ aream & boves argenti ſiclis quinquaginta. Ita fons Hebræus, Vulgata, & verſio Græca, & Joſephus. Verùm huic pretio adverſatur ſcriptor primi Paralipomenorum (cap. 21. v. 25.) augens tum numerum ſiclorum, tum & pretium, aureos enim eos facit. *Dedit ergo David Ornan pro loco ſiclos auri juſtiſſimi ponderis ſexcentos.* Non aliter fons Hebræus, & Græca verſio; quod valdè torquet interpretes. Subolet mihi antiquarium aliquem, cui quinquaginta ſicli videbantur ſumma exigua, notas numericas depravaſſe, & ſiclos argenteos in au- B reos mutaſſe. Magiſtri Hebræorum priſci dicunt Davidem ab unâ quaque tribu quinquaginta ſiclos ſuſtuliſſe, qui duodecies multiplicati ſexcenta efficiunt; ita quid de ſingulis tribubus acceperit David loquuntur Samuelis libri; quid verò de omnibus tribubus Paralipomena recenſent. Alii dicunt quinquaginta ſiclis emptam à Davide aream, ubi altare excitavit, & ſexcentis ſiclis aureis univerſum circumjacentem locum, cui poſtea templum Domini inædificatum eſt.

Tabulæ, quas huicce libro appendimus, ſubjiciunt oculis valorem omnium menſurarum, pariter & numiſmatum, quæ nominantur in ſcripturis; ut non neceſſe ſit diutiùs immorari æſtimandis di- C verſis nummorum ſpeciebus. Aurei nummi, ut argentei, æſtimantur ex pondere. Utriſque idem nomen commune eſt. Par, inquam, eſt pondus ſicli argentei, & aurei. Quoad valorem pendet ex proportione quæ eſt inter duo illa metalla, quæ nunquam omnino certa fuit; aliquando decupla; aliquando major ut duo illi numeri 15 & 1. Nunc ferè ut 14 & 1. De nummorum æreorum valore differere non opus eſt; etenim exgui ponderis erant omnes illi nummi, quorum mentio fit in ſacro codice; nec occurrunt ingentes ſummæ, quarum pretium rectis calculis ſubducere interſit, ita haberi poſſunt quaſi nullius valoris; nempe qui non ſit penſitandus. D

CAPUT IX.

Menſuræ, quarum in ſcripturâ mentio fit, ſubducuntur & exprimuntur Pariſinis menſuris.

SECTIO I.

Paucis declaratur valor menſurarum noſtratium.

1. Menſuræ cavæ, ſive vaſa quibus liquores, inprimis vinum, menſuramus, ſunt modius vinarius, qui continet triginta ſex magnos E ſextarios. Sextarius magnus continet quatuor quartas: Quarta duas pintas: Pinta duas chopinas: chopina duos hemiſextarios ſive parvos ſextarios. Parvus ſextarius habet duodecim pollices: chopina viginti quatuor; pinta quadraginta octo; quarta nonaginta ſex. Sextarius magnus 384, modius 13824, qui faciunt octo pedes cubicos.

2. Vaſa, quibus fruges menſuramus inprimis triticum, ſunt modius frumentaceus, qui continet duodecim ſextarios. Sextarius duas minas, mina duo minotia, minotium boſellos tres, boſellus duos ſemi-boſellos. Boſellus habet ſexdecim litronia. Litronium habet ſub ſe duo ſemilitronia. Modius ille quo triticum menſuratur: ſi eſſet quodpiam vas, deberet habere quinquaginta quatuor pedes cubicos, ſed nullum vas eſt hujus capacitatis. Sextarius habet quatuor pedes, & 864 pollices.

Mina duos pedes, 432 pollices.

Minotium unum pedem, 216 pollices.

Boſellus 648 pollices.

Semiboſellus 324 pollices.

Litronium $40\frac{1}{2}$ pollices.

Semilitronium $20\frac{1}{4}$ pollices. Vidimus pedem cubicum continere 1728 pollices.

3. Pondera ſunt in primis libra Pariſina 16 unciarum quæ continet duas marcas, quo pondere utuntur Aurifabri, & monetarii. Ita marca eſt octo unciarum. Uncia dividitur in octo groſſos. Groſſus dividitur in tres denarios. Denarius eſt viginti quatuor granorum. Ita groſſus habet 72 grana. Sic uncia habet 576 grana.

4. Nummi ſunt Ludoviſius aureus ponderans quinque denarios cum ſex granis, hoc eſt, 126 granis. Ita ſemiludoviſius 63 granis. Ex unâ autem auri marcâ conflantur $36\frac{4}{7}$ Ludoviſii aurei majores: marca enim ponderat 4608 granis; quem numerum ſi dividas per 126 grana, quotus erit 36 cum $\frac{4}{7}$.

Ludoviſius argenteus, qui dicitur ſcutatus major, ponderat 24 denarios, 8 granis, ſive 512 granis; per quem numerum ſi dividantur 4608 grana unius marcæ, quotus numerus erit 9. Ita ex unâ marcâ argenti præciſè conflantur novem tales ſcutati. Hujus ſcutati pars dimidia ponderat decem denarios cum 16 granis, ſive 256 granis: Quadrans 5 denarus 8: granis ſive 128 granis. Pars duodecima 42 granis cum $\frac{2}{3}$.

SECTIO II.

De menſuris longis Hebræorum. Valor earum expreſſus Pariſinis menſuris.

Tribus tabulis A, B, C menſurarum Hebræarum valor exprimitur menſuris Pariſinis. Prima tabula A oſtendit quibus menſuris Pariſinis exprimi poſſit datus certus numerus cubitorum Hebræorum: ſecunda B, quomodò iiſdem menſuris calamorum & aliarum minorum menſurarum valores poſſint ſignificari: tertia C, quomodo ſtadia ſint declaranda, hocce fundamento quod ſtabilivimus, cubitum Hebræum eſſe viginti pollicum; ſaltem multo nec majorem, nec minorem: nam id nobis non ſumimus, ut à præciſis menſuris hebraicis tranſverſum unguem non diſcedamus.

SECTIO III.

Menſuræ cavæ Hebræorum tribus in tabulis D, E, F comparatæ cum Pariſinis.

In primâ D tabulâ videre licet capacitatem batorum & epha, quibus vaſis menſurabantur liquores & fruges. In ſecundâ E comparatur capacitas batorum menſuris Pariſinis, ſive illis exprimitur valor batorum ab uno bato uſque ad decem mille. In ſacro codice, cùm plures numero menſuræ vini aut olei nominantur, vix alia menſura nominatur, quàm batus. Vidimus corum cenſeri quandoque inter menſuras liquorum; cùm autem unus corus par ſit decem batis, ita 20 cori 200 batis, ex præſenti tabulâ deducetur valor cujuſcumque cororum numeri. Tertia tabula F continet minora vaſa, quibus Hebræi metiebantur fruges, & docet quibus noſtratibus menſuris reſpondeant. Hæ autem tabulæ id ſupponunt, quod ad veram dictorum vaſorum capacitatem magis accedere vidimus ſcilicet,

A ſcilicet bathum, cùm ei cubica forma inditur, habere in ſuis lateribus ſemicubitum Hebræum, & ideo decem pollices, ut cubus ille ſit mille pollicum. Fundantur in hac hypoteſi tres dictæ tabulæ.

SECTIO IV.

De ponderibus & nummis Hebræorum. Horum valor in quinque tabulis G, H, I, K, L exponitur expreſſus ponderibus & nummis noſtratibus.

PRetium veterum nummorum certis calculis non poteſt ſignificari, niſi comparato eorum pondere cum ponderibus noſtris. Quiſquis autem Lector, ſtatim ac notum habet cujuſque veteris B nummi pondus, ſcire deſiderat pretium hujus ponderis expreſſum nummis noſtris aureis & argenteis: ideo inſerui huic loco Tabulam G, quæ prima eſt, pertinens ad huncce articulum, in quâ videre eſt quot ex dato marcarum aurearum numero poſſint confici Ludoviſii, ex argentearum marcarum argentei nummi. Tabulæ ſequentes de ponderibus & nummis Hebræorum, ſubductæ ſunt juxta hanc hypoteſim, quam argumentis confirmavimus, ſiclum Hebræum ponderare ſemi-unciam Romanam; quæ ex experimentis factis in congio eſt $536\frac{2}{5}$ granorum Pariſinorum; ita ſiclus paribus granis pendere debet $268\frac{1}{5}$. Siclus æquabat pondus quatuor drachmarum; ita una drachma granis $67\frac{1}{20}$. Denarius verò diverſimodè æſtimari poteſt pro diversâ hypoteſi. Si par ſit drachmæ quoad pondus, ponderat pari granorum numero; ita ſi in unciâ Romanâ eſſent tantùm ſeptem denarii, ille gravior eſt, & ideo ſeptima pars unciæ Romanæ. Dividatur ergo numerus granorum, quot ponderat hæc uncia; videlicet $536\frac{2}{5}$ per 7, quotus numerus eſt $76\frac{22}{35}$ valor denarii. Tabula H exprimit valorem denariorum, qui ſupponuntur hujus ponderis. Tabula I valorem drachmarum; & ideo denariorum, qui ſupponuntur drachmales. Tabula K exhibet valorem ſiclorum expreſſum ponderibus Pariſinis; & tabula L eorumdem ſiclorum valorem expreſſum Pariſinis nummis. Tabula M pretium & pondus minarum Hebraicarum. Tabula N pondus talentorum; & Tabula O pretium eorum.

Omnes menſuræ, de quibus meminit ſcriptura, exprimuntur in his tabulis. Si quem locum neſcientes prætermiſimus, quiſquis poterit hujus æſtimationem deducere ex alio loco per additionem. Verbi causâ, ſi quis vellet cognoſcere valorem ſexaginta quinque ſiclorum, addendo valorem quindecim ſiclorum valori quinquaginta ſiclorum, qui notatus eſt in tabulâ; ſumma additionis erit numerus, qui quæritur, nempe valor ſexaginta quinque ſiclorum. Id ut fieret faciliùs, ad minores numeros, ut Arithmetici loquuntur, fractiones non reduximus, ut omnes fracti numeri, qui in eâdem tabulâ occurrunt, eumdem haberent denominatorem. Inſuper in hiſce fractionibus minimi numeri indicant partes quantitatis quâ tabulâ inſcribitur, nempe in quas ſolet hæc quantitas dividi. Ita in nummis aureis fracti numeri ſunt ſemi-lodoicei: in ſcutatis argenteis, quadrantes ſcutatorum.

In ſequentibus Tabulis non mirum tibi ſit Lector eumdem ordinem numerorum non ſervari, ſed quandoque interpellari. In Tabula B, verbi causâ, poſt numerum 37 non ſequitur 38; ſed 40. Scias hunc qui Tabulas ſubduxit, ſtuduiſſe, ut omnium numerorum ſive ſummarum, quæ expreſſæ ſunt in ſacro codice, valor quoque exprimeretur in Tabulis, quod utinam diligentius feciſſet.

TABULA a

Valor propositi cujuslibet in sacro codice occurrentis cubitorum numeri Parisinis mensuris expressus.

Cubitus.	Exapedæ.	Pedes.	Pollices.	Cubitus.	Exapedæ.	Pedes.	Pollices.
½			10	100	27	4	8
1		1	8	120	33	2	0
1½		2	6	144	40	0	0
2		3	4	200	55	3	4
2½		4	2	300	83	2	0
3		5	0	400	111	0	8
4	1	0	8	500	138	5	4
5	1	2	4	600	166	4	0
6	1	4	0	700	194	2	8
7	1	5	8	800	222	1	4
8	2	1	4	900	250	0	0
9	2	3	0	1000	277	4	8
10	2	4	8	2000	555	3	4
12	3	2	0	3000	833	2	0
13	3	3	8	4000	1111	0	8
14	3	5	4	5000	1388	5	4
15	4	1	0	6000	1666	4	0
18	5	0	0	7000	1944	2	8
20	5	3	4	8000	2222	1	4
25	6	5	8	9000	2500	0	0
28	7	4	8	10000	2777	4	8
30	8	2	0	20000	5555	3	4
35	9	4	4	25000	6944	2	8
40	11	0	8	30000	8333	2	0
49	13	3	8	40000	11111	0	8
50	13	5	4	50000	13888	5	4
60	16	4	0	60000	16666	4	0
70	19	2	8	70000	19444	2	8
80	22	1	4	80000	22222	1	4
90	25	0	0	90000	25000	0	0

Cubitus est pars.	Stadii	400.	Cubitus continet Zereth seu spithamas 2
	Calami	6.	tophac seu Palæstas 6
			Digitos 24

TABULA b

Valor propositi cujuslibet in sacro codice occurrentis calamorum, palmorum & digitorum numeri Parisinis mensuris expressus.

Calami.	Exaped.	Pedes	Palmi majores	Exap.	Pedes	Pollices.	Digiti.	Pedes	Pollices.	Lineæ.
1	1	4	1			10	1			10
2	3	2	2		1	8	2		1	8
3	5	0	3		2	6	3		2	6
4	6	4	4		3	4	4		3	4
5	8	2	5		4	2	5		4	2
6	10	0	6		5	0	6		5	0
7	11	4	7		5	10	7		5	10
8	13	2	8	1	0	8	8		6	8
9	15	0	9	1	1	6	9		7	6
							10		8	4
10	16	4	10	1	2	4				
20	33	2	20	2	4	8	11		9	2
30	50	0	30	4	1	0	12		10	0
40	66	4	37	5	0	10	13		10	10
50	83	2	40	5	3	4	14		11	8
60	100	0	Palmi minores	Pedes	Pollic	Lineæ	15	1	0	6
70	116	4					16	1	1	4
80	133	2	1		3	4	17	1	2	2
90	150	0	2		6	8	18	1	3	0
			3		10	0	19	1	3	10
100	166	4	4	1	1	4	20	1	4	8
200	333	2	5	1	4	8				
300	500	0	6	1	8	0				
400	666	4	7	1	11	4	21	1	5	6
500	833	2	8	2	2	8	22	1	6	4
600	1000	0	9	2	6	0	23	1	7	2
700	1166	4					24	1	8	0
800	1333	2					25	1	8	10
900	1500	0	10	2	9	4	26	1	9	8
1000	1666	4	20	5	6	8	27	1	10	6
5000	8333	2	30	8	4	0	28	1	11	4
			37	10	3	4	29	2	0	2
10000	16666	4	40	11	1	4	30	2	1	0

Calamus est 3 stadior. pars 200 & continet { Passus $2\frac{2}{11}$, Cubitus 6, Spithamas 12, Palæstas 36, Digitos 144.

Palmus major Hebraice Zereth, Græce spithame dicitur. Continet tres palæstas seu minores palmos.

Digitus Hebraicus est pars { Stadii 9600, Calami 144, Passus 66, Cubiti 24, Spithamæ 12.

TABULA C

Valor propositi cujuslibet in sacro codice occurrentis stadiorum & passuum numeri Parisinis mensuris expressus.

Stadia.	Exapedæ.	Pedes.	Pollices.	Passus Romanus Italicus.	Exapedæ.	Pedes.	Pollices.
1	111	0	8	1		4	7
2	222	1	4	2	1	3	2
3	333	2	0	3	2	1	9
4	444	2	8	4	3	0	4
5	555	3	4	5	3	4	11
6	666	4	0	6	4	3	6
7	777	4	8	7	5	2	1
8	888	5	4	8	6	0	8
9	1000	0	0	9	6	5	3
10	1111	0	8	10	7	3	10
15	1666	4	0	15	11	2	9
20	2222	1	4	20	15	1	8
25	2777	4	8	25	19	0	7
30	3333	2	0	30	22	5	6
40	4444	2	8	40	30	3	4
50	5555	3	4	50	38	1	2
60	6666	4	0	60	45	5	0
100	11111	0	8	70	53	2	10
200	22222	1	4	80	61	0	8
240	26666	4	0	90	68	4	6
300	33333	2	0	100	76	2	4
400	44444	2	8	200	152	4	8
500	55555	3	4	300	229	1	0
600	66666	4	0	400	305	3	4
700	77777	4	8	500	381	5	8
750	83333	2	0	600	458	2	0
1000	111111	0	8	700	534	4	4
2000	222222	1	4	800	611	0	8
10000	1111111	0	8	900	687	3	0
12000	1333333	2	0	1000	763	5	4

Stadium continet

Calamos	$66\frac{2}{3}$	Zereth sive Spithamas.	800
Passus	$145\frac{5}{11}$	Sophac sive Palæstas.	2400
Cubitos	400	Digitos	9600

Passus est pars.

11 stadiorum	1600
55 calamorum	120

Passus continet

Cubitos	$2\frac{1}{4}$
Zereth sive Spithamas	$5\frac{1}{2}$
Sophac sive Palæstas	$16\frac{1}{2}$
Digitos	66

TABULA d

Capacitas propositi cujuslibet tum bathorum tum epha numeri in sacro codice occurrentis expressa exapedis cubicis Parisinis, cum eorum ratione ad mensuras cavas quibus tum liquores tum grana Parisiis mensurantur.

Bathi.	Exapedæ.	Pedes	Pollices.	Modii vinarii.	Sextarii.	Pintæ	Modii frumentarii.	Sextarii.	Bosselli.
$\frac{1}{10}$			100			$2\frac{1}{12}$			$\frac{25}{162}$
$\frac{1}{6}$			$166\frac{2}{3}$			$3\frac{17}{36}$			$\frac{125}{486}$
$\frac{2}{10}$			200			$4\frac{1}{6}$			$\frac{25}{81}$
$\frac{3}{10}$			300			$6\frac{1}{4}$			$\frac{75}{162}$
1			1000		2	$4\frac{5}{6}$			$1\frac{58}{162}$
2		1	272		5	$1\frac{4}{6}$			$3\frac{14}{162}$
3		1	1272		7	$6\frac{3}{6}$			$4\frac{102}{162}$
4		2	544		10	$3\frac{2}{6}$			$6\frac{28}{162}$
5		2	1544		13	$0\frac{1}{6}$			$7\frac{116}{162}$
6		3	816		15	3			$9\frac{42}{162}$
7		4	88		18	$1\frac{1}{6}$			$10\frac{130}{162}$
8		4	1088		20	$6\frac{4}{6}$		1	$0\frac{56}{162}$
9		5	360		23	$3\frac{3}{6}$		1	$1\frac{144}{162}$
10		5	1360		26	$0\frac{2}{6}$		1	$3\frac{70}{162}$
20		11	992	1	16	$0\frac{4}{6}$		2	$6\frac{140}{162}$
30		17	624	2	6	1		3	$10\frac{48}{162}$
40		23	256	2	32	$1\frac{2}{6}$		5	$1\frac{18}{162}$
50		28	1616	3	22	$1\frac{4}{6}$		6	$5\frac{26}{162}$
100		57	1504	7	8	$3\frac{2}{6}$	1	0	$10\frac{52}{162}$
200		115	1280	14	16	$6\frac{4}{6}$	2	1	$8\frac{104}{162}$
300		173	1056	21	25	2	3	2	$6\frac{156}{162}$
400	1	15	832	28	33	$5\frac{2}{6}$	4	3	$5\frac{46}{162}$
500	1	73	608	36	6	$0\frac{2}{6}$	5	4	$3\frac{98}{162}$
1000	2	146	1216	72	12	$1\frac{2}{6}$	10	8	$7\frac{34}{162}$
2000	5	77	704	144	24	$2\frac{4}{6}$	21	5	$2\frac{68}{162}$
3000	8	8	192	217	0	4	32	1	$9\frac{102}{162}$
4000	10	154	1408	289	12	$5\frac{2}{6}$	42	10	$4\frac{136}{162}$
5000	13	85	896	361	24	$6\frac{4}{6}$	53	7	$0\frac{8}{162}$
10000	26	171	64	723	13	$5\frac{2}{6}$	107	2	$0\frac{16}{162}$
20000	53	126	128	1446	27	$2\frac{4}{6}$	214	4	$\frac{32}{162}$

Bathus qui aliis nominibus epha & metreta dicitur est pars cori 10

Bathus continet		
	Sata	3
	Hin	6
	Gomor	10
	Cabos	18

TABULA e

Capacitas cujuslibet propositi cororum numeri in sacro codice occurrentis expressa exapedis cubicis Parisinis, cum eorum ratione ad mensuras cavas quibus tum liquores, tum grana Parisiis mensurantur.

Cori	Exapedæ.	Pedes	Pollices.	Modii vinarii.	Sextarii.	Pintæ	Modii frument.	Sextarii.	Bossèlli.
$\frac{1}{10}$			1000		2	$4\frac{5}{6}$			$1\frac{44}{81}$
$\frac{1}{2}$		2	1544		13	$\frac{1}{6}$			$7\frac{58}{81}$
1		5	1360		26	$\frac{1}{3}$		1	$3\frac{35}{81}$
$1\frac{1}{2}$		8	1176	1	3	$\frac{1}{2}$		1	$11\frac{12}{81}$
2		11	992	1	16	$\frac{2}{3}$		2	$6\frac{70}{81}$
3		17	624	2	6	1		3	$10\frac{24}{81}$
4		23	256	2	32	$1\frac{1}{3}$		5	$1\frac{59}{81}$
5		28	1616	3	22	$1\frac{2}{3}$		6	$5\frac{13}{81}$
6		34	1248	4	12	2		7	$8\frac{48}{81}$
7		40	880	5	2	$2\frac{1}{3}$		9	$0\frac{2}{81}$
8		46	512	5	28	$2\frac{2}{3}$		10	$3\frac{37}{81}$
9		52	144	6	18	3		11	$6\frac{72}{81}$
10		57	1504	7	8	$3\frac{1}{3}$	1	0	$10\frac{26}{81}$
20		115	1280	14	16	$6\frac{2}{3}$	2	1	$8\frac{52}{81}$
30		173	1056	21	25	2	3	2	$6\frac{78}{81}$
40	1	15	832	28	33	$5\frac{1}{3}$	4	3	$5\frac{23}{81}$
50	1	73	608	36	6	$0\frac{2}{3}$	5	4	$3\frac{49}{81}$
60	1	131	384	43	14	4	6	5	$1\frac{75}{81}$
70	1	189	160	50	22	$7\frac{1}{3}$	7	6	$0\frac{20}{81}$
80	2	30	1664	57	31	$2\frac{2}{3}$	8	6	$10\frac{46}{81}$
90	2	88	1440	65	3	6	9	7	$8\frac{72}{81}$
100	2	146	1216	72	12	$1\frac{1}{3}$	10	8	$7\frac{17}{81}$
200	5	77	704	144	24	$2\frac{2}{3}$	21	5	$2\frac{34}{81}$
300	8	8	192	217	0	4	32	1	$9\frac{51}{81}$
400	10	154	1408	289	12	$5\frac{1}{3}$	42	10	$4\frac{68}{81}$
500	13	85	896	361	24	$6\frac{2}{3}$	53	7	$0\frac{4}{81}$
1000	26	171	64	723	13	$5\frac{1}{3}$	107	2	$0\frac{8}{81}$
10000	267	198	640	7233	28	$5\frac{1}{3}$	1071	8	$0\frac{80}{81}$
20000	535	180	1280	14467	21	$2\frac{2}{3}$	2143	4	$1\frac{79}{81}$

Corus continet: Bathos 10, Sata 30, Hin 60, Gomor 100, Cabos 180.

Parisiis: Modius vinarius habet 36 sextar. Sextarius 4 quartas. Quarta 2 pintas. Pinta 2 chopin. Chopina 2 hemisextarios.

Modius fromentaceus 12 sextar. Sextarius 2 minas. Mina 2 minotia. Minotium 3 bossellos. Bossellus 16 litronia.

TABULA ULTIMA f

Capacitas propositi cujuslibet satorum, Hin, gomor & caborum numeri in sacro codice occurrentis expressa exapedis Parisinis cubicis, cum eorum ratione ad cavas mensuras Parisinas.

RATIONES SATORUM.

Sata.	Ex.	Pedes	Pollices.	Modii vinar.	Sextarii.	Pintæ	Mod. frum.	Sextarii.	Bosselli.
$\frac{1}{10}$			$33\frac{1}{3}$			$\frac{25}{36}$			$\frac{125}{2430}$
1			$333\frac{1}{3}$			$6\frac{14}{18}$			$\frac{125}{243}$
2			$666\frac{2}{3}$		1	$5\frac{16}{18}$			$1\frac{7}{243}$
3			1000		2	$4\frac{15}{18}$			$1\frac{132}{243}$
4			$1333\frac{1}{3}$		3	$3\frac{14}{18}$			$2\frac{14}{243}$
5			$1666\frac{2}{3}$		4	$2\frac{13}{18}$			$2\frac{139}{243}$
6		1	272		5	$1\frac{12}{18}$			$3\frac{21}{243}$
7		1	$605\frac{1}{3}$		6	$\frac{11}{18}$			$3\frac{146}{243}$
8		1	$938\frac{2}{3}$		6	$7\frac{10}{18}$			$4\frac{28}{243}$
9		1	1272		7	$6\frac{9}{18}$			$4\frac{153}{243}$
10		1	$1605\frac{1}{3}$		8	$5\frac{8}{18}$			$5\frac{35}{243}$
100		19	$501\frac{1}{3}$	2	14	$6\frac{8}{18}$		4	$3\frac{107}{243}$
1000		192	$1557\frac{1}{3}$	24	4	$\frac{8}{18}$	3	6	$10\frac{98}{243}$
10000	8	201	$21\frac{1}{3}$	241	4	$4\frac{8}{18}$	35	8	$8\frac{8}{243}$
20000	17	186	$42\frac{2}{3}$	482	9	$0\frac{16}{18}$	71	5	$4\frac{16}{243}$

Satum est pars
Cori 30
Bathi 3

Satum continet
Hin 2
Gomor $3\frac{1}{3}$
Cabos 6

PARISIIS

Modius vinarius habet 36 sext.
Sextarius 8 pint.
Pinta continet 48 pollices cubicos.

Modius frumentaceus habet 12 sext.
Sextarius 12 bossel.
Bossellus continet 648 pollices cubicos.

PROPORTIONES HIN.

Hin.	Polli.	Lineæ.	Pint.	Chop.	Hemis.	Litron.
$\frac{1}{6}$	27	1344		1	$\frac{17}{54}$	$\frac{500}{729}$
$\frac{1}{4}$	41	1152		1	$1\frac{17}{36}$	$1\frac{7}{243}$
$\frac{1}{3}$	55	960	1	0	$\frac{17}{27}$	$1\frac{271}{243}$
$\frac{1}{2}$	83	576	1	1	$\frac{17}{18}$	$2\frac{14}{243}$
1	166	1152	3	0	$1\frac{8}{9}$	$4\frac{28}{243}$

Hin est pars { Cori 60; Bathi seu Ephi 6; Sati Dimidia

Hin continet { Gomor $1\frac{2}{3}$; Cabos 3

Parisiis, Litronium est Bosselli pars 16, & continet pollices $4\frac{1}{2}$

RATIONES CABORUM.

Cabi.	Polli.	Lineæ.	Pint.	Chop.	Hem.	Litronia
$\frac{1}{4}$	13	1536			$1\frac{17}{108}$	$\frac{250}{729}$
$\frac{1}{2}$	27	1344		1	$\frac{17}{54}$	$\frac{500}{729}$
1	55	960	1	0	$\frac{17}{27}$	$\frac{271}{729}$

Cabus est pars { Cori 180; Bathi 18; Sati 6; Hin 3; Quinque Gomor 9

RATIONES GOMOR.

Gom.	Polli.	Pint.	Chop	Hem.	Litr.
1	100	2	0	$\frac{1}{3}$	$2\frac{38}{81}$
2	200	4	0	$\frac{2}{3}$	$4\frac{76}{81}$

Gomor est pars
Cori 100 | 3 Satorum 10
Bathi 10 | 3 Hin 5

TABULA g

Quot Ludovisii aurei respondeant tot aureis Marcis simul quot argentei Ludovisii, sive scutati tot a
genteis Marcis.

Marcs.	Loüis d'or.	Ecus.	Marcs.	Loüis d'or.	Ecus.	Marcs.	Loüis d'or.	Ecus.
1	$36\frac{4}{7}$	9	1000	$36571\frac{3}{7}$	9000	1000000.	$36571428\frac{4}{7}$	90000
2	$73\frac{1}{7}$	18	2000	$73142\frac{6}{7}$	18000	2000000	$74142857\frac{1}{7}$	180000
3	$109\frac{5}{7}$	27	3000	$109714\frac{2}{7}$	27000	3000000	$109714285\frac{5}{7}$	270000
4	$146\frac{2}{7}$	36	4000	$146285\frac{5}{7}$	36000	4000000	$146285714\frac{2}{7}$	360000
5	$182\frac{6}{7}$	45	5000	$182857\frac{1}{7}$	45000	5000000	$182857142\frac{6}{7}$	450000
6	$219\frac{3}{7}$	54	6000	$219428\frac{4}{7}$	54000	6000000	$219428571\frac{3}{7}$	540000
7	256	63	7000	256000	63000	7000000	256000000	630000
8	$292\frac{4}{7}$	72	8000	$292571\frac{3}{7}$	72000	8000000	$292571428\frac{4}{7}$	720000
9	$329\frac{1}{7}$	81	9000	$329142\frac{6}{7}$	81000	9000000	$329142857\frac{1}{7}$	810000
10	$365\frac{5}{7}$	90	10000	$365714\frac{2}{7}$	90000	10000000	$365714285\frac{5}{7}$	900000
20	$731\frac{}{7}$	180	20000	$731428\frac{4}{7}$	180000	20000000	$731428571\frac{3}{7}$	1800000
30	$1097\frac{1}{7}$	270	30000	$1097142\frac{6}{7}$	270000	30000000	$1097142857\frac{1}{7}$	2700000
40	$1462\frac{6}{7}$	360	40000	$1462857\frac{1}{7}$	360000	40000000	$1462857142\frac{6}{7}$	3600000
50	$1828\frac{4}{7}$	450	50000	$1828571\frac{3}{7}$	450000	50000000	$1828571428\frac{4}{7}$	4500000
60	$2194\frac{2}{7}$	540	60000	$2194285\frac{5}{7}$	540000	60000000	$2194285714\frac{2}{7}$	5400000
70	2560	630	70000	2560000	630000	70000000	2560000000	6300000
80	$2925\frac{5}{7}$	720	80000	$2925714\frac{2}{7}$	720000	80000000	$2925714285\frac{5}{7}$	7200000
90	$3291\frac{3}{7}$	810	90000	$3291428\frac{4}{7}$	810000	90000000	$3291428571\frac{3}{7}$	8100000
100	$3657\frac{1}{7}$	900	100000	$3657142\frac{6}{7}$	900000	100000000	$3657142857\frac{1}{7}$	9000000
200	$7314\frac{2}{7}$	1800	200000	$7314285\frac{5}{7}$	1800000	200000000	$7314285714\frac{2}{7}$	18000000
300	$10971\frac{3}{7}$	2700	300000	$10971428\frac{4}{7}$	2700000	300000000	$10971428571\frac{3}{7}$	27000000
400	$14628\frac{4}{7}$	3600	400000	$14628571\frac{3}{7}$	3600000	400000000	$14628571428\frac{4}{7}$	36000000
500	$18285\frac{5}{7}$	4500	500000	$18285714\frac{2}{7}$	4500000	500000000	$18285714285\frac{5}{7}$	45000000
600	$21942\frac{6}{7}$	5400	600000	$21942857\frac{1}{7}$	5400000	600000000	$21942857142\frac{6}{7}$	54000000
700	25600	6300	700000	25600000	6300000	700000000	25600000000	63000000
800	$29257\frac{1}{7}$	7200	800000	$29257142\frac{6}{7}$	7200000	800000000	$29257142857\frac{1}{7}$	72000000
900	$32914\frac{2}{7}$	8100	900000	$32914285\frac{5}{7}$	8100000	900000000	$32914285714\frac{2}{7}$	81000000
1000	$36571\frac{3}{7}$	9000	1000000	$36571428\frac{4}{7}$	9000000	1000000000	$36571428571\frac{3}{7}$	80000000

TABUL

TABULA h

Ratio propofiti cujuflibet in facro codice occurrentis Denariorum numeri, ad numerum Parifinorum nummorum argenteorum vel aureorum, cum eorum valore Parifinis ponderibus expreffo.

Denarii.	Nummi argentei.	Quadrant. num. arg.	Nummi aurei.	Seminummi aurei.	Marcæ.	Onciæ.	Groffi.	Gran.
1		$\frac{1341}{2240}$		$1\frac{53}{245}$			1	$4\frac{22}{35}$
2		$1\frac{442}{2240}$	1	$0\frac{106}{245}$			2	$9\frac{9}{35}$
3		$1\frac{1783}{2240}$	1	$1\frac{159}{245}$			3	$13\frac{31}{35}$
4		$2\frac{884}{2240}$	2	$0\frac{212}{245}$			4	$18\frac{18}{35}$
5		$2\frac{2225}{2240}$	3	$0\frac{20}{245}$			5	$23\frac{5}{35}$
6		$3\frac{1326}{2240}$	3	$1\frac{73}{245}$			6	$27\frac{27}{35}$
7	1	$0\frac{427}{2240}$	4	$0\frac{126}{245}$			7	$32\frac{14}{35}$
8	1	$0\frac{1728}{2240}$	4	$1\frac{179}{245}$		1	0	$37\frac{1}{35}$
9	1	$1\frac{869}{2240}$	5	$0\frac{232}{245}$		1	1	$41\frac{23}{35}$
10	1	$1\frac{2210}{2240}$	6	$0\frac{40}{245}$		1	2	$46\frac{10}{35}$
20	2	$3\frac{2180}{2240}$	12	$0\frac{80}{245}$		2	5	$20\frac{20}{35}$
30	4	$1\frac{2150}{2240}$	18	$0\frac{120}{245}$		3	7	$66\frac{30}{35}$
40	5	$3\frac{120}{2240}$	24	$0\frac{160}{245}$		5	2	$40\frac{40}{35}$
50	7	$1\frac{2090}{2240}$	30	$0\frac{200}{245}$		6	5	$14\frac{50}{35}$
100	14	$3\frac{1946}{2240}$	60	$1\frac{155}{245}$	1	5	2	$30\frac{30}{35}$
200	29	$3\frac{1640}{2240}$	121	$1\frac{65}{245}$	3	2	4	$61\frac{25}{35}$
300	44	$3\frac{1340}{2240}$	182	$0\frac{220}{245}$	4	7	7	$20\frac{20}{35}$
400	59	$3\frac{1040}{2240}$	243	$0\frac{130}{245}$	6	5	1	$51\frac{15}{35}$
500	74	$3\frac{740}{2240}$	304	$0\frac{40}{245}$	8	2	4	$10\frac{10}{35}$
1000	149	$2\frac{1480}{2240}$	608	$0\frac{80}{245}$	16	5	0	$20\frac{20}{35}$
2000	299	$1\frac{720}{2240}$	1216	$0\frac{160}{245}$	33	2	0	$41\frac{5}{35}$
3000	448	$3\frac{2200}{2240}$	1824	$0\frac{240}{245}$	49	7	0	$61\frac{25}{35}$
4000	598	$2\frac{1440}{2240}$	2432	$1\frac{75}{245}$	66	4	1	$10\frac{10}{35}$
5000	748	$1\frac{680}{2240}$	3040	$1\frac{155}{245}$	83	1	1	$30\frac{30}{35}$
10000	1496	$2\frac{1360}{2240}$	6081	$1\frac{65}{245}$	166	2	2	$61\frac{25}{35}$
20000	2993	$1\frac{480}{2240}$	12163	$0\frac{130}{245}$	332	4	5	$51\frac{15}{35}$
30000	4489	$3\frac{1840}{2240}$	18244	$1\frac{195}{245}$	498	7	0	$41\frac{5}{35}$
40000	5986	$2\frac{960}{2240}$	24326	$1\frac{15}{245}$	665	1	3	$30\frac{30}{35}$
50000	7483	$1\frac{80}{2240}$	30408	$0\frac{80}{245}$	831	3	6	$20\frac{20}{35}$
100000	14966	$2\frac{160}{2240}$	60816	$0\frac{160}{245}$	1662	7	4	$41\frac{5}{35}$

Denarius eft pars. { Talenti 10500; Mnæ 210; Duorum ficlorum 7 }

Denarius continet { Drachmam 1 cum $\frac{1}{7}$; Obolos 6 cum $\frac{6}{7}$ }

K

TABULA I

Ratio propositi cujuslibet in sacro codice occurrentis drachmarum numeri ad numerum Parisinorum nummorum argenteorum vel aureorum, cum eorum valore Parisinis ponderibus expresso.

Drachmæ.	Nummi argentei	Quadrant. num. arg.	Nummi aurei.	Seminummi aurei.	Marcæ.	Onciæ.	Grossi.	Grana.
1		$\frac{1341}{2560}$		$1\frac{9}{140}$				$67\frac{1}{20}$
2		$1\frac{122}{2560}$	1	$0\frac{18}{140}$		0	1	$62\frac{2}{20}$
3		$1\frac{1463}{2560}$	1	$1\frac{27}{140}$		0	2	$57\frac{3}{20}$
4		$2\frac{244}{2560}$	2	$0\frac{36}{140}$		0	3	$52\frac{4}{20}$
5		$2\frac{1586}{2560}$	2	$1\frac{45}{140}$		0	4	$47\frac{5}{20}$
6		$3\frac{366}{2560}$	3	$0\frac{54}{140}$		0	5	$42\frac{6}{20}$
7		$3\frac{1707}{2560}$	3	$1\frac{63}{140}$		0	6	$37\frac{7}{20}$
8	1	$0\frac{488}{2560}$	4	$0\frac{72}{140}$		0	7	$32\frac{8}{20}$
9	1	$0\frac{1829}{2560}$	4	$1\frac{81}{140}$		1	0	$27\frac{9}{20}$
10	1	$1\frac{610}{4560}$	5	$0\frac{90}{140}$		1	1	$22\frac{10}{20}$
20	2	$2\frac{1220}{2560}$	10	$1\frac{40}{140}$		2	2	45
30	3	$3\frac{1830}{2560}$	15	$1\frac{130}{140}$		3	3	67[illegible]
40	5	$0\frac{2440}{2560}$	21	$0\frac{80}{140}$		4	5	18
50	6	$2\frac{490}{2560}$	26	$1\frac{30}{140}$		5	6	$40\frac{10}{20}$
100	13	$0\frac{980}{2560}$	53	$0\frac{60}{140}$	1	3	5	9
200	26	$0\frac{1960}{2560}$	106	$0\frac{120}{140}$	2	7	2	18
300	39	$1\frac{380}{2560}$	159	$1\frac{40}{140}$	4	2	7	27
400	52	$1\frac{1360}{2560}$	212	$1\frac{100}{140}$	5	6	4	36
500	65	$1\frac{2340}{2560}$	266	$0\frac{20}{140}$	7	2	1	45
1000	130	$3\frac{2120}{2560}$	532	$0\frac{40}{140}$	14	4	3	18
2000	261	$3\frac{1680}{2560}$	1064	$0\frac{80}{140}$	29	0	6	36
3000	391	$3\frac{1240}{2560}$	1596	$0\frac{120}{140}$	43	5	1	54
4000	523	$3\frac{800}{2560}$	2128	$1\frac{20}{140}$	58	7	5	0
5000	654	$3\frac{360}{2560}$	2660	$1\frac{60}{140}$	72	6	0	18
10000	1309	$2\frac{720}{2560}$	5321	$0\frac{120}{140}$	145	4	0	36
12000	1571	$1\frac{2400}{2560}$	6385	$1\frac{60}{140}$	174	4	7	0
14000	1833	$1\frac{1520}{2560}$	7450	0	203	5	5	36
16000	2095	$1\frac{640}{2560}$	8514	$0\frac{80}{140}$	232	6	4	0
18000	2357	$0\frac{2320}{2560}$	9578	$1\frac{20}{140}$	261	7	2	36
20000	2619	$0\frac{1440}{2560}$	10642	$1\frac{100}{140}$	291	0	1	0

Drachma est pars.	Talenti	12000		
	Mnæ	240	Oncia Romana continet Drachmas	8
	Sicli	4	Drachma continet obolos	6
	7 Denariorum	8		

TABULA k

Valor propositi cujuslibet in sacro codice occurrentis siclorum numeri expressus ponderibus Parisinis

Sicli.	Marc.	Onci.	Gros.	Grana.	Sicli.	Marcæ.	Onci.	Gros.	Gran.
$\frac{1}{10}$				$13\frac{41}{100}$	200	11	5	1	0
$\frac{1}{4}$				$67\frac{1}{20}$	300	17	3	5	36
$\frac{1}{3}$			1	$17\frac{2}{5}$	400	23	2	2	0
$\frac{1}{2}$			1	$62\frac{1}{10}$	500	29	0	6	36
					600	34	7	3	0
1			3	$52\frac{1}{5}$	700	40	5	7	36
2			7	$32\frac{2}{5}$	730	42	3	7	18
3		1	3	$12\frac{3}{5}$	800	46	4	4	0
4		1	6	$64\frac{4}{5}$	900	52	3	0	36
5		2	2	45	1000	58	1	5	0
6		2	6	$25\frac{1}{5}$	1030	59	7	4	54
7		3	2	$5\frac{2}{5}$	1100	64	0	1	36
8		3	5	$57\frac{3}{5}$	1365	79	3	4	45
9		4	1	$37\frac{4}{5}$	1700	98	7	4	36
10		4	5	18	1775	03	2	3	63
15		6	7	63	2000	116	3	2	0
17		7	7	$23\frac{1}{5}$	2400	139	5	4	0
20	1	1	2	36	3000	174	4	7	0
25	1	3	5	9	4000	232	6	4	0
30	1	5	7	54	5000	291	0	1	0
40	2	2	5	0	6000	349	1	6	0
50	2	7	2	18	7000	407	3	3	0
60	3	3	7	36	8000	465	5	0	0
70	4	0	4	54	9000	523	6	5	0
80	4	5	2	0	10000	582	0	2	0
90	5	1	7	18	15000	873	0	3	0
100	5	6	4	36	16000	931	2	0	0
120	6	7	7	0	16750	974	7	1	54
130	7	4	4	18	60000	3492	1	4	0
150	8	5	6	54	61000	3550	3	1	0

Siclus est pars	Talenti	3000	Siclus continet	Denarios	$3\frac{1}{2}$
	Mnæ	60		Drachmas	4
				Gherah	20
				Obolos	24

TABULA I

Ratio propositi cujuslibet in sacro codice occurrentis siclorum numeri ad numerum Parisinorum nummorum argenteorum vel aureorum.

Sicli.	Nummi argent.	Quadrant. numm. argent.	Num. aurei.	Semi num. aurei
$\frac{1}{20}$		$\frac{1341}{12800}$		$\frac{149}{700}$
$\frac{1}{4}$		$\frac{1341}{2560}$		$1\frac{9}{140}$
$\frac{1}{3}$		$\frac{447}{640}$		$1\frac{44}{105}$
$\frac{1}{2}$		$1\frac{61}{1280}$	1	$0\frac{9}{70}$
1		$2\frac{61}{640}$	2	$0\frac{9}{35}$
2	1	$0\frac{122}{640}$	4	$0\frac{18}{35}$
3	1	$2\frac{183}{640}$	6	$0\frac{27}{35}$
4	2	$0\frac{244}{640}$	8	$1\frac{1}{35}$
5	2	$2\frac{305}{640}$	10	$1\frac{10}{35}$
6	3	$0\frac{366}{640}$	12	$1\frac{19}{35}$
7	3	$2\frac{427}{640}$	14	$1\frac{28}{35}$
8	4	$0\frac{488}{640}$	17	$0\frac{2}{35}$
9	4	$2\frac{549}{640}$	19	$0\frac{11}{35}$
10	5	$0\frac{610}{640}$	21	$0\frac{20}{35}$
15	7	$3\frac{275}{640}$	31	$1\frac{30}{35}$
17	8	$3\frac{397}{640}$	36	$0\frac{13}{35}$
20	10	$1\frac{580}{940}$	42	$1\frac{5}{35}$
25	13	$0\frac{245}{640}$	53	$0\frac{15}{35}$
30	15	$2\frac{550}{640}$	63	$1\frac{25}{35}$
40	20	$3\frac{520}{640}$	85	$0\frac{10}{35}$
50	26	$0\frac{470}{640}$	106	$0\frac{30}{35}$
60	31	$1\frac{460}{640}$	127	$1\frac{15}{35}$
70	36	$2\frac{430}{640}$	149	0
80	41	$3\frac{400}{640}$	170	$0\frac{20}{35}$
90	47	$0\frac{370}{640}$	191	$1\frac{15}{35}$
100	52	$1\frac{340}{640}$	212	$1\frac{25}{35}$
120	62	$3\frac{280}{640}$	255	$0\frac{30}{35}$
130	68	$0\frac{250}{640}$	276	$1\frac{15}{35}$
150	78	$2\frac{190}{640}$	319	$0\frac{20}{35}$

Sicli.	Nummi argentei.	Quadrant. numm. argentei.	Nummi aurei.	Seminum. aurei.
200	104	$3\frac{40}{640}$	425	$1\frac{25}{35}$
300	157	$0\frac{380}{640}$	638	$1\frac{5}{35}$
400	209	$2\frac{80}{640}$	851	$0\frac{30}{35}$
500	261	$3\frac{420}{640}$	1064	$0\frac{20}{35}$
600	314	$1\frac{120}{640}$	1277	$0\frac{10}{35}$
700	366	$2\frac{460}{640}$	1490	0
730	382	$1\frac{370}{640}$	1553	$1\frac{25}{35}$
800	419	$0\frac{160}{640}$	1702	$1\frac{25}{35}$
900	471	$1\frac{500}{640}$	1915	$1\frac{15}{35}$
1000	523	$3\frac{200}{640}$	2128	$1\frac{5}{35}$
1030	539	$2\frac{110}{640}$	2192	$0\frac{30}{35}$
1100	576	$0\frac{540}{640}$	2341	$0\frac{30}{35}$
1365	715	$0\frac{65}{640}$	2905	1
1700	890	$2\frac{20}{640}$	3618	$1\frac{5}{35}$
1775	929	$3\frac{115}{640}$	3778	$0\frac{15}{35}$
2000	1047	$2\frac{400}{640}$	4257	$0\frac{10}{35}$
2400	1257	$0\frac{480}{640}$	5108	$1\frac{5}{35}$
3000	1571	$1\frac{600}{640}$	6385	$1\frac{15}{35}$
4000	2095	$1\frac{160}{640}$	8514	$0\frac{20}{35}$
5000	2619	$0\frac{360}{640}$	10642	$1\frac{25}{35}$
6000	3142	$3\frac{560}{640}$	12771	$0\frac{30}{35}$
7000	3666	$3\frac{120}{640}$	14900	0
8000	4190	$2\frac{320}{640}$	17028	$1\frac{5}{35}$
9000	4714	$1\frac{520}{640}$	19157	$0\frac{10}{35}$
10000	5238	$1\frac{80}{640}$	21285	$1\frac{25}{35}$
15000	7857	$1\frac{440}{640}$	31928	$1\frac{5}{35}$
16000	8381	1	34057	$0\frac{10}{35}$
16750	8774	$0\frac{310}{640}$	35653	$1\frac{5}{35}$
60000	31429	$2\frac{480}{640}$	127714	$0\frac{20}{35}$
61000	31953	$2\frac{40}{640}$	129842	$1\frac{25}{35}$

Parisiis	Nummus argenteus ponderat	7 grossos cum	8 granis
	Quadrans nummi argentei	1 grossum cum 2 den.	8 granis.
	Nummus aureus	1 grossum cum 2 den.	6 granis.
	Seminummus aureus	2 den.	15 granis.

TABULA m

Ratio propoſiti cujuſlibet in ſacro codice occurrentis Mnarum numeri, ad numerum Pariſinorum nummorum, vel argenteorum vel aureorum, cum eorum valore Pariſinis ponderibus expreſſo.

Minæ.	Nummi argentei.	Quadrant. num. arg.	Nummi aurei.	Seminummi aurei	Marcæ.	Unciæ.	Groſſi.
1	31	$1\frac{13}{32}$	127	$1\frac{3}{7}$	3	3	7
2	62	$3\frac{14}{32}$	255	$0\frac{6}{7}$	6	7	7
3	94	$1\frac{5}{32}$	383	$0\frac{2}{7}$	10	3	6
4	125	$2\frac{18}{32}$	510	$1\frac{5}{7}$	13	7	6
5	157	$0\frac{19}{32}$	638	$1\frac{1}{7}$	17	3	5
6	188	$2\frac{10}{32}$	766	$0\frac{4}{7}$	20	7	5
7	220	$0\frac{1}{32}$	894	0	24	3	4
8	251	$1\frac{14}{32}$	1021	$1\frac{3}{7}$	27	7	4
9	282	$3\frac{15}{32}$	1149	$0\frac{6}{7}$	31	3	3
10	314	$1\frac{6}{32}$	1277	$0\frac{2}{7}$	34	7	3
20	628	$2\frac{12}{32}$	2554	$0\frac{4}{7}$	69	6	6
30	942	$3\frac{18}{32}$	3831	$0\frac{6}{7}$	104	6	1
40	1257	$0\frac{24}{32}$	5108	$1\frac{1}{7}$	139	5	4
50	1571	$1\frac{30}{32}$	6385	$1\frac{3}{7}$	174	4	7
60	1885	$3\frac{4}{32}$	7662	$1\frac{5}{7}$	209	4	2
70	2200	$0\frac{10}{32}$	8940	0	244	3	5
80	2514	$1\frac{16}{32}$	10217	$0\frac{2}{7}$	279	3	0
90	2828	$2\frac{25}{32}$	11494	$0\frac{4}{7}$	314	2	3
100	3142	$3\frac{28}{32}$	12771	$0\frac{6}{7}$	349	1	6
200	6285	$3\frac{24}{32}$	25542	$1\frac{5}{7}$	698	3	4
300	9428	$3\frac{20}{32}$	38314	$0\frac{4}{7}$	1047	5	2
400	12571	$3\frac{16}{32}$	51085	$1\frac{3}{7}$	1396	7	0
600	18857	$3\frac{8}{32}$	76628	$1\frac{1}{7}$	2095	2	4
800	25143	3	102171	$0\frac{6}{7}$	2797	6	0
1000	31429	$2\frac{24}{32}$	127714	$0\frac{4}{7}$	3492	1	4
2000	62859	$1\frac{16}{32}$	255428	$1\frac{1}{7}$	6984	3	0
2200	69145	$1\frac{8}{32}$	280971	$0\frac{6}{7}$	7682	6	4
5000	157148	$1\frac{24}{32}$	638571	$0\frac{6}{7}$	17460	7	4
10000	314296	$3\frac{16}{32}$	1277142	$1\frac{5}{7}$	34921	7	
12000	377156	1	1532571	$0\frac{6}{7}$	41906	2	

Mna eſt pars Talenti	50	Mna continet	Sielos	60
			Denarios	210
			Drachmas	240
			Gherah	1200
			Obolos	1440

TABULA II

Valor propositi cujuslibet in sacro codice occurrentis Talentorum numeri expressus ponderibus Parisinis.

Talenta.	Marcæ.	Unciæ.	Grossi.	Talenta.	Marcæ.	Unciæ.	Grossi.
1	174	4	7	600	104765	5	0
2	349	1	6	630	110003	7	2
3	523	6	5	650	113496	1	4
4	698	3	4	666	116289	7	4
5	873	0	3	700	122226	4	4
6	1047	5	2	800	139687	4	0
7	1222	2	1	900	157148	3	4
8	1396	7	0	1000	174609	3	0
9	1571	3	7	1800	314296	7	0
10	1746	0	6	2000	349218	6	0
20	3492	1	4	3000	523828	1	0
29	5063	5	3	4000	698437	4	0
30	5238	2	2	5000	873046	7	0
40	6984	3	0	6000	1047656	2	0
50	8730	3	6	7000	1222265	5	0
60	10476	4	4	8000	1396875	0	0
70	12222	5	2	9000	1571484	3	0
80	13968	6	0	10000	1746093	6	0
90	15714	6	6	18000	3142968	6	0
100	17460	7	4	20000	3492187	4	0
120	20953	1	0	30000	5238281	2	0
150	26191	3	2	40000	6984375	0	0
200	34921	7	0	50000	8730468	6	0
250	43652	2	6	60000	10476562	4	0
300	52382	6	4	70000	12222656	2	0
350	61113	2	2	72000	12571875	0	0
400	69843	6	0	80000	13968750	0	0
420	73335	7	4	90000	15714843	6	0
450	78574	1	6	100000	17460937	4	0
500	87304	5	4	1000000	174609375	0	0

Parisiis {
Marca habet 8 uncias.
Uncia 8 grossos.
Grossus 3 denarios
Denarius 24 grana.

TABULA O

Ratio propositi cujuslibet in sacro codice occurrentis talentorum numeri ad numerum Parisinorum nummorum argenteorum vel aureorum.


Talenta.	Nummi argentei.	Quad. num. arg.	Nummi aurei.	Semi-num. aurei.	Talenta.	Nummi argent.	Quad. num. argent	Nummi aurei.	Semi-num. aurei.
1	1571	$1\frac{15}{16}$	6385	$1\frac{3}{7}$	600	942890	$2\frac{8}{16}$	3831428	$1\frac{1}{7}$
2	3142	$3\frac{14}{16}$	12771	$0\frac{6}{7}$	630	990035	$0\frac{10}{16}$	4023000	0
3	4714	$1\frac{13}{16}$	19157	$0\frac{2}{7}$	650	1021464	$3\frac{6}{16}$	4150714	$0\frac{4}{7}$
4	6285	$3\frac{12}{16}$	25542	$1\frac{5}{7}$	666	1046608	$2\frac{6}{16}$	4252885	$1\frac{5}{7}$
5	7857	$1\frac{11}{16}$	31928	$1\frac{1}{7}$	700	1100039	$0\frac{4}{16}$	4470000	0
6	9428	$3\frac{10}{16}$	38314	$0\frac{4}{7}$	800	1257187	2	5108571	$0\frac{6}{7}$
7	10000	$1\frac{9}{16}$	44700	0	900	1414335	$3\frac{12}{16}$	5747142	$1\frac{5}{7}$
8	12571	$3\frac{8}{16}$	51085	$1\frac{3}{7}$	1000	1571484	$1\frac{8}{16}$	6385714	$0\frac{4}{7}$
9	14143	$1\frac{7}{16}$	57471	$0\frac{6}{7}$	1800	2828671	$3\frac{8}{16}$	11494285	$1\frac{3}{7}$
10	15714	$3\frac{6}{16}$	63857	$0\frac{1}{7}$	2000	3142968	3	12771428	$1\frac{1}{7}$
20	31429	$2\frac{12}{16}$	127714	$0\frac{4}{7}$	3000	4714453	$0\frac{8}{16}$	19157142	$1\frac{5}{7}$
29	45573	$0\frac{3}{16}$	185185	$1\frac{3}{7}$	4000	6285937	2	25542857	$0\frac{3}{7}$
30	47144	$2\frac{2}{16}$	191571	$0\frac{6}{7}$	5000	7857421	$3\frac{8}{16}$	31928571	$0\frac{6}{7}$
40	62859	$1\frac{8}{16}$	255428	$1\frac{1}{7}$	6000	9428906	1	38314285	$1\frac{3}{7}$
50	78574	$0\frac{14}{16}$	319285	$1\frac{3}{7}$	7000	10000390	$2\frac{8}{16}$	44700000	0
60	94289	$0\frac{4}{16}$	383142	$1\frac{5}{7}$	8000	12571875	0	51085714	$0\frac{4}{7}$
70	100003	$3\frac{10}{16}$	447000	0	9000	14143359	$1\frac{8}{16}$	57471428	$1\frac{1}{7}$
80	125718	3	510857	$0\frac{2}{7}$	10000	15714843	3	63857142	$1\frac{5}{7}$
90	141433	$2\frac{6}{16}$	574714	$0\frac{4}{7}$	18000	28286718	3	114942857	$0\frac{2}{7}$
100	157148	$1\frac{12}{16}$	638571	$0\frac{6}{7}$	20000	31429687	2	127714285	$1\frac{3}{7}$
120	188578	$0\frac{8}{16}$	766285	$1\frac{3}{7}$	30000	47144531	1	191571428	$1\frac{1}{7}$
150	235722	$2\frac{10}{16}$	957857	$0\frac{2}{7}$	40000	62859375	0	255428571	$0\frac{6}{7}$
200	314296	$3\frac{8}{16}$	1277142	$1\frac{5}{7}$	50000	78574218	3	319285714	$0\frac{4}{7}$
250	392871	$0\frac{6}{16}$	1596428	$1\frac{1}{7}$	60000	94289062	2	383142857	$0\frac{2}{7}$
300	471445	$1\frac{4}{16}$	1915714	$0\frac{4}{7}$	70000	110003906	1	447000000	0
350	550019	$2\frac{2}{16}$	2235000	0	72000	113146875	0	459771428	$1\frac{1}{7}$
400	628593	3	2554285	$1\frac{3}{7}$	80000	125718750	0	510857142	$1\frac{5}{7}$
420	660023	$1\frac{12}{16}$	2682000	0	90000	141433593	3	574714284	$1\frac{3}{7}$
450	707167	$3\frac{14}{16}$	2873571	$0\frac{6}{7}$	100000	157148437	2	638571428	$1\frac{3}{7}$
500	785742	$0\frac{12}{16}$	3192857	$0\frac{2}{7}$	1000000	1571484375	0	6385714285	$1\frac{3}{7}$

Talentum continet { Mnas 50, Siclos 3000, Denarios 10500 }

Talentum continet { Drachmas 12000, Gherah 60000, Obolos 72000 }



DE TABERNACULO FŒDERIS, DE SANCTA JERUSALEM CIVITATE, ET EJUS TEMPLO.



LIBER SECUNDUS.

In apparatum ad libros ſequentes diſſeritur de principiis & origine artium, præſertim Architecturæ. Exponitur fabrica Arcæ Noë, & Turris Babel, quæ fuere prima & præſtantiſſima Artium opera.

PRÆFATIO.



EXPETERES, Lector, ſtatim admitti intra Templi penetralia, quæ à nobis mox referanda eſſe frons operis videtur polliceri. Sinas tamen extra limen te aliquantiſper detineri. Templum illud, quod ædificavit Salomon, reſtauravit Eſdras, Herodes exornavit, fuit tum materiâ ſuâ, tum formâ magnificum; quam magnificentiam nec aſſequi, nec æquo judicio æſtimare poteſt, qui ſit artium prorsùs expers, & ignoret quam olim artem & materiem adhiberent artifices, & formam inderent ædificiis. Non is mos eſt ſcriptorum explicare fuſiùs quæ latere non poſſunt eos, quorum gratiâ ſcribunt. Eâ ætate, quâ ſacri codices exarati ſunt, cuique Judæo patebat, quæ eſſet ratio ædificiorum uſitata, nunc nobis eo obſcurior quo magis abſumus ab illorum temporibus. Antiqua ædificia non ſunt ſpectanda ex noſtris; & turpiter hallucinaretur qui loca ſcripturæ, in quibus de illis fit mentio, ex hodiernis interpretari vellet.

Omnes, ad quos fama Templi Salomonici pervenit, perſuaſum habent, nec id temerè, præponendum eſſe cæteris ædificiis, quæ in veteri hiſtoriâ celebrantur; quorum etiam rudera magni fiunt. Cùm ergo nihil majus animo occurrat ædificiis Græcis, Romaniſve, plerique his putant Templum Salomonis non fuiſſe diſſimile, quoad rationem Architecturæ & ornamentorum formam & elegantiam. Itaque huic affinguut ſingula & omnia, quæ in vetuſtis monumentis mirantur decora; quanquam magnâ ex parte ſeriùs adinventa ſunt. Non equidem diffiteor imò probaturus ſum Phœnices, A quorum induſtriâ uſus eſt Salomon, Architecturam, ſicut & cæteras artes in Græciam invexiſſe; ſed præjudicata opinio, quòd ille Rex non aliam rationem ſecutus ſit, quàm quæ obſervatur in Græcorum & Romanorum ædificiis, multos avocavit à veritate. Qui enim ita ſentiunt, non tam ex ſacro codice, quàm ex veterum ædificiorum ruderibus imaginem templi Hieroſolymitani ſib proponunt conflandam; ſacris ſcripturis vim afferentes, ut exhibeant opus non aliud, quam quod perfeciſſet Vitruvius, aut alius, ſive Græcus, ſive Romanus Architectus.

Hi multipliciter peccant. Primùm veritati adverſantur; Deus autem mendacio eorum non eget, ut gloria domûs ſuæ commendetur. Prætereà inanis eſt omnis eorum conatus; nam ſi liceat fingere animo, quæ cenſeri poſſint elegantiora, & magis deB cora, eaque tribuere operi de quo agimus, nullus modus erit. Ea eſt facultas mentis humanæ, quæ ſupremi & infiniti entis notione ſignata eſt, ut nullum quis opus oculis corporis ſubjiciat aut mente excogitet, quo aliud adhuc ditius & elegantius non effingi poſſit; ita ut Templum Salomonicum quantumvis magnificum fiat, multa alia decora, quibus caruerit, cogitatione ſuperaddantur. Quid enim impedit quominus cogitemus columnas numero infinitas, ſingulas excelſiores nubibus; etiam ex unico, ſi lubeat, ſmaragdo? Nullus limes obſtat cogitationibus noſtris.

Nec idcirco iſtud ædificium habuit omnia quæ eximia ſunt, quia Deus mandavit fieri in majeſtatis ſuæ habitaculum. Ipſe præſcripſerat omnes menſuras Tabernaculi, leges, formam omnem: quæ ſingula deſcripſit Moyſes, qui non ideo exhauſit omnem artem & omnes opes, ut illud perficeret. Ne longum

longum faciam, Deus non semper facit quæ facere A
posset; sed, ut ita dicam, attemperat sapientiam suam & potestatem rebus, prout in illis consilia sua intuetur adimplenda. Sufficiebat igitur ut, pro ratione consiliorum ejus, Templum haberet formam aptam & congruentem. Decebat ut magnificum præ cæteris ædificiis, quæ tunc temporis erant in toto orbe conspicua. Quippe ejus magnitudine & decore excitandæ erant hominum mentes, ut in typos rerum magnarum, intenderent animum, & ex umbrâ colligerent quæ futura esset harum rerum celsitas. Igitur ultrò fatebor nullam Hierosolymitano Templo defuisse pulcritudinem, quæ hisce temporibus innotuisset; sed haud necesse erat ut exornaretur ornamentis, quæ serior ætas adinvenit. Deus novâ B
scientiâ non illustravit mentes artificum, quos Salomon accersivit; quippe usus Phœniciis artificibus, quòd aliorum in cædendis lignis industria celebrior non esset.

Quæ cùm ita sint, patet operæ pretium magnum fore, si ex antiquis monumentis eruamus quis fuerit circa tempora Salomonis in basilicis & templis mos servatus: quæ tunc vigerent artes: quæ impenderetur materia: quæ forma usitatior tunc esset: quæ ornamenta tunc placerent. Inde mira lux oboriri poterit non solùm his sacrarum scripturarum locis, ubi de Templo sermo est; sed omnibus aliis, in quibus artis opera memorantur. Gloriam autem suam Templo asseram; postquam enim enumeravero quæ in toto orbe celebrabantur ædificia, pyramides, labyrinthi, C
templa, palatia, evincam neutiquam cum eo contendere potuisse. Juvat historiam adinventarum artium texere, & de iis ea prænotare quæ sunt de instituto nostro. Iter agendo adstruam antiquitatem & veritatem Religionis, quâ veteres Patriarchæ Deum coluerunt: nam testimoniis Græcorum & Romanorum hæc historia confirmata, demonstrabit conflatum à Mose Tabernaculum, & absolutum à Salomone Templum, cùm apud Græcos necdum artes natæ essent.

E re autem est non solùm repetere primam architecturæ originem; sed & exponere ejus principia, mentem instruere regulis, quibus de quocumque ædificio rectè judicari possit, an magni vel parvi sit faciendum. Cognitio artis per se jucunda est, D
simul & necessaria; nam ubi agitur de ædificii alicujus descriptione, qui architectonicæ artis prorsùs imperitus est, nec percipi quæ subjiciuntur suis oculis, quanquam elegantibus figuris descripta. Dicat aliquis: ergo arceantur ab hisce libris de Templo quotquot non didicêre artes mathematicas, quarum non ignobilis pars est architectura? nemo ista mihi objiciat, postquam hosce libros perlegerit. Mihi propositum sit jucundos & apertos reddere sacros codices, igitur in illis exponendis sic adhibeo Mathesim, ut qui in illâ non sunt exercitati, haud egeant aliâ doctrinâ, quàm quæ peti potest ex hocce nostri operis secundo libro; quo perlecto, fient E
illis apertiora quæ sacer codex enarrat de Templo; simul & dignitas ejus notior. Veros decoris fontes conatus sum recludere; scilicet undè derivantur regulæ, ex quibus æquum & rectum judicium pendet. Protinus autem demonstrabo omnes artes ducere originem à scientiâ quâ Deus primos donavit Patriarchas; deinde disseram de harum artium origine; & quia primum & præstantissimum artis opus fuit Arca, quæ humanum genus servavit ab aquis diluvii, omnem ejus fabricam exponam. Utrum feliciori conatu, quàm qui hactenus adhibitus fuerit, dijudicabis Lector.

CAPUT I.

Deus Adamum & antiquos Patriarchas imbuerat scientiâ. Jam ante Diluvium artes adinventæ ab Hebræis, & earum instrumenta usu cognita, De metallis ex quibus olim instrumenta conflabantur.

SECTIO I.

Epicurei ex non ita pridem inventis artibus deducebant non ante plurima sæcula fuisse ortos primos homines. Secures, mallei, serræ innotuerant antequam contigisset Diluvium.

Artium origo in Græciâ & Italiâ statuitur multùm infra illa prima tempora, quæ celebrantur in sacris scripturis, sive ante illa tempora, quorum historia Græcis nota est. Indè ipsi Epicurei, qui negabant mundum à Deo conditum, agnoscebant genus humanum habere initia recentia, id comprobabant tum ex nuper adinventis artibus, tum ex antiquis historiis, ante quas & aliæ antiquiores celebrarentur, si ab æterno tempore, inquiebant, homines prognati fuissent. Hocce argumentum versibus suis explicat Lucretius in libro 5.

Præterea si nulla fuisset genitalis origo
Terrarum & cæli; semperque æterna fuêre:
Cur supra bellum Trojanum & funera Trojæ,
Non alias alii quoque res cecinêre poetæ?
Quò tot facta virum toties cecidêre; nec usquam
Æternis famæ monumentis insita florent?
Verùm, ut opinor, habet novitatem, summa recensque
Natura est mundi, neque pridem exordia cepit.
Quare etiam quædam nunc artes expoliuntur,
Nunc etiam augescunt; nunc addita navigiis sunt
Multa: modò organici melicos peperêre sonores?

Scilicet ante sæcula numero infinita artes adinventæ fuissent, si non fuisset nova rerum origo. Etenim egestas urget homines, ut meditando & tentando ea reperiant quibus indigent; ita necessariæ artes si ab ortu mundi effluxissent anni innumerabiles, jam dudum inventæ essent, quas recenter usus repererat. Deus in pœnam scelerum obstitit ne tellus, ut priùs solebat, omnia nullo poscente ferret; sive uti canit Virgilius, Jupiter homines inopiâ premens adegit novas artes quærere, cùm ille poëta plerasque numerasset, postea addit:

Tum ferri rigor, atque argutæ laminâ serræ;
Nam primi cuneis scindebant fissile lignum:
Tum variæ venêre artes. Labor omnia vincit
Improbus, & duris urgens in rebus egestas.

Aristoteles, qui hominum genus putat æternum, opinionem suam fatetur adversari omnium ferè populorum persuasioni. Nimirum hisce temporibus quodammodo adhuc recens erat memoria mundi conditi; nam cùm primi homines testimonio omnium scriptorum antiquorum fuerint μακρόβιοι, id est longævi, quanquam pluribus sæculis ortus mundi præcesserit tempora illa, quibus res scripto mandari cœptæ sunt, non exsuperant multas ætates, ut traditio rei tam sæpiùs memoratæ, qualis fuit origo mundi, etiam sine scripto diutiùs communicari potuerit.

Verumtamen argumentum quo utebatur Epicu-

rus ad probandum non ante plures annorum my- A riadas prognatos homines, poterat impeti & everti exemplo gentium Americanarum, quæ à pluribus annorum millenariis, sive à suo in his regionibus incolatu vixerunt sine artibus; quibus exercendis nec adhuc idoneæ sunt. Supponebant Epicurei primum hominem, & cum eo multos homines potuisse nasci è terrâ humidâ & putri, quod vulgò creditur de ranis, & aliis animantibus, compulsosque egestate & utilitate in auxilium advocasse artes; quæ cùm recentes essent inde deducebant à paucis numero sæculis mundum ortum fuisse. Sed huicce argumento opponi potest exemplum gentium Americanarum, quæ per infinitam annorum seriem vixerunt more ferino, à quo nulla gens revocatur, B nisi cùm cœperit mentem excolere. Pleræque ex illis nec suscipiuntur à parentibus; ita quasi ex utero projectæ, quotquot non illico moriuntur, induratum corpus habent adversùs aëris inclementiam, frigus & calores; quare artes quibus non egent, non quærunt. Consuêrunt uti parabili cibo qui occurrit, & antra pro domo sunt. Ita si homo e putri terra ortus fuisset, aut manu Creatoris emissus rudis, ipse & soboles ejus nunquam mentem forsitan intendissent artibus; quod cùm non contigerit, horum omnium, quæ sacer codex de primis hominibus narrat, astruitur veritas, nempe primos homines à quibus prognati sunt, statim cum vitâ corporis & accepisse mentis doctrinam. Ex matris utero prorumpimus quasi cæci nescientes ubi simus, quid si- C mus, à quo creati, nec etiam à quibus geniti, diu quasi somno sepulti. Expectandum nobis tempus, quo veluti ebrietatis vinum edormiscamus, non per unam noctem, ut in ebrietate etiam gravissimâ fieri solet, sed pluribus mensibus & annis. Sic homo protinus nihil sapiens, deinde crescendo vana sapiens, incipit serò recta sapere; atque ita ab infantiâ ad sapientiam per insipientiam mediam pervenire. Talis status verè supplicium est; nempe pœna præcedentis culpæ, cujus reatum contraximus. Adam innocens non potuit infans sive insipiens formari a sapientissimo opifice. In istâ ergo ætate creatum referunt sacri codices, qua potuerit uxorem accipere & suscipere filios. Creatus, inquam, est D rectus sapiens & doctus. Præter ingenitam autem sibi doctrinam usu & innumeris experimentis potuit multas cognitiones sibi comparare. Vixit nongentos & triginta annos, per quod tempus multi multa ex ejus ore didicerunt; ita ut Cain ejus primogenitus filius ædificaverit civitatem, Genes. 4. 17. plusquam duobus annorum millibus antequam poëtæ fingunt ab Orpheo oppida mœnibus circumdata. Manibus non cæduntur ligna in sylvis, nec dolantur trabes. Non ergo ante inventas artes prima urbs condita. Notam & paratam esse oportuit materiam artium & reperta instrumenta. Noë antequam contingeret Diluvium Arcam fecit; jam ergo secures, & serræ, & mallæi, & similia ferramenta sine quorum opere non poterat fieri, jam E erant adinventa. Quin ante ipsum Noe, & Moyses nos docet, Sella *genuit Tubalcain, qui fuit malleator & faber in cuncta opera æris & ferri.* Genes. 4. 22.

SECTIO II.

Ferrum sine quo artes exerceri non possunt, statim apud Græcos non fuit in usu. Arma, instrumenta fiebant ex ære.

MAnus movet instrumenta sed non perficit opus; neque enim saxa & metalla expolit; nec etiam ligna dolat: ut horum durities & asperitas vincatur, quidpiam durius admovendum. Ergo irriti essent conatus artificum, si non instruerentur armis ad edomandum, ut ita dicam, quod solertiæ eorum inermi restitisset. Ad hoc egebant ferro; quod, ut dicit Plinius (lib. 34. cap. 14.) optimum pessimumque est vitæ instrumentum. *Siquidem hoc tellurem scindimus, serimus arbusta, ponimus pomaria, vites squalore deciso annis omnibus cogimus juvenescere. Hoc extruimus tecta, cædimus saxa, omnesque ad alios usus ferro utimur. Sed eodem ad bella, cædes, latrocinia, non cominus solùm, sed etiam missili volucrique, nunc tormentis excusso, nunc lacertis, nunc verò pennato.* Philistæi quò impunè pessumdarent Israëlitas, amoverant ab illis omnem fabrum ferrarium, 1. Regum, (cap. 13. v. 19.) *Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terrâ Israel. Caverant enim Philisthiim, ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam. Descendebat ergo omnis Israël ad Philisthiim, ut exacueret unusquisque vomerem suum & ligonem, & securim, & sarculum.* Simile quidpiam a Porsenâ erga Romanos factum. *In fœdere* inquit Plinius, (lib. 34 cap. 14.) *quod expulsis Regibus populo Romano dedit Porsena, nominatim comprehensum invenimus, ne ferro nisi in agricultura uterentur.*

Æris & ferri metalla adinventa vidimus à Tubalcain; Usus autem ferri non innotuit Græcis, nisi longò tempore post Diluvium, Deucalionis ut legere est apud Platonem in tertio de legibus. *Ferrum videlicet atque æs, aliaque metalla terrâ obruta latebant, ut summa esset illorum instrumentorum, quæ metallorum ministerio factitantur penuria, veluti silvæ cædendæ, materiæque comparandæ.* Diu ergo Græci respectu Hebræorum & Phænicum fuere quod nobis nunc sunt Americanæ pleræque gentes; quæ ferrum prorsùs ignorabant, priusquam Europæi ad illas penetrassent. Æris primùm fuit usus frequentior quàm ferri, sive quia tunc æs copiosiùs è visceribus terræ effoderetur, sive quia fusum recipit quascunque formas; unde ex illo conflabantur, quæ postea facta sunt ex ferro; quod animadvertit Lucretius in libro quinto.

Posteriùs ferri vis est, ærisque reperta.
Et prior æris erat, quàm ferri cognitus usus:
Quo facilis magis est natura & copia major.
Ære solum terræ tractabant, æreque belli
Miscebant fluctus, & vulnera vasta ferebant.

Id testantur omnes vetusti scriptores. Sic Hesiodus in suo poëmate *Opera & dies*, dicit tertiam hominum generationem, quæ argenteæ successerat, delectatam bello, homines autem illos usos æneis armis.

Τοῖς δ' ἦν χάλκεα μὲν τεύχεα, χάλκεοι δέ τε οἶκοι,
Χαλκῷ δ' ἐργάζοντο. Μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος.
His erant ænea arma, æneaque domus:
Ære verò operabantur: nigrum enim nondum erat ferrum.

Homerus heroum temporibus, pariter testatur omnia arma fuisse ex ære; *& argumento est*, dicit Pausanias in Laconicis, *Achillis hasta Phaselide in*

Minervæ templo posita: & apud Nicomedienses in A
Æsculapii, Memnonis ensis totus ex ære, cùm hastæ illius ima tantùm & summa cuspis ærea sit.

Tunc ignorabatur quâ arte edomari posset rigor ferri quod idcirco ab Hesiodo nominatur ἀδάμας, de Deorum generatione versu 188. ἐς τὸ πρῶτον ἀπάμησας ἀδάμαντι. *Postquam ut priùs resecuit adamanti*, id est *ferro*: lapis pretiosissimus ἀδάμας sic dictus quasi ἀδαμάστος ob duritiem; *unde & nomen*, ut dicit Plinius, (lib. 37. cap. 4.) *indomita vis Græcâ interpretatione accepit*. Et metallorum durissimus chalibs, hoc est ferrum probè purgatum & temperatum, eâdem de causâ ἀδάμας dictum est, quod ægrè dometur. Ex hoc genere adamantis conflata erat galea Herculis apud Hesiodum; sed delirant qui hîc lapillum intelligunt; declarat enim poëta scutum illud fuisse B
χλωροῦ ἀδάμαντος ex pallido chalybe. Ergo non ex adamante lapide, sed ex ferro, cujus durities non vincitur sine labore improbo; unde appellatur ab Homero πολύκμητος σίδηρος: nempe in quo multum laborant artifices cum volunt ei indere aliquam formam ἐφ' ᾧ οἱ τεχνῖται πολλὰ ἔκαμον εἰδοποιοῦντες, inquit Eustathius. Hunc exprimit laborem poeta describens Cyclopum officinas.

. . . . gemit impositis incudibus antrum.
Illi inter sese magnâ vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe ferrum.

Notius ferrum, quàm ut de illo plura dicere necesse sit. Ex quo enim igne molliri posse didice- C
runt opifices, frequentior fuit ejus usus, quia magis parabile; ubique enim propemodum ferri metalla occurrunt. *Differentia ferri*, inquit Plinius, (lib. 34. cap. 14.) *numerosa. Prima in genere terræ, cælive. Aliæ molle tantùm, plumboque vicinius subministrant: aliæ fragile & ærosum, rotarumque usibus, & clavis maximè fugiendum, cui prior ratio convenit. Aliud brevitate solâ placet, clavisque caligariis: aliud rubiginem celeriùs sentit, strictura quæ vocantur eæ omnes quod non aliis metallis, à stringendâ acie vocabulo imposito. Et fornacum maxima differentia est. In iis quidem nucleus ferri excoquitur ad indurandam aciem, alioque modo ad densandas incudes, malleorumque rostra. Summa* D
autem differentia in aquâ est, cui subinde candens immergitur. Ibi Plinius enarrat quæ sint diversæ ferri temperaturæ; ut alibi vena bonitatem præstet ei, alibi factura, nempe prout candens in hac vel illâ aquâ restinguitur. Quædam tenuiora ferramenta oleo restinguuntur, *ne aquâ in fragilitatem durentur*. Multa alia nos edocet Plinius circa ferri naturam & usum. *Ferrum*, inquit, *accensum igni, nisi duretur ictibus, corrumpitur. Rubens non est habile tundendo, neque antequam albescere incipiat. Aceto aut alumine illitum fit æri simile. A rubigine vindicatur cerusâ & gypso & liquidâ pice.*

Herodotus in Clio, ubi loquitur de Alyate Lydo, & de donis quæ dedicaverat apud Delphos, E
memorat ὑποκρητηρίδιον σιδήρεον κολλητόν. Intelligo quidpiam vas suppositum crateræ, cujus operculum dicitur ὑποκρητηρίδιον. Quidquid fuerit, erat ex ferro compactili, spectatu dignum inter omnia, quæ erant in Delphis donaria. Opus Glauci chii, qui solus omnium compactionem ferri excogitavit. ὃς μοῦνος δὴ πάντων ἀνθρώπων σιδήρου κόλλησιν ἐξεῦρε. Alyati successit Cræsus, ut ista adinventio Glauci non præcesserit nisi sex circiter sæculis ortum Jesu Christi Domini Nostri.

Ergo primum usus ferri fuit frequentior. Cædebant arbores æneis securibus in Iliade (lib. 13.) Imbrius percussus à Teucro dicitur cecidisse ut fraxinus, quæ montis in vertice.

Χαλκῷ τεμνομένη τέρενα χθονὶ φύλλα πελάσσῃ.
Ære incisa, tenera terræ folia admovit.

Et libro sexto Iliadis (v. 320.) cuspidem hastæ Hectoris æneam facit poëta.

Ἔγχος ἔχεν ἑνδεκάπηχυ. Πάροιθε δὲ λάμπετο δουρὸς
Αἰχμὴ χαλκείη.
Hastam gestabat decem cubitorum ante autem
splendebat hastæ
Cuspis ænea.

Ita in Odyssea 20. v. 127.

Εἵλετο δ' ἄλκιμον ἔγχος ἀκαχμένον ὀξέϊ χαλκῷ.
Accepit autem fortem lanceam acuminatam acuto ære.

Virgilius, qui vetustos mores servat, ideo & æreis armis induit suos heroas. Vulcanus, cùm eum Venus exorasset nova arma pro suo Æneâ, & sine morâ Cyclopes manus admovent operi.

Ocyùs incubuêre omnes, pariterque laborem
Sortiti. Fluit æs rivis, aurique metallum,
alii stridentia tingunt
Æra lacu.

Necesse est magnam primis temporibus fuisse æris copiam. Montes vicini Tyro & Sidoni ubi tribus Aser habitavit, videntur hocce metallo abundasse; quod innuitur Moysis vaticinio, sive istâ benedictione (Deuter. cap. 33.) *Aser quoque ait: Benedictus in filiis Aser, sit placens fratribus suis & tingat in oleo pedem suum. Ferrum & æs calceamentum ejus.* Certè ætate Homeri Sidonem fuisse æris feracem ostendit mulier Sidonia, apud huncce poëtam loquens in Odyssea lib. 15. v. 424.

Ἐκ μὲν Σιδῶνος πολυχάλκου εὔχομαι εἶναι.
Ex quidem Sidone multi æris glorior esse.

Temporibus Ezechielis non effodiebatur multum æris, in Sidoniis montibus si quidem foris adveheretur, ut ille propheta dicit cap. 27. *Græcia, Thubal, & Mosoch, ipsi institores tui, mancipia, & vasa ærea advexerunt populo tuo.* Forsan fœcundiores æris venæ alibi repertæ fuerant, ut minoribus impensis hocce metallum Sidonii comparare possent, commutando merces quæ eis suppeterent. Ex quocumque loco adveheretur, aut uberiùs effoderetur, olim in varios usus largè impendebatur æs. *Prisci limina etiam ac valvas ex ære in templis factitavêre. Invenio*, loquitur Plinius (lib. 34. cap. 3.) *& à Cn. Octavio, qui de Perseo Rege navalem triumphum egit, factam porticum duplicem ad circum Flaminium, quæ Corinthia sit appellata à capitulis æreis columnarum.* Enumerat Plinius quæ ex ære fierent, tegulas tectorum, ostia etiam ædium privatarum, triclinia, cortinas tripodum. Olim specula ærea erant cum aliquâ temperaturâ, quæ dum scriberet Plinius, (lib. 33. cap 9.) fiebat ex mixturâ argenti cum tertiâ parte æris.

SECTIO III.

De cæteris metallis. Quid sit aurichalcum vel orichalcum: Quid χαλκολίβανον: quid electrum de ære chorinthio.

Plinius libro 7. cap. 56. enumerat quæ quis invenerit metalla. Cinyra Agricolæ filius invenit metalla æris in insulâ Cypro. Æs conflare & temperare Lydus Scytha. Ferrariam fabricam Calybes & Cyclopes. Dactyli Idæi rationem ferri ferruminandi: Cadmus auri metalla & conflaturam. Ve-

rùm ante hujus Cadmi tempora, jam Tabernaculum ſplendebat auro & argento. Tunc Judæa florebat opibus & opificum ſuorum induſtria; cum Græcia inops eſſet & artium rudis. Vix tunc in illa aurum notum erat; ſaltem hujus non erat copia. De primis temporibus non loquor, ſed de illis quæ ſubſecuta ſunt captivitatem Babylonicam, multis nempe ſæculis poſt ædificatum a Salomone Templum. Athenæus, lib. 6., ſcribit aurum in Græciâ adeo rarum fuiſſe, argentumque in fodinis tam paucum, ut Philippus Alexandri Magni pater exiguam auream phialam, quam penes ſe habebat, in lecto cubans ſemper ſuo pulvinari ſubderet. Tempore autem Salomonis, id eſt, pluſquam quingentos annos ante Philippi tempora, innumeræ erant in Templo Hieroſolymitano phialæ argenteæ & aureæ. *Donaria quidem tum aurea tum argentea*, Latinè loquitur Athenæus, *quæ Delphis aſſervabantur. Giges Lidiæ Rex primus dicavit. Ante regnum illius*, quod quadringentis annis ſubſequitur Salomonicum regnum, *auro argentoque Pythius caruit, ut ſcribunt Phanias Ereſius & Theopompus libro quadrageſimo octavo Philipicorum. De hac re ſic ſcribens: Olim quidem templum exornatum donariis fuit æneis, non tamen ſtatuis, ſed lebetibus & tripodibus ex ære. Lacedemonii, cùm Apollinis Amiclæi faciem inaurare decreviſſent, nec aurum in Græciâ reperiretur, ad Oraculum legatos miſerunt, Deum interrogaturos, à quo aurum emerent: cùm autem reſpondiſſet ut à Cræſo Lydio peterent, eò profectos ac mercatos fuiſſe. Hiero Syracuſius tripodem & victoriam ex auro ignem non experto conſecrare Delphis ſtatuerat. At cùm diu auri ejuſmodi copia non eſſet, conquiſituros in Græciam poſt dimiſit. Ii vix tandem Corinthum cùm appuliſſent, perſcrutantes apud Architelem Corinthium invenerunt.*

Non plura dicam de auro, nec de argento, cæteriſque notis metallis, nempe ſtanno, & plumbo, paucis perſtringam quaſdam ſpecies metallorum minùs notas, quæ fiebant ex mixturâ forſan notorum metallorum. Initium ducam ab electro. Eſt quidem ſuccinum hujuſce nominis, quod perlucet; undè amnis purus cum illo comparatur à Virgilio (Georg. lib. 4.)

non qui per ſaxa volutus
Purior electro campum petit amnis.

Electrum etiam eſt propria metalli ſpecies, quam volunt factam ex auro argentoque permixtis. De electro metallo certè loquitur Vulcanus apud Virgilium (Æneid. lib. 8.) cùm promittit operam ſuam Veneri pro Æneâ.

Quicquid in arte meâ poſſum promittere curæ
Quod fieri ferro, liquidove poteſtur electro.
Tum & ſequentes verſus ejuſdem libri id probant.
Tum leves ocreas, electro, auroque recocto
Haſtamque, & clipei non enarrabile textum.

Electrum, inquam, eſt mixtura auri & argenti. *Aurum*, inquit Plinius (lib. 30. cap. 4.) *in quo quinta argenti portio eſt, electrum vocatur.* Vox eſt Græca ἤλεκτρον, quæ apud Homerum occurrit; ita non nomen habet illud metallum ex eo quod eligatur, ſed potiùs quod τοῦ ἡλίου imitetur ſplendorem, vel ab Hebræo nomine הילל, hoc eſt, *Lucifer*. Senes Græci vocem חשמל, quam uſurpat Ezechiel, interpretati ſunt ἤλεκτρον [cap. 1. v. 4.] *Et de medio ejus quaſi ſpecies electri.* Græca verſio limpidior: ὡς ὅρασις ἠλέκτρου ἐν μέσῳ τοῦ πυρός *quaſi ſpecies electri in medio ignis.* Hæc ſpecies metalli nunc ignoratur, olim frequenti in uſu & honore, ut conſtat ex multis teſtimoniis, quæ congerit Bochartus in fine operis ſui de animalibus ſacris. De ſuccino autem nec de quacumque ſpecie chryſtalli intelligi poteſt חשמל *haſmal* Ezechielis; etenim neque ſuccinum neque chryſtallum in medio igne lucent. Sunt qui interpretantur dictam vocem *haſmal* de aurichalco, quod volunt eſſe permixtionem auri & æris; unde nomen habet partim Latinum ex *auro*, partim Græcum, χαλκὸς *æs*. Splendorem, inquiunt, habet auri, & duritiem æris. Verùm *aurichalcum* videtur olim Romanis dictum pro *Orichalco*, ut innuit Feſtus; etenim à Græcis appellatur ὀρείχαλκος, & definitur ab Heſychio ὕλη ὁμοία χαλκῷ materia ſimilis æri. *Aurichalcum vel orichalcum quidam putant compoſitum ex ære & auro: ſive quod colorem habeat aureum. Orichalcum ſanè dictum, quòd in montuoſis locis invenitur. Mons etenim Græcè ὄρος appellatur.* Hæc Feſtus lib. 1. de verborum ſignificatione; cujus & iſta ſunt: *Cadmea terra, quæ in æs conjicitur, ut fiat orichalcum.* Quæ me adducunt ut credam orichalcum veterum non quidpiam aliud fuiſſe, quàm æs quod in fornace quibuſdam medicaminibus tandiu conflaretur, uſquedum colorem auri acciperet. Tale æs admixto certo lapide, fit aureum, vulgò dicitur *du Leton* aut *Laiton.*

Orichalci conflatura tempore Platonis ignorabatur, ut liquido ille dicit in dialogo Critia, ubi loquitur de metallis quæ in inſulâ Atlantide reperirentur. *Et aliud metallum*, ait, *cujus hodie tantùm retinemus nomen, orichalcum* ὀρείχαλκον, *videlicet, erat illis temporibus nominatiſſimum, & ex multis inſulæ locis effodiebatur. Hujus verò maxima erat gratia poſt aurum.* πλὴν χρυσοῦ τιμιώτατον. In Apocalypſi nominatur χαλκολίβανος. [cap. 1. v. 15.] Certè quæpiam æris ſpecies; ſic dicta, quæ in igne condeſceret ſive candida appareret, ſed non ibi libanus mons intelligi debet ex quo effoderetur illa ſpecies æris, ſed candor quidam. Hebræis לבן *libben*, quod eſt *candeſcere*. In fonte Græco eſt: Καὶ οἱ πόδες αὐτοῦ ὅμοιοι χαλκολιβάνῳ, ὡς ἐν καμίνῳ πεπυρωμένοι. *Et pedes ejus ſicut chalcolibanus in camino ardentes.* Vulgatus interpres habet: *ſimiles aurichalco ſicut in camino ardenti.*

Antiquitus erat quædam ſpecies æris quæ argento etiam auro anteponebatur. Dicebatur Corinthium. De æris metallo loquens Plinius libro 34. ſic orditur. *Proximè dicantur æris metalla, cui & in uſu proximum eſt pretium, imo verò ante argentum, ac penè etiam ante aurum, Corinthio.* Diodorus lib. 5. mentionem facit cujuſdam æris quod dicebatur χρυσοειδής. Ariſtoteles libro de mirabilibus prædicat æs indicum, tam lucidum & purum & rubiginis expers, ut colore ab auro non dignoſcatur. Ex illo fiebant pocula, quæ utrum ærea vel aurea eſſent, ſolo olfactu dijudicabatur. Talia iſta vaſa erant, de quibus loquitur Eſdras (cap. 8. v. 27.) *vaſa æris fulgentis optimi duo, pulchra ut aurum.* Σκεύη χαλκοῦ στίλβοντος. Nomen Hebræum מצהב indicat fulgorem aureum. Agnoſcit Joſephus ſpeciem æris τοῦ χρυσοῦ κρείττονα *præſtantiorem auro.* Res conſtat; neque enim poſſunt tot & tam clara teſtimonia in dubium revocari. Plutarchus in libello cur oracula pythiæ ceſſarent enumerat quæ erant in Delphis anathemata, obſervat his parum commotum hoſpitem, cui hæc monſtrabantur; ſed multum miratum ſpeciem quamdam æris de qua *numnam*, aiebat ille hoſpes, *temperatione quadam & medicatione æris priſci opifices uſi ſunt? Nam Corinthium quidem æs non ars ſed caſus tam elegante donavit colore, igne domum hauriente, in quâ aliquid auri & argenti, plurimùm*

verò æris repositum erat, quibus confusis & in unam conflatis massam à majore copiâ æris nomen impositum est. Pro fabulâ videtur Plutarchus hæc habere; & opinatur illud æs Corinthium fuisse mixturam & apparatum; sive quampiam fundendi æris rationem quæ exoleverat. Etenim Plinius adstruit antequam caperetur Corinthus, fictores nobiles extitisse quorum signa Corinthia appellabantur.

CAPUT II.

Arca Noë grande & admirandum fuit artis opus. De ejus fabricâ, dimensionibus, materiâ & formâ. Apta fuit ut viverent & servarentur quotquot intra eam admissa sunt animantia.

SECTIO I.

Arca in qua servatum est omne hominum genus à Diluvio quod totum mundum obruit, mole sua spectanda est, & arte qua eam Noë fabricavit.

ARcæ dimensiones facer codex declarat, ubi Deus de illa facienda dat mandatum patriarchæ Noë (Gen. cap. 6. v. 15.) *Trecentorum cubitorum erit longitudo Arcæ, quinquaginta cubitorum erit latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius.* In libro primo statuimus cubitum Hebræum parem viginti pollicibus, quales duodecim numerantur in pede Parisino. Igitur trecenti cubiti Hebræi faciunt præcisè quingentos pedes Parisinos; & quinquaginta cubiti paulò plus quàm octoginta & tres pedes. Ductâ latitudine in longitudinem; nempe ductis 83 pedibus in quingentos pedes, area Arcæ deprehendetur 41500 pedum; quæ area multiplicata per 50 pedes: etenim triginta cubiti, quæ est Arcæ altitudo, quinquaginta nostris pedibus pares sunt. Ista, inquam, area multiplicata per 50 pedes dabit hunc numerum 2075000 pedum solidorum, qui sunt capacitas Arcæ, si concipiatur similis vasi cui competerent dictæ dimensiones.

Capacitas cujusque navis definitur doliorum numero, quorum potest liquorem continere. Dolii pondus, *le poids d'un tonneau*, statuitur bis mille librarum Parisinarum. Pes solidus, sive vas simile cubo cujus singula latera sunt unius pedis, continet ad minimum 70 libras aquæ; neque enim cum rigore hîc calculos inimus, nec etiam habemus rationem discriminis quod est inter marinas & fluviales aquas. Multiplicantes autem inventum numerum 2075000 per 70, inveniemus 145250000 numerum librarum aquæ, quam Arca capere poterat; qui numerus divisus per 2000, quot sunt libræ in dolio Parisino, quod vulgò dicitur *le muid*, pro quotiente habebit 72625. Tot ergo dolia Arca continuisset navis mille doliorum quam dicunt jussu Hieronis factam, & missam ad Ptolemæum Ægypti Regem, & erat 12000 doliorum portentosa tamen visa est.

Interest rectè æstimare, hujus magnitudinem navigii, quo enatavit omne hominum & animantium genus ex universali diluvio; idcirco comparabo illud cum aliquo magno ædificio notæ capacitatis. Ædes B. Mariæ Virginis Parisina habet in longitudine suâ 390 pedes; in latitudine 144; complector appendices, etiam sacella quæ lateribus adhærent. Ita Arca hacce æde 110 pedibus longior fuit; sed angustior circiter 64 pedibus. Ædes quæ Rotomagi pariter B. Mariæ virgini dicata est, habet in longitudine 408 vel 414 pedes præter sacellum ejusdem B. Mariæ Virginis, quod est in postico. Ita ergo ædes jam quo ad longitudinem multùm inferior est Arcæ. Latitudo hujus ædis inter parietes extremos qui comprehendunt sacella, appendices, deambulatoria, & postes lapideos, totam, ut loqui solemus, navim, non multò major est nonaginta pedibus, sic aliquot tantùm pedibus superat Arcæ latitudinem. Altitudo à pavimento ad fornicem navis non multùm excedit octoginta pedes. Cogitemus extremos muros ad perpendiculum erectos usque ad quinquaginta pedes, quæ est Arcæ altitudo, habebimus ædificium quocum comparare licet capacitatem Arcæ. Quis non obstupescat molem ejus æstimans? Non erat autem vanum molimen; si quidem totus in eâ, ut ita dicam, servandus mundus, sive servandæ reliquiæ mundi perituri, servandum semen novi, & perfugium parandum ipsi Noë & filiis suis. Hi quidem pauci numero erant; sed accipienda ex omni animalium genere, quæ alioquin in aquis vitam amisissent. An aliqua species prorsus interierit in diluvio, vel affirmare, vel negare temerarium esset; quæ autem supersunt animalia & innotuerunt scriptoribus, tanto sunt numero, ut contineri non potuerint in Arcâ, nisi illa fuerit capacissima. Etenim spatio annuo ibi debebant morari; per quod tempus cibus sufficiendus fuit, & ultrà; neque enim statim ac aquæ reversæ sunt in antiquos alveos, tellus adhuc limo obducta suppeditavit animantibus solitum suum victum. Ergo cùm toto hocce intervallo vivere non possent sine congruenti pabulo, illud congerendum fuit in distincta granaria; sicut & diversis cellis distinguendæ feræ. Pax inter illas fovenda erat; aliæ autem placidæ, aliæ feroces, aliæ robustæ, aliæ imbelles sunt. Non omnes ejusdem indolis, sicut nec molis; quæ diversitas efficiebat ut non iisdem in præsepibus possent locari. Præterea diversæ pabuli species permixtæ statim corruptæ essent; reponendæ igitur in distinctis apothecis; quod multam œconomiam postulabat, ut apothecæ, cellæ occurrerent aptis locis, & facili negotio ministraretur victus conveniens singulis animantibus quadrupedibus, volatilibus. Has cellas non oportuit esse pares, sed pro animalium mole quæ in illis stabularent, & pro ratione commeatus qui erat asservandus, debuerunt laxari: ut verbi causâ, fenilia, palearia, capaciora essent, quàm granaria. Præterea semitæ interponendæ fuerunt inter apothecas, ut ad ministerium obeundum Noë & filii per illas discurrerent. In Arcâ altâ quinquaginta pedibus locus non deerat: cogitare licet diversa tabulata; navigium autem tantæ capacitatis sic fuit compingendum ut mole suâ & onere non dissiliret.

In primis animadvertendum quòd nisi liber & purus aër in Arcâ spirasset, quem ducerent & reflarent, animalia citò corruptus evasisset & solo suo se halitu interfecissent; & tetro odore suorum stercorum; nisi his purgaretur. Inter Herculis labores numeratur Augiæ stabulum expurgatum. Verùm Noë præcaverat suâ prudentiâ, ut sine multo negotio res fieret, tot curarentur pecora, potarentur, pascerentur, & emitterentur sordes. Proprio studio & longo usu multa didicerat. Agebat sexcentesimum annum, cùm absolutâ Arcâ supervenit diluvium. Centum postremis annis, à die quo jussa Dei accepit (sunt chronologi qui his centum annis alios viginti adnumerant) mentem & manus admovit operi. Plurimi autem ex his annis effluxerunt, dum materies congeritur, ligna cæduntur, adducuntur, quadrantur, effoditur bitumen. Interea sapientissimus artifex cogitatione opus formabat, illud apud se describens, Deo attentus & id-

circo alienus à voluptatibus corporeis totus veritati contemplandæ deditus. Hanc meditari, hac pascere animum, voluptas ejus perceperat. Tunc cum victus simplex esset, nec quemquam urgeret pauperies. Patriarcha non distringebatur curis, nec molestiis vitæ; itaque ab hacce die quâ Arcam parare jussus est, in ejus fabricam conferens omnes cogitationes, commodam tantæ fabricæ formam potuit invenire; tum & revelatione divinâ adjutus. Moysi præmonstratum fuit exemplar Tabernaculi, quod jussus est erigere; ita & Arcæ imago potuit oculis Noë objici, non ideo minùs studendo, meditando, experiendo quærens quæ aptior esset forma ejus; & prævidens difficultates & præcavens, ne quapiam re in Arcâ ipse & animalia egerent.

Sapientiam Noe licet æstimare, maximam; sed arduum est illam cogitatione concipere & sermone explicare. Scriptura rem declarat factam; sed non omnes ejus lineas exprimit; pleras à nobis excogitandas relinquit: non omnem istum cellarum numerum definit; quem calculis subductum, quasi prorsus notum, reperire est in quibusdam de Arcâ scriptis. Omnia ergo conjectando assequi necesse est; ut is multùm præstet, qui excogitet Arcæ formam quæ verbis Moysis non adversetur, semel autem admissâ, omnia facilia sint; sive non exsuperet fidem tanto tempore intrà Arcam tot animalia potuisse vivere conclusa. Hoc est quod conamur, nempe efformare sermone nostro Arcam, primùm quæ non alia sit, quàm quæ describitur à Moyse; si quidem omnes mensuræ ab eo assignatæ huic competant; secundò in quâ omnia tam sapienter disposita concipiantur, ut nullâ re impediatur animus quominùs assensum præbeat scripturis. Advertendum autem quod Deus qui poterat sine tanto opere servare Patriarcham cum familiâ suâ, nec tot animalia ob culpam hominum perdere, aliquid majus intuebatur, cùm Arcam fabricari jussit. Illa admirandæ rei typus fuit videlicet Ecclesiæ Christianæ.

SECTIO II.

Jubetur Noë Arcam fabricare ut se & omne humanum genus servaret à diluvio quod erat proximum. Quid nomine Arcæ debeat intelligi?

NE vagetur sermo statim, initium sumam, ab eo scripturæ loco, ubi Noë jussus est Arcam fabricare Genes. cap. 6.

1. *Cumque cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent.*

2. *Videntes filii Dei filias hominum quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.*

Deus homines universali interitu non delevisset, nisi ob absolutam corruptionem, quæ orta est ex permixtione piæ sobolis cum prava. Post interfectum Abelem à fratre suo Caïn, natus fuerat Adamo alter filius, qui ideò appellatus est Sethus, id est, *positus* nempe in alterius locum. Ex Setho genitus Enoch. Iste *cœpit invocare nomen Domini*, Genes. cap. 6. v. 26. Alii sic fontem vertunt; *Tunc profanatum est in vocando nomine Jehovæ.* Alii sequentes interpretationem Aquilæ intelligunt Sethi posteros de nomine Dei vocari cœpisse, ut ab aliis distinguerentur; genus enim humanum quasi divisum est, & Sethi & Enoch posteri appellati sunt *filii Dei*; nempe qui Deum colerent; *filii hominum*, qui orti ex genere Caïn in vitia omnia prorumperent. Donec ista divisio duravit, Deus propter bonos pepercit malis; sed ubi *filii Dei*, qui ex

A semine sanctorum erant, *filias hominum*, capti earum pulcritudine, duxerunt in uxores, commixti malis, ipsi mali effecti sunt. Tunc terra criminum diluvio prorsus obruta est; ita cùm non esset is bonorum numerus, qui iram Dei placaret, erupit vindicta.

3. *Dixitque Deus: non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est: eruntque dies illius centum viginti annorum.*

Cùm Deus iram diu sustinuisset, dixit demùm: non permanebit spiritus meus vivificus in perpetuum in homine, vitam ejus fovens, *quia caro est*, quia indignus vitâ ob desideria carnis quæ sequitur. Spiritus quandoque sumitur pro vita, ut apud Ezechielem (cap. 37. v. 6.) *Dabo vobis spiritum &*
B *vivetis.* Ibi Deus interminatur toti generi hominum mortem nisi resipiscant; spatiumque præfigit centum viginti annorum; quibus, ut videtur Josepho & aliis, modum ætatis hominum definit; sive denuntiat vitam eorum esse contrahendam, ne ultra longævi essent. Sed verisimiliùs est hîc agi de vitâ eorum, qui tunc temporis viverent, quæ ultrà centum viginti annos non duratura esset, si quidem diluvium Deus immissurus esset. Ita sentit B. Augustinus. *Quod autem dixit Deus, erunt dies eorum, centum viginti anni, non sic accipiendum est, quasi prænuntiatum sit post hæc homines centum viginti annos non transgredi, cum post diluvium quingentos excessisse inveniamus. Sed intelligendum*
C *est hoc Deum dixisse, cùm circa finem quingentorum annorum esset Noë, id est, quadringentos octoginta vitæ annos ageret, quos more suo scriptura quingentos vocat, nomine totius maximam partem plerumque significans: sexcentesimo quippe anno vitæ Noë secundo mense factum est diluvium: ac sic centum viginti anni prædicti sunt futuri vitæ hominum periturorum, quibus transactis diluvio delerentur.* (Lib. 15. de Civ. Dei, cap. 24.) Abraham erat centum septuaginta quinque annorum, quando mortuus est: similiter Ismael centum triginta septem: Isaac centum octoginta. Ita de aliis pluribus.

4. *Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias*
D *hominum, illæque genuerunt: isti sunt potentes à sæculo viri famosi.*

Nomen נפלים Nephilim, quod vulgatus reddit *Gigantes*, propriè significat *grassatores, latrones*, qui in viatores impetum faciunt. Aquila vertit ἐπιπίπτοντας *irruentes*, Symmachus βιαίους *violentos*. Viri illi antiquitùs noti erant robore suo, audaciâ & pravis facinoribus. Commixtio illa filiorum Dei cum filiis hominum tam depravatam prolem peperit.

5. *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terrâ, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.*

6. *Pœnituit eum quòd hominem fecisset in terrâ.*
E *Et tactus dolore cordis intrinsecùs.*

7. *Delebo; inquit, hominem, quem creavi, à facie terræ, ab homine usque ad animantia, à reptili usque ad volucres cæli; pœnitet enim me fecisse eos.*

Ibi Deus à Moyse inducitur humano more loquens; neque enim verè unquam Deum pœnitet; quod non accidit, nisi iis qui aut ignorant futura, aut præcavere non possunt. Ex illis autem Dei minis liquet diluvium fuisse universale; delendi enim erant omnes homines cum omnibus animantibus.

8. *Noë verò invenit gratiam coram Domino.*

Deus excepit illum cum familiâ suâ ex universali supplicio.

9. *Hæ sunt generationes Noë: Noë vir justus at-*

que perfectus fuit in generationibus suis; cum Deo ambulavit.

Inter coætaneos suos integer & justus vixit Noë, Deum semper habens præ oculis.

10 *Et genuit tres filios, Sem, Cham, & Japheth.*

11. *Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta est iniquitate.*

Deus consideravit humanum genus esse omnimodâ corruptione depravatum.

12. *Cumque vidisset Deus terram esse corruptam (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram.)*

13. *Dixit ad Noë: finis universæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terrâ.*

14. *Fac tibi Arcam.*

De instituto est quærere quo anno mundi & ætatis Noë, hæc illi dixerit Deus, ut constet quo tempore inchoaverit opus, & quot annis perfecerit. Modo vidimus Deum intentasse minas futuri diluvii centum viginti annis antequam obtingeret. Qui hos centum viginti annos intelligunt de termino vitæ cujusque, confutantur eventu; plures enim superaverunt huncce terminum; ita verisimile magis est quod Paraphrastes Chaldæus dicit: *Et terminus dabitur eis centum & viginti annorum, si fortè convertantur.* Noë sexcentos annos natus Arcam ingressus est; ergo acceperat mandata Dei de Arcâ faciendâ anno quadringentesimo octogesimo ætatis suæ. In fine capitis quinti Geneseos dicitur quingentorum annorum fuisse, cùm genuit Sem, Cham, & Japhet, unde quidam interpretes volunt prænunciatum diluvium centum viginti annis antequam fieret, sed mandatum de fabricâ Arcæ non datum nisi eo tempore quo filios genuit, nempe post viginti annos a denunciato diluvio; per quos si impii resipuissent, mandatum de fabricandâ Arcâ erat à Deo revocandum. Arca licet opus ingentis molis potuit centum annorum intervallo absolvi; Noë enim præter filios suos, habuit alios operis socios; non omnes enim obsurduerunt piis ejus exhortationibus; senemque tot annorum, pietate & sapientiâ conspicuum venerati, contulerunt operam. Quispiam dicat non alios operi manum admovisse, quàm qui servati sunt. Repom potest pios artifices maturâ morte, quæ sæpè Dei munus est, fuisse substractos diluvio; necesse enim erat ut in Arcâ quæ typus fuit, octo tantùm animæ, id est, pauci servarentur ad significationem rei futuræ.

Priusquam prosequar Arcæ fabricam, quæram quid sit intelligendum nomine תבה *Thebah*, quo appellatur in fonte, & redditur a LXX. Κιβωτὸς, à Josepho Λάρναξ. Nomen illud duobus duntaxat in locis occurrit in sacro codice. Hîc, ubi de diluvio sermo est, & in Exodo (cap. 2.) cùm describitur juncea fiscella, pice & bitumine illita, in quâ Moyses expositus est supra aquas. In hocce loco Exodi scribitur plenius תיבה; unde Joannes Clericus censet hanc vocem derivandam à verbo תוב *Thoub*, quod apud Chaldæos & Arabas idem sonat ac שוב *schoub*; nec tantum *redire*, sed etiam *habitare* significat; veluti ישב *Jaschab*, cui affine est. Ab hac radice Samaritani fecerunt שיבה *schebab*, id est, *habitatio*. Censet ergo eruditus auctor, quem allegavi, ideo sic dictam Arcam Noë, quia habitationi compararetur.

Cùm ligna cædere, & ex illis componere habitacula, homines cœperunt, illa tabernaculis fecere similia. Igitur Arca, ut puto, fuit velut tabernaculum. Plerique illam assimilant his nostris arcis, in quibus continentur vestes, Gallicè *un coffre*, Hebraicè ארון *aron* quo nomine *Arcam*, in quâ Moyses reposuit tabulas Dei digito scriptas, appellavit. Vocis autem Hebrææ תבה *Thebah* pro isto navigio in quo Noe enatavit è diluvio, remanserunt quædam vestigia apud Græcos, qui juxta optimos codices vocem Θήβη interpretantur *fiscellam junceam*, qualis illa fuit in quâ expositus est Moyses. Pariter, inquit Hesychius, Θῆβαι πόλις Βοιωτίας καὶ κιβώτιον, *civitas Bœotiæ & arcula*, quam Cadmus Thebarum conditor in Europam trajecit. Quin & aliquod vestigium reperiri potest Θήβης sive Arcæ Noë in eo quod narrat Diodorus Siculus [lib. 1.] de Sesostri, factum ab eo navigium cedrinum CCLXXX. cubitos longum, extrinsecus auro, intrinsecus argento obductum, & illud dicasse Deo quem Thebæi religiosissimè colebant τῷ Θεῷ τῷ μάλιστα ἐν Θήβαις τιμωμένῳ. Ergo haud necesse est ut Arcam omnino assimilemus huicce vasi, quod Latini nominant Arcam; sed nec solitas naves suâ formâ omnino referebat, quippe sine carinâ, sine transtris, & sine ramis, ut dicturi sumus.

SECTIO III.

Qua ex materiâ Arca confecta est, quo in loco. Non pauco tempore antequam illa compingeretur, cæsa fuerant ligna.

Revertamur ad sacrum codicem, in quo vidimus Deum præcipientem Patriarchæ Noë quid vellet ab eo fieri.

14. *Fac tibi Arcam de lignis lævigatis: mansiunculas in Arca facies, & bitumine linies intrinsecus & extrinsecus.*

Quoquo loco Noë susceperit opus, non aliam potuit eligere materiem, quàm quæ suppetebat. Non autem necesse est ut unicam arborum speciem adhibuerit. Quin imo verisimilius est ex diversis arborum resinosarum speciebus Arcam constructam fuisse, quales sunt Cupressus, Pinus, Terebinthus, Cedrus. Etenim Noë debuit eligere ligna magis imputribilia, quæ cariem facilè non admittunt; alioquin pleraque jam putruissent post centum annos, à quo tempore opus fuerat inchoatum. Certè ex jussu Dei Arca contexta est ex lignis *Gopher* עצי גפר. Vox ista *Gopher* cùm sit è numero ἅπαξ λεγομένων, id est, earum quæ semel usurpatæ sunt, difficilem habet investigationem, & variè redditur ab interpretibus. Græci transtulerunt ξύλα τετράγωνα, *ligna quadrangula*, sive *quadrata*. Latinus interpres dixit *de lignis lævigatis*, id est, dolatis ac politis; Ut intelligerentur trabes aptè inter se conjunctæ, & sibi invicem cohærentes. Septuaginta interpretes dixêre ea ligna fuisse τετράγωνα. Opinor nec Græcos, nec Latinum interpretem interpretatos significationem vocis Hebrææ *Gopher*, sive speciem lignorum, sed eorum formam; sine quâ Arca non compingi potuisset. Scilicet nisi ligna fuissent ad amussim quadrata, & lævigata, sive dolata.

Isaacus Vossius hos interpretes suspicatur non voluisse indicare formam quam artifices lignis indidissent, sed quam à naturâ haberent, sive arborum certam speciem. Dicit ξύλα τετράγωνα intelligi debere arbores, quarum rami æquabiliter sese exerunt, ut quaterni simul explicentur, & paribus à terrâ intervallis, instar quatuor brachiorum, pares quoque conficiant angulos, quales sunt Pinus, Abies, Cedrus, Pinaster, Picea, & Sapinus.

D. Hieronymus in traditionibus hebraicis ligna illa de quibus sermo est interpretatur *ligna bituminata*, quasi כפר *chopher* & גפר *Gopher*, idem essent. Inter has voces multa quidem est affinitas, quare

intelligere possemus ligna ex quibus Arca fabricata est, fuisse arbores bituminosas & resinosas, quales Pinus, Cedrus &c. Chaldæus Paraphrastes interpretatus est *Gopher* Cedros, quamquam Cedri nomen est ארז tum Hebræis, tum Chaldæis. Plato in libro quarto de legibus recensens quæ sit materia construendis apta navibus, *neque*, inquit, *illic abies est ad lucalentiorem quempiam usum idonea, neque Picea, neque multa sanè Cupressus: & Platanum quoque frequentiorem haud reperies: quibus navium fabri ad internas navium partes necessariò utuntur.* In libro quinto de legibus, cupressinas tabulas cariem non sentire clarè indicat; undè sic præcipit. *In sacris autem, ad futuram rerum memoriam, cupressea monumenta* κυπαρισσίνας μνήμας *accuratè descripta cives imponent.* Sic de cupresso loquitur Plinius [lib. 16. cap. 42.] *Pinus & Cupressus adversus cariem, tineasque firmissimæ.* Hinc etiam est, quod teste Thucidide [lib. 2.] Athenienses eorum ossa, qui pro patriâ occubuerunt, efferre consueverant in arcis è cupresso, διὰ τὸ ἄσηπτον εἶναι quia lignum expers est putredinis, ut ibi observat Scholiastes. Theophrastus in historiâ Plantarum (lib. 5.) inter eas arbores, quæ vetustatem non sentiunt, collocat cupressinam materiem, observans ex cupresso fabricatas templi Ephesini valuas per quatuor generationes incorruptas durasse. Ita & ille Priapus, Deus factus ex cupresso, loquitur apud Martialem (lib. 6. Epig. 49.)

Non sum de fragili dolatus ulmo C
de cupresso
Quæ nec sæcula centies peracta
Nec longæ cariem timet senectæ.

Hæc omnia de Cupresso dixi, quia interest scire quo reipsâ ligno Arca fuerit constructa; nam si è Cupresso, non mirum est per tot sæcula Arcæ reliquias usque ad ætatem sancti Epiphanii durasse, quod ipse testatur (lib. 1. hær.) Cur autem Pinus & Cupressus non admittant cariem, Vitruvius causam aperit (lib. 2. cap. 9.) *in vetustatem sine vitiis conservantur, quòd is liquor, qui inest penitus in corporibus earum, habet amarum saporem, qui propter acritudinem non patitur penetrare cariem, neque eas bestiolas, quæ sunt nocentes; ideoque quæ ex* D *his generibus opera constituuntur.*

Gopher scripturæ cupressum esse suadet nominis similitudo. Nam quid aliud *cupar* vel *cuper*, Græcis etiam Κυπάρισσος, quàm *Gopher?* facile *g* in *c*, *phi* in *p*, *o* in *v* permutantur. Potuit Arca construi ex diversis lignis: sed ex his quæ occurrebant. Confecta est ubi habitabat Noë, circa loca ut videtur, in quorum viciniâ fuerat olim Paradisus, nempe versùs terram Edem, quæ est circa Tigrim & Euphratem fluvios. Pia Sethi proles non evagata fuerat extrà natale solum parentum. Primos homines incoluisse Assyriam colligit Bochartus (lib. 1. cap. 4. Geog. sacr.) ex Paradisi descriptione. E

Quove loco confecta sit Arca, ubi aquæ diluvii effluxerunt, substitit in monte Ararat, qui est in Armeniâ, ut adstruit sacra scriptura; quem locum quia Noë ibi Arcâ egressus est, Armeni, inquit Josephus, appellaverunt ἀποβατήριον *egressorium*, quod confirmat testimonio Ethnicorum scriptorum. *Hujus autem diluvii & Arcæ meminerunt*, sic Latinè loquitur Josephus, *omnes barbaricæ historiæ scriptores, & in his Berosus Chaldæus. Narrans enim de hoc diluvio, sic fermè scribit: fertur autem & navigii hujus pars in Armeniâ apud montem Gordyæorum superesse, & quosdam bitumen indè abrasum reportare: quo vice amuleti, loci ejus homines uti solent.*

Arca non erat eâ formâ, quâ ventis ludibrium fieret; fundum habens planum quinquaginta cubitorum. Machinam tantæ molis, ad motum non comparatam, tot animalibus & cibariis gravem, venti non facilè commovebant. Hinc colligo requievisse non longè à regione ubi fabricata fuerat; non longè ab Armenorum montibus, circà campos Sennaar, ubi postea Babylon ædificata fuit. In hoc terræ tractu nullam aliam materiem magis obviam fuisse demonstrat classis illa ingens, quam Babylone construxit Alexander magnus ex cupresso, ut adstruit Arrianus in vitâ ejus (lib. 7.) *Dicit autem*, Aristobulus Alexandri expeditionum comes, *alium quoque classem Alexandrum construxisse è cupressis, quæ erant in Babyloniâ. Harum enim solum arborum in Assyriorum regione copiam esse. Aliarum autem, quæ conficiendis navibus aptæ sunt, inopiâ hanc terram laborare.* Eadem habet Strabo (lib. 16.) ex eodem fonte hausta.

Mansiunculas in Arcâ facies, in fonte nidos, id est, cellas varias, de quibus postea sermonem faciemus; hîc decet expendere illud: *& bitumine linies intrinsecus & extrinsecus.* In fonte Hebræo כפרת בכפר *chapharta baccopher*, in Græcâ versione ἀσφαλτώσεις ἀσφάλτῳ. Proculdubio ἄσφαλτος est bitumen; undè lacus Sodomiticus, à quo evomitur bitumen, appellatur *Asphaltites.* Frustra opponitur tunc latuisse bitumen intra terræ viscera, cum pix ex arboribus sub omnium conspectu manaret. Neque enim terra potest omnino occultare bitumen, quo abundat. Recluditur illa sæpiùs, dum plantantur arbores, & putei effodiuntur; non ergo bitumen ignotum fuit nostro Patriarchæ. Opponitur bituminis gravem esse odorem; quin imo odoriferum est, & ideo sapienter adhibitum adversùs graveolentiam, quæ in Arcâ oriebatur ex fimo animalium. Est gluten, quo oblita ligna non à vermibus exeduntur: non fatiscunt sole, vento, aquâ; nec dissolvuntur. Medicinæ etiam aptum est. Plinius testis (lib. 35. cap. 15.) *Vis, quæ sulphuris, discutit, contrahit, glutinat. Serpentes nidore fugat accensum. Ad suffusiones oculorum & albugines Babylonium efficax traditur: item ad lepras, lichenas, pruritusque corporum. Illinitur & podagris.* Plures alias bituminis virtutes enumerat Plinius. Scriptores etiam ethnici referunt, in medelam morborum adhibitas Arcæ reliquias. His omnibus addendum est bitumen esse gluten ferventissimum, quo oblita ligna non à vermibus exeduntur, non fatiscunt sole, vento, aquâ, nec dissolvuntur.

Babyloniæ autem solum bituminis feracissimum est. Luculentum in hanc rem Diodori Siculi testimonium (lib. 2.) *Multa sanè Babylonia continet spectatu digna, & admiranda: sed inter hæc non minimum admirationis meretur* ἀσφάλτου *bituminis copia illic exsudantis, quæ tanta est, ut non modo sufficiat tot ædificiis, verum etiam profusè à populo collectum pro lignis siccatum cremetur. Et licet ab innumerabili hominum multitudine ut potè ex fonte amplissimo hauriatur, integra tamen manet ejus ubertas. Prope fontem istum scaturigo est, haud ita magna, sed mirè efficax. Vaporem enim sulphureum & gravem emittit, quo quicquid animantium accedit, subitâ nec inopinatâ morte correptum extinguitur. Anhelitu enim diutiùs compresso, & respirandi facultate per vim exhalationis interclusâ, præfocatur. Et continuò turgescens cadaver inflammatur, locis circà pulmones maximè.* Ergo, inquiet aliquis, quomodo tam letali vapore non statim infecti fuissent quotquot Arca bitumine oppleta concludebat? Responsio facilis. Non interibant Babylonii habitantes in ædibus, ubi

ubi pro calce ſternebatur bitumen. Ille vapor qui intercludebat ſpiritum, non ex ipſo bitumine, ſed ex puteo oriebatur; ſicut quandoque contigit in quibuſdam etiam puteis, quorum aqua limpida eſt & ſana. In ædificiis bitumen erat loco cœmenti; quod ſacra ſcriptura (Geneſ. cap. 11. v. 3.) & omnes Ethnici ſcriptores adſtruunt de Turri Babylonicâ, nempe in muris ejus condendis bitumen calcis uſum præbuiſſe. Non videtur caſu factum ut כפר *chopher* bitumen; גפרית *gophrith* ſulphur, & גפר arboris reſiniferæ nomen, ſono adeo affinia ſint; cùm inter reſinam, ſulphur & bitumen tanta ſit naturæ affinitas.

Arbores autem qualeſcumque fuerint Noë cædere cœperat plures annos antequam Arcam compingeret, ſcilicet tempeſtivis temporibus. Etenim ut ſerendi & metendi, ita ſunt tempora cædendi arbores, cùm ut loquitur poeta tempus eſt.

tempeſtivam ſylvis evertere pinum.

Quia, ut obſervat Servius, *tempore importuno hæ cæſæ arbores citò termites faciunt; ita enim ligni vermes vocantur. Nam hac re etiam ruſtici lunæ curſum obſervare dicuntur: meliùs enim arbores lunâ decreſcente cæduntur.* Vegetius (libro quarto de re militari cap. 35.) tempus illud definit intra quintamdecimam & vigeſimam tertiam lunam. *His enim*, inquit, *tantùm octo diebus cæſa materies immunis ſervatur à carie: reliquis autem diebus præciſa, etiam eodem anno internâ vermium labe exeſa in pulverem vertitur.* Adjungit in capite ſequenti idem Vegetius cædi trabes utiliter poſt ſolſtitium æſtivum, id eſt per menſem Julium, Auguſtum, & per autumnale æquinoctium, uſque ad Kalendas Januarias. His namque menſibus areſcente humore ſicciora, & ideo fortiora ſunt ligna. *Nam quæ virides compinguntur, cum nativum humorem exſudaverint, contrahuntur & rimas faciunt latiores, quo nihil periculoſius eſt navigantibus.* Noë qui omnia moliebatur cum admirabili ſapientia ad hæc mentem adverterat, quæ Architecti poſtea non cognoverunt, niſi periculoſis experimentis.

SECTIO IV.

De Arcæ dimenſionibus, formâ, contignationibus, & manſiunculis.

PRoſequamur ex ordine quæ ſacer codex habet de Arcæ fabricâ. Præcipit Deus Patriarchæ quæ debeant eſſe ejus dimenſiones.

15. *Et ſic facies eam: trecentorum cubitorum erit longitudo Arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius.*

Itaque Arca ſexies longior erat quàm lata; quæ ratio deprehenditur inter ſtaturam hominis & pedes ejus. Plerique Arcam quàm maximam meritò cogitantes, ne minorem ſtatuerent, quàm par erat, dimenſiones ejus fecére majores veris, ſcilicet falsâ opinione adducti quòd Arca longa, lata, & alta, eo ſolo numero cubitorum quem ſacer codex ponit, non potuiſſet capere omnia animalia, & victum annuum his alendis neceſſarium, opinati ſunt cubitos de quibus loquitur Moyſes majores eſſe ordinariis, nempe cubito virili. Apelles diſcipulus Marcionis objiciebat nec quatuor ſolos elephantos capi potuiſſe in Arcâ, nedum omnia animantia. Origenes hanc objectionem proponit homiliâ ſecundâ ſuper Arcam; & eam ſolvere conatur, ſupponendo quòd Moyſes in omni ſapientiâ Ægyptiorum eruditus, *ſecundùm artem geometricam, quam præcipuè Ægyptii callent, cubitorum numerum in hoc loco poſuiſſet. Apud Geometras enim ſecundùm eam rationem, quæ apud eos virtus, ex ſolido & quadrato vel in ſex cubitos unus deputatur.* Græca non extant in quibus forſan legebatur vox δύναμις, id eſt, poteſtas. Alia quidem eſt menſura ſimplicis pedis, alia pedis ſolidi: major eſt poteſtas pedis quadrati, & major iterum pedis ſolidi; quod cùm fortaſſe interpres non intelligeret, corrupit ſenſum Origenis; nam quoquo modo ſumatur cubiti unius δύναμις, *poteſtas*: nec in quadrato nec in cubo ejus concipi poſſunt ſex pedes. Ergo aut ipſe Origenes ſatis clarè non expreſſit quid dicere volebat, aut à ſuo interprete non intellectus eſt. Sic autem B. Auguſtinus, in quæſtionibus ſuis ſuper Geneſim, mentem Origenis interpretatus eſt, ut cubitum geometricum ſtatuerit tantùm valere, quantùm ſex cubita vulgaria. Similiter in libris de civitate Dei (lib. 15. cap. 27.) *Si autem cogitemus quod Origenes non ineleganter adſtruxit, Moyſen ſcilicet hominem Dei eruditum, ſicut ſcriptum eſt, omni ſapientiâ Ægyptiorum, qui geometriam dilexerunt, geometrica cubita ſignificare potuiſſe, ubi unum, quantùm ſex noſtra valere aſſeverant, quis non videat quantùm rerum capere potuit illa magnitudo?*

Non opus eſt ambitioſè ſic augere menſuram cubiti hebraici; quam licet verâ ſuâ quantitate æſtimemus, reperiemus Arcam capacem fuiſſe omnium, quæ in illâ numerantur. De Ægyptio cubito Moyſes certè loquitur; neque enim Iſraëlitæ, qui pauci numero in Ægyptum deſcenderant, & ibi diu inſtar ſervorum habiti fuerant, alias menſuras potuerant habere, quàm dominorum; quas ergo Moyſes, ut notas Iſraëlitis, & uſitatas non ſatagit definire. Cubitus eſt menſura naturalis, nempe intercapedo illa quæ eſt inter extremos digitos & cubitum. Qui primi definierunt menſuram hujus intercapedinis, conſideraverunt, ut liquet, hominem ordinariæ ſtaturæ, quæ nec grandior, nec brevior eſſet. Non quidem rarum erat maximè in orientalibus plagis reperire homines altos octoginta pollicibus, ſive ſex pedibus Pariſinis, cum duabus partibus hujus pedis. Juxtà illam communiorem ſtaturam fecimus cubitum hebræum viginti pollicum Pariſinorum; ita trecenti cubiti Hebræi, quæ longitudo fuit Arcæ, ſunt quingenti pedes Pariſini: quinquaginta cubiti Hebræi, latitudo ejus, pedes octoginta tres. Denique triginta cubiti ejus altitudo, pedes quinquaginta; quæ dimenſiones, licet non ſequamur calculos Origenis, ſtupendam molem Arcæ faciunt.

Non curvis ſed rectis lineis longè latèque porrectam Arcam ſtatuimus, idcirco capaciorem. Qui hanc dicunt inſtar cæterarum navium fuiſſe in fundo ſuo recurvam, pugnant hoc argumento, quòd rectangularis figura inepta ſit ad ſtructuras navium, quia corpus convexum ſive quod ſuperficies gibba terminat faciliùs moveri poteſt in humore, cui innatat, quàm angulare; & cujus anguli recti ſunt, fluctibus marinis expoſiti faciliùs contunduntur & deſtruuntur idcirco. Ideo, inquiunt, Vitruvius (lib. 1. cap. 5.) præfert turres rotundas quadratis; *quadratas enim machinæ celeriùs diſſipant, quòd angulos arietes tundendo frangunt: in rotundationibus autem (ut cuneos) ad centrum adigendo lædere non poſſunt.* Denique qui opinantur Arcam noſtris navigiis ſimilem, adjiciunt quod ſi planum fundum habuiſſet, nullo hominum conatu in aquas potuiſſet deduci.

Talia debere eſſe noſtra navigia, & his recurvam formam convenire concedimus; ſed aliam expetebat uſus, in quem parata Arca: Non opus erat ut remis, velis, puppi, roſtro, nec malo inſtrueretur; ſufficiebat ut oneri ferendo apta eſſet. Ubi

cursus faciendus, experiri est quò proræ ductus fuerit argutior, eò cursui promptiores & expeditiores naves esse; & quò gracilior est puppis, eò aptiorem sulcando mari; quò verò latior, eo pigriorem. Verùm non paraverat Arcam Noë quam scanderet, quasi in alias terras abiturus; sed ut in illam sese reciperet cum reliquiis humani generis. Non itaque necesse erat ut cursui apta esset; nec huic periculum imminebat ab impetu ventorum; quorum vis arcuatis lateribus declinanda esset. Quo majus est pondus navis oneratæ, eo minùs à procellis & tempestatibus exagitatur. Cùm ergo tot tantaque essent onera imposita Arcæ, non poterat ventis abripi. Oportuit illam fundum planum habere; subsidere enim debebat, diffluente diluvio; si autem carina ejus non fuisset plana, solo non institisset, sed protinus cum noxâ tum animalium, tum hominum eversa fuisset. Pariter sine ullo negotio natavit, & sine machinis deducta est; nam illi, ut videbimus, subjecti pedes erant; quibus erectum fundum ejus unda cùm venit, subiit illam, & levavit.

Naves ob gibbosam formam volvuntur in fluctibus, & contrariis ventis huc illuc rapiuntur, quod non contingebat Arcæ ob latitudinem suam quinquaginta cubitorum. Trabes hujus longitudinis nempe 83 pedum Parisinorum reperiri possunt. Trabeatio validior est cum trabes integræ sunt; ideo abnormem latitudinem Noë vitavit, quæ eum compulisset uti lignis concisis, sive trabibus non integris. Plinius quidem dicit visam Romæ trabem è larice longam pedes centum viginti Romanos, bipedali crassitudine æqualem, quam Tiberius Cæsar ponte Naumachiario exposuerat. Alia in Cypro traditur ad undeciremem Demetrii succisa centum triginta pedum longitudinis, crassitudinis vero ad trium hominum complexum. Tales trabes pro miraculo habentur; nec occurrunt eâ copiâ quæ necessaria erat Arcæ compingendæ; sed trabes octoginta trium pedum, & paulo majores potuisse reperiri constat. Non opus est fidem è longinquo petere, inquit Buteo, qui scripsit de mensuris Arcæ, cùm ipsi plerumque videamus in Delphinaticis nostratium montibus abietes octoginta pedibus altiores.

Altitudo Arcæ triginta cubitorum sive quinquaginta pedum congrua fuit. Tertia pars ejus in aquis immergebatur; quæ emergebat non poterat ab ingruentibus ventis everti, quod interdum contingit navibus, quarum duæ altitudinis partes extant aquis, scilicet quia carina earum constat unicâ trabe; Arca vero latissimo recubabat fundo; ut vix etiam suo loco moveri posset, in quamcumque ejus partem venti validiores irruerent. Naves rostratæ aquas sulcant, quia pars anterior adinstar rostri producta & acuta est: puppis ob devexa latera aquis cedit. Itaque Arca quæ sine puppi & prorâ vix moveri poterat, erat typus Ecclesiæ quæ immota est. Revertamur ad sacrum codicem.

16. *Fenestram in Arca facies, & in cubito consummabis summitatem ejus: ostium autem Arcæ pones ex latere: deorsum cœnacula, & tristega facies in eâ.*

Postrema verba hujus versus de cœnaculis hîc tantùm exponam; priora postulant distinctum articulum, qui subsequetur. Pro illis verbis vulgatæ versionis: *Deorsum cœnacula & tristega facies in ea.* Fons Hebræus habet *inferiora secunda & tertia facies in ea*, vel, *infimo secundo & tertio tabulato facies eam.* LXX ibi habent κατάγαια διώροφα καὶ τριώροφα ποιήσεις αὐτήν. Per vocem *cœnacula* intelligit Latinus interpres tabulata; per *tristega* ternas contignationes. Philo & Josephus videntur quaternas numerare: Codex sacer tres solùm agnoscit. Si altitudo Arcæ dividatur in tres æquas partes, quodque tabulatum altum fuit sexdecim pedibus cum octo pollicibus. Fieri ergo potuit ut in uno & eodem tabulato fuerint diversæ mansiunculæ, aliæ iterum inferiores, & superiores. *Mansiunculas in Arca facies.* Ad verbum fons reddi potest: *Nidos facies Arcam.* Quod LXX. interpretes expresserunt νοσσιὰς ποιήσεις τὴν κιβωτόν. Propriè *nidi* avium sunt; sed metaphoricè nomen illud usurpatur de aliis rebus. In tabernis *nidi* dicuntur interstitia tabulis secreta, in quibus merces seorsim collocantur. Quot autem tales nidos, quot mansiunculas licet cogitare in ædificio tantæ longitudinis, latitudinis tantæ & dictæ altitudinis? Haud iniri potest numerus cellarum, conclavium, thalamorum, cœnaculorum, cubiculorum, penetralium, receptaculorum, armariorum, officinarum, promptuariorum, horreorum, quæ cogitari possunt in Arcâ; adhuc difficilius est exprimere sapientiam quâ illa omnia disponebantur. In vasto spatio non deerat locus andronibus, Gynæceis, stabulis, præsepibus, fænilibus, caulis, aviariis, culinis. Ubique elucebat sapientia Noë, sive potiùs sapientia Dei, quæ ei illuxerat, ut omnia commode disponeret; [illegible] pariter homines, cum belluis fruerentur multâ quiete, & integrâ valetudine, suis in assignatis locis, ubi occurrebat cibus opportunus sibi & iis à quibus curabantur.

Nisi maximâ œconomiâ fuissent res administratæ, magna contigisset perturbatio; quæ enim, verbi causâ, pax esse poterat inter bestias, quarum non eadem indoles? non eodem omnes vescuntur pabulo: quin etiam naturâ suâ sibi invicem nocent; non ergo iisdem mansiunculis conjungendæ. *Nosse itaque Noachum oportebat*, utor verbis Kircheri (lib. de Arcâ sect. 3. cap. 1.) *quot nidi, sive stabula, aut mansiunculæ in prima Arcæ contignatione constituendæ forent: & quoniam in natura rerum, summa, sive vires, & proprietates, sive corporeæ molis quantitatem spectes, diversitas est, scire debebat, juxta molem uniuscujusque tum animalis, tum stabuli, pro binis & binis ex immundis, pro septenis & septenis ex mundis, locum ultrà molem animalium sat capacem constituere. Quoniam verò inter dicta animalia, magna intercedit vel simpathia vel antipathia, lis & concordia, ignorare non debebat, quænam consocianda, quænam dissocianda, ne unum alteri detrimentum cum destructione afferret. Verisimile itaque est, illum animalia, quæ socialem vitam amant, à ferocioribus separata, in remotioribus Arcæ regionibus constituisse.* Res quidem non fiebat sine miraculo; sed ibi tantùm miracula agnoscenda, cùm humana sapientia deficit. Noë quingentos annos natus, cùm de opere cogitare cœpit, per centum alios annos huc verterat cogitationes suas, ita singula & omnia ordinare potuit & prævidere incommoda; quam sapientiam faciliùs est cogitare, quàm verbis declarare. Laudandus quidem est eorum conatus, qui quasi ipsi interfuerint præsentes, dum omnia Patriarcha disponeret, quodque Arcæ tabulatum partiuntur in cellas numero certo, & illas in tot & tot præsepia, fœnilia, ut locus esset cuique animali, & apothecæ in quâ ei annona recondenda.

SECTIO V.

Qui faciunt Arcam his arcis similem, in quibus recunduntur opes, dicere debent unde illi lux cesseret. Nos evincimus perviam fuisse circum quaque lumini solis, aëri, vento.

RESumamus illa verba Dei ad Noë de fenestrâ. Illa eget lumine cum tota Arca sit similis arcis in quibus reponuntur opes, vestes & quidpiam aliud. Ut lux & aër sine quibus non vivitur, necesse erat ut penetrarent in Arcam in quâ concludebantur homines, & innumera animalia. Ergo hactenus suppositum est fuisse in illa fenestram, quæ lucem & aërem admitteret. Verba scripturæ circa quæ versamur videntur id innuere; an ita sit expendemus. Subjiciendus locus scripturæ integer.

16. *Fenestram in Arcâ facies, & in cubito consummabis summitatem ejus, ostium autem Arcæ pones ex latere.*

Per hanc fenestram licet dicere offusas tenebras sermoni, quem habet scriptura de Arcâ. In fonte est: *facies* צהר *tsohar Arcæ;* quæ vox semel occurrit in sacro codice; ideo obscura est. Hanc LXX. interpretes videntur non expressisse, sive omisisse, ut incertæ significationis. Symmachus interpretatur διαφανὲς, & Aquila μεσημβρινόν. Sic loci sensus juxtà Symmachum: *perlucidum facies:* juxtà Aquilam: *Meridianum facies Arcæ.* Vulgatus vocem hebræam *tsohar* interpretatus est *fenestram;* & de mensuris ejus accipit quæ sequuntur: *& in cubito consummabis eam;* ut ultra cubitalem dimensionem non tribuatur. Huic fenestræ Peletarius Rothomagensis qui de Arcâ diligenter disseruit, sentit illam altitudine quidem suâ fuisse cubitalem, sed perpetuam circa omnia Arcæ latera; & idcirco majorem diem huic infudisse. Quo in loco posita fuerit, quâ ex materiâ Kircherus satagit explicare. *Dicimus itaque*, ait ille, *fenestram non in tecto, non in anticâ aut posticâ parte positam fuisse, sed in maximè eminenti & condigno loco, id est, in tertiæ contignationis medio positam fuisse. Uti enim eodem in loco homines habitare maximè conveniebat, ita quoque iis quàm maximè necessariam fuisse nemo inficiabitur, qui ingentis momenti negotia, quæ Noë cum filiis suis de humani generis salute, de animalium conservatione, nutrimentorum unicuique convenientium distributione, agitabat, penitus expenderit; fenestram autem eâ arte constitutam fuisse, ut à Noëmo facilè aperiri posset (quemadmodum cessante diluvio eam aperuisse & corvum emisisse legimus) non ex tabulis ligneis, ut multi perperam sentiunt; hoc enim pacto lumen non admisisset, neque ex vitro facilè ad tempestatum insurgentium procellis resistendum nimis fragili, sed vel ex lapide quem phengitem vocant, aut cristallo, vel etiam selenite, similibusque lapidibus diaphanis, perlustribusque corporibus elaboratam fuisse.* Quidam Rabbinus putat pro fenestrâ carbunculum sive pyropum fuisse positum qui luce à naturâ sibi insitâ totam illuminaret Arcam noctu diuque; quæ merito accenseantur fabulis Rabbinorum.

Nullo argumento evinci potest fuisse ullam fenestram. Id non dicunt LXX. interpretes qui *tsohar* non satagunt explicare. Et sic reddunt fontem: Ἐπισυνάγων ποιήσεις τὴν κιβωτόν. *Colligens facies Arcam.* Hæc dixêre pro eo quod est in Hebræo *meridianum facies Arcæ:* mentio quidem fit fenestræ in capite sequenti, quam aperuit Noë, ut dimitteret corvum, & columbam; sed ibi non legitur vox *tsohar*, sed חלון *chalon* quæ reipsâ sonat ostiolum perforatum, quo claudi vel emitti poterant aves; nam intra Arcam concludebantur clathris ne liberè aut avolarent aut importunè pervolarent. Græci interpretes nomen *chalon* reddunt θυρίδα, id est, *ostiolum.* De isto *chalon*, quidquid sit, infra iterum differemus. Constat vocem צהר non aliud quidpiam indicare, quàm quod perlucidum sit. צהר *tsohar* venit à צהר *tsahara* Chaldæis usitatum pro *lucere* & cognatum verbo זהר *splenduit.* Meridies appellatur Hebraicè צהרים *tsohoraim;* ut nullus sit dubitandi locus, quin Deus mandaverit Patriarchæ curam ab eo adhibendam esse ut in Arcâ dies meridianus luceret tanquam in meridie. Targum onkelos & textus Samaritanus pro צהר habent נהור *nehor;* quod nomen Chaldæis idem sonat ac Latinis *lumen, luminare, splendor.* In versionibus quidem Latinis hujus *Targum* sive paraphrasis, & Samaritani textûs mentio fit *fenestræ;* sed hoc factum veteri præjudicio. Id unum præcepit Deus Noacho ut lux liberè intraret in Arcam, ne caligarent intra illam homines, qui haud potuissent defungi suis muneribus, saltem commode.

Quoad verba illa: *& in cubito consummabis summitatem ejus*, mira est horum interpretatio apud Origenem. *Arcam*, inquit, *ego puto, quantùm ex his quæ describuntur apparet, quatuor angulis ex imo consurgentibus, eisdemque paulatim usque ad summum in angustum arctatis, in spatium unius cubiti fuisse collectam; ita ut cubitus sit longitudo & latitudo cacuminis.* In eam opinionem, quæ explosa est ab omnibus viris doctis, deductus est Origenes à Græcis interpretibus, qui quidem videntur huic opinioni favere. Ἐπισυνάγων ποιήσεις τὴν κιβωτόν· καὶ εἰς πῆχυν συντελέσεις αὐτὴν ἄνωθεν. *Colligens facies Arcam: & in cubito consummabis eam.* Horum, inquam, verborum obscuritate deceptus est Origenes. Hos verò veritati Hebræi codicis adhærentes, illud, *consummabis eam* non interpretamur de fenestrâ: sive non tribuimus nomini *tsohar*, sed nomini תבה, hoc est Arcæ cum peritis Grammaticis. *Quod verò hic dicitur*, inquit Mercerus, *de Arcæ fastigio, sive cacumine est dictum, non de fenestrâ*, sive de tsohar, *cùm fenestræ nomen* צהר *sit Hebraicè masculinum, non fœmininum.* Debet ergo ad תבה *thebah* fœmininum, affixum fœmininum תכלנה *thechelenah* consummabis, *referri. Cave ergo*, pergit loqui Mercerus, *ut illud in cubito consummabis, seu absolves eam supernè, de fenestrâ intelligas; ubi etiam Hebræi falsi sunt, & inter alios Aben Ezra, qui fenestram cubiti longitudine in tecto Arcæ fuisse credidit. Rectè Rasi ad operculum seu operimentum Arcæ refert quòd in acumen ascenderit, donec staret in cubito, ut hinc & indè aqua defluerent.* Idem sentit Buteo, accipiens istum cubitum pro altitudine medianâ culminis per totam longitudinem trecentorum cubitorum. Reipsâ tectum Arcæ decuit esse fastigiatum, non planum, sed hinc indè sensim & lentè assurgens ab extremitatibus medium versùs, ut aqua imbrium citò efflueret de tecto; ea autem fastigii altitudo cubitalis ad hoc sufficiebat. Vitruvius (lib. 8. cap. 7) exigit tantùm ut solum, per quod decurrit rivus habeat libramenta fastigiata ne minùs in centenos pedes semipede; ut scilicet libramenta fastigiata sint ducentesimâ tantùm parte longitudinis. In hac autem positione tecti Arcæ, fastigium ejus cubitale rationem Vitruvii multò superat. Præter quam quòd cælestis aqua deciduis undique guttis seipsa propellens faciliùs multo labitur, quàm quæ rivo vel canali procedit.

Ego vero, etiam si sentiam tectum Arcæ non fuisse planum de illo non accipio verba illa *in cubito consummabis eam*, sed de totâ Arcæ fabricâ;

quod & facit Tornielius, cuius sunt illa: *Verum* A *enim verò mihi videtur nihil obstare quin illa verba sic accipi possint, debeantve, ut non ad Arcæ, aut tecti ejus formam designandam pertineant, sed magis ad commendandam ipsi Noë exactam præscriptarum mensurarum observantiam. Non enim dixit Dominus: & in cubito consummabis summitatem ejus; sed indefinitè,* in cubito. *Quò loquendi modo non videtur significare voluisse quòd Arcæ summitas in unius cubiti latitudine aut altitudine compleri deberet; sed ac si dicere voluisset: ut Arcam ipsam, & omnes ejus partes, ad amussim, juxta præstitutas tibi mensuras, fabricare ac perficere valeas,* semper cubitum, *hoc est cubiti mensuram, ad manus habere debebis, quâ veluti præcipuo instrumento, totiusque operis directorio, totam hanc fabricam absolvere curabis; ita ut nec amplior, nec angustior, neque alterius formæ efficiatur, quàm à me præfinitum fuit. Mediante hac cubiti mensurâ perduces eam usque ad summitatem, ac debitam perfectionem.* Illud quod in fonte legimus, אלאמה *ad cubitum* vel *in cubito*, accipiendum pro instrumento, quo mediante Noë debebat suum opus absolvere, ab imo fundamento usque ad summitatem Arcæ, eam mensuram præ manibus habens.

In eodem loco scripturæ ubi sumus præcipit Deus: *Ostium autem Arcæ pones ex latere: deorsum, cœnacula & tristega facies in ea.* Fons à Junio & Tremellio sic redditur: *Ostiumque Arcæ in* C *latere ipsius ponito: infimarum, secundanarum, & tertianarum* mansionum *facito eam.* Illud *deorsum* indicat fieri sermonem de inferioribus navis תחתים *thachthim κατώγαια inferiora*, sed præterea indicantur alia tabulata. Secundana & tertiana. Nempe tria erant; in inferiori ostium. Nomen פתח non est ambiguum; significat enim *januam, ostium*, quod decuit esse in infima contignatione. Toto eo tempore, quo perficiebatur Arca, maximè cùm in illam cibaria comportabantur, necesse erat ut de plano in eam ingrederentur opifices, bajuli. Ita locus ostii esse debuit in alvo navis; idcirco, postquam Noe in Arcam ingressus est cum conjuge, & prole, & animalibus ipse Deus hocce ostium occlusit, per quod aquæ ubi diluvium advenit irruissent. Ipse D Deus hocce ostium occlusit, ut postea dicemus. Quo in latere ostium locatum sit, non definit scriptura; sed tantùm innuit *unum ostium*. In fonte enim non legitur simpliciter בצד *batsad* in latere, sed בצדה *batsedah* in latere ejus, id est, in uno ex lateribus. LXX interpretes ponunt τὴν δὲ θύραν τῆς κιβωτοῦ ποιήσεις ἐκ πλαγίων, plurali numero utentes, ut indicent in altero ex lateribus, sive in uno ex lateribus ostium positum. Vir doctus hocce ostium statuit in extremitatibus Arcæ, vel in prorâ vel in puppi, ut per illud emitterentur stercora. Verùm semper in fonte Hebræo nomen צד accipitur pro latere. Iste quidem adducit ex primo Regum (cap. 6. v. 87.) quod dicitur de Arcâ fœderis, quam in plaustra re- E duxère Philisthiim, posuisse ad latus ejus capsellam; sed non probat latus ibi accipi debere pro extremitate. Si ei dederimus, quod postulat ut Arcæ fœderis longitudo responderet plaustri longitudini reponemus latum fuisse plaustrum, ita ut ad latus Arcæ locaretur capsella.

SECTIO VI.

In Arcâ, quæ diem unicâ fenestrâ admisisset, nec homines, nec animalia vivere potuissent. Proponitur forma Arcæ verisimilior.

HActenus Arca assimilata fuerat capsæ sive cistæ, ut diximus, in quâ quidpiam reconditur, & occultum servatur; eo solo discrimine, quod haberet fenestram; quam & nonnulli occlusam dixerunt, quopiam lapide speculari, vel cristallo; hanc Peletarius locat in summitate navigii, & circa latera omnia ejus circumducit, ita ut dies multus B per illam navigio illucesceret; cùm cubitalis esset altitudo ejus. Procul omni dubio sine die multo Noë & filii ejus haud potuissent ministrare pabulum cunctis animantibus, obire stabula, è cellis penuariis educere quæ cuique animali convenirent, & distinguere, non offendere tignis, sæpiùs sibi impedimenta & offendiculo. Lector expende an hoc unica fenestra cubitalis licet totam Arcæ summitatem percurreret, sufficiens lumen infudisset. Cogita aliquam maximam basilicam, quæ sit earumdem dimensionum cum Arcâ; accipientem tamen arcto & unico foramine lumen? Do hoc foramen circa summitatem totius basilicæ esse perpetuum; sed uno non altius cubito. Dicat aliquis funalia posse vincere tenebras. Horum funalium magnam esse copiam opportebat, ut nox fugaretur, & velut in die possent filii Noë discurrere ad munia.

Adjunge Lector quod tot funalium fumus interclusisset animalium spiritum; & lumen exceptum unica fenestra in superioribus locis posita non satis recreasset animalia; & quod in hac re præcipuum est aër statim corruptus fuisset halitu tot diversorum animalium, fœtido & tetro stercoris odore, si venti non perflavissent? Esto pleraque animalia ultro versentur in tenebris; in specubus & antris latitent; & domestica etiam animalia, pecora, jumenta in stabulis minimè luminosis pascantur salubriùs; sed neutiquam potuissent vivere in loco tam fœtido & corrupto.

Beatus Joannes Chrysostomus enarrat (Homil. 25. in Gen.) incommoda quæ sequuntur ex formâ Arcæ, quæ undique occlusa fuisset, qualem illam concipiebat. Considerat Patriarcham Noë tanquam in carcere inclusum; qui neque cælum videre, neque aliquo oculos circumferre poterat, ut recrearentur. *Anno toto novum & rarum illum carcerem inhabitabat, neque aërem respirare valens. Quomodo (undequaque enim Arca clausa erat) substitit? quomodo duravit? dic mihi; nec animalium conditio ferri poterat. Nam si ferrea & adamantina illis fuissent corpora, quomodo potuissent subsistere, qui neque aëre fruebantur, neque vento, qui non minùs quàm aër ad refocillanda corpora nostra factus est: neque oculos pascere poterant cæli spectaculo? Quomodo non excæcati oculi eorum qui tandiu ibi egerunt? Quomodo justus cum filiis animalium tulit fœtorem? Quomodo, inquam, ipsa animalia potuerunt durare, & non perire in tam longo tempore, quæ neque äërem attrahere valebant?* Illa omnia incommoda exaggerat Chrysostomus. Quomodo vero ex illis pedem extricat? Non aliundè adversùs illa sese Noë tutabatur, inquit ille, quàm superna gratia, cui omnia sunt possibilia. οὐδαμόθεν ἑτέρωθεν ἢ ἀπὸ τῆς ἄνωθεν ῥοπῆς τῆς πάντα δυναμένης. In his verbis, quæ contraxi, videre est quid sentiat B. Chrysostomus de formâ Arcæ: Scilicet concludit non sine miraculo in ea durasse Noë cum familia sua & brutis animantibus.

Extraordinaria Dei potestas, non est accersenda nisi cum eo vindice dignus nodus est. Idcirco arguetur opinio arguenda quæ Arcam similem carceri facit. Primùm, ut vidimus, Arca in fonte תבה *theba* dicitur, quæ vox navigium notat; quod Noë fecerat ex jussu Dei pellucidum; in quo nempe velut in meridie luceret lux. Facies, dixerat Deus, *Tsohar*, id est, ut exposuimus, facies Arcam pellucidam; à quâ expositione neminem, ut puto, revocabit quod dicit Edmundus Kickintonus in libro suo de naturali veritate Hexaëmeri Mosaïci. (pag. 1325.) *Quid autem per splendorem* יצהר *Chaldæus, vel per* τὸ διαφανὲς *Symmacus sibi vellent, equidem nescio; sed Hebræi quidam doctores (ut observat in Hebraïs versatissimus, & si quis alter peritissimus Aynsvvorthius) per nomen tsohar intelligunt lumen pretiosorum quorundam lapidum, qui suspensi lumen suum in singulas Arcæ contignationes, tanquam pyropi effundebant. Sed quia lux illa, quâ radiant stellantes gemmæ, non sufficeret Arcæ necessitatibus; & quoniam fuerit istius modi, quam Deus operâ Noë conficiendam præcipiebat; demum quia vox inusitata tsohar, quam Moses hic adhibet ad rem extraordinariam describendam, præ se fert aliquid valdè luminosum oleosæ naturæ; nam* צהר *quod lumen, &* יצהר *quod oleum notat, ab eâdem radice venit, nempe à verbo* צהר *tsahar, id est, limpidus fuit instar olei; doctiores interpretes igitur hic vehementer exoratos velim, ut mihi condonent modestè concipienti lumen illud fuisse eximium quemdam splendorem, cujusdam liquoris ignei, sulphureique, per artificium ipsius Noæ confecti; quem Noa vasculis è lapide speculari, vel è cristallo vel fortè vitro paratis inclusit, & in singulis Arcæ tabulatis suspendi jussit; ita ut animantium cellas, aut mansiones omnes illuminare valeret. Hanc altioris philosophiæ sive chimiæ magistri (qualem extitisse Noë vix dubito) fuisse ipsissimam cunctas Arcæ mansiones illuminandi rationem facilè credent: illi numque benè sciunt, ut è communi materiâ sulphureâ conficere naturam oleosam ac fluidam, tam purâ atque subtili, eamque eleganti, radiantique tincturâ præditam, ut si in transparente quodam vase, vel globoso vitro contineatur, atque in longâ pergulâ suspendatur, ita fulgebit, atque renitentes suos radios tam strenuè vibrabit, ut totam pergulam protinus illuminaret. Hujusmodi certè lumen, nec ulla, quæcunque fuerit, Arcæ jactatio, turbaret; nullum tempus absumeret, nec ejus fumi, vel halitus (ut dictum est) ipsum animantibus reclusis noxium redderet, immo potiùs omnium sanitati (nam salutare erit illud subtile effluvium, quod vasa penetrat) maximè conduceret; adeò ut vix aliud excogitari possit lumen, quod Arcæ vel utile, vel conveniens fuerit. Nec ad animantium, quæ fuerant in Arcâ, sanitatem solummodò conducebant istæ subtiles aspirationes, quas hi luminosi liquores super omnes Arcæ contignationes spargebant; sed & recreationi spirituum, corporumque sustentationi quoque non parùm serviebant.* Hæc doctor Anglus; qui ex halitu fulgentis liquoris censet *cuncta animantia liberum semper etiam in exactè clausâ nave spiritum duxisse.* Quin addit hujus liquoris halitum non nihil nutrimenti cunctis animantibus aspirasse, & obstitisse fœtori stercoris eorum.

Isto Kickinsoni commento, non egemus qui Arcam ligneis parietibus non claudimus. Cùm Moses non multo sermone Arcam describat, pleraque æstimanda relinquit; ita ut liceat excogitare formam aliquam, quæ iis omnibus quæ habentur in sacro codice de Arcâ, non adversetur; faveat verò tum hominibus, tum animalibus intra illam conclusis. Talem formam, nemo mihi vertat vitio, si adinvenire contenderim. De eâ judica Lector. Sic igitur censeo. Recta erant omnia latera Arcæ recti parietes ejus secundùm longitudinem, latitudinem, & altitudinem. Pars aquis immergebatur; pars verò omnis illa, quæ emergebat permeabat ac in omnibus navigiis, fruebatur aëre libero; neque ligneis parietibus concludebatur: sed alicubi quibusdam cancellis, ne aves avolarent, & pleraque animalia aquis se committerent, aut ne initio diluvii complura in Arcam irruissent. Pars illa ejus, quæ emergebat, in duas contignationes distinguebatur; quarum singulæ diversas cellas complectebantur, tignis, trabibus, clathris, alicubi asseribus distinctas. Inferior contignatio circumdabatur ligneis parietibus qui bitumine erant illiti, ne aqua per ullam rimam influeret; cæteræ verò contignationes apertæ erant, perviæ lumini, & ventis, quale est omnium navium tabulatum superius. Ergo vivere ibi licebat animantibus, & ducere aërem, qui non tetro odore inficeretur; liberè enim perflabant venti.

Verùm statim occurrit animo quomodo defenderetur Arca ab imbribus, nive, pruinâ? Noë, consutis caprarum & similium animalium pellibus opperiebat Arcam, quasdam harum vel reducens vel adducens, complicans aut explicans, prout imbres ingruebant, afflabant venti, recreanda erant animalia luce, & purgandus aër flatu ventorum. Hac suppositâ formâ Arcæ evanescunt omnes difficultates, quæ oriebantur ex clausurâ ejus. Sed, inquies Lector, quis locus tali formæ excogitandæ? Respondere possem, quis pro navigio carcerem excogitandi locus fuit? Instabis: scriptura non memorat has pelles, quibus Arcam operis? Fateor, sed illas non negat; nec opus erat ut mentionem faceret; si quidem tunc consuetum erat ut habitacula pastorum constarent pellibus, sicut postea militum tentoria. Unde illa locutio, *sub pellibus hiems acta*, pro sub tentoriis, ex pilis caprarum fiebant tentoria. Virgilius observat hircos tonderi.


Usum in castrorum & miseris velamina nautis.

Sine infinito pellium numero, iterum quis dicat, Arca obtegi non poterat, quas difficile erat colligere cum hisce temporibus usus carnis non esset frequentissimus? Esto fuerint necessariæ pelles viginti mille, etiam centum mille. An ille numerus expleri non potuisset à Noa spatio centum annorum? Homines quidem carnibus non vescebantur, sed fiebant ex animalibus sacrificia, & eâ plurima à Noë, viro justo & religioso; qui & jus habens in animalia, poterat illa mactare, ut his detraheret pelles. Annuo spatio non durassent dices? Quasi verò etiam tabernacula carbasina toto anni decursu non resistant ventis & imbribus. De Arcâ dicitur quod habuerit tectum. Non diffiteor; sed ut suo loco videbimus, dum exponemus quomodo tectum Arcæ removerit Noachus siccatis aquis, illud tectum appellatur in fonte מכסה *michse*, id est, *operimentum, velamentum* τὸ κάλυμμα; quomodo vertitur ab Aquilâ. Certè nomen illud Hebræum non aliam habet significationem; ut satis mirari non possim, quomodo hactenus interpretes non adverterint ipsam Arcam non ligneis parietibus, sed tantùm velamento fuisse obtectam, quale fuit tectum tabernaculi, quod Moyses construxit; & quod idcirco, ut dicemus, cùm pervenerimus ad caput octavum Geneseos, sine negotio removit, ubi fuit aperienda Arca? Non arduum pelles movere, extendere aut contrahere.

SECTIO VII.

Arca formam habuit convenientem numero animalium quæ in eâ fuêre, ministerio quo erant pascenda, adaquanda, curanda.

NOtio Arcæ, quam hactenus sibi effinxerant interpretes, adeo inepta erat consiliis Dei perficiendis, ut perfecta fuisse plerique dubitaverint. Certè hujus formæ quâ vulgò concipitur, usum non præbuisset in quem parata. *Origenes Arcæ figuram talem fuisse imaginatur, qualem parallelopipedum in pyramidem sectum refert, uti in sequenti figurâ patet.* Inquit Kircherus sectione primâ capitis XI. de Arcâ; hisce verbis acriter Origenem arguens. *Quid absurdius, quia incongruentius, incommodiusque concipi possit, non video. Si enim talis figura Arca fuit, quis tristega in eâ rectè componet? Ubi stabula juxta requisitionem animalium rectè disponentur? Certè circa angulos* A. C. *Arcam ad stabula animalium accommodanda ob declivitatem tecti, angulorumque angustiam prorsus inidoneam fuisse, quis non videt? Ubi secunda contignatio* D. *intra Arcam plus æquo coarctata sufficientem locum obtinebit? Quomodo tertia contignatio* F. G. *penè in nihilum redacta, tantam volucrium multitudinem, hominumque habitationem capere potuit? Accedit quòd sub hac formâ constructa, ventorum flatibus, fluctuumque turbinibus facilè subverti poterat, utpote quæ mole non staret suâ neque suis librata ponderibus commodè fluctuaret. Arca itaque hoc pacto extrui non poterat ob eam quam diximus incongruam formam.*



Moses breviùs perstringendo descriptionem Arcæ, quàm ut formam integram verbis suis definiret, hanc nobis reliquit excogitandam, ita ut cuique liceat efformare talem, quæ homines & animalia potuerit commodè continere, sive in qua vixerint spatio unius anni. Non ut cæteræ naves, constructa fuerat ad sulcandas aquas; ideo, ut quàm minimùm obviis aquis impediantur; quod fit cùm minori aquarum moli occurrunt. In ordinariis navigiis Carina, nempe trabs ima, *la quille*, fabricæ fundamentum, cujus ope tota compages cohæret, etiamsi navigium grandius sit, vix excedit sexdecim pollices. Costæ navis sive latera, quæ ex carinâ quasi nascuntur, non recta sunt, sed curva; & tota alvus, quæ in puppi tumescit, prout tendit ad rostrum, fit acuminata, ut minùs occursu aquarum cursus navis tardetur. Cùm navis sit constructa nullo velut fundamento nixa sit, facilè à ventis everteretur; quod ne contingat, naupegi provident ut justo libramento erecta consistat. In hunc finem onerant; fundum ejus saburrâ multâ, cujus pondere deprimitur infra aquas, & cùm vi ventorum inclinata est, facilè resurgit. Hoc necessarium non erat in Arcâ: non opus illi saburra; neque enim ullus ventus, etiamsi inferiores contignationes vacuæ fuissent, potuisset Arcam subvertere, ob planum & tam latum fundum ejus, quo capacissima fiebat.

Si quidem plurima essent inter cellas interstitia vacua, nec in stabulis suis pressa animalia, & ipsa annona levior aquis, non omnino poterat aquis Arca tota immergi. Noë factis experimentis, & perpenso rerum omnium pondere, sic distribuerat omnes contignationes & oneraverat, ut pars tertia intra aquas deprimeretur, duæ superiores supernatarent. In parte infimâ locata sunt animalia quæ lucem refugiunt, occultantur in cuniculis, terram comedunt, qualia sunt multa reptilia, plures insectæ, vermiculi, talpæ. Hæc omnia detrusa sunt in Arcæ sentinam, ubi congesta terra, ut velut in propriis laribus habitarent, & solitis cibis vescerentur, sine ullo hominum ministerio. Forsan & lacus erant in isto Arcæ fundo, ex quibus aqua suppetebat ad potum. Duæ autem superiores contignationes, non obseptæ, libero aëre fruebantur; saltem quoties quædam pelles complicabantur. Tota enim illa pars superior Arcæ veluti tabernaculum erat, sed non unicâ texturâ pellium factum. In Tabernaculo quod erexit Moyses, pleræque pelles assulis inter se conjungebantur, & poterant disjungi. Similiter in Arcâ, sine multo labore quædam pelles adduci & reduci poterant, ut aër liberè Arcam perflaret, aut adversùs procellas & imbres extenderentur. Necesse erat ut animalia cubarent, & stabularent liberè, pascerentur, & potarentur. Noë, inquit Kyrcherus à Deo ipso edoctus, *norat, quantam, stabulum unicuique animali constitutum, altitudinem, latitudinem longitudinemque habere debebat, ne animalia arctim & incommodè starent; sed uti necessitas requirebat, sese nunc in hunc, modò in illam partem vertere possent; quod nisi fieret animalia ex isto nimis coacto & violento statu, deficere posse certò providebat.*

Species animalium quæ ingressæ sunt in Arcam numerantes, & quot ex una quaque specie, inveniemus has omnes pares censendas ducentis bobus. Bos mole sua non æquat tres equos. Ponamus omnia animalia quingentis equis æqualia esse. Plura sunt minora, quorum centena, ne dicam millia, non accedunt ad molem equi. Cujusque contignationis area in Arca erat 41500 pedum planorum; quam aream si partiaris inter quingentos equos, obtingent unicuique octoginta tres pedes, sive spatium quadratum, cujus singula latera erunt plus quàm novem pedum; intra quod spatium equus liber est. Iter medium à puppi ad proram, ut probabile videtur, dividebat illa stabula; per quod ministri meare & remeare poterant, animalia inspicere, curare, & pabulum subministrare. Contignatio quâ distinguebatur inferius tabulatum à secundo, paululùm extabat aquis, intra quas pars inferior navigii fundabatur, occlusa & bituminata undique, ut neque per latera, neque etiam per tabulatum aqua, cùm assurgerent fluctus, influere posset in alvum navigii; tabulatum enim, quo cons-

trata erat, benè obſeptum. Igitur irruentes aquæ protinus effluebant. Conjicio autem eam adhibitam à Noacho ſolertiam, ut iſta alvus Arcæ lateret ſub aquis ferè uſque ad pergulam & foros *juſqu'au tillac*. Videlicet ea pars omnis, quæ infra erat primum tabulatum, tota ferè demergebatur. Tabulatum autem illud non prorſus planum erat, ſed ita arcuatum, ut in eo animalia poſſent conſiſtere, urina verò & ſtercora eorum tam devexitate ſtabuli, quàm copiâ & pondere extra Arcam ſine multo labore foras propellerentur. Tabulatum autem eo faciliùs mundabatur, quod quoties procellæ ſurgerent, influebant aquæ in illud & purgabant; refluentes enim devehebant ſtercora; quæ in loco devexo non morabantur; nec in alvum penetrabant, quia oſtiola ejus aut occluſa, aut eminebant ſupra tabulatum. Omnia ſic temperaverat Architectus, onerans Arcam vel exonerans, ut toto tempore diluvii, certâ ſemper & eâdem menſurâ fundaretur. Potuit enim Noë, dum annona conſumebatur, & ideo Arca fieret levior, infundere aquam in parata dolia, ut idem eſſet Arcæ pondus.

Hæc ex conjecturâ; ſed ut præfatus ſum, cum ſcriptura reticeat modum, quo res fierent, licet quampiam rationem inire, quâ fuerint poſſibiles. Fluctus juxta ſuppoſitionem cùm ventis excitati influebant in Arcam, poterant animalium pedes lavare; ne vero aquæ refluentes quidpiam ſecum præter ſtercora aveherent, obſtabat lorica, pervia fluctibus. Locabantur minora animalia in altioribus ſtabulis, ex quibus in inferiora delabebantur ſordes purgandæ, & à fluctu aufferendæ. Itaque nec ſtercoris fœtor, nec illius ejiciendi labor negotium faceſſebant Noachidis, qui haud pares fuiſſent labori, ſi ſupponatur in Arcâ unicum oſtium, in unâ ex extremitatibus ejus, quo purgamenta educerentur; longa enim erat quingentorum pedum. Omnia animalia ejus eſto haberi poſſint pro quingentis equis; an tres filii Noë eam potuiſſent expurgare deferendo illa ad unicum illud oſtium? *Diligens paſtor*, præcipit Columella (libro 7. de re ruſticâ cap. 6.) *quotidie ſtabulum converrit, nec patitur ſtercus aut humorem conſiſtere, lutumve fieri, quæ cuncta ſunt capris inimica.* Hæc de capris Columella; ſed dici poſſunt de omnibus pecoribus: ſubtexam quæ adjungit (libro 7. cap. 3.) loquens de aviariis. *Tabulatis inſiſtere dormientem avem non expedit, ne ſuo lædatur ſtercore, quod cùm pedibus uncis adhæſit, podagram creat. Ea pernicies ut evitetur, perticæ dolantur in quadrum, ne teres levitas earum ſuperſilientem volucrem non recipiat: conquadratæ deinde foratis duobus adverſis parietibus inducuntur, ita ut tabulato pedalis altitudinis & inter ſe bipedalis latitudinis ſpatio diſtent. Hæc erit cohortalis officinæ diſpoſitio. Cæterùm cohors ipſa per quam vagantur, non tam ſtercore quàm uligine careat.* Hinc liquet quantam curam debuerint impendere Noachidæ ut Arca munda eſſet; aliter enim ipſi in ea vix potuiſſent verſari, ob horrendum fœtorem ſterquilinii, ut loquitur Palladius, admonens (primo libro de re ruſticâ cap. 33.) quo in loco ſterquilinium locandum eſſet: *propter fœtoris horrenda à prætorii convertatur aſpectu.* Per prætorium intelligit domicilium principale.

Omnes qui de Arcâ ſcripſerunt, difficultate miniſterii impediti ſunt; ſcilicet quomodo tot ſtabula quæ per totam Arcam, variis in locis, purgari poſſent, à tribus viris, aut ab octo, ſi Noë laborem ſubiret cum uxore propriâ & uxoribus trium filiorum. *Quoniam verò*, ait Kircherus, *ex ingenti excrementorum colluvie, quâ ſtrictiora ſtabula explebantur, animalia magnum ſanitatis damnum ex nimio fœtore, & fæculentâ ſtercorum congerie, incurrere poſſe videbat, hinc de foraminibus, aut craticulis ferreis in medio ſtabuli non nihil declivis, ad ſordes per eas in ſentinam derivandas, efficiendis Noë modum quærebat.* Illæ craticulæ ferreæ ſubtrahere poterant ſtercorum conſpectum, non fœtorem. Reſtabant enim illa in Arcâ. In ſentinam quidem demittebantur; ſed indè fœtor aſcendebat per craticularum foros. In ea vero diſpoſitione Arcæ quam ſupponimus, ſtabula aquis abluebantur, ſine Noachidarum opera.

Quæritur quomodo animalibus potus adminiſtraretur. Qui ſupponunt intra Arcam receptacula aquarum, ſive dolia plena aquis, non adverterunt illas in ligneis vaſis cito ſic corrumpi, ut ab his homines & animalia abhorreant, tum propter ſaporem malum, tum propter fœtorem. Nec ſine labore ſurſum ex inferiori tabulato aqua haurienda fuiſſet. Kircherus facit hunc laborem levem, quia Noachus non ignorabat vim & uſum Antliæ. *De canalibus*, inquit, *quoque, & ſiphonibus antliâ inſtructis, quarum ope ex hydrophilaciis in conſtitutos crateres derivarentur, conſtituendis ſeriò cogitabat Noë.* Ego de potu animalium ita ſentio. Primùm in ea regione, extra quam Arca non delata eſt evincam aquas non amaras fuiſſe; quapropter potui miniſtrando ſufficiebat ut in canales ſecundum longitudinem laterum Arcæ diſpoſitos infunderetur aqua beneficio ſitulæ ex trochlea ſuſpenſæ. Aqua, inquam, hauriebatur ex ipſis aquis diluvialibus; quod miniſterium una aut altera muliercula explere poterat, quia canales in vicinia aquarum erant. Is mos antiquus erat adaquare greges in canalibus, ut videre eſt in Geneſi (cap. 24. v. 20.) *Effundenſque hydriam in canalibus, recurrit ad puteum ut hauriret aquam, & hauſtam omnibus camelis dedit.* Et in Exodo Filiæ ſacerdotis Madian (cap. 2. v. 16.) *Venerunt ad hauriendam aquam, & impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris ſui.* Sic non egemus receptaculis aquarum intra Arcam concluſis aut doliis; & horum pondere eam exoneramus.

Pabulum quoque ſine negotio miniſtrabant animantibus Noachidæ; quod priùs quàm explicem, in pabuli genus inquiram. *Anxiè multi quærunt quo pabulo Noachus in Arcâ beſtias carnivoras ſuſtentaverit*, inquit Bochartus in Hierozoico (lib. 1. cap. 2.) *Si carnem illis ingeſſiſſe Noachum reſponderis, quoties fuit neceſſe, quæretur rurſus, unde potuit illi tantùm carnis ſuppetere, cùm animalium certus numerus in Arcam ſit intromiſſus, & pleraque bina tantùm, quæ occidere fuit nefas, ne ſpecies aboleretur. Ne dicam parùm videri veriſimile Noachum tandiu, tam aſſiduo & fœdo miniſterio fuiſſe mancipatum. Proinde malim dicere, quo miraculo factum, ut leones, pantheræ, tigrides feritate depoſitâ manſueſcerent, atque homini ſe ſubjicerent; eodem factum, ut ad tempus neglectâ carne, fœnum & fruges paſcerentur, contenti ſcilicet obvio cibo & parabili.* Eruditus auctor allegat multa exempla ex ſcriptoribus hiſtoriæ eccleſiaſticæ, quibus probat à viris ſanctis leones cicuratos, qui poſtea pane & leguminibus veſcebantur. Tunc factum, quod aliquando futurum prædixit Iſaias (cap. 11. v. 6.) *Habitabit lupus cum agno: & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo & ovis ſimul morabuntur, puer parvulus minabit eos.* V. 7. *Vitulus & urſus paſcentur: ſimul requieſcent catuli eorum: & leo quaſi bos comedet paleas.*

Quin ante diluvium homines & animantia comediſſe tantùm herbas virides, ſemina, poma; col-

ligimus ex his verbis Geneseos (cap. 1. v. 29. & 30.) *Dixitque Deus ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna, id est, arbores fructiferas, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam: & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, & universis quæ moventur in terrâ, & in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum.* Comparentur ista cum altero loco ejusdem Geneseos (cap. 9. v. 3.) ubi usum carnium Deus permittit. *Et omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis.* Traditum erat quasi per hominum manus, primos homines abstinuisse carnibus; unde de prima ætate sic loquitur Ovidius.

At vetus illa ætas, cui fecimus aurea nomen
Fœtibus arboreis, & quas humus educat, herbis
Fortunata fuit nec polluit ora cruore.

Forsan & illicitus erat usus carnium ante diluvii tempus; quæ fuit sententia Beati Augustini, in Civitate lib. 15. cap. 27. difficultatem de quà loquimur sic tentans solvere. *Solet etiam movere nonnullos genera escarum, quæ illic habere poterant animalia, quæ nòn nisi carne vesci putantur; utrum præter numerum, ibi fuerint sine transgressione mandati, quæ aliorum alendorum necessitas illic coëgisset includi: an verò, quod potiùs est credendum, præter carnes, aliqua esse alimenta potuerunt, quæ omnibus convenirent. Novimus enim quàm multa animalia, quibus caro cibus est, frugibus, pomisque vescantur, & maximè fico atque castaneis. Quid ergo mirum si vir ille sapiens, & justus, etiam divinitùs admonitus quid cuique congrueret, sine carnibus aptam cuique generi alimoniam præparavit & recondidit? Quid est autem, quo vesci non cogeret fames? aut quid non suave aut salubre facere posset Deus, qui etiam ut sine cibo viverent, divinâ facultate donaret: nisi ut pascerentur, etiam hoc implendæ figuræ tanti mysterii conveniret.*

Ergo verisimile est fœno, palea, granis, avena, hordeo pasta fuisse animalia; & stabulis imposita fœnilia, & granaria; ex quibus decidebant proprio suo pondere pabula, & demittebantur in subjecta præsepia. Secunda contignatio quæ tota, aquis extabat alta sexdecim pedibus & octo pollicibus, iterum dividi poterat in cellas superiores & inferiores; & ex vicinia quæ cuique animali conveniret annona, ministrari.

Noë & familia sua, in suprema contignatione fruebantur puriori aere, & semoti à pecoribus, habitabant. Totius Arcæ formam [in tabula ænea secunda] oculis tuis, Lector, vides expositam. Pars ejus inferior dimergebatur aquis undique conclusa & bituminata ne aquæ influerent. Fabricata fuit juxta Babylonem in planitie æqua spatio centum annorum per quos contactu telluris potuisset putrescere idcirco subjecti pedes, quorum ope non attingebat terram, & aquarum advenerunt, fundum ejus subierunt, & extulerunt, pedes illi profuerunt, quando aquis diluvii effluentibus subsidit ne cœno remaneret immersa. Ponte in eam homines & animalia intraverant, pariter & exierunt.

Secunda contignatio tota extabat aquis, ita ut cum à ventis excitarentur fluctus influerent in tabulatum ejus, quod sic lavarent; & quia, ut supra diximus, devexum erat, defluentes secum devehebant animalium stercora. Ibi animalia libero aere fruebantur. Quædam stabula clathris occlusa erant, quibus ferociora animalia coercerentur, & aves si quæ fuerint in hac secunda contignatione. Supponimus commeatum asservatum in tertia contignatione; ne vero imbres in illam ingruerent, circumducimus velamenta quæ Noë adducebat aut abducebat pro diversitate temporum. Videre est in delineatione, quædam ex illis obvoluta ut intra Arcam sol admitteretur. Tectum ejus, ut diximus, pellibus obtectum paulo inclinabatur, ne in illo imber stagnaret. Adverte, Lector, imagines A & B. Prima exhibet unum ex tribus Noe filiis ope trochleæ haurientem aquas, quas effundit in canalem, qui secundum longitudinem Arcæ dispositus erat. Altera mulierem, quæ stabulum verrit & purgat stercore, quod ob devexitatem tabulati, suo, ut diximus, pondere foras defertur.

Ut clariora sint quæ diximus de structura Arcæ, tabula particulari in tertia ænea scilicet nudam ejus compagem exposuimus, in quâ videre est quomodo Noe quasi in aëre Arcam ædificaverit super erectos postes, ideo ponte intrabatur etiam in inferius tabulatum, quod totum clausum & bitumine illitum non admittebat aquas. Hæc compages ostendit trinas contignationes sive tria tabulata; quorum infimum erat omnino planum, nec admittebat ullum diem: alia duo lucido die fruebantur ut in meridie. Dicta compages occultat quidem interiores partes infimi tabulati, relinquit cernendas secundi & tertii.

CAPUT III.

Diluvium fuit universale; ita nulla animalium species servata nisi in Arcâ. Quot & quæ sunt illæ species? Arca typus fuit Ecclesiæ. Quæ de diluvio scripsit Moyses, confirmantur certis testimoniis.

SECTIO I.

Deus præcipit Noacho inducere in Arcam bina ex omnibus animalibus, septena ex mundis. Declarat cætera peritura in aquis diluvii; quod ergo fuit universale.

Statim ac Noë accepit de Arca conflanda mandatum, accinxit se ad opus. Exiit illud mandatum, ut vidimus, centum viginti annos ante diluvium. Videlicet minæ præcesserunt suppliciura totidem numero annorum; quorum viginti priores creduntur elapsi antequam manus operi admoveret Patriarcha; si forte homines deterriti tantis minis pristinos mores mutarent: non futuro enim diluvio Arca haud necessaria fuisset. Noë qui non prævidebat fore ut resipiscerent, illis viginti primis annis, securim ponebat ad radices arborum & parabat materiem; his autem elapsis, incubuit in opus, & post centum annos perfecit. Tunc cum familia & animantibus ingressus est in Arcam. Juxta methodum semel cœptam, exponam verba quibus Deus significaverat se adducturum aquas diluvii, & quæ vellet intra Arcam admitti animantia, ordinavit illud in pœnam, adeo universalem, ut nulla species animalium servata sit, quam non exceperit Noë in Arca. (Geneseos cap. 6.) 17. *Ecce ego,* inquit Deus, *adducam aquas diluvii super terram, ut interficiam omnem carnem, in quâ spiritus vitæ est subter cœlum: universa quæ in terra sunt, consumentur.*

Quasi dicat Deus: ad me quod attinet, aquarum diluvium adducturus sum, & omnis caro sub cœlo, cui inest spiritus vitæ, exterminabitur, & quæcumque sunt in terra expirabunt. Verbum fontis יגוע, quod vulgatus reddit *consumentur,* significat omnia



Tav. ia seconda Col. 191 *ARCA NOÉ innatans aquis diluvij, et Hominum qui in eis periere reliquias servans.*

Back of
Foldout
Not Imaged

omnia eſſe interitura : τελευτήσει *interibunt*, ut habent LXX. interpretes ; de viventibus enim ibi ſermo fit quæ ſuper terram ſunt ; iis enim quæ in aquis vivunt, diluvium nocere non poterat.

18. *Ponamque fœdus meum tecum ; & ingredieris Arcam tu & filii tui, uxor tua, & uxores filiorum tuorum, tecum.*

Denuntiat Deus futurum diluvium, nempe omnium animantium interitum ; ſed adjungit : paciſcar tecum, ô Noë, tuam & tuorum incolumitatem : à te viciſſim ſtipulans ut Arcam fabrices, & ingrediaris, mihique fidas.

19. *Et ex cunctis animantibus universæ carnis bina induces in Arcam, ut vivant tecum : maſculini ſexûs & feminini.*

Verba illa indicant diluvium fore univerſale ; quæ ab obvio ſenſu non licet detorquere, niſi compellat evidens ratio ; quæ hîc nulla eſt. Occurrunt quidem difficultates : ſed illæ non tantæ ſunt, ut nos avocent à veritate. Quidam ſentiunt non aliò pertinuiſſe diluvium, quàm ad eas regiones quæ tum colebantur ; nec totum orbem aquis obtectum. Quæ dicuntur de animantibus univerſis, interpretantur de ſolis, quæ naſcebantur ubi tum degebat Noachus. Ergo inane opus Deus præcipiebat ; nam deletis animantibus regionis quam incolebat Noë, aliarum regionum ſervata fuiſſent ; & ſi per totum orbem non pervaſiſſent aquæ diluvii, quiſquis prout creſcebant aquæ, in regione quam occupabant, potuiſſet vitæ ſuæ conſulere, fugiendo in loca ad quæ non pervenerant. Bina animalia aſſumi à Noacho præcipit Deus, nempe de immundis ; nam de mundis ſeptena eſſe aſſumenda poſtea declarabit. *Ut vivant tecum.* In fonte, *ut vivifices*, id eſt, ut morti eripias & ſerves, τρέφῃς *nutrias*, ut habent LXX interpretes.

20. *De volucribus juxta genus ſuum, & de jumentis in genere ſuo ; & ex omni reptili terræ ſecundum genus ſuum : bina de omnibus ingredientur tecum, ut poſſint vivere.* Deus juſſit, ſive voluit ut vocata animalia obtemperarent Noacho : *Ingredientur tecum*, ſponte ſua, etiam ſi ſint effera, uti priùs ad Adamum adducta fuerant. *Non enim ea Noë capta intromittebat*, aiebat Auguſtinus (lib. 15. cap. 27. de civitate) *ſed venientia, & intrantia permittebat. Ad hoc enim valet quod dictum eſt, intrabunt ad te : non ſcilicet hominis actu, ſed Dei nutu.* Non ergo animalia hæc aucupio aut venatione adduxit Noë ad Arcam, ut vult Philo. Non etiam ipſa animalia, invaleſcente diluvio, fugerunt enatando ad Arcam, ut pleroſque ſenſiſſe obſervat Cornelius à lapide.

21. *Tolles igitur tecum ex omnibus eſcis, quæ mandi poſſunt, & comportabis apud te : & erunt tam tibi quàm illis in cibum.*

Non ibi definit Moyſes quos cibos in Arcam congerendos juſſerit Deus. Supra obſervatum homines à carnibus abſtinuiſſe ante diluvium ; quod ipſe Moyſes poſtea videtur innuere in ſequentibus capitibus Geneſeos. Nam capite 9. cùm dicit Deum tradidiſſe Noë & filiis ejus animalia in cibum quaſi olera, tunc ſatis innuit novum conceſſiſſe jus, quo non antea utebantur. Ipſi ethnici id aſtruunt ex vetuſta traditione. Protulimus carmina Ovidii, quibus ſequentia ſubteximus.

Tunc & aves tutò tranabant aëra pennis ;
Et lepus impavidus mediis errabat in agris ;
Nec ſua crudelitas piſcem ſuſpenderat hamo.
Cuncta ſine inſidiis, nullamque timentia fraudem,
Plenaque pacis erant.

Carnivora autem animalia veſci poſſunt oleribus, leguminibus, pomis. Deus bina de quibuſcumque, ſeptena ex mundis animalibus. Pluribus agnis & plurimis ovibus opus fuiſſet, ſi non alio pabulo lupi, leones nutriri & paſci potuiſſent. Illud ergo : *ex omnibus cibis, quæ mandi poſſunt*, intelligi debet benigne ; ſcilicet quibus tu Noë, & filii tui, vivere poteris, & alere animantia, quæ tecum erunt.

22. *Fecit igitur Noë omnia, quæ præceperat illi Deus.* Opus inchoavit, perfecit : fruges in alimoniam collegit.

Sermo ille Domini ad Noachum habitus fuit centum viginti annos ante diluvium ; quapropter quamquam diluvium contigiſſet naturalibus cauſis, quas quidam ingenioſe explicant, non ideo minùs pro miraculo habendum eſſet ; ſi quidem Deus hiſce cauſis uſus ſit ad irrogandum ſupplicium hominibus ſceleratis, quos potuiſſet immunes ab illo ſervare, ſi reſipuiſſent. Cùm diluvium prænuntiaverit tanto ante tempore, liquet ab eo ordinatum. Sermo ſubſequentis capitis videtur diluvium proxime præceſſiſſe.

Cap. 7. Geneſeos, v. 1. *Dixitque Dominus ad eum : ingredere tu & omnis domus tua in Arcam : te enim vidi juſtum coram me in generatione hac.*

Tua pietas non fucata eſt ; intueor enim cor tuum rectum. Tunc Noachus qui juxta Dei mandatum Arcam abſolverat ſpatio dicto centum annorum, & per poſtremos dies collegerat omnem neceſſarium commeatum, jam imminente diluvio in Arcam ingreſſus eſt, & intra eam admiſit animantia.

2. *Ex omnibus animantibus mundis tolle ſeptena & ſeptena maſculum & feminam : de animantibus verò immundis duo & duo, maſculum & feminam.*

Quæritur quomodo Noë munda àb immundis dignoſcere potuit, cùm id innotuerit per legem Moyſis in Levitico & Deuteronomio, videlicet ea munda eſſe, quæ ruminant & ungulam diffindunt. Quidam hæc per anticipationem dicta volunt nimirum animalia munda, vel immunda tunc fuiſſe quæ talia poſtea in lege habita ſunt. Magna ſane difficultas. *Ego non dubito*, inquit Mercerus ad hunc locum, *jam indè ab orbis initio primis parentibus, & rationem ſacrificiorum revelatam fuiſſe & rationem mundorum & immundorum animantium ; undè Abel ſuprà de primogenitis ovium ſuarum, mundis ſcilicet offert, non de immundis ; ſicut & multa alia ante legem ſunt obſervata, quæ lege poſtea ſunt cauta & decreta, ut omnes etiam de vulgo ea cognoſcerent, & intelligerent omnes eá lege teneri.* Certe in ipſis animalibus nullam eſſe munditiem aut immunditiem ſatis teſtantur varius hoc in negotio variarum gentium uſus, & ipſa res. Animalium quidem quorumdam caro ſalubris magis & apta victui, & ideo permiſſa ; aliorum vero nociva, & ideo prohibita. Id non expertus erat Noë, qui hactenus carne abſtinuerat, ut diximus. Complurium carnium, quæ alioqui ſanæ ſunt & ſuaves, prohibitio ſymbolica eſt, ne exemplo, verbi causâ, ſuis qui ſtercore delectatur Iſraelitæ non refugerent immunditiem ; cujus ſus ſymbolum eſt. Cujuſque animalis proprietates Noachus poterat habere quàm notiſſimas, eruditus Dei conſortio. Inſuper cogitare poſſumus ſingulatim & nominatim à Deo declarata animalia, quæ vellet aſſumi ſeptena ; ſcilicet illa, quæ poſtea, cùm lex data eſt, appellata ſunt munda ; quæ ne eo in loco recenſeret Moyſes, per anticipationem dixerit ex mundis animalibus Noachum ſeptena in Arcam adduxiſſe. Denique Deus, qui ſciebat quid præcepturus eſſet, potuit juxta ſuas futuras leges iſta mandata dare Noacho de mundis & immundis animantibus ; cùm e-

num nulla videatur esse physica immunditics in ani- A mantibus, sed tantùm moralis; illa solùm immunda reputanda erant, quæ non destinarat Deus sacrificanda; quippe minùs apta Christo figurando; quem, ut pluribus dicemus, semper Deus intuitus est, in omnibus quæ fecit. Alibi ostendimus, jam ab Adamo sæpiùs sacrificia facta, & horum ritus omnes ab hoc primo hominum parente ordinatos, sive potius huic ab ipso Deo præscriptos. Ita distinctio animalium mundorum, nempe eorum quæ eligenda erant in sacrificiis, jam usitata. Ergo consuluit Deus, ut horum major numerus servaretur à diluvio, scilicet septena horum paria voluit induci in Arcam.

De septenario numero movetur difficultas: alii B enim interpretantur ex quaque specie animalium mundorum septem quidem animalia assumpta, sed non septem paria, sive quatuordecim animalia. Ita sentit Heidegerus, qui allegat Josephum, quasi dixerit, Noe introduxisse omnis generis animalia in Arcam, ad conservationem generis eorum, marem & fœminam, & ex aliis quæ munda erant septem numero. B. Augustinus & B. Ambrosius in eâ quidem fuerunt sententiâ. *Septena septena*, hoc est, septem in omni specie animalium mundorum. In quo numero erant tria comparia animalium mundorum ad conservationem generis & pro cibo; septimum autem animal asservabatur ad sacrificium. *Unum animal*, inquit Theodoretus, *reliquum est* C *ad sacrificandum. Statim enim ubi cessavit ultio, Noë sacrificium obtulit Deo, gratiarum actioni conveniens.* Mihi magis videtur verisimile ex mundis animalibus septem paria in Arcam intrasse. Fons habet: *septena septena virum & uxorem ejus.* LXX. Græci interpretes ad verbum reddunt ἑπτὰ καὶ ἑπτὰ, ἄρσεν καὶ θῆλυ. Vulgatus similiter, *septena & septena masculum & fœminam.* Illud *masculum & fœminam* denotat fuisse septem paria, Nam si fuissent tantùm septem cujusque generis pecudes, una fuisset suo compare destituta, adeoque per paria ingredi in Arcam non potuissent. In phrasi hebraïca *duo duo* significant duo paria; ita *septem septem* paria septena. Nullum argumentum duci potest contra hanc nostram sententiam ex eo, quod fons & D versio Græca ponunt in singulari *septem & septem.* Hæc duo nomina adstruunt septem paria, nempe hinc septem animalia & hinc septem alia; non hinc tria, & hinc tria, & unum insuper animal; sicut de animalibus immundis *duo & duo*, nempe hinc unum masculum & inde aliud fœmina; nec allegari potest, quod nomen שבין sit in plurali, si quidem caret singulari. Non tam magnus erat animalium immundorum numerus, ut periculum esset submersionis, si septem paribus mundorum adhuc Arca oneraretur. Falsum est quod dicit Heidegerus Josephum non septem illa paria agnoscere. Ipsa ejus verba perpendamus. Ζῶά τε παντοῖα πρὸς διατήρησιν τοῦ γένους αὐτῶν, ἄρρενά τε καὶ θήλεα συνεισκλειόμενον, ἀλλά τε τούτων ἑπτὰ πλείονα τὸν ἀριθμόν. *& omne genus animantibus ad seminarium* E *conservandum jugatim pro sexûs ratione introductis, & quibusdam ex his septenarium usque numerum*, sive potiùs, *septuplo majorem usque numerum*, id est, quatuordecim. Ita Josephus non abnegat septena paria.

3. *Sed & de volatilibus cæli septena & septena, masculum & fœminam: ut salvetur semen super faciem universæ terræ.*

Ibi compendio utitur Moyses, & ex præcedenti versu intelligendum relinquit, quod ut duo paria quarumcumque avium sumenda erant, ita septem paria mundarum.

4. *Adhuc enim & post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & delebo omnem substantiam, quam feci, de superficie terræ.* Scilicet cùm septem adhuc dies præterierint, Ego *pluere faciens*, ut habet fons: an syderum vi, & aliis naturalibus causis, an absoluta sua potentia & voluntate, non declarat Deus. Simpliciter dicit quòd pluere faciet spatio quadraginta dierum & noctium, perpetuis eo tempore imbribus. *Et delebo omnem substantiam quam feci.* Fontem sic reddit Clericus: *& quæcumque feci in iis stantia, è terris delebo.* כל היקום *chol hackoum.* Radix hujus vocis est קים *surgere, stare;* unde Græci eam reddiderunt ἀνάστημα. Ibi intelligenda animantia, quæ scilicet stant, seu consistunt, & vivunt; neque enim plantæ omnes deletæ sunt.

5. *Fecit ergo Noë omnia quæ mandaverat ei Dominus.*

Septem dictis diebus animalia intromisit in Arcam.

6. *Eratque sexcentorum annorum, quando diluvii aquæ inundaverunt super terram.*

Filius erat sexcentorum annorum, ut loquitur Fons hebræus, nempe attigerat sexcentum annos, cùm diluvium accidit; unde sequitur opus Arcæ elaboratum fuisse per centum annos.

7. *Et ingressus est Noë & filii ejus, uxor ejus & uxores filiorum ejus cum eo in Arcam propter aquas diluvii.*

In fonte, *à facie aquarum diluvii*, id est, fugientes diluvium instans. Noacho non alii nati erant liberi ante diluvium præter Sem, Cham, & Japhet. Si quos alios susceperat, superstites non erant. Tres autem illi filii ejus nullam adhuc habuerant sobolem, aut illâ orbati erant. Hinc quidam colligunt humanum genus ante diluvium multas regiones non implevisse, cùm plerisque aliis parentibus proles forsan non fuisset numerosior; cùm itaque, inquiunt, homines nondum essent dispersi, non oportuit diluvium esse universale. De cæteris hominibus non judicandum ex Noacho, ipse & familia ejus erant in ostentum; ideo sic coarctata intra exiguum numerum. Intra quadringentos annos in millionem & ampliùs hominum familia Israëlis excrevit; potuit ergo per mille & sexcentos annos multiplicata sobole Adamica, totus terrarum orbis occupari.

8. *De animantibus quoque mundis & immundis, & de volucribus, & ex omni quod movetur super terram.*

9. *Duo & duo ingressa sunt ad Noë in Arcam, masculus & fœmina, sicut præceperat Dominus Noë.*

Omnia facta sunt juxta Dei mandatum. Animalia intromissa sunt. שנים *schnaim schnaim*, id est, bina bina, Gallicè *deux à deux*, hoc est, masculus & femina, ut postea addit Moyses; unde liquet, ut ait Clericus, septem fuisse paria mundorum, non tria & dimidium, ut multi interpretes credidêre. Hugo à sancto Victore opinatur, invalescente diluvio, animalia quærentia sui exitii fugam, natando ad Arcam venisse, & per ostium Arcam ingressa. Atqui Moyses docet priùs animalia ingressa esse, quàm ingrueret diluvium. Sponte sua ad Arcam venerunt, sive potiùs Deo volente ut Noachum, quomodo dicit Philo, sequerentur pastorem simul & servatorem.

10. *Cumque transissent septem dies, aquæ diluvii inundaverunt super terram.*

Et impleta dierum hebdomade, sicut prædixerat Deus, irruit diluvium: apertæ sunt cæli cataractæ. Quomodo id factum sequenti articulo indagamus.

SECTIO II.

Proponuntur diversæ rationes, quibus universitas diluvii explicari potest. Hujus historia continuatur.

DIe quam Deus dixerat, tam largi imbres effusi sunt in terras, ut statim patuerit immissum à Deo supplicium. Qui negant diluvium fuisse universale, nondum, aiunt, homines dispersi erant per orbem, sed hactenus in Asia circa regionem ubi primùm geniti, habitabant; ita aquis diluvianis interire potuerunt, etiam si illæ Asiam inundaverint solam. Verùm si reipsa totum terrarum orbem non oppressissent, sed eam solam partem ejus, extra quam do genus humanum hactenus non fuisse extentum, Noacho commodius fuisset illuc confugere. Potuisset quodlibet iter emetiri centum annorum intervallo, & ad eam regionem pervenire quamvis lento gressu incedens. Ut cùm Deus statuit Pentapolim incendio consumere, Loth admonitus fugit ex hac infelici regione ad montes, ad quos incendium non perventurum erat. Aves potissimum poterant avolare extra plagam, quam aquæ obtinuerant, si forte deprehensæ fuissent inter flumina ripis exundantia. Verba scripturæ indicant universitatem diluvii. Vocabulum quidem *omnis* quandoque restringendum; sed non ex libitu. Res, inquiunt, fieri non potuit; neque enim, sive è nubibus, sive è mari, sive ex quibus libet fontibus tanta oriri potest aquarum abundantia, ut in eam altitudinem surgerent, quâ totus terrarum orbis deprimeretur.

Reponitur sic terram potuisse concuti, ut in plurimis regionibus altissimi montes subsederint. Quoniam ergo terra intima abundat aquis, dum hi montes in viscera ejus interiora descendebant, quæ in illis continebantur aquæ exsuperarunt. Commotio, inquam, magna movit plerosque montes sedibus suis; ita factum ut aquæ, quæ sub his montibus latitabant, affusæ sint globo terrestri. Quin & regiones integræ potuerunt deprimi, & occupare abstrusos terræ sinus, abyssos magnas, nempe loca profunda, ex quibus ergo aquæ erumpentes oppleverunt totum terrarum orbem. Non displicet conjectura viri sagacis, qui naturalibus causis, sed à Deo prævisis & ordinatis, factum putat, ut commotio extraordinaria contigerit, qua tota tellus non ampliùs iisdem ponderibus librata, situm suum mutaverit. Scilicet cùm ejus æquinoctialis circulus hactenus subjacuisset zodiaco, sive orbitæ solis, tunc in hacce commotione evasit obliquus per respectum ad hancce orbitam; unde contigit diversitas tempestatum, hiems sæva, æstas adurens, cùm olim ver fuisset perpetuum; ipsa enim obliquitas zodiaci iterum dicam per respectum ad terram facit inæqualitatem dierum & tempestatum. Sol prout in his & illis signis est, nimiis caloribus nos adurit, aut aspera hyeme vexat. Hinc contigit ut diluvium non solùm noceret hominibus qui tunc vivebant, sed & posteris eorum; morbos enim hyemes, frigora, calores nimii procreant; quæ omnia secuta sunt telluris commotionem qua excussa est extra locum pristinum, quem tenebat in centro orbitæ solis. Ipsi Ethnici referunt ex antiquâ traditione ver olim ante diluvium toto anni tempore regnasse. Ita canit Ovidius.

Jupiter antiqui contraxit tempora veris,
Perque hyemes, æstusque & inæquales autumnos,
Et breve ver spatiis exegit quatuor annum.
Tum primùm siccis aër fervoribus ustus
Canduit, & ventis glacies astricta pependit.

Quod hîc breviter diximus de mutato terræ situ diebus diluvii, fusè exposuit Burnetius in libro quem inscripsit de Theoriâ telluris. Eadem cogitatio videtur subiisse mentem Senecæ cùm agitaret quæstionem de diluvio, quo mundum aliquando obrutum iri veteres reformidabant. [quæst. natural. lib. 3. cap. 27.] *Monet me locus*, inquit Seneca, *ut quæram, cùm fatalis dies diluvii venerit, quemadmodum magna pars terrarum obruatur undis. Utrum Oceani viribus fiat, & externum in nos pelagus exsurgat: an crebri sine intermissione imbres, & elisâ æstate; hyems pertinax immensam vim aquarum ruptis montibus dejiciat. An flumina tellus largiùs fundat, aperiatque fontes novos: aut non sit una tanto malo causa, sed omnis ratio consentiat & simul imbres cadant, flumina increscant, maria sedibus suis excita percurrant, & omnia uno agmine ad exitium humani generis incumbant.*

Certum est potuisse Deum nefarias libidines hominum aquis pœnalibus eluere. Summa est potestas ejus. E nihilo fecit omnia. Ejus jussu ignis, aqua, terra, aër, singula prodierunt, cùm non essent. An ergo huic difficile esset, ut eodem jussu suo redeant in nihilum, aut fiant quidquid ea fieri voluerit: aër fiat aqua, sicut postea aqua Nili facta est sanguis ad irrogandum Ægyptiis supplicium. Extentio constituit corpora sive materiam; ubi ergo par est extensio, par copia est materiæ, vas quod dicitur vacuum, quando in eo aër est, tantum materiæ habet, quàm cùm auro plenum est. Materia, inquam, ex se indifferens est ad quamlibet figuram & quoslibet motus, quibus elementa inter se differunt. Quid ergo obstat quominùs, Deo volente, pars aëris liquefacta sit, ut poeta jure dixerit, *omnia pontus erant.* Deus solet uti naturalibus & ordinariis causis, quas ipse statuit. Cùm prævidisset homines ob malitiam aliquando perdendos; sic potuerat mundum aptasse, cum illum formaret, ut post certum tempus superficies terræ siccior facta dissiliret; & abruptæ partes ejus corruerent in inferiores abyssos, unde aquæ in harum locum ascenderent; terra autem non ampliùs librata iisdem ponderibus, alium situm habuerit respectu cæli; quod physicorum est explicare. Ubi vero tempus instabat tantæ mutationis Deus præmonuit Noachum Arcam parare. Quæcumque causa fuerit ubi advenit diluvium reclusæ sunt omnes abyssi, & aquarum voragines, apertæ cæli cataractæ, nubes eliquatæ. Certè operata est manus Dei, cui omnis natura obsequitur; Alioquin nec fieri potuisset, ut quæ primùm ingruerant aquæ, postea evanescerent. Par enim ubique miraculum. Scriptura dicit Deum adduxisse ventum, & eo flante imminutas aquas. Ventus quidem efficere potest ut vapores plurimi evehantur, aqua in certam partem, celeriùs feratur; sed Oceanum exhaurire nequit. Quis credat, totum terrarum orbem tanta aquarum altitudine contectum vento potuisse exsiccari, nisi in hoc vento divina virtus latuisset. Prosequamur Mosaïcam descriptionem diluvii.

11. *Anno sexcentesimo vitæ Noë, mense secundo, septimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ & cataractæ cæli apertæ sunt.*

Annus ille sexcentesimus vel exactus, vel currens, vel inchoatus erat. Si jam decurrisset annus sexcentesimus, & iniretur sexcentesimus primus, vixisset Noë post diluvium non tantùm 350, ut scriptura asserit (Gen. cap. 9. v. 28.) sed 351. Hebræi duplex initium anni habent. In prophanis annum inchoant à Tisri, in sacris à Nisan; quod cùm institutum sit tempore Moysis, mensis ille se-

cundus videtur esse Marshevan secundus anni civilis. A Alii interpretantur esse mensem Jar, secundum anni ecclesiastici; sed non constat an alius annus fuerit tempore Noachi, quàm civilis. Certè novo anni initio ortum dedit exitus ex Ægypto. Decimo autem septimo die hujus mensis, quisquis fuerit, rupti sunt fontes abyssi. Vocem hebræam תהום *Theom* reddunt Græci ἄβυσσος, hoc est locus fundo carens, sive immensæ altitudinis. Itaque Moyses significare voluit aquarum subterranearum voragines. Seneca (quæst. natur. lib. 3. cap. 19.) affirmat *Magnam vim aquarum in subterraneis occludi* nempe ibi amnes esse vastæ magnitudinis. Erumpunt non solùm aquarum rivi, fontes, sed & flumina è speluncis, in quibus ergo sunt magna a- B quarum receptacula; quæ tunc reclusa sunt. *Rupti fontes*, hoc est, idem contigit ac obturamentis fontium, vel foraminibus fontium angustioribus diruptis atque dilatatis. Tellus rotunda est veluti sphæra. Diameter ejus est ter mille leucarum; ita diversis corticibus constare potest, intra quos sunt ingentes abyssi. Ergo juxta naturæ leges, quod sæpiùs nunc obtingit, sic commota est tellus ut rupti cortices ejus, & depressi in partes profundiores, compulerint aquas inferiores ascendere. Hac commotione factum ut in aliquibus plagis assurgat tellus, in aliis depressa sit, cùm primitùs forsan, ut ita dicam, lævis esset.

Cataractæ cæli apertæ sunt. In fonte ארבות *arubboth*, id est, fenestræ. C Cælum dicitur aperiri, quando pluit: claudi, quando negat imbrem. Tunc autem non per meatus angustos, ut priùs, sed veluti per fenestras aqua decidit, Vocem hebræam LXX. interpretes reddunt καταῤῥάκται, cujus origo est verbum ῥήσσω *vi & impetu decido.* Nili cataractæ græcè & Latinè dicebantur ea loca, ubi præceps cadebat ex rupibus; ut videre est apud Strabonem (lib. ultimo) *De novissimo cataracte*, sic loquitur Plinius (lib. 5. cap. 9.) *inter occursantes scopulos non fluere immenso fragore creditur, sed ruere.* Ergo καταῤῥάκται erat usitatum nomen, quo usi sunt interpretes Græci, & post eos Latinus interpres. Exprimit imbrem, effusum in terras, perinde ac Nilus effun- D ditur in subjectam planitiem ex altis scopulis. Olim præconcepta erat opinio, fuisse supra cælos aquas, unde terris affluebat imber. Potuit Moyses juxta illam opinionem loqui; quasi Deus portas tunc aperuisset cælestium lacuum. Sacri scriptores, ut humano sermone, ita & vulgaribus opinionibus utuntur in re, circa quam error non reformidandus est.

12. *Et facta est pluvia super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus.*

Hocce temporis spatio omnis aquarum scaturigo aperta est, & nubes omnes in pluviam coactæ. Sed quis dicat etiamsi imbres de cælo, licet totis quadraginta diebus perpetui & densissimi, non po- F tuissent efficere diluvium universale, cujus aquæ juxta scripturam juga altissimorum montium superarent quindecim cubitis. Respondeo quod flumina increscant, non à solo imbre, qui pluit eâ parte aëris, qui incumbit alveis eorum; sed ab omni pluviâ quâ madet vicina tellus. Aquæ è cælo ruunt in iuga montium, unde defluunt in valles profundas & postea in flumina. Præterea in diluvio, de quo loquitur scriptura, non soli alvei completi, sed tota telluris facies, saltem pars ejus maxima demersa est sub aquis; sed hic dissimulare non possum quod viri experti sunt Parisiis & alibi omnem imbrem, qui spatio unius anni decidit, non surgere ultra viginti pollices; & sæpissimè pluviam continuam horis duodecim exceptam vase vix ascendisse ad tertiam partem pollicis: quod legere est in commentariis Regiæ societatis Physicorum & Mathematicorum Parisiensium. Qui detrahunt, altitudini horum montium, quibus altiores fuêre aquæ diluvii concedunt juga eorum alta esse tribus millibus passuum. Itaque nec imbres per quadraginta dies effusi potuissent surgere ad unum passum. *Maximum incrementum Nili ad hoc ævi*, ait Plinius (lib. 15. cap. 9.) *fuit cubitorum decem & octo.* Ergo exundantia trium mille passuum, hoc est plus quam sex aut septem mille cubitorum, non habuit causam solos imbres quadraginta dierum: sed, ut vidimus, non una & eadem causa fuit diluvii.

13. *Articulo diei illius*, juxta vim fontis Hebræi, in hoc ipso die, quem supra Moyses dixit versu undecimo, *ingressus est Noë, & Sem, & Cham, & Japhet, filii ejus; uxor illius, & tres uxores filiorum ejus cum eis in Arcam.*

14. *Ipsi & omne animal secundùm genus suum, universaque jumenta in genere suo, & omne quod movetur super terram in genere suo, cunctumque volatile secundùm genus suum, universæ aves omnesque volucres ingressæ sunt ad Noë in Arcam.*

15. *Bina & bina ex omni carne in quâ erat spiritus vitæ.* Paria omnia, nempe mas & femina ex omni specie, ut ibi liquidò dicitur.

16. *Et quæ ingressa sunt masculus & femina ex omni carne introierunt, sicut præceperat ei Deus: & inclusit eum Dominus de foris.*

His postremis verbis significat Moyses Deum obturasse fores Arcæ, postquam Noë in eam ingressus est, cum omnibus animalibus, ne aquæ subintrarent per ullam rimam; vel à Deo protectum Noachum toto eo tempore, quo in Arcâ conclusus fuit. Fons reddi potest: *& occlusit Dominus* nempe ostium *pro eo.* Cùm enim Noë de foris rimas januæ non posset, ut cætera, oblinere bitumine & obturare, Deo curæ fuit ne aquæ per ostii rimas in Arcam penetrarent. Paraphrastes Onkelos ibi habet *Jehova protexit verbo suo super eum*; quod exprimit Moyses, loquens quasi Deus Noachum obseptum servaverit. Ipse Noachus potuit occludere ostium, & obsepire rimas ejus omnes de foris stans, & cùm vidit imbres ingruentes & aquas crescere, jam opere completo scalâ in Arcam ascendere. Verbum hebræum סגר *sagar* sonat quidem *claudere, includere*; sed quia quæ clauduntur, simul muniuntur, apud Danielem (cap. 6. v. 22.) redditur ὀχυρόω *munio.*

17. *Factumque est diluvium quadraginta diebus super terram; & multiplicatæ aquæ, & elevaverunt Arcam in sublime à terrâ.*

Dum ædificabatur Arca, huic dixi quasi subjectos pedes, ne substratæ trabes tanto temporis intervallo computrescerent in humenti solo; tum ut daretur locus aquis ut Arcam subirent; quæ aliter ingruentes illam obruissent; non sublevassent.

18. *Vehementer enim inundaverunt: & omnia repleverunt in superficie terræ: porrò Arca ferebatur super aquas.*

19. *Et aquæ prævaluerunt nimis super terram: opertique sunt omnes montes excelsi sub universo cælo.*

Nulla regio excipitur; sive in aliquâ regione non concluditur illud diluvium, quod demonstrant quæ subjunguntur.

20. *Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat.*

Fieri non potest ut in tantam altitudinem surgerent aquæ, nec defluerent in loca depressiora. Possunt quandoque contra naturale pondus surgere, putà coactæ vi ventorum, sed statim relabuntur.

Ita ut si totus orbis quem incolimus, fieret ex terrestri aquæus, perfecte evaderet sphæricus; nam si quæ pars aliquo casu deprimeretur, protinus affluerct aqua superior. Ergo ubique terrarum simul exundaverunt aquæ; alioquin per Euphratis, Tigridis alveos effluxissent in mare Persicum; tum & in mare Mediterraneum, si forte diluvium attigisset Syriam, & Phæniciam. Concipi non potest tantum diluvium fuisse intra aliquas regiones, saltem durasse per annum. Experimur enim ubi mare intumescit, aquas ejus intrare in fluviorum alveos & ad regiones remotas penetrare; sed non ultra centenos pedes aut centum expedas ullibi assurgit aqua maris; in diluvio autem ad plura expedarum millia aquæ assurgebant. Cùm autem diluvium universæ telluris faciem obruerit, non incredibile est quod dicit scriptura.

21. *Consumptaque est omnis caro quæ movebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium, quæ reptant super terram: universi homines,*

22. *Et cuncta in quibus spiraculum vitæ est in terra mortua sunt.*

23. *Et delevit omnem substantiam quæ erat super terram, ab homine usque ad pecus, tam reptile quam volucres cæli: & deleta sunt de terrâ. remansit autem solus Noë, & qui cum eo erant in Arcâ.*

Typus eorum qui in Ecclesiâ servantur, dum cæteri qui extra sunt, morte æternâ pereunt.

24. *Obtinuerunt aquæ terram centum quinquaginta diebus.* Toto hoc tempore tellus aquis operta fuit; nec his elapsis diebus statim cessavit diluvium; quapropter Noë mansit plurimos alios dies in Arca conclusus; ut mox dicam postquam enarravero quæ pertinent ad historiam Patriarchæ in Arca cum animalibus conclusi.

SECTIO III.

Antequam cesset Diluvium considerandus Patriarcha Noë cum animalibus, quorum species diversas Arca potuisset continere.

NUmerus specierum animalium videtur vulgò infinitus, sicut stellarum; qui intuetur illas vago oculo & obiter; constat enim non plures esse millenis. Loquor de his stellis, quæ nudo oculo sunt visibiles. Si distinctè rem arbitremur, inquit Vvilkinsius (in Synop. M. Poli. ad Gen.) & ad calculos revocemus, quotquot jam cognitæ & ab auctoribus fide dignis descriptæ sunt species animantium, constabit multò pauciores eas esse, quàm creditur, ne centum quidem quadrupedum observatas, nec ducentas avium. Ne quis hæc à me dicta existimet, quasi velim extenuare numerum animalium, quæ in Arcam ingressa sunt, quin hunc augebo. Etenim non credo ullum animal nasci ex putrefactâ humo, quod plerique sentiunt; ita omnem speciem Noachus admittere debuit, si quidem nulla reparari poterat, renascens ex limo, cùm post diluvium terra intepuit calore solis. Verùm ex illo numero quem quærimus, subducere licet primùm ea omnia quæ vivere possunt in aquis, sive mersa, ut pisces, sive supernatantia, ut pleræque aves. Secundo quæ nascuntur ex commixtione maris & fœminæ, non ex eâdem specie, ut mulus quem generat equus mixtus asinæ; illa ergo non oportuit admitti intra Arcam quæ ex servatis animalibus oriri poterant. Spuriorum autem numerus non parvus censeri potest; nam ex ipsâ horum commixtione, iterum alia spuria nasci possunt; si verum est in regionibus calidis & mulos generare, quod adstruit Columella (lib. 6. cap. 37.) *Quidam verò*, inquit ille; *non dissimulandi auctores, ut Marcus Varro, & ante eum Dionysius, prodiderunt mularum fœtus regionibus Africæ adeò non prodigiosos haberi, ut tam familiares sint incolis partus earum, quàm sint nobis equarum.*

A

B

C

D

E

Plæraque sunt animalia quæ ideo alterius speciei censentur, sive constituere speciem distinctam, quia natale solum permutantia, peregrino aëre sic permutantur, ut alia videantur, quàm quod primùm erant. Hoc contingit arboribus; quæ vehementissimo solis æstu percussæ, in olea, balsama, variaque resinarum genera resolvuntur, ut Kircherus observat. Pariter animalia ex Europâ illata regionibus calidis, ita degenerant, ut vix amplius dignoscantur. Oves gibbescunt & potentes aptæque ad onera ferenda fiunt. Calvescunt canes, aves colores mutant; molemque corporis pro diversâ regionum naturâ nunc diminuunt, nunc augent, ita ut alia animalia videantur. Temperatioris cæli plantæ, consitæ in zonâ frigidiori, in aliam prorsus indolem degenerant, fructus non ferunt nisi austeros & silvestres; quam conditionem homines animaliaque sequuntur, cervis in rangiferos, bobus in alces, lupis in gulones, degenerantibus. Indè dicebat Columella (lib. 6. de re rusticâ cap. 1.) *Quæ in emendis bobus sequenda, quæque vitanda, non ex facili dixerim, cùm pecudes pro regionis cælique statu & habitum corporis, & ingenium animi, & pili colorem gerant. Aliæ formæ sunt Asiaticis, aliæ Gallicis, Epiroticis aliæ: nec tantùm diversitas provinciarum, sed ipsa quoque Italia partibus suis discrepat. Campania plerumque boves progenerat albos & exiles, labori tamen & culturæ patrii soli non inhabiles. Umbria vastos & albos, eademque rubros: nec minùs probabiles animis quàm corporibus. Hetruria & Latium compactos, sed ad opera fortes. Apenninus durissimos, omnemque difficultatem tolerantes, nec ab aspectu decoros.* Eadem observat Columella de ovibus (lib. 7. cap. 2.) Plinius (lib. 8. cap. 53.) dicit capras in plurimas similitudines transfigurari, nimirum in rupicapras, Ibices, Oryges, Damas. Aristoteles in historiâ animalium (lib. 8. cap. 28.) fusè ostendit animalium differentiam esse pro locorum varietate.

Itaque animalia, quæ determinatis speciebus summus Opifex primùm produxerat, in infinitum multiplicari potuerunt, postquam in diverso climatum, zonarumque situ adeo differentem constitutionem sortita sunt, ut à primò creatis visa sint differre, etiam specie. Deo solo, inquit Kircherus, mirarum transmutationum, quæ sub diverso cæli ad terram aspectu fieri possent, conscio. Igitur in Arcam ea sola introducenda erant primigena animalia, quæ in universam telluris superficiem deinde dispersa, ex differentium climatum, zonarumque mutatione diversam formam habuerunt; & cùm sylvarum, montium, camporumque recessus occuparunt, commixta inter se medias & diversas procrearunt; quod observat Plinius sæpius contingere in Africa (lib. 8. cap. 16.) ubi *inopiâ aquarum ad paucos amnes congregantibus se feris, ideo multiformes ibi animalium partus: variè feminis cujusque generis mares aut vi aut voluptate miscente; undè etiam vulgare Graciæ dictum semper aliquid novi Africam afferre.* Quidquid sit Arca capax fuit omnium specierum, quotquot tunc numerabantur. Insectas autem innumeras, muscas, culices, vermes, pleraque reptilia, non alia loca occupasse certum est, quàm quæ alioqui vacua fuissent. Eadem dici possunt de quibusdam quadrupedis, quales sunt mures, sorices, talpæ; quibus locus deesse non poterat.

Diximus omnes animalium primarias species æstimari posse pares quingentis equis qui una Arcæ contignatione nec arctati locabantur. Quis dicat à me non rationem habitam trabium quibus fulciebantur contignationes, & stabula distinguebantur & claudebantur. Verùm longe abest ut quingentis equis pares sint, quoad molem, omnes animalium species. Rem demonstravit Joannes Buteo Delphinas in libro suo de Arcâ. Omnium animalium species ad tres notissimas revocat, quibuscum cætera animalia comparat, quæ sunt boves, & oves, atque lupi. Terrestrium omnium, authore Plinio, maximum est elephas, & secundùm Aristotelem bove major quadruplo. Propterea elephantes duo ratione magnitudinis atque victûs possunt valere octo boves. Buteo æstimat omnia animalia, quæ pabulo frugibusque vescuntur, respondere boum paribus quadraginta quinque & dimidio; in ejus calculis septem oves æquant unum bovem, quadraginta ergo ovium paria, sive octoginta oves, paulò majores erunt quam undecim boves. Dictis paribus boum quadraginta quinque cum dimidio addamus undecim illos boves fient LI. paria. Lupus minor est ove, supponamus parem, triginta duo paria luporum sive sexaginta quatuor lupi, paulò majores sunt bobus novem. Ponamus respondere quinque paribus. Ita summa comparationis conficiet quinquaginta sex paria boum.

Buteo sentiebat non septem paria animalium mundorum inducta fuisse in Arcam; sed septem tantùm ex unâ quaque specie. Decem autem numerantur animalium mundorum species. Qui aliud sentimus, iste numerus à nobis augendus est, nempe numero septem boum, septem ovium, & similiter aliorum animalium mundorum; quæ omnia licet dicere non majora decem paribus boum. Ita summa omnium quadrupedum non major fuisset 64 paribus boum, sive centum viginti octo bobus. In illâ quam Buteo & alii instituunt comparatione inter animalia, equus habetur minor bove. Ergo etiamsi statuatur bos par duobus equis, modò una Arcæ contignatio locum præbere potuerit 256 equis sive 128 bobus, capax erat omnium animalium, quæ in illam inducta sacri codices dicunt. Vidimus autem, primâ contignatione distributâ inter quingentos equos, singulis obtingere stabula plusquam octoginta trium pedum; nempe stabula singulorum habuisse paulò plus quàm novem pedes tum in longitudine, tum in latitudine; quod spatium ferè duplo majus est quàm solet equo concedi.

In hisce calculis ineundis non ostentabo diligentiam. Fateor vix fieri posse æquam æstimationem proportionis, quæ est inter animalia; sed non hîc metuendum ne illa æstimemus infra veram molem. Etenim si centum viginti octo boves non æquâ æstimatione æquiparantur omnibus quadrupedibus, quæ erant in Arcâ, licet per nos illa æquiparari ducentis bobus; quibus stabulandis nemo dixerit angustiorem esse aream ædis sacræ Parisiensis, aut Rothomagensis, quâ non minor erat area cujuscumque contignationis Arcæ. Ex Palladio in libro primo rei rusticæ (titulo 21.) *octo pedes ad spatium standi singulis boum paribus abundant & in porrectione quindecim.* Stabula in quæ aream primæ contignationis partiti sumus, laxiora sunt. Audiamus & Columellam de stabulis loquentem (lib. 1. cap. 6.) *Lata bubilia esse oportebit pedes decem, vel minimè novem: quæ mensura & ad procumbendum pecori, & jugario ad circumeundum laxa ministeria præbeat. Non altius edita esse præsepia convenit, quàm ut bos sive jumentum sine incommodo stans vesci possit.* Ex illis centum septuaginta speciebus, quas numerant Zoologi, qui nempe de animalibus scripserunt, plurimæ demendæ; nempe spuriæ omnes ex diversarum specierum animalibus ortæ: non mille concludi potuerunt sub inferiori contignatione? Quælibet avis, excepto strutione, non multùm superat mole suâ cygnum. Cæteræ minores sunt, inter quas innumeræ aviculæ, quibus assignari possit locus in intertignationibus.

SECTIO IV.

De animalium annona, potu in Arca & ad illam adventu, tum etiam de reditu ad natale solum.

NUllum ferè est animal, inquit Buteo, pabulo vescens, cui non sit etiam frugum appetentia major: harum commeatus angustiùs & expeditiùs multò, quàm herbaceum pabulum, conduntur. Scilicet decempondo fœni aut viciæ pabularis multò plus loci tenebunt, quàm decempondo hordei aut viciæ seminalis. Et quæ mensura fœni ad vitam tolerandam bovi vix satis erit in diem, eadem mensura farris, sive farraginis, cujuslibetve grani, biduo vel triduo ad saginam etiam corporis exuberabit. Cùm fœni demensum quotidianum singulis bobus inquirerem, ait Buteo, experimento didici verissimum esse quod tradit Columella, rerum rusticarum scientissimus author: Januario scilicet mense satis esse singulis bobus fœni pondo. 30. Martio & Aprili, quia terra proscinditur, sat esse pondo 40. singulis dari. Ego autem fœnum compressum, sicut solet in magnis fœnilibus esse, postquam exaruit, curiosè dimensus inveni mensuram cubiti solidi paulò plus quàm pondo 40 fœni continere. Propterea cubum unum fœni (cubitalem semper intelligo) in capita boum singula distribui quotidie nimium esset. Hac enim longâ diætâ saginarentur supra modum. Nam, ut ait Aristoteles, omnia animalia, & præcipuè quibus venter est calidus quietè pinguescunt. Nihil itaque dubito quin singulis bobus otiosis in diem sufficeret dimidium cubi, hoc est, fœni pondo 20. Hactenus Buteo.

Libra Romana quâ utebatur Columella, duodecim unciarum, quarum singulas vidimus superiori libro minores esse singulis unciis nostratibus. Pes regius Parisiensis solidus major est dimidio cubito sive Romano, sive Hebræo: itaque pedem fœni in capita boum singula distribui nimium esset. Attamen si tertiam contignationem altam faciamus quindecim pedibus, hæc continebat pedes solidos 630000, qui divisi inter ducentos boves, singuli habebunt 3150 pedes solidos fœni; quorum non ultra tertiam partem comedere potuissent anni spatio, etiamsi tantummodo fœno vescerentur & non granis, quæ tantum spatium non requirunt. Dictis adjungamus Noachum forsan elegisse animalia nondum generationi matura, & parvæ molis.

Quoad potum animalium locus erat in inferiori parte Arcæ innumeris doliis capiendis, tum & receptaculis ex quibus hauriretur aqua hisce in locis, ubi Arca fluitabat, aquas opinor fuisse dulces. Non omnis terra obruta est marinis sive salsis aquis. Si enim illæ pariter in omnes regiones & fluvios penetrassent, fluvialibus piscibus offecissent; nam ut marini plerique intereunt extra salsas aquas; sic illi extra dulces. Præterea, ut docet experientia, salsugo nocuisset seminibus & arboribus. Itaque, dum ex omnibus mundi regionibus erumperent aquæ, salsas & dulces in aliquo inter se æquilibrio fuisse arbitror, út quæ terras obtegebant à mari remotas remanserint dulces juxta originem suam; quod ut solet fieri in fluviis, in quos æstus maris influit.

Nunquam amareſcunt aquæ ſequanæ, etiam multis leucis infra Rothomagum, ad quam urbem mare refluit. Sæpiùs expertus ſum in locis, ubi duo flumina confluunt in unum alveum, per longum intervallum fluere aquas eorum impermixtas, ut color diverſus indicat. Quin etiam in ipſo mari, flumina quæ in illud intrant, etiam quorumdam fontium rivuli non ſtatim ſalſuginem contrahunt; videlicet quia motus irrumpentium aquarum contrarius eſt, inde fit ut in certis maris plagis, in ipſo, inquam, medio mari, aquæ reperiantur dulces; quia ex fundo ejus ſcaturiunt fontes, eo impetu ut reſiſtant aquis marinis, & ideo protinus non amarore earum corrumpantur. Fournerius in ſuâ Hydrographiâ ſcribit Batavos nautas per tres horas navigaſſe circa inſulam *Sumatra* inter aquas dulces; & id etiam obſervatum in Ponto Euxino. Major copia aquarum diluvii de cælo decidebat, cæleſti autem pluvia ponderoſior aqua marina, & idcirco vergit ad inferiora. Ergo non abſimile vero eſt aquas ſuperiores diluvii haud fuiſſe amarore tinctas, maximè in montanis regionibus Armeniæ, quibus reſedit Arca. Quis non experitur in vas capaciſſimum, cujus in fundo paululùm eſt aquæ ſalſæ, eam copiam aquæ dulcis infundi poſſe, ut in toto vaſe nullus deprehendatur, niſi dulcis ſapor? Ad ſummos ergo Armeniæ montes non poterat ſalſedo maris pervenire. Præterquam erumpentes ex his montibus fluvii, tum versùs mare ſeptentrionale, tum versùs meridionale, obſiſtebant quodammodo fluctibus maris; ut ſingulis diebus advertimus Rothomagi, cùm in eam altitudinem mare in ſuo æſtu ſic aſſurgit, ut obſiſtat aquis ſequanæ quominùs in illud ſolito curſu tendant. Nimirum libratæ aquæ fluvii non permiſcentur cum mari, & remanent dulces. Igitur animalia potari poterant ex ipſis aquis, in quibus innatabat Arca. Exhibuimus in Tabula ſecunda canalem ſic diſpoſitum in Arca ſecundum longitudinem ejus, in quem ex ipſo diluvio infundi aquæ poterant ſine multo negotio.

Ne ullus ſcrupulus ſuperſit circa adventum animalium ad Arcam, horum præſertim quæ propria ſunt certis regionibus: quomodo, verbi cauſa, ab extremis oræ Americanæ plagis, advenerint & poſt diluvium redierint ad ſolum natale. Etenim ſunt quæ extra has oras nec vivunt, nec occurrunt. Tum & huicce quæſtioni locus eſſe poteſt, puta an ſicut ex uno homine omnes homines prognati, ſic ex primùm formatis mare & femina cujuſque ſpeciei, ſingula animalia orta ſint: an verò propagata & creata ubicumque locorum; ad quorum patientiam facta videntur. In Geneſi tamen dicitur omnia animalia ad Adamum adducta, quibus nomen impoſuerit; quod ſi factum eſt, ut conſtare debet, quoniam ſcriptum, tunc omnes quotquot ſunt animalium ſpecies non ſpuriæ, adfuere in ipſo Paradiſo, aut in viciniâ ejus natæ; & ideo non longè adducendæ ad Noachum, qui, ut modo videbimus, circa regionem illam commorabatur. Quidquid ſit Deo volente & imperante advenere ad Arcam, & deinde ex eadem Dei voluntate animalia in plagas mundi magis ſuæ indoli competentes ſpargi potuere. Quotidie videmus illa properare in ſedes ſibi idoneas; ſed licet dicere ante diluvium nullam fuiſſe animalium ſpeciem, quæ non occurreret his in locis ubi Arca fabricata eſt; quæ hypotheſis ſi admittatur, jam non quærendum quî fieri potuerit ut tot maria tranarent beſtiæ illæ, quæ intra Americam naſcuntur, ut ad Noachum pervenirent. Si quis verò contendat in ſolâ Americâ certum animalium genus naſci & vivere poſſe, non ideò excludendum ab Arcâ. Nunc quidem impoſſibile eſſet ut in Aſiam penetrent propter maria interjacentia, ſed inductam dicere poſſumus à diluvio mutationem orbi terrarum. Quin poſt diluvium, nec etiam ante multos annos, conſtat multis motibus terrarum faciem telluris immutatam, & à ſedibus ſuis avulſas terras, & interfluenti mari ſejunctas, quæ priùs erant conjunctæ: aut nunc aratro ſcindi, quæ priùs roſtro navium ſulcabantur. Hæ mutationes demonſtrantur multis teſtimoniis & experimentis ſcriptorum, qui fide digni ſunt. Inſtar ſit omnium Lactantius. *Enumerare poſſem*, inquit ille, *quoties repentinis quaſſatæ motibus, vel hiaverint terræ, vel deſcenderint in abruptum; quoties demerſæ fluctibus & urbes & inſulæ abierint in profundum, fructiferos campos paludes inundaverint, flumina & ſtagna ſiccaverint, montes etiam vel deciderint abrupti, vel planis fuerint adæquati: plurimas etiam regiones, & plurima fundamenta montium latens & innatus ignis conſumit; quam quidem inſtabilem naturæ viciſſitudinem, ſummi nullo non tempore philoſophi non ſine admiratione obſervarunt.* His ſimilia dixerat Seneca Tragœdus.

Omnia tempus edax depaſcitur, omnia carpit,
Omnia ſede movet, non ſinit eſſe diu.
Flumina deficiunt, profugum mare littora ſiccat;
Subſidunt montes & juga celſa ruunt.

Non prætermittenda quæ & ante eos Ovidius cecinit lib. 1. Metamorph.

Vidi ego quod fuerat quondam ſolidiſſima tellus
Eſſe fretum, vidi factas ex æquore terras;
Et procul à pelago conchæ jacuere marinæ;
Et vetus inventa eſt in montibus anchora ſummis.

Itaque animalium ad proprias ſedes poſt diluvium reverſio non impoſſibilis videtur niſi his qui nempe ignorant Americam, Aſiam, Europam, fuiſſe forſan olim conjunctas: regiones trans marinas primùm habitatas ab incolis quos illuc tempeſtas detuliſſet; & ideo in illis multa reperiri animalia, quæ aut ipſi homines ſecum advexêre, aut naturali impetu, dum auram ſequuntur faventem, & allecta cælo jucundiori, huc natando venerunt; vel dum fugiunt adverſantes & fortiores feras, quæ ſe commiſerant mari. Per quatuor mille & ampliùs annos, qui à diluvio effluxerunt, uſque ad tempus quo novus orbis innotuit, variis caſibus quos ignoramus, plurimæ factæ ſunt hominum & animalium tranſmigrationes. Teſtimonio veterum ſcriptorum, etiam gentilium conſtat terram non frequentatam incolis, niſi à tempore quo ſacri codices referunt diluvium contigiſſe; & à tribus filiis Noë omnes populos, qui in antiquâ hiſtoriâ nominantur, originem ſuam ducere; quod prorſus nos lateret, niſi hiſtoriam *Phaleg* ſive diſperſionis filiorum Noë Moyſes litteris mandaſſet.

SECTIO V.

Diluvium ceſſat defluentibus aquis. Noë ſiccatâ terrâ egreditur ex Arca, quæ delata fuerat ſupra montes Armeniæ.

ABſolvitur hiſtoria Diluvii capite octavo Geneſeos.

V. 1. *Recordatus autem Deus Noë, cunctorumque animantium, & omnium jumentorum, quæ erant cum eo in Arcâ, adduxit ſpiritum ſuper terram, & imminutæ ſunt aquæ.*

Qui amicum non liberat à præſenti malo, cùm poſſit, videtur ejus obliviſci; ſicut recordari, cùm

opem fert. Deus igitur dicitur recordatus Noachi, A sive promissionis quam illi dederat servaturum eum ab aquis diluvii. Ergo immisit ventum, quo flante aquæ imminutæ sunt. Ventus autem ille non videtur aliquibus ventus ordinarius, sed ipse Spiritus sanctus, cujus sola virtus adeò efficax fuerit. Tanta aquarum abundantia non potuit à quocumque vento exhauriri, Spiritûs ergo sancti vim occultabat Deus in ipsâ ordinariorum ventorum virtute; quam describit Lucretius (lib. 6.) his versibus.

Tum porrò venti magnam quoque tollere partem
Humoris possunt, verrentes æquora ponti:
Siccari, mollisque luti concrescere crustas.

Similiter exprimit Ovidius quomodo volente Deo B tellus aquis diluvii liberata sit.

Nubila disjecit, nimbisque Aquilone remotis,
Et cælo terras ostendit & æthera terris.

Prosequamur textum sacri codicis.

2. *Et clausi sunt fontes abyssi, & cataractæ cæli: & prohibitæ sunt pluviæ de cælo.*

Ut omnem aquarum scaturiginem ad diluvium reseratam fuisse dixerat Moyses; ita causam mali cessasse ut significaret, dicit clausos fontes abyssi & cataractas cæli, pluviasque cæli omnes prohibitas. Non scribit ille legislator ut peritos reddat peritiores, sed ut intelligatur à vulgo; cujus ergo opinionibus, sese accommodat. Terræ ingens commotio, & quasi ruina, quæ juxta leges naturæ contigerat, C effecerat ut ex abyssis terræ ascenderint aquæ super faciem ejus, ut diximus. Similiter quæpiam commotiones ex naturalibus causis ortæ efficere potuerunt ut aquæ descenderent infra montes.

3. *Reversæ sunt aquæ de terrâ euntes & redeuntes: & cœperunt minui post centum quinquaginta dies.*

Junius & Tremellius fontem reddunt: aquis indesinenter recedentibus. Hi infinitivi הלוך ושוב *halok ouschob*, continuationem significant. Verbum שוב non solùm *ire* sed & *recedere* sonat; itaque horum verborum sensus est: quò magis ibat aqua, recedebat. LXX. Καὶ ἐνεδίδου τὸ ὕδωρ πορευόμενον ἀπὸ τῆς γῆς & *remissa est aqua vadens à terra.* Illud *cœperunt minui* post centum quinquaginta dies, alii sic inter- D pretantur, ut quemadmodum per centum quinquaginta dies aquæ auctæ fuerant; per centum quinquaginta quoque alios dies, earum facta sit imminutio. Tot dies numerantur à decimâ septimâ die mensis secundi ad decimam septimam mensis septimi, si cuilibet mensi tribuantur triginta dies; undè sequeretur annum veterum Hebræorum fuisse Ægyptiacum, nempe omnes menses fuisse æquales. Rotundioribus autem numeris Moyses uti potuit, ut ex hoc loco quæstio celebris finiri non possit de ratione anni priscorum Hebræorum.

4. *Requievitque Arca mense septimo, vigesimo septimo die mensis super montes Armeniæ.* E

Juxta hodiernum codicem Hebræum id non contigit vigesimo septimo die mensis, sed decimo septimo. Latinus interpres sequitur ibi LXX. interpretes, qui aliter legerunt. Nunc fons habet שבעה עשר יום *decimo septimo die.* Ita & codex Samaritanus. Verùm olim Græci interpretes legebant, שבעה עשרים *schabah heschrim*, nempe pro duabus disjunctis vocibus עשר יום *asar iom*, id est, decimo die, legebant conjunctim unicâ voce עשרים *vigesimo* supple *die.* Quæ sit melior lectio, ut dijudicaretur, diligentiùs omnis ista chronologia examinanda esset, quod alienum est à præsenti instituto. Arca dicitur requievisse super montes Ararat, id est, in uno montium Ararat; ut Jepthe dicitur sepultus *in urbibus Galaad* pro in unâ urbe Galaad. Ad Geographiam pertinet quæstio cur interpres Latinus *Ararat* reddiderit Armeniam: sequitur ipsos LXX. interpretes qui apud Isaiam (37. v. 38.) *Ararat* interpretantur Armeniam. Ex fragmentis quæ inseruit in suis libris Josephus, discimus traditum ad Armeniæ montes Gordyæos Arcam delatam fuisse. Hos paraphrastes Chaldæus appellat montes *Cordu.*

5. *At verò aquæ ibant, & decrescebant usque ad decimum mensem: decimo enim mense, primâ die mensis, apparuerunt cacumina montium.*

Interea cùm aquæ minui pergerent, decimo mense anni primâ die mensis apparuerunt cacumina montium. Quærunt quomodo illa innotuerint Noacho, qui hunc concipiunt in Arcâ perinde ac in capsâ inclusum, antequam fenestram aperiret. Ipsi respondent se rescire potuisse ex eo quod aquæ non ampliùs Arcam verberarent, ut antea fiebat. Quasi verò cùm aquæ viginti aut triginta cubitis altiores essent, aliâ ratione tunc verberarent Arcam. Sed & quomodo idem Noachus Arcâ conclusus deprehendisset diluvium montes Armeniæ altissimos exsuperasse quindecim cubitis? His vero difficultatibus non locus est in nostrâ sententiâ, in quâ Noë poterat omnia tum visu tum ipsâ manu explorare, perticâ vel perpendiculo dimetiens quot cubitis Arca extaret supra cacumina montium.

6. *Cùmque transissent quadraginta dies, aperiens Noë fenestram Arcæ, quam fecerat, dimisit corvum.*

In fonte חלין *Allon*, quæ vox significat fenestram: Græcè θυρίδα, ut ibi habent meliores editiones textûs Græci: nam in aliquibus est θύρα *ostium.* Vidimus *Allon* quidquid sit, non idem esse quod *zoar*, licet utraque vox reddatur ab interprete Latino *fenestra.* Hæc denotat *splendorem*, alia *foramen*, quod sæpius clathris sive cancellis intercludebatur. Eam quidem opinionem de Arcâ omnes interpretes præconceperunt, ut quasi vera Arca omnino obsepta fuerit, patens unicâ fenestrâ, quæ hactenus antequam corvus emitteretur, occlusa fuisset. Verisimilius est ibi fieri sermonem de clathris, quibus aves claudebantur. Aperuit horum clathrorum partem, θυρίδα ostiolum Noë, ut emitteret corvum, experturus an alicubi esset terra desiccata, in quâ scilicet consistens non reverteretur. Cùm dicitur Arca requievisse in montibus Ararat, sive Cordiæis, non credendum est eam super juga montium insedisse. Hoc fieri non poterat; indefluenti enim diluvio motus aquarum à montium altioribus jugis, deferebat Arcam in loca depressiora. Qui regiones montanas non viderunt, statim ac mons nominatur, cogitant eum undique præruptum, qui velut obeliscus in planitie surgat. Sed videre est in Alpibus, in Pyrenæis quid sit sentiendum de montibus Ararat, scilicet in montanis plagis & valles esse possunt inter juga montium, etiam stagna, lacus, patentes campos. Puto in aliquâ valle Arcam requievisse; cùm igitur circumstantium montium juga prospectum adimerent, Noachus qui non poterat videre quid in subjectis infra hanc montanam regionem agris fieret, emisit corvum. Imago Arcæ quam delineandam curavimus exhibet eam jacentem in valle inter altos montes; ubi certè scriptura indicat quievisse, & ejus reliquias superfuisse per multas ætates dicit Josephus. Noachus, inquam, exploraturus quid fieret ultra montes, in subjectâ planitie emisit corvum.

7. *Qui egrediebatur & non revertebatur donec siccarentur aquæ super terram.*

Conciliari non potest fons hodiernus cum istâ versione Latinâ, quæ exprimit Græcam versionem. In textu Hebræo corvus indefinenter ibat & redibat;

bat: *Vel egressus ibat & redibat.* Ita in illo non est negatio, quam ab ipsâ Græcâ versione olim abfuisse colligitur ex eo quòd Josephus dicat corvum rediisse ad Noachum, cùm soleat alioqui Græcos interpretes sequi. Quin & aliqui ex patriis Latinis videntur non legisse istam negationem. Sed non recens est versionis Græcæ cum textu Hebræo in hac re discordia. Etenim B. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis negat codices Hebræos cum Græcis consentire. Bochartus in Hierozoico (part. 2. lib. 2. cap. 12.) præfert lectionem Græcam hodiernam. Ego verò puto corvum non ad Arcam, sed circa Arcam rediisse; & sic concilio codices. Videlicet corvus quandoque longiùs avolabat extra cacumina montium Noacho conspicua; sed quoniam à subjectâ planitie nondum defluxissent aquæ, ibat & redibat volitans circa illa cacumina; quod quidem advertebat Patriarcha, sed inde argumentum non poterat capere. Verisimile est dum aquæ crescerent, pleraque animalia confugisse ad montium vertices; ubi ergo non deerant cadavera, quæ depasceret corvus, propterea illum emiserat Noachus, sciens ei non defuturum cibum, modo tellus non tota aquis operiretur; quod sic intelligere poterat, non redeunte.

8. *Emisit quoque columbam post eum, ut videret si jam cessassent aquæ super faciem terræ.*

Hæc videntur innuere non reversum corvum ad Arcam; Columbam eregit Noachus, quia studiosè & maturè ad nidum & communem domum revertitur, avis docilis & homini amica μείλιχος ὄρνις ἐράσιμος, ut canunt poetæ Græci de illâ; quin illam deo dicunt dicatam Veneri. Deinde & procul volat columba; humi libenter pascitur. Ideo hanc emittebat Noachus, ut sciret an alicubi facies terræ desiccata esset, nam satis conspicua erant montium cacumina: duræ autem & nudæ cautes columbam non poterant delectare; ideo his non immorata est.

9. *Quæ cùm non invenisset ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in Arcam: aquæ enim erant super universam terram: extenditque manum, & apprehensam intulit in Arcam.*

Moyses non loquitur de conspicuis montium cacuminibus, quæ nec limo poterant esse obsita, quia prærupta; & si limus eis inhæsisset, ab eis defluxisse poterat. Ergo de facie terræ, de agris, de planitie sollicitus erat Noachus. Inter concava montium, ut jam dixi, non prospiciebat qualis esset facies terræ. Sed columba evolans extra montes, cùm non *cessassent aquæ super faciem terræ*, ad solitum nidum reversa est; neque enim nanciscebatur cibos in montium cacuminibus sibi convenientes; neque cadaveribus ut corvus pascebatur. Cùm proxima advolavit eam ut pote naturâ tractabilem manu excepit Patriarcha, qui ejus reversionem expectabat, & induxit in Arcam.

10. *Expectatis autem ultra septem diebus aliis, rursum dimisit columbam ex Arcâ.*

Hæc satis clarè innuunt septem dies post corvum emissam columbam, donec aquæ decrescerent, & cederent à facie terræ; quod ex ejus reversione agnovit.

11. *At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo: intellexit ergo Noë quod cessassent aquæ super terram.*

Tunc æstas erat; nam verisimilius est cœpisse diluvium in secundo mense anni civilis. Itaque vere novo arbores incipiebant virescere præ cæteris olea quæ viret, etiam in aquis marinis, ut adstruit Theophrastus (lib. 4. cap. 8.) in historiâ plantarum; cujus verba Plinius contrahit (lib. 13. cap. 25.) *In mari verò rubro mirum est silvas virere, laurum maximè & olivam ferentem baccas.* Fons quidem non liquidò significat columbam attulisse ramum olivæ virentibus foliis; etenim simpliciter sic reddi potest: *portans ramum oleæ*; vel pressius juxta vim verborum: *folium oleæ decerptum.* Hæc confirmant eo tempore Arcam quievisse in viciniâ Assyriæ; quæ, ut dicitur in quarto Regum, cap. 18. v. 32.) *Terra est olivarum & olei.* Sive ramus, quem ore columba ad Noë detulit, fuerit surculus tener, quem ore decerpserat; sive folium quod collegerat, sive in ipsâ aquâ hic surculus vireret; sive in aliquâ portione agri, quæ jam aquis liberata fuerat. Illa avis per totam diem pasta vespere reversa est ad comparem suum, & ad nidum, ut sæpius solent illæ aves; unde intellexit Noachus agros alicubi liberatos aquis; neque enim totâ die juga montium, & asperas cautes insedisset.

12. *Expectavitque nihilominùs septem alios dies: & emisit columbam, quæ non est reversa ultra ad eum.*

Aquis magis magisque recedentibus non locus defuit columbæ ubi pasceret, & requiesceret; ideo non reversa est ad Noachum, qui inde cognovit terram incoli posse.

13. *Igitur sexcentesimo primo anno, primo mense, primâ die mensis, imminutæ sunt aquæ super terram: & aperiens Noë tectum Arcæ, aspexit, viditque quod exsiccata esset superficies terræ.*

Forsan necdum omnino satis exsiccata; ideoque Noë distulit egressum ex Arcâ in vigesimum septimum diem mensis secundi, cùm campi in collium jugis jam erant exsiccati. Ubi autem de proximâ & integrâ exsiccatione spem concepit, & egressum parans aperuit *tectum Arcæ* sive juxta vim fontis, *removit operimentum Arcæ.* מכסה *michse.* Hanc vocem ibi LXX interpretes reddunt στέγην *tectum*, Aquila vero τὸ κάλυμμα *operculum, operimentum, velamentum.* Non itaque ibi decet intelligere tectum compactum ex asseribus, inter quos concluderetur Noachus; sed velamina, operimenta, quibus Arca satis protegebatur adversus imbres & procellas. מכסה dicitur etiam de velamento, quod obtendebatur portæ Tabernaculi, ut in Numeris (cap. 3. v. 25.) τὸ κάλυμμα τῆς θύρας τῆς σκηνῆς. Jam operimento non opus erat; fugatis enim nubibus, & abeuntibus procellis, purus & serenus aër erat, quo totam Arcam recreare voluit Noachus. Ibi vulgatus interpres sic loqui videtur, quasi ille Patriarcha hactenus conclusus in Arcâ nihil vidisset: *Imminutæ sunt aquæ super terram, & aperiens Noë tectum Arcæ, aspexit, viditque.* Fons habet: *exsiccatæ sunt aquæ de facie terræ, & amovit Noë operimentum Arcæ;* quia jam eo, ut dixi, non opus erat. *Et vidit*, nempe tunc magis magisque certior factus est *quòd exsiccata esset superficies terræ.* Ita non illi ingruebat timor à pluviâ, adversus quam paraverat operimentum.

14. *Mense secundo, septimo & vigesimo die mensis, arefacta est terra.*

Diluvium cœperat anno sexcentesimo vitæ Noë, mense secundo, septimo decimo die mensis, ut supra vidimus (cap. 7. v. 11. Gen.) Cùm ergo perfectè exaruerit terra anno sequenti, eodem mense, sed vigesimâ septimâ die, duravit diluvium annum integrum solarem & decem dies, si tunc menses non lunares fuerint; alioquin illi decem dies additi duodecim mensibus lunaribus faciunt unum annum solarem; duodecim enim menses lunares constant 354 diebus; & annus solaris 365. Eâdem die quâ Noë intravit in Arcam, integro anno revoluto, Arcâ egressus est Deo jubente.

15. *Locutus est autem Deus ad Noë, dicens:*

16. *Egredere de Arcâ, tu & uxor tua, filii tui & uxores filiorum tuorum tecum.* Nemo ex eis interierat.

17. *Cuncta animantia quæ ſunt apud te, in Arcâ, ex omni carne, tam in volatilibus quam in beſtiis & univerſis reptilibus; quæ reptant ſuper terram, educ tecum & ingredimini ſuper terram: creſcite & multiplicamini ſuper eam.*

Quomodo poſt diluvium, de Aſiâ, in quâ egreſſus eſt Noë, animalia ad inſulas & Americam pervenire potuerint, diximus. Id fieri potuit primum natatione; experientia enim docet feras per integros quidem dies & noctes, neceſſitate urgente, natare & enatare. Plinius lib. 8. cap. 23. de cervis hæc ſcribit. *Maria tranant gregatim, nantes porrecto ordine & capita imponentes præcedentium clunibus, vicibuſque ad terga redeuntes.* Sunt qui credant id diu non poſſe feras; undè, inquiunt, contigit ut in inſulis à continente itinere quatridui diſſitis verbi gratiâ, in inſulâ Cubâ pleræque non reperiantur ut obſervat Joſephus Acoſta (lib. 1. de novo orbe cap. 21.) Igitur in inſulas & loca diſſita à terrâ eſto non tranaverint, ſed portari potuere; nam in novo orbe ante adventum Hiſpanorum nulli erant boves, nec equi, nec canes. Aſia forſan olim cum America conjuncta erat, Aſia poſtea avulſa eſt intercedente freto Aniano.

18. *Egreſſus eſt ergo Noë, & filii ejus, uxor illius, & uxores filiorum ejus, cum eo.*

19. *Sed & omnia animantia, jumenta, & reptilia, quæ reptant ſuper terram, ſecundùm genus ſuum, egreſſa ſunt de Arcâ.*

Ad verbum: animalia egreſſa ſunt ſecundùm familias, id eſt, ſecundùm ſpeciem ſuam, mas & fœmina.

20. *Ædificavit autem altare Domino: Et tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare.*

Hic prima fit mentio altaris, ſed dubium non eſt alia altaria priùs erecta fuiſſe. Patriarchis enim ante legem datam, ut innui, innotuerat ratio ſacrificiorum, & diſtinctio animalium quæ Deus deſtinaverat altari.

21. *Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuavitatis.* Juxta fontem, *odorem quietis*, id eſt, quieſcere facientem iram Dei. Suſcepit Deus cum beneplacito oblationem, ut explicat hunc locum paraphraſtes Chaldæus. Priùs quaſi fœtore impietatis offenſus, nunc recreatus eſt gratitudine Noë, & cultu ſuo. Priſtinis temporibus fiebant altaria ex lapidibus, qui congerebantur in tumulum. Quia ergo altare ædificavit Noë ſic congeſtis lapidibus, & in eo offerens ſacrificium placavit Deum; ideò Ethnici ſcriptores, quos non omninò ſacra ſcriptura latuerat, veritatem mendaciis obſcurantes, commenti ſunt poſt perditos homines diluvio Deucalionem & Pyrram reparaſſe hominum genus jactu lapidum. Quidquid ſit de origine hujus figmenti, conſtat Deum placatum ſacrificio quod Noë obtulit. *Et ait: nequaquam ultra maledicam terræ propter homines: ſenſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentiâ ſuâ: non igitur ultra percutiam omnem animam viventem ſicut feci.* Tam acerbum ſupplicium non exigam; cùm enim adeò proni ſint ad peccandum homines, perdendus eſſet omnis orbis. Peccantes quoſque propriis pœnis caſtigabo; volo enim humanum genus conſervare & propagare.

22. *Cunctis diebus terræ, ſementis, & meſſis, frigus & æſtus, æſtas & hyems, nox & dies, non requieſcent.*

Non interpellabuntur anni vices; nec unquam ſimiliter perpetuus imber obruet terram. Dici etiam poteſt à Deo indicari novam rerum faciem, hyems, ver, æſtas & autumnus erunt ſuis temporibus cum ante diluvium nulla eſſet tempeſtatum diverſitas, ſed perpetuum ver, quam perpetuitatem; ordo tempeſtatum ſibi ſuccedentium abrumpet.

SECTIO VI.

Arca Noë typus Eccleſiæ extra quam nemo ſervatur, intra quam pervenitur ad portam æternæ felicitatis. Id ſignificabat Arca delata ad locum ubi primùm fuit Paradiſus. Omnia vetuſta monumenta perhibent teſtimonium his quæ Moyſes de diluvio ſcripſit.

DEus ab ipſo rerum initio prælusit iis quæ facturus erat, novum mundum creans, hoc eſt, veterem reparans morte filii ſui. Norunt hoc Chriſtiani; dicerem & Judæi qui agnoſcunt pleraque patribus ſuis contigiſſe in rerum futurarum typos, & in ſacro codice præter ſenſum quem verba ſacra præferunt, alium ſub eorum cortice quærendum, quippe occultiorem. Hoc certum eſt de Arcâ Noë, & de Diluvio. Neque enim opus erat ut Deus totum terrarum orbem obrueret, puniturus homines qui in eo degebant ſceleribus infecti, poterat vel morbo interficere ſingulos, vel miſſis de cælo fulminibus adigere ad infernas ſedes, parcens cæteris animalibus, quæ nullum reatum admiſerant. Sed tam manifeſto exemplo, tanquam documento homines erudiendi erant; cujus memoriam refricat Dominus in Evangelio (Math. cap. 24. v. 37.) *ſicut autem in diebus Noë, ita erit & adventus filii hominis.* v. 38. *Sicut enim erant in diebus ante Diluvium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, uſque ad eum diem quo intravit Noë in Arcam*, v. 39. *& non cognoverunt donec venit diluvium, & tulit omnes: ita erit & adventus filii hominis.* Arca figurabat Eccleſiam, quæ per lignum Crucis ſervata eſt; extra autem eam nemo ſervatur, ut prorſus deleta ſunt quæ intra Arcam non admiſſa fuerant: *In quâ pauci, id eſt, octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam.* Ait Petrus [Ep. 1. cap. 3. v. 20.] Sicut conſtat paucos electos eſſe in Eccleſiâ, licet multi ad eam vocentur; boni enim & mali admittuntur; quod figurabant tot & tam diverſæ animalium ſpecies, collectæ in eâdem Arcâ, lupus & agnus, leo & bos. Hæc animalium diverſitas & vaticinium erat concordiæ inter gentes Chriſtianas, quæ licet diverſorum morum debebant aliquando inter ſe fovere pacem, juxta Iſaiæ vaticinium quod ſupra protulimus. Lupus & agnus habitantes ſimul, leones qui quaſi bos comedebant paleas, adumbrabant res Eccleſiæ, quæ ſinu ſuo complexa eſt gentes barbaras, belluinis moribus, & ſibi invicem inimicas. Quin in eâ nunc vivunt mali permixti bonis, ut animalia munda & immunda pariter in Arcâ fuerunt. *Videmus etenim*, ut queritur Gregorius Mag. [homil. 16. in Ezech.] *multos intra ejuſdem ſanctæ Eccleſiæ ſinum in ſuperbiâ erigi, in carnis voluptate diſſolvi, acquirendis terrenis rebus inhiare, imperante avaritiâ tranſire, deſervire iracundiæ, jurgiis vacare, proximos quos prævalent lædere.* Noë egreſſus ex Arcâ, & aquis diluvii liberatus, potuit frui bonis terræ; ita ſervati à malis, quibus exundat facies terræ, reddimur patriæ noſtræ, quæ cælum eſt. Columba ramum olivæ præferens ore, annuntiaverat Deum placatum; de quo & nos certos facit baptiſma, cujus Arca typus fuit, ut ſignificat Petrus (Ep. 1. cap 3. v. 20.) *in quâ pauci, id eſt, octo animæ ſalvæ fa-*

ctæ sunt per aquam. Quod & vos nunc similis formæ salvos facit baptisma. Huc alludebat Tertullianus in lib. de Baptismo (lib. 8.) *Post Baptismum, ut ita dixerim, mundi pacem cælestis iræ præco columba terris annuntiavit, dimissa ex Arcâ, & cum oleâ reversa, quod signum etiam apud nationes paci prætenditur.* Sanctus Augustinus libro 15. de civitate Dei cap. 26. docet Arcam in omnibus Christum Ecclesiamque significare. *Jam verò*, inquit, *quòd Noë homini justo, & sicut de illo Scriptura veridica loquitur, in suâ generatione perfecto, non utique sicut perficiendi sunt cives civitatis Dei in illâ immortalitate, quâ æquabuntur Angelis Dei, sed sicut esse possunt in hac peregrinatione perfecti, imperat Deus ut Arcam faciat, in quâ cum suis, id est, uxore, filiis, & nuribus, & cum animalibus, quæ ad illum ex Dei præcepto in Arcam ingressa sunt, liberaretur à diluvii vastitate; Procul dubio figura est peregrinantis in hoc sæculo civitatis Dei, hoc est Ecclesiæ, quæ fit salva per lignum.*

Eden sive paradisum terrestrem ibi posse collocari ubi requievit Arca conjectura est viri docti, quæ si valeat, genus humanum fuisset à Noacho restauratum eo ipso loco quo protinus conditum est. Ex Armeniæ montibus oriuntur Euphrates & Tigris, etiam Phasis, à quo nomen Phisonis non abludit, nisi quòd, ut illud Hebræum terminationem ון *on*, ita hoc Græcam terminationem ις habeat. De phasi sic loquitur Strabo lib. 10. ubi agit de Colchide. Διαῤῥεῖ δ᾽ αὐτὴν ὁ φάσις μέγας ποταμὸς ἐξ ἀρμενίας τὰς ἀρχὰς ἔχων. *Hanc illabitur phasis ingens flumen ex Armeniâ ortum ducens.* Plura alia in hanc rem testimonia adducit Hadrianus Relandus auctor dictæ conjecturæ

Phasim esse Mosaïcum *phisonem* probat ejus descriptio, nempe quòd circumeat terram *Hevilath* ubi nascitur aurum. הוילה *Chavilath* sive *Hevilath* non multùm distat à חילה *Chalach*, undè additâ terminatione facta est *Cholchis*. Illa autem regio pars est Scythiæ, quæ, ut dicit Justinus, includitur *phasi flumine.* In Cholchide autem & Scythia reperiri aurum comprobat fabula aurei velleris inde rapti à Jasone. Apud Scythas, inquit Strabo lib. 10 *dicuntur torrentes aurum deferre, quod barbari excipiunt tabulis perforatis, & lanosis pellibus, unde ficta est aurei velleris fabula.* Job capite 37. 22. dicit: *ab Aquilone venit aurum.* In regione Hevilath Moyses celebrat ברלח *bedolach* & שהם *schoham.* Prima ex duabus illis vocibus à vulgato interprete redditur *bdellium*, altera lapis Onychinus. Plerique his vocibus intelligunt chrystallum & smaragdos quibus Schythiam abundare Plinius lib. 37. 5. auctor est.

Quartum flumen quod nominat Moyses in descriptione paradisi etiam oritur ex montibus Armeniæ & in mare Caspium sese effundit, quod dicitur Araxes, & inter maximos Asiæ fluvios ab Ariano libro 7. de expeditione Alexandri Magni recensetur. Nomen *Araxes* Persicè, inquit Relandus, idem sonat, quòd *provenire, profluere*, & in genere *fluvias*; unde diversa flumina hocce nomen habent in Asiæ descriptionibus. Illud autem nomen non aliud videtur Relando quàm *Gehon*, Hebraice גיחון *Gihon* à גוח *erumpere, prodire.* Sicuti ergo *phison* Græcis est *phasis*, ita *Gehon* sive *Gehom* iisdem Græcis est *Araxes*, quod non mirabuntur qui Hebræas litteras sic sonare posse advertent. Sic quatuor flumina quæ Moyses memorat in paradiso fuisse, profluebant ex montibus Armeniæ: appellat illa נהרים *naharim*, & indicat habuisse distincta capita ראשי ἀρχὰς *initia*, non igitur loquitur de exiguis ramis & arte humanâ factis Tigridis & Euphratis, ut opinantur qui intra horum fluminum fontes paradisum ponunt.

At si quis me roget, verba sunt Relandi, *ut porro indicem, ubi unus ille fluvius sit, qui paradisum rigabat, & unde hi quatuor ortum duxerunt, hunc ego vicissim rogatum volo, ut me ex aliquâ illarum hypothesium, quas de situ paradisi formarunt viri docti, doceat ubi illi unum fluvium ostendant, è quo quatuor distincti orti sunt; quem ego fateor me hactenus non reperisse. Nam aut eundem illum faciunt cum Tigri & Euphrate, cùm Moyses illum distinguat, aut fingunt unum illum olim fuisse, nunc frustra quærendum.* Ex quo Adamus peccavit, & illum Deus paradiso expulit; & cavit ne in illum reverteretur apposito custode Angelo, sic mutavit faciem ejus quam & poterat prorsus delere; ut cùm priùs fons unus esset scatens pluribus rivulis, quibus amœnius & utilius irrigabatur, eruperint quatuor flumina, & absconditus fons sub terrâ ut non appareat ampliùs caput esse dictorum fluminum. Sed inquies, sic describitur *Gihon* sive *Gehon* à Mose, ut alluat & cingat *terram Chus* כוש, Æthiopiam juxta interpretem vulgatum. Relandus hanc terram *Chus* sentit esse *Cossæorum* aut *Cussæorum* regionem, non longè ab Araxe, qui pertransit Mediam, supra quam est Cossæorum regio. Allegat testimonia veterum Relandus. Studiosus Lector legat ejus dissertationem.

His omnibus quæ Moyses de Diluvio scripsit, testimonium perhibent omnino vetusta monumenta antiqui scriptores memorant factum diluvium; non quidem sub Noacho sed sub Deucalione quidem alterius nominis viro, in Thessaliâ cujus Rex erat; sed ut Plato in suo Critiâ observat Ægyptii à quibus Græci doctrinam acceperunt, mutaverant nomina virorum, quorum facta scriptis mandabant; quod & post eos fecerunt Græci, vestientes suo sermone barbaros. Ita fieri potest ut qui Hebræis diceretur Noë, à Græcis appellaretur Deucalion, quod sentit Philo. Sed sive Deucalion Græcorum sit Hebræorum Noë, sive reipsâ sub Deucalione Rege contigerit aliud magnum in Thessaliâ diluvium, certum est in omnium animis remansisse universalis diluvii memoriam; & Deucalionæo, qualecumque & ubicumque fuerit, ea tribui, quæ propria esse non possunt nisi universali. Deucalionæum pariter factum memoratur, quia Deum pœniteret tam perditos homines fecisse. Ovidius videtur versibus astringere quæ verbis solutis Moyses dixit. Sic canit de istâ malâ progenie, quæ iram Dei provocavit.

Contemptrix superum, sævæque avidissima cædis
Et violenta fuit.
Quæ pater ut summâ vidit Saturnius arce,
Ingemuit.

Poëta indicat quâ pœnâ Deus voluerit coërcere impios; nimirum

genus mortale sub undis
Perdere; & ex omni nimbos dimittere cælo.

Sic autem illud diluvium describit, ut pro particulari haberi non possit.

Jamque mare, & tellus nullum discrimen habebant.
Omnia pontus erat. Deerant quoque littora ponto.

Universale fuisse ostendit pœna extensa ad omnes homines, uno excepto Deucalione & conjuge Pyrrhâ.

Juppiter ut liquidis stagnare paludibus orbem,
Et superesse videt de tot modò millibus unum,
Et superesse videt de tot modò millibus unam,
Innocuos ambos, cultores numinis ambos,
Nubila disjecit.

Deucalion & Pyrra exhibent familiam Noë. De Thessaliâ Poetæ commenti erant, & de monte Parnasso, ad quem parvâ rate vectus Deucalion pervenisset, quod Moyses dixerat de Diluvio totius orbis, & montibus Ararat, ubi Arca quievit. Quisquis locum integrum in Ovidio legerit, agnoscet in ejus poëmate veram diluvii Noachici historiam permixtam sive involutam Deucalionis fabulis.

Animadvertendum est Moysem eâ ætate scripsisse, quâ ei non licebat diluvium falsum commentiri; neque enim tempus adhuc delere potuerat hujus memoriam, quæ totum orbem pervaserat. Ut adstruit Josephus (lib. 1. antiquitatum cap. 4.) omnes barbaricæ historiæ scriptores diluvii meminerunt. Illud Plato in tertio de legibus supponit notum. Quapropter etiamsi difficultates occurrant circa illud nullius viri cordati fides vacillabit. Celebratur ab omnibus historicis, tanquam epocha, à quâ repetunt omnium historiarum primum & certum initium. Etenim, ut notat Grotius in suo libello aureo de veritate Religionis, in illud fermè omnium gentium memoria desinit. Varro omne id tempus ignotum vocat quod antecesserat diluvium. Censorinus in libro de die natali, hanc Varronis sententiam refert. *Id intervallum temporis*, loquitur Censorinus, *tractabo, quod historicon Varro appellat. Hic enim tria discrimina temporum esse tradit. Primum ab hominum principio ad cataclysmum priorem, quod propter ignorantiam vocatur* ἄδηλον. *Secundum à cataclysmo priore ad Olympiadem primam: quod quia in eo multa fabulosa referuntur,* μυθικὸν *nominatur. Tertium à primâ Olympiade ad nos: quod dicitur* ἱστορικὸν, *quia in eo res gestæ veris historiis continentur.*

Seneca in quæstionibus naturalibus (in fine libri tertii) clarè significat non à se ignoratum diluvium, sicut nec ignoratam futuram mundi conflagrationem. Quærit quomodo mundus aquis perire posset; & respondet. *Per centena millia quibusdam locis æstus excurrit innoxius, & ordinem servat. Ad mensuram enim crescit, iterumque decrescit. At illo tempore solutus legibus sine modo fertur. Quâ ratione, inquit? eâdem quâ conflagratio futura est. Utrumque fit, cùm Deo visum ordiri meliora, vetera finiri. Aqua & ignis terrenis dominantur. Ex his ortus, & ex his interitus est. Ergo quandoque placuêre res novæ mundo, sic in nos mare emittitur desuper, ut fervor ignis, cùm aliud genus exitii placuit.* Fusè & eleganter diluvium describit: tunc inquit, *exsilient sub montibus flumina ipsosque impetu quatient; inde aurâ tacitâ manabant. Solum omne aquas reddet, summi scaturient montes: quemadmodum in morbum transeunt sana, & ulceri vicina consentiunt: ut quæque proxima terris fluentibus fuerint, eluentur, stillabunt, & deinde current. & hi ante pluribus locis saxo per fretum salient, & maria inter se component, Nihil erunt Hadriatici, nihil siculi æquoris fauces;* id fusè dicit Seneca; deinde: *Adjice*, inquit, *nunc, quòd immanes sunt in abdito lacus, & multùm maris conditi, multùm fluminum per operta labentium. Undique ergo erunt causæ diluvio.* Simul loquitur Seneca de cessatione diluvii. *Nec eâ semper licentia undis erit: sed peracto exitio generis humani, extinctisque pariter feris, in quarum homines ingenia transierant, iterùm aquas terra sorbebit: natura*

A *pelagus stare, aut intra terminos suos furere coget: & rejectus è nostris sedibus in sua secreta pelletur Oceanus: antiquus ordo revocabitur. Omne ex integro animal generabitur, dabiturque terris homo inscius scelerum & melioribus auspiciis natus.*

Cyrillus Archiepiscopus Alexandrinus, congessit in libro suo contra Julianum Apostatam testimonia scriptorum gentilium, de Diluvio. Pleraque ex illis jam protulerat Eusebius (lib. 9 præpar. cap. 12.) *Hujus*, inquit ille, *Diluvii, tum Arcæ meminerunt, quotquot Barbarorum historias conscripserunt. Quos inter Berosus Chaldæus, in eâ quam habet diluvii narratione, ita scribit. Atque hujus navigii partem etiam nunc aliquam in Armeniâ, circa mon-*
B *tem Cordyæorum servari ferunt, ex quâ derasi bituminis aliquid, loci ejus indigenæ, ad procurandam maximè & averruncandam Numinis iram, gestare consueverint. Ejusdem rei mentionem quoque facit Hieronymus Ægyptius, qui priscam Phœnicum historiam conscripsit; itemque Mnaseas, aliique complures. Quibus Nicolaum Damascenum adde, qui libro nonagesimo sexto hæc habet. Est, inquit, supra Minyadem mons ingens in Armeniâ, Barim vocant, ad quem plerique cùm diluvii tempore confugissent, eos periculum effugisse narrant. Præterea certum quemdam Arcâ vectum, summum ad montis verticem appulisse, ac lignorum ibi reliquias perdiu conservatas fuisse. Is verò non alius*
C *fuerit, quàm qui à Mose Judæorum legislatore memoratur.* Prætermitto alia testimonia quæ legi possunt apud Eusebium in libris tum demonstrationis tum Evangelicæ præparationis; sed non omittendus locus Strabonis in libro decimo tertio rerum Geographicarum conjicit Plato, verba sunt Latina quibus Strabo utitur, post diluvia tres vitæ degendæ formas extitisse, primam in summis montium simplicem & agrestem; metuentibus aquas hominibus, etiam nunc campos tegentes. Alteram ad radices montium, paulatim recepto animo, cùm campi etiam siccari cœpissent. Tertiam in planis; quod diluvium universale ex vetustâ traditione innotuisse Platoni & aliis antiquis scriptoribus; ne-
D que enim in ullo particulari diluvio ita aquæ excrescere potuerunt, ut ad ipsos montes altissimos compulsi sint homines confugere. Passim occurrunt vestigia diluviana, juxta omnes historiæ circumstantias, quibus describitur à Moyse. Plutarchus in libello in quo quærit, utra animalia sint calidiora, terrestriane an aquatilia memorat Columbanus *quam, inquit, ex Arcâ emissam* ἐκ τῆς λάρνακος, *tempestatem Deucalioni significasse Mythologi dicunt cùm intùs remeabat, & serenitatem cùm avolavit.* Quis non fateatur huncce morem, quo in signum pacis prætenditur oliva, oriri ex ramo hujus arboris, quem ore prætulit columba ad Noachum, quod fuit cum Deo pacis signum. Mos ille ubique ob-
E servatur apud Oratores & Poëtas. Sic in octavo Æneidos.

Paciferaque manu ramum prætendit olivæ.

Ita & apud Livium (lib. 29.) *Decem legati Locrensium, obsiti squalore ac sordibus, in comitio sedentibus consulibus, velamenta supplicum ramis oleæ ut* Græcis *mos est, porrigentes, ante tribunal cum flebili vociferatione humi procubuerunt.* Nec dubitandi locus est quin ideò Spiritus sanctus sub specie columbæ descenderit in Jesum Christum cùm baptizatus est, quia verus esset Noë servaturus homines tum à diluvio peccatorum, tum ab universali interitu, quo omnes digni erant. Diximus poëtas pro altari quod ædificavit Noë commentos fabulam de jactu lapidum quem subsecuta est

multiplicatio prolis, quod certum est de Noachica ut adstruitur cap. Gen. 11. v. 1. *Benedixitque Deus Noe & filiis ejus, & dixit ad eos: crescite & multiplicamini, & replete terram.* Ex quo Deucalion & Pyrrha post tergum miserunt lapides, nata est ex illis nova & multiplex soboles. Post tergum dicuntur jacti lapides, origo novæ prolis; quia ista origo quasi post tergum erat, nimirum quia ignota cæteris hominibus, non ipsi Noacho. Janus Ethnicorum bifrons, quia etiam anteacta ejus vultui fuerant subjecta: sive quasi duobus vultibus duas diversas ætates fuerat intuitus. In historiâ sacrâ statim post diluvium fit mentio Iridos, sive arcûs cælestis, quem Deus dicitur posuisse in nubibus, in signum quòd non ampliùs homines universali diluvio perituri essent; & ab Ovidio in historiâ diluvii Deucalionici memoratur Iris.

Nuncia Junonis varios induta colores
Concipit Iris aquas, alimentaque nubibus affert.

Hic poëta conjungit historiam Gigantum cum diluvio, quæ & subsequitur in historiâ sacrâ. Filii Noë qui turrim Babel cœperunt cælum usque tollere, non alii sunt, quàm Gigantes de quibus sic loquitur Ovidius.

Affectasse ferunt regnum cæleste Gigantes,
Altaque congestos struxisse ad sidera montes.

CAPUT IV.

Noachus religione & scientia artium imbuit filios suos, qui ædificant turrim Babel; sed factâ in labiis eorum confusione, opus disturbatum est, & per totum orbem dispersi disseminaverunt religionem & artes patris. Qui cum eo vixêre in Chaldæa diutius adhæserunt doctrinæ ejus; sed & illis idololatris factis, jussus est à Deo Abraham ex medio eorum exire.

SECTIO I.

Quas acceperat à piâ prole Adæ artes, & religionem Noachus docet filios suos.

ADamus primus hominum parens à Deo edoctus est. Filios suscepit, quibuscum per plura sæcula vixit & potuit communicare quæ à Deo didicerat, & ipse fuerat expertus. Mortuo Abele, natus est Adæ pro eo Sethus, cujus cum piâ prole diu Noachus vixit, & ejus consuetudine evasit doctior. Hisce diebus Deus mundum diluvio perdidit cum annos sexcentos tum natus Noachus; per tam longam ætatem comparasset notitiam plurimarum artium, sine quibus haud potuisset Arcam compingere. Confecta videtur Arca hisce in locis quæ in viciniâ erant regionis Eden ubi paradisus, circa Tygrim & Euphratem; nam verisimile est piam Sethi prolem non evagatam extra natale solum. Quidquid sit, ubi aquæ diluvii effluxerunt, Arca, ut vidimus, substitit in montibus Armeniæ.

De doctrinâ & experientiâ Noachi, sic loquitur Josephus *Cùm post diluvium supervixisset ter centum quinquaginta annos, totumque hoc tempus feliciter exegisset, defunctus est expletis annis in universum nongentis quinquaginta. Nec est cur aliquis præsentem vitam, annorumque ejus paucitatem cum priscorum vitâ conferendo, fidem nobis abroget; aut quia nunc eam non peræquè prorogari videt, con-*
A *jecturam hinc de illorum longævitate faciat. Illi enim Deo chari cùm essent, ipsiusque recens etiam tum opificium, & commodiore victu ad diuturnitatem uterentur, meritò per tam multos annos vivebant. Præterea tum propter studium virtutis, tum propter utilitatem inventarum artium, ut Astronomiæ Geometriæ. Deus illis & prolixiorem largitus est vitam: quarum certitudinem assequi non poterant, si minùs sexcentis annis vixissent. Ex tot enim annis magnus annus constat. Attestantur autem mihi omnes, qui Græcas Barbaricasve antiquitates litteris prodiderunt.* Omnes Græci Latinive scriptores testantur primos homines fuisse μακροβίους; & mortem antea tardam, postea gradum corripuisse, cùm
B homines in scelera prorupissent.

Noë cum tribus filiis suis Sem, Japhet, & Cham relictis montibus planitiem habitare cœperunt, in hisce regionibus quarum solum cum circumquaque relinquat liberum astrorum prospectum, aptum erat colendæ astrologiæ, quam populi hujus regionis dicti Chaldæi, primi exercuere & inde nomen datum disciplinæ; Astrologi enim Chaldæi appellati sunt. Chaldæi, inquit Cicero, 1. de Divinat. cap. 41. *cognitione astrorum solertiâque ingeniorum antecellunt*; idque non tantùm ob natale solum aptum disciplinæ suæ; sed quia habuerant Patriarchas magistros, quos docuerat primus hominum parens, ipse doctus à Deo. Habebant, inquam, eruditionem ope traditionis [illegible], inquit
C Diodorus (lib. 2.) Chaldæorum, quos & vocant Babylonios, antiquitates enarrans, quomodo religioni & studiis dediti fuerint. *At horum omnium doctrinam*, inquit ille, *non eo modo quo Græci his studiis dediti, percipiunt. Apud Chaldæos enim per generis seu familiæ traditionem hæc philosophia obtingit, filiusque à patre illam accipit; ab aliis interim publicis muneribus omninò liber. Et quia parentibus utuntur magistris, fit ut & affatim, & citra invidiam, omnia discant, & certiori fide præceptis attendant. Et dum à pueris statim disciplinis innutriuntur, præclarum in Philosophiâ habitum sibi comparant, tum quòd illa ætas docilis est, tum quòd multo tempore studiis insudant. Apud Græcos*
D *verò plerique magnâ parte accedunt imparati; & philosophiam hanc serò attingunt, operâque aliquotenus huc impensâ, quærendi victûs curâ distracti abscedunt. At licet pauci quidam philosophicæ palæstræ se totos mancipent; hi ipsi tamen quæstus gratiâ disciplinæ adhærent; novasque de rebus magni momenti opiniones inquirunt, neque maiores suos sequuntur.* Καινοτομοῦντες ἀεὶ περὶ τῶν μεγίστων δογμάτων. *Quocirca barbari*, intelligit Chaldæos, *iisdem semper inhærentes, firmiter singula percipiunt. At Græci ex arte lucrum captantes novas condunt sectas, & de maximis theorematibus disceptantes, faciunt ut discipuli dubitent, animique eorum per totam vitam fluctuent, nec ulli rei prorsus assentiri queant. Nam si quis maximè insignes philosophorum sectas dili-*
E *genter expendat, plurimùm inter se discrepare, & gravissimis sententiis sibi invicem adversari comperiet.*

SECTIO II.

Egressi Noachidæ Arcâ quærunt locum campestrem ad pascendos greges, quem & colerent & plantarent. Sacrificium Deo offert Noachus, & veros sacrificii ritus filios suos docet.

CUm montes asperi Armeniæ, in quibus Arca substiterat, non idonei essent pascendis gregibus, quod fuit primum exercitium Noachidarum, egressi Arcâ, properaverunt versùs Orientem, quò descensus montium ducebat, quærebant locum campestrem; quem *invenerunt in terrâ Sennaar, & habitaverunt in eo.* Genes. 11. 2. in fonte Hebræo בקעה *bakaa* quod nomen derivatur à בקע quod est *scidit, abscidit;* undè in lexicis hebraicis *bakaa* redditur *convallis;* nempe quidpiam dissectum inter montes. Verùm LXX. interpretes hoc nomen in decem & octo locis, quibus occurrit in scripturâ, constanter reddunt *πεδίον locum campestrem;* qualem fuisse terram Sennaar constat. In illâ regione, ut postea videbimus, condita est turris Babel, & urbs Babylon. Ipsa est Chaldæa, cujus populi studio Astronomiæ dediti sunt. Strabo disertè testatur Babylonios campos fuisse æquabiles, sine montibus & collibus, sine sylvis & saltibus lib. 2. *Quemadmodum per magnos ambulantibus campos, quales sunt Babylonii, vel per mare, omnia quæ ante & post & ex obliquo sunt, sese exhibent, nullamque adferunt diversitatem apparitionis in rebus cælestibus.* Egregia sunt istam in rem verba Ciceronis in primo libro de Divinatione. *Babylonii in camporum patentium æquoribus habitantes, quum ex terrâ nihil emineret, quod contemplationi cæli officere posset, omnem curam in siderum cognitione posuerunt.*

Campestris illa regio, fertilis & pascua, apta erat gregibus, simul & agris colendis; cui rei primum vacavit Noë Genes. 9. 20. *Cœpitque Noë vir agricola exercere terram, & plantavit vineam.* 21. *Bibensque vinum inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo.* 22. *Quod cùm vidisset Cham pater Chanaan, verenda scilicet patris sui esse nudata, nuntiavit duobus fratribus suis foras.* 23. *At verò Sem & Japhet pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum operuerunt verenda patris sui, faciesque eorum aversæ erant, & patris virilia non viderunt.*

Hîc patuit Chami mala indoles, qui patrem sprevit, & in contemptum fratrum suorum adduxisset, si non obstitissent optimi mores quibus informati fuerant. Illi æqui in patrem non offendebantur ebrietate ejus, in quam errore inciderat, vim vini nondum expertus.

24. *Evigilans autem Noë ex vino cùm didicisset, quæ fecerat ei filius suus minor; ait:*

25. *Maledictus Chanaan servus servorum erit fratribus suis.*

26. *Dixitque benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan servus ejus.*

27. *Dilatet Deus Japhet, & habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan servus ejus.*

Promittitur duobus fratribus Sem & Japhet dominium in fratrem Cham; qui sic utriusque servus futurus erat. Promittuntur insuper Japhet immensæ agrorum possessiones hisce verbis, *dilatet Deus Japhet.* Ad portionem, quæ illi obtigit pertinebant, tota Europa, Asia minor, Media, Iberia, Albania pars Armeniæ, & vastissimæ illæ regiones ad Boream, quas olim Scythæ, hodie Tartari obtinent. Illud autem quod sequitur in hoc vaticinio,

A quod Japhetum videretur spectare, Semo tamen tribuendam viri docti sentiunt; particulam enim Hebræam ו quæ sæpe conjungit, ibi putant esse adversativam; & sic reddunt hunc locum. *Dilatabit quidem Japheto, &c. sed habitabit Deus apud Sem.* Scilicet in Judæa apparebit gloria Dei. Ita complementum hujus vaticinii est quod dicit Evangelista: *Et verbum caro factum est & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à patre plenum gratiæ & veritatis.* Majestas Dei præsentis appellatur שכינה *schechina.* Deus cùm venit in terras habitavit in portione Sem, nempe in Judæa. Aliter intellectus locus ille scripturæ denotaret, Semum vincendum à Japheto, ut Reubenitæ, 1. Paral. cap. 5. dicuntur habitare in tabernaculis B Hagarenorum post illos subjugatos; ita non cohæreret hæc interpretatio: nam ibi vindicatur quasi quoddam dominium Semó; unde Jonathanes paraphrastes Chaldæus, sic vertit sive paraphrasticè exponit hunc locum. *Pulchros reddat Dominus terminos Japhet, & proselythi fiant filii ejus, & habitent in schola Sem, & sit Chanaan servus illis.* Benedictio Dei obtingat Semo & Japhet, maledicta sit progenies Chami, quæ abducta à patris consortio mores ejus non imitabatur, nec quas exercebat artes ediscebat; quod faciebat pia Semi soboles.

Noë, omnem quem exigebat pietas cultum persolvebat, revocans filios suos à moribus ferinis, & pravis actibus, quos facilè committit quisquis Dei C oblivifcitur. Protinus post diluvium, ubi cessaverunt aquæ, ut vidimus de cunctis pecoribus & volucribus mundis obtulit holocaustum, odoratusque est Dominus odorem suavitatis. Scilicet placuit Deo sacrificium ejus quippe secundùm legitimos ritus oblatum; quod ignis cælitùs dimissus, incendit illud ut contigerat in sacrificio Abelis. Proculdubio aderant filii Noë quos pietatem & verum Dei cultum docebat. Fieri non potest ut qui religione summa imbutus sit, ad illam cæteros, quantum in eo est non adducat. Hanc quam à Patre acceperant Noachidæ satagebant nepotibus suis tradere, nimirum veram Dei colendi rationem, sive singulos ritus quibus Deus voluerat coli. Sed & disciplinas edoce- D bant, quas didicerant ex consortio Adæ & aliorum, tum ex propriis experimentis. Ubi mens humana veræ pietati addicta est, protinus fit idonea doctrinæ. Ratio artes invenit, & perficit, quæ, dum sana est nec vitiis perturbatur vegetior est Deus autem summa ratio est.

Nullus igitur est dubitandi locus quin pii Noachidæ monitis & exemplo parentis sui mentem scientiis & artibus excolendis adjunxerint. Pascebant quidem greges, quod vitæ genus sæpiùs otio languescit, nec acuitur industriâ; sed scriptura, dum notat Noë fuisse agricolam & vineam plantasse, satis innuit fuisse virum industrium & patientem laboris, qui agriculturam excoluerit, qui E adinvenerit rationem committendi frumenti sulcis, tempora seminandi, demetendi segetes, plantandi arbores & inserendi, quæ omnia non nisi labore assiduo resciri poterant, & factis plurimis experientiis, quæ longam vitam desiderabant; verùm intra primum à diluvio sæculum scientia colendorum agrorum, ut puto, ad finem suum perducta est. Ita de plerisque artibus; in quibus Noachum fuisse exercitum Arcæ fabrica ostendit. Instrumenta ipsi Noachidæ conflabant vi ignis in fornacibus, & acuebant cotibus. Doctrinâ & longæ vitæ experimentis exculti texebant sibi vestes adversùs frigus & ad tegimen pudoris: ædificabant domos adversùs imbres, solis ardorem, ventorum flatus, & ad condendas segetes; nec diu eos latuit ex terrâ coctili formare

lateres. Ergo exeunte post diluvium primo sæculo, A non egebant ullâ cognitione; quâ vita excolitur & adjuvatur. Cùm numero hominum, qui multiplicabantur, crescebat eorum industria: fecundiores agri majorem commeatûs copiam reddebant. Pia proles patriarchæ Noë poterat meditari & moliri etiam opera luxuriosa; intelligo quæ fieri solent a viris otio & divitiis luxuriantibus.

SECTIO III.

Noachidæ turrim celsam usque ad cælos moliuntur. Quo consilio, quo fine? Confusio quam Deus immisit in eorum labia, opus disturbat.

B

POstquam humanum genus cœpit reparari, & egestas homines compulit mentem & manus adjungere his, sine quibus vita duriuscula est, postea etiam convertêre studium ad opera, quibus illa jucundior & gloriosior redditur. Inierunt consilium struendæ excelsæ turris: Dum adhuc recens erat memoria diluvii, poterant timere inundationes Euphratis & Tygris, quibus obnoxia campestris regio, quam habitabant. Hanc enim ob causam, ut puto, Nemrod, qui postea ibi regnavit, exiit inde in Assyrios, ut dicit scriptura. Genes. 10. 11. *De terra illa egressus est Assur, & ædificavit Niniven.* Cùm aquæ diluvii superassent summorum montium cacumina, frustra refugium parassent in C turri, quæ cælo non surgeret. Videntur tamen Noachidæ hancce turrim potiùs veluti pharum exstruxisse, quod signum esset eminùs conspicuum, quo omnes revocarentur ad locum, quem ad habitandum elegissent. Nondum cogitabant de dispersione suâ per orbem terrarum, eodem conjuncti sermone & more vivendi. Itaque cùm satagerent unà simul vivere, providebant ut ad aliquod signum, tanquam milites ad vexillum, ubi quis aberraret, facilè revocaretur. Insitam verbis, quibus scriptura ædificium dictæ turris exponit Genes. cap. 11. 1. *Erat autem terra labii unius & sermonum eorumdem.* Tunc omnes homines iisdem verbis utebantur. Non erat diversitas sermonis inter eos; quippe ejusdem parentis omnes filii, ex uno Noacho prognati. A die quo Sem, Cham & Japhet cum uxoribus suis egressi fuerant ex Arcâ, ipsi & forsan Noë susceperant filios, adeò ut intra paucos annos multiplicati fuerint homines.

2. *Cùmque proficiscerentur de Oriente invenerunt campum in terra Sennaar, & habitaverunt in eo.*

Cùm descendissent de montibus, ubi Arca quieverat, & migrarent versùs Orientem quò tendebat descensus, invenerunt campum, nempe campestrem regionem in terrâ Sennaar ubi habitaverunt sermonis & sedis vinculo in unius gentis societatem. Hæc regio fertilis, & ob planitiem apta gregibus & segetibus placebat; & nolebant à se invicem separari ac dispergi. Igitur inierunt consilium figendi illic stabilem sedem & excitandi *excelsam turrim*, ad quam, si fortuitis casibus aberrarent in spatium vel superficiem reliquæ terræ, revocari possent.

3. *Dixitque alter ad proximum suum: venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro saxis, & bitumen pro cæmento.*

Tunc dixerunt, quisque proximo suo: formemus lateres & eos induremus igni; & pro cæmento adhibeamus bitumen, quo terra Sennaar abundat. Ex eâdem materiâ factos muros Babylonis videbimus. Forma laterum indicaret formam turris; nam si rotunda fuit, non ita facilè potuit ædificari lateribus quadratis: sed scriptura non definit eorum formam; quam tamen fuisse quadratam verisimiliùs est, quæ sit magis parabilis.

4 *Et dixerunt: venite, faciamus nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad cælum: & celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras.*

Fons Hebræus habet *ne dispergamur in universas terras*; quæ turris scilicet sit nobis veluti pharus quæ dirigat gressus nostros, & signum quo colligamur. Latinus interpres secutus est Græcos, qui videntur legisse לפני *lipne, antequam* pro פן *pen*, id est, *ne fortè, ne, ut ne, ut non*. Hebræa lectio magis cohæret cum consilio horum hominum. Josephus dicit captam consilio Nemrod turrim quasi contra Deum, si fortè novum hominibus immittere vellet diluvium, atque idcirco excelsiorem quàm quò aqua ascendere posset. Hæc opinio apud multos prævaluit; & indè orta fabula de Gigantibus, qui vellent cælo bellum inferre; sed turrim potiùs videntur ædificasse in monumentum. *Et celebremus nomen nostrum, antequam dividamur in universas terras.* Simpliciter fons Hebræus, ut hodie legitur, reddi potest: *& faciamus nobis signum ne dividamur.* Vox שם *Sem* quæ ibi legitur, *nomen* quidem significat, sed accipi potest pro *signo*; & indè Græcorum σῆμα *signum*, derivari potest. Latinus interpres vertendo *celebremus nomen nostrum* intellexit Noachidas voluisse apud posteros sibi gloriam asserere. Verùm nondum inane desiderium famæ eos invaserat; & cùm opus omnes pariter molirentur, nulla ex eo percipi poterat gloria, quæ unicè consistit in excellentiâ quâdam unius supra alium. Itaque verisimile magis Noachidas stabilem voluisse ibi sedem figere, ideò ædificasse turrim excelsam, ad quam, ut milites ad signa, si fortè in longinquis excursionibus cum pecoribus suis errarent, facilè semper revocari possent. Sententia est Perizonii qui de Babyloniorum antiquitatibus eruditè scripsit. confirmat hanc sententiam auctoritate Tostati Abulensis. *In littera Hebraïca*, inquit Tostatus, *est ne dispergamur; intelligebant enim, quod turris esset tanta altitudinis, quæ cælum videbatur tangere, quasi ubique terrarum, vel saltem in magnâ parte,* D *videri posset: & eam grossissimam & amplissimam fecerunt, scilicet, quod quando aliquis vellet recedere ex aliquâ causâ à civitate illâ, ubicumque esset, videret illam turrim, & sciret postea redire ad civitatem: quod non contingeret, si non esset illa turris, sic altissimè posita, quia cùm nondum essent itinera, per quæ homines scirent ire & redire, indigebant aliquo alto signo, ut venirent ne perderentur abeuntes, & dispergerentur per totum orbem; & istam intentionem tangit aliqualiter Aben Ezra. Nec credo, quod sit aliqua verior istâ, & ita concordans verbis textus & rectæ rationi.* Et mox cum locutus esset de Græcâ & vulgatâ versione, *antequam dispergamur*, subjicit iterum: *sed tenendo litteram Hebraïcam, dicendum necessariò, quod homines intendebant simul manere omnes non longè ab illâ turri, & ideò volebant eam facere talem, ut ubique eam videre possent, & non errarent, sed redire scirent ad locum & tunc, ut celebre nomen esset, facere rem ubique vel ex quocumque loco cognoscibilem.* Cavebant ne à se invicem divellerentur ac dispergerentur; sed Deo aliter visum est.

E

5. *Descendit autem Dominus, ut videret civitatem & turrim quam ædificabant filii Adam.*

Moyses loquitur humano more; neque enim Deus qui ubique est, cælo descendit ut cognosceret quid in terris agerent *filii Adam*: Hi nempe qui non erant de piâ Semi prosapiâ, ut interpretantur qui putant non omnes homines contulisse operam in

ædificium turris, sed solos filios Chani. Verùm A scriptura nominans universam terram, designat omnes homines pariter consentientes in opus turris. Phrasis quidem illa *filios Adam* aut *filii hominum* designat aliquando homines peccatores, sed & sæpiùs omne hominum genus. Ergo cùm homines jam excrevissent in multitudinem, quæ plurimas regiones posset incolere, videns Deus urgentes inchoatam turrim eo consilio ne dispergerentur, contra consilium ejus quo volebat inhabitari terram, opus disturbavit.

6. *Et dixit: Ecce unus est populus, & unum labium omnibus: cœperunt hoc facere, nec desinent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant.*

Hæc significant de universo hominum genere B sermonem fieri, non de aliquâ familiâ, puta Chami quæ impia fuerit. Quocumque consilio homines cœperint ædificare, non possunt censeri in Deum rebelles, cùm nulla lex promulgata hocce opus prohiberet. Dixerat quidem Deus Gen. cap. 1. *Crescite & multiplicamini & replete terram*; sed non malè voluntatem Dei interpretabantur de dispersione, ad quam eos compulit.

7. *Venite igitur descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui.*

Compellat Deus pater filium suum & Spiritum sanctum, ut sentiunt sancti Patres. Confundamus sermonem eorum qui ædificant; ita ut quisquis non C audiat labium proximi sui, sic non possint jungere operas, & cogantur à se invicem separari.

8. *Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras, & cessaverunt ædificare civitatem.*

9. *Et idcirco vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universæ terræ, & inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum.*

Paucis verbis istam confusionem perstringit scriptura; nec definit an pia soboles Semi ab illâ immunis fuerit; & ideò linguam Adæ servaverit incorruptam; ita ut lingua quam Abraham & posteri Hebræi ex illâ gente postea locuti sunt, sit ipsa lingua primorum parentum. Id Moyses innuere vi- D detur, dum pleraque dat etyma, quæ non sunt vera nisi in Hebræâ linguâ, quam ergo ipse loquebatur Adam. V. c. nominis ejus dum dicit ideò Adam appellatum, quia ex terrâ sumptus sit. Hebraïcè terra dicitur Adama. Qui ita sentiunt, volunt piam prolem Semi adversatam ædificio turris; ideò sicut criminis, ita & pœnæ expertem fuisse; sed licet pariter operi consensisset lingua ejus potuit pura manere; neque enim necesse fuit, ut quot essent homines, tot linguæ multiplicarentur. Familiæ quæ eâdem linguâ utebantur, sibi invicem adhærescebant, & eundem locum quærebant ad habitandum; potuit autem familia Semi eâdem linguâ uti, quæ primorum parentum ore trita fuerat. Scilicet prin- E cipes hujus familiæ non discesserunt à consortio Noë & primogenitorum ejus, eorum sermone loquentes.

Nomen ejus loci, in quo ædificabatur turris, vocatum est *Babel*, quod Hebraïcè significat *confusionem*; sic à re quæ contigerat, locus cognominatus est non alio loco postea urbs Babylon condita est; quæ in Genesi cap. 10. 9. sic dicitur, forsan per anticipationem, Nemrod *ipse cœpit esse potens in terrâ; & erat robustus venator coram Domino: Fuit autem principium regni ejus Babylon.* Phrasis illa *coram Domino* denotat excellentiam præcipuam. Nemrod præ cæteris hominibus erat industrius venator, qui primùm exercuit potentiam suam in feras, deinde in homines quos suæ potestati subdidit: jecit fundamenta imperii Babylonici, quod evasit potentissimum.

Adduxi animum ut crederet hanc turrim, quam Herodotus in primo suo libro describit, ipsum esse opus inchoatum à Noachidis, quod cùm Deus disturbasset, mansit imperfectum, donec Reges Babylonii potentiores facti illud perfecerint. Nempe conati fuerint perducere ad altitudinem, quam innuere videbantur fundamenta ejus. Sic de illâ turri loquitur Herodotus enarrans Babylonem & templum Jovis Beli, quod suâ ætate adhuc extabat. Primùm dicit Jovis ἱρὸν fuisse quadratum undecumque duorum stadiorum. Nomen illud ἱρὸν, ut sæpiùs loquuntur Græci ἱερὸν, non tantùm ædem sacram significat, sed & spatium loci qui esset sacer, & quasi à reliquis agris abscissus, & Deo sacratus. Deinde describit turrim quæ excitata esset in hoc sacro spatio. *Duorum*, inquit, *undecumque stadiorum amplitudine figurâ quadrata in templi medio turris solida crassitudine simul & altitudine stadii, cui alia rursus super imposita turris, & huic subinde alia ad octavam usque. His forinsecùs scalæ sunt, in circuitu adhibitæ, per quas ad singulas conscenditur turres. In mediis gradibus ductus, sellæque in hoc factæ*, ἀμπαυστήρια, id est, stationes, diversoria, sedilia. Nimirum interponebantur areolæ, ubi fessi pedem figerent, & respirarent, *in quibus ascensuros liceat sedere ac conquiescere. In postrema turri sacellum est aliud*, νηὸς μέγας, magnum est templum *in quo lectus est splendidè stratus; & apposita mensa aurea. Statua tamen ibi nulla est.* Hæc circumstantia nullam fuisse in hoc templo statuam, facit ut opus illud conjectarem fuisse Noachidarum, cùm nondum idololatræ essent. Illi recordabantur patres suos ultro sacrificasse in altis montibus, quæ devotio diu permansit, etiam Templo ædificato in monte Moriâ. *Populus adhuc immolabat in excelsis.* Pii Reges non statim excelsa abstulerunt. Locus ubi tunc sedem posuerant illi Noachidæ, postquam descenderunt ex montibus Armeniæ, ubi Arca conquieverat, planus erat, veluti æquor. Ideo cùm nullus esset mons, ædificaverunt turrim solidam. Appellatur ab Herodoto στερεὸς πύργος, in cujus vertice templum magnum dicit ædificatum, in quo cùm memorat lectum & mensam satis admonet, hujusce templi fuisse perenne ministerium. Non omnia Herodotus dicit, undè clarior dictæ turris cognitio eluceret. Diximus quidem Noachidas parasse turrim Babel, quæ esset signum ad quod velut ad vexillum, si fortè aberrarent, congregarentur; sed pluribus de causis potuêre celebre ædificium inchoare. Quomodo autem tantum opus susceperint Noachidæ, & susceptum alii perficere potuerint non mirum videri debet advertenti quæ de muris Babyloniis scribit Justinus. *Semiramis*, inquit Justinus libro 1. cap. 11. *Babyloniam condidit, murumque urbi cocto latere circumdedit, arenæ vice, bitumine interstrato: quæ materia in illis locis passim è terrâ exæstuat.* Jam ingentem in numerum excreverant eo tempore Noachidæ quo scriptura narrat illos opus inchoasse.

Tibi, Lector, exhibeo hanc turrim, formâ quæ descriptioni Herodoti magis convenit. Ab aliis exprimitur formâ rotundâ, quam cochlea scalaris circuit, à pede ejus ascendens usque ad summum verticem; quæ forma adversatur Herodoto qui turrim Babel disertè scribit quadratam simul & octuplicem ex octo quadratis turribus sibi invicem impositis, qualis ista est quam Samuël Rehycrus delineat in suâ mathesi Mosaïcâ.

SECTIO

SECTIO IV.

Confusio labiorum immissa est à Deo inter opifices turris Babel anno centesimo à diluvio; cùm jam homines ad centum mille & ampliùs multiplicati essent.

SI turris Babel ipsa est quam describit Herodotus, haud ædificari potuit parvo opificum numero. Omne hominum genus interierat in aquis diluvii, exceptis octo animabus. Statim ex Noë & ex tribus filiis ejus cum totidem conjugibus procreati non sunt, qui viribus & ætate & numero pares essent tanto operi absolvendo. Etiam si turris Scripturæ alia esset, quam quæ describitur ab Herodoto, magnum opus fuit quod opifices ejus volebant usque ad cœlum perducere. Materia prorsus parata non illis suppetebat. Usi sunt quidem terrâ coctili, sed hæc effodienda, formandi lateres & coquendi, tum comportandi in locum ubi opus struebatur; quæ omnia complures manus postulant. Scriptura quidem non clarè definit tempus, quo absolutum & inchoatum fuit illud opus; sed innuit disturbatum anno nativitatis Phaleg filii Heber, cùm dicat Gen. 10, v. 25. sic Phaleg cognominatum, *eò quod in diebus ejus divisa sit terra.* Natus est autem Phaleg anno à condito mundo 1757. post diluvium centesimo primo; ergo, juxta nostram sententiam, & illo anno cessavit ædificium, quia tunc confusæ linguæ, & per totum orbem dispersi fuerunt qui ædificabant turrim. Hoc annorum spatio qui elapsi fuerant a diluvio, evincam sequentibus calculis, genus humanum ad centum mille & ampliùs excrevisse.

Fiat hæc hypothesis quæ non potest repudiari, filios & nepotes Noë, Sem, Cham, Japhet statim ac attigerant vigesimum annum genuisse singulis annis filium filiamve alternis vicibus. Noë post-diluvium nulli tribuuntur in sacro codice liberi, sed minimè verisimile est illum vixisse post diluvium trecentis quinquaginta annis, nec ullos interea procreasse liberos: detur itaque saltem priori sæculo perinde ac Sem, Cham & Japhet illum generasse. In dictâ hypothesi sunt quatuor generatores Noë & tres filii ejus. Unius ex illis numerum posterorum inveniamus, verbi causâ, Sem qui multiplicatus per 4 dabit numerum omnium hominum qui anno mundi 1756 post diluvium centesimo super terram esse poterant. Quæritur ergo: *Quot hominibus aucta esse potuerit familia Sem, à diluvio usque ad centesimum post annum, hoc est, ab anno mundi 1656. usque ad 1757. exclusivè, quo anno confudit Deus labia eorum qui turrim struebant Babel: facta hypothesi filios Sem & ipsius Nepotes & Pronepotes, &c. anno ætatis suæ vigesimo primogenitum suum genuisse, & insuper unumquemque eorum æque ac pater Sem alternis vicibus filium filiamve suscepisse.* His positis, video Sem anno centesimo, scilicet 1756, centum habuisse liberos: cùm autem filium suum Arphaxad genuerit juxta sacras litteras anno 1658. post diluvium secundo, inferre licet hunc secundum fuisse ipsius infantem, neque enim verisimile est Sem non genuisse primo post diluvium anno; quia verò ponimus illum filios filiasque alterna vice gignere, ergo primus ipsius infans femina fuit, ✠ ita & tertius, quintus quoque, &c. Sic quoniam secundus infans masculus fuit, quartus & sextus, &c. masculi quoque fuerunt. Adeo ut ex his centum liberis quos genuit Sem, quinquaginta masculi fuerint, ex quibus quadraginta duntaxat gignere potuerunt; quadragesimus enim qui liberorum ejus octogesimus fuit, viginti annos natus erat anno centesimo, adeòque unum modò filium habere potuit; proinde quadragesimus primus filiorum Sem, qui fuit liberorum ejus octogesimus secundus, quique centesimo anno octodecim annos tantùm natus, nondum par erat procreandis liberis; ergo multo minùs alii novem, qui semper natu minores ac minores certo ordine fiebant, liberis procreandis non idonei erant. Ex illis quadraginta filiis Sem qui genuerunt, primus nempe Arphaxad septuaginta novem habuit liberos, ex quibus quadraginta masculi fuêre; cùm enim duobus post diluvium annis natus esset; ergo centesimus post diluvium annus, ætatis ejus nonagesimus octavus erat. Ex his nonaginta octo annis si tollas novemdecim primos per quos juxta hypothesim gignere non potuit, supererunt adhuc septuaginta novem anni, quorum singulo quoque infantem genuit; ex his autem septuaginta novem liberis quadraginta masculi fuerunt, & alii triginta novem feminæ, eò quod primus illius infans mas cùm fuerit, omnes mares in numeros impares, & filiæ in numeros pares incidere debeant; contra id quod evenire ponitur in liberis Sem, cujus filii in pares, filiæ vero in impares incidunt numeros. Itaque cùm impar sit numerus liberorum Arphaxad, seu primi filii Sem, necessario unitate major esse debuit masculorum quàm feminarum numerus. Ex illis quadraginta filiis quos habuit Arphaxad, triginta tantummodo gignere potuerunt, eandem ob rationem quod ex quinquaginta filiis Sem quadraginta tantùm, ut supra diximus, genuerunt. Eâdem ratione primus ex his triginta filiis Arphaxad, qui gignere potuerunt, habuit tantùm quinquaginta novem liberos, triginta quorum filii fuêre, ex quibus viginti tantùm genuerunt.

✠ In Paralipomenis lib. 1. cap. 1. v. 17. nominantur Elam & Assur inter filios Sem, ante Arphaxad, sed videtur scriptor horum librorum extra ordinem hos numerare, quia non suscipiebat horum genealogiam texere.

TABULA GENEALOGICA.

Anni à diluvio.	Anni à mundo condito.		Filii Sem.		Filii filiorum Sem. Progressio.		Nepotes filiorum Sem. Progr.		Pronepotes filior. Sem. Progr.		Filii pronep. filior. Sem. Progr.
			Sem habuit 100 liberos, quorum 50 filii fuêre, eorum primus fuit Arphaxad &c. Ex iis 50 filiis Sem 40 tantùm gignere potuerunt.								
2	1658		Arph. 1.								
4	1660		2								
6	1662		3								
8	1664		4								
10	1666		5		Arphaxad habuit 79 liberos, quorum 40 filii fuêre. Ex iis 30 tantùm gignere potuerunt. 1s natus, est anno ,&c. 2s &c.						
12	1668		6								
14	1670	natus est	7								
16	1672		8								
18	1674		9								
20	1676		10								
22	1678		11		1						
24	1680		12		2						
26	1682		13		3						
28	1684		14		4						
30	1686	natus est	15	natus est	5		1. filius Arphaxad habuit 59 liberos, quorum 30 filii fuêre. Ex iis 20 tantùm gignere potuerunt, &c.				
32	1688		16		6						
34	1690		17		7						
36	1692		18		8						
38	1694		19		9						
40	1696		20		10						
42	1698		21		11		1				
44	1700		22		12		2				
46	1702		23		13		3				
48	1704		24		14		4		1. filius 1. filii seu 1. nepos Arphaxad habui. 49 liberos, quorum 20 filii fuere. Ex iis 10 tantùm gignere potuerunt, &c.		
50	1706		25		15		5				
52	1708	natus est	26	natus est	16	natus est	6				
54	1710		27		17		7				
56	1712		28		18		8				
58	1714		29		19		9				
60	1716		30		20		10				
62	1718		31		21		11		1		
64	1720		32		22		12		2		1. filius 1. filii 1. filii seu 1. pronepos Arphax habuit 19 liberos, quorum 10 filii fuere, nec gignere potuerunt, quia qui ætate provectior 18 annos tantùm natus erat anno 100
66	1722		33		23		13		3		
68	1724		34		24		14		4		
70	1726		35		25		15		5		
72	1728	natus est	36	natus est	26	natus est	16	natus est	6		
74	1730		37		27		17		7		
76	1732		38		28		18		8		
78	1734		39		29		19		9		
80	1736		40		30		20		10		
A 82	1738		41		31		21		11		1 B
84	1740		42		32		22		12		2
86	1742		43		33		23		13		3
88	1744		44		34		24		14		4
90	1746		45		35		25		15		5
92	1748	natus est	46	natus est	36	natus est	26	natus est	16	natus est	6
94	1750		47		37		27		17		7
96	1752		48		38		28		18		8
98	1754		49		39		29		19		9
100	1756		50		40		30		20		10

Sic quoque primus ex viginti filiis primi filii Arphaxad, qui gignere potuerunt, triginta novem procreavit liberos, quorum viginti masculi fuerunt, & ex his viginti decem priores modo gignere potuerunt. Verùm primus filius ex decem filiis primi filii primi filii Arphaxad, seu ut rectiùs loquar, primus filius ex decem filiis primi nepotis Arphaxad, decem & novem habuit liberos, decem quorum filii fuêre, nec gignere potuerunt, quia qui ætate provectior erat decimum octavum tantummodo ætatis suæ absolverat annum anno post diluvium centesimo. Quæ omnia faciliùs intelligentur ope sequentis tabulæ, in quâ observare est septem columnas. Prima à sinistrâ, exhibet annos post diluvium; secunda annos qui à mundo condito fluxerunt exhibet; tertia dat quinquaginta filios Sem; quarta 40 filios Arphaxad primi filii Sem; quinta triginta filios primi filii Arphaxad; sexta viginti filios primi nepotis Arphaxad; septima denique decem dat filios primi pronepotis Arphaxad. Duarum priorum columnarum ope uno eodemque oculi intuitu conspiciuntur annus mundi & diluvii, quo natus ponitur unusquisque filiorum Sem, aut unusquisque filiorum Arphaxad, aut unusquisque filiorum primi filii ejus, aut unusquisque filiorum primi ejus nepotis, aut unusquisque filiorum primi ejus pronepotis. Verbi gratiâ, in quintâ columnâ, quæ filios continet primi filii Arphaxad, patet decimum ejus filium natum fuisse anno post diluvium sexagesimo, & à mundo condito 1716. Neque id solùm; sed præterea patet vigesimum filium Arphaxad & trigesimum filium Sem eodem anno natos fuisse; sic autem de cæteris.

Verùm longè quid utilius ac præstantius in hac tabulâ continetur, quippe verum ostendit, idque perspicuè, quod supra diximus, scilicet ex quinquaginta filiis Sem, quadraginta tantummodo genuisse; ex quadraginta vero Arphaxad, triginta tantùm, & viginti tantùm, ex triginta primi filii Arphaxad, & tandem ex viginti filiis primi nepotis Arphaxad, decem modo genuisse; quia cæteri omnes qui simul cum decem filiis primi pronepotis Arphaxad in tabulâ lineâ A. B. sejunguntur, nati sunt æquè ac illi intra annum octogesimum & centesimum primum, atque adeo annum ætatis suæ ad gignendum per hypothesim requisitum, anno post diluvium centesimo, nondum attigerant.

Jam autem, si hæc attentè perpendamus, videbimus ea sufficere, ut possimus, istâ adjuti tabulâ, ad plenam perfectamque dati problematis solutionem venire. Cùm enim ex quinquaginta filiis, quos Sem procreasse ponitur, quadraginta tantùm genuerint, cùmque ex his quadraginta primus quadraginta filios habuerit, ergo secundus habuit 39, 3us 38, & sic deinceps, unitatem semper detrahendo donec veneris ad 40 qui filium habuit unum tantummodo. Nam si quidem natus est secundus filius Sem duobus annis post Arphaxad, ideo minor fuit numerus liberorum ejus, duobus nempe liberis pro illis duobus annis per quos non fuit idoneus suscipiendæ proli; undè fit ut filiorum numerus uno filio minor sit 3us item quandoquidem natus est duobus annis post 2um, habuit unum filium minùs quàm ille, & sic continenter usque ad 40um, qui, ut jam diximus, unum tantùm genuit filium, eò quòd natus fuerit 80 post diluvium anno, itaque unicum tantùm anno centesimo habere potuit filium. Quamobrem numerus filiorum uniuscujusque ex quadraginta primis filiis Sem, progressionem facit naturalem & descendentem; quæque ex quadraginta componitur terminis, quorum primus

A est & ultimus 40. Observandum autem quartam columnam, quæ continet filios Arphaxad, sumptam & consideratam ab imo ad summum, hanc progressionem totam atque integram referre, cujus summa arithmeticarum progressionum regulis reperitur esse 820. Ergo jam filiorum Sem numerum, nempe 50; item filiorum quos generarunt 40 priores ipsius filii, summam habemus, nempe 820.

Videamus nunc quo pacto summam nepotum inventuri simus, quos habuerunt triginta priores ipsius filii; triginta enim tantùm priores filii Sem, ut cuilibet perspicuum est, nepotes suos numerare potuerunt. Propterea occasione desumptâ ex duobus ultimis numeris quartæ & quintæ columnæ,
B hocce profero argumentum: Cùm uti dictum est, ex quadraginta filiis Arphaxad primi filii Sem triginta tantùm genuerint, quorum primus habuit triginta filios, & proinde 2us 29, 3us 28, &c. & trigesimus unum; quæ quidem progressionem faciunt, cujus summa est 465: ergo & ex 39 filiis, quos habuit 2 filius Sem, 29 tantùm genuerunt, quorum primus habuit 29 filios, & proinde 2us 28, 3us 27, &c. & 29us 1. quæ alteram faciunt progressionem, cujus summa est 435. Ita etiam in sequenti cellulâ quartæ columnæ, hoc est, in tertiâ numerando ab imo ad summum, invenio numerum 38, qui designat tertium filium Sem 38 generasse filios; quia vero in quintæ columnæ cellulâ huic
C adjacente numerus reperitur 28, ex eo intelligere licet ex 38 filiis 3^{ii} filii Sem 28 tantùm genuisse, quorum primus habuit 28 filios, 2us 27, 3us 26, &c. & 28us 1, quod iterum progressionem facit, cujus summa est 406, atque ita continenter & ascendendo pergendum est, donec tandem perventum sit ad trigesimam usque cellulam quartæ columnæ, in quâ numerus 11, ut & in vicinâ, quæ est quintæ columnæ, numerus reperitur 1; ex quo innotescit 30um filium Sem 11 progenuisse filios, ex quibus unus tantùm genuit, & etiam unicum genuit filium, qui filius solus fuit nepos, quem habuit 30us filius Sem. Singulis autem summis nepotum uniuscujusque ex 30 prioribus filiis Sem simul additis, ho-
D rum scilicet nepotum summa tota & integra erit 4960. Agitur insuper de inveniendâ summâ pronepotum, quos habuerunt viginti priores filii Sem; etenim viginti tantùm priores suos videre potuerunt pronepotes, quod quidem per se satis perspicuum est. Quapropter considero, quia in ultimâ cellulâ quintæ columnæ, quæ continet filios primi filii Arphaxad, numerus 30, & in cellulâ adjectâ, quæ est sextæ columnæ, numerus 20 cernitur; quod denotat primum filium Arphaxad habuisse triginta filios, ex quibus 30 filiis 20 tantùm genuerunt; horum primus 20 habuit filios, 2us 19; &c. & 20us 1, summaque istius progressionis est 210. In cellulis sequentibus cernuntur numeri 29 & 19;
E ex quo compertum habemus 2um filium Arphaxad 29 habuisse filios, ex quibus 19 tantummodo genuerunt, quorum 1us 19 habuit filios, 2us 18, &c & 19us 1. Itaque progressio est, cujus summa 190. Cùm autem sic deinceps pergendo singulæ inventæ erunt nepotum summæ, quos habuit unusquisque ex viginti prioribus filiis Arphaxad, tunc simul addendæ erunt, ut exinde integra omnium pronepotum Arphaxad summa oriatur, nempe 1540. Jam autem ut pronepotum secundi filii Sem summam invenire possem, ad hanc redeo quintæ columnæ cellulam, quæ secunda occurrit numerando ab imo ad summum, in quâ cellulâ numerum video 29; quod quidem significat primum filium 2 filii Sem 29 habuisse filios; quia verò numerus 19 cernitur

in cellulâ, quæ est à latere in sextâ columnâ, ex iis intelligo 19 tantùm ex illis 29 filios progenuisse, quorum primus 19 habuit filios, 2us 18, &c. & 19us 1: quod progressionem facit, cujus summa est 190. In sequenti cellulâ, ascendendo scilicet, quintæ columnæ numerus reperitur 28, 18 vero cernitur in adjacenti cellulâ sextæ columnæ; ex quibus 1us filius 2di filii Sem denotatur 28 habuisse filios, ex quibus 28, 18 tantùm genuerunt, quorum primùs 18 habuit filios, 2us 17, &c. & 18us 1, hujus progressionis summa est 171. Sic pergendo, singulas invenies nepotum summas, quos habuit unusquisque ex 19 prioribus filiis 2di filii Sem; quæ summæ simul additæ dabunt 1330 pro summa omnium 2di filii Sem pronepotum. Eodem modo, quo cœpimus, pergendo reperiemus summas pronepotum, quos habuit unusquisque aliorum filiorum Sem, donec tandem ad vigesimam 5 columnæ cellulam pro 20mo filio Sem ordo redeat, in quâ numerus 11, in adjacenti vero sextæ columnæ cellulâ numerus 1 reperitur; ex quibus primum filium 20mi filii Sem 11 habuisse filios intelligere licet; ex iis autem 11 filiis primus qui solus generare potuit, unum modo genuit filium: isque fuit unicus pronepos 20mi filii Sem. Omnes itaque summæ pronepotum, quos 20 priores filii Sem habuerunt, simul additæ dabunt horum pronepotum totam integramque summam, nempe 8855. Eamdem viam quam aperuimus si quis insistat, inveniet summam filiorum quos habuerunt 10 filiorum Sem pronepotes esse, 2002.

Quinque igitur invenimus summas, quæ scilicet sunt.

1. Filiorum Sem, 50
2. Filiorum quos habuerunt quadraginta priores ejus filii, 820
3. Nepotum quos habuerunt triginta priores ejus filii, 4960
4. Pronepotum quos habuerunt viginti priores ejus filii, 8855
5. Filiorum quos habuerunt decem priorum ejus filiorum, pronepotes, 2002

16687

Hæ simul additæ summæ dant nobis numerum posterorum Sem, qui esse poterant in terris centesimo post diluvium anno nempe 16687.

Harum summarum collectio 16687 quater sumpta sive multiplicata per 4 dabit pro summâ omnium posterorum Noë & ejus filiorum Sem, Cham, & Japhet, huncce numerum, 66748

Huic ultimo numero si adjiciatur 4, propter Noë, tresque ejus filios, orietur, 66752

Numerus omnium hominum qui super terram esse poterant anno 1756, post diluvium centesimo, ex quo si quater tollas 2002, hoc est 8008, numerus omnium hominum qui per viginti posteriores annos nati sunt, super erit adhuc, uti dixeramus, 58744 pro numero omnium hominum, qui super terram esse poterant anno 1736; post diluvium octogesimo; quæ duo potissimum demonstranda erant: cætera facilia sunt. Perspicuum enim est satis superque hominum fuisse ad incipiendum ædificium turris Babel, etsi reverâ eorum numerus major non fuisset quàm 58744. Præterea in dicta quidem hypothesi evicimus, hominum numerum qui erant super terram, centesimo post diluvium anno fuisse 66752; sed & aliis argumentis liquet, hocce anno numerari potuisse centum mille homines. Etenim in nostrâ hypothesi prolem suscipere incipiunt vigesimo ætatis suæ anno; sed id maturiùs potuisse verisimillimum est. Quin dici posset eos genuisse ab anno suæ ætatis decimo quinto: si enim id nostri ævi adolescentibus contingat illo ætatis suæ anno; quanto magis illius ævi, quos puto nostris longè validiores atque vegetiores fuisse insuper urgebat Dei mandatum, quod statim post diluvium dedit, Gen. cap 9. 7. *Crescite & multiplicamini.* Ergo licet credere illos, ut primùm poterant, uxores ad prolem suscipiendam accepisse. Nullos numeravimus gemellos, qui certè tunc temporis non perinde infrequentes erant, ac sunt nostris diebus. Adjungam unum tantùm singulo quoque anno à me numeratum puerperium, cùm, ut intellectu facile est, singulo quoque quadriennio quinque contingere potuerint. Ultima ratio & majoris momenti, ducitur ex polygamiâ, quæ cùm tunc temporis non esset prohibita, habere potuerunt liberorum numerum duplo, triplove aut quadruplo majorem, prout duas aut tres, quatuorve accepe-rant uxores. Statuere ergo licet, eo anno quo linguarum accidit confusio, hominum numerum ad 10000 & ampliùs excrevisse: immò ex supradictis numerum haberemus duplo, triplove majorem illo, quem primum statuimus. Petavius in Tabulis suis Chronologicis longè majorem agnoscit. *Turris Babel*, inquit ille, *excitatur in campo Sennaar anno* 1809, *post diluvium* 153 *mortales jam tum excreverant ad hunc numerum* 4195000. Sed Petavius seriùs structam turrim Babel sentit. Nos ad annum à mundo condito 1723 ad centesimum à diluvio referimus; ille vero ad annum 1809 qui post diluvium erat 153. Adverte autem quàm stupendo numero auctum humanum genus censeat post illos centum & quinquaginta tres annos. Nulli mirum videri potest, post centum primos annos à diluvio humanum genus adeo excrevisse; siquidem Israëlitas qui cum patre Jacob in Ægyptum descenderant in animabus septuaginta quinque, ut dicit Stephanus in Actis 7. 14. videmus in Exodo cap. 12. 37. profectos de Ramesse *ad sexcenta ferè millia peditum virorum absque parvulis. Sed & vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis.* Israëlitæ autem in tantum numerum excreverant intra ducentos & quindecim annos.

SECTIO V.

Noachidæ spargere potuerunt per totum orbem terrarum doctrinam & religionem Noachi. Post hujus Patriarchæ mortem oblivio Dei citò cepit homines, eos maximè qui longiùs abierant à Chaldæâ, quæ & ipsa statim idola coluit.

NUmerus ille, in quem excreverant homines tempore dispersionis, incolas potuit toti orbi terrarum sufficere. Ante diluvium, à mille & sexcentis annis, ex quo Adam creatus fuerat, tot procreati fuerant, quot erant necessarii, ne ulla regio deficeret incolis, & ideo cùm omne humanum genus fuisset inquinatum, ad omnium scelus eluendum, totus orbis necessariò immersus est aquis diluvialibus; cujus ut repararetur damnum universale, oportuit terras habitabiles acquirere novos colonos. Hoc suâ sapientiâ Deus effecit, confundens linguas omnium hominum, qui tunc concludebantur in Chaldæâ, & turrim ædificare cœperant. Jungebantur enim vocis commercio; & naturali propensione ad eos quibus cum miscere sermones poterant. Deus solus scit quot in linguas sciderit Noachidarum linguam. Verisimile est in multas; ita ut dum quisque sectaretur quos audire & à quibus audiri poterat, à cæteris magis magisque sejunctus sit; donec quæque societas quæ inibatur, aptum locum invenit in quo quiesceret.

Quas orbis plagas singulæ Noachidarum familiæ

ſtatim poſt diſperſionem occuparint, Moyſes enarrat capite 10. Geneſeos; ut nullus dubitandi locus ſit quin verè omnes orbis terræ populi ortum ſuum trahant ab illis Noachidis. Plurimi, ne dicam omnes, qui diebus diſperſionis vivebant Noachum viderant exercentem artes & ſacra facientem. Exceperant auribus ſuis doctrinam ejus; ſive audierant eum referentem mundi primordia & ortum Adæ primi hominum parentis. Videre eſt apud Homerum viros ætate & ſcientiâ inſignes, ſæpiùs in conviviis, enarrare quæ commendata à majoribus memoriâ ſuâ complectebantur. Non ergo mirum eſt ſparſam per orbem doctrinam & religionem Noë; & quanquam ſuperinductis falſis opinionibus & ſuperſtitionibus, tamen utriuſque deprehendi aliquod veſtigium in antiquis etiam ethnicorum moribus. **B** Apud eos qui nati ſunt ex primogenito Sem, poſt diſperſionem remanſêre in Chaldæa, ubi Noë ſupervixit ad obitum ſuum; idcirco ibi diutiùs viguit religio ejus; cùm alibi cæteros populos vexaret incredibilis ignorantia & malitia. In Chaldæa de Sem natus eſt Heber, ex quo Thare pater Abraham. Filii Cham & Japhet, plerique etiam ex Semithis ſtatim abrepti ſunt deſideriis ſuis in diverſas orbis regiones, & relictis patris ſtudiis, delectati ſunt venatione, quâ victum quærebant; ſic perpetuò verſantes cum feris, induerunt ferinos mores. In quærendo novo incolatu, aut in veteri mutando vitam terebant. Quod ergo ſolet obtingere omnibus, **C** qui laboribus corporis addicuntur, putà vertendis & ſtercorandis agris, diſtricti aliis curis, doctrinam, quam acceperant à Patribus, non ſatagebant tradere filiis ſuis; qui ipſi habuere prolem vitioſiorem; & malo creſcente, dum multiplicarentur homines: numeroſiores ſimul facti ſunt & irreligioſiores. Noë per ducentos & quinquaginta annos quibus poſt diſperſionem vixit, non paſſus erat prorſus obliterari omnem ſuam doctrinam & religionem; utramque ſcilicet fovebat moribus & exemplis. Sumuntur mores à converſantibus; ſic ejus conſortium faciebat Chaldæos religioſiores & peritiores. Verùm poſtquam ille diem ſuum extremum obiit, paucis annis antequam Abraham naſceretur, & ipſa Chaldæa deſerta exemplis ejus & monitis, idolis ſervivit; quod **D** diſcimus ex illo ſermone quem Joſuë habet 24. 1. *Congregavitque Joſue omnes Tribus Iſraël in Sichem, & vocavit majores natu ac principes & judices & magiſtros: ſteteruntque in conſpectu Domini: & ad populum ſic locutus eſt: Hæc dicit Dominus Deus Iſraël. Trans fluvium habitaverunt patres veſtri ab initio, Thare pater Abraham & Nachor, ſervieruntque diis alienis.*

Non tamen crediderim omnes ſtatim Chaldæos deſciviſſe à moribus Noë, & oblitos Creatoris ſui; ſed deinde abducti malis exemplis vicinarum gentium, admiſerunt idolorum cultum; ita ut anno poſt diſperſionem trecenteſimo, ubique terrarum forſan regnaret idololatria. Pauci numero, quos **E** difficile eſt à tot impiorum turbâ ſecernere, unum & verum Deum colebant. Chaldæa verò artes non prorſus dedidicerat, quas Noë docuerat filios ſuos ſibi cariores; nempe qui ſibi adhæſerant. Cæteri omnes diſciplinæ prorſus rudes erant; etenim, ut vidimus, ſciſſi ſunt in diverſas ſocietates, quæ cum exiguo hominum numero conſtarent, ſinguli quaſi amandati in diverſa exilia, omnium rerum inopes, cogebantur mentem & manus adjungere his ſolùm rebus, ſine quibus vivi non poteſt, extruendis tuguriis, cædendis lignis, tum ad alendum ignem, tum ad coquendos cibos. Hæc non licet cogitare de Chaldæis, qui ex patriâ non extorres fruebantur partis laboribus, & ſtudio vacabant. Hos fuiſſe **A** primos mundi Aſtronomos omnia vetuſta monumenta teſtantur; & ab illis Aſtronomi, ut vidimus, dicti ſunt Chaldæi. Horatius per *numeros Babylonios* deſignat Aſtronomiam Cicero lib. 1. de Divinatione cap. 1. ab illis repetit primam ſcientiarum originem: *quâ in natione Chaldæi, non ex artis, ſed ex gentis vocabulo nominati, diuturnâ obſervatione ſiderum, ſcientiam putantur effeciſſe.* Omnes Græci Aſtronomi nituntur primis & antiquis eorum obſervationibus, quibus faciendis patentes eorum campi idonei erant. Forſan & Aſtronomia pars fuit hujus idololatriæ, cui ſerviebant. Primò ſtudium, deinde ſuperſtitio eos addixit ſiderum obſervationi, ab aſtris res humanas regi, & ex illis pendere fatum ſtultè opinati, diligenter metiebantur motus eorum; providebant & prædicebant quo anno, quo menſe orirentur vel occiderent; quaſi pro diſpoſitione cæli quâ quis naſceretur, hanc vel illam fortunam habiturus eſſet.

SECTIO VI.

Abraham ſcientiâ Chaldæorum imbutus, de Ur Chaldæorum juſſus à Deo exire, abiit in Phœniciam & in Ægyptum, & utramque ſuâ doctrinâ imbuit. Huic Patriarchæ & aliis Patriarchis Hebræorum debentur ſcientiarum primordia.

NOë mortuus eſt duobus annis antequam naſceretur Abraham ex Thare patre ſuo, qui per centum viginti octo annos vixerat cum Noë. Abraham vocatus eſt à Deo, natus annos ſeptuaginta circiter, & ideo eâ ætate quâ potuerat omnem Chaldæorum ſcientiam perdiſcere. Aſtronomia excoli non poteſt à viro, qui calculos ſubducere non percallet. Veriſimile ergo Abraham non ſolùm in obſervationibus ſiderum fuiſſe verſatum, ſed in omni matheſi, eâ præcipuè quæ excolit numeros, nempe in computo. Deus qui eum aſſerere ſibi volebat fidum cultorem, juſſit exire à Chaldæâ, quæ idolis ſerviebat. Paruit ille, & venit in terram Chanaan, cùm fames premeret, deſcendit in Ægyptum. Hoc autem peregrinationis ſuæ tempore, ſcientias Chaldæorum communicavit Phœnicibus & Ægyptiis, qui tunc temporis penitùs artium expertes erant; nam poſt trecentos & ampliùs annos qui effluxerant à diluvio obliti erant omnium quæcumque ex Noacho didicerant. Abraham Aſtrologiæ fuiſſe peritum adſtruit Joſephus, libro primo ſuarum antiquitatum, teſtimonio Beroſi. *Meminit autem*, inquit, *patris noſtri Abraham Beroſus quoque, non tamen eum nominans, his verbis. Poſt diluvium autem decimâ ætate apud Chaldæos erat quidam juſtitiæ cultor, vir magnus, & ſideralis ſcientiæ peritus.* Ille à Beroſo laudatus, non alius eſt quàm Abraham, qui decimus eſt à Noacho. Eupolemus apud Euſebium dicit Abraham *& Aſtrologiam & Chaldaicam artem inveniſſe*, Satis credibile, inquit Voſſius, Chananæos & in his Phœnices ex Abrahamo advenâ didiciſſe plurima, quæ pertinerent ad cognitionem naturæ & artium.

Fame Chananæam premente, uti diximus, Abraham deſcendit in Ægyptum, ubi Saram cui nupſerat, dixit ſororem ſuam; timebat enim ne ſibi malum inferretur ab aliquo, qui captus eſſet pulchritudine ejus. Certè illa movit libidinem Regis Ægypti; ſed ne causâ ejus Abrahæ noceretur, & ipſa Sara corrumperetur, obſtitit Deus præcipiens Regi ne hanc mulierem attingeret. Quod animadverto, quia Rex in honore poſtea habuit Abrahamum, &, ut narrat Joſephus, (lib. 1. Antiq. cap. 9.) poteſtatem ei fecit converſandi cum præſtantiſſimis Ægyptiorum ac doctiſſimis viris. *Tum A-*

braham numerorum scientiam & siderum benignè A *illis communicavit. Nam ante Abrahami ad se adventum ignorabant eas disciplinas: a Chaldæis enim profecta ad Ægyptios & indè ad Græcos venerunt.*

Non difficile esset multa congerere testimonia Scriptorum antiquorum, qui omnes agnoscunt inventam in Chaldæâ sideralem scientiam; quam Abraham indè ortus docuerit Phœnices, inter quos vixit; postea Ægyptios, apud quos peregrinatus est. Doctrinam ab hocce Patriarchâ Ægyptiis traditam potuit augere Josephus filius Jacobi, cujus proavus Abraham. Josephum vendiderant fratres ejus mercatoribus Madianitis, à quibus deportatus est in Ægyptum, ubi cùm Pharaoni Regi sagacitas ejus innotuisset, præfectus regno administrando, Æ- B gyptiorum animos pavit scientiâ & corpora frumento.

Ab eo tempore Ægyptii coluerunt litteras, in quibus Moyses eruditus dicitur Act. cap. 5. 22. *Et eruditus est Moyses omni sapientiâ Ægyptiorum, & erat potens in verbis & in operibus suis.* Jure igitur Cyrillus Alexandrinus [lib. 7.] arguit & acriter confutat Julianum apostatam, qui Hebræos rudes artium & planè barbaros dixerat. *At reipublicæ leges*, inquit apostata, *& forma judiciorum ac civitatum administratio, & honestus in disciplinis progressus, & liberalium artium exercitatio, non fuit apud Judæos nisi misera & barbarica.* Manifesta est Juliani ineptia; nam ut prætermittam Mo- C saicas leges, à quibus jus omne manavit, Hebræi plurimas artes exercebant, cùm vix ullus esset illarum usus apud Græcos. *Pluribus jam anteà demonstravimus*, inquit Cyrillus, *Moysis scripta omnibus Græcorum libris, omnibusque legum monumentis esse vetustiora.* Non vacat nec decet exscribere Cyrilli scriptum. Res ipsa clamat, cùm Moyses leges à Deo acceptas dedit Israëlitis, tunc eos non prorsùs rudes fuisse doctrinæ & artium. Legislator ipse peritiam tantam in suis scriptis ostendit, quantam non alius, qui postea leges condidit. Opifices, quorum operâ usus est in conflando tabernaculo, nisi pluribus in artibus solertes fuissent, quomodo potuissent texere tapetia & vela taberna- D culi, secare & quadrare asseres, quibus illud compactum fuit, metalla excoquere, purgare, liquefacere, ducere? Fusæ sunt ab illis æneæ & argenteæ bases columnarum & tabularum. Ductum est ex auro candelabrum. Ex diversis metallis conflata, parata complurima vasa, instrumenta, quæ ministerio Tabernaculi necessaria erant. Admirabili arte confecta Arca, quâ tabulæ legis conclusæ sunt. Conflatum altare aureum, & æneum cum mensâ panum propositionis, de quibus libro sequenti disseremus. Quod magis mirum, sculptæ gemmæ, & inscriptæ nominibus duodecim filiorum Jacob; quod non fit vulgari arte. Et vela fecerunt artifices purpurea, hyacinthina, linea, lanea, quibus intexta Cherubim. Ab hoc tempore solertiores & peri- E tiores evasere Israëlitæ; nam certæ familiæ addictæ sunt quibusdam artibus excolendis. In teneris autem consuescere multum est: filius nascendo aliquo modo nascitur peritus paternæ artis. Linguam parentum discit, simul & res de quibus plurimus sermo insonat suis auribus; & quæ ante oculos suos tractantur. In primo Paralipomenorum, ubi recensentur familiæ, videmus alias ob peritiam cantûs celeberrimas fuisse, alias operam dedisse texendis tapetibus byssinis, alias excoluisse Astronomiam in qua Issacharitæ fuerunt exercitati.

A

CAPUT V.

Ægyptus magis fortunata artes excolit, quas ab illâ vel à seipsis perfectas Sidonii & Tyrii inferunt Græcis, qui hactenus etiam sine artibus necessariis vixerant. Serò illi præclaras artes invenerunt.

SECTIO I.

Græci deferunt Ægyptiis, gloriam artium adinventarum, quas vacui à laboribus primi B *cœperunt excolere.*

CUm Abraham exiit de terrâ Chaldæorum, cæteræ orbis regiones iisdem ignorantiæ tenebris immergebantur, in quibus adhuc hodie versantur nonnullæ gentes Americanæ. Ægyptus prima ex illis emerserat, tum quia in eam Abraham scientiam intulit; tum ob soli sui divitias, quibus abundans, poterat studio vacare. Paupertas & abundantia pariter faciunt ut artes excolantur & inclarescant. Nam illa, loquitur de paupertate Gelasimus Parasitus apud Plautum in Stico Act. 1. Scen. 1. *Omnes artes perdocet, ubi quem attigit.* Similiter Persius: *Magister artis, ingeniique largitor venter.* Ita & C Manilius lib. 1. Astron.

Et labor ingenium miseris dedit, & sua quemque
Advigilare sibi jussit fortuna premendo.

Paupertatis nomine hîc intelligo inopiam rerum, sine quibus non jucundè vivitur; quæ homines compulit artes quærere; has autem adinvenire ii saltem, verùm expolire non poterant quos omnino illa vexabat. *Certamen virtutis & ambitio gloriæ felicium hominum affectus sunt*, dicit Tacitus, libro 15. cap. 16. Ita præclaræ artes non potuêre excoli, nisi his in locis, ubi populi tranquillè & beatè viverent. Quæ cùm ita sint non mirum, si Ægyptii tot artes D repererint. Ibi Nilus coloni vice fungens, ut loquitur Plinius, Ægyptios immunes faciebat à laboribus, quos in vertendis & stercorandis agris cæteræ nationes subeunt. Herodotus in Euterpe, *Ægyptii ex omnibus hominibus .... maximè illaboratum percipiunt fructum, qui neque proscindendis aratro sulcis, neque subigendo solo, neque aliud quicquam exercendo eorum, quæ in arvis colendis cæteri mortales, tolerant: sed postquam fluvius suâ sponte superveniens irrigavit rura, irrigataque reliquit rursùs, tunc in suum quisque rus jacto semine sues immittit, conculcatoque suibus semine, messem deinde expectat: atque ubi suûm ope fructum è spicis excusserit, tum demum colligit.* Eadem adstruit Diodorus in Bibliothecâ, qui ob felix solum Æ- E gypti putat ibi primos genitos homines (lib. 1.) Ad ista alludebat Julianus Imperator, scribens primâ epistolâ. *O fortunatos Ægyptios, aiebam, qui Nilum habent jampridem omnium rerum præbitorem, quas is afferre solet!* Τὸν Νεῖλον ἔχοντες χορηγὸν τῶν ὅσα φέρειν οἶδεν ἐκεῖνος.

Ergo dum Ægyptus depressior magis irrigabatur aquis Nili, populi ejus ante omnes alios populos fortunati, curis vacui poterant totos se addicere perficiendis artibus; undè appellati sunt omnium disciplinarum parentes. Studium & exercitatio artium erant præcipua Regum cura; undè illi tam multa & præclara reperisse dicuntur, ob quæ meriti sunt divinos honores. Nisi fabulis veterem historiam cor-

rupissent Poëtæ Græci, artium primordia clarè deprehenderemus in Ægyptiaca historia. Latebat Græcos id omne quod ante diluvium Noe, & quod proxime post mortem Noë contigerat. Primi Historici Græci, in quibus Hecatæus Milesius, quæcumque vel in veteribus monumentis, vel apud Poëtas, vel etiam in vulgaribus carminibus extabat priscarum rerum memoria, eam in litteras referre studuerant, sed designationem temporum, quæ historiæ anima est, omittebant; quare factum est ut non nisi post institutas Olimpiades vetus Gentium historia legibus veritatis subdita sit. Certamen autem Olympicum institutum est, juxta Petavium, anno post deletam Troiam 408, ante Romam conditam tertio & vicesimo, cùm in Judæa regnaret Ozias annum jam quartum & tricesimum. Attamen etiam inter fabularum tenebras quædam lux emicat, quâ deprehendimus Reges Ægyptios illos, quibus inventio artium debetur, habitos Deos; quos cùm ob sagacitatem & solertiam populi primùm suspexissent, postea coluêre. Scilicet quia proprium est Dei juvare homines & felicitate donare, æstimaverunt Deos, quos beneficos experiebantur.

Divus Augustinus opinatur Prometheum vixisse sub his Regibus Ægypti, quorum tempore Moyses natus est. Prometheus dictus est primos homines de luto formasse, quia fuerat magnus sapientiæ doctor. Sic quia Atlas magnus fuerat astrologus, commenti sunt antiqui vates eum portare Cælum & stellas. Mercurius narratur fuisse nepos Atlantis ex Maia filia ejus. Multarum autem artium peritus claruit; quas & hominibus tradidit: quo merito post mortem adscriptus est in numerum Deorum. Hæc de Mercurio Augustinus; qui eadem dicit de Hercule & Minerva, cæterisque qui honores divinos meruêre, quòd mortalibus ad istam vitam commodiùs ducendam beneficia multa contulissent. Diodorus Siculus in Bibliotheca sua exponit doctrinam Ægyptiorum de Diis Cælestibus; quam Homerus ab eorum sacerdotibus didicerit. Deinde subjicit, loquens de Ægyptiis. *Ferunt insuper alios*, nempe Deos, *ex his genitos, qui fuerint mortales, sapientia verò & in humanum genus beneficiis immortalitate potitos. Horum quosdam in Ægypto regnasse ..... Quidam sacerdotes affirmant primum regnasse Vulcanum, inventorem ignis, eoque beneficio obtinuisse ab Ægyptiis principatum.* Plato in libro undecimo de legibus dicit opifices ideo Vulcano & Minervæ sacros esse, quia vitam instruxissent artibus. Idem Diodorus altero in loco (lib. 5.) hæc de Vulcano narrat. *Vulcanum, aiunt, inventorem fuisse omnis operationis ferri, æris, auri, argenti, & aliorum, quæ igne perficiuntur. Fertur reliqua etiam commoda, quæ ex igne percipiuntur, adinvenisse, eaque artificibus, reliquisque hominibus tradidisse. Undè & artium istarum opifices non huic tantùm Deo vota sua & sacrificia potissimùm offerunt, sed ipsi quoque cum aliis mortalibus ignem in æternam memoriam suscepti beneficii Vulcanum vocant.*

In chronico Latino Eusebii collocatur Erichtonius, Vulcani & Minervæ filius, ad annum vigesimum quintum, ex quo Moyses præerat Israëlitis. Marshamus in Canone Chronico suo Ægyptiaco hanc Reginam Ægypti quæ appellatur Nitocris esse ipsam Minervam probat ex Platone, qui in Timæo dicit Minervam ab Ægyptiis appellari *Neith*. Eratosthenes *Nitocrin* interpretatur *Minervam victricem*. Ista Nitocris fuit Regina Ægypti & Æthiopiæ, ut Josephus scribit; juxta Marshami Canonem, circa id tempus, quo Israëlitæ in Ægyptum descenderunt. Diodorus Siculus adstruit (lib. 5. Biblioth.) Minervam inter alia multa humano generi utilissima, etiam invenisse peritiam artis fabrilis. Hæc prima dicitur molita navim. Pausanias in Laconicis memorat templum Minervæ Ἐργάνης *Erganes*, nempe hujus Deæ, quæ censebatur præesse opificiis; quod eleganter dicit Ovidius in libro tertio Fastorum.

Pallada nunc pueri, teneræque ornate puellæ.
Qui benè placarit Pallada, doctus erit.

Mille Dea est operum, ut hoc loco canit idem Ovidius. Mercurius, ut diximus, celebratus est tanquam omnium artium inventor: hunc autem Ægyptium fuisse censet Diodorus (lib. 1. Biblioth.) *Tradunt*, inquit, *Osiridem Ægypto regno constituto, rerumque omnium curâ Isidi uxori permissâ, tradidisse ei Mercurium, cujus consilio, quoniam videretur prudentia excellere inter amicos, uteretur.* Hæc omnia quæ spectant vetustam originem Deorum, nempe horum qui ea repererunt, quibus vitæ hominum consulitur, Homerus & alii poëtæ sic perturbaverunt, ut vix origo artium appareat: Tota incerta est Regum Ægyptiorum historia, eorum nempe qui regnabant, cùm Abraham descendit in Ægyptum, vel qui præcedebant illud tempus.

SECTIO II.

Phœnices, Tyrii, Sidonii artes in Græciam invexêre, sive ipsi eas invenerint, sive didicerint, ab Ægyptiis.

MOses didicerat litteras Ægyptiorum, ut puer Regius, ab optimis magistris; omni eorum sapientiâ eruditus, ut de eo dicit Stephanus in Actis (cap. 7. v. 22.) Hebræi docti à Mose potuerunt docere Phœnices, si jam ab Abrahamo non edocti fuissent. A quibuscumque artes & doctrinam acceperint, certum est ipsos eas in Græciam invexisse. Primi commisêre pelago rates, ad quas compingendas proximus Libanus ligna suppeditabat. *Quidquid ad navigationem requiritur, ipsis abundè suppetebat: mare apertum, portus commodi, multa ex Libano materies navibus fabricandis, juventus animosa & industria. Proinde Tibullo teste.*

Prima ratem ventis credere docta Tyrus.

Hæc Samuël Bochartus in erudito opere de Phœnicum coloniis; ubi ostendit Sidonios fuisse Chananæorum sive Phœnicum antiquissimos. In Genesi (cap. 10. v. 15.) legitur Sidon fuisse Chanaanis primogenitus. Per Sidonem intelligendus Sidoniorum pater & Sidonis conditor. Sidon itaque vetusta & vetustior Tyro, ut adstruit Trogus (lib. 18.) *Post multos deinde annos à Rege Ascaloniorum expugnati* Sidonii, *navibus appulsi Tyrum urbem ante annum Troianæ cladis condiderunt*; id est Josepho interprete [Antiquit. lib. 8.] annis ducentis quadraginta, antequam Templi fundamenta jecisset Salomon. De Tyro nihil reperimus dictum, inquit Bochartus ante tempora Davidis. Itaque, ut observat Strabo, οἱ μὲν ἐν ποιητῇ τὴν Σιδόνα τεθρυλήκασι μᾶλλον *Sidonem quidem poëtæ magis celebrant.* Homerus, qui Sidonis & Sidoniorum meminit in tot locis, Tyrum ne nominat quidem; sed tempore Salomonis jam Tyrii celebres erant, quorum regno subdebatur Sidon, ut patet ex litteris, quibus Salomon rogat Regem Tyriorum ut ad eum mittat opifices (3. Reg. cap. 5. v. 6.) *Scis enim quomodo non est in populo meo vir qui noverit*

ligna cædere ſicut Sidonii. Parebant ergo Sidonii Regi Hiram Tyrio.

Sidonii potuêre vacare artibus inter longæ pacis otia. Nam pacatè diu vixiſſe præ cæteris mortalibus indè colligimus quòd illi in libro Judicum (cap. 18 v. 7.) proponuntur in exemplum ſummæ ſecuritatis. Ita enim de Laïs incolis ibi fit ſermo. *Videruntque populum habitantem in ea abſque ullo timore, juxta conſuetudinem Sidoniorum, ſecurum & quietum.* Sidonii pervagantes orbem, ſi quid uſpiam ſcitu dignum erat, colligebant inter cæteras quas ſecum aſportabant merces. Igitur veriſimile eſt navigiis ſuis eos appuliſſe in Ægyptum, tunc divitiis ſuis & diſciplinis inclitam. Quin, ut prolatis teſtimoniis probat Bochartus, fabularum conſarcinatores Apollodorus & alii dicebant Belum patrem Phœnicis, & Phœnicem ipſum, & Cadmum Phœnicis filium in Ægypto eſſe natos. Hinc Euſebius in chronico ad annum DLXII. *Phœnix & Cadmus de Thebis Ægyptiorum in Syriam profecti apud Tyrum & Sidonem regnaverunt.* Hanc fabulam, inquit Bochartus, refellunt Beli, Phœnicis & Cadmi nomina, quæ Phœnicia ſunt. Quidquid ſit, certum eſt litteraturam & artes, ſive à ſe repertas, ſive ab Ægyptiis acceptas, Sidonios in Græciam invexiſſe; ſoli enim illi cùm mercatores eſſent primis temporibus, non niſi eorum ope Græci participes eſſe potuerunt divitiarum Ægypti & diſciplinarum. Fragmentum Ciceronis nobis ſuffragatur. *Phœnices primi mercaturis & mercibus ſuis avaritiam & magnificentiam & inexplebiles cupiditates omnium rerum ſupportaverunt in Græciam.* Id præcipuè fecit Cadmus, quem Chronologi ſtatuunt regnantem Thebis in Græcia, temporibus Judicum Iſraël; undè concludere licet, cùm Moſes leges à Deo acceptas dedit Iſraëlitis, Græcos & idcirco Latinos rudes fuiſſe omnium artium, & prorsùs barbaros, antequam ad eos navigaſſent Phœnices.

In dubium revocari non poteſt Sidoniorum induſtria. Σιδόνιοι δὲ πολύτεχνοί τινες παραδέδονται καὶ καλλίτεχνοι, καθάπερ καὶ ὁ ποιητὴς δηλοῖ. *Sidonii multarum artium magiſtri perhibentur, quod etiam Homerus innuit.* Sic loquitur Homeri interpres. Si quid concinnum in veſtibus, aut in vaſis affabrè factum, aut ludicrum in crepundiis, id tribuere ſolet Sidoniorum induſtriæ. Hos appellat πολυδαιδάλους; ut in Iliade Ψ ſive 23. v. 743. ubi laudans crateris argentei elegantiam, ſubjicit

. . . Αὐτὰρ κάλλει ἐνίκα πᾶσαν ἐπ' αἶαν
Πολλόν, ἐπεὶ Σιδόνες πολυδαίδαλοι εὖ ἤσκησαν
Φοίνικες δ' ἄγον ἄνδρες ἐπ' ἠεροειδέα πόντον.

At pulchritudine ſuperabat omnem ſupra terram
Longè, quoniam Sidones ingenioſi ſcitè elaborant
Phœnices autem abduxerunt viri per cæruleum pontum.

In libro ſexto Iliados, ubi Hector rogat matrem ut depromptum è thalamo peplum ad Minervæ templum deferat; Poëta ut hunc ſignificet pulcherrimum (v. 288.) ait:

Αὐτὴ δ' ἐς θάλαμον κατεβήσετο κηώεντα,
Ἔνθ' ἔσαν οἱ πέπλοι παμποίκιλοι, ἔργα γυναικῶν
Σιδονίων.

Ipſa autem in thalamum deſcendit odoribus fragrantem
Ubi erant pepli variè picti, opera mulierum Sidoniarum.

Haſce laudes, quibus poëta effert opera mulierum Sidoniarum, ſibi poſſunt vindicare mulieres Hebrææ. Sidone quidem hæc opera venalia præſtabant, & indè per diverſas orbis plagas deferebantur; ſed ut ex parabolis Salomonis colligimus (cap. 31. v. 24) illa partim conficiebantur ab Iſraëlitidis, quarum laudat Salomon diligentiam & induſtriam, dans ideam mulieris fortis: *Sindonem fecit & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo.* Sindon eſt tela linea. Hæc mulier lanæ & lini operibus intenta non ſolùm quæ ſuis ſunt neceſſaria comparat, ſed etiam tantâ copiâ ſuis & ancillarum manibus texit ac conficit, ut mercatoribus tradat vendenda. Nomen Hebræum כנען idem ſonat ac *mercator*: ſed & nomen eſt regionis, quam Sidonii & Tyrii incolebant.

SECTIO III.

Græci feros mores ſerò exuerunt. Carebant artibus etiam neceſſariis. Omnia apud eos nova ſunt.

Thucidides in primo ſuo libro ſatis indicat Græcos non fuiſſe commercio inter ſe junctos ante Trojana tempora. *Omnis enim Græcia geſtabat arma, tum quia Græci domicilia nullis munitionibus ſepta habebant; tum etiam quia tutò commeare ultro, citroque non poterant, & vitæ genus armis geſtandis aſſuetum ut barbari coluerunt.* Tunc Græci omnibus ferè artibus, non dico præclaris, ſed etiam neceſſariis carebant; proinde ac nunc apud Hurones & Iroquios ſecuris ad ligna cædenda, habetur pro munere pretioſo, ſicut lebes æneus ad elixandas carnes; quod ex eo comprobamus, quia in ludicris certaminibus, ab Homero deſcriptis, ſecuris & lebes inter præſtantiſſima victoribus prœmia proponuntur; ut in certamine funebri, quod Homerus deſcribit in Iliade (Ψ vel 23. v. 851.) Inter munera proponit Achilles decem bipennes & decem ſecuriculas.

Κὰδ δ' ἐτίθει δέκα μὲν πελέκεας, δέκα δ' ἡμιπέλεκκα.

Propoſuit autem decem quidem bipennes, decemque ſecuriculas.

Id eſt, decem ſecures δισμυς, quæ utrinque cæderent; & decem alias, quæ tantùm ex una parte aciem haberent. Sæpiùs inter dona, quæ promittebantur victoribus, ſunt lebetes, tripodes, qui hacce ætate non parvi fiebant; unius enim tripodis valor æquatur pretio duorum equorum cum curru in Iliàde (Θ ſive 8. v: 290) ſic Agonothetes loquitur.

Πρώτῳ τοι μετ' ἐμὲ πρεσβήϊον ἐν χερὶ θήσω
Ἢ τρίποδ' ἠὲ δύω ἵππους αὐτοῖσιν ὄχεσφιν.

Primo tibi poſt me honorarium munus in manus ponam
Vel tripodem vel duos equos cum ipſo curru.

Quin alibi tripus æſtimatur duodenis bobus (Iliad. 17. v. 73.) Pelides tertia palæſtræ præmia promittit, videlicet

Τῷ μὲν νικήσαντι, μέγαν τρίποδ' ἐμπυριβήτην,
Τὸν δὲ δυωδεκάβοιον ἐνὶ σφίσι τῖον Ἀχαιοί.

Nempe vincenti magnum tripodem ad ignem aptum:
Hunc verò duodecim boum pretio inter ſe æſtimabant Achivi.

Semper inter præſtantiſſima dona tripodes, lebetes ab Homero numerantur.

Ὑμῖν δ' ἐν πάντεσσι περικλυτὰ δῶρ' ὀνομήνω
Ἕπτ' ἀπύρους τρίποδας, δέκα δὲ χρυσοῖο τάλαντα
Αἴθωνας λέβητας ἐείκοσι, δώδεκα δ' ἵππους.

Vos autem inter omnes inclyta dona nominabo.
Septem tripodas, qui igni non impoſiti ſunt, decemque talenta,
Nitentes lebetes viginti, duodecim autem equos.

Virgilius,

Virgilius, qui vestigiis Homeri insistit, etiam A victoribus eadem dona ponit in præmium. Adeo primis temporibus inter Græcos res rara & pretiosa erant tripodes & lebetes.

Ante Palamedem nondum erant nec horæ nec mensium orbis; temporibusque annuis nondum erat nomen; nec signata adhuc pecunia, nec pondera nec mensuræ, atque numeri; nec dum sapientiæ amor; quando quidem nondum erant litteræ. Hæc Philostratus (lib. 2.) ore sui Interpretis Latini. Palamedes interfuit obsidioni Trojanæ, quæ circa tempora Jephtæ Hebræorum Judicis contigit; unde liquet comparatione factâ cum rebus Hebræorum quàm omnia sint apud Græcos nova; quod fusè Josephus probat initio libri primi sui contra Appio- B nem. *Omnia*, inquit ille, *si quidem Græcorum nova & heri; ut ita dicam, nuperque facta cognovi: hoc est, fabricam civitatum, & adinventiones artium, conscriptiones legum: cunctarumque rerum junior apud eos est historiæ diligentia scribendæ. Apud Ægyptios autem atque Chaldæos & Phœnices (desino enim nos illis connumerare) sicut ipsi fatentur, res gestæ antiquissimam & permanentem habent memoriæ traditionem.* Non vacat exscribere totum huncce locum, quem Eusebius inseruit libro decimo Præparationis Evangelicæ. Arguit Græcos Josephus, qui se primos hominum crediderant. Quomodo, inquit ille, qui serò & vix naturam litterarum potuerint agnoscere; quas à Phœnicibus & à Cadmo se accepisse gloriabantur? Quin dicit in- C certum an etiam ante Trojana tempora litteris usi fuerint. Certum est quod nulla conscriptio apud eos vetustior sit poëmate Homeri; qui neque litteris poëma suum reliquerit; sed cantibus memoriâ reservatum, postea fuisse scriptum. Historici Græci paucis annis præcesserunt primum cum Græcis bellum. *Sed & eos*, pergit loqui Josephus, *qui de Cælestibus ac divinis primitùs apud Græcos sunt philosophati, id est, Pherecidem Syrium, & Pythagoram, & Thaletem omnes concorditer confitentur Ægyptiorum & Chaldæorum fuisse discipulos.*

Dædalus celebratur à Græcis scriptoribus, ut primus omnium artificum. Diodorus Siculus, quem D Eusebius allegat (lib. 10. Præp.) significat hunc imitatum Ægyptios. *At vero Dædalum ejus labyrinthi flexiones imitatum esse, qui à Mendete, ut nonnulli tradunt, vel, ut aliis placet, à Mari Rege, multis antequam Minos regnaret annis, ædificatus, ad hodiernum usque diem visitur. Quin etiam idem artis ingenium in antiquis Ægyptiorum signis etiamnum apparere, quæ Dædali apud Græcos statuæ commendantur. Eumdem, quod elegantissimum apud Memphim Vulcani templi vestibulum admirabili artificio construxisset, ligneam in eodem templo statuam suis ipsius manibus elaboratam; imò divinos etiam honores, ob singularem artis excellentiam, quâ & magnum sibi nomen confecerat, con- F secutum fuisse. Siquidem in una quadam ex iis, quæ Memphi vicinæ sunt insulis, hodieque Dædali templum extare maxima insulanorum religione celebratum.* Eusebius in Chronico, ad tempora Gedeonis, qui Judex præfuit Israelitis, revocat fabulam quæ narratur de Dædalo, fecisse eum simulacra moventia; nempe quia primus omnium pedes statuarum à se invicem separasset, aliis conjunctim eos fabricantibus; & pennis cum Icaro filio avolasse, quia Minoem fugerit, conscendens navim.

SECTIO IV.

Hebræis innotuerant artes necessariæ, longè ante illud tempus, quo in Græcia Plinius adstruit adinventas.

Artes non floruêre in Græciâ nisi cùm liberata est metu, quem stupenda Xerxis exercitûs multitudo injecerat. Ex eo tempore insignes ad summam felicitatem progressus fecit: omnes bonæ artes magnopere excultæ, & egregii artifices extiterunt. Xerxes in Græciam paravit expeditionem Olympiade LXXIII. hoc est anno ante æram Christianam 484. post templum à Salomone ædificatum DXXII. ab Exodo sive exitu filiorum Israël ex Ægypto CMXXXXII. Varro initio tertii libri de Re rusticâ, animadvertit *artes omnes . . . . in Græcia intra mille annorum repertas.* Scilicet mille annis tantùm, antequam hæc scriberet. Constat ergo seriùs Græcos mentem & manus artibus adjunxisse. Primùm inquiramus in cujusque artis magis necessariæ originem, quam exponit Plinius (lib. 7. cap. 56.) *Invenit*, inquit, *Ceres frumenta, cùm antea glande vescerentur. Eadem molere & conficere in Attica, Italia, & Sicilia: ob id Dea judicata. Eadem prima leges dedit: ut alii putavêre, Rhadamanthus. Litteras semper arbitror Assyrias fuisse: sed alii apud Ægyptios à Mercurio, ut Gellius: alii apud Syros repertas volunt. Utique in Græciam intulisse è Phœnice Cadmum sedecim numero. Quibus Trojano bello Palamedem adjecisse quatuor.* Troia capta est sub Jaïre Hebræorum Judice. Ita videre est quod sæpiùs hîc adstruimus quàm serò per respectum ad Hebræos Græci feros mores & ignorantiam deposuerint. Eodem in loco Plinius adstruit litterarum usum fuisse apud Assyrios antequam innotuisset Græcis, qui hunc in Latium attulêre. Pergamus ex eodem Plinio recensere, quæ quis invenerit.

Laterarias ac domos constituerunt primi Euryalus & Hyperbius fratres Athenis: antea specus erant pro domibus. Non videntur Athenæ conditæ diu ante Cecropem Atheniensium primum Regem qui post Moysen vixit. *Gellio Doxius Cæli filius Lutei ædificii inventor placet, exemplo sumpto ab hirundinum nidis. Oppidum Cecrops à se appellavit Cecropiam, quæ nunc est arx Athenis. Aliqui Argos à Phoroneo Rege ante conditum volunt: quidam & Sicyonem. Ægyptii multò ante apud ipsos Diospolin. Tegulas invenit Cinyra Agricolæ filius, & metalla æris, utrumque in insula Cypro: item forcipem, martulum, vectem, incudem. Puteos Danaüs, ex Ægypto advectus in Græciam, quæ vocabatur Argos Dipsion.* Danaüs regnabat circa tempus illud, quo Josuë obiit; plura ante sæcula, Israëlitæ foderant puteos.

Pergit loqui Plinius. *Lapidicinas invenit Cadmus Thebis, aut ut Theophrastus, in Phœnice. Thrason muros. Turres, ut Aristoteles, Cyclopes: Tyrinthii, ut Theophrastus. Ægyptii textilia: inficere lanas Sardibus Lydi. Fusos in lanificio Closter filius Arachnes, linum & retia Arachne. Fulloniam artem Nicius Megarensis, Sutrinam Bœthius. Medicinam Ægyptii apud ipsos volunt repertam: alii per Arabum, Babylonis & Apollinis filium: Herbariam & medicamentariam à Chirone Saturni & Phyllyræ filio. Æs conflare & temperare. Aristoteles Lydum Schytem monstrasse, Theophrastus Delam Phrygem putat. Ærariam fabricam alii Chalybas, alii Cyclopas. Ferrum Hesiodus in Cretâ eos, qui vocati sunt Dactyli Idæi. Argentum*

Q

invenit Erichthonius Athenienſis, ut alii, Æacus. Auri metalla & conflaturam Cadmus Phœnix ad Pangæum montem .... Plumbum ex Caſſiteride inſulâ primus apportavit Midacritus. Fabricam ferrariam invenêre Cyclopes. Figlinas Corœbus Athenienſis .... Fabricam Materiariam Dædalus, & in eâ ſerram, aſciam, perpendiculum, terebram, glutinum, ichthyocollam; normam autem & libellum, & tornum, & clavem Theodorus Samius.

Clemens Alexandrinus probat Judæos præcelluiſſe Græcis tum antiquitate temporum, & uſu artium. Allegat Græcos ipſos ſcriptores, qui non diffitentur (lib. 1. ſtromat.) Philo Pythagoræus, inquit Clemens, multis verbis oſtendit Judæorum genus eſſe longè antiquius: & eam, quæ apud ipſos ſcriptis mandata eſt, philoſophiam cœpiſſe ante Græcam. Quin etiam Ariſtobulus quoque Peripateticus, ſcribit in tertio Rerum Judaïcarum, omnia quidem, quæ de naturâ dicta ſunt à veteribus, dici etiam ab iis, qui extra Græciam philoſophantur, partim quidem apud Indos à Brachmanis, partim vero in Syriâ ab iis qui vocantur Judæi. Notat Clemens Chironem Centaurum, juxta Græcos Scriptores, primum univerſum mortalium genus ad juſtitiam duxiſſe, indicatis jurisjurandi formulis, Deorum ſacris, & Cæli figuris. A Chirone inſtitutus eſt Achilles, à quo oppugnata Troia.

Obſerva mihi tempora alloquitur Clemens Lectorem ſuum, *ad comparationem ætatis Moſis, & antiquiſſimæ, quæ ejus tempore fuit philoſophiæ. Non ſolùm autem philoſophiæ, ſed etiam omnium ferè artium fuêre inventores barbari.* Illi nempe qui à Græcis dicuntur barbari. Enumerat deinde Clemens quæ adinvenerint Chaldæi, Ægyptii, Arabes, ex teſtimonio etiam Græcorum Scriptorum. Pleraque adducit, quæ leguntur in Plinio; ſatagit autem inprimis, ut liqueat longè poſt Moyſis tempora Græcos animum, melioribus ſtudiis & legibus informaſſe. *Locrus primus ſcribitur leges tuliſſe*, ait Clemens. *Alii autem dicunt Minoem, filium Jovis, Lyncei tempore. Is fuit poſt Danaum decimâ generatione ab Inacho & Moſe, ut paulò inferiùs oſtendemus. Lycurgus autem multis annis poſt Troiam captam, qui fuit centum & quinquaginta annis ante Olympiades, tulit leges Lacædemoniis.* Plinius libro octavo capite 48. dicit Phryges acu pingere docuiſſe Græcos. Notat Attalum Regem intexuiſſe aurum veſtibus poſt Olympiadem CXXIV. cùm aureas veſtes Moſes diu ante curaſſet texendas ſummo Sacerdoti. Omnia in Tabernaculo obducebantur aureis laminis, cùm non niſi poſt Chartaginem everſam primò inaurata ſint laquearia Capitolii; ut refert idem Plinius (lib. 33. cap. 3.) Summam fuiſſe artificum Beſeleel & Ooliab ſolertiam oſtendunt opera quæ confecêre, tum in texendis pingendiſque vario colore veſtibus, tum in conflandis vaſis diverſæ formæ ex auro, ex argento, ex ære. Candelabrum, altare thymiamatis, menſa panum propoſitionis, Arca ex auro erant, aut ductili aut fuſo.

Sed & illæ artes, quas apud ſe natas eſſe Græcia gloriatur, poëſis, elegantia orationis, ſiſ[illegible]uli jam in uſu erant apud Hebræos, cùm adhuc velut puerorum more balbutiebant Græci, ſive potiùs non utebantur niſi agreſti & impolito ſermone. Etenim ſcripſerat Moſes eleganter & ornatè: poëmata compoſuerat, aut ab aliis compoſita inſeruerat ſcriptis ſuis. Quin & pictura, ſculptura, cælatura, artes quas à ſe inventas jactant Græci; notæ erant Hebræis; Moſes enim præter Cherubinos quos intexuerat tapetibus, ſculptos appoſuerat Arcæ, columnas undè appendebantur cortinæ & velamenta Tabernaculi, exornaverat capitellis argenteis, & æreis; cùm, ut Plinius teſtatur (lib. 33. capite 3.) argentum nondum ſignatum erat Romæ ante annum urbis DLXXXV. Q. Fabio Coſ. Ante primum bellum Punicum hactenus Romani non utebantur niſi rudi argento.

SECTIO V.

Græci fatentur ſe Phœnicibus debere litterarum elementa, & Ægyptiis doctrinam.

JUvat diligentiùs demonſtrare Græcos à Phœnicibus accepiſſe litteras, quæ ſunt prima omnis eruditionis elementa, quod ipſi non diffitentur. *Jones*, ſcribit Herodotus in Terpſicore *cùm à Phœnicibus literas didiciſſent, uſi eis ſunt cum immutatione quadam. Et cum uſu effecêre, ut literæ illæ, quòd eas Phœnices in Græciam attuliſſent, Phœniciæ dicerentur.* φοινικήϊα σήματα Κάδμου. Quia nempe Cadmus è Phœniciâ apportaſſet eas in Græciam, ut diſertè dicit Callimachus.

Κάδμος ἀφ' οὗ γραπτὰς Ἑλλὰς ἔχει βίβλους.
Cadmus ab hoc ſcriptos Græcia nacta libros.

Allegat Euſebius lib. 9. de *Præparatione* Eupolemum, qui de Regibus Judææ ſcribens dicit *Moſem fuiſſe primum Sapientum, atque ab eo datam literaturam Judæis, quæ à Judæis ad Phœnices pervenerit.* Etymon nominis *Cadmus* indicat eum fuiſſe orientalem, ſive ex Oriente veniſſe in Græciam קדם *Kedem* ſonat Hebræis ac Latinis *Oriens.* Diodorus Siculus in Bibliothecâ lib. 4 agnoſcit Cadmum fuiſſe è Phœniciâ, quæ eſt ad Græciæ Orientem. *Cadmus, aiunt, Agenore ſatus à patre Phœniciæ Rege ad Europam inveſtigandam ire juſſus, mandatum acceperat, ut vel reduceret puellam, vel nunquam in Phœniciam rediret.* Idcirco, ut obſervat Euſebius (lib. 10. de Præp.) *Literas veteres nonnulli propterea Phœnicias appellarunt. Nec deſunt qui à Syris excogitatas illas fuiſſe velint. Syri autem illi, Hebræi etiam utique fuerint, qui finitimam Phœniciæ regionem, quæque Phœnicia quondam ipſa quoque tum Judæa, hodie verò à noſtris Palæſtina dicitur, incolebant. Et verò ſanè ad Hebræorum nomina Græcarum literarum accedit appellatio. Cùm enim ſuum cuique apud Hebræos elemento nomen ſingulari quadam & propriâ ſignificatione attributum fuerit, quod apud Græcos locum profectò nullum habet, ſequitur omninò ut minimè Græcorum propria eſſe fateamur.*

Solo Græco alphabeto evinci poteſt ſuæ literaturæ primordia Græcos mutuatos à Phœnicibus; quos ipſi Abrahamidæ doctrinâ imbuerunt. Phœnices & Hebræi regione & linguâ vicini erant, ſaltem non multùm diversâ linguâ ambo populi utebantur; ut complures viri docti obſervaverunt, colligentes ex omnibus antiquis monumentis vetuſta Phœnicum & Pœnorum vocabula; quæ ſi non merè Hebræa ſunt, ignota eſſe non poſſunt huic qui Hebræus eſt. Alphabetum adinventum à Græcis ad Phœnices ſive ad Hebræos non tranſiiſſe manifeſto hocce argumento probatur, quo pugnavit Euſebius: ſcilicet voces alphabeti Græci nullius eſſe ſignificationis, quæ in Hebraïco alphabeto omnes quidpiam ſignificant. Plutarchus ipſe ſcribit *Alpha* in linguâ Phœnicum nomen eſſe *bovis.* אלף vel אלוף ſonat *bos* & *ductor.* Sic Hebræi primam litteram *Aleph* nominarunt, quia dux eſſet, ſive præiret inter litteras. De alphabeto ſive de litteris diligentem ſermonem fecimus in libris de Arte dicendi. Præter hocce argumentum, quòd om-

nia litterarum nomina in Græco alphabeto sint voces barbaræ; ita a barbarâ, nempe ab alia gente acceptæ: aliud argumentum duximus à valore litterarum, cùm accipiuntur pro notis numericis. Scilicet quando Græci desueverunt uti quibusdam alphabeti Phœnicii litteris pro numericis notis, ut cæterarum valorem servarent, signa quædam inseruerunt. Verbi causâ, quando suo alphabeto expulerunt Hebræum *vau*, ut remaneret signum senarii, inseruerunt caracterem ϛ', quem vocant ἐπίσημον Βαῦ, ut indicaret numerum senarium, hoc est teneret locum elementi Hebræi *vau*; quod advertendum ad astruendam tum antiquitatem tum gloriam linguæ sacræ.

Omnes vetusti scriptores, quotquot scripserunt de vitâ Græcorum Sapientum, testantur eos in Ægyptum profectos ad mercaturam bonarum artium; nimirum ut ibi colloquentes cum Sacerdotibus, sive, ut loquitur Diogenes Laërtius, cum Prophetis, ab eis referrent doctrinam. De Platone scribit eum perrexisse primùm in Italiam ad Pythagoreos; *& ab illis se in Ægyptum* παρὰ τοὺς προφήτας *ad Prophetas recepisse.* Hoc est quod Cicero dixit (lib. 5. de Finibus.) *Cur Plato Ægyptum peragravit, ut à Sacerdotibus barbaris numeros & Cælestia acciperet?* Enumerat Diodorus Siculus (lib. 1. Biblioт.) Sapientes, qui causâ perdiscendarum artium in Ægyptum profecti sunt *Recensendi*, inquit, *nobis sunt qui priscis illis temporibus, sapientiâ & doctrinâ celebres apud Græcos, peregrinationes in Ægyptum ad jura & disciplinas gentis cognoscendum susceperunt. Etenim Sacerdotes Ægyptiorum Orpheum, Musæum, Melampodem, Dædalum, Homerum Poëtam, Licargum Spartanum, Solonem Atheniensem, Platonem Philosophum, Pythagoram Samium, Mathematicum Eudoxum, Democritum Abderitam, & Oenopidem Chium; ad ipsos adventasse è sacris Commentariis referunt.* Paucis interjectis de iisdem Sacerdotibus Ægyptiis addit eos demonstrare, *ex Ægypto cuncta, quibus admirationem illi apud Græcos sibi pepererunt, translata esse.*

Colloquium, quod Solon habuit cum Ægyptio Sacerdote, inseruit Plato in Dialogo, qui inscribitur Timæus, in eo narrat quomodo Solon *Cùm ipse de rebus antiquis incolas & Sacerdotes illos rogaret, qui illarum rerum præter cæteros peritissimi essent, comperit neque se, nec quemquam alium Græcorum, de verâ antiquitate quicquam unquam cognovisse. Cùm igitur ille consilio potiùs eos deducendi in colloquium de rebus priscis ibi gestis, quàm ut ipse eas commemoraret, quarumdam mentionem injecisset, temporumque rationem atque seriem conaretur ad certum annorum calculum revocare, & primi Phoronæi atque Niobes; & post diluvium Ducalionis & Pyrrhæ tempora & propaginem dinumerasset, sicuti in fabulis perhibetur: tum seniorum Sacerdotum unus, O Solon, Solon, ait* Ἕλληνες ἀεὶ παῖδές ἐστε, γέρων δ' Ἕλλην οὐκ ἔστι. *Græci semper pueri estis: senex Græcorum est nullus. Causam autem cur hoc diceret, sciscitanti Soloni, senem illum respondisse aiebat ipse: juvenes estis animis omnes. Nullam enim ex antiquâ auditione veterem sententiam in ipsis habetis, neque disciplinam vetustate canam ullam.* Vera historia creationis mundi, & rerum quæ eam subsecutæ sunt, non poterat perdisci nisi ex traditione; cujus memoriam facilè amiserunt filii Noë qui protinùs per orbem vagati sunt; servari autem potuit in locis, ubi vel habitavêre, vel peregrinati sunt Patriarchæ.

SECTIO VI.

De tempore quo Græci cœperunt exercere præclaras artes, picturam, cælaturam, sculpturam.

Totum opus nostrum hùc dirigimus, ut structura Templi Hierosolymitani notior fiat; quod faciliùs consequemur, ubi ratio ædificandi, tempore Salomonis comperta fuerit. Simul ad hujus Principis gloriam adstruendam, proderit demonstrasse nondum in Græcia natam architecturam; quæ suum decorem non habuit, nisi à Pictoribus & a Statuariis, videlicet postquam pictura, cælatura, sculptura, & similes præclaræ artes perfectæ sunt. Quærimus quo tempore id factum sit. Tenuia fuerunt harum initia. Etenim, ut tradit Ælianus Variæ historiæ libro 10. cap. 10. primi artifices, cùm ars jam primùm excoli cœpisset, & quodam modo in lacte adhuc fasciisque versaretur, adeò rudi atque impolito penicillo animalia exprimebant, ut necesse haberent informibus figuris adscribere, hoc est bos, illud equus, hoc arbor. Prima certè pictura nihil aliud fuit, quàm *umbra hominis lineis circumducta*, ut loquitur Plinius (lib. 35. cap 3.) Respiciebat ad rudia hæc artis primordia Quintilianus, cùm diceret: *Si prioribus adjicere nefas fuisset, non esset pictura, nisi quæ lineas modo extremas umbræ, quam corpora in sole fecissent, circumscribit.*

Franciscus Junius libros eruditione plenos de picturâ scripsit, quibus complexus est omnia, quæ spectant veterum picturam. Ostendit cunctas ante Dædalum statuas, conniventibus oculis, pedibus junctis, brachiis in latera demissis, statu rigido ac prorius inconcinno factas fuisse. Vetusta Dioscurorum simulacra apud Spartianos erant, teste Plutarcho, duo ligna inter se composita, duobus aliis transversis conjuncta. Scilicet nulla res consummata est, dum incipit; & in omni negotio longè semper à perfecto fuêre principia. *Quis non intelligit*, loquitur Quintilianus, *Canachi signa rigidiora esse, quàm ut imitentur veritatem? Calamidis dura illa quidem, sed tamen molliora quàm Canachi. Nondum Myronis satis ad veritatem adducta, jam tamen quæ non dubites pulchra dicere. Pulchriora etiam Polycleti, & jam planè perfecta, ut mihi quidem videri solent. Similis in picturâ ratio est: in quâ Zeuxim, Polygnotum, & Timanthem, & eorum, qui non sunt usi plus quàm quatuor coloribus, formas & lineamenta laudamus. At in Echione, Nicomacho, Protogene, Apelle, jam perfecta sunt omnia: & nescio an reliquis in rebus omnibus idem eveniat. Nihil est enim simul inventum & perfectum.*

Non ipsa artium initia quærimus, sed incrementa, & tempus quo perfectæ sunt, ut cognoscere liceat an perfectionem jam assecutæ essent eâ ætate, quâ Templum Hierosolymitanum ædificari cœptum est. Proculdubio artes illæ sunt hominum quos excitat spes præmiorum aut laudum. Tunc ergo non antea viguêre, nisi cùm ab omnibus cœperunt laudari præclari artifices; & eorum opera expetebantur à Regibus & populis. *Ne cremaret Jalysum*, tabulam Protogenis sic dictam, *Demetrius Rex, cùm eâ parte solâ posset Rhodum capere*, rem narrat Plinius (lib. 35. cap. 10.) *non incendit: parcentemque picturæ fugit occasio victoriæ. Erat tunc Protogenes in suburbano hortulo suo, hoc est, in Demetrii castris. Neque interpellatus prœliis inchoata opera intermisit omnino; sed accitus à Rege, interrogatus quâ fiduciâ extra muros ageret, respondit scire se illi cum Rhodiis bellum esse, non cum artibus.*

Qui non intelligunt artes, rarò mirantur artifi-

ce ; Græci verò ferè omnes usu didicerant egregia opera suo pretio æstimare. Etenim, ut observat Aristoteles (lib. 8. Polit. cap. 3.) dabant operam ut liberi sui pingendi arte imbuerentur. Non tantùm ut in propriis mercibus non aberrarent, verùm etiam in quorumlibet vasorum emptione ac venditione non deciperentur ; atque adeò perspicaciores redderentur in discernendâ corporum pulcritudine. Ita effectum est, teste Plinio (lib. 35. cap. 10.) *Ut Sicyone primùm, deinde in totâ Græciâ, pueri ingenui ante omnia diagraphicem, hoc est, picturam in buxo docerentur, reciperetúrque ars ea in primum gradum liberalium. Semper quidem honos ei fuit, ut ingenui eam exercerent ; mox ut honesti ; perpetuò interdictum ne servi eam docerentur. Ideo neque in hac, neque in toreutice, ullius qui servierit, opera celebrantur.*

De primâ ætate picturæ, quàm quærimus, Quintilianus loquitur (lib. 12. cap. 10.) *Primi, quorum quidem opera non vetustatis modo gratiâ visenda sunt, clari Pictores fuisse dicuntur Polygnotus atque Aglaophon, quorum simplex color tam sui studiosos adhuc habet, ut illa prope rudia, ac velut futuræ mox artis primordia, maximis, qui post eos extiterunt, authoribus præferantur, proprio quodam intelligendi (ut mea opinio fert) ambitu. Post Zeuxis atque Parrhasius, non multùm ætate distantes (circa Peloponesia ambo tempora. Nam cum Parrhasio sermo Socratis apud Xenophontem invenitur) plurimùm arti addiderunt.* Quibusdam interjectis addit Quintilianus. *Floruit autem circa Philippum, & usque ad successores Alexandri pictura præcipuè.*

Diligens fuit Plinius in notandâ ætate picturæ ; definit enim numerum Olympiadarum, quas quisque pictor præcesserit, aut subsequutus sit. Primùm queritur ille (lib. 35. cap. 8.) de Græcorum non satis accuratâ diligentiâ, qui Pictores & Statuarios non celebraverint, nisi post multas Olympiadas ; primus enim Phidias, qui initio fuit Pictor, celebratur Olympiade nonagesimâ. Olympiadarum initium refertur ad tempora Oziæ sive Azariæ Regis Juda. Hocce initium statuitur anno trigesimo quarto dicti Regis, Periodi Julianæ anno 3938. à jactis Templi fundamentis 237. Ita Olympias nonagesima incidebat in annum 597. ab illâ epochâ Templi fundati à Salomone. Non ergo celebres Pictores ac Statuarii memorantur in Græciâ, nisi post ferè sexcentos annos ab illo Rege Plinius contendit aliquos Pictores vetustiores extitisse, circa ætatem Romuli, qui monochromata pingebant, hoc est, uno colore utebantur, quorum ætas non traditur. Sed tunc quasi picturæ incunabula erant. Charmas primus in picturâ marem fœminamque discreverat. Cimon Cleonæus ausus fuerat obliquas imagines, & variè formare vultus, respicientes, suspicientes, & despicientes. Articulis membra distinxerat : protulerat venas & vestis rugas & sinus. Polygnotus Thasius, primus mulieres lucidâ veste pinxit, capita earum mitris versicoloribus operuit, plurimumque picturæ primus contulit. Si quidem instituit os adaperire, dentes ostendere, vultum ab antiquo rigore variare. Verbis Plinii utor. Nonagesimâ autem Olympiade fuêre Aglaophon, Cephissodorus, Phrylus, Evenor pater Parrhasii & præceptor : *Omnes jam illustres, non tamen in quibus hærere expositio debeat, festinans ad lumina artis, in quibus primus refulsit Apollodorus Atheniensis nonagesimâ tertiâ Olympiade. Hic primus species exprimere instituit, primusque gloriam penicillo jure contulit. Ejus est Sacerdos adorans, & Aiax fulmine incensus, qui Pergami spectatur hodie : neque ante eum tabula ullius ostenditur, quæ teneat oculos. Ab hoc artis fores apertas Zeuxis Heracleotes intravit Olympiadis nonagesimæ quintæ anno quarto, audentemque jam aliquid penicillum (de hoc enim adhuc loquimur) ad magnam gloriam perduxit.*

Statuariorum operâ Architecturam perfectam, saltem exornatam fuisse constat ; quapropter & tempus quo ipsi Statuarii artem suam perfecerunt, quærendum *Terrâ fingere & argillâ similitudines, Dibutades Figulus primus invenit Corinthi filiæ operâ.* (hæc Plinius) (lib. 35. cap. 12.) *quæ capta amore juvenis, illo abeunte peregrè, umbram ex facie ejus ad lucernam in pariete lineis circumscripsit : quibus pater ejus impressâ argillâ typum fecit, & cum cæteris fictilibus induratum igni proposuit ; eumque servatum in Nymphæo, donec Corinthum Mummius everteret, tradunt.* Sic videre est, quemadmodum artes Statuariorum & Pictorum conjunctæ sunt, sic eadem fuisse cunabula. Pariter ortæ sunt, & incrementa habuêre, & perfectionem assecutæ. Ætatem autem plastices, sive artis quâ statuæ finguntur, ut cumque indicat Plinius (ibidem) *Sunt qui in Samo primos omnium plasticen invenisse Rhæcum & Theodorum tradant, multò ante Battiadas Corintho pulsos.* Alii legunt, *ante Bacchiadas.* Scaliger in animadversionibus suis ad Chronicum Eusebii probat ex Scholiaste Pindari Regnum Battiadarum finem accepisse anno tertio Olympiadis LIII. *Tradunt, inquam,* pergit loqui Plinius, *Demaratum verò ex eâdem urbe* Corintho *profugum, qui in Hetruriâ Tarquinium Priscum Regem populi Romani genuit, comitatos Fictores Euchira & Eugrammum : ab iis Italiæ traditam plasticen.* Tarquinius Priscus Romæ cœpit regnare anno secundo Olympiadis XLI. Ab eo tempore Tuscanica opera, nempe quæ fierent in Hetruriâ sive Tusciâ, celebrata sunt. Tusci celebriores fuêre Plastæ ; quorum, ut dicit Plinius, antiquior fuit scientia quâ æris fundendi. Itaque post quadringentos annos à jactis fundamentis Templi, non habebat nisi rudia initia plastice ; & nondum forsan nota scientia statuas ex ære conflandi. Hactenus & multos post annos signa Deorum non fuêre nisi fictilia. Attamen jam conflatum à Salomone mare æneum, fusæ columnæ cum capitellis æreis, fusi innumeri crateres ex omni metallo. Quæ omnia demonstrant veteres Hebræos, sicut antiquitate, ita & solertiâ præcelluisse cæteris populis. Constat Græcos non assecutos perfectionem artium, nisi ætate Alexandri Magni, qui natus est Olympiade CVI. anno Urbis 398. Mundi 3628. Ante Christianam æram 356. Plutarchus in Libello secundo de Fortunâ & virtute Alexandri Magni. *Bonâ quadam fortunâ factum est,* inquit, *ut ætas Alexandri multas etiam artes, multa præclara ingenia produceret. Quanquam id fortasse non tam Alexandri fortunæ imputandum, quàm istorum felicitati adscribendum est, cum suæ præstantiæ spectatorem testemque nactis, qui & optimè judicare egregia opera, & liberalissimè compensare posset. Sanè posterioribus temporibus perhibent Archestrato Poëtæ eleganti, sed qui in paupertate inglorius viveret, quemdam dixisse : si tu Alexandri ætate vixisses, is tibi pro quovis versu Cyprum aut Phœnicem dedisset. Existimo autem eos quoque, qui tum fuerunt artifices, primos, non tam ætate Alexandri, quàm propter Alexandrum extitisse. Ut enim frugum copiam bona temperies ac tenuitas aëris gignit : ita artium & bonorum ingeniorum incrementa, benignitas, honor & humanitas Regis efficit.*

CAPUT VI.

Architecturæ rudia fuêre exordia. Tunc perfecta censeri debet, cùm ratio adhibita est in consilium, sive cùm opifices advertere cœperunt quid circa ædificia ratio præciperet. Primùm ex stipitibus non edolatis domus factæ sunt, serò è lateribus, seriùs è saxo.

SECTIO I.

Primùm homines in antris, aut sub pellibus habitaverunt; deinde paraverunt tuguria lignea, lateritia etiam saxea, sed sine arte.

PRimis hominibus, canit Ovidius, *domus antra fuêre*; quæ nempe subirent ingruentibus imbribus, vel hieme. Etenim verisimile est sæpiùs prostratos eos in gramine molli,

Propter aquæ rivum sub ramis arboris altæ,

Jucundè corpora curasse; ut verbis utar Lucretii. Certum est non statim homines coaluisse in cœtus. Quisquis, prout lubebat, vagabatur, comitantibus conjugibus & prole; perinde ac feræ in sylvis; donec extitêre viri industrii, qui ab hac ferinâ vitâ eos deterrerent. Hanc gloriam Horatius adstruit Poëtis.

Sylvestres homines sacer, interpresque Deorum
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus:
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidosque leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis,
Saxa movere sono testudinis & prece blandâ
Ducere quò vellet. Fuit hæc sapientia quondam,
Publica privatis secernere, sacra profanis,
Concubitu prohibere vago: dare jura maritis:
Oppida moliri: leges incidere ligno.

Illa quidem pro fabulis habenda; habent tamen aliquid veri admixtum. Primis temporibus usque ad Diluvium homines habitabant sub tentoriis; quippe qui pastoritiam vitam agentes, non exercerent agros, contenti lacte pecorum & fructibus, quos sponte terra & arbores producebant, mutantes loca, prout quærebant pascua uberiora. Itaque non satagebant condere sive casas, sive domos; sed habitabant in tentoriis, quæ brevi tempore figuntur, & transferuntur: unde Ezechias apud Isaiam (cap 38. v. 12.) vitam suam brevem & tam citò interitui subjacentem comparabat tabernaculo Pastorum. *Generatio mea ablata est, & convoluta est à me; quasi tabernaculum Pastorum.* Momento tabernaculum convolvitur, dum Pastor alia pascua quærit.

Ante diluviana tempora sub tabernaculis degisse Patriarchas innuit Scriptura (Genes. cap. 4. v. 20.) *Genuitque Ada Jabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis.* Jam exercere terram Noë cœperat, & plantaverat vineam, cùm bibens ex eâ vinum *inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo* (Genes. cap. 9. v. 21.) Habitavêre in tentoriis filii ejus; & ipse indicat, benedicens eos. 26. *Dixitque benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan servus ejus.* 27. *Dilatet Deus Japhet & habitet in tabernaculis Sem. Sitque Chanaan servus ejus.* Abraham non incoluit ædes; tendebat tentoria. Similiter filii ejus. De Ismaële, quem suscepit ex Agar, Deus prædixerat (Genes. cap. 16. v. 12.) *E regione universorum fratrum suorum figet tabernacula.* Fiebant tabernacula è pellibus, sæpiùs nigris, quapropter sponsa in

A Canticis (cap 1. v. 4.) de se dicit: *Nigra sum sed formosa, filia Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*, nempe ex quibus fiebant tentoria militum; unde illæ phrases, quæ passim occurrunt, *(Hiems sub pellibus acta est; sub pellibus milites hibernavêre.)* Et similes, quibus liquet tentoria significari, imbribus autem & nivi & grandini, diutius quam carbasea vela obsistunt; ut experire est in ipsis animalibus, quæ à naturâ pilis vice vestium obteguntur.

Postea homines *cœperunt*, inquit Vitruvius (lib. 2. cap 1.) *alii de fronde facere tecta, alii speluncas fodere sub montibus, nonnulli hirundinum nidos & ædificationes earum imitantes, de luto & virgultis*
B *facere loca quæ subirent. Tunc observantes aliena tecta, & adjicientes suis cogitationibus res novas, efficiebant in dies meliora genera casarum. Cùm autem essent homines, imitabili docilique naturâ, quotidie inventionibus gloriantes, aliis alii ostendebant ædificiorum effectus, & ita exercentes ingenia certationibus, in dies melioribus judiciis efficiebantur. Primùmque, furcis erectis, & virgultis interpositis, luto parietes texerunt. Alii luteas glebas arefacientes, struebant parietes, materiâ eos jugumentantes, vitandoque imbres & æstus tegebant arundinibus & fronde. Postea quoniam per hibernas tempestates tecta non poterant imbres sustinere, fastigia facientes, luto inducto, proclinatis tectis stillicidia deducebant.* Tuguriola ex gle-
G bis ædificata Romani non contemnebant; quanquam jam de imperio rerum pugnarent. Horatius taxat sæculi sui luxum (lib. 2. Od 15.) laudans antiquos mores circa ædificia.

Privatis illis census erat brevis,
Commune magnum. Nulla decempedis
Metata privatis opacam
Porticus excipiebat Arcton:
Nec fortuitum spernere cespitem
Leges sinebant.

Quid sit fortuitus cespes, definit Sextus Pompeius Festus, libro 3. de Verborum significatione. *Cespes est terra in modum lateris cæsa, cum herbâ, sive frutex recisus & truncatus*, qui appellatur à Græ-
D cis χορτόπλινθος; id est, *later herbaceus.* Cespititii tugurii meminit Virgilius [1 Eclog.]

Pauperis & tuguri congestum cespite culmen.

Ubi Servius: *Cespite, id est, herbâ tum propriâ terrâ evulsâ*, à cædendo dictus *cæspes.*

Divinus Licurgus Inquit Plutarchus (de Usu carnium oratione secundâ) *in tribus suis legum tabulis serrâ & securi solis januas domorum & fastigia fabricari jussit, nullo alio adhibito instrumento.* Usque ad Tarquinium Priscum, ipsa urbis Romæ mœnia erant αὐτοσχέδια καὶ φαῦλα ταῖς ἐργασίαις ὄντα extemporali & frivolo opere condita; quod observat Dionysius Halicarnassæus, αὐτοσχέδιον idem fere sonat ac
E *fortuitum.* Ille autem Tarquinius *mœnia urbis primus, sectis ad regulam lapidibus prægrandibus, quorum singuli justum plaustri onus conficerent, extruere instituit.* Πρῶτος ἐδοκίμαζε λίθοις ἁμαξιαίοις εἰργασμένοις αὐτὸς κυκλῶ κατασκευάζειν. Inde, ut puto, saxum quadratum Horatius appellat *novum*, loco supra allegato.

Nec fortuitum spernere cespitem
Leges sinebant, oppida publico
Sumptu jubentes & Deorum
Templa novo *decorare saxo.*

Nam antea & ipsa mœnia & templa erant ex frivolo opere. Seneca in Epistolâ XC ubi luxum insectatur, laudat antiquarum ædium simplicem formam. *Mihi crede, felix illud sæculum ante architec-*

tonis fuit. Ista nota sunt, jam nascente luxuriâ, in quadratum tigna decidere, & ferro per designata currente, certâ manu trabem scindere.

Nam primi cuneis scindebant fissile lignum,

Non enim tecta cœnationi, epulum receptura, parabantur: nec in hunc usum pinus aut abies deferebatur longo vehiculorum ordine, vicis intrementibus, ut ex iis illa lacunaria auro gravia penderent. Furcæ utrinque suspensæ fulciebant casam: spissatis ramalibus ac fronde congestâ, & in proclive dispositâ, discursus imbribus quamvis magnis erat. Et paulo post: *Quamlibet virgeam cratem texuerunt manu, & vili obleverunt luto, deinde stipulâ aliisque sylvestribus operuêre fastigium, & pluviis per devexa labentibus, hiemem transiêre securi.*

Itaque non mirum est ætate Homeri ædificia ex quadrato lapide habita fuisse quasi pro miraculo. Videlicet cùm describit domum decoram, dicit eam factam ex cæso lapide; ut de perpulchrâ domo Priami (Iliad. ζ vel 6.) cantat in eâ fuisse quinquaginta thalamos ξεστοῖο λίθοιο *politi lapidis.* In Odysseâ, ubi describit domum Circes, eam etiam facit *ex lapide polito.* Callimachus celebratur quòd primus lapides terebraverit. Lapis cæsus & politus in fonte Hebræo Scripturæ appellatur גזית *gazith*, & ideo pretiosus; quia antiquitùs raró secarentur lapides & ad normam quadrarentur. Antea excoquebatur terra in lateres. Augustus Imperator morti proximus gloriabatur Romam invenisse lateritiam, quam marmoream relinqueret.

SECTIO II.

De veterum tectis, & potissimum Judaïcis quorum formam scire refert, ad pleraque scripturæ loca intelligenda.

STatim straminea fuêre tecta, etiam Templorum quæ postea laminis æneis obtecta sunt, ut dicit Ovidius in sexto Fastorum.

Quæ nunc ære vides, stipulâ tunc tecta videres;
Et paries lento vimine textus erat.

Tectorum dicta sunt *culmina*, quia veteres ædificia culmis contegebant, id est, *paleis messoriis*, inquit Servius. *Culmus* quasi *calamus* frumenti à radice ad spicam. Fastigiatæ sunt ædes, ut hinc inde defluat imber; alioquin sive calami, sive stipulæ, & stramen, sicut omnis alia materia putresceret: ideo, inquam, inclinata non plana sunt tecta; & datur eis forma triangularis, qualem videmus in tectis nostris. Verùm quæritur an id antiquitùs, & ubique factum sit.

In regionibus, in quibus cælum solet esse sudum, tecta adeo inclinata esse non opus est. Judæi in suis tectis versari & operari poterant; à quibus ne quis imprudens caderet, lex Deuteronomii 22. 8 præcipiebat ut coronâ tectum cingeretur. *Cùm ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tuâ, & sis reus labente alio.* Sequentia exempla demonstrant Judæos solitos quandoque versari & operari in suis tectis. Achitopel & alii qui Absalonem concitabant adversùs Davidem 2. Regum cap. 16. tetenderunt ei tabernaculum in solario palatii, ut coram omni populo ingrederetur ad concubinas patris sui. Ipse David *post meridiem deambulabat in solario domûs regiæ, viditque mulierem se lavantem, ex adverso super solarium suum* 2. Reg. cap. 11. In his locis & compluribus aliis vox Hebræa גג *gag* redditur à LXX. Δῶμα. Hebræum nomen *tectum* significat; Latinus interpres ponit *solarium*, id est, locum apricum, in summâ ædium parte solis calori captando accommodatum.


Cùm preces secessum petant, ideo in Actis 10. 9. *Ascendit Petrus in superiora ut oraret* ἐπὶ τὸ δῶμα, id est, *in tectum*: & idola pariter in tectis colebant Judæi, de quibus Sophonias dicit 1. 5 *qui adorant super tecta militiam cæli.* Cùm ergo tecta inhabitari possent, aperta sunt illa verba Domini ad Apostolos Matthæi 10. 27 *quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Nempe quod quasi infunditur in aures vestras clam, prædicate super tecta in omnium conspectu. Scalas apponebant Judæi extra domum, quem situm indicant illa verba Christi Domini Matth. 24. 17. quibus admonebat discipulos ut fugam accelerarent. *Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo suâ*, quæ verba supponunt exteriores fuisse scalas.


Adjungam dictis quod legimus in capite octavo secundi libri Esdræ, filios Israël reduces è captivitate Babylonis celebravisse festum Tabernaculorum in Tabernaculis, degentes supra tecta, ut lex præcipit, per octo dies v. 16. *Feceruntque sibi tabernacula unusquisque in domate suo* ἐπὶ τοῦ δώματος in tecto domûs suæ, *& in atriis suis & in atriis domûs Dei.* Non colligam loca omnia scripturarum, in quibus mentio fit τοῦ δώματος; sed non prætermittam historiam paralytici, quem sanavit Dominus. Hic à quatuor viris portabatur, jacens in lecto; quem cùm quærerent inferre in ædes, in quibus tunc erat Dominus, ut ponerent ante eum: *& non invenientes*, loquitur Lucas cap. 5. *quâ parte illum inferrent præ turbâ, ascenderunt supra tectum* δῶμα, *& per tegulas summiserunt eum cum lecto in medium ante Jesum.* Juxta Marcum 2. 4. *Nudaverunt tectum ubi erat Dominus.* Perpendenda sunt verba Græca fontis ἀπεστέγασαν τὴν στέγην, detexerunt & removerunt tegulas; & nudaverunt asseres tecti, *& patefacientes*, ut fert Græcus fons: ἐξορύξαντες perforantes per foramen *submiserunt grabatum, in quo paralyticus jacebat.* Addit Lucas *cum lecto in medium ante Jesum.* Hæc in nostris tectis inclinatis fieri non possent; sed tecta Judæorum non ita devexa erant. Potuêre ergo viri, qui portabant lectum paralytici, ascendere in tectum per scalas positas extra domum, cujus fores obsidebat turba, & remotis tegulis illud patefacere ἐξορύξαντες, ait Marcus, nempe asseres qui suberant tegulis, perfodientes submiserunt paralyticum χαλῶσι *demiserunt* lectum in quo jacebat paralyticus.

Ex hac historiâ discimus, quæcumque fuerit forma tectorum in Judæâ, primò usum in illis fuisse tegularum; ex quo sequitur non fuisse prorsus plana, ut vulgò creditur; neque enim tegulæ illâ protexissent ab imbribus, quæ propter hunc usum appellantur *imbrices*; & ea dicuntur *imbricatim* posita, quæ more tegularum disponuntur, ut aliæ super alias ex parte sedeant. Hæc dispositio in loco plano non excluderet pluviam, ut fit in tecto devexo; quapropter ea devexitas supponenda est in tectis Judaïcis, quæ necessaria erat, ut illa non perpluerent, simul quæ non obstaret quominus Judæi possent in his stare, ambulare & operari. In Delphinatu tecta paulò tantùm reclinantur; nec, ut alibi fit, tegulæ clavis ferreis, aut hamis ex materie suâ, agglutinandæ sunt, ne pondere suo decidant. Aliæ super alias collocantur, & manent veluti in æquo solo. Ibi autem imbrices in canalis modum sunt excavati, similes semitubulis; & sic disponuntur ut duobus imbricibus cavis subjectis tertius advolvatur, ejusdem formæ, sed inversæ, ut duorum commissuras sive interpositos angulos

protegat. Modò autem paulisper inclinentur tecta, A tum imber facilè defluit, & imbrices non alio glutine quam pondere ſuo adhæreſcunt tecto, quod ſine ullo labore & temporis impendio tegi & detegi poteſt. Hoc videre eſt in paralytico evangelii. Poterant, inquam, lecti ibi ſterni, parari lavacrum, quod fecit Betſabee, & ſtatui tentoria, quod fiebat in feſto Tabernaculorum. Ad hæc non omnes tegulæ erant neceſſariò devolvendæ; ſed in aliquem angulum tranſponendæ; quæ poſtea reſtituerentur in locum ſuum. In omnibus plagis cavendum eſt ne perfluant tecta, quod abſque tegulis non obtinetur. *Tecta jugiter perſtillantia litigioſa mulier.* Inquit Salomon Proverb. 19. 13. Tecta perſtillantia, ibi intelliguntur quæ obnoxia ſunt vento, pluviæ, frigori. *Melius eſt* tamen, ait idem Salomon 25. 9. *ſedere in angulo domatis*, id eſt, in aliquâ parte tecti, *quàm cum muliere litigioſâ & in domo communi*, id eſt, cum eâ ſocietatem habere intra eamdem domum. Supponit illud ſapiens dictum ſic tecta facta, ut in his non difficile eſſet ſedere; quod non fit ſine machinamento in tectis noſtris.

Tegulæ diverſis formis donantur. Planis utimur in triangularibus tectis, & multùm inclinatis. Quædam habent quaſi hamum ex eâdem materiâ, quæ affiguntur aſtulis ſive ambricibus, *aux lattes.* Hac imbricum ſpecie non opus eſt in tectis planis. Tegulæ quæ ſunt inſtar tuborum, lateribus ſuis recurvis, excludunt imbres & cogunt effluere per cavitatem ſuam. Tegulæ & eâ poſſunt formâ donari, quæ idem præſtet, & oculis non inamæna ſit, illæ ſunt ſimiles literæ S inverſæ ഗ. Vides & formam tegularum, quæ inſtar tuborum ſunt. Harum tegularum ſpecies ſeorſim repræſentatur; ſimul & tectorum quæ his conteguntur, tam aptè, ut licet ferè plana ſint, tamen non perſtillent. Etenim ſic conjunguntur, ut nullo interſtitio imbres admittant. Judæi autem poterant obtegere & detegere tecta ſua, prout neceſſarium, ſine ullo fabro.





SECTIO III.

Hujuſce operæ, quam in cognoſcendis Architecturæ primordiis ponimus, multum eſt pretium.

TEmplum Hieroſolymitanum, conditum eſt, arte quidem ædificandi inventâ, ſed nondum expolitâ; ut fruſtra fingerentur in eo genera ornamentorum, quæ nondum nata erant. Non ad gloriam Dei attinebat ut à Salomone omnes adhiberentur elegantiæ quas poſterior ætas excogitavit. Ante illam ætatem poterant Ægyptii venditare moles ædificiorum ſuorum. Sed, ut infra videbimus, moles erant ſolâ lapidum magnitudine & totius operis firmitate conſpicuæ. Igitur proderit obſervaſſe vetuſtam rationem ædificiorum, ut haccę comparatione fiant notiora quæ in ſacro codice ſpectant templi ædificium. Vitruvius (lib. 2. cap. 8.) notat Romæ non inventa tabulata niſi ſerò cùm iſta urbs incolis cœpit eſſe frequentior. *In eâ autem majeſtate urbis, & civium infinitâ frequentiâ, innumerabiles habitationes opus fuit explicare. Et cùm recipere non poſſet aera plana tantam multitudinem ad habitandum in urbe, ad auxilium altitudinis ædificiorum res ipſa coegit devenire.* Hoc non contigit, niſi poſt quingentos annos à templo fundato. Sæpè tamen in Homero mentio fit cœnaculorum. Diodorus Siculus memorat de Thebis Ægypti agens, domos etiam privatorum τριωρόφους & τετρωρόφους ad quartam & quintam uſque contignationem eductas. Id ergo de Romanâ urbe ſolùm obſervavi, ut liqueat ſtatim magnificentiam ædificiorum non pariter pervaſiſſe omnem orbem. Seneca invehitur in iſtas contignationes, ut ignotas primis ſæculis; quas non philoſophia, ſed luxus invenit. *Philoſophia hæc, cum tanto habitantium periculo, imminentia tecta ſuſpendit. Parùm enim erat fortuitis tegi, & ſine arte & difficultate naturale ſibi invenire aliquod receptaculum.*

B Quæ poſtea ex lapidibus opifices fecêre, primitus ex ligno fiebant: lignea erant templa, ligneæ ſtatuæ. Ut certo aliquo exemplo pateſiat quantùm ars eſſet imperfecta, dicam portarum ſuperliminaria, etiam in templis, ut nunc in agreſtibus caſis, non compacta niſi tranſverſis trabibus; ex quâ antiquâ conſuetudine acceſſam lucem nonnullis ſcripturæ locis. Cùm cœpit pudere architectos facere tam humiles frontes portarum, quæ primùm oculis occurrerent conſpicuæ, ſuperliminaria portarum, cùm ex lapidibus non poſſent, conflaverunt ex ære. Scribit Herodotus (lib. 1.) portas Babylonis omnino fuiſſe æreas cum poſtibus ſuis & ſuperliminaribus χάλκεαι πᾶσαι καὶ σταθμοί τε καὶ ὑπέρθυρα ὡσαύτως. Videbimus C ſuperliminaria ὑπέρθυρα portarum Templi habuiſſe trabes ſed inauratas. Pauſanias [lib. 3.] deſcribit ſimulacrum factum poſt Troiana tempora, quod præter os, manus, & imos pedes, cæterùm æneæ columnæ perſimile erat. Uno & altero ſæculo excidium Troiæ præceſſit regnum Salomonis. Salomone non antiquior Homerus, qui de excidio Troiano agens, mores omnium populorum conſuetudineſque expreſſit. Multas regiones perluſtraverat, & auditu, vel viſu habebat comperta omnia, quæ tunc ſciri poterant. Igitur cùm Regia ædificia deſcribenda ſuſcipiebat ad imaginem rerum, quas viderat, ſatagebat quàm ſimilia facere; ita ut D non alius ſit teſtis certior, hactenus artem vel ignoratam vel imperfectam fuiſſe. Mœnia Troiæ, quæ deſcribit, licet ab ipſis Deis ædificata, [Iliad. lib. 12.] partim erant lignea. Muri quibus Græci caſtra muniverant, habebant pro loricâ bovinas pelles. In ædibus Uliſſis videntur portæ obſeratæ more tuguriorum pauperiorum, ut liquet ex illis verſibus Odyſſeæ (lib. 1.)

Θύρην δ' ἐπέρυσε κορώνῃ
Ἀργυρέῃ, ἐπὶ δὲ κληῗδ' ἐτάνυσσεν ἱμάντι.

Januam attraxit annulo
Argenteo : insuper autem pessulam obtendit loro

Κλεὶς est vectis, sive pessulus qui obdebatur januæ, ut adhuc fit in quibusdam tuguriis: neque enim hîc intelligendum instrumentum exiguum, quo fores nunc reseramus; sed vectis transversus, qui his applicitus eas obseraret, sive obfirmaret adversùs eos qui vellent perfringere. Κλεὶς derivatur à κλείω *claudo*. Nomen Latinum *clavis* venit à Græcò κλεὶς, quia claudebat. Nunc nostris clavibus reseramus & obseramus. Vetustos mores vellem nobis esse notiores; idcirco enim sæpè sæpiùs in sacris codicibus & aliis antiquis scriptis aberramus à verâ Scriptorum sententiâ, quia ex consuetudinibus nostris illos volumus interpretari. Non ita autem solùm exponenda sunt quæ olim fiebant in ædificiis, sed quid fieri semper ratio præceperit. Sic ipsius artis, cujus originem indagamus, retegemus fundamenta. B

SECTIO IV.

Artes perficit ratio. Ita Architectura perfectionem & decorem suum assecuta est, cùm Architecti in consilium rationem adhibuerunt.

TAntus ille apparatus in jaciendis Templi Hierosolymitani fundamentis, omnem ab animo amovet opinionem illud redoluisse rudia illa architecturæ inchoamenta, de quibus modò dictum est. Collatio, quam infra instruemus, inter illud & cætera antiqua monumenta, demonstrabit nullum cum eo ædificium contendere potuisse. Parvum, inquam, & humile non potuit esse opus, ad quod perficiendum & adornandum, omnes Judæorum, quas magnas fuisse constat, opes congestæ fuerant; Judæorum enim natio citò pervasit in omnes orbis terrarum regiones; illi autem argentum & aurum certatim mittebant Jerosolymam, tum ad sacrificia peragenda, tum ad nova ædis Domini decora. Unde Tacitus dicebat Judæis fuisse *immensæ opulentiæ Templum*. Decebat illud esse magnificum, in quo elegerat Deus fieri sacrificia, typos admirandi sacrificii illius, quod Dominus noster Jesus Christus oblaturus erat; cujus grande pretium ut illi typi ostenderent, exhiberi oportebat in loco conspicuo, & in ædificio decoro, de quo ut judicium æquum promamus, usque ad ipsos veri decoris fontes penetrandum est. C D

Ad perfectionem ars adducta est, sive potiùs tunc nata, cùm non casu, nec impetu cœptum est ædificari, sed ratione adhibitâ, nempe cùm consuluerunt artifices quid illa præciperet. Ut materia suppetebat, & sors formam aliquam monstrabat commodam primùm fiebant ædificia. Alii, ut observat Vitruvius (lib. 2. cap. 1.) è scandulis robusteis, aut stramentis constituebant ædificia; ut in Galliâ, Hispaniâ, Lusitaniâ. In Colchide, propter sylvarum abundantiam, arboribus perpetuis, planis dextrâ & sinistrâ in terrâ positis. Phryges verò, qui in campestribus locis habitant, propter inopiam sylvarum egentes materiâ, eligebant tumulos naturales, eosque medios fossurâ exinanientes, dilatabant spatia, quantùm natura loci patiebatur. Nonnulli ex ulvâ palustri componebant tuguria, tecta. Hæc Vitruvius. Videamus quomodo juxta illum ars evaserit in scientiam perfectam. *Cùm autem*, inquit ille, *quotidie faciendo tritiores manus ad ædificandum perfecissent, & solertiâ ingenia exercendo per consuetu-* E

A *dinem ad artes pervenissent, tum etiam industria in animis eorum adjecta perfecit, ut qui fuerunt in his studiosiores, fabros esse se profiterentur.* Videlicet tuêre qui exercendæ architectonicæ totos se cùm dederent, ita studuerint illam perficere. *Cùm ergo ita fuerint primò constituta, & natura non solùm sensibus ornavisset gentes, quemadmodum reliqua animalia: sed etiam cogitationibus & consiliis armavisset mentes, & subjecisset cætera animalia sub potestate, tunc verò è fabricationibus ædificiorum gradatim progressi ad cæteras artes & disciplinas, è ferâ agrestique vitâ ad mansuetam perduxerunt humanitatem. Tum autem & instruentes animosè & prospicientes majoribus cogitationibus ex varietate artium natis, non casas, sed etiam domos fundatas ex lateritiis parietibus, aut ex lapide structas, materiâque & tegulâ tectas, perficere cœperunt: deinde observationibus studiorum evagantibus judiciis, & ex incertis ad certas symmetriarum rationes perduxerunt: postea quàm animadverterunt profusos esse partus ab naturâ materiæ, & abundantem copiam ad ædificationes ab eâ comparatam, tractando nutrierunt, & auctam per artes ornaverunt voluptatibus ad elegantiam vitæ.*

In Architecturâ, sicut in omni re, intuendus finis, quem ars illa spectare debet, ex hoc fine dijudicandum de cujusque operis, quod suscipitur, pulchritudine & præstantiâ. Necessaria primùm ædificia adversus frigus & imbres, cæterasque aëris inclementis injurias. Prima ergo lex esto, sive primum artis principium, quod omne ædificium hisce usibus inservire debeat, quorum causâ paratum est. Altera lex sit, sive secundum principium; quæ labore & impensis extructa sunt, debere esse firma. Quod enim facili negotio diruitur, & ut ita dicam, pede excussum abit in ventos, arguit artificis tum imperitiam, tum insipientiam. Tertium principium erit, ut ædificium cum decore exornetur, postquam utilitati & firmitati operis satis consultum est. Ad illa tria principia Vitruvius summus artis magister revocat omnia quæ hanc scientiam spectant. Cùm enumerasset paucis verbis, quæ implenda sunt ab Architecto, adjungit (lib. 1. cap. 3.) *Hæc autem*, inquit, *ita fieri debent, ut habeatur ratio firmitatis, utilitatis, venustatis. Firmitatis erit habita ratio, cùm fuerit fundamentorum ad solidum depressio, & ex quaque materiâ copiarum sine avaritiâ diligens electio. Utilitatis autem emendata & sine impeditione, usu locorum dispositio, & ad regiones sui cujusque generis apta & commoda distributio. Venustatis verò, cùm fuerit operis species grata & elegans, membrorumque commensus justas habeat symmetriarum rationes.*

CAPUT VII.

Ad utilitatem, firmitatem & venustatem, revocantur omnia, sive principia, sive præcepta Architecturæ.

SECTIO I.

Utilia & pulchra sunt ædificia cum præbent usus in quos parata fuerant.

UTilitas cum decore sic conjuncta est, ut cum multa est & magna sequatur pulchritudo. Pulchri, inquam, ea est notio, & quod ordinatum simul & pulchrum sit. Hanc utilitatis & amœnitatis conjunctionem cernere est in pomariis, in quibus arbores non temere, sed arte consitæ sunt. *Illa,*

le, ait Quintilianus, *in ordinem certaque interval-lis redacta placent. Quincunce nihil speciosius est, sed id quoque prodest, ut succum terræ aqualiter trahant.* Igitur ubi de ædificio statuendum est judicium, protinus finis operis intuendus; deinde an ad illum aliâ viâ quæ esset brevior non potuerit Architectus pervenire; quisquis enim aliam institerit quodam modo aberrat à fine. Mirifice delectamur, cùm in opere sapientis artificis observamus omnia ordinata in finem & hunc præstantissimum; neque enim licet laudare insanas moles & labores stultos.

Considerandum prius est quo consilio, quâ necessitate, quâ utilitate inchoatum sit ædificium, & huic consilio si adfuerit comes prudentia. Cùm, exempli causâ, Salomon voluit, ut ita dicam, lapidibus exprimere Tabernaculum Dei; videlicet ut sub lapideo tecto reponeret Arcam, simul & locaret cætera, quæ in Tabernaculo erant. Cùm, inquam, hoc opus agressus est, non decebat eum huic destinare multa terrarum jugera, cùm in hanc partem Templi, quæ Tabernaculum repræsentabat, unus & alter Sacerdos ingrederetur: quod non advertunt, qui statim ac audiunt ædem sacratam in templo Salomonico angustam fuisse, percelluntur de illa judicantes ex hodiernis templis, quæ admittunt plebem omnem. Quod autem dixi de pulchritudine quæ oritur ex utilitate, confirmabo observans columnas non solum decorem sed & magnam utilitatem afferre dum fulciunt cameras, testudines, laquearia, quæ alioqui dissilirent in locis ubi prospectus liber esse debet, & pervia spatia; quod veteres Architecti observabant, ut notat Plinius (lib. 36. cap. 6.) *columnis demum utebantur in templis, nec lautitiæ causâ (nondum enim ista intelligebantur) sed quia firmiores aliter statui non poterant.* Legerem *firmiora* aut *firmiùs*, aut supplerem *ædes*. In operibus naturæ omnia sibi sunt invicem adjumenta. *Referte nunc animum ad hominum vel etiam cæterorum animantium formam & figuram: nullam partem corporis sine aliquâ necessitate affictam, totamque formam quasi perfectam reperietis arte non casu. Quid in arboribus? in quibus non truncus, non rami, non folia sunt denique, nisi ad suam retinendam conservandamque naturam. Nusquam tamen est ulla pars nisi venusta. Linquamus naturam, artesque videamus. Quid tam in navigio necessarium, quàm latera, quàm carina, quàm prora, quàm puppis, quàm antennæ, quàm vela, quàm mali? quæ tamen hanc habent in specie venustatem, ut non solùm salutis, sed etiam voluptatis causâ inventa esse videantur. Columnæ & templa & porticus sustinent: tamen habent non plus utilitatis, quàm dignitatis. Capitolii fastigium illud & cæterarum ædium, non venustas, sed necessitas ipsa fabricata est. Nam cùm esset habita ratio quemadmodum ex utrâque parte tecti aqua delaberetur, utilitatem templi fastigii dignitas consecuta est; ut etiamsi in cælo statueretur, ubi imber esse non posset, nullam sine fastigio dignitatem habiturum fuisse videatur.* Hæc Cicero in fine lib. 3 de Oratore *pulchritudo corporis* ejusdem Oratoris sermo est (de Officiis lib. 1.) *aptâ compositione membrorum movet oculos, & delectat hoc ipso, quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt.*

Membrorum corporis & partium ædificii compages, numeris exprimi potest, si apta sit; & hoc est quod symmetria solet appellari. *Id quod in quacumque re pulchrum est*, Plutarchus inducitur Latinè loquens (lib. περὶ τοῦ ἀκούειν) *ex multis veluti numeris ad unum temporis articulum convenientibus quadam concinnitate & concentu perficitur: cùm turpitudo statim existat, vel unâ aliquâ etiam leviculâ re deficiente, aut absurdè positâ.* Sapientia fons est venustatis. Pulcritudo ædificii sicut corporis pendet ex symmetria. Τὸ κάλλος τοῦ σώματός ἐστι συμμετρία τῶν μελῶν καθεστώτων αὐτῶν πρὸς ἄλληλά τε, καὶ πρὸς τὸ ὅλον *Pulchritudo corporis est congruentia membrorum aptè constitutorum ad invicem & ad totum.* Ut dicit Stobæus [in Ecclogis Ethic. cap. 5.] Complura & elegantia testimonia, quæ symmetriam & harmoniam spectant, congerit Junius in erudito suo opere de Picturâ (lib. 3. cap. 2.) Non autem præcisè propter numeros, ea quæ symmetriam habent, delectatione afficiunt oculos, sed propter congruentiam cum ratione, quia scilicet sapienter disposita sunt. Hanc venustatis & decoris notionem studet indere Aristippo Socrates apud Xenophontem [lib. 3. Memorab.] *cætera omnia quibus utuntur homines*, dicit Socrates, *eorumdem respectu pulchra bonaque putantur; eorum scilicet, quorum usui accommodata sunt. Num igitur*, ait *Aristippus, etiam qualus, quo efferuntur stercora, pulchrum quiddam est? Est profectò, ait Socrates. Atque etiam scutum aureum est turpe: modo ad usus suos ille quidem pulchrè factus sit, hoc verò malè... Quippe omnia bona sunt ac pulchra ad ea quibus conveniunt. Idem diceret easdem ædes pulchras & utiles esse* αὐτὰς καλάς τε εἶναι καὶ χρησίμους, *docere quidem mihi videbatur, cujusmodi sint extruendæ. Id autem considerabat hoc modo. An non illum qui domum habere velit, qualem habere convenit, talem hanc moliri necesse est, ut habitatu sit jucundissima & utilissima. Quod cum pro confesso haberetur: Ergo jucundum est, inquit, per æstatem domum frigidam: per hyemem calidam habitare. Cum hoc quoque concederetur: ergo in ædificiis, ait, quæ meridiem spectant, per hyemem sol in cubiculo splendeat, per æstatem verò, dum supra tecta incedit, murorum densitas & altitudo umbram suppeditet. Quamobrem si hæc ita fieri bonum est; altius ædificanda sunt ea quæ meridiem spectant, ut sol hybernus non excludatur: humilius verò, quæ septentriones spectant, ne venti frigidi possint incidere.* Ita ostendebat Socrates architecturam requirere hominem magni judicii. γνωμονικοῦ ἀνδρὸς τοῦτο δεῖ.

SECTIO II.

Situs, dispositio, forma, mensuræ omnia debent esse utilia.

Situs ædis, dispositio ejus, forma, mensuræ omnia subservire debent utilitati ejus. Loca diversas habent qualitates prout vel montana, vel campestria sunt, vel fluviis vicina, vel remota à paludibus, & certas cæli plagas respiciunt. Congrua eligenda sunt. Hujus præcepti memor Architectus exploret naturam loci, antequam fundamenta ponat: quod præceptum juvat Vitruvianis verbis declarare (lib. 1. cap 2.) *Naturalis autem decor sic erit: si primùm omnibus templis saluberrimæ regiones, aquarumque fontes in his locis idonei eligentur, in quibus fana constituantur: deinde maximè Æsculapio, saluti, & eorum Deorum, quorum plurimi medicinis ægri curari videntur. Cùm enim ex pestilenti in salubrem locum corpora ægra translata fuerint, & è fontibus salubribus aquarum usus subministrabuntur, celeriùs convalescent. Ita efficietur uti ex naturâ loci majores auctasque cum dignitate divinitas excipiat opiniones. Item natura decor erit; si cubiculis, & bibliothecis, ab Oriente lumina capientur, balneis & hibernaculis, ab occidente hiberno: Pinacothecis, & quibus certis luminibus opus est paribus, à septentrione; quòd ea cæli regio neque exclaratur, neque obscuratur solis cursu, sed est certa & immutabilis die perpetuo.* Post electionem locorum, sequitur dispositio, sive distributio partium. Etenim & idem Vitruvius monet (ibidem) *Aliter gradus erit dis-*

tributionis, cùm ad usum patrumfamiliarum, ad pecuniæ copiam, aut ad elegantiæ dignitatem, ædificia aliter disponentur. Namque aliter urbanas domos oportere constitui videtur, aliter quibus ex possessionibus rusticis influunt fructus, non idem fœneratoribus: aliter beatis & delicatis: potentibus verò, quorum cogitationibus respublica gubernatur, ad usum collocabuntur: & omnino faciendæ sunt aptæ omnibus personis ædificiorum distributiones.

Contemplandis naturæ operibus potissimum vacare deberent Architecti. Excitabo eos verbis Ciceronis, lib. 2. de Nat. Deorum. *Sensus autem interpretes ac nuntii rerum, in capite tanquam in arce, mirificè ad usus necessarios & facti & collocati sunt. Nam oculi tanquam speculatores, altissimum locum obtinent: ex quo plurima conspicientes fungantur suo munere. Et aures cùm sonum recipere debeant, qui naturâ in sublime fertur: rectè in altis corporis partibus collocatæ sunt. Itemque nares, eò quòd omnis odor ad superiora fertur, rectè sursum sunt: & quòd cibi & potionis judicium magnum earum est, non sine causâ vicinitatem oris secutæ sunt. Jam gustatus, qui sentire eorum, quibus vescimur, genera debet, habitat in eâ parte oris, quâ esculentis & poculentis iter natura patefacit. Tactus autem toto corpore æquabiliter fusus est, ut omnes ictus, omnesque nimios & frigoris & caloris appulsus sentire possimus. Atque, ut in ædificiis Architecti avertunt ab oculis & naribus dominorum ea, quæ profluentia necessariò tetri essent aliquid habitura: sic natura res similes procul amandavit à sensibus.* Sic natura suo exemplo docet aptam & congruentem usibus suis formam debere esse cujusque partis ædium; quod idem orator dicit. *Quis verò opifex præter naturam, quâ nihil potest esse callidius, tantam solertiam prosequi potuisset in sensibus? quæ primùm oculos membranis tenuissimis vestivit, & sepsit: quas primùm perlucidas fecit, ut per eas cerni posset: firmas autem, ut contineret. Sed lubricos oculos fecit & mobiles, ut declinarent, si quid noceret: & aspectum quò vellent facilè converterent. Aciesque ipsa, quâ cernimus, quæ pupilla vocatur, ita parva est, ut ea quæ nocere possint, facilè vitet. Palpebræque sunt tegumenta oculorum, mollissimæ tactu, ne læderent aciem, aptissimè factæ, & ad claudendas pupillas, ne quid incideret, & ad aperiendas: idque providit, ut identidem fieri posset cum maximâ celeritate. Munitæque sunt palpebræ tanquam vallo pilorum: quibus & apertis oculis, si quid incideret, repelleretur; & somno convenientibus, cùm oculis ad cernendum non egeremus, ut qui, tanquam involuti, quiescerent. Latent præterea utiliter, & excelsis undique partibus sepiuntur. Primùm enim superiora superciliis obducta sudorem à capite, & fronte defluentem repellunt. Genæ deinde ab inferiori parte tutantur subjectæ, leviterque eminentes.*

Æquas mensuras habent opera naturæ; fusiora enim brachia; fuissent oneri & impedimento. Manus possunt attingere partes omnes corporis, his auxiliaturæ. Crura pro ratione altitudinis firmitatem habent, quæ sit ferendo ponderi corporis apta. Majus hepar affunderet majorem copiam sanguinis, quæ à venis capi non posset. Intra angustius pectus pulmones non dilatarentur, ad ducendum aërem, quod si laxius esset, illi non cogerentur reddere spiritum, qui citò exæstuaret. Ita vidimus pro ratione concursûs hominum, qui in sacras ædes hodie confluunt, altiores illas esse debere, ut sufficiant excipiendæ multitudini, & in liberiori spatio aër non exardescat cùm à pluribus ducitur &

A reflatur. Majora cubicula, ubi plurimâ luce opus est, perforanda sunt majoribus fenestris, quibus lux admittatur. Pariter ostia majora debent patere, cùm major est turba, tum introeuntium, tum exeuntium. Architectus naturam sequens ducem non peccat. Illa sic æquis dimensionibus omnia temperat, ut operum suorum nulla pars sit abnormis magnitudine suâ; sed parva aut magna, sicut postulat utilitas, & sic disposita, ut complures usus præbeant. Lingua præter quam quod mobilis & agilis inservit cibo mandendo, admirabile plectrum est, quo vox fingitur & formatur tam variis & innumerabilibus formis, ut infinito & immenso organorum apparatu ars operari non posset, quod facili negotio lingua conficit. Rotundum est caput: figura non alia

B est capacior. Truncus corporis pariter rotundus, & crura & brachia ad eamdem figuram accedunt, ut in angustiori, quo fieri potest, spatio plura contineant motuum suorum & operationum organa. Juxta hæc naturæ exempla villas esse ædificandas præcepit Varro lib. 1. de Re rusticâ cap. 13. *Fructuosior, inquit, est certè fundus propter ædificia, si potiùs ad antiquorum diligentiam, quàm ad horum luxuriam, dirigat ædificationem. Illi enim faciebant ad fructuum rationem, hi faciunt ad libidines indomitas. Itaque illorum villæ rusticæ erant majores, quàm urbanæ quæ nunc sunt pleræque contrà. Illic laudabatur villa, si habebat culinam rus-*

C *ticam bonam, præsepias laxas, cellam vinariam, & olearium ad modum agri aptam, & pavimento proclivi in lacum.*

SECTIO III.

Firmitas ædificiorum pendet à fundamentis, à delectu materiæ, & à formâ, quâ sic eorum partes disponuntur, ut secum cohæreant & se adjuvent.

UBi consultum est utilitati, providendum ut quæ utilia sunt, firma sint. Domos ædificant homines, ut tuti sint adversùs aëris inclementiam: spes frustraretur eos, si nec ipsæ obsistere possent

D ingruentibus procellis. Firma autem ut sint ædificia, primùm necesse est ut in solido loco sternatur eorum fundamentum. Secundò materia optima deligenda; denique ingerenda forma operi, quâ constringantur partes ejus, ut non possint dissolvi. Excerpam ex Vitruvio quæ hùc spectant. De fundationibus sic præcipit (lib. 3. cap. 3.) *Substructionis fundationes eorum operum fodiantur, si queat inveniri, ab solido & in solidum, quantùm ex amplitudine operis pro ratione videbitur, exstruantur: quæ structura per totum solum quàm solidissima fiat.* Agit ibi Vitruvius de ædificio, in quo sunt columnæ. *Supraque terram parietes extruantur sub columnis, dimidio crassiores, quàm columnæ sunt futuræ, uti firmiora sint inferiora superioribus, quæ*

E *stereobatæ appellantur: nam excipiunt onera. Spirarumque projecturæ non procedant extra solidum. Intervalla autem concameranda, aut solidanda fistucationibus.* Fistuca machina est utrinque ansata, quâ pavitores utuntur. *Sin autem solidum non invenietur, sed locus erit congestitius ad imum, aut paluster, tunc is locus fodiatur, exinaniaturque, & palis alneis, aut oleagineis, aut robusteis ustulatis configatur, sublicæque machinis adigantur, quàm creberrimæ, carbonibusque expleantur intervalla palorum, & tunc structuris solidissimis fundamenta impleantur.*

Docet Vitruvius quæ adhibenda sit cautio in eligendâ materiâ, calce, arenâ, in cædendis lignis, effodiendis lapidibus; quæ omnia extra sunt insti-

tutum meum. Qui artem deditâ operâ tractant, A non possunt eâ in re esse diligentiores. Adjiciam pauca de formâ, quâ oportet materiam disponere. Primis temporibus cùm sylvis terra esset obducta, tum ut his erutis locus esset ad ferendas fruges, & ad armenta pascenda, non alia materia quam ligno, omnes ædes sive sacræ sive profanæ construebantur. Lignum absumitur igne, & carie putrescit; idcirco quando usus artes extundere cœpit, quod priùs ex ligno, postea ex lapidibus factum; sed rerum initio columnæ erant ligneæ, & superliminaria constabant trabibus; trabs oneri firmiùs resistit, cùm ad perpendiculum erecta est. Cùm transversa est, quò longior, faciliùs infringitur: erecta enim resistit secundùm totam suam longitudinem; contrà verò, ubi transversa posita est, etiam si alieno B pondere non prematur, suo proprio fatiscit. Ex his & similibus observationibus, qui de ordinandis lignis tractant, deducunt leges trabeationis. Per trabeationem hic intelligo quod vernaculè diceremus *la charpenterie*.

Porro in erectis trabibus observandum est pro ratione altitudinis crassas esse debere; pondus enim majus cogit partes ligni teneriores cedere, & ubi paululùm de recto situ suo à procellis deturbantur, facilè frangi. Natura arborum truncos crassiores facit, quarum vertex majoribus luxuriat ramis. Lapides qui ligno ponderosiores sunt, nec tam facili negotio vinciuntur inter se, majorem artem desiderant. Primùm, ne secum trahant ruinam, quæ C solidiora semper sunt subjicienda; videlicet in fundamentis locanda. Cavendum imprimis ne extra perpendiculum projiciantur; ita ut saxum superius juxta lineam perpendicularem premat inferius, ut isto nisi subducto cadere non possit. Ne autem fatiscat inferius, non magis quàm par est onerandum. Ideo prout surgit structura, proportionaliter detrahendum aliquid latitudini parietum, ad levamentum oneris & expensarum. Saltem quæ vacua sunt in parietibus interioribus, ut ostiorum, & fenestrarum, non habeant solidos muros supra se recumbentes. Regula, inquam, illa teneatur; ut quod solidum est, feratur solido: vacua intervalla vacuis respondeant intervallis. Quæ si crebriora D sunt, maximè in pede ædificiorum, & in angulis parietum, si plura ostia, plures fenestræ, imminet operi ruina à fastigii pondere.

Ad colligandos lapides adhibetur cæmentum, calx cum arenâ, vel bitumen. Ferro & plumbo vinciri possunt; sed nullum aliud fortius vinculum ipsâ naturâ. Firmius opus reddunt lapides quo grandiores sunt; sed quia passim non occurrunt, cùm struitur minoribus lapidibus, certi ordines grandiorum interponendi, qui sint instar ossium. Omnes, quantùm potest fieri, quadrati sint ad normam; ut ipso suo pondere recubent, & cohæreant. Nisi saltem angulares quadrati sint, facilè duo parietes dissiliunt. In eo artem ostendit artifex, cùm singulos lapides colligit, ut nec pondere alieno, nec pro- E prio frangantur. Eo situ ligna quo creverant, sunt validiora, nempe cùm erecta sunt, pariter & lapides validiores sunt in eo situ, quem in lapidicinis habuerunt. Quadrati conjunguntur inter se ab omni parte, & subsidunt gravitate suâ.

SECTIO IV.

Quidquid in ædificio rationi adversatur, etiam ipsa ornamenta, mens sana reprobat.

Sic à supremo opifice nos esse factos experimur, ut ad ea, in quæ nos inclinat, delectatione trahamur, & quæ delectant, grata, simul sint & utilia. Non alii sunt decoris fontes in ædificiis, quàm maxima utilitas; ideo ipsa symmetria grata est. Etenim nisi æqualia essent crura, vix solo insistere posset animal, & oppositis membris nisi par pondus inesset, labaret totum corpus, & in partem ponderosiorem propendens citò rueret. Bestiæ quæ pascunt herbas, & sunt altis cruribus, collum habent procerum; alioquin humiles herbas & teneriores non attingerent. Breve est collum elephantis, sed proboscide suâ utitur. Ea est manuum nostrarum forma, & digitorum ea mensura, ut possint arripere, & arrepta servare, plura continere; in sphæricam enim figuram, quæ est capacior, contrahi possunt. Congruentiam laudat Socrates ab utilitate suâ (Xenoph. lib. 3. Memorab.) *Minùs*, inquit, *pondere suo premunt thoraces, qui congruunt, quàm qui non congruunt, licet pondus æquale habeant. Etenim qui non congruunt, vel ab humeris toti dependendo, vel aliam partem corporis aliquam vehementer premendo, gestatu difficiles & molesti fiunt: at verò qui congruunt, quum onus partim à claviculis, & parte scapulis vicinâ, partim ab humeris, à pectore, à tergo, à ventre distributim sublevetur, propè non gestaminis, sed appendicis esse loco videntur.* Numquam me pigeat hîc de architecturâ disserentem ob oculos ponere artem, quâ divinus opifex usus est; ab operibus enim ejus vera accipienda notio symmetriæ, in quâ jure reponitur omnis decor cujusque ædificii.

Quando perperam agimus, pudet nos: ubi rationi paremus, nobis blanditur conscientia. Offendit oculos facinus pravum, virtus allicit. Sic facti nos esse intelligimus, ut iis quæ rationi consentânea sunt, delectemur. Summum ergo iterum dicam decoris, venustatisque principium est, nihil ineptè moliri in ædificio. Odio est artifex, cùm sine ullâ necessitate, sine ullâ utilitate, sine ullâ ratione hàc & illàc, potiùs casu, quàm judicio portas aperit & fenestras justo latiores aut angustiores. Indicat se abreptum vanis cogitationibus, aut incogitantem operari. Unde sequuntur multa incommoda & impensæ inanes.

Non omnis forma, non omnis figura convenit cuilibet ædificio. Cùm ad angulos rectos non constituuntur ædium dimensiones, hac parte, ut ita loquar, concurrunt parietes, alterâ ad se recurrunt, & longo murorum tractu non intercipitur nisi angustum solum. Quin ædium area non potest distribui in conclavia, quorum situs usum præbeant suis hospitibus facilem. Nisi horum omnium æquum sit solum, etiam in meridie quasi cæcucientes impingimus; fallimur enim improviso vel ascensu, vel descensu. Æquales cellæ postulant parem & æqualem luminis portionem. Ejusdem tabulati fenestras decet omnes esse pares: causam enim diversitatis spectator non animadvertens, offenditur inæqualitate. Hinc displicent ædificia illa, quæ Gothorum, à quibus dicuntur facta, mores inconditos exprimunt. In illis materiarum & operarum infinitæ sunt & inanes impensæ; à quibus vitiis longè absunt opera naturæ quæ semper habent cum utilitate sua conjunctam amœnitatem; neque enim, exempli causâ segetes, quibus luxuriant agri, maturescerent, nisi

spica remota ab humidâ tellure, propioris, ut ita dicam, solis calore coqueretur. Calamus verò per quem materia, quæ coquitur, hoc est ipsum triticum, ascendit, non ferret spicam, nisi aliquot nodis roboraretur; nec proficua esset colono, nisi spica horresceret quasi hastis adversùs aves. Sic segetes instruuntur omnibus necessariis organis; ex quorum aspectu oritur delectatio: delectatio autem utilitatem sequitur.

Non ergo ex solâ hominum opinione pendet proprium cujusque ædis decus, sed ex recto judicio, quo perfecta est. Cùm, verbi causâ, juxta exempla naturæ pro ratione altitudinis suæ crassæ sunt columnæ; truncus enim arboris prout vertex ejus pluribus ramis oneratur crassior est. Sequentibus verbis Vitruvius queritur de inanibus columnarum ornamentis libro 7. cap. 5. [*Pro columnis*, inquit, *statuuntur calami, pro fastigiis harpaginetuli striati cum crispis foliis & volutis. Item candelabra ædicularum, sustinentia figuras, supra fastigia earum surgentes ex radicibus, cum volutis cauliculi teneri plures, habentes in se sine ratione sedentia sigilla; non minùs etiam ex cauliculis flores dimidiata habentes ex se exeuntia sigilla, alia humanis, alia bestiarum capitibus similia. Hæc autem nec sunt, nec fieri possunt, nec fuerunt.... Quemadmodum enim potest calamus verè sustinere tectum, aut candelabrum ædiculas, & ornamenta fastigii, seu cauliculus, tam tenuis & mollis, sustinere sedens sigillum, aut de radicibus & cauliculis & parte flores dimidiataque sigilla procreari? At hæc falsa videntes homines, non reprehendunt, sed delectantur: neque animadvertunt si quid eorum fieri potest, necne. Judiciis autem infirmis obscuratæ mentes, non valent probare, quod potest esse cum auctoritate & ratione decoris.*]

CAPUT VIII.

De ædificiis Ægyptiis & Babyloniis, cæterisque quæ præcedunt Græcam architecturam: de templo Dagonis quod evertit Samson.

SECTIO I.

Ægyptios fuisse primos Architectos ostendunt eorum ædificia, pyramides, labyrinthus.

Ægyptii primi ædificare cœperunt saxis & his grandibus: quæ fiunt opere frivolo non merentur laudem, sed & Ægyptiorum opera minus arte quàm mole laudantur; attamen confici non poterant sine scientiâ matheseos, quam præ cæteris gentibus coluêre; cùm enim singulis annis certam pensionem solverent Regi ex reditibus agrorum suorum, quorum limites, Nilus inundans ita perturbabat, ut toties dimetiendi essent; hæc res apud eos induxit studium Geometriæ. In sacro autem codice videre est Hebræos contritos fuisse laboribus in lateribus formandis & coquendis sub Ægypti Regibus; qui ergo jam à primis temporibus mentem appulerant ad ædificia struenda. Nondum regnaverat Semiramis, quæ Babyloniam condidit, & murum huicce urbi circumdedit ex cocto latere. Semiramis juxta Usserii calculos imperavit anno mundi 2789: cùm jam effluxissent CXL. ab egressu ex Ægypto, sive post solutam Ægyptiacam Israëlitarum servitutem. Ergo Ægyptii Reges jam antea ædificia lateritia struxerant; quæ postea fecerunt saxea. Omnium gentium id moris fuit insignire loca, in quibus ossa virorum clarorum quiescerent. Coacervabant lapides, ut ex illis fieret tumulus, nimirum locus editus & conspicuus; vel erigebant columnam, cui inscribebant nomen & facta ejus, quem celebrare vellent. Omnes tenemur studio æternitatis, sed cæci non intelligimus solas animas ævi perpetui capaces esse; corpus verò morti obnoxium. Attamen huic soli æternam famam studemus conciliare.

Circa monumenta Reges Ægypti fuerunt ambitiosi, ædifica is pyramidibus miræ magnitudinis & molis. In maximâ quæ adhuc extat, penetrale est, in quo cernitur cista marmorea, aperta & vacua, ad mensuram corporis humani excavata. Non constat à quibus Regibus factæ hæ pyramides, quæ ætate Plinii celebrabantur, *justissimo casu obliteratis tantæ vanitatis auctoribus.* Inquit ille lib. 36. cap. 12. Erigebantur obelisci in monumentum rei non obliterandæ. Ex Herodoto (lib. 2.) Pheron Rex Ægypti clade liberatus, statuit in templo solis gemina saxa, quos obelos vocant, à figurâ veru, centum cubitorum longitudinis, octonûm latitudinis. Idem Herodotus narrans quæ fecerit Chelopes Rex Ægypti in ædificandis monumentis sepulcralibus, jussit, inquit, *ut ex subditis suis alii ex lapidicinis Arabici montis saxa exciperent, & illinc ad Nilum usque protraherent: alii transmisso flumine illa acciperent, & ad montem, qui dicitur Libycus, traherent. Faciebant autem opus circiter decem hominum myriades, ternis sempèr mensibus singulæ. In eâ viâ populus dum trahendis saxis atteritur, decenne tempus trivit, quod non multò minoris operis mihi videtur, quàm pyramidem extruxisse. Cujus longitudo est quinque stadiorum, latitudo decem passuum: altitudo autem, quâ parte est altior sepsâ*, c'est-à-dire, la pointe ou l'éguille, *octo passuum, lapide polito, & animalibus insculpto. In hac decem anni fuêre consumpti, & in subterraneis ædibus sub colle, suprà quem pyramides stant, quas fecit sibi pro sepulcro in insulâ, Nilus per fossam intromissus est. Verum in pyramide hac anni viginti absumpti, cujus singulæ frontes, nam est formæ quadratæ, sunt octogenûm jugerum, pari altitudine*, Henricus Stephanus legit octogenûm pedum, *saxis dolatis.* λίθου δὲ ξεστοῦ, *decentissimèque coagmentatis, quorum nullum est minus triginta pedum.*

Horum memor Lector non revocabis in dubium, quæ dicuntur de lapidibus pretiosis, hoc est raræ magnitudinis, ex quibus templum dicitur ædificatum. Ex his, quæ subjicit Herodotus, disce haud expertes fuisse disciplinarum, qui tanta opera suscipiebant. *Fuit autem extructa hæc pyramis in speciem graduum, quas quidem scalas* κρόσσας *quidam arulas* βωμίδας *vocant. Postea quàm eam principio talem fecissent, attollebant reliquos lapides brevibus machinis è ligno factis, ex humo in primum ordinem graduum levantes. Ubi super hunc gradum lapis erat, alteri machinæ imponebatur, quæ in ipso gradu stabat Ab hoc deinde in alterum ordinem trahebatur super alteram machinam. Nam quot ordines graduum, totidem machinæ erant; sive eamdem machinam, quæ una & facilis ad ferendum esset, transferebant ad singulos ordines, quoties saxum amoliebantur.* Adjungam quæ de Labyrintho Ægyptio subjungit Herodotus; pluris eum faciens, quàm quæcumque Græciæ ædificia, etiam plus quàm pyramidas. *Tametsi enim*, inquit ille, *Ephesi templum est memoratu dignum, & in Samo; tamen pyramides erant narratione majores, quarum singulæ multis ac magnis operibus Græcis æquiparandæ sunt. Sed eas quoque Labyrinthus antecellit. Ete-*

num duodecim ejus aulæ sunt tecto opertæ, portis oppositis altrinsecus: sex ad Aquilonem contiguæ, totidem ad Austrum vergentes, eodem extrinsecus muro preclusæ. Bifaria in eo sunt domicilia, una subterranea, altera superiora illis imposita, utraque numero tria millia, quingenta. Quorum ea quidem quæ superiora sunt, ipsi vidimus, & quæ aspeximus, enarramus, subterranea vero auditu dicimus. Nam præpositi Ægyptiorum nolebant ullo pacto illa monstrari, quoniam dicerent illic sepulcra esse tum eorum Regum, qui ædificandi Labyrinthi fuêre auctores, tum sacrorum Crocodilorum. Ita de inferioribus ædificiis fando cognita referimus. Superiora ipsi aspeximus humanis operibus majora. Nam egressus per tecta, & regressus per aulas diversissimi infinitâ me admiratione afficiebant. Ex aulâ in conclavia transitur, ex conclavibus in cubicula, è cubiculis in solaria alia, è conclavibus in alias aulas. Horum omnium lacunar, quemadmodum parietes, lapideum est, sculptilibus passim figuris ornatum. Singulæ aulæ maximâ ex parte digesto lapide albo; columnarum ambitu redimitæ, αὐλὴ δὲ ἑκάστη περίστυλος. *Angulo, quo finitur labyrinthus, adhæret pyramis quadraginta passuum, in quâ grandia sunt insculpta animalia, ad quam iter sub terrâ fit.* Huncce labyrinthum vocat Plinius [lib. 36. cap. 13.) *portentosissimum humani ingenii opus. Durat enim nunc in Ægypto in Heracleopolite nomo, qui primus factus est ante annos, ut tradunt,* IIIMDC. *à Petesucco Rege, sive Tishoë.*

Nullus igitur dubitandi locus, quin viguerit in ipsâ Ægypto studium architecturæ, cùm adhuc Græcia versaretur in præclararum artium ignorantia. Etenim ex istâ Labyrinthi descriptione liquet Ægyptios Architectos non solùm audaciâ valuisse, suscipiendo operum moles immensas, sed & industriâ. Verùm sive ipsi, sive Reges quibus ministrabant, vesanâ, ut verbis utar Plinii, laborabant dementiâ, quærentes gloriam impendio non profuturo non inclaruerunt post mortem: nomen eorum oblivione deletum: sola sepulcra celebrata sunt. Ambitionem Regum Ægypti plerique alii Reges æmulati fuerant. Herodotus scribit (lib. 1.) sepulcrum Alyatis Cræsi patris fuisse maximum, cujus basis erat è grandioribus lapidibus, reliqua sepulcri pars aggestio terræ, χῶμα γῆς; eo scilicet fine ut tumulus esset instar montis conspicuus. Sepulcri autem illius ambitus stadiorum erat sex & duorum jugerum: latitudo jugerum tredecim. Non prætermittam quod de pyramide Ægyptiâ supradictâ dicit Herodotus, in illâ scriptas Ægyptiacas literas indicasse quantùm sit erogatum in operarios pro apio, cæpis, & alliis: quod Interpres earum literarum aiebat ascendere ad mille & sexcenta talenta.

SECTIO II.

De Babyloniorum operibus, de muris & hortis pensilibus.

UT comparatione veterum ædificiorum structura Templi Salomonici notior fiat, & adstruatur gloria ejus, non prætermittenda sunt opera Babyloniorum. Condita est Babylon à Nemrod, qui nomine Beli notus fuit Græcis. Belus idem est ac *Dominus* & *Deus*. Olim nomen Dei dabatur primis urbium & regnorum conditoribus. Si fides Græcis scriptoribus adhibeatur, à Semiramide condita est Babylon; saltem exornata & ampliata. Ejus ætatem referunt ad Trojana tempora, ducentis annis antequam Salomon Templum ædificaret.

Babylonem sic describit Herodotus. « Oppidum illud situm est in planitie ingenti, formâ quadratâ, magnitudine quoquò versùs centenûm vicenûm stadiorum, in summâ quadringentorum & octoginta, in circuitu quatuor laterum urbis. Tanta est Babylonici oppidi magnitudo: quod ita exornatum est, ut aliud nullum eorum quæ nos novimus. Jam primùm fossa ambit alta atque lata, aquæ plena. Deinde murus quinquaginta cubitorum crassitudine; ducentorum celsitudine. » Addit Herodotus Babylonem habuisse centum portas æreas, omnes cum cardinibus itidem postibusque æreis. Deinde pergit sic loqui. « Ipsa urbs plena domibus est ternarum quaternarumque contignationum, secta in vias tum rectas, tum verò transversas, quæ ad flumen pertingunt: ad quarum singulas pro numero vicorum portulæ factæ sunt in maceriâ, quæ flumen sepiebat, & ipsæ æreæ, & ad flumen ferentes. Et hic quidem murus lorica est. Alius verò intus non multò quàm hic debilior, sed exilior, inque utriusque civitatis plagæ medio murus est erectus, quorum hic Regiam comprehendit ambitu prægrandi atque valido: In altero verò Jovis Beli templum, æreis portis, id quod meâ etiam nunc ætate existit, duorum undequaque stadiorum amplitudine, figurâ quadratâ. In templo medio turris, &c »

Diodorus Siculus in Bibliothecâ suâ (lib. 2.) dicit Semiramidem ad structuram operum, quæ ædificavit, coegisse ex omni regno suo vicies centena hominum millia. Ædificavit pontem quinque stadiorum longitudine, lapides ejus uncis ferreis distringens, & plumbo compages liquato explens. Solæ columnæ pontis lapideæ erant; obtectus autem erat cypressinis trabibus palmarumque caudicibus. Non tam latus erat Euphrates; sed propter inundationes ejus, tanta longitudo requirebatur, ut liceret quoquo tempore urbe exire, vel in eam intrare. Triplicem murum Semiramidis operâ exstructum fusè prosequitur Diodorus; sed hortos pensiles dicit factos à quodam Syro Rege: ut ista omnia opera facta meritò censeantur diversis temporibus & majora vero prædicata, nondum enim historia legibus veritatis subdita erat. Non licet autem refragari his quæ de Babylone scripsit Strabo in Geographicis (lib. 15.) « Babylon ipsa, inquit Strabo, quoque in campo jacet, muri ambitu CCCXXCV. stadiorum, crassitie pedum XXXII. altitudine inter turres cubitorum L. turrium ipsarum LX viam super mœnibus habet tam latam, ut quadrigæ occurrentes facilè se transmittant. Unde & hoc de VII. spectaculis unum dicitur: & hortus pensilis figura quadrata, cujus latus quodlibet quatuor est jugerum. Fornicibus continentur fornicatis sitis super talos cubi formam habentes. Tali isti sive pilæ concavæ sunt & terrâ plenæ, ut arbores maximas consitas recipere possint, ex lapide coctili & bitumine constructæ, cùm ipsæ tum testudines, & fornices. Supremum tabulatum ascensus scalares habet, & cochleas ipsis adjacentes, per quas continenter aqua ex Euphrate in hortos attollitur ab hominibus ad hoc ipsum constitutis. »

SECTIO III.

De antiquis Ægyptiorum templis, cæterorumque Gentilium.

IN Regum palatiis, in Deorum sacris ædibus, publicisque ædificiis adornandis suam industriam ostendunt Architecti, quia operæ majus est pretium,

& quod plurium oculis conſpicuum eſt, à pluribus laudatur. Ita illa præcipua artis tecthonicæ opera, potiſſimum conſiderare debemus ſi alicubi reperire eſt deſcripta, ſive excerpendum quod de illis priſci ſcriptores referunt; eo diligentiùs, quòd malus Dæmon ambiens coli eodem quo verus Deus cultu, adduxerit Ethnicos, ut imitarentur etiam formam templi, quod ſibi ædificari præcepit. Tum etiam fieri potuit ut ipſe Deus non repudiaverit omnia quæ propria erant templis Ægyptiorum, & quæ Hebræi viderant, dum in Ægypto exularent non ita diſſimilia fuêre templo Salomonico, ut in nullâ re convenirent.

Unicâ æde non conſtabant Deorum fana. Videre eſt apud Homerum certas agrorum poſſeſſiones Diis conſecratas fuiſſe, quas τεμένη quaſi τετμημένα *diſſecta* ac *amputata*, Poëta ille appellat. Tale τέμενος Δήμητρος refertur (Iliad. 2.) Jovis etiam in Idâ (Iliad. 8.) Ejuſmodi multos agros ſacros commemorat Pauſanias in Græciæ deſcriptione. Ex Herodoto autem conſtat portiones agrorum conſecratas non exiguas fuiſſe; & ipſa templa cum locis ſacris adjacentibus multa terræ jugera occupaſſe. Scribit Jovis Beli templum duorum fuiſſe undecumque ſtadiorum amplitudine, figurâ quadratâ. (lib. 1.) In oppido Chemmis in Ægypto ejuſdem figuræ (lib. 2) ἱρὸν memorat. Vox autem illa ἱρὸν quæ eadem eſt ac ἱερὸν, denotat, ut aliquando videbimus, propriè id quod ſupra appellatum τέμενος. Quatuor ἱερὰ in Ægypto fuiſſe narrat Diodorus Siculus (lib. 1.) quorum unum antiquiſſimum habebat in circuitu tredecim ſtadia. Idem (lib. 13.) deſcribit non ἱερὸν, ſed τὸν νεὼν, hoc eſt ædem ſacram ſtupendæ magnitudinis, quæ erat in Acragantino territorio, longitudine pedum 340 porrectum: ad 60 verò latitudinem patebat; & ad 120 altitudinem fundamento excepto, attollebatur. Unà cum parietibus columnæ aſſurgebant, rotundæ extrinſecus, ſed quadratâ intus formâ. Harum ambitus ab exteriori parte viginti pedes habebat, tantâ ſtrigum amplitudine, ut corpus humanum inſerere ſe aptè queat. Locus ille Diodori forſan non omni mendâ caret. Æger eſt ab incuriâ librariorum; aut ipſe ſcriptor, utpote Architecturæ parum conſultus, ibi ἀμαθῶς locutus eſt.

Sylvæ virebant circa ſacras ædes. Ἄλση vocat Homerus, Latini *Lucos*, Plutarcho interprete in vitâ Romuli. Tales lucos peculiari præcepto erui juſſerat Deus. Hinc iſta religio intefferat Judæos, ut in pavimento templi non ſinerent ullum virgultum ſubnaſci. Moris erat ſepto circumdare hoſce lucos, ſive ἄλση ſive τεμένη. Septum illud Pollux in Onomaſtico appellat περίβολον. Illas voces tritas à Gentilibus, Joſephus & Scripturarum Interpretes uſurpavêre, cùm de Templo Dei loquuntur. Septum circa areas in quibus ædes ſacræ erant obtendebatur, ne aditu promiſcuo violarentur; quod non in uno Templo Græcorum factum legere eſt apud Pauſaniam; in Eliacis mentionem facit templi Pelopis, quod maceria circumvallaret: λίθων τε θριγκῷ περιέχεται. Talem lapideum θριγκὸν, videbimus in Templo Dei. In Arcadicis idem Pauſanias exhibet templum circumdatum θριγκῷ λίθων. Paſſim agnoſcit περιβόλους circa templa, ut in Eliacis, & in Phocicis; ubi intra ſacrum areæ ſeptum ἐντὸς μὲν δὴ τοῦ περιβόλου dicit domicilia habuiſſe qui ſupplices ad Deum confugerent, & qui miniſterio templi addicti erant.

Quædam templa areis ſuis patentibus & ædificiis quæ continebantur intra ſacra ſepta, etiam urbes magnitudine ſuâ æquabant. Eam fuiſſe Ægyptiorum templorum magnificentiam teſtatur Clemens Alexandrinus in Pædagogo. « Templa eorum, inquit, porticus, veſtibula, ac luci magnificè inſtructi, eorumque atria multis columnis cincta ſunt: parietes autem lapidibus externis & artificiosè depictis reſplendent; ita ut nihil deſit. Ædes autem auro, argento, & electro collucent, & ex Indiâ ac Æthiopiâ variis fulgentibus lapillis: Adita verò intextis auro obumbrantur peplis. « Addit Clemens; ſed ſi penetralia ſepti τὸ βάθος τοῦ περιβόλου irruperis, reperies felem vel crocodilum.

Non tanta erat magnitudo Romanorum templorum; veſtibula tamen & alas circa ſe habebant. Nempe ut in fronte veſtibulum, ita in lateribus, & ſæpè in tergo habebant columnas, quibus veluti alis circumdabatur ædes ſacra; quæ fulciebant tectum aliquod, ſub quo excipiebantur qui ædem ſacram ſubire non poterant. Similis ædes dicebatur *peripteros*, quod nomen compoſitum eſt ex illis Græcis vocibus περὶ *circum*, & πτερὸν *ala*. Quid ſit *ædes peripteros* definit Vitruvius (lib 3. cap. 1.) « Peripteros autem, quæ habebit in fronte & in poſtico ſenas columnas; in lateralibus cum angularibus undenas; ita ut ſint hæ columnæ collocatæ, ut intercolumnii latitudinis intervallum ſit à parietibus circum ad extremos ordines columnarum, habeatque ambulationem circa cellam ædis « Has alas dicit inventas ob decorem; addit tamen. « Præterea ſi & imbrium aquæ vis occupaverit, & intercluſerit hominum multitudinem, ut habeat in æde, circaque cellam cum laxamento liberam moram. «

Perluſtremus ſingulas partes horum templorum. Primùm conſideremus προπύλαια *veſtibula*, quæ magnifica erant. Herodotus (lib. 2.) ſcribit in Ægyptio templo, quod Latonæ erat ſacratum, προπύλαια *veſtibula* fuiſſe alta decem paſſibus. Templorum, quæ erant Thebis in Ægypto, veſtibula προπύλαια teſtatur Diodorus fuiſſe (lib. 1.) magnifica. Hanc magnificentiam enumerat Strabo (lib. 17.) loquens de Ægypto; formam templorum ejus explicat. *Templorum ſtructura talis eſt.* Τῆς δὲ κατασκευῆς τῶν ἱερῶν ἡ διάθεσις τοιαύτη. *In ingreſſu fani* εἰς τὸ τέμενος eſt λιθόστρωτον *Lapideum pavimentum; latitudine quidem jugeri aut paulò minùs, longitudine verò triplâ quadruplâve, & quibuſdam in locis etiam magis: atque hoc quidem* δρόμος, *id eſt, curſus dicitur, ut & Callimachus inquit.*

Eſt δρόμος *hic ſacratus Anubidi.*

Per totum verò longitudinem deinceps ex utrâque parte ſunt poſitæ lapideæ Sphinges, vicenis cubitis, vel paulo pluribus, inter ſe diſtantes: ut altera Sphingum ſeries ſit à dextrâ, altera à ſiniſtrâ. Quæ ſequuntur in auctore propriis verbis referam; quia ambigua nec ſatis clarè reddita ab Interprete. Μετὰ δὲ τὰ προπύλαια, ὁ νεὼς πρόναον ἔχων, μέγαν καὶ ἀξιόλογον. Τὸν δὲ σηκὸν σύμμετρον. Nempe poſt illum curſum, qui προπυλαίων inſtar eſt, occurrit ædes ſacra ὁ νεὼς, quæ & ipſa habet πρόναον; quæ vox ſignificat id omne quod eſt ante ædem ſacram, ut intelligi poſſit tum atrium, tum veſtibulum. Σηκὸς quidem delubrum eſt; ſed ibi videtur eſſe pars interior & ſanctior ædis ſacræ, ut definitur ab Heſychio. Ἐνδότερος τόπος τοῦ ἱεροῦ. Strabo agnoſcit in hocce templo ad utrumque latus πτερὰ *alas*. Notat pleraſque ibi fuiſſe columnas, ſed non elegantes. Circum erant cellæ, ubi habitabant Sacerdotes, qui & Philoſophiæ & Aſtronomiæ ſtudio dediti erant. Ibi, inquit Strabo, oſtendebantur Sacerdotum ædes ac domicilia, in quibus Eudoxus & Plato egerant. *Etenim Eudoxus cum Platone eò profectus eſt, & ambo cum Sacerdotibus annos tredecim ſunt verſati, ut nonnulli tradiderunt.* Non vacat exſcribere Herodotum, qui multis in locis Ægyptiaca templa deſcribit.

In Græcorum templis etiam licet obſervare locum ſubdialem, in quo ara, & circum porticus ante ædem, ut videre eſt apud Xenophontem in ſeptimo libro Græcæ hiſtoriæ; quod animadverto, ut templi Hieroſolymitani concipiendæ diſpoſitioni animus Lectorum fiat magis idoneus. In templis autem Græcorum maxime prælucebat pars illa triangularis, quæ in faſtigio eſt frontis ſub corонice. Vernaculè dicitur *le timpan, le fronton*, Græce ἀετὸς & ἀέτωμα. Forma ejus triangularis eſt, qualis eſt illa parietum pars ſuperior, quam appellamus *le pignon*. In illâ autem parte exhibebatur quæpiam hiſtoria conſpicua, aut ſacrificium ſolemne. De hujus vocis ſignificatione ſicut & de ipsâ re locus erit diligentiùs diſſerendi, cùm de æde ſacra Hieroſolymitana à nobis fiet ſermo. In ædibus falſorum numinum Tholus eſt adimadverſione dignus, Græcè θόλος; qui à Pauſania in Corinthiacis definitur οἴκημα δὲ περιφερές. *ædificium cujus figura rotunda.* Nempe, ut hanc vocem explicat Heſychius, κυρίως μὲν καμάρα propriè *camera, teſtudo*, ſive teſtitudinem [illegible]licus, velut ſcutum in medio tecto, quo trabes omnes conveniunt, ubi velut è loco conſpicuo ſuſpendebantur donaria in memoriam acceptorum beneficiorum; ut videre eſt in Æneide [lib. 9]

Aſtrorum decus & nemorum Latonia cuſtos,
Si qua tuis unquam pro me pater Hirtacus aris
Dona tulit, ſi qua ipſe meis venatibus auxi,
Suſpendive tholo, aut ſacra ad faſtigia fixi.

Herodotus (lib. 1.) ſcribit in templo Minervæ apud Tegeam ſuâ ætate vidiſſe compedes, quas Lacædemonii paraverant Tegeatibus, à quibus victi & vincti ſunt. Videbimus in Gazophilacio templi ſuſpenſas catenas, quibus vinctus fuerat Agrippa Rex.

Non prætermittamus ſilentio vela quæ appendebantur oſtiis; quod & uſitatum erat in templo Dei. Memorat Pauſanias in Eliacis παραπέτασμα in templo Dianæ Epheſinæ, ibi & memoratur in templo Junonis λάρναξ *arca* è cedro, ſupra quam erant animalia alia ex ebore, alia ex auro. Olim in eâ arcâ, ut narrabant, Cypſelus recens natus, cùm quæreretur ad necem, abditus fuerat à matre; quam ideo arcam poſteri ejus dedicaverunt. In Achaicis idem Pauſanias de ſimili arcâ loquitur. In hiſce intueor tabernaculum Dei & templum ejus.


Magnos crateres poſitos fuiſſe ad veſtibula templorum priſci ſcriptores teſtantur. Inter Donaria à Cræſo miſſa Delphos, Herodotus recenſet duo περιρραντήρια, vaſa nempe quibus ſe abluerent ingreſſuri templum. Idem (lib. 4.) loquitur de vaſe quod χαλκήιον appellat: dicere poſſemus *mare æneum*, capaciſſimum enim erat. « Sexcentarum nempe amphorarum facilè capax, craſſitudine digitorum ſex: id aiunt indigenæ ex aculeis ſagittarum eſſe factum. Regem enim ſuum nomine Ariantem, cùm numerum Scytharum ſcire vellet, juſſiſſe ſingulos Scythas conferre ſingulos ſagittarum aculeos, propoſitâ morte ei qui non ferret. Ita vim magnam allatam eſſe aculeorum, & ex his confectum ahenum illud placuiſſe ei pro monumento relinquere. » Idem Herodotus narrat Samios feciſſe ahenum, ad exemplum crateris Argolici, Griphinis capitibus juxta ſe invicem poſitis, & in templo Junonis collocaſſe, ſuſtinentibus illud tribus coloſſis, id eſt, humanis ſimulacris ſeptenûm cubitorum genu nixis.


Circa aras veterum locus eſt inſignis apud Pauſaniam in Eliacis, quo ara Olympica deſcribitur. « Ima crepido quam πρόθυσιν appellant, (quaſi primam ſacrorum ſtationem dicas) ambitum peragit pedum centum & ampliùs quinque & viginti: loci qui eſt ſupra primam crepidinem τῆς δὲ ἐπὶ τῇ προθύσει ambitus pedes explet binos ac trecentos. Univerſæ aræ altitudo pedes conficit duos propè & viginti. Ducuntur hoſtiæ ad imæ crepidinis ſtationem τῇ προθύσει. Ibi eas patrio more mactant: femora in ſumma arâ adolent. Et ad πρόθυσιν quidem ab utroque latere per lapideos gradus ſcanditur. Verùm ἀπὸ τῆς προθύσεως ad aræ altiſſimam ſedem per cinereos gradus. » Talis aræ forma non convenit noſtris altaribus; ſed accedit ad ſimilitudinem aræ, quæ erat in Templo. In aris Deorum per clivum aſcendebatur. Pauſanias in Achaicis dicit ad aram Dianæ clivum ſubacto limo ad gradus aggeſto ſtructum fuiſſe, cùm Deæ feſtus dies adeſſet. Eodem in loco clarè ſignificat aram illam fuiſſe in loco ſubdiali, ſiquidem notat inter ædem & altare ἐν τῷ μεταξὺ τοῦ ναοῦ καὶ τοῦ βωμοῦ fuiſſe monumentum. In templo Babylonio agnoſcit Herodotus (lib. 1.) altare quod erat extra ædem, in quo quotannis centum millia thuris comburebantur. Aras in atriis ſive aulis templorum ſubdialibus fuiſſe teſtatur ille Diodori locus (lib. 1.) ubi de monumento Ægyptio loquitur. *In medio*, inquit, *periſtylio ara ſub dio* ὑπαίθριος βωμὸς *ex lapide pulcherrimo conſtructa erat.* Erant & altaria minoris formæ rotunda, qualia videre eſt in vetuſtis nummis, & aliis antiquis monumentis, quæ tripodes dicebantur, quia ſubjiciebantur his tres pedes. Sed tripodes propriè foci erant, in quibus thus incendebatur. Templa appellantur ab Homero *domus*, nempe Deorum, à quibus cenſebantur inhabitari. Erant conſtituta in editis locis, ita diſpoſita ut orientem ſolem ſtatim exciperent, quemadmodum docet Plutarchus in Numâ Pompilio, ut patefactis foribus undequaque illuſtrarentur; ſed iſta diſpoſitio non ſervabatur ubique; quoniam pro naturâ & genio Deorum quorum erant, & locorum in quibus ſita, diverſimodè convertebantur, ut ex Vitruvio diſcimus.

SECTIO IV.

Multis & variis columnis ornabantur antiqua ædificia. Templum Philiſtæorum nitebatur duabus, quas cùm evertiſſet Samſon, ſe & quotquot in eo erant, ruinâ illius obruit.

Templa antiqua & cætera ædificia fulciebantur columnis; inde Salomon cùm vellet ſignificare *ſapientiæ* magnificentiam, de illâ dicit in Proverbiis capite nono. *Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem;* id eſt, innumeras ut optimi Interpretes: quippe ſeptenarium numerum, & pro perfectionis & plenitudinis numero poſitum putant. Attamen licet mente efformare baſilicam quæ tantùm ſeptem nitatur columnis; ut videre eſt in his duabus delineationibus. Prima exhibet veſtigium quadrati ædificii, in quo numerare eſt ſeptem columnas; altera rotundi, in quo totidem ſunt columnæ.





C Duabus tantùm columnis nitebatur illud Philistæorum Templum quod Samson evertit, & ejus ruinâ se & quotquot in eo erant, obruit. De nostro instituto est illud non indictum prætermittere. Nota historia Samsonis, qui cùm à Dalilâ proditus incidisset in manus Philistæorum, ab illis in carcerem conjectus fuit, & orbatus oculis. Post aliquod verò tempus, cùm ejus capilli jam renascerentur, contigit ut celebraretur à Philistæis dies festus, in quo lætantes jusserunt Samsonem advocari, ut ei illuderent. Judicum cap. 16.

22. *Jamque capilli ejus renasci cœperant.*

Donec ferrum non ascendit super caput Samsonis, & ideò verè Nazaræus, id est, consecratus Deo permansit, fuit invictus. Raso capite ejus à perfi-

D dâ Dalilâ, amisit vires: captus & orbatus oculis in pistrinum missus est, ut moleret. Jam autem renasci cœperant capilli ejus, cùm epulum fecerunt Philistiim.

23. *Et principes Philistinorum convenerunt in unum, ut immolarent hostias magnificas Dagon Deo suo, & epularentur dicentes: tradidit Deus noster inimicum nostrum Samson in manus nostras.*

Diem festum agere voluerunt, in quo sacrificia facerent, in gratiarum actionem pro Samsone capto. Epulæ solemnes fiebant in his sacrificiis.

24. *Quod etiam populus videns laudabat Deum suum, eademque dicebat: Tradidit Deus noster adversarium nostrum in manus nostras, qui delevit*

E *terram nostram, & occidit plurimos.*

Non soli principes intererant his sacrificiis & epulis solemnibus, sed pariter & omnis populus.

25. *Lætantesque per convivia, sumptis jam epulis, præceperunt ut vocaretur Samson, & ante eos luderet.*

Fons ad verbum reddi potest: *Et fuit cùm bonum esset cor eorum*, nempe cum epulis exempta fames, & hilares fuêre, præceperunt ut advocaretur è carcere Samson, cui illuderent, sive qui eis risum faceret.

Qui adductus de carcere ludebat ante eos, feceruntque stare inter duas columnas.

A Philistæis ludorum ac risuum materiam suâ ipsius ærumnâ dedit. Non agendo risum movit, sed patiendo omnia, quæ odium, ebrietas, juvenilis petulantia suggesserunt. Græca versio addit καὶ ἐῤῥάπιζον αὐτόν, *& alapis percutiebant eum.* Ad rem, quæ nunc agitur, magis pertinet quærere quis sensus sit horum verborum: *feceruntque stare inter duas columnas*, Interpretes vulgò opinantur templum Dagonis, in quod convenerant Philistæi, innixum fuisse duabus columnis, quas amplexus Samson, concusserit, & ita templum ipsum everterit. Ne quis id miretur, allegant interpretes quod Plinius narrat de Curionis Theatro. Cùm ille opibus apparatuque non posset superare Scaurum, ingenio ei utendum fuit, ait Plinius lib. 36. capite 15. Theatra duo juxta fecit amplissima è ligno, cardinum singulorum versatili suspensa libramento, in quibus utrisque antemeridiano ludorum spectaculo edito inter se se aversis ne invicem obstreperent scenæ, & repente circumactis, ut contra starent, postremo jam die descendentibus tabulis, & cornibus inter se coeuntibus, faciebat amphitheatrum, & gladiatorum spectacula edebat, ipsum magis auctoratum populum Romanum circumferens. Quid enim miretur quisque in hoc primùm? Inventorem an inventum? artificem, an auctorem? ausum aliquem hoc excogitare, an suscipere? Parere, an jubere? super omnia erit populi furor sedere ausi tam infidâ instabilique sede. En hic est ille terrarum victor ..... in machinâ pendens, & ad periculum suum plaudens .... Ecce populus Romanus universus velut duobus navigiis impositis, binis cardinibus sustinetur, & depugnantem seipsum spectat, periturus momento aliquo luxatis machinis.

Tale quidpiam machinamentum haud cogitandum in templo Dagonis. Hocce ædificium, sive quadratum, sive orbiculare fuerit; si in meditullio ejus erectæ fuerint duæ columnæ, super illas potuerunt oblongæ trabes requiescere ex unâ parte, & altera pertingere ad extremos parietes. Sternebantur super illas trabes, tabulata, pergulæ, podia, è quibus Philistæi spectare poterant Samsonem, in pavimento risum eis præbentem. Sub pergulis, in ipso solo templi, subsellia erant Satraparum, & procerum. Hebræus codex hodiernus, & Græca versio senum, non illum binarium columnarum numerum agnoscunt Græca versio exhibet Samsonem positum inter columnas ἀναμέσον τῶν κιόνων *inter columnas*; allegatur tamen alia Græca lectio ἀναμέσον τῶν δύο στύλων. *Inter duas columnas.* Fons בין עמודים *Ben hamudim*, id est, *inter columnas.* Sed ibi nomen Hebræum, quod plurale est, cum aliis punctis fit duale; quam lectionem B. Hieronymus secutus est: præivit Josephus, qui reipsâ duabus columnis tectum fani fultum dicit. Sive duæ sive plures columnæ supponantur, necesse est eam de istâ æde præconcipere opinionem, ut dissimilis non fuerit amphitheatro, cujus media area, est subdialis. Quæpiam templa tecto carebant, sive tectum perforatum erat, ut admitteret lumen. Sic in Pantheo, quod hemisphærio tectum est, apertura ad circinum facta admittit lumen. Non ideò minùs erant in hoc meditullio columnæ, inter quas fecerunt stare Samsonem. Quæque fuerit forma hujus Templi Samson derisus benè ludibria ultus est.

26. *Qui dixit puero regenti gressus suos: Dimitte me, ut tangam columnas, quibus omnis imminet domus, & recliner super eas, & paululùm requiescam.*

Juxta fontem dixit Samson *puero qui tenebat manum ejus: sine me, tantùm fac palpem illas columnas.*

nas quibus hæc domus sustentatur, & innitar illis; quasi dixerit non opus est ut me teneas; modo ipsas columnas palpem, & his innitar. Simulabat se defatigatum, ut dicit Josephus.

27. *Domus autem erat plena virorum ac mulierum, & erant ibi omnes principes Philisthinorum, ac de tecto & solario circiter tria millia utriusque sexus, spectantes ludentem Samson.*

Ibi tectum גגה *hagagh* accipiendum pro tabulatis, contignationibus, & pergulis, quibus area in quâ versabatur Samson, cingebatur. Si enim intelligatur solum tectum, quod tegeret omnem aream templi; quomodo tria millia virorum potuissent commodè spectare ludentem Samsonem, aut quæ ludibria patiebatur? Verisimile ergo illam multitudinem sedisse supra contignationes, sive in podiis, pergulisve, quæ veluti solaria & tecta erant respectu partium inferiorum.

28. *At ille invocato Domino: ait Domine Deus, memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem pristinam Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis, & pro amissione duorum luminum unam ultionem recipiam.*

Ut unicâ vice, sive unicâ ultione vindicem duos oculos meos erutos.

29. *Et apprehendens duas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dexterâ, & alteram lævâ tenens.*

Ista favent lectioni, quæ duas tantùm columnas statuit; & has in medio, ut primùm concepimus formam hujus ædificii. Sed quomodo simul poterat Samson tenere duas columnas, quæ aliquo saltem intervallo à se invicem erant dissitæ? Nimirum, ut fontem interpretari licet, attigit quidem duas medianas columnas, sed non eas simul concussit. *Innixus est eis; uni dexterâ suâ, alteri verò sinistrâ suâ;* unam impulit dexterâ, alteram deinde sinistrâ.

30. *Ait: moriatur anima mea cum Philistiim: Concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes, & ceteram multitudinem, quæ ibi erat: multoque plures interfecit moriens, quàm ante vivus occiderat.*

Quin dici potest hanc ædem fuisse quidem interiùs similem amphitheatro, sed & tectum habuisse, quod duæ columnæ sustentarent. Hujus tecti ruinâ obruti sunt Philistæi, si his columnis quas concusserit Samson, sustentatas concipiamus trabes contignationum, è quibus ille spectabatur. Pausanias in posteriori parte Eliacorum loquens de Cleomede Astypalensi, narrat quomodo in ludum literarium ingressus, in quo pueri erant fermè sexaginta, columnam, quâ tectum fulciebatur, everterit, & illos omnes oppresserit.

CAPUT IX.

Ædificiorum decora è ligno fuêre Homeri ætate. Artem cædendi ligna Græci didicerunt à Sidoniis. Ornamentorum quæ fiebant in ligno nomina & forma.

SECTIO I.

Quæ celebrata sunt antiqua Ægyptiorum ædificia mole potiùs quàm arte fuêre conspicua.

ÆGyptii Reges in pyramidibus, ostentaverant opes suas, & patientiam artificum, qui eruerant è lapidicinis saxa tantæ magnitudinis. Memorat Herodotus fanum Latonæ ex uno factum lapide, cujus parietes æquales essent crassitudinis ad longitudinem quadragenorum cubitorum; cujus lacunari pro tecto impositus erat alius lapis quatuor cubitorum per oras crassitudinis. In Ægypto præter pyramidas, quæ constructæ erant ex aggregatis grandibus saxis, ubique videbantur obelisci excelsi μονόλιθοι, id est, *ex uno lapide*. Sed hæc opera dicta sunt *barbara miracula*.

Barbara pyramidum sileat miracula Memphis,
Assiduus jactet nec Babylona labor.

Ubi Græci artem tectonicam cœperunt excolere, rationem consulendo ædificantes, veterem ædificandi formam dixêre barbaram; sicut nunc Gothicum nos dicimus quidquid Græcam architecturam non præfert. Plato in Critiâ describens templum Neptuni, quod erat ad Herculis columnas, dicit habuisse εἶδος δέ τι βαρβαρικὸν *formam barbaricam*. Sic & Strabo loquitur (lib. 17.) occasione ædis, quam describit. *Extat etiam ædes*, inquit, *quædam* πολύστυλος multis columnis structa, *sicuti Memphi*, βαρβαρικὴν ἔχων τὴν κατασκευὴν *barbaricâ fabricâ, nam præterquam quod columnæ multæ sunt & ingentes, & multiplici ordine constitutæ, nihil affabrè factum & elegans habet; sed potiùs inanem quemdam laborem arguit.* οὐδὲν ἔχει χάριεν, οὐδὲ γραφικὸν ἀλλὰ ματαιοπονίαν ἐμφαίνει μᾶλλον.

Labyrinthus Ægyptius erat elegantis structuræ, exstructus à Psammitico Rege, qui juxta Usserii calculos regnabat anno 670. ante æram Christianam, hoc est, ducentesimo & quinquagesimo circiter anno post jacta templi Salomonis fundamenta. Mentionem facit Herodotus cubiculi elegantis, quod exornabant columnæ, quæ palmarum arbores imitabantur. Scilicet capitellum illarum referebat similitudine palmas. Hocce cubiculum erat opus Amasis Regis, qui post Psammiticum regnaverat in Ægypto, circa annum 525. ante æram Christianam. Prima monumenta Ægyptiaca erant lateritia; deinde ex quadrato saxo erexerunt pyramidas, quibus licet insculpta essent animalia, attamen potiùs mole suâ, ut dictum est, & firmitate commendabantur, quam elegantiâ; quod & dici potest de Babylonicis operibus.

SECTIO II.

Homeri ætate ædificia Regia erant lignea, sed auro, argento, ære, ebore decorabantur.

QUem Architectura assecuta esset perfectionis gradum, cùm Salomon jecit fundamenta templi, videre est in Homeri poëmatibus. Multas ille peragraverat regiones, & ubique terrarum quæ suâ ætate essent pulchra ædificia, vel viderat oculis, vel auditu resciverat. Nullus itaque dubitandi locus, quoniam Poëtæ student versus suos ornare, quin Regias ædes, quas describit, faciat similes his, quarum magnificentia celebrabatur. Alii Homerum faciunt coætaneum Salomoni, alii juniorem. Herodotus (lib. 2.) volens ostendere Theogoniam, sive ortum Deorum esse recentem, tempus quo hic Poëta viveret, definit. « Unde autem singuli Deorum extiterint, an cuncti semper fuerint, aut quâ specie, hactenus ignoratum est, nisi nuper atque heri, ut sic dicam. Nam Hesiodus, atque Homerus (quos quadringentis non ampliùs annis ante me opinor extitisse) fuêre qui Græcis Theogoniam introduxerunt, Deisque & cognomina, & honores, & figuras attribuerunt. » Natus est Herodotus, ut videtur Usserio,

quadringentis octoginta & quatuor annis ante æ A
ram Christianam. Ita antiquior esset Salomon Homero plusquam centum annis. Eruamus certam notionem artium fabrilium tunc celebrium ex ædificiis quæ ille Poëta celebravit.

In ejus carminibus videre est mœnia ex politis quidem lapidibus structa ξεστοῖσι λίθοισι, sed in his lapidibus nulla decora. Quin & marmoris raro mentionem facit. *Dicit enim Paridis os marmoreo saxo percussum: sed hactenus, regias quoque domos cum laudatissime præter æs, aurum, electrum, argentum ebore tantum adornans.* Hæc Plinius lib. 36. cap. 6. In harum ædium descriptionibus non memorat marmoreas columnas; quæ quidem tunc imponebantur sepulcris. Juxta Troiam erat αἰπεῖα κολώνη *alta columna*, quam Homerus sub finem libri secundi Iliados dicit fuisse sepulcrum Mirines. Viri clari B sic post mortem decorabantur monumento aliquo [Iliad. 16.]

Τύμβῳ τε στήλῃ τε· τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων.

Columnæ illæ, quæ erigebantur in monumentum, appellabantur κίονες, quibus & imponebantur statuæ, ut videre est apud Pausaniam.

Non verisimile est Homerum detraxisse quidpiam sui decoris hisce Regiis ædibus, quas describit. Sexto Iliados mentionem faciens ædium Priami numerat plures thalamos quos dicit fuisse (v. 144.) ξεστοῖο λίθοιο ex polito lapide, hoc est, ut puto, quadrato; sed nullibi indicat alium in illis lapidibus decorem. Nec memorat columnas è saxo. In O- C
dysseæ primo (v. 127.) memoratur longa columna, ad quam apposita fuerit hasta. Πρὸς κίονα μακρὴν δουροδόκης ἔντοσθεν ἐΰξόου, ἔνθα περ ἄλλα ἔγχε' Ὀδυσσῆος. *Ad columnam longam intra armarium bene politum, ubi utique aliæ hastæ Ulyssis.* Ut hunc locum interpretatur Eustathius, ista columna erat θήκη κιονοειδὴς armarium altum, simile columnæ, quod esset ligneum. Ædes etiam magnificæ forsan habebant parietes è saxo quadrato; sed harum ornamenta erant vel lignea, vel è metallo, ut videre est in Regiis ædibus Alcinoi, quas Poëta in septimo Odysseæ, quantum potuit, fecit superbas. Ex quo locò deduco, & id non temerè, quod eâ ætate Architecti nondum quantam postea, assecuti essent in D
secandis marmoribus solertiam. Tunc decorabant parietes æneis tabulis, vel pretiosiori metallo, ut factum est in Templo Salomonis. Cùm, inquam, tunc postes, superliminaria, & ædium coronæ non fierent è saxo, lignum, quo hæ partes constabant, inducebatur auro vel argento. Talia fuisse ornamenta domûs Alcinoi indicant Homerici versus.

Χάλκεοι μὲν γὰρ τοῖχοι ἐρηρέδατ' ἔνθα καὶ ἔνθα
Ἐς μυχὸν ἐξ οὐδοῦ. Περὶ δὲ θριγκὸς κυάνοιο.
Χρύσειαι δὲ θύραι πυκινὸν δόμον ἐντὸς ἔεργον
Ἀργύρεοι δὲ σταθμοὶ ἐν χαλκέῳ ἕστασαν οὐδῷ,
Ἀργύρεον δ' ἐφ' ὑπερθύριον, χρυσέη δὲ κορώνη.
Ærei etenim muri firmati sunt hinc atque hinc
In intimum recessum à limine: pinnaculum autem ex Cyano, E
Aureæ verò fores firmam domum intus claudebant,
Argentei autem postes in æreo stabant limine.
Argenteum verò superius limen, aurea item corona.

Muri erant solidi ex ære ὅλοι τὸ πάχος χαλκώμενοι, ut interpretatur Eustathius ἐς μυχὸν ἐξ οὐδοῦ *in penetrale à limine.* Sed Homerus innuere tantùm videtur quòd ab ipso limine, sive ab his parietibus, qui primùm occurrebant, usque ad adytum omnes muri inducti essent æreis tabulis. Θριγκὸς pinnaculum est, sive ipsa corona, quâ vertex parietum coronatur. Juxta Eustathium θριγκὸς fit à θριξ, quia veluti capilli verticem hominis, ita θριγκὸς *pinnaculum*, exornat summos parietes. Pinnaculum autem illud in Regiâ Alcinoi, erat ex Cyano; videbatur cærulei coloris, quo pingebatur, ὡς ἂν οὕτως αἰρεθεὶς τὸ μέτωπον φαίνοιτο *ut sic altitudo ejus videretur ætria.* Aureæ fores erant; argentei verò postes, σταθμοὶ, nempe παραστάδες, quibus inhærent cardines valvarum. οὐδὸς, id est, inferius limen, quod calcatur erat æreum; superius verò, quod Homerus appellat ὑπερθύριον, ex argento. Annulus verò quo fores attrahebantur, erat aureus, χρυσέη δὲ κορώνη. Sic vocem illam explicat Eustathius. Nec verisimile est ibi intelligendam coronam parietum; quæ potiùs dicitur à Poëta θριγκὸς *lorica, pinnaculum.*

Effinxit Homerus Regiam Alcinoi, qualem poterat eam excogitare pulcherrimam. Superbarum ædium non alia tunc erat notio; juxta quam templum Salomonicum habebat omnem hujus ætatis elegantiam; ubique enim in eo aurum splendebat. Nondum laquearia fiebant saxea; sed columnis & illis ligneis imponebantur trabes abiegnæ, quæ cùm fulgenti metallo obducerentur, lucebant tanquam ignis. Inde ædes valde resonabant ob tabulata abiegna. In Odysseæ quarto, cùm Telemachus subit ædes Menelai, miratur.

Χαλκοῦ τε στεροπὴν κατὰ δώματα ἠχήεντα,
Χρυσοῦ τ', ἠλέκτρου τε καὶ ἀργύρου, ἠδ' ἐλέφαντος.
Ζηνός που τοιήδε γ' Ὀλυμπίου ἔνδοθεν αὐλή.
Ærisque splendorem & domum sonantem
Auri, electri & argenti & eboris.
Jovis nimirum talis est Olympii intus aula.

Hisce temporibus ebur habebatur pretiosum; inde *domus eburneæ* in sacro codice sunt, quæ eleganter essent exornatæ. Ædes Ulyssis dicuntur tanquam ignem lucere, ob æreas tabulas, quibus omnia tegebantur; nam trabes erant abiegnæ. Telemachus (Odyss. 19. v. 36.) alloquitur Ulyssem patrem suum.

Ὦ πάτερ, ἦ μέγα θαῦμα τόδ' ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶμαι
Ἔμπης μοι τοῖχοι, μεγάρων καλαί τε μεσόδμαι,
Εἰλάτιναί τε δοκοὶ καὶ κίονες ὑψόσ' ἔχοντες,
Φαίνοντ' ὀφθαλμοῖς ὡσεὶ πυρὸς αἰθομένοιο.
O pater, certe magnum miraculum hoc oculis vide
Tamen mihi parietes domorum, pulchræque sedes
Abiegnæque trabes & columnæ altitudinem habentes,
Lucent oculis tanquam igne ardentes.

Non lucebant istæ columnæ, nisi propter laminas æreas quibus vestiebantur.

Juxta has descriptiones efformat Plato in Critiâ vetustum templum Neptuni in freto Herculeo, de quo supra sermonem feci. « Erat ibi Neptuni templum, stadii unius longitudine; latitudine trium jugerum: altum verò quantum longitudo ejus, latitudoque postulare videbatur: aspectu tamen ipso, formâ barbaricâ. Exteriores porro templi partes argento inunxerunt, præter fastigia πλὴν τῶν ἀκρωτηρίων, quæ auro illita emicabant. Intùs autem laquearia tota eburnea, auro, argento, orichalco, variegato opere celata conspiciebantur. Verùm parietes, columnas, pavimenta orichalco exornarunt. » Polybius in libro decimo loquens de Mediâ, describit Regiam Persarum, quæ erat in Ecbatanâ urbe. Ea Regia, inquit, ambitum habebat propè septem stadiorum, ostendens suis opibus quantùm fuerint potentes, qui eam condiderant. *Nam cùm materia universa esset è cedro aut cupresso*, οὔσης γὰρ τῆς ξυλίας ἁπάσης κεδρίνης καὶ κυπαριττίνης *nihilominùs tamen haud quidquam illius nudum à tegumento cerneres: sed erant trabes, lacunaria, & co-*

lumnæ ſive in porticibus, ſive in periſtyliis, laminis partim aureis circumamictæ. Omnes item tegulæ fuerunt argenteæ. A

Hæc lubenter aſſero, ne ideo quis ædem Hieroſolymitanam flocci faciat, quia architectura ſaxeis ornamentis carebat; ſed tunc temporis ædium erant alia decora, & pretioſiora. Memorat quidem Salomon columnas marmoreas; ſed illæ breviſſimæ fuerint oportet quibus Salomon comparat crura ſponſæ in Canticis cap. 5. v. 15. *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas.* Columnæ illæ marmoreæ non pars erant ædium, ſed ſupellectilis genus, fulcrum ſive fulcimen, cui vas quodpiam imponebatur. Erat illud fulcimen, ſive columen è marmore candido; unde Hebraïcè dicitur שש quo & nomine *byſſus* notatur. B

SECTIO III.

Et aliis teſtimoniis conſtat omnia nobilia opera è metallo, & ebore fuiſſe commendata.

NOn ſolo Poëtæ celeberrimi teſtimonio, ſed & Hiſtoricorum res conſtat. Dædalus habetur à Græcis pro primo tum Architecto, tum Statuario; cujus opera licet rudia eſſent, divina habita ſunt. Quippe illis inerat quidpiam etiam divini, ut loquitur Pauſanias in Corinthiacis. Δαίδαλος δὲ ὁπόσα εἰργάσατο, ἀτοπώτερα μέν ἐστιν ἐς τὴν ὄψιν, ἐπιπρέπει δὲ ὅμως τι καὶ ἔνθεον τούτοις. *Ac Dædali quidem opera rudia ſunt, neque aſpectu decora; attamen numen veluti quoddam præ ſe ferunt.* C In eodem libro memorat Pauſanias ſigna facta ſine ullâ arte, quorum alia pyramidis, alia ſolummodo columnæ figuram haberent. Et in Laconicis priſca opera, ſigna dicit, præter os, manus & imos pedes, fuiſſe æneæ columnæ perſimilia. De Dædalo ſermonem facit Diodorus Siculus in Bibliothecâ [lib. 4.] » Is ingenio, ſolertiâ, cæteros omnes ſu- » pergreſſus, architecturæ ſtudium impendit, ac Sta- » tuarius, lapidumque Exculptor egregius evaſit, » multis etiam ſcitè inventis artes illas amplificavit. Facit illum peritum περὶ τὴν λιθουργίαν: ſed, ut poſtea conſtabit, Dædali ſigna erant omnia lignea. Et » mira paſſim in orbe terrarum opera fabricavit: D » adeo mortales cunctos ſtatuarum artificio ſupe- » rans, ut imagines animantis quàm ſimillimas effin- » xiſſe à poſteris jactetur. Quarum ea conſtitutio » fuerit, ut viſum, & inceſſum, totumque corporis » habitum in vivis animantibus referrent. Quia enim » primus oculorum obtutum, pedumque greſſum, » & manuum porrectum in ſtatuis expreſſerat, me- » ritò in omnium admirationem incurrit. Nam qui » præceſſerant ipſum artifices nictitantibus oculis, » demiſſis manibus & conglutinatis cum lateribus, » ſimulacra fecerant.

Pauſanias diligentior fuit ſcrutator antiquitatis, quàm Diodorus; ex Pauſaniâ autem conſtat fuiſſe omnia ſigna lignea. Sic ille in Corinthiacis. » A- E » pud Argivos longe omnium templorum eſt nobi- » liſſimum Apollinis Lycii, in quo quod ætate noſ- » trâ extat Dei ſignum, Attali fuit Athenienſis o- » pus. Antiquiſſimum è ligno Danaus dedicavit cum » ipſâ æde. Fuiſſe vero illis temporibus ſigna omnia » è ligno, & imprimis quæ Ægyptii feciſſent, credi- » derim. Alibi agnoſcuntur ab hoc ſcriptore ſtatuæ è ſaxo; ſed, inquit, apud Græcos univerſos ſæculis vetuſtioribus ἀργοὶ λίθοι, *rudes lapides* pro ſimulacris divinos honores habuerunt. Ita in Bœoticis loquitur. » Hyetti, quæ urbs eſt Bœotiæ, delubrum » Herculis viſitur; & ex eo morborum remedia » expetuntur. Signum non eſt arte elaboratum, ſed » rudis priſco more lapis. Οὗτος οὐχὶ ἀγάλματος σὺν τέχνῃ, λίθου δὲ ἀργοῦ κατὰ τὸ ἀρχαῖον. Ergo tempore Dædali nondum Statuarii artem exercebant in ſaxis exſculpendis. Eadem dicit aliis in locis; & clarè ſignificat, quantùm ex antiquitatis monumentis didicerat, priſcos opifices non alia materia ad ſimulacra Deorum, uſos quàm hebeno, cypariſſo, cedro, quercu. Clemens Alexandrinus primo Stromatum obſervat antequàm ſtatuæ eſſent affabrè formatæ, erectas ſolùm columnas, quæ tanquam Dei ſimulacra colebantur. Pauſanias in Bœoticis de hac religione loquitur. « Apud Orchomenios Liberi patris templum extat, & quod maxime priſcum eſt, « Gratiarum. Saxa vero quædam præcipuâ colunt « veneratione, quæ excepiſſe Eteoclem e cælo de- « lapſa ferunt: nam quæ expolitiùs fabricata ſunt « ſigna, & ipſa è lapide, ætate meâ dedicata fuère. «

Idem Pauſanias loquens in Laconicis de templo poſt Troiana tempora facto: « In eo, inquit, « erat ſignum, cujus Bathycles non fuit opifex; eſt « enim priſcum & ſine arte factum, nempe quod « præter os, manus, & imos pedes, cætera æneæ « columnæ perſimile ſit. «

Etiam poſtquam, ut ita dicam, nata eſt ſcientia Architecturæ, & certis regulis ars aſtricta, ſcilicet cùm inventi ſunt illi ordines, de quibus diſſeremus in capite ſequenti, rudis erat ſtructura templorum. Nam in templo Junonis, quod erat Dorium opus ἐργασία Δώριος, ut loquitur idem Pauſanias [lib. 5.] erat columna è quercu. Alterius mentionem facit pariter è ligno, jam vetuſtate fatiſcentis, & ideo vinctæ ferreis vinculis. Illa olim in Oenomai domo ſubſtiterat ſola, cùm reliqua domus fulmine icta conflagraſſet; quod elegi teſtabantur, quos Interpres Pauſaniæ ſic Latinè expreſſit.

Una columna ex his hoſpes ſum ſola relicta
In celſis ſteterunt, quæ ædibus Oenomai.
Nunc exſto Jovis in templo circumdata vinclis,
Nobilior; nec me flamma voravit edax.

Ex hiſce apertum olim columnas, quibus laquearia fulciebantur, fuiſſe ligneas; ſed, ut dictum eſt, exornabantur ſuperaddito ebore, vel deductis ſuper ligna metallis; quod paſſim Pauſanias teſtatur. In Atticis memorat in poſteriori parte alicujus templi obſervari ligna quædam duntaxat informata, quæ Theocoſmus auro & ebore fuiſſet ornaturus, ad ſignum Jovis abſolvendum. Ὄπισθε δὲ τοῦ ναοῦ κεῖται ξύλα ἡμίεργα. Ταῦτα ἔμελλεν ὁ Θεόκοσμος ἐλέφαντι καὶ χρυσῷ κοσμήσας τὸ ἄγαλμα ἐκτελέσειν τοῦ Διός. Sæpiùs meminit Pauſanias eboris, quod cum auro conjungebatur, præſertim in ſignis. Ebur ferè auro comparabatur, ſed tempore Homeri ignoti erant elephantes, ex quibus, ut aſſerit in Atticis Pauſanias, Ebur enim hominum opere & arte priſcis tempo- « ribus expoliri ſolitum norunt haud dubiè multi: « beſtias autem ipſas, priuſquàm Macedones in A- « ſiam trajicerent, præter Indos & Lybias, finiti- « moſque illis populos, nulli viderant. Quod ipſum « ex Homero facilè conjicias, qui cùm Regum « lectos & opulentiorum domos ebore ornatas di- « xerit, belluæ tamen nuſpiam mentionem facit. « Quòd ſi aut elephantem vidiſſet, aut de eo quic- « quam audiiſſet, antiquius opinor duxiſſet hoc, « quàm Pygmæorum & gruum pugnam commemo- « rare. « Serò conflata ex ære ſigna adſtruit idem Pauſanias; & negat ullum ex hoc metallo fuiſſe ab Ulyſſe dicatum, ſiquidem temporibus ejus nondum ars erat adinventa. *Primi*, inquit in Arcadicis, *as conflare & cudere docuerunt Rhœcus Philæi & Teleclis filius, Theodorus, ambo Samii.* In Laconicis deſcribit Jovis ſignum, quod omnium, quæ ex ære facta eſſent, vetuſtiſſimum cenſebatur; ſed non erat fuſile opus. Singula membra ducta erant mal-

leo; & deinde ſimul omnia clavis conjuncta. Hujus ſigni opiſex tradebatur Learchus homo Rheginus, quem Dipæni & Scyllidis nonnulli, alii ipſius Dædali diſcipulum faciunt. Hæc referre non piguit, ut appareat ſcientiâ verè divinâ imbutos artifices, quibus Moyſes eſt uſus in conflandis vaſis Tabernaculi in deſertis locis, & tanto tempore antequam in ipsâ Græciâ artes, quarum dicitur parens, naſcerentur.

SECTIO IV.

Minori labore aptè & ornatè ligna cædi poſſunt. Hanc artem Sidonii primi invenerunt, & eam docuerunt Græcos.

CUm neceſſitas prima artium initia extuderit, hujus inventa priora ſunt, quàm voluptatis. A neceſſariis artificiis ad elegantiora ventum eſt; priores enim partes agit quod utile eſt, quàm quod delectat. Verbis Ciceronis & Varronis utor. Ergo ſtatim, ut jam innuimus, ædes compingebantur tranſverſis lignis adverſus imbrem & frigus. Poſtquam neceſſitati & utilitati conſultum eſt; tum populi feliciores & opulentiores ſtuduerunt, ut quod utile erat, etiam placere poſſet. Lignum facilè cæditur; ideo cùm inſtrumentis non multùm reſiſtat, potuêre primi artifices varia in eo effingere ornamenta. Præiverunt Sidonii. Sacer codex eis tribuit hanc laudem, ubi profert Salomonis literas ad Hiram Regem Tyri: *Scis enim*, inquit Salomon huicce Regi ſcribens, *quomodo non eſt in populo meo vir, qui noverit ligna cædere ſicut Sidonii.* [3. Reg. cap. 5. v. 6.] Scriptura non commendaret artem Sidoniorum, niſi noviſſent affabrè cædere ligna, & variis figuris illa ornare; nam ſolis viribus opus eſt & ſecuribus ad præcidendas arbores in ſylvis. Ab Homero, ut vidimus, ſolertia Sidoniorum laudata eſt. Ergo facilè animum adduco ut credam primis temporibus, cùm ſaxa quadrata multi fierent, nec cogitarent artifices illa diverſimodè cælare, primùm mentem adjunxiſſe poliendis lignis & diverſimodè figurandis; in quo ſeſe primi exercuerunt Phœnices, forſan excitati Ægyptiorum induſtriâ, apud quos peregri abantur.

Ergo verſimile eſt artem cædendi ligna, & ideo primordia architecturæ, apud Sidonios primùm nata, & illa, cum cæterâ litteraturâ in Græciam invexiſſe. In proemio hiſtoriæ ſuæ Herodotus notat Phœnices longis navigationibus incubuiſſe, faciendiſque Ægyptiarum & Aſſyriarum mercium vecturis; cùmque in alias plagas, tum etiam Argos perveniſſe; ita ut cum mercibus Ægyptiacis & literas portaverint in Græciam. Sic alibi [lib. 5.] loquitur de Phœnicibus. « Phœnices iſti cum Cadmo advenerunt, quorum Gephyræi fuêre, dum hanc regionem incolunt, cùm alias multas doctrinas in Græciam introduxêre, tum verò literas, quæ apud Græcos, ut mihi videtur, antea non fuerant. » Expendamus illa verba Εἰσήγαγον διδασκάλια εἰς τοὺς Ἕλληνας. *induxerunt diſciplinas in Græciam*; quæ etiam literis careret, ita penitùs barbara & omnium artium rudis erat. Telemachus in Odyſſeâ [lib. 4.] Menelai Regis ædes laudibus uſque in cælum efferens; Jovis Olympii, inquiebat, talis eſt interior aula: Rex vero reſpondet nullum hominem poſſe contendere cum Jove, videlicet in nullâ re ſimilem eſſe Deo; fatebatur tamen ideo magnificas ædes conſtruxiſſe, quia harum exemplaria viderat in diverſis regionibus, in Ægypto & apud Sidonios.

Ἠγαγόμην ἐν νηυσὶ, καὶ ὀγδοάτῳ ἔτει ἦλθον
Κύπρον, Φοινίκην τε· Καὶ Αἰγυπτίους ἐπαληθεὶς
Αἰθίοπας θ' ἱκόμην, καὶ Σιδονίους, καὶ Ἐρεμβούς.
Vectus in navibus & octavo demum anno
Cyprum, Phœnicemque, & Ægyptios oberrans
Æthiopeſque adii & Sidonios & Erembos.

Eâ ætate, quâ Homerus pangebat ſuos verſus, rari erant opifices; & inter eos, qui pluris fiebant, recenſet fabros lignarios τέκτονα δούρων] Odyſſ. lib. 17. v. 386.] & addit,

Οὗτοι γὰρ κλητοί γε βροτῶν ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν.
Hi enim inclyti hominum in infinitâ terrâ.

Nondum è ſaxo exprimere ſuſceperant fabri, quod primùm in ſolo ligno ſectili fiebat. Tempore Platonis pauci numero erant in Græciâ Architecti. In dialogo qui inſcribitur Ἐρασταὶ *amatores*, pretium philoſophiæ & ſcientiarum oſtendit, utens comparatione artis fabrilis. « In hac arte, inquit, fabri operam quinque aut ad ſummum ſex minarum pretio redimeres: Architectum verò, ne infinitarum quidem drachmarum mercede. Et vix etiam pauci inter Græcos comperiuntur. » Ὀλίγοι γε μὴν καὶ ἐν πᾶσι τοῖς Ἕλλησι γίγνονται. Lacedemonii antiquos mores diutiùs ſervaverunt. Ligneas ædes eorum fuiſſe, & nulla habuiſſe ornamenta, oſtendit lex illa Lycurgi, quâ jubebat Lacedemoniis τὰς οἰκίας ποιεῖν ἀπὸ πελέκεως καὶ πρίονος μόνον, *ædificare domos non niſi ſecuri & ſerrâ.* Puduiſſet Lacedemonios pretioſam ſuppellectilem habere ἐκπώμασι καὶ στρώμασι καὶ τραπέζαις πολυτελέσι. Plutarchus hæc refert in Apophlegmatibus Laconicis inter quæ illud narrat Lycurgi. « Conſpicatus in Aſiâ domum quadrangulis laqueatam trabibus, dominum ejus interrogavit, ecquid ibi locorum arbores naſcerentur quadrangulæ. Reſpondenti, non, ſed rotundæ. Quid ergo, inquit, an ſi quadrangulæ naſcerentur, rotundas faceretis. »

SECTIO V.

Elegantia ſtructuræ ligneæ cernebatur potiſſimùm in trabeatione & columnis.

PRimi homines, ingruentibus pluviis, aut antrum ſubibant, aut ſe opacâ arbore tutabantur. Si quidem hæc ſubſidia non ubique occurrerent, utilitas docuit, ſive compulit ædificare domos; primùm ſe tecto protegere. Amputato vicinarum arborum vertice, & relicto trunco; deſuper impoſuerunt tranſverſas trabes; aut eradicatas, vel ſectas arbores ſolo defixerunt. Hæc fuit prima & neceſſaria ſtructura. Arbores erectæ veræ ſunt columnæ. His trabibus tranſverſis, quæ tectum faciebant, conſtat id omne, quod nunc appellatur *trabeatio*: ſicut ea omnia quæ ſpectant columnas, caput ſive capitella, baſes ſive pedes, & earum intervalla, appellatur *columnatio*. In his duabus rebus tota conſiſtit ratio ſtructuræ omnis ligneæ, ſive αὐτεκτονικὴ; nimirum ut quod primùm neceſſitate factum eſt, & caſu potiùs quàm arte, poſteà fieret aliquo conſilio, cum ſolertiâ aptè & decorè Non ſolùm extremitates trabium tranſverſarum egent fulcris, ſed tota earum longitudo fulciri debet, cùm magna eſt, nempe cùm ædificia latiora ſunt Longæ enim trabes, ſi tranſverſæ locentur in aëre quaſi pendulæ, ſuo proprio pondere fatiſcerent, niſi quidpiam ſubditum laborantibus opem ferret. Ideo in ſpatioſa ædificia, in baſilicas, in templa tot columnas neceſſitas induxit.

Ubi luxuriæ ſeſe homines dediderunt, columnarum caput & pedes ſpecioſiùs exornarunt? & o-

peram dederunt ut luxuriaret trabeatio; quæ complectitur laquearia, trabes transversas, quæ apparent, & recumbunt super columnas, idcirco dictus *Epistylium*, quia ἐπὶ τὸν στῦλον, id est *super columnam*. Sed nomine epistylii præsertim intelligitur illa trabs, quæ immediate est super summas columnas, dicta *Architravis*, hoc est, *principalis trabs*, Gallicè *architrave*. Huic secunda & tertia adjungebatur firmitatis causâ; quas cùm naturalis latitudo diversimodè inter se distingueret, postquam architravium non ampliùs fuit ex unâ trabe, ut prior distinctio appareret, exhibuerunt in illâ longas fascias, sive tænias. Cùm sic transversæ trabes duplicarentur & triplicarentur, tabulatum quod super eas recumbebat, sive tectum quod ipsis suberat, habebat quasi lacunas, unde nomen *lacunar* & *laquear*. Ubi profundiora laquearia placuerunt, ut spatium quod est inter epistylium & coronam, & est veluti ζώνη sive cingulum, vacuum esset ornamentis in eo depictæ, vel expressæ sunt cœlo figuræ animalium, unde pars illa dicta est *Zophorus* a ferendis animalibus.

Omnis illa exterior trabeatio habet tres partes; quarum prima est Architravium sive Epistylium; in quo notandæ fasciæ illæ longæ, qui repræsentant diversas trabes: quibus olim constabat. Secunda Zophorus: Itali dicunt *Fregium*, quod nomen Philander deducit à *Phrygio*, *Phrygionis*, *Brodeur*, quia hæc pars quasi acu pingitur sive similis est imaginibus florum, pomorum, frondiumve figuris acu pictis. Nos Galli hanc partem appellamus *la frise*, ex Italicâ linguâ. Tertia Corona sive Coronis, quæ suprema pars est trabeationis, & quædam projectura sub tegulis; quâ fit ut longe imber propellatur à fundamentis ædificii. In hunc usum, loquitur Palladius lib. 1. de Re rusticâ cap. 9. » Paratur » coronis, ut perfectis parietibus in summitate, quæ » trabibus subjacebit, structura testacea cum coro» nis prominentibus fiat sesquipedali altitudine, ut » si corruptæ tegulæ, aut imbrices fuerint, parie» tem non possint stillicidia penetrare per pluviam. Coronis, inquam, est veluti supercilia parietum arcendis stillicidiis inventa. Trabeationis semper potior fuit cura; quæ est veluti capillitium ædificii. De hac parte, ut puto, Homerus loquitur, ubi in Odissea [7. v. 87.] describens Regiam Alcinoi, agnoscit in eâ θριγκὸν, & agens de Ulyssis domo [Odiss. 17. v. 267.] ita canit,

ἐπήσκηται δ' οἱ αὐλὴ
Τοίχῳ καὶ θριγκοῖσι.
exornata est ei aula

Muro & θριγκοῖσι, nempe genere ornamenti, quod Architecti significant nomine trabeationis. Nam juxta definitionem Hesychii, Θριγκὸς ἡ στεφάνη τοῦ τείχους, περίφραγμα ὡς περίβολος. Ἤγουν τὸ ἀνώτατον τοῦ τείχους. Οἰκοδομὴ ἐφ' ᾗ καὶ ἡ στέγη κεῖται. *Nempe vox illa significat coronam parietis; est etiam septum. Igitur summitas est parietis. Structura in qua tectum recumbit.* Eusthatius commentans descriptionem Regiæ Alcinoi, vocem θριγκὸς derivat à θρὶξ τριχὸς *capillus*. θριγκὸς ἤγουν ἡ τῶν τοίχων κόμη, ἡ στεφάνη. Ostendit quomodo πρὸς τὸ καλλιφωνίαν, ex τριχὸς fiat θριγκός. Plato in Critia, ubi agit de templo Neptuni: *Exteriores*, inquit, *templi partes argento innuxerunt, præter fastigia quæ auro illita emicabant*. Πλὴν τῶν ἀκρωτηρίων· τὰ δ' ἀκρωτήρια χρυσῷ. Pretiosiora ergo erant ornamenta trabeationis, si quidem aurea cum cætera essent argentea.

Columnas, ut diximus, necessitas induxit; postea luxus in illis lautitias quæsivit. Arbores ipsæ, amputatis hinc inde procurrentibus ramis, subjectæ sunt sustinendo tecto. Truncus arborum suâ natura est rotundus. Crescunt in eâ figurâ, quæ grata est oculis; nec ad quadrum dolari possunt, quin detrahatur illis de suo robore. Præterea discursantes columna quadrata lædit angulis suis, tum & basis ejus majus spatium occupat. Idcirco ratione utilitatis & amœnitatis figura rotunda columnis servata est. Quia verò caput earum si sint ligneæ, sicut & pes dissiliunt cum onerantur gravi pondere tum pedi subjecta mensa, sive tabula quadrata, quâ parte solo insistunt, ut firmiùs consisterent; tum & vertici earum pariter apposita tabula, quæ *abacus* solet appellari, ut exciperet principalem trabem transversam; quæ latiùs requiescens, non eas cogeret dissilire in assulas. Eandem ob causam adjuncta eis vincula ferrea, vel ex contortis funibus aut calamis, quibus in superiori & inferiori parte constringerentur. Vincula illa habuerunt diversas formas, quippe erant vel instar annulorum rotunda, vel complanata. Quidpiam similiter factum docet nos Strabo [lib. 15.] ubi de Babylone agit *In Babyloniâ*, inquit, *propter lignorum penuriam è palmaceis trabibus & columnis ædificia faciunt. Circum columnas ex contortis calamis funiculos ponunt.* Περὶ δὲ τοὺς στύλους στρέφοντες ἐκ τῆς καλάμης σχοινία περιτιθέασιν. *Postea illinentes coloribus pingunt.*

Hæc quæ necessaria erant, postea jucunda facta sunt, cùm ars adhibita est; & formam & mensuras, quæ majus decus conciliarent, his artifices indere studuerunt. Prima autem inventio tribuitur Sidoniis, quam Græcia promovit. Hæc postquam exuit feros mores, & inclaruit omni genere doctrinæ, habuit Philosophos & Geometras, apud illam ars pingendi & sculpendi eleganter nata est; quibus artibus multùm architectura adjuvatur, & exornatur. Ita de totâ Græciâ dici potest, quod Plutarchus de Athenis, in libello an Athenienses bello, an pace fuerint clariores. « Profectò urbs « hæc multarum etiam aliarum mater, nutrixque « benigna fuit artium: quarum alias prima reperit, « inque lucem protulit, aliis honorem, vim, in- « crementa contulit. Non minimam vero ei debet & inventionis & exornationis partem ars pingendi. « Nam Apollodorus Pictor, qui primus hominum « invenit colorum temperationem diversorum, & « umbræ coloribus exprimendæ rationem Athenis « natus est, cujus operibus inscriptum fuit, Μωμήσεταί « τις μᾶλλον ἢ μιμήσεται. Faciliùs hæc culpabit quis, quàm imitabitur. «

Græcia non uni paruit principatui; abundabat populis, & urbibus, ex quibus diversæ Respublicæ constitutæ sunt; quæ proprias leges, mores proprios habere gloriabantur. Prout magis vel minùs lautitiæ se dederunt, in ædificiis firmitatem quæsierunt, aut majorem elegantiæ rationem habuerunt. Omnes pariter in id incubuerunt, ut quod ratio præcipiebat observarent. Dum autem singuli sectarentur id quod delectaret, & conveniret instituto, deprehenderunt quamdam symmetriam inter partes singulas, tum columnationis, tum trabeationis; quâ observatâ, esset apta ratio harum partium ad totum: nimirum crassitudo columnæ conveniret altitudini ejus; tum ipsa columna trabeationis mensuris. Quæ symmetria, ubi semel probata est, postea legibus astricta, & in certos ordines distributa est. Videlicet Architecti inter se convenerunt nihil satius esse, quàm sequi aliquem ex moribus certorum populorum Græciæ, qui artem excoluerant; putà Doriorum, Jonum, Corinthiorum. De moribus horum populorum, sive de ordinibus architecturæ postea disseram.

SECTIO VI.

De variis ornamentis ſtructuræ ligneæ, & horum ornamentorum origine, nominibus, & figuris.

EX quo opera data eſt ut non ſolùm utilitatem, ſed & voluptatem ædificia parerent, uſus, caſus, natura ipſa docuêre quod decus his addi poſſet. Varietate recreamur. Quippe omnia, præter Deum, cùm habeant finitum decorem, citò faſtidium pariunt; quod ne contingat, animus quaſi compluribus rebus occupandus eſt, & harum commovendus diverſitate; quod, ut aſſequerentur Architecti multa excogitaverunt ornamenta, quæ videbimus eſſe imitationes ligneæ ſtructuræ, vel
B rerum naturalium, quarum proſpectu jucundè afficimur. Vincula illa, quibus conſtringendæ erant ligneæ columnæ, admonuerunt Architectos imam & ſummam hujus partem ornari poſſe ſpiris, quæ referrent horum vinculorum ſpeciem. Pleraque ex illis ornamentis caſus adinvenit, quæ primùm, ut ita dicam, temere, poſtea conſilio appoſita ſunt; cùm intelligerent opifices inde gratiam operi ſuo conferri. Verbi causâ, placent flores & rami foliis vernantibus, & pomis luxuriantes: his populi ſoliti ſunt diebus feſtis decorare ſacras & prophanas ædes. 2. Æneidos.

C *Nos delubra Deûm miſeri, quibus ultimus eſſet*
Ille dies, feſtâ velamus fronde per urbem.

Omnes partes templorum, parietes, altaria intexebantur coronis. Ovid. Triſt. lib. 3. Eleg. 13.

Fumida cingatur florentibus ara coronis.

Serta adtexebantur, ut idem Ovidius indicat Triſt. lib 4. Eleg. 2.

Altaque velentur fortaſſe palatia ſertis.

Tibullus lib. 1. Eleg. 1.

Flava Ceres, tibi ſit noſtro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.

D Rami, frondes, flores, ſerta, corollæ citò marceſcunt, & fiunt indecora. Viſum ergo eſt artificibus illa ligno exprimere, ut quæ aliquot tantùm dierum fuerant ornamenta, jam perpetua eſſent, nec unquam gratiam amitterent.

Encarpus Græcis *fructuoſum* ſignificat. καρπὸς *fructus*, ἔγκαρπος *fructuoſus, baccifer, fœcundus.* Nomen autem illud in Architecturâ eſt florum, frondiumque & pomorum implexus atque contextus, coronario luxu, ut ait Philander, foliis flores & fructus intercurſantibus; cujuſmodi ſunt, quæ ſerta & corollas triumphales noſtri vocant, Itali *ghirlandes* & *feſtones* à feſtivitate. Sæpiùs in illis ornamentis conjungebantur omnes fructus, hoc eſt diverſi; ideò hocce ornamentum dicebatur παγκάρπος, quod nomen
E legitur in Ariſtæâ, ubi deſcribit menſam magnificam, quam Ptolomæus miſit dono ad templum Hieroſolymorum. Flores & fructus colligabant longæ tæniæ vernaculè *des rubans* & vittæ, ſæpiùs factæ ex membranis tiliæ, cujus *inter corticem* dicit antiquorum longè erudititiſſimus Plinius, (lib. 16. cap. 14.) "ac lignum tenues tunicæ multipli- "ci membranâ, è quibus vincula tiliæ vocantur, "tenuiſſimæ earum phyliræ, coronarum lemniſcis "celebres, antiquorumque honore. Juxta Feſtum: "Lemniſci, id eſt, faſciolæ, coloriæ, dependentes ex "coronis, propterea dicuntur; quod antiquiſſimum "fuit genus coronarum lanearum. Illæ ornabantur laminis æreis tenuibus inauratis aut inargentatis; quæ omnia ut eſſent in templis perpetua, nec

A unquam abeſſet ab illis feſtivus ille decor, phyliras, tænias, lemniſcos, faſciolas, vittas primùm ligno, poſtea ſaxo Architecti expreſſerunt. Etiam ſcutalibus ſive ſcuticis coronæ nectebantur. Nomen Latinum non à *ſcuto* derivandum, ſed à Græco nomine σκυτάλη, quo notatur flagellum loreum, ſeu coriaceum, & in genere membrana ex pelle.

Sed & veris clypeis & omni armorum genere templa exornabantur; ad quem morem clypeos aliaque arma in templo dicandi, Virgilius reſpexit in ſeptimo Æneid. ubi loquitur de Regiâ Latini, quem locum ſacrum eſſe vult.

Multaque prætereà ſacris in poſtibus arma:
Captivi pendent currus; curvæque ſecures,
B *Et criſtæ capitum; & portarum ingentia clauſtra*
Spiculaque, clypeique, ereptaque roſtra carinis.

In primo Machabæorum [cap. 4. v. 57.] cùm Machabæi expurgarunt templum, renovaturi ſacrificia, legimus: *Et ornaverunt faciem templi coronis aureis & ſcutulis.* Certum eſt, modò dicemus, ſuſpenſa fuiſſe arma, ſcuta & alia in templis. In Græco textu Machabæorum nunc legere eſt. Καὶ κατεκόσμησαν τὸ κατὰ πρόσωπον τοῦ ναοῦ στεφάνοις χρυσοῖς καὶ ἀσπιδίσκαις. Vox illa ἀσπιδίσκαι non æquivoca eſt; intelligi debet de ſcuto, de umbone. In primo Paralipomenon cap. 10. ubi Philiſtiim celebrant victo-
C riam ſuam de victo & cæſo Saüle.

8. *Die igitur altero detrahentes Philiſtiim ſpolia cæſorum, invenerunt Saül & filios ejus jacentes in monte Gelboë.*

9. *Cùmque ſpoliaſſent eum, & amputaſſent caput, armiſque nudaſſent, miſerunt in terram ſuam, ut circumferretur, & oſtenderetur idolorum templis & populis.*

10. *Arma autem ejus conſecraverunt in fano Dei ſui, & caput affixerunt in templo Dagon.*

David 1. Samuëlis cap. 17. v. 55. arma devicti Goliath poſuit in tabernaculo ſuo; nempe in tabernaculo Dei ſui, ut ex capite 21. v. 9. diſcimus, ubi cum David inermis fugiens à facie Saülis ab Achi-
D melech ſummo Sacerdote gladium poſtulaſſet non alium habeo hîc nempe in tabernaculo, quam Goliath quem percuſſiſti. Ni mea me fallat conjectura primitùs fuerat ſcriptum באהל *in tabernaculo*, nempe Dei, poſtea incuria librariorum factum באהלו *in tabernaculo ſuo.* In templo Hieroſolymitano, quod inſtauravit Herodes, videbimus ubique affixa fuiſſe ſpolia barbarica; & in ipſo Gazophilacio, qui locus conſpicuus erat, Regem Agrippam ſuſpendiſſe catenas aureas, quibus diu vinctus fuerat.

Hæc & ſimilia ad horam ſæpiùs poſita ornamenta, aut propria aliquibus tantùm templis Architecti in omnibus imitati ſunt; & quæ certis diebus uſitata erant effecerunt ut his nunquam carerent o-
E pera ſua; nempe varios flores, & diverſarum arborum ramos inſeruerunt columnarum vertici, quibus adverterant à lætante populo exornatas. Forſan in ipſis artis incunabulis, placuerant rami, qui forte adhæſerant verticibus truncorum adhuc virentium, qui pro columnis ſuppoſiti fuerant trabeationi. Ergo Architecti Græci hos ramos expreſſerunt in ligno; quod Ægyptii jam fecerant in ſaxo. Vidimus enim apud Herodotum columnas lapideas labyrinthi Ægyptiaci ſimiles fuiſſe palmis, nimirum caput earum imitabatur palmas. Capitelli elegantis mentionem facit Athenæus [lib. 5.] circa partem quam calathum vocant, nullæ volutæ" ἕλικες fuerunt, quemadmodum in Græcis, craſſa " nulla folia; ſed loti fluviatilis calyces, & palmæ nu- " per germinantis fructus. φοινίκων ἀρτιβλάστων καρπός. in "

» quibusdam aliorum florum multa genera excul- » pta : quod autem radici capituli suberat, nempe » quod vertebræ capitulum jungenti cum scapo in- » sidet ciboriorum floribus & veluti complicatis fo- » liis cælatum erat. Huncce locum Athenæi allego, ut pateat quomodo ipsa natura docuerit pleraque ornamenta Architectos.

Appendebantur templis tabulæ plerumque votivæ in memoriam accepti beneficii. Horatius lib. 1. Carm. Ode V.

me tabula sacer
Votivâ paries indicat uvida
suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

Res quæ Diis adjuvantibus confecta erat, describebatur in his tabulis; unde & alibi idem Poëta sic loquitur, lib. 2. Satyra 1.

Quo fit ut omnis
Votivâ pateat veluti descripta tabellâ
Vita senis.

Apponebantur hæ tabulæ, præsertim in eâ parte quæ nunc dicitur tympanum, olim ἀετὸς, ut suo loco pluribus dicemus; etiam in zophoro; id quod depictum erat, ut diutiùs memoria rerum celebrandarum servaretur, tabulis lapideis vel marmoreis expressum est semi-extantibus figuris, quæ toreumata dicuntur à Græcis, ab Italis *Bassi relievi*; à nobis *Bas reliefs*. In genere, quod Architecti experiebantur casu adjunctum placere, postea inito consilio inseruerunt ædificiis. Sic superiori sæculo, cùm advertissent inscriptiones sive titulos in membranis ex pergameno, cujus oræ sive extremitates secarentur & volverentur variis modis, habere elegantem formam, sive locis quibus affigerentur, afferre decorem, imitati sunt saxo hos titulos, quos vernaculè appellamus *des Cartouches*.

Imprimis solemnes sacrificiorum pompas exhibuere veteres Architecti in ædificiis quæ Diis dicabantur. In parte magis conspicuâ, qualis est frons ædificii, & à Vitruvio nominatur tympanum videre est altare cum populorum adstantium concursu. In zophoro cernitur apparatus hujus sacrificii. Deducuntur victimæ exornatæ tæniis; juxta illas popæ, à quibus mactandæ cum suis securibus; crania etiam boum mactatorum appendebant; & hinc indè pendebant vittæ, quibus exornati fuerant. Etiam lances, & pateræ, & cætera quorum usus est in ædificiis, quia olim gratum spectaculum præbuerant, postea expressa sunt in ligno, & in saxo. Sic Architecti cùm vellent æterno monumento significare Persas à Græcis subactos, pro columnis posuerunt statuas marmoreas habitu Persarum, qui captivi essent; quæ figuræ dicuntur *Telamones*, id est miseri & onere pressi. Egregius est locus de illis apud Pausaniam in Laconicis, ubi Spartam Lacedemoniorum describit. *In foro omnium est operum nobilissimum porticus ea, quam Persicam appellant,* E *quòd de Persarum manubiis est ædificata. Insequentibus deinde temporibus, ad eam quam nunc præ se fert magnitudinem, & ornamentorum speciem, illam traduxerunt. Insistunt loco columnarum & alii Persarum duces & inter eos Mardonius, &c.* Mulieres etiam supponebantur interdum pro columnis, quales illæ quæ appellantur *Caryatydes*. « Carya » civitas Peloponnesi, inquit Vitruvius lib. 1. c. 1. » cum Persis hostibus contra Græciam consensit; » postea Græci per victoriam gloriosè bello liberati, communi consilio Caryatibus bellum indixe- » runt. Itaque oppido capto, viris interfectis, civi- » tate deletâ, matronas eorum in servitutem abdu-

A xerùnt; nec sunt passi stolas neque ornatus matro- « nales deponere, uti non uno triumpho ducerentur, sed æterno servitutis exemplo gravi contu- « meliâ pressæ, pœnas dare viderentur pro civitate. « Ideo qui tunc Architecti fuerunt, ædificiis pu- « blicis designaverunt earum imagines oneri feren- « do collocatas, ut etiam posteris nota pœna pecca- « ti Caryatidum, memoriæ tradetur. « Horum Telamonum meminit Diodorus Siculus lib. 1. observans in quibusdam ædificiis animalia vicem præstitisse columnarum, & in monumento quodam Ægyptiaco colossos duodecim cubitorum fuisse pro pilis.

Ut tandem concludam hunc articulum qui de ornamentis est dicam trabibus quibus constabat ar- B chitravium, ideo expressas virgas in architravio ut notarentur diversæ trabes, quibus constabat, sive diversi gradus fasciarum. His quæ dixi de zophoro addam non tam ab animalibus quæ in eo depingerentur quàm à zonâ, quia scilicet esset instar zonæ, *une plattebande*, quæ super capita columnarum curreret, ut loquitur Pausanias in Eliacis τῆς ὑπὲρ κιόνων παρηκούσης ζώνης. Zona Latinè idem sonat, quod cingulum. *Zophorus* respondet Lacunaribus quæ intercipiebat supremi tabulati contignatio; sive quæ intercipiebatur lignis, quibus constabat supremum tabulatum. Illa Lacunaria non apparebant exteriùs; sed conspicua erant, his qui intra ædes erant. *Lacunæ* & *Lacunaria* sunt fossulæ in came- C râ, sive in tabulato cameræ. Has fossulas efficiunt crassæ trabes; quæ aliquo intervallo a se invicem separantur. Latitudo zophori ostendit Lacunarium altitudinem, *la profondeur*. Hinc nata ornamenta quæ propria sunt zophoro, & pertinent ad totam supremam trabeationem, quæ dicitur coronis, quia veluti coronidem imponit operi, nempe triglyphos, mutulos, metopas, denticulos, quæ omnia ornamenta, originem, formam, nomen accipiunt à ligneâ structurâ. Ne præcisiones tignorum, inquit Vitruvius lib. 4. cap. 11. offenderent oculos. Dores capiti tignorum apponebant tabulas, tribus cæsuris incisas, quæ ideò dicebantur triglyphi τρίγλυφοι, hoc est, tripliciter incisi. Mutuli, Gallicè *Modillons* nati sunt à projecturis canteriorum in coroni- D de; nempe in illâ parte, cui tectum insistere videtur. Undè, ut notat Vitruvius, exhibentur mutuli inclinati; quod imitatio est canteriorum, vernaculè *chevrons*, qui propter stillicidia necessariò proclinati collocantur. Tignorum cubilia, nempe illum locum cavum, columbariis similem, in quem insererentur capita tignorum. Græci appellabant ὀπὰς *foramina*. Sic interva lum inter duorum tignorum capita, sive inter ὀπὰς, dictum est. *Metopa*, ex præpositione μετὰ *inter* & ὀπή. Denticuli quæ sub coronide ponuntur, habent dentium imaginem; & imitationem ex projecturâ tigillorum, quæ eminerent; quorum figura, cùm placuisset, retenta est. Ita cùm guttæ imbrium è tecto defluentes apparuissent pendulæ sub imâ coronâ, & sub triglyphis, cum aliquo decore, sub his partibus guttæ veluti campanellæ suspensæ sunt.

CAPUT X.

Architecturæ singuli ordines debent ortum suum, & ornamenta ligneis structuris. Horum ordinum numerus. Omnes post ædificatum à Salomone templum, fuêre constituti.

SECTIO I.

Ubi è solido saxo ædificari cœptum, ædificiis saxeis indita forma ligneorum; & tunc constituti diversi architecturæ ordines.

UBi Architectos piguit artem consumere in ligno, quod opus caries perderet, & è solido saxo cœperunt ædificare, non aliam tamen saxeis quàm ligneis ædificiis formam indiderunt. Certè eadem usurpavêre vocabula. Etenim, verbi causâ, dixerunt architravium, quod è saxo epistylium erat; quia locum tenebat principalis trabis, quæ verticem duarum vel plurium columnarum jungebat, his superimposita. Prima igitur artis vocabula usurpaverunt; & quantùm fieri poterat, veterem structuram repræsentaverunt. Sicut priùs truncus integer supponebatur pro columnâ; pariter fecerunt columnas μονολίθους, id est, ex uno saxo: epistylium quoque ex unico saxo, quod veluti trabs longa recumberet super columnarum verticibus; ita ut saxea ædificia omnino sint imitamenta ligneorum, inde accipiunt leges Architecti, ut qui illas non sequuntur, merito arguantur à à Philandro. *Antiqui ostia nusquam*, inquit ille ad caput 6. libri 4. Vitruvii, *nisi quadrangula fecerunt, sicuti neque fenestras. Posteri verò etiam arcuatis usi sunt, postquam pessum ivit architectonice, & neglectis probatissimorum operum exemplis, Germanorum arbitrio cœptum ædificari. Portas urbium fuisse arcuatas, quæ extant veterum monumenta, fuerint argumento: privatarum ædium aut etiam sacrarum arcuatum ostium haud invenias.* Tum & regulæ petuntur ex antiquâ materiâ ædificiorum, quæ erat lignum; nam, exempli causâ, convenit inter peritos nusquam architravium esse intercidendum; id enim fieri in ligneo ædificio non poterat sine damno, cùm operis coronamentum colligarent, & sustinerent trabes illæ ex quibus constabat architravium. Licet nullum immineat casûs periculum; àttamen quia videtur imminere, hoc judicio adversatur.

Græcorum artificum præ cæteris judicium limatum fuit. Enumerat Vitruvius quos de symmetriâ libros ediderint; & reprobat omnem Architectum qui alias rationes quæreret, quàm quas Græci videntur probasse. Rationes autem illæ potissimum spectantur in dispositione columnarum, ut sint graciles aut crassæ pro ratione altitudinis earum, tum ut trabeatio cum illis consentiat. Non iisdem studiis tenebantur illi qui magis austeri erant, pluris fecerunt firmitatem, voluptatum amantes, lautitiam potiùs sectabantur. Ita diversas inierunt rationes, quibus coustituuntur id quod vulgò dicitur Ordo. Tres in Græciâ populi cæteris nobiliores fuêre, nempe Dorienses, Iones, & Corinthii, ideò tres præcipui Architecturæ Græcanicæ ordines numerantur, Dorius, Ionicus, & Corinthius. Meliùs diceretur triplicem morem, sive triplex genus fuisse servatum à Græcis, *Dorium*, *Ionicum*, *Corinthium*. Græci utuntur nomine τρόπος, qui idem sonat ac *mos*, *modus*, *ratio*. Quandoque & voce ἐργασία; ut quod nos dicimus *Ordo Dorius*, appelle-

A tur ab eis ἐργασία Δώριος. *Opus Dorium.* Observandum cum Vitruvio) lib. 1. cap. 2) Architecturam constare *ex ordinatione, quæ Græcè τάξις dicitur: & ex dispositione (hanc autem Græci διάθεσιν vocant) eurythmiâ, & symmetriâ, & decore, & distributione, quæ Græcè οἰκονομία dicitur. Ordinatio est modica membrorum operis commoditas separatim, universæque proportionis ad symmetriam comparatio. Hæc componitur ex quantitate, quæ Græce ποσότης dicitur. Quantitas autem est modulorum ex ipsius operis sumptione, singulisque membrorum partibus universi operis conveniens effectus. Dispositio autem est rerum apta collocatio, elegansque in compositionibus effectus operis cum qualitate.* Hæc omnia fiebant peculiari ratione à dictis populis, sive illi di-
B versas inibant rationes in ædificando. Quæque ratio proprietates suas habet; & certis ædificiis congruit; idcirco dicti ordines non adhibebantur sine dilectu.. *Minervæ, & Marti, & Herculi*, præcipit magister artis Vitruvius (lib. 1. cap. 2.) *ædes Doricæ fient: his enim Diis propter virtutem sine deliciis ædificia constitui decet. Veneri, Floræ, Proserpinæ, fontium Nymphis, Corinthio genere constitutæ aptas videbuntur habere proprietates, quòd his Diis propter teneritatem, graciliora & florida, foliisque & volutis ornata opera facta, augere videbuntur justum decorem. Junoni, Dianæ, Libero patri, cæterisque Diis, qui eadem sunt similitudine, si ædes Ionicæ construerentur, habita erit*
C *ratio mediocritatis, quod & ab severo more Doricorum, & à teneritate Corinthiorum, temperabitur earum institutio proprietatis.*

Ea est symmetria ordinata à summo opifice inter partes animati corporis, ut nota cujusque partis mensura, cæteras indicet. Ex ungue totus leo cognoscitur. Ita de omnibus ædificiis, quæ cùm symmetriâ absoluta sunt. Pars ædificiorum præcipua sunt columnæ, in quibus aptè dimetiendis ars versatur. Diversa sunt genera columnarum; quam diversitatem faciunt diversæ rationes, quas populi secuti sunt, prout studuerunt efficere columnas fortiores aut venustiores. Columna, ut liquet, fortior est, cùm pro ratione longitudinis crassior est; quæ
D crassitudo, si quidem columnæ rotundæ sunt, pendet ex earum diametro. Diameter autem, sive tota, sive media pars ejus, appellatur *modulus*, quia diametro, sive semidiametro utuntur Architecti tanquam modulo, hoc est, certa & communi mensurâ ad definiendas omnes columnæ & trabeationis rationes, uti nos adhibemus pedem Regium in dinumerandis dimensionibus. Ita audire est artifices, dum volunt significatum quampiam columnam sexies esse altiorem quàm crassiorem, dicentes de illâ quod habeat sex modulos. *Moduli constitutione rationibus efficiuntur omnis operis distributiones*, ait Vitruvius (lib, 4. cap. 3.) Nempe modulus est mensura, quâ omnes partes decet dime-
E tiri. Hac voce utitur Horatius in epistolâ septimâ libri primi; dicens:

> *Metiri se quemque suo modulo, ac pede, verum est.*


Symmetria partium constituit diversos ordines, conveniunt illis propriæ & certæ mensuræ, sed & insuper propria ornamenta; certas capituli, & pedis columnarum, tum & zophori, & coronices conformationes habent.


SECTIO

Back of
Foldout
Not Imaged

Fig. I Ligneæ Arcæ compages col. 201.

Fig. II Turris Babel jncheata à filiis Noe, perfecta à Babylonis Regibus






Jonica Basis. Tab. 3. 13.




Columnæ Corinthiæ capitulum Tab. 3. 12.



Jonicæ Columnæ capitulum. Tab. 3. 12.



Columnæ Doricæ capitulum Tab. 3. 12.




Columna Cochleata fig. I



Columna Striata fig. IV




Integra Columna cum partibus suis. fig. III




Corinthia Basis. Tab. 3. 14



Partes Baseos. Tab. 3. 17



Jonica Coronis Tab. 3. 18



Trabeatio Dorica Tab. 3. 19.



Trabeatio Jonica. Tab. 3. 20



Trabeatio Corinthia Tab. 3. 21



Dorica Basis. Tab. 3. 22.



SECTIO II.

Exponuntur verbis & figuris, quæ tum communia, tum propria sunt singulis ordinibus.

ANtequam ultra progrediar, ne vocabula, quibus uti solent Architecti, cuipiam Lectori negotium facessant, exponam res, quas illa significant, & formam oculis subjiciam. Modulus, sive illa mensura, quâ constituuntur distributiones totius operis, petendus est, ut jam diximus, à crassitudine imi scapi columnæ. Scapus autem est ipsa columna, sive truncus, sive stylus; videlicet ipsa columna, quæ à Græcis dicitur στῦλος. Scapus
B est nomen translatitium à caulibus seu fustibus herbarum ad ipsas columnas. Scapus enim denotat in herbis virgam, id quod vernaculè appellamus *la tige*. Architecti nostri scapum columnæ vocant *le fust, ou le tronc, ou le vif de la colomne*. Pars illa columnæ in imo scapo, undè truncus ejus videtur quasi aufugere ex suâ basi, à Græcis ideo dicitur ἀποφυγὴ, Gallis Architectis *escape ou congé*. Summus scapus, pars altior columnæ, quæ vicinior est capitulo, appellatur *hypotrachelium*, quia est ὑπὸ τραχήλῳ sub collo capituli columnæ; Gallis *le colarin*. Ibi truncus columnæ fit gracilior. Quod Græci in columnis nominant ἔντασιν, Latini *adjectionem*, nos Galli vocamus *le renflement de la colomne*. (Hæc
C exhibentur in figuris tertiæ æneæ Tabulæ.) Intumescunt enim columnæ, quasi vires contenderent, ut pares sint oneri ferendo. Columna, si suo pondere fatisceret, fractio fieret in mediâ ejus parte, nempe inter imum & summum scapum: id ne contingat, in eâ parte crassior est. Linea A B quæ diameter est trunci columnæ in imo scapo, Modulus est. C D scapus est sive stylus, sive fustis columnæ; *le fust ou le vif de la colonne*. E E in imo scapo est ἀποφυγὴ *l'escape ou le congé*. F F ἔντασις adjectio, *le renflement*. G G in summo scapo est hypotrachelium *le colarin*. Tabula superior dicitur abacus; alia, quæ subjicitur, basis est. Circa caput & pedem columnæ quasi funes contorquentur, de quibus postea dicemus.
D Quandoque in columnis striæ, sive striges fiunt, nempe cavitates haud dissimiles canaliculis. Vitruvius opinatur illas strias imitari rugas stolarum, quibus induebantur matronæ. Videbimus Ionas sculptos in columnis eam proportionem, quâ mensurantur formosæ virginis membra. Verùm cùm striæ fiant in cujusque ordinis columnis, crederem his in locis in quibus non crescerent arbores proceræ & crassæ, primùm ex multis conjunctis arbusculis conflatas fuisse columnas. Inter autem duas arbusculas, quæ rotundæ sunt, relinquitur intercapedo canaliculo similis; quæ figura cùm non displicuisset, postea in columnis striæ fuerunt excavatæ.
E H. J. Striata est columna, *une colonne cannelée*. Non verisimile est more viminis contorqueri posse columnas; nec etiam congruit ut his, quæ oneri ferendo destinantur, detrahatur vis; quòd fit, dum in modum spiræ exsculpuntur; idcirco periti Architecti ab optimo architecturæ genere sentiunt removendas. Subintroductas puto, quia forsan arbor, circa quam hedera repebat, placuerat alicui Architecto; quam ut imitaretur, expressisset hederæ vestigia, truncum columnæ cochleatim excavans. Cùm nullum onus incumbit, & oculis blandiri tantùm necesse est, talis columna, quam exhibet figura 1. probari potest.

Quandoque columnæ fiunt quadratæ, *quaternis angulis, pari laterum intervallo*. Has Plinius lib.
A 36. cap. 23. appellat Atticas; & hoc est quod putant dici à Vitruvio *Atticurges*, scilicet Attico more elaboratum opus, quasi Atticorum ἔργον opus. Latinis sunt Antæ, sive Pilæ adpactæ *des pilastres*. Proprius earum locus est in angulis parietum. His fabrica sustinetur; indè videntur *antæ* habere nomen ἀπὸ τοῦ ἀντιστάσθαι, ideo quod *ante* sive contra stent. Antæ juxta Festum sunt etiam portarum latera. Ita Latini appellabant *Antas* quadras columnas Græcorum παραστάδας.

In columnis maximè observare decet capitulum, basim, & stylobatam. Capitulum est quasi caput columnæ. Constat illud abaco: quod nomen propriè significat mensam quadratam, similem lateri; unde & *plinthus* dicitur πλίνθος *later*. Artifices nostri vocant abacum *le tailloir ; ou trancheir*. Capitula
B variantur in diversis ordinibus. In columnis Doricis abacus est quadratus, in Corinthiis latera ejus introrsum curva sunt. Capitulum Ionicum habet volutas: Corinthium cauliculos cum foliis Achanti. In Dorico sub abaco sunt annuli: in Ionico echini. ἐχῖνος vox est multiplicis significationis; accipitur pro spinoso tegmine castanearum, quod simile est animali hujusce nominis. Apud Vitruvium & alios Architectos est ornamentum imaginem præ se ferens castanearum, ordinatim in patentes echinos ordinatarum. Hamata interseruntur spicula, quod ad echinos ipsos scindendos usui esse posse videantur. Gallis illi echini dicuntur *des oues*
C *ou œufs retaillez*.

K capituli Doricæ columnæ abacus. L annulus. Ionici capituli M voluta. N echini. O abacus capituli Corinthii. P caules acanthi. Q folia acanthi. *Tab. III.* 12. 12.

Basis columnæ pars illa est, quæ subjacet trunco ejus. Caruêre primùm basi columnæ, cùm initio rerum truncis arborum sine ullâ arte fulciebantur ædium tecta. Plinius lib. 36. cap. 23. dicit tunc demum spiras columnis subjectas, quando templum Ephesinum conditum est. Spira vox est Græca, quæ denotat lineam circumactam in orbem; basis enim habet similes lineas, quæ uti diversas habent formas, sic & diversa nomina. Omnes autem istæ
D lineæ significantur voce *spira*. Basis residet super stylobatam; Gallis *pied d'estal*, Italis *zocle* à nomine Latino *soccus*, *sandalium*. Quandoque unus stylobata perpetuus excipit plures bases. Si interrumpatur, ita ut vacua sint intersepta; & quæque basis habeat suum scamillum, illi scamilli dicuntur impares, ut censet Gallus Interpres Vitruvii. Stylobata habet diversas partes, nempe coronidem, basim & tympanum. Tympani nomine indicatur pars media stylobatæ, quam & quadram appellat Vitruvius, nos *le Dé* ob formam suam. Hoc eodem nomine tympani appellatur pars profundior frontispicii. Juvat sermone & schematibus quædam alia nomina explicare, quæ solent usurpari ab Architectis.
E
Plinthus vox Græca est, quæ significat laterem, cui quod simile est, dicitur *plinthides*, nempe quod latum & quadratum est; ut quod nos Galli nominamus *plinthe ou plate bande*. In basi autem stylobatæ species est plinthi, nobis *orle, orlet, ceinture, reglet*. Id à Vitruvio nominatur *impages*, ut nonnulli sentiunt. Vocabuli originem & vim docet Festus. *Impages, ait ille, dicuntur, quæ à fabris in tabulis figuntur, quò firmiùs hæreant, à pangendo, id est, figere. Undè Poëtæ pangere versus dicuntur, & agricolæ pangere plantas, id est, infigere.* Vidimus olim pedem lignearum columnarum vinctum ferreo vinculo, quod simile est cingulo, *à une ceinture, à un orlet*. Torus est rotundum

T

membrum, pulvinaris ſive tori in morem, undè & A nomen ſumpſit. Nos ob ſimilem formám appellamus hocce membrum *rond, ou boſſet, bâton.* Cùm duo tori apponuntur, torus inferior major eſt, ſuperior fit minor. Quæ inter utrumque torum pars cava intercidit, dicitur *ſcotia*, quia tenebricoſior: Græcis σκοτὶς idem ſonat quod Latinis *tenebræ.* Ipſâ voce Græcâ utimur, rem enim eamdem appellamus *ſcotie*; quod & ab aliis quandoque dicitur *cavet ou la nacelle.* Græci etiam hanc partem nominant τροχίλον, *trochleam*, ob ſimilem formam. Aſtragalus vernaculè *aſtragale, rondeau, annelet* differt à toro, quia minor eſt, repræſentat os illud, quod in juncturis colli pedis eſt. Græcis ἀστράγαλος ſunt vertebræ, quibus vertimur & flectimur: ſine dicto B oſſe pes non flecteretur. Aſtragalus interdum ab Architectis interciditur ut videatur conſtare globulis, quos filum connectit. Tunc dici ut *un chapelet* ob figuram. Nomen illud & talum ſignificat, id eſt, oſſiculum propè quadratum, infra infimos tibiæ & ſuræ proceſſus comprehenſum, ut neque videri, neque tangi poſſit. Non ideo minùs diſtinguitur aſtragalus *l'aſtragale* ab eo quod à Gallis opificibus dicitur *le talon*, cujus ea eſt figura. A B, conſtans duabus partibus, annulo A & B cymatio. C eſt aſtragalus. Annuli baſeos ſunt quadrata membra, vulgò dicta *des filets ou liſteau*, quale ibi A. Cymatium vox Græca eſt, idem ſonans ac *undula*, cujus ſimilitudinem refert. Hocce ornamentum vulgò dicitur C *cymaiſe*, Italis *goletta*, Gallis *gueule.* Hocce nomine & coronicis pars quæpiam appellatur. Expende, Lector, partes baſeos literis deſignatas. (*Tab.* 17. 3.) D plinthus eſt baſis. E torus inferior. F regula & plinthus & annulus. G ſcotia ſive trochilus. H regula. I torus ſuperior. K regula. Hæ omnes ſpiræ baſeos habent locum in capitulis, maximè in eo quod eſt moris Dorici.

Veniamus ad trabeationem, quæ tres partes habet, ſcilicet epiſtylium, zophorum, & coronidem. In coronide notandum cymatium, Græcè κυμάτιον, id eſt, undula. Projectura eſt, quæ coronidem terminat, unde à Vitruvio appellatur *lyſis*, quia quaſi ſolvit partem illam ab alterâ. Λύσις Græca vox id D denotat. Duplex cymatii genus diſtinguitur; aliud rectum, aliud inverſum. Cujus pars extrema concava eſt, rectum appellant, vernaculè *une gueule droite, ou doucine.* Aliud cujus pars extrema convexa eſt, inverſum appellatur, *gueule renverſée ou talon.* Partem illam, quam in coronide appellat Vitruvius coronam, nos dicimus *le larmier*; quia ejus beneficio effluit imber guttatim, inſtar lacrimarum. Totam iſtam projecturam coronidis, quæ ſtillicidiis arcendis inventa eſt, nos Galli nominamus *l'entablement.* Mutuli, quos dicimus *des modillons, des corbeaux*, ponuntur ſub coronâ. Schemata ſubjecta repræſentant trabeationem. *Tab.* 3. 18. I I cymatium rectum. D cymatium inverſum. E G corona, *le larmier.* E mentum coronæ, *Mouchette.* K projectura coronæ. L echini *les oves.* N torus *le tore.* C ſcotia *cavet.* Stylobatæ habent & ſuam coronidem, ſicut & baſim. Epyſtilium ornatur faſciis, Gallicè *faſcies ou bandelettes*; quæ inſtar tæniarum gradatim exponuntur, ut ſupra dictum eſt. *Tab. III.* 19. 20. 21. In epyſtilio Dorico, ſub triglyphis zophori ſunt guttæ.

SECTIO III.

Origo, claritas, poteſtas horum populorum Græciæ, quorum nominibus appellantur diverſi architecturæ ordines. Fuit & vetuſtis Italis proprius ordo, qui Tuſcus, ſive Tuſcanicus dicitur.

Quiſquis ſe ſe componit ad exemplar eorum quos ſuſpicit & credit beatiores. Quondam fuit tempus, quo Dorii, Iones, & Corinthii antecellerent cæteris Græcis. His igitur ſtudia & mores ſuos communicaverunt; & quam ipſi rationem ædificandi probavêre, cæteri omnes ſecuti ſunt. Qui indagamus originem harum rationum, debemus horum populorum originem inveſtigare, & ſignare tempora, quibus ingenio, & imperio claruêre. Poſtea ex propriis moribus eorum eruemus cauſam diverſarum rationum, quas inierunt ædificando. Facem nobis præferet Strabo in his quæ dixit de dialectorum variarum linguæ Græcæ origine. Multæ autem, inquit Strabo lib. 8. cùm ſint gen- «
tes Græciæ, præcipuæ tot ſunt, quot & ſermo- «
nis Græci varietates, ſeu dialecti: nimirum qua- «
tuor de his Ionicam cum antiquâ Atticâ eamdem «
eſſe dicimus. Nam & Ionum nomen geſſerunt «
priſci Attici, & inde ſunt orti, qui colonias in «
Aſiam deduxerunt Iones ac eâ uſi linguâ, quam «
Ionicam nunc appellamus. Dorica etiam eadem «
eſt, quæ Æolica. Omnes enim Græci qui extra «
iſthmum degunt, Athenienſibus, Megarenſibus, «
& Dorienſibus, qui circa Parnaſſum ſunt, ex- «
ceptis, hodie Æolenſes dicuntur; ac probabile «
eſt Dorienſes, cùm pauci eſſent, ac ſolum aſper- «
rimum colerent, eò quòd aliis non permiſceren- «
tur, linguam ſuam retinuiſſe, ad ejus ſocietatem «
alios quoque cognatos ſuos populos pertraxiſſe. «
Quod idem quoque Athenienſibus uſu venit, qui «
cùm agrum tenerent tenuem atque aſperum, à «
nemine ſunt oppugnati, ſed pro indigenis habiti. «
Cùm, ut ait Thucidides, nemo eos pelleret, ne- «
que eorum quiſquam agrum affectaret. Hæc igi- «
tur, ut apparet, cauſa fuit, cur quanquam exi- «
gua, gens tamen eſſet peculiaris, & ſuo ſermone «
uteretur. Cùm autem Æolica gens extra Iſth- «
mum invaluiſſet, etiam qui intra Iſthmum e- «
rant, olim Æoles fuerunt, deinde mixti ſunt, «
cùm Iones ex Atticâ profecti litus obtinerent, & «
ab Heraclidis Dorienſes reducerentur, qui & «
Megaram & multas in Peloponneſo urbes condi- «
derunt. Iones quidem mox ab Achæis expulſi «
ſunt Æolicâ gente: & reliquæ fuêre in Pelopon- «
neſo nationes duæ, Æolica atque Dorica. Qui- «
bus itaque fuit minùs commercii cum Dorienſi- «
bus, ut & Arcadibus, & Eleis, quorum illi pror- «
ſus montani fuerunt, neque ſub ſortem vene- «
runt. Hi ſacri Jovi Olympio crediti, ſeorſim in «
pace diu vixerunt, maximè quia & genere Æ- «
olici eſſent & exercitum recepiſſent, qui ſub re- «
ditum Heraclidarum cum Oxylo venerant: hi «
Æolico ſermone utebantur: reliqui mixtum ex «
utrâque dialecto ſermonem uſurpabant, alii ma- «
gis, alii minùs ad Æolicam accedentes. Ac ferè «
etiamnum urbium aliæ aliter loquuntur: viden- «
tur autem Doricè loqui omnes, ob Dorienſium «
eminentiam. Tot igitur ſunt Græcorum gentes, «
hocque modo eorum à nobis adumbrata diſtinc- «
tio. «

E re erat locum hunc proferre integrum; ex quo liquet Græcæ linguæ dialectos, invectas à diverſis nationibus, quæ diſtinctas Græciæ regiones primùm obtinuerant. Inde, inquam, contigit to-

tius Græciæ non eadem fuisse studia, non eosdem mores; & propriam quasque gentes rationem iniisse, dimetiendo partes ædificiorum; ita ut sicut cujuspiam dialecti, ita & rationis, quam fabri postea secuti sunt, Dorienses auctores fuerint. Certum est Doriensium & Ionum fuisse gentem antiquissimam & potentissimam. Antiquitate & potestate primùm præstitêre Dorienses; unde Strabo in fine loci allegati de illis dicit: *videntur autem Doricè loqui omnes, ob Doriensium eminentiam.* Δοκοῦσι δὲ δωρίζειν ἅπαντες διὰ τὴν συμβᾶσαν ἐπικράτειαν. Pariter & Iones inter Græciæ populos necesse est multùm inclaruisse; siquidem Hebræi Ionum nomine olim Græcos omnes appellavêre. Josephus à Javane filio Japheti Jonas, & cæteros Græcos omnes putat genus suum duxisse. Fatendum est primam populorum originem, si excipiantur quæ sacra historia enarrat, multùm obscuram & incertam esse; sive quia literis non est statim mandata, aut postea fabulis involuta. Attamen verisimile est quod viri docti conjectant, nec temerè, non multò post disjectum opus turris Babylonicæ, quosdam ex his qui illud susceperant, ubi dispersi sunt, in eam partem orbis, quæ postea Græcia nominata est, venisse. Incolas hujus regionis antiquitùs dictos *pelasgos* declarat Thucidides (lib. 1.) quod nomen deduci potest à voce Hebræâ, quæ significat divisionem & dispersionem. Diversæ autem plagæ nomen acceperant ab his, à quibus fuêre occupatæ. Primam autem accolarum Græciæ genealogiam Appollodorus texit Græcis verbis, quæ Latinus interpres sic Latinè expressit. (lib. 1.) *Ex Hellene verò & Orseide Nymphâ, Dorus, Xuthus, & Æolus. Is quidem de se Hellenas, qui postea Græci vocati sunt, nominavit: filiis & hic loca partitus est. Xuthus adeptus Peloponnesum, ex Creusâ Erechtei filiâ Achæum genuit, Ionem, à quibus Achivi & Iones nuncupantur. Dorus autem quæ trans Peloponnesum est, terram nactus, incolas suo de nomine Dorienses appellavit.* Animadvertendum autem, quod in loco citato ex Strabone dicitur, olim Atticos dictos Ionas; & à priscis Ionibus ortos Ionas, qui in Asiam deduxêre colonias. Idem Strabo, & in eodem libro octavo scribit Atticam regionem dictam Ioniam ab Ione Xuthi filio, & Ionas pulsos ab Achæis rediisse Athenas, atque indè cum Codridis Ionicam coloniam in Asiam deduxisse, ubi condiderunt duodecim urbes.

Sequentibus annis cùm Corinthus evasisset dives & potens; opifices ejus ordinem ditissimum invenêre qui duobus primis adnumeratus est. Totum Græcorum genus ad tria capita revocat Cicero in Oratione pro L. Flacco. *Quanquam*, inquit, *quis ignorat, qui modo unquam mediocriter rès istas scire curavit, quin tria Græcorum genera sint verè? Quorum uni sunt Athenienses, quæ gens Ionum habebatur: Æoles alteri: Dorienses tertii nominabantur. Atque hæc cuncta Græcia, quæ famâ, quæ gloriâ, quæ doctrinâ, quæ plurimis artibus, quæ etiam imperio, & bellicâ laude floruit, parvum quendam locum, ut scitis, Europæ tenet, semperque tenuit.* Etenim omnes illi populi, quos ordinum architecturæ auctores esse constat, non extra Peloponnesum primitùs habitaverunt, ut docet nos Pausanias in priori libro Eliacorum. *Græcorum*, inquit, *quicumque Peleponnesum in quinque duntaxat partes dividunt, ii fateantur necesse est, in eâ parte, quæ est Arcadum, Eleos & Arcadas ipsos habitare: secundam verò Achæorum, tres deinde reliquas Doriensium esse. Nationes autem, quæ Peloponnesum tenent, indigenæ Arcades & Achæi sunt. Quorum Achæi à Doriensibus patriâ pulsi, non tamen extra Peloponnesum abiêre; sed Ionibus ejectis; eam partem, quæ Ægialus veteri nomine dicebatur, nunc ab ipsis Achæis denominata est, colunt.*

Ut adhuc magis constet duos antiquissimos nec plures ordines architecturæ in Græciâ fuisse, afferam observationem Julii Scaligeri in Poëticâ (lib. 1. cap. 19.) « ubi quærit quare per initia tibiarum « ac modorum duplex ratio, Dorica & Ionica, nec « altera admissa sit. Hellenis, à quo Græci dicti sunt « Hellenes, fuêre liberi duo, inquit Scaliger, Ἴων & « Δῶρος. Accepto hi à patre imperio, suam uterque « partem ac nationem ab sese denominaverunt. Æo- « lenses indè Doriensium coloni; Ionum autem At- « tici. Cæterum Athenienses Ionum appellationem « abjecêre, sive ob rerum gestarum gloriam, sive « quod Iones, qui in Asiam migraverant, atque ibi « Panionium instituerant, in barbaros mores abiis- « sent. At Æolenses in Siciliam atque in Italiam de- « lati, ita sunt à Doriensibus segregati. » Hæc Scaliger, cujus verba declarant, quod adstruendum susceperamus, cur primùm constituti Græcanici in architecturâ duo ordines: recentior enim Corinthiacus, ut diximus.

Italia habuit & propriam rationem ædificandi; quæ ut forsan antiquior, ita & simplicior fuit. Thuscanici moris non semel meminit Vitruvius, ut libro tertio capite secundo. Ea gens cœpit in Italiâ artes excolere. *Statuas*, inquit Cassiodorus (lib. 1. Variarum.) *primùm Thusci in Italiâ invenisse referuntur; quas amplexa posteritas penè parem populum urbi dedit, quam natura procreavit.* Idem eodem in libro 1. in formulâ ad Præfectum urbis de Architecto publicorum ubi laudat Romam ob egregias statuas quibus exornata est. Hanc urbem qui viderit, *Videbit profectò*, inquit, *meliora quàm legit: pulchriora quàm cogitare potuit, statuas illas auctorum suorum, scilicet adhuc signa retinentes, ut quandiu laudabilium personarum opinio superesset, tandiu & similitudinem vivæ substantiæ imago corporis custodiret: conspiciet expressas in ære venas: nisu quosdam musculos tumentes: nervos quasi gradu tensos; & sic hominem factum in diversas similitudines, ut credas potiùs esse generatum. Has primùm Thusci in Italiâ invenisse referuntur, quas amplexa posteritas, penè parem populum urbi dedit, quàm natura procreavit.* Signorum Thuscanicorum mentionem facit Plinius (lib. 34. cap. 7.) *Signa quoque Thuscanica per terras dispersa, quæ in Hetruriâ factitata non est dubium.* Pariter Tertullianus in Apologiâ. *Nondum enim tunc ingenia Græcorum, atque Thuscorum fingendis simulacris orbem inundaverant.* Thuscos gentem fuisse antiquissimam perhibet id quod de illis dicit Dionysius lib. 1. Antiq. Rom. Ἐπειδὴ ἀρχαῖόν τι πάνυ, καὶ οὐδενὶ ἄλλῳ γένει, οὔτε ὁμόγλωσσον, οὔτε ὁμοδίαιτον εὑρίσκεται *Quandoquidem & pervetusta est, nec cum ullâ aliâ gente eam linguâ aut moribus convenire compertum est.* His idem scriptor excellentem sacrorum ac divini cultûs peritiam tribuit. Alibi (lib. 3.) agens de patriâ Tarquinii Prisci, dicit Etruscas urbes totius Italiæ florentissimas fuisse.

Quæ cùm ita sint non mirum propriam rationem in struendis ædificiis quam sectati fuerant Thusci pluribus fuisse probatam. Nova decora addita tribus dictis ordinibus; cùm Græci cœperunt luxuriare; idcirco antiquus mos Thuscanicus simplicior remansit. Quintus adnumeratur, nimirum compositus, qui ut nomen indicat, quasi natus est ex mixturâ aliorum. Scilicet cùm multa tabulata erigere cœperunt Architecti, simul & omnes conjunxêre ordines, alterum alteri imponendo; eò evasit audacia, ut omnes commiscerent, & novum consti-

tuerent ordinem qui compoſitus dicitur.

SECTIO IV.

Quiſque ordo mores exprimit populorum, à quibus videtur conſtitutus. Primus videlicet mores Dorienſium auſteros & fortes.

Singulis ordinibus propria quædam ſunt ornamenta, quibus vulgi judicio diſtinguntur; inter autem peritos artis convenit id quo conſtituuntur, ipſam eſſe eorum ſymmetriam, ſive rationem, quâ partes cujuſque commenſurantur. Sed nec certis & præciſis numeris quæque ratio ſic aſtricta eſt, ut ſemper obſervetur, quod advertere eſt in vetuſtis ædificiis. Inde præcipui auctores, qui exponunt cujuſque ordinis menſuras, Andreas Palladio, Vicentius Scamozzi, Sebaſtianus Serlio, Jacobus Barozzio cognomento Vignole, Daniel Barbaro, Petrus Cataneo, Leo Baptiſta Alberti, Philibertus de l'Orme, & Joannes Bullant, illi, inquam, diverſas proponunt rationes; quas omnes componit & comparat inter ſe vir doctiſſimus Rolandus Fereard Cenomanus, quem cùm admodum juvenis ſæpiùs audirem diſſerentem de utilitate Matheſeos, miro iſtius ſcientiæ amore incenſus ſum. Iſta autem diverſitas oriri potuit ex diverſitate locorum ubi erectæ fuerant columnæ; quæ enim aëre libero ambiuntur, ſeparatæ à vicinis parietibus, ut vernaculè loquimur, *quand les colonnes ſont iſolées*, graciliores videntur cæteris, quæ quod ſibi conjunctum eſt, quaſi vindicant proprium, & ideò craſſiores apparent oculis. Id obſervatum eſt à Plinio lib. 36. cap. 23. *Columnæ in æde denſiùs poſitæ, craſſiores videntur.* Illa quæ ab oculis multùm removentur, quaſi evaneſcunt; & certè minora apparent. Ideò quoties altiùs eſt erigenda columna, ſummo ejus ſcapo adjectiones fieri debent. Altitudo capituli ejus augenda, cùm procerior eſt. Rationes columnarum in genere ſic explicat Plinius in loco, quem modò allegavi. *Genera earum* columnarum *quatuor. Quæ ſextam partem altitudinis in craſſitudine imâ habent, Doricæ vocantur; quæ nonam, Ionicæ: quæ ſeptimam, Tuſcanicæ. Corinthiis eadem ratio, quæ Ionicis. Et differentia, quoniam capitulis Corinthiarum eadem eſt altitudo, quæ colligitur craſſitudine imâ; ideòque graciliores videntur: Ionici enim capituli altitudo tertia pars eſt craſſitudinis. Antiqua ratio erat columnarum altitudinis, tertia pars latitudinum delubri.* Studia cujuſque gentis pro naturâ ſoli, quod incolit, diverſa ſunt. Dorienſes habitabant regionem aſperrimam τραχυπέτρην χώραν, ut notat Strabo libro 8. & bello erant deditì; bellici ergo eorum mores: aſper & minax eorum ſermo videlicet Dorica dialectus, tum & cantica eorum gravia, ſive modus muſicæ eorum aſper. Vidimus per initia tibiarum ac modorum duplicem fuiſſe rationem nempe Doricam & Ionicam. » Dorica vetus magnifica, ſublimis, gravis, » contenta, nihil habuit fuſum, inquit Julius Scali» ger in loco ſupra citato, nihil ſolutum, nihil hi» lare, nihil molle: ſed plenum, vehemens, paucis, » modiciſque flexibus, bellicis conveniens numeris & » motibus. Idem ſentiendum & dicendum de ratione ſtructuræ Doricæ. Dores videntur primi inter Græcos animum adjunxiſſe architecturæ; unde ratio, quam ſecuti ſunt, magis refert prima artis rudimenta. Erant fortes animo; ergo præterquam quòd cœperunt artes excolere, cùm hominesn ondum voluptatibus tam effuſè, ut poſtea, obſequerentur, tales ex genio ſuo definierunt menſuras, quibus firmiſſima eſſent ædificia; quod fit cùm minor eſt altitudinis & craſſitudinis ratio. Statuerunt, inquam, eam rationem, ut columna non haberet ultra ſex modulos, hoc eſt, ut diximus, diametros; ut ſi diameter eſſet trium pedum, altitudo non excederet decem & octo pedes. Omnia reciderunt inutilia ornamenta, ſive non exquiſierunt.

Juvat ipſum Architectorum principem audire de Dorico ordine, & cæteris diſſerentem (lib. 4. cap. 1.) Declarat Doricum eſſe antiquiorem; & à Dorienſibus primùm cum aliquâ arte conſtructas ſacras ædes. *E columnarum enim*, inquit, *formationibus trium generum factæ ſunt nominationes, Dorica, Ionica, Corinthia, è quibus prima & antiquitùs Dorica eſt nata. Namque Achaiâ Peloponneſoque totâ, Dorus Hellenis & Optices Nymphæ filius regnavit, iſque Argis vetuſtâ civitate Junonis templum ædificavit, ejus generis fortuitò formæ fanum; deinde iiſdem generibus in cæteris Achaiæ civitatibus, cùm etiamnum non eſſet ſymmetriarum ratio nata.* Poſtea quæ fuerit Dorica ratio, exponit. Narrat Athenienſes in Aſiam cùm colonias deduxiſſent, ibi templa Deorum immortalium conſtituiſſe. *Cœperunt*, pergit loqui Vitruvius, *fana ædificare: & primùm Apollini Panionio ædem, uti viderant in Achaiâ, conſtituerunt, & eam Doricam appellaverunt, quod in Dorieon civitatibus primùm factam eo genere viderunt. In eâdem æde cùm voluiſſent columnas collocare, non habentes ſymmetrias earum, & quærentes quibus rationibus efficere poſſent, uti & ad onus ferendum eſſent idoneæ, & in aſpectu probatam haberent venuſtatem: dimenſi ſunt virilis pedis veſtigium, & cùm inveniſſent pedem ſextam partem eſſe altitudinis in homine, ita in columnam tranſtulerunt: & quâ craſſitudine fecerunt baſim ſcapi, tantùm eam ſexies cum capitulo in altitudinem extulerunt. Ita Dorica columna virilis corporis proportionem & firmitatem & venuſtatem in ædificiis præſtare* cœpit.

Diximus ſermonem Dorienſium aſperum fuiſſe & minacem. Talis eſt ratio Dorica; quod maximè cernitur tum in columnarum robore, tum in coronamento, quod multùm & cum audaciâ prominet, ſive projicitur, & quaſi pendulum excurrit extra murum. Artem adhibuerunt Dorii primùm in ſtruendis ſacris ædibus, in quibus cùm plurimos in ſacrificium mactaſſent boves horum appenderunt crania; quæ poſtea ligno aut ſaxo expreſſerunt. Solebant olim veteres & appendere arma, tum eorum quos vicerant, tum & ea, quibus ipſi vicerant. Inde cùm illi fortes eſſent in bello, non mirum, ſi in zonâ præter crania & vaſa, quorum uſus erat in ſacrificiis, videantur clipei & arma. In priori libro Eliacorum, ubi Pauſanias loquitur de templo Jovis Olympii, cujus templi ſtructura eſſet Dorica, memorat clipeos aureos affixos in zonâ τῆς ὑπὲρ τῶν κιόνων περιθεούσης ζώνης.

SECTIO V.

Ionica ſymmetria mollior & magis delicata; Corinthia ditior & omni ornamentorum genere ſuperba; juxta mores populorum, à quibus adhibebatur.

Ionum mollities in proverbium abierat. Erat ſaltationis genus laſcivum ac petulans, quod Ionicum dicebatur, de quo Horatius in Odis.

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura Virgo.

Laſcivas ſaltationes & parùm decoras geſticula-

tiones significans. Apud Aristophanem Ἰωνικῶς usur- A
patur pro eo quod est, ἁβρῶς, id est molliter & delicatè. Hos Ionum mores graphicè depingit Tanaquillus Faber versibus, quos præfixit suis in Anacreontem notulis, perinde ac Poëta, quem vult illustrare, lascivioribus.

Quidquid per urbes Graias elegans fuit,
Quidquid venustis temperatur iocis,
Vulgò ferebant illud esse Ionicum.
Signa & tabellæ, & mollicella cantica,
Et delicatus garrulus strepitus Lyræ,
Illic vigebant, totusque artium chorus;
Queis culta lætos vita mores induit;
Tantùm illa ingenii fertilis regio fuit.

Ionum mollitiem demonstrat mos eorum ædificandi. Firmitas quia agrestior videbatur, columnas fecêre graciliores; pedem & verticem earum potiori curâ elaborarunt. Videlicet exuentes primum vitæ austeræ & rusticæ morem Doriensium studuerunt elegantiæ. Cùm paxillorum caput malleo percutitur, dissilit in partes quæ quasi convolvuntur. Hoc & pondus efficit, quo columnæ ligneæ onerantur; quæ forsan primitùs terræ infigebantur, & vi adigebantur, ut firmiores consisterent. Casus ille, vel convoluta & contorta virginum capillitics indiderunt Ionibus imaginem volutæ, quæ aliquomodo refert speciem capillamenti & cincinnorum crispatorum, ut dicit Vitruvius, lib 4. cap. 1. agens de templo Dianæ, quod Græci statuere voluerunt. C *Dianæ constituere ædem quærentes, novi generis speciem, iisdem vestigiis, ad muliebrem transtulerunt gracilitatem: & fecerunt primùm columnæ crassitudinem altitudinis octavâ parte: ut haberent speciem excelsiorem, basi spiram supposuerunt pro calceo, capitulo volutas, uti capillamento concrispatos cincinnos præpendentes dexterâ ac sinistrâ, collocaverunt, & cymatiis & encarpis pro crinibus dispositis, & dispositis, frontes ornaverunt: truncoque toto strias, uti stolarum rugas, matronali more dimiserunt. Ita duobus discriminibus columnarum inventionem, unam virili sine ornatu nudam specie, alteram muliebri subtilitate, & ornatu, symmetriâque, sunt imitati. Posteri vero elegantiâ, subtilitateque judiciorum progressi, & gracilioribus modulis delectati, septem crassitudinis diametros in altitudinem columnæ Doricæ, Ionicæ octo semis constituerunt. Id autem genus, quod Iones fecerunt, primò Ionicum est nominatum.* Zophorus Ionicus aliquando prominet & convexus est. Habet ille ordo sicut & Corinthius supra zophoro denticulos, nempe membrum quadratum & scissum, repræsentans dentes.

De Corinthio dicturus, statim proferam quæ subnectit Vitruvius dictis duobus primis ordinibus, *Tertium verò* genus, *quod Corinthium dicitur, virginalis habet gracilitatis imitationem; quòd virgines propter ætatis teneritatem gracilioribus membris figuratæ, effectus recipiunt in ornatu venustiores. Ejus autem capituli prima inventio sic memoratur esse facta. Virgo civis Corinthia, jam matura nuptiis, implicita morbo decessit. Post sepulturam ejus, quibus ea viva poculis delectabatur, nutrix collecta & composita in calatho pertulit ad monumentum, & in summo collocavit: & uti ea permanerent diutiùs sub dio tegulâ texit. Is calathus fortuitò supra Achanti radicem fuerat collocatus. Interim pondere pressa radix Achanti media, folia & cauliculos circa vernum tempus profudit, cujus cauliculi secundum calathi latera crescentes, & ab angulis tegulæ ponderis necessitate expressi, flexuras in extremas partes volutarum facere sunt coacti. Tum Callimachus, qui propter elegantiam & subtilitatem artis marmoreæ ab Atheniensibus catatechnos fuerat nominatus, præteriens hoc monumentum, animadvertit eum calathum, & circa foliorum nascentem teneritatem, delectatusque genere, & formæ novitate, ad id exemplar columnas apud Corinthios fecit, symmetriasque constituit, ex eoque in operum perfectionibus Corinthii generis distribuit rationes.*

Non differt ordo Corinthius ab Ionico, nisi formâ capituli; & ornamentorum magnificentiâ. Quippe sumptui Corinthii non parcebant. Parcimoniam ostendit Doricus ordo, Ionicus elegantiam; Corinthius magnificentiam. Nisi magnis impensis poterant exsculpi omnia illa ornamenta, ab ar-
B tificibus peritis; quorum erat magnus numerus Corinthi. Erat illa urbs dives; propter situm in Isthmo, in quo duo portus, unus Italiæ, alter Asiæ obversus. Sic de illâ loquitur Strabo. *Fuit Corinthus urbs magna, semperque dives, copiamque tulit virorum & ad res civiles tractandas idoneorum, & ad artificia exercenda. Maximè enim Corinthi ac Sicyone pingendi ac fingendi, aliæque id genus artes auctæ sunt.* Orosius addit de Corintho (lib. 5. cap. 3.) *per multa retrò sæcula, velut officina omnium artificum, atque artificiorum fuit, & emporium commune Asiæ & Europæ.* Videre est quæ Erasmus de divitiis & luxu Corinthiorum congerit, exponens proverbium: *non est cujuslibet Corinthum appellere.* In eâ urbe erat templum Veneri sacrum, in quo plus mille puellæ in honorem impuri numinis prostabant. Ita libido, mercatura, artes efficiebant ut in hanc urbem undique conflueret multitudo frequens; non mirum ergo est Corinthios sicut in cæteris, ita & in ædificiis luxuriasse. Observat Herodotus non mediocri in pretio artifices à Corinthiis habitos. (lib. 2.) Ubi ordo alter alteri impositus est, subjecerunt Architecti Doricum quippe fortiorem duobus aliis ordinibus; & Ionicum, eâdem de causâ, Corinthio. Pausanias in Arcadicis loquitur de templo, intra quod duplex columnarum ordo se attolleret. Primus erat Dorici operis, alter Corinthiaci; sed extra templum erant Ionicæ columnæ ὁ μὲν δὴ πρῶτός ἐστιν αὐτῷ κόσμος τῶν κιόνων Δώριος,
D ὁ δὲ ἐπὶ τούτῳ Κορίνθιος· ἑστήκασι δὲ καὶ ἐκτὸς τοῦ ναοῦ κίονες ἐργασίας τῆς Ἰώνων. Sic ad verbum reddiderem. *Templum exornatur primò columnis Dorici operis, supra quas Corinthium est ornamentum. Extra verò templum sunt columnæ Ionici operis.*

SECTIO VI.

Omnes architecturæ ordines post ædificatum à Salomone Templum fuère constituti.

Dum sic excurro per architectonicas artes, non aberro à scopo, ad quem semper debeo oculos manusque collimare. Præterquam enim, ut sæ-
E pè sæpiùs admonui, hæc quæ de arte & operibus dico, lucem magnam afferent his quæ de templo Hierosolymitano dicentur, ex hac Græcorum ordinum origine liquet opus, quod Deo præmonstrante ejus exemplar, fuerat inchoatum & perfectum, carere potuisse hisce ornamentis, quæ dictis ordinibus propria sunt. Quid enim necesse erat, ut in domo suâ præciperet Deus ob oculos ponere imitamenta ligneorum ædificiorum; in quibus omnis architectura Græcorum versatur? Ubi artifices Græci cœperunt solertiam artis ostentare, in id unum incubuerunt, ut effingerent saxo quæ priùs è ligno erant; &, ut vidimus, nullum est in eorum ædificiis ornamenti genus, quod non sit natum ex his quæ in antiquis ligneis ædificiis ob-

servata fuerant. Quod cùm ita sit an ideo parvi fa- A ciendum ædificium, cum ab eo absint similia ornamenta; nec antiquæ ligneæ trabeationis apparet similitudo? Fateor delectari oculos prospectu ordinum architecturæ; sed si nulla accersitur operi utilitas, hoc omne delectamentum inane est. Veritas ipsa debet placere; structura autem Græcanica tantùm est imitatio.

Paucis verbis solvi potest, quod de templo Salomonis quæri solet quem ex ordinibus Græcanicis ille secutus sit. De proprio ejus opere loquor; nam in templo Herodiano, saltem in porticibus quibusdam constat Josephi testimonio, fuisse columnas more Corinthio exornatas. In perystiliis erant complures columnæ; nam conclavium, & cenacu- B lorum, & Gazophylaciorum quæ lata erant, columnis tabulata fulciebantur; quas aliis ornamentis, quam Græcanicis licet excogitare exornatas. Athæneus libro quinto enarrans pompam Ptolomæi Philadelphi, memorat columnas elegantissimas Græcis dissimiles. Quatuor ex illis repræsentabant palmas; intermediæ verò formam thyrsorum habebant Τῶν δὲ κιόνων οἱ μὲν τέσσαρες ἀμφίεντο φοίνιξιν, οἱ δ' ἀναμέσον θύρσων εἶχον φαντασίαν. Agens de loco cænationis, qui habebat dispositionem Ægyptiam, sic describit columnas, quæ ibi erant. *Teretes quæ illic columnæ fuêre, vertebratis scalpturis differebant, candidæ vicissim ac nigræ. Rotunda in illis forma capitulorum fuit, totaque circumscriptio rosis dehiscentibus similis.* C *Circa partem quam calathum vocant, nullæ volutæ fuerunt, quemadmodum in Græcis, crassa nulla folia; sed loti fluviatilis calyces, & palmæ nuper germinantis fructus; in quibusdam aliorum florum multa genera exculpta. Quod autem radici capituli suberat, nempe quod vertebræ capitulum jungenti cum scapo insidet, ciboriorum floribus, & veluti complicatis foliis calatum erat. Sic enim columnas Ægyptii construunt & ornant*, &c. Huncce locum exscripsi, ut appareat non omnia architecturæ decora Græcos sibi vindicare posse.

Cùm Salomon construxit templum nondum in Græciâ constituti fuerant ordines architecturæ. Omnes nisi diu post jacta templi fundamenta, non adinventi fuerant, saltem perfectionem non erant D assecuti. Constat apud Græcos quasi in cunabulis fuisse architecturam tempore Periclis, circa annum ante Christum 430. Sub illo enim Principe, qui operum omnium Phidiâ dispensatore & arbitro utebatur, artes cœperunt florere, & egregia architecturæ opera tunc conflata sunt, ut astruit Plutarchus in ejus vitâ. *Hecaton-pedon Parthenona excitavit cum Ictino Callicrates: Telesterion Eleusine cœpit Chorabus ædificare. Hic columnas in pavimento posuit, & epystiliis junxit. Quo defuncto, Xypetius Metagenes septum & superiores columnas adjecit. Fastigio adyti fenestram addidit Cholargensis Xenocles.* Parthenon παρθενών conclave erat, sive locus in quo asservabantur virgines. Telesterion τελεστήριον locus in E quo fiebat initiatio. Chorabus erexit columnas, non adhærentes parieti; & illas epystiliis junxit, nempe architravio. Διάζωμα ibi ab Interprete Latino non benè redditur *septum*. Intelligendæ sunt coronides, quæ imponuntur epistyliis. Idem Metagenes superimposuit secundum ordinem. Ita sub Pericle adolevit architectura, quæ jam ante quingentos annos exculta fuerat à Judæis, regnante Salomone qui templum ædificavit.

Antiquissimum ædificium saxeum habetur à Græcis templum Ephesinum, quod ducentis viginti annis factum à totâ Asiâ, dicit Plinius (lib. 36. cap. 14) Universo templo longitudo erat pedum 425. latitudo 220. Columnæ centum viginti septem, à singulis Regibus factæ, sexaginta pedum altitudine. Huic operi præfuerat Chersiphron Architectus. *Summa miracula epistylia tantæ molis attolli potuisse.* Etenim sive essent saxea sive ænea, pondus horum immensum erat. Addit Plinius. *Difficillimè hoc contigit in limine ipso, quod foribus imponebat.* Scilicet superliminare, quod olim fiebat ex trabibus conjunctis; ubi fuit ex solido saxo, non potuit in altum tolli nisi labore multo. Plinius non præcisè definit tempus quo illud templum inchoatum & perfectum est; nec etiam distinguit de quo Ephesino templo loqueretur; an de primo quod ætate Alexandri Magni conflagravit, eo ipso die, quo ille natus, ut dicit Plutarchus in vitâ ejus; an de postero, quod reparatum est ab alio artifice, ut refert Strabo (lib. 14.) *Templum Dianæ*, inquit, *primus Architectatus est Chersiphron: alius deinde majus fecit. Quod cùm Herostratus quidam combussisset, aliud præstantius extruxerunt, collato ad hoc mundo muliebri & suis facultatibus, prioribus etiam columnis venditis.* Paucis interjectis, subjicit Strabo templum illud Ephesinum fuisse opus Cheiromocratis, qui Alexandriam condiderit, & promiserit Alexandro se Atho montem ita ad ipsius similitudinem effingere, ut tanquam libans è gutto quodam effunderet in pateram fluvium, qui ex unâ urbium (duas enim se facturum unam ad dexteram, alteram ad sinistram montis) in alteram laberetur. Hæc dico ut constet tempore Alexandri templum Ephesinum reparatum. Dum scriberet Herodotus, celebre erat templum Ephesinum; ubi enim agit de Labyrintho Ægyptio, cujus opus antecelleret cæteris Græciæ ædificiis, subdit καί τι ἀξιόλογός γε καὶ ὁ ἐν Ἐφέσῳ ἐστὶ νηός. *Tametsi enim Ephesi templum est memoratu dignum.* Scribebat Herodotus 445 annis ante æram Christianam.

Vitruvius dicit ædem Dianæ Ephesinæ constructam ab Ionibus, postquam colonias in Asiam deduxêre. Attamen Pausanias in primo Achaicorum dicit templum Ephesinæ Dianæ jam celebre fuisse, antequam venirent in ea loca Iones; quin & ipsa Ephesus ab his condita est. Ab Achæis pulsi, ut jam diximus, in Atticam fugerant; ubi usque ad Codri obitum permanserunt. Hoc Rege mortuo, ducibus ejus filiis Neleo & Androclo, transmearunt in Asiam, & oram ejus, quæ ab illis vocata est Ionia, oppidis frequentarunt. Hanc Ionum migrationem assignat Marshamus anno ab Ægypti exitu 443. hoc est, triginta & septem annos, antequam à Salomone jacta sunt templi fundamenta. In marmoribus Arundellianis, Epochâ XXVIII. hæc leguntur. *A quo Neleus Miletum incoluit in Cariâ Gentem congregans Ionum, qui condiderunt Ephesum.* Hæc epocha incidit in annum Periodi Julianæ 3637. ante Christum 1077. sed non ita antiquum esse potuit etiam primum templum Ephesinum. Etenim non statim emersit in Asiâ Ephesus cum suis ædificiis quibus decorata est ope Ionum. A novis, inquam, colonis non potuêre ædificia construi tantæ magnificentiæ. Ergo jam perfectum erat templum Hierosolymitanum, antequam de condendâ Epheso cogitaretur; & exstrueretur templum Dianæ circa cujus tempus videntur constituti architecturæ ordines. Iones quidem viderant à Doriensibus, & Ionibus olim ædificatas sacras ædes; sed ut, inquit Vitruvius [lib. 4. cap. 1.] non habebant symmetrias earum; quas tunc constituerunt.


Priusquàm strueretur templum Ephesinum rudis erat in Græciâ architectura. *In Ephesiæ Dianæ æde, de quâ priùs fuit sermo, primùm columnis spi-*

ra subjecta, & capitella addita, ait Plinius lib. 36. cap. 23. Græcia sero habuit saxea ædificia, alicujus elegantiæ. Callimachus, qui à Vitruvio dicitur *catatechnos*, à Plinio, libro 34. capite 8. *cacizotechnos*, quod esset *scriptor calumniator sui; nec finem haberet diligentiæ*. Callimachus, inquam, primus lapides perforavit. Scilicet, ut conjicio, primus in arte marmoreâ excelluit; ut serò ars illa inventa sit. Animadvertimus olim totam artem occupatam in quadrandis saxis. Postea & cælata sunt; sed seriùs ætatem notat Plinius. (libro 36. capite 4.) *Marmore scalpendo primi omnium inclaruerunt Dipœnus & Scyllis, geniti in Cretâ insulâ, etiamnum Medis imperantibus, priusquàm Cyrus in Persis regnare inciperet, hoc est Olympiade circiter L.* Ideò circa annum Periodi Julianæ 4138. post jacta Templi fundamenta 436. ante æram Christianam 576.

Finis Libri secundi.



DE TABERNACULO FŒDERIS, DE CIVITATE SANCTA JERUSALEM, ET EJUS TEMPLO.



LIBER TERTIUS.

Qui eſt de Tabernaculo fœderis, quod exemplar fuit templi Salomonici. De formâ & ſuppellectili, Miniſtris & miniſterio hujus Tabernaculi.

CAPUT I.

Deus mandat Moyſi, ut ſibi erigat Tabernaculum, in quo ea fierent quibus tunc coli volebat, & quæ præcedere debebant in typum Chriſtianæ Eccleſiæ.

SECTIO I.

Tabernaculum conſlavit Moyſes juxta exemplar ſibi præmonſtratum à Deo. Operæ pretium eſt de Tabernaculo, quod exemplar fuit templi Salomonici diligenter diſſerere.



TE, ô Lector, nec tum inducimus in templum Hieroſolymitanum, quod polliciti ſumus nos reſeraturos. Dilationis cauſa aperta eſt. Via ad templum ſternenda per Tabernaculum Moſaïcum. Scilicet hujus prævia cognitio neceſſaria eſt: Operam non luſit qui rem quampiam expoſiturus, priùs patefacit ad quod exemplar compoſita ſit. Ex juſſu Dei Moyſes erexit Tabernaculum, cujus ei formam in monte Sinaï præmonſtraverat. Quod autem ex pellibus conſuerat Moyſes, & compegerat aſſeribus, poſtea Salomon ex quadrato ſaxo fecit. Non aliud quidpiam fuit Tabernaculum, quàm portatile templum duraturum eo ſolo tempore, quo Iſraëlitæ peregrinarentur. Ubi fixas & quietas ſedes habuêre, tunc ſtabile Templum ſtatuendum fuit. Id jam animadverti cùm primas operis lineas cœpi ducere; nempe è re eſſe, ubi ſuſcipitur ſermo de templo Hieroſolymitano, mentem advertere A ad Tabernaculum, quod fuerit ejus exemplar, ut adſtruitur in Sapientiâ Salomonis (cap. 9. v. 8.) μίμημα σκηνῆς ἁγίας. Alloquitur Deum Sapiens. *Dixiſti me ædificare templum in monte ſancto tuo, & in civitate habitationis tuæ altare, ſimilitudinem tabernaculi ſancti tui quod præparaſti ab initio.* Non potuit Salomon pius & ſapiens deſpicere formam, quam Deus Moyſi monſtraverat ſequendam. Ita templo cognoſcendo Tabernaculum ex quo expreſſum eſt lucem affert, & eò clariorem, quod clara eſt Tabernaculi in ſacro codice deſcriptio. Omnibus ſuis lineis, nec ſemel exprimitur: primùm cùm enarrantur juſſa Dei circa formam illius; ſecundò cùm adſtruitur completum quod juſſerat Deus. Sic facile eſt claram comparare Tabernaculi cognitionem, ex quâ purior lux templo affulgebit.

B Præterea, ut ſignificavimus, non adeò anguſtas metas ponimus operi ſuſcepto, ut exſpatiari non liceat, modò non extra campum ſacrarum Scripturarum, quas avemus reddere intellectu magis faciliores & lectu jucundiores. Quapropter etiamſi non omnino conjunctus eſſet ſermo de Tabernaculo cum propoſito opere, nec me pigeret huic impendiſſe operam. Non, inquam, tædeat quemquam legere exactiorem illius deſcriptionem, quâ poſſunt illuſtrari Scripturarum loca haud pauca numero. Primùm enim magnam ſacri codicis partem res Tabernaculi occupant, integros ferè hoſce libros, Exodum, Leviticum, Numeros, & Deuteronomium. Inſuper crebrò vertunt ſermonem Scriptores ſacri in Tabernaculum, etiamſi de aliâ re agant. Plurima enim complectebatur quorum frequens ubique fit mentio tam in novo quàm in vetuſto Teſtamento. Omnia quæ Moſaicæ legis erant, in eo primitùs fiebant; ita ut dignè non poſſit deſcribi, quin tota iſta lex exponatur cum ritibus & cæremoniis

moniis suis. Neque enim sufficit explicare tentoria, vela, tegumenta; sed describenda varia suppellectilia, altaria, mensæ, candelabra: Patefacienda Arca cum Cherubinis suis: enarrandæ sacrificiorum species, rationes: agendum de Ministris, de vestibus quas induerent, quibus exornarentur, & de toto eorum ministerio. Alia innumera retegenda erant, quæ quantùm intersit scire, solus ignorat, qui sacros codices non attigit aut fastidit. His adjungendum quod opus nostrum commendare potest, non constare tantùm verbis, sed, ut ita dicam, rebus; exhibemus enim lineas, figuras, picturas, quæ res ipsas oculis subjiciunt. Nullus quidem Tabernaculi, & omnium ejus suppellectilium jam nunc usus est: quasi convolutum & ablatum est, cùm Deus novum cultum induxit, repudiato Mosaico. Templum tantis fundamentis subnixum, tantâ mole ædificatum evanescere pariter voluit Deus; attamen non ideo minùs prodest formam utriusque habere perspectam; si quidem manibus, non deponendæ sunt Scripturæ sacræ, passim obscuræ cùm illis non prælucet illa forma.

Si necdum satis excitatus sis, Lector, animadverte, Tabernaculum non ab homine excogitatum fuisse, sed à Deo præmonstratum, qui & formam quâ ædificatum vellet Moysem edocuit, ut declaratur in Exodo (25.) ubi præmonet Deus quæ ad structuram & apparatum operis ille acciperet ab Israëlitis.

1. *Locutusque est Dominus ad Moysem, dicens:*

2. *Loquere filiis Israël, ut tollant mihi primitias: ab omni homine, qui offeret ultroneus, accipietis eas.*

3. *Hæc sunt autem quæ accipere debetis, aurum, & argentum, & æs.*

4. *Hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & byssum, pilos caprarum,*

5. *Et pelles arietum rubricatas, pellesque ianthinas, & ligna setim.*

6. *Oleum ad luminaria concinnanda: aromata in unguentum, & thymiamata boni odoris.*

7. *Lapides onychinos, & gemmas ad ornandum Ephod ac rationale.*

8. *Facientque mihi Sanctuarium, & habitabo in medio eorum.*

Postquam singuli Israëlitæ contulerint ista dona, tum suscipietur opus, & parabitur mihi מקדש *mikdasch*, Græcè ἁγίασμα, nempe locus sanctus, separatus, & soli divino cultui destinatus; quo nomine & templum appellatum est; templi enim & Tabernaculi idem usus fuit. *Et habitabo in medio eorum*, inquit Deus: videlicet ibi certis indiciis significabo me præsentem. Deus ubique est; sed peculiari ratione in Tabernaculo, quod ut propriam domum se incolere suis beneficiis testabatur. Conspicua ibi gloria ejus: nimirum conspicuis miraculis hanc suam domum signabat, interdiu columnâ miræ & insolitæ nubis, quæ per noctem ignesceret & rutilaret. Inde etiam depromebat sua oracula, voce quæ auribus percipiebatur, respondens summo Sacerdoti cùm eum consuleret.

9. *Juxta omnem similitudinem Tabernaculi, quod ostendam tibi, & omnium vasorum in cultum ejus: sicque facietis illud.*

Cætera quæ sequuntur in hocce capite 25. Exodi, infra inserentur aptis locis. Nunc illa prætermitto; propero enim ad finem hujus capitis, quod concludit Moyses, indicans Deum sibi ostendisse exemplar tum Sanctuarii, tum suppellectilium ejus.

40. *Inspice & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.*

A Verisimile est eo ipso tempore quo Deus rem quampiam præcipiebat faciendam, simul oculis Prophetæ exhibuisse imaginem ejus; ideò postquam singula quæ facienda erant præscripsit Deus, in fine addit: *inspice* nempe harum rerum omnium imagines, & omnia fac secundùm exemplaria quæ tibi conspicua facta sunt. Ergo qui putant Israëlitas non aliud exemplar secutos, quàm templa quæ oculis eorum occurrerant in Ægypto, multùm falluntur. Moysi fidem non adhibent, aut parùm digna Deo sentiunt, si ista mandata ejus quæ Moyses enarrat pro veris habentes, contendunt hocce ipsum, quod ostendebat exemplar, mutuasse Deum ab ipsis Ægyptiorum sive tabernaculis, sive templis; quod commentum mox confutaturi sumus.
B

SECTIO II.

Decuit sapientiam Dei ordinare Tabernaculum in quo sibi exhiberetur cultus, cujus causâ segregaverat Israëlitas, scilicet ut ederentur typi Ecclesiæ per Christum congregandæ.

HActenus nec Tabernaculum, nec templum sibi fieri præceperat Deus. Patriarchæ Noe, Abraham, Jacob preces, vota, sacrificia ubique obtulerant. Adamus, nepotesque ejus recti si stetissent, incertum an alter altero locus fuisset sacratior. Sicut vestimentis, ita nec domibus homines indi-
C guissent; & nullas ædes sive sacras sive prophanas construxissent. Deus ubique est. *Domini est terra & plenitudo ejus*, & ideò non ulla regio vacare debet religione. Verùm quia cultus ei debetur in omni loco; non ideò majestati ejus injuria fit, si quispiam destinetur exercendis piis religionis munus, qui septis ambiatur & coerceatur parietibus. Colendæ societati nati, & ita facti sumus ut possimus invicem communicare cogitata nostra diversis signis, linguâ præsertim interprete; & affectus, quibus alii in alios propendemus; quâ significatione fit animorum nostrorum conjunctio, sive homines devinciuntur. Etenim nisi animum patefacere possent, non minùs separati, ignoti, & alieni viverent, quàm
D si diversis carceribus essent conclusi. Deus omnium nostrarum propensionum auctor est & supremus finis. Ergo par est credere societati alendæ nos ab eo idoneos factos, ut simul congregati, pari studio, conjunctis affectibus, cultum ei redderemus; quod non potest fieri, nisi, qui cultui ejus se se mancipant, conveniant in certum locum.

Sed dicent qui Templa à piis viris adinventa negant: ante Moysen nulla sacratioris loci mentio; nec Deus Noacho, Abrahamo & aliis Patriarchis sibi parari præceperat Tabernaculum. Initio rerum cùm nondum construebantur domus, nec excitandæ fuêre ædes sacræ, ut jam dixi. Postquam in vitium ruere cœperunt homines, & tenuit eos om-
E nino Dei oblivio, tunc affectus suos omnes corruperunt. Sicut a Deo, pariter à se invicem abscissi sunt. Unus Noë colebat Deum, à quo ille solus servatus est cum familia sua beneficio Arcæ, quæ fuit instar Tabernaculi, ut jam innuimus, cùm disseruimus de Arcâ. Noachidæ ipsi non multò post in vitium lapsi sunt; nam & Abraham cùm à Deo vocatus est, idololatra erat. Ergo cùm nulla esset piorum hominum societas, & vix unus & alter vir religiosus reperiretur, non signis opus erat, ut Deo dediti homines congregarentur: neque enim inflatur tuba, nisi ubi plures convocandi sunt. Itaque antequam crevisset Israël in gentem magnam, non instituerat Deus ea quibus aleretur inter hunc populum fida & pia societas ad cultum persolvendum

Deo. Ea eſt conditio noſtra ut indigeamus oculo- A rum & aurium adminiculis. Religio prorſus incorporea, quæ ſcilicet nullis conſpicuis ſignis uteretur, haud hominibus conveniret. Non omnia repudiari poſſunt ſymbola, & quilibet externus cultus, cæremoniæ quæcunque; quaſi Deus ſpiritus ſolo ſpiritu colendus eſſet. Cùm corpori illigaverit ſpiritum, & id totum quod ab eo accepimus, huic reddendum ſit, pariter & ei reddendum corpus. Attamen fatemur eum quandoque repudiare quæ externa ſunt, eò quòd homines prolapſi in corpora ſic eis dediti fuerant ut ſola quæ corporea ſunt, cogitantes, non alium Deum colere vellent, niſi quem oculis cernerent & ferè manibus palparent. Inde nata idolomania, & innumeri prophani & impii cultus. B Verùm an ideò ſanari non potuêre homines, & revocari ad veram pietatem, niſi prohiberetur in religione id omne quod ſenſibus percipitur? minimè ſanè. Mente & corpore ſerviendum Deo. Quomodo autem id fieret, niſi ſigna edendo conſpicua & convenientia noſtrorum in eum affectuum? ſed decuit ſapientiam ejus hæc ſigna ordinare & præſcribere, quibus viros pios uti vellet. Reipsâ præcepiſſe Deum ſacri codices referunt. Sed hi quos arguimus, inquiunt, non alio fine quàm ut ad Iſraëlitarum captum deſcenderet, qui nollent à ſæculi more vetuſtate confirmato recedere: videlicet Moyſen volente & præcipiente Deo ſumpſiſſe hos omnes ritus quibus aſtrinxit Iſraëlitas ab Ægyptiis; C emendando quæ illi viderant in Ægyptiorum templis.

Hæc opinio injurioſa Deo eſt & prorſus falſa. Etenim ſi ritus externi aliqui neceſſarii erant, cur eos rectos non potiùs inſtituiſſet quàm & imitatus eſſet primâ ſuâ origine malos? Quidquid ſit, Moſaici ritus ipſum Deum auctorem habent; qui ut omnia fierent decenter, ſingula præſcripſit legibus, & pœnis adverſus eos qui non parerent. Servo hebeti & malo omnia ex ordine mandantur. Deus, ut erat Iſraëlitarum ingenium, omnia eis ſignificavit minutatim, nihil permittens eorum arbitrio, aut relinquens intellectui excogitandum. In his autem omnibus quæ præcepit, mira ſapientia ejus e- D lucet, quam non advertunt, qui opinantur hæc omnia idololatrici cultûs fuiſſe imitamenta. Vaticinia quæ vetus Teſtamentum continet, eventus qui in novo fœdere enarrantur, Evangeliſtarum quin etiam veterum & hodiernorum Rabbinorum teſtimonia demonſtrant omnia olim in figuris contigiſſe populo Hebræo; legem Moſaïcam abundaſſe ſymbolis, quibus quaſi præfigurabat Deus quæ fierent noviſſimis temporibus ſub Chriſto. Non vacat depromere hæc teſtimonia. Conſtat ortum, vitam, mortem Chriſti habuiſſe ſuos proprios typos, quibus prænunciabantur ea omnia quæ illi obtingerent: loca, tempora quibus naſceretur, ſicut & moreretur, prædicta fuerant, & præfigurata ſymbo- E lis, quæ tam aperta & ingenioſa ſunt, ut vir ſanus cogitare non poſſit caſu adinventa, aut eo ſolo conſilio, quia tardi & obeſi Iſraëlitæ non his omnino carere poterant.

Legem veterem gratiâ novæ inſtitutam, aſtruit Apoſtolus: *Chriſtus*, inquit, *finis legis*. Itaque nullus locus dubitandi quin Deus eo conſilio ſegregaverit Iſraëlitas, ut ex illis coaleſceret populus in rempublicam, quæ eſſet typus Eccleſiæ per Chriſtum congregandæ. Stare verò reſpublica non poteſt, niſi cives ejus colligantur aliquibus vinculis; quod fit cùm omnibus eadem eſt certa & fixa vivendi ratio. Idcirco Deus Iſraëlitas tot legibus obnoxios fecit, ne in diverſa ſtudia ſcinderentur, & morum diverſitate inter ſe pugnarent. Præcipuos vitæ actus religio ſibi vindicat; omnium enim propenſionum congenitarum maxima, illa eſt quâ ad Deum inclinamur, ut nihil magis divellat ſocietates, quàm religionum diverſitas. Ergo omnia ſacra Reipublicæ Iſraëliticæ ſic ordinanda erant, ut fierent iiſdem in locis, eodem tempore, iiſdem omnino ritibus. Tabernaculum ante jacta templi fundamenta, locus fuit deſtinatus exercendæ religioni. Mandatum autem de eo erigendo datum à Deo quidam volunt, ut ſe attemperaret Iſraëlitis, qui delectati conſpectu Tabernaculorum Deorum in Ægypto illa requiſiviſſent niſi alia objeciſſet. Sed jam arguimus illud commentum quod ipſa ſatis arguit ſtructura Tabernaculi. Illud enim non tam tapetum ſuorum ocellaturis, quàm emblematibus ſuis, ſive ſymbolis decorum erat, figurans ingenioſè & eleganter res futuras tum in cælo, tum in terrâ. An illud Deus non potuiſſet excogitare, niſi habuiſſet præ oculis Ægyptiorum & aliarum gentium impuros & ineptos ritus? Eâdem ſapientiâ quâ ſine ullo prævio exemplari, niſi mente ſuâ præconcepto, mundum formaverat, eundem mundum Tabernaculo expreſſit. *Totus* enim *mundus*, utor verbis B. Hieronymi (Epiſt ad Fabiolam) *in Tabernaculi deſcribitur ſacramento. Primum & ſecundum veſtibulum omnibus patet. Aqua enim & terra cunctis mortalibus data ſunt. In Sanctis verò Sanctorum, quaſi ad æthera & in cælum, paucorum introitus & volatus eſt.* Sed hæc opportuniùs dicentur poſt perfectam deſcriptionem hujus Tabernaculi. Hîc ſufficiat in genere indicare, reipsâ fuiſſe typum ſicut tota lex, quàm ideò Apoſtolus appellat umbram, cujus Chriſtus ipſum eſt corpus. Nimirum lex cum cæremoniis ſuis velut umbratilis imago erat rerum quæ à Chriſto vel ſub Chriſto aliquando complerentur, ut Paulus dicit ſcribens ad Coloſſ. II. 16. 17. *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum: quæ ſunt umbra futurorum, corpus autem Chriſti.* Quod & repetit idem Apoſtolus ſcribens Hebræis (cap. 10. 1.) *Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum.* Umbra corporis non eſt niſi imperfecta ejus ſimilitudo. Imago verò hîc ſumitur pro ipsâ re repræſentatâ, ut adſtruunt Interpretes. Hæc ſuo loco dicentur fuſiùs; prælibavimus autem, quia dum incipimus diſſerere de Tabernaculo, plurimi refert magnam de dignitate ejus ingerere opinionem; ſive hùc convertere mentem Lectoris, ut ſuſpiciat conſilia Dei; à quibus ſuum decus accipit Tabernaculum.

SECTIO III.

Evincitur Tabernaculo Dei & Templo locum, nec templa, nec tabernacula idolorum dediſſe. Non ideò, inquam, præcepit Deus, ut ſibi Tabernaculum erigeretur, ne Iſraëlitæ frequentarent Gentium conventicula.

UTrum Templorum ſive portatilium, ſive fixorum origo repetenda ſit ab idolis; ita ut ſi nullibi illa fuiſſent, nec Tabernaculum Moſaicum, nec Salomonicum templum ſibi dicari ſiviſſet Deus, vetus eſt controverſia. Quæque ſententia non obſcuros auctores habet; qui ſub uno & eodem aſpectu rem non inſpexerunt; hinc nata judiciorum diverſitas; quæ, ut opinor, nulla eſſet, ſi omnes pariter ſatagiſſent ſecernere vera à falſis, certa ab incertis. Primò extra controverſiam eſſe debet, Deum qui fecit cælum & terram nullis locis capi poſſe, quippe qui immenſus ſit. Turpiter ergo

errabant Gentiles idololatræ qui templis includebant quos colebant Deos; saltem necessaria templa putabant, ut Deos qui illa incolerent, possent precibus suis & votis compellare. Eam fuisse Gentilium opinionem colligimus ex verbis hujus Gentilis qui apud Arnobium sic disserit de Templorum usu. *Non idcirco attribuimus Diis templa, tanquam humidos ab his imbres, ventos, pluvias aut soles arceamus; sed ut eos possimus coram & cominus contueri, affari de proximo, & cum præsentibus quodammodo venerationum colloquia miscere. Sub axe enim nudo & sub ætherio tegmine invocati si fuerint, nihil audiunt, & nisi de proximo admoveantur his preces, tanquam nihil dicatur, obstructi atque immobiles stabunt.*

Tales quidem erant Idololatrarum Dii, ut virtus eorum, si quam haberent, non resideret extra templorum, in quibus erant, parietes. Quæ enim in vivis erant, ut apud Ægyptios, crocodili, serpentes, simiæ, limitibus proprii corporis coarctabantur; Idola verò, hoc est, hominum imagines, omni virtute destituebantur. Oculos habebant, sed non videbant: pedes habebant, sed non ambulabant, ut de illis Psalmista canit. Virtutem tamen his inesse idolis opinabantur, quæ parietibus templi circumscriberetur; ita in eorum opinione templa erant Deorum mansiones, quas secundas à cælo incolerent, ut dicit Silius Italicus alloquens Jovem, cui templum in rupe Tarpeiâ, sive in Capitolio dicatum erat.

...... Tarpeie Pater, qui templa secundam
Incolis à cælo sedem.

Juxta illam opinionem loquitur Cæcilius apud Minucium Felicem. *Magis sunt augusta templa & delubra Deorum numinibus incolis, præsentibus, inquilinis, quàm cultus insignibus & muneribus opulenta.* Sic ex mente Gentilium loquitur Arnobius adversus eos scribens [lib. 6.] *Templum hoc Martis est, hoc Junonis, & Veneris, hoc Herculis, Apollinis, Ditis: hoc quid aliud est dicere, quàm domus hæc Martis est, hæc Junonis & Veneris; Apollo hic habitat, in hac manet Hercules, illâ Summanus.* Ægyptii apud Herodotum dicuntur primi templorum fundatores: videlicet primi suos Reges, ubi fato functi essent, numero Deorum adscribentes, sepulcra eorum pro templis habuerunt; quod omnibus Ethnicis exprobrat Arnobius. *Multa ex his templa quæ tholis sunt aureis, & sublimibus elata fastigiis auctorum conscriptionibus comprobatur contegere cineres atque ossa, & functorum esse corporum sepulturas. Ex eo nonne patet & promptum est, aut pro Diis immortalibus mortuos vos colere, aut inexpiabilem fieri numinibus contumeliam, quorum delubra & templa mortuorum superlata sunt bustis.*

Non poterant sat multis exagitari cavillis illa Gentilium deliria. Vis immensa quæ totum mundum fovet, & ubique diffusa est, non capitur loco. *Non excelsus in manufactis habitat*, ait Stephanus in Actis (cap. 7. v. 47.) Hoc nec latuit plerosque Gentiles, qui idcirco non utebantur templis, ut Persæ; quod Cicero adstruit (lib. 2. de Legibus) *Deorum*, inquit ille, *delubra esse in urbibus censeo. Nec sequor Magos Persarum, quibus auctoribus Xerxes inflammavisse templa Græciæ dicitur, quòd parietibus includerent Deos. Meliùs Græci atque nostri, qui ut augerent pietatem in Deos, easdem illos, quas nos urbes, incolere voluerunt.* Recta quidem erat Persarum opinio; sed quæritur an ex illâ sequatur templorum usum non esse legitimum? Nonnulli ex his qui vanas Idololatrarum opiniones infectati sunt, etiam templa ædificare partem esse idololatriæ contendebant; sicut mos est hominum non consistere intra certos limites, & modum servare. Illi, inquam, cum æquo odio haberent falsa numina, templa eorum & quæ impura in illis fiebant sacrificia, pariter detestati sunt, & adducti ut crederent Deum permisisse, non imperasse Israëlitis ut sibi struerent Tabernaculum & templum. In hac sententiâ fuêre Origenes, S. Chrysostomus & alii. Sed quid sentiendum sit non difficile est statuere. Errabant omnes Idololatræ, qui putabant Deum indigere templis, & in illis habitare, ut homines propriis necessariò utuntur ædibus; sed non necesse est, ut eodem in errore versentur, qui vero Deo ædificant templa. Digniora Deo Salomon se sentire testatur constructum à se templum dicaturus [3. Reg. cap. 8. v. 27.] *Ergo ne putandum est, quòd verè Deus habitet super terram? Si enim cælum, & cæli cælorum te capere non possunt, quantò magis domus hæc, quam ædificavi.* Rex verus veri Dei cultor non opinabatur perinde ac Gentiles Deum posse intra parietes coarctari.

Deus ipse significat non omne à se respui habitaculum, in quo scilicet se præsentem manifestet beneficiis suis. Ubique in sacro codice Tabernaculum & templum appellat domum suam, habitaculum suum ubi quiesceret & habitaret. Necessariæ sunt ædes sacræ, quatenus necesse est ut cultum Deo reddituri, societate initâ conveniant in unum & eundem locum, qui talis sit ut partium suarum dispositione & totâ ædificii structurâ primùm oculis admoveat ea omnia quæ dignas ingerant de Deo cogitationes, ut in animos incurrat amore dignus, simul ob majestatem timendus. Rem ergo illi satis non expenderant, qui censebant templa per se esse repudianda; quippe quod illa primùm Idololatræ paraverant Diis suis, & idcirco non populo Dei concessa nisi ut veri Dei templum frequentantes non adirent falsorum numinum templa, nec requirerent. Non omnia à cultu legitimo Dei arcenda, quia usitata apud Gentiles, & illa sibi arrogaverit superbus Dæmon. Pravum enim esset preces fundere, hymnos decantare, thus adolere, mactare hostias: saltem non requiri deberent in verâ religione. Quàm hoc sit falsum de sacrificiis ostendemus, ubi de illis dissereremus & inquiremus in eorum primam originem.

SECTIO IV.

Arguitur & confutatur Spencerus qui Tabernaculum, & institutos omnes in eo ritus accersit ab Ægypto.

EA ætate vivimus, quâ plerique sic aversos animos gerunt à verâ pietate, ut in eas omnes opiniones propendeant, quæ huic videntur aliquam labem inurere. Certè apparatus ille Tabernaculi Mosaïci, & omnia instituta ejus minoris sunt pretii, si fluxerint ab Ægyptiis institutis, quod sentiunt duo Angli, Marshamus & Spencerus, primus alicubi in suo canone Ægyptiaco, alter deditâ operâ in libris quos de Hebræorum legibus inscripsit. Illæ cæremoniæ Ægyptiacæ etsi emendatæ, vitia originis suæ referrent. Uterque contendit non erectum jussu Dei Tabernaculum, nisi ut Israëlitæ revocarentur à religione Ægyptiorum, nec eam requirerent, occupati non dissimili. Omnem ergo lapidem movent, si fortè possint Tabernaculum Mosaïcum simile facere templis portatilibus quorum usus erat, ut volunt, inter gentes. Ad hoc ex

vetuſtis monumentis ea colligunt quæ nanciſcuntur non prorſus diſſimilia Tabernaculo, quæ non mirum eſt ſi ſicubi occurrant, cùm à principio rerum malus angelus ſe Deo ſimilem facere ambierit, divinos honores, quantùm poteſt, ſuffuratus.

Protinus fatebor allegari poſſe etiam ex ſanctis Patribus nonnullos, qui in eâdem fuêre ſententiâ pro quâ illi pugnant. Ita quidem loquitur B. Chryſoſtomus, in Homiliâ ſextâ in Matthæum diſſerens de ſtellâ quæ Magis apparuit; *Ne opineris Deo indignum, quòd Magi per ſtellam vocentur: hoc enim modo omnes Judæorum cæremonias, omneſque ritus & ſacrificia & purificationes, neomenias, & Arcam, templumque ipſum reprobabis. Si quidem hæc omnia originem à ruditate traxerunt. Deus enim ob eorum qui decepti erant ſalutem, ſe coli paſſus eſt per ea, per quæ illi antea dæmones coluerunt; aliquantulùm illa in melius inflectens, ut eos paulatim à conſuetudine ſuâ reduceret, & ad philoſophiam altiorem perduceret.* Ab ipſis Ægyptiis originem ſuam trahere omnia quæ in lege Moſaïcâ obſervantur, idem aurei oris doctor liquidò dicit. (tom. 5. ſerm. 31.) *Quo tempore ab Ægyptiacis turbis & barbarâ Pharaonis tyrannide Hebræorum populum liberavit Deus, videns eos impietatis adhuc ſecum relliquias habere, rebuſque omnibus ſub ſenſum cadentibus ad inſaniam addictos, templorumque magnitudinis ac pulcritudinis admiratione duci, templum ipſis ædificare præcepit, quod non modò materiæ magnificentiâ, atque artis varietate, ſed & ſtructuræ formâ, cætera omnia, quæ ubique terrarum erant templa obſcuraret.* Paucis interjectis ſubjicit. *Deus Judæos ad res ſenſibiles cum ſtupore propenſos videns, in his ipſis rebus præſtantiſſimum aliquid effecit; ne unquam poſtea Ægyptiorum vel eorum quæ apud Ægyptios experti fuerant, cupiditate caperentur.*

Plura alia loca ſanctorum Patrum allegat aut indicat Spencerus, quibus quidem certò evincit ſuam opinionem nec ignotam, nec reprobatam vetuſtis Scriptoribus. Vinceret ergo ſi ſolâ horum Scriptorum auctoritate pugnaretur; ſed ipſius Scripturæ vincit auctoritas; quæ adſtruit Tabernaculum factum à Moyſe juxta exemplar quod illi præmonſtraverat Deus in monte Sinaï. Tali exemplari non ille indiguiſſet, modò egreſſus ex Ægypto & omni Ægyptiorum doctrinâ imbutus, ſi non aliud opus ſibi conflandum fuiſſet, quàm quod toties viderat, & recenti adhuc memoriâ complectebatur. Præterea an veriſimile eſt, dicam iterum, Deum qui in veteri lege condendâ, quaſi primas lineas novæ legis ducebat, in ordinando Tabernaculo non alium ſcopum fuiſſe intuitum, quàm ut aliquâ ſimilitudine templorum, quæ viderant in Ægypto Hebræi, veluti pueros imagine falleret, ne hùc ſuis ſaltem deſideriis reverterentur. Aliam ſacri codices nobis indunt opinionem; quam confirmabunt quæ infra dicentur, prout ſe ſe dabit occaſio retegendarum rerum quas Tabernaculum adumbrabat. Populus Iſraël ſine Tabernaculo, aut templo non poterat congregari, & Deum colere; cur fingitur rationem omnem cultûs eorum mutuatam à Deo ab Ægyptiis? Id quidem opinati ſunt quidam ex ſanctis Patribus, dum nimio impetu, ut ſentio, ferebantur in Judæos & Gentiles. Sic qui citatiori curſu rapiuntur, etiam abripiuntur ultra metas. Judæi efferebant ſe propter gloriam Tabernaculi & templi: hos ut reprimerent ſancti Patres, utriuſque originem referebant referebant ad Gentilium templa; qui &, Gentiles ne gloriarentur prædicantes ritus ſuos quaſi non diſſimiles Judaïcis, qui in veteri fœdere laudabantur, reponebant non tam à Deo juſſos hoſce ritus, quàm permiſſos, ut multa pueris patres indulgent, donec ætas ſapientior acceſſerit.

Quidquid eſt, Spencerus & alii qui cum eo ſentiunt, non poſſunt opiniones ſuas ullo Scripturæ loco prolato comprobare. Hic quidem Ægyptios habuiſſe portatile templum quale fuit Tabernaculum, conatur probare ex capite quinto Amos: ſed quàm parum feliciter, liquebit ſolâ expoſitione verborum hujuſce Prophetæ

25. *Numquid hoſtias & ſacrificium obtuliſtis mihi in deſerto quadraginta annis domus Iſraël;*

26. *Et portaſtis Tabernaculum Moloch veſtro, & imaginem idolorum veſtrorum, ſydus Dei veſtri, quæ feciſtis vobis.*

Stephanus Protomartyr hæc verba Prophetæ in Actis producit, ut oſtendat quâ pertinaciâ Judæi ſectati fuerint falſos Deos. (cap. 7.)

42. *Convertit autem Deus & tradidit eos ſervire militiæ cæli, ſicut ſcriptum eſt in libro Prophetarum: Numquid victimas & hoſtias obtuliſtis mihi annis quadraginta in deſerto domus Iſraël?*

43. *Et ſuſcepiſtis Tabernaculum Moloch & ſydus Dei veſtri Rempham, figuras quas feciſtis adorare eas.*

Hæc multis verbis profert Spencerus, ut probet Tabernaculum Moyſis fuiſſe imitamentum alicujus Tabernaculi, in quo plerique Iſraëlitæ colerent Deum Moloch & ſigna cæli; ſed ille fatetur, cæterique Interpretes, locum hunc eſſe perobſcurum. Quidquid portaverint, ſive ſuſceperint Iſraëlitæ in deſerto, non fuit quidpiam conſpicuum & ſimile Tabernaculo Moſaico; nam non latuiſſet Moyſen, qui igitur mentionem feciſſet. Dicat aliquis non omnia, quæ facta ſunt ab Iſraëlitis, à Moyſe mandata ſcripto; quæ autem dixit Amos ex traditione accepiſſe. Fateor fuiſſe quondam ναοὺς ζευγηφορουμένους *Templa vehiculo portata.* Memorat Servius ad Sextum Æneidos ξόανα *ſimulacra brevia quæ portabantur in lecticis.* Lecticæ illæ, ſive vehicula, ſive fercula, quæ proprio nomine *Thenſæ* appellantur, erant vel ex argento, vel ex ebore, & in illis efferebantur ſimulacra Deorum, cùm pompas agerent, aut cùm ex loco in locum transferrent, ut cùm Æneas ſecum deduxit comites Deos Troiæ, monitus ab Hectore per ſomnium:

Sacrâ ſuoſque tibi commendat Troia Penates.
Hos cape fatorum comites: his mœnia quære.

Illæ Deorum imagunculæ includebantur armariis, quæ ad ſacellorum modum fiebant. Tales erant ædes illæ argenteæ ναοὶ, quas Argentarius Epheſinus conflabat Dianæ, de quo fit ſermo in Actis. (cap. 19. v. 24.) Plinius meminit (lib. 36. cap. 5.) ædiculæ Veneris Cnidiæ. Ναΐδια *ædiculas* vocat Polybius. Dion Ναοὺς μικροὺς *templa exigua.* Ad hunc locum Actuum colligunt Critici multa de brevibus ædiculis, ſive exiguis templis teſtimonia, quæ ſi conſulantur in ipſis Auctoribus quos allegant Critici, haud ulla inter has ædiculas & Tabernaculum Moſis deprehendetur ſimilitudo. Sed revertamur ad Prophetam Amos. Et videamus quis ſenſus verborum ejus, ſive quid Judæis exprobrat; undè Stephanus in Actis demonſtrare potuit gentem eorum ſemper reſtitiſſe Spiritui ſancto; & adeò fuiſſe propenſam ad idola colenda, ut & in ipſo deſerto cùm apertis ſignis Deus ſe teſtabatur verum Deum, tamen falſa numina coluerint. Hæc animum adducunt ut credat pleroſque Hebræos, ſecum dum fugerent ex Ægypto vel propria ſua idola, vel quæ ſubripuerant Ægyptiis, detuliſſe & clam illa coluiſſe. Sic Rachel (Gen. cap. 31.) furata fuerat idola Labanis patris ſui, quæ abſcondit ſubter ſtramenta cameli, & ſedit deſuper. Quidpiam ſimile fa-

cere potuerunt Hebræi magis dediti idololatriæ, A quod Amos didicerat, vel ex traditione orali, vel ex aliquo ſcripto quod amiſſum eſt. *Et portaſtis tabernaculum Moloch veſtro*, ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολὸχ, id eſt, apportaſtis vobiſcum tabernaculum סכות *ſichuth*, id eſt, tuguriolum, ædiculam, vel opertorium, ſive tegumentum quo abſcondebatis idolum veſtri Moloch, cui in occulto ſerviebatis; neque enim paſſus eos eſſet vivere Moyſes, ſi non latuiſſent. *Et imaginem idolorum veſtrorum, ſydus Dei veſtri, quæ feciſtis vobis.* Expendantur diligenter verba fontis כיון צלמיכם *chijon tſalmechem.* Nomen כיון ab aliquibus ſumitur quidem pro nomine proprio idoli, ſed & idem ſonat Hebræis, quod *baſis* Latinis à verbo כון *aptavit, diſpoſuit.* B Itaque videtur Propheta indicare quaſdam ædiculas ſpeciem ſacelli habentes, in quibus illi idololatræ ſuas imagines reponebant. Græci Interpretes quos Stephanus in Actis ſequitur, aut quorum verba Lucas protulit, non memorant illas ædiculas, nec baſes; ſed ſolum ſenſum exponunt, referentes quæ idola illi Hebræi colerent nempe τὸ ἄστρον τοῦ Θεοῦ ὑμῶν Ῥεμφὰν, τοὺς τύπους οὓς ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς. *Et ſydus Dei veſtri Rempham, figuras quas feciſtis adorare eas.* Quæ autem erat affinitas inter ædiculas, ſacella quæ Moyſem latere potuerunt, & facilè abſcondebantur, & inter Tabernaculum conſpicuum? Multùm ergo aberrat à ſcopo ſuo Spencerus dum allegat Prophetam Amos. Hujus opinionem con- C futare non alienum erat ab inſtituto, adverſus quam vindicanda erat gloria Tabernaculi, quod protinus rudi, ut aiunt, penicillo delineabo.

SECTIO V.

Primis ſuis lineis deſcribitur Tabernaculum.

TAbernaculum Deo, ut magno Imperatori erexit Moyſes in medio caſtrorum Iſraël. Conſtabat velis, ſicut cætera tentoria, ſed inſuper tabulis; quæ æneis baſibus ſuſtinebantur ut erectæ manerent. Illæ inter ſe cohærebant tum per incaſtraturas, tum etiam quia vectes longi tranſibant per annulos aureos his inhærentes. Tabernaculum plurimis ve- D laminibus & pellibus operiebatur. Conjice, Lector, oculos in ſchema, quo exhibetur cum omni ſuâ ſupellectili. Adverte animum ad tabulas quibus circumdabatur, tum ad tabularum formam, ad incaſtraturas, baſeſque. Conſidera annulos & vectes quibus conjungebantur inter ſe tabulæ; donec perfectam ſingularum rerum cognitionem ingeramus. Circa Tabernaculum patebat area ſive locus ſubdialis, qui velis tanquam muro aut ſepto ſeparabatur à reliquis caſtris. In circuitu apparent veſtigia columnarum ex quibus pendebant hæc vela. Locus ille ſubdialis in fonte dicitur חצר *chatzer* quæ vox derivatur à חציר *chatzir* quod eſt *fœnum*, à Græcis nominatur αὐλὴ, à Latino Interprete *atrium.* Ex- E pendendum quibus propriis nominibus ſingulæ partes Tabernaculi appellentur in fonte; eò quòd Interpretes utantur quandoque vocibus ambiguis, quæ occaſionem erroris præbent.

Sic diſpoſitum erat Tabernaculum ut oſtium ejus exciperet radios ſolis orientis. Pariter oſtium, ſive introitus atrii ſpectabat orientem. Prima pars atrii, introitui proximior, patebat omnibus Iſraëlitis, qui hùc accedebant impoſituri manus victimis quas offerebant. Pars cætera atrii ſolis Sacerdotibus cedebat, quæ ideo dicebatur Sacerdotum. In atrio Sacerdotum ſub ætheris axe erat altare dictum æneum ob materiam, holocauſtorum ob uſum; in eo enim comburebantur victimæ deſtinatæ ignibus altaris, ad cujus latus ſeptentrionale mactabantur. Progredientibus ad Tabernaculi oſtium occurrebat labrum æneum, vas capaciſſimum, plenum aquâ, quâ manus & pedes abluebant Miniſtri, antequam ſacra peragerent. Pars prima ſive pars orientalis in Tabernaculo, ut in cæteris lateribus non claudebatur tabulis. Erat ſine valvis, habens velum oppanſum ex quinque columnis. Interius Tabernaculum diviſum erat in duas partes. Prima dicitur in codice Hebræo קדש *chodeſch*, in Græcâ verſione ἅγιον in Latinâ *Sanctuarium.* Pars verò intimior, ſive adytum קדש קדשים *chodeſch chodaſchim* ἅγιον τῶν ἁγίων, *Sanctum Sanctorum*, aut, *Sanctuarii Sanctuarium.* Hæ duæ partes diſtinguebantur velo, quod appendebatur quatuor columnis.

In primâ parte Tabernaculi ad ſeptentrionale latus, erat menſa ſupra quam proponebantur panes coram Deo, qui ideò panes *propoſitionis* dici ſolent. Ex adverſo nempe ad latus meridionale, erat candelabrum aureum tribus pedibus fultum; inter quod & dictam menſam collocabatur altare aureum ſive *Thimiamatis*, quâ Thymiamata, id eſt, odores in eo incendebantur. Sanctum Sanctorum recondebat Arcam fœderis, capſam illam in quâ Moyſes repoſuerat duas lapideas tabulas, in quibus Deus ſuo ſcripſerat digito ſumma & præcipua legis capita. Arca tegebatur operculo, quod nominatur *Propitiatorium*; quia ibi propitius Deus exaudiebat voces & vota quæ concipiebat ſummus Sacerdos pro populo. Operculo Arcæ inſidebant duo Cherubim.

Adverſus vim ventorum funiculis & paxillis confirmabatur Tabernaculum; quod licet nunc quaſi eminùs proſpiciamus, propiùs modò intuituri, dicam tamen protinus ibi conſpicuis miraculis ſe Deum teſtatum præſentiſſimum: nube enim operiebatur Tabernaculum quæ interdiu obſcura, noctu fiebat lucida, collucens ad inſtar columnæ igneæ. Quoties Deus conſulebatur à ſummo Pontifice, huic reſpondebat voce clarâ quæ ex Propitiatorio inſonabat. Denique in altare Holocauſtorum, quod ſub dio poſitum erat, cælo delapſus ignis abſumebat membra victimarum ibi diſpoſitarum. Quapropter in Scripturis cùm divina majeſtas cogitanda ſubjicitur, repræſentatur quaſi habitans in Tabernaculo, in medio caſtrorum Iſraël. Sub iſtâ imagine ſe ſe non ſemel conſpicuum præbuit Prophetis; ad quorum viſiones intelligendas; intereſt cognoſcere formam Tabernaculi & diſpoſitionem ejus in medio caſtrorum Iſraël.

CAPUT II.

Tabernaculum fuit erectum in caſtris Iſraël velut palatium Regi, tentorium Imperatori. Numeroſus erat Iſraëlitarum exercitus. Forma caſtrorum, diſpoſitio per vexilla, politia quæ in illis obſervabatur.

SECTIO I.

Deus ipſe fuit Rex Iſraël. Non alteri ſtatim communicatum jus regni. Ita Tabernaculum quod ei erectum eſt, inſtar fuit palatii ſimul & templi.

HOminem formavit Deus, ut haberet à quo coleretur. Ad ſimilitudinem ſuam fecit eum, quam referret potiùs mente & moribus, quàm corporis lineamentis. Integer ſoli divino regimini ſubditus fuiſſet; & huic parens reipsâ evaſiſſet Deo ſimilis; quippe qui rectus & ſapiens, ut Deus vixiſ-

ſet. Sola generi humano veluti regina præfuiſſet ratio præcipiens, alliciens, terrens, rectis enim blanditur conſcientia, reos torquet. Si, inquam, homo permanſiſſet rectus, non alius fuiſſet Rex hominis quam ipſe Deus. Quid enim ratio eſt; quatenus lux eſt mentem illuſtrans, aliud quàm Dei ſapientia, ipſe ergo Deus? Sed alia nunc eſt conditio hominis, qui ex ſuâ rectitudine excidit. His ſolis nunc commovetur quæ cernit aut palpat, rationem non audiens aut faſtidiens. Idcirco reparaturus homines Deus voluit ut filius ſuus, ſua ſapientia fieret caro, id eſt, indueret humanum corpus. Jeſus Chriſtus Dominus noſter eſt ille unigenitus filius Dei; cui regnum eſt ſuper omnes Dei filios. Regnum quidem ejus non eſt de hoc mundo, ut ipſe ſignificavit; ſed regnat in eos quorum non refert quoquo modo mundus adminiſtretur, modò ad cælum perveniant; quippe qui quæ mundi ſunt, citiùs tranſire noverint, quàm ut deceat de illis nimium ſollicitos eſſe. Cùm autem Deus Rempublicam conſtituit, quæ eſſet typus Eccleſiæ quam congregaturus erat filius ejus, noluit in illâ diſtincta eſſe jura humana à divinis, ſive, ut loqui mos eſt, jus civile à Canonico, ſive Eccleſiaſtico. Utrumque protinus conjunxit; ſed cùm jus Regium integrum ſibi reſervaſſet; qui legi Dei adverſabatur, non ſolùm peccator ſed & rebellis cenſebatur. Tunc imperii & religionis jura non erant diverſa; ſi quidem non alius Deus colebatur in Tabernaculo, quàm qui in palatio erat ſummus Rex. Scilicet Tabernaculum Dei erat inſtar templi in quo munia religionis exercerentur, & palatii in quo jus Regium ediceretur, dirimerentur lites, omnia adminiſtrarentur quæ ad quodcunque regimen pertinent; ſic religio quam tunc Deus inſtituit præfulgebat Regiâ autoritate. Deus ipſe ſe Regem dixit Iſraëlis, ut Sirachides obſervat (cap. 17. v. 14.) *in unamquamque gentem Deus præpoſuit rectorem, & pars Dei Iſraël facta eſt manifeſta*; voluit haberi & eſſe Rex Iſraël, quod competebat Meſſiæ ſive Chriſto; ut de Jeſu dum pendebat in ligno crucis dicebant Judæi (Matth. cap. 27. v. 41.) *Si Rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.* Itaque penes ſolum Deum erat ſummum imperium Hebræorum; quod ideò proprio nomine appellabatur Theocratia, inquit Joſephus ſcribens contra Appionem (lib. 2.) » Innumeræ ſunt, particulatim gentium & morum apud omnes differentiæ. Alii ſi quidem monarchiis, alii oligarchiis, alii verò democratiis Reipublicæ poteſtatem commiſerunt. Noſter autem Legiſlator, nihil horum intendens, politiam noſtram Θεοκρατίαν divinum imperium declaravit, Deo præcipuè principatum aſſignans & potentiam. » In quacunque Reſpublicâ nunc mos eſt proſequi pœnis ſeverioribus crimina læſæ Regum majeſtatis, & ſoli vindictæ divinæ relinquere punienda peccata quæ in Deum committuntur. Non ita erat in Iſraëlis Republicâ, quæcunque peccata ſine diſcrimine pœnis caſtigabantur, quia omnia Regiam majeſtatem lædebant. Verbi causâ, idololatria ut rebellio puniebatur, quia Regem Iſraëlis offendebat.

Joſephus (lib. 4. Antiq. c. 8.) inducit Moſem alloquentem Iſraëlitas. » Optimum quidem vobis eſt Optimatum regimen, & in ſic adminiſtratâ Republicâ vivere, nec eſt cur alterius politiæ formæ deſiderium vos accipiat: ſed præſtat ut hac contenti, in legum & veſtrâ ipſorum poteſtate ſitis. Satis enim eſt Deum habere gubernatorem. Et pauló poſt. » Exercitum contra eos hoſtes educite ſummum imperium Deo committentes; ſed creantes unum aliquem virtute præcellentem qui vicarius ſit ei & quaſi Pro-imperator. « Eam doctrinam Moſes potiſſimum primatibus inſtillaverat; quapropter cùm Iſraëlitæ liberati jugo Madianitarum principatum Gedeoni & filiis ejus offerunt, ſic eum alloquuntur (Judic. 8. cap.)

22. *Dominare noſtri tu, & filius tuus, & filius filii tui: quia liberaſti nos de manu Madian.*

Gedeon oblatum regnum repudiavit.

23. *Quibus ille ait: non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur vobis Dominus.*

Mala mens, malus animus erat horum Iſraëlitarum quos tæduit non alium Regem habere quàm Deum, quia, ut puto, oculis carnis non eum intuebantur. Samüelem, poſtquam ſenuit, illi (1. Reg. cap. 8.) adeuntes.

5. . . . *Conſtitue nobis Regem dixerunt: ut judicet nos, ſicut & univerſæ habent nationes.*

6. *Diſplicuit ſermo in oculis Samüelis, eò quòd dixiſſent: Da nobis Regem, ut & judicet nos.*

7. *Dixit autem Dominus ad Samüelem: audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi, non enim te abjecerunt ſed me, ne regnem ſuper eos.*

8. *Juxta omnia opera ſua, quæ fecerunt à die quâ eduxi eos de Ægypto uſque ad diem hanc: ſicut dereliquerunt me, & ſervierunt Diis alienis, ſic faciunt etiam tibi.*

9. *Nunc ergo vocem eorum audi: verumtamen conteſtare eos, & prædic eis jus Regis, qui regnaturus eſt ſuper eos.*

Ibi jus Regis משפט *miſchpath* eſt conſuetudo, quâ utuntur vulgo Reges qui in ſuos ſubditos tyrannidem exercent. Vox Hebræa *judicium* quidem & *jus* ſignificat, ſed & *morem* & *conſuetudinem, ritum, modum.* Hæc hiſtoria Samüelis clarè demonſtrat quod hîc ſuſceperamus adſtruendum; quodque adduximus, ut liqueret Deo tanquam ſummo Regi Tabernaculum in mediis caſtris paratum pro palatio ſimul & pro templo portatili. Nomen Hebræum היכל *hekal* pariter denotat templum & Regiam, ſive palatium. Deus ipſe appellavit Tabernaculum ſedem ſuam, habitaculum. (Exod. cap. 23.)

8. *Facientque mihi Sanctuarium, & habitabo in medio eorum.*

Ad iſta verba Rabbi Ben-Nachman annotavit: « Facient domum, & vaſa quaſi Sanctuarii Regis domûſque Regiæ. Et ego in eorum medio habitabo, in domo ſcilicet ſolioque gloriæ, quod mihi facient. » Attexam teſtimonium alterius Rabbini nempe Rabbi Schem Tob quod allegat Outramus (lib. 1. de Sacrificiis cap. 3.) « Deus, cui laus, talem ſibi domum condi juſſit, qualis eſſe ſolet domus Regia. In domo Regiâ hæc omnia, quæ diximus, reperiuntur. Alii ſcilicet qui cuſtodiunt palatium ejus. Alii qui fungantur officiis ad Regiam dignitatem pertinentibus, qui epulas inſtruant, aliaque faciant Regi neceſſaria. Alii denique qui voce fidibuſque quotidie canant. Eſt etiam in domo Regiâ locus ad cibos parandos conſtitutus. Item locus ubi odoramenta adolentur. Eſt etiam menſa in domo ejus, itemque conclave ipſi proprium, quò nemo pervenit, niſi qui ei ſecundus eſt, quoſque in maximè charis habet. Eundem ad modum voluit Deus, ut hæc omnia ſuâ in domo eſſent, ne quâ in re terrarum Regibus concederet. Eſt enim ille Rex magnus, ut his quidem rebus non indigeat. Verùm hinc facilè elucet ratio victûs familiaris Sacerdotibus & Levitis dati, ut pote quem Rex quiſque Miniſtris ſuis ſuppeditare ſolet. Atque hæc omnia eo ſpectabant, ut intelligeret vulgus, Regem nempe Dominum exercituum, inter nos verſatum eſſe. « Hæc allegatus Rabbinus dixit de templo

Hierosolymitano, sed & conveniunt Tabernaculo.

SECTIO II.

Deo ut exercituum Domino sive bellatori erectum Tabernaculum in mediis castris Israëlitarum.

JUxta notionem quam habemus Regiæ majestatis, Deus Rex est magnus & potentissimus & propriè solus Rex. Inter Reges illi potentissimi sunt, quibus parent magni exercitus, qui armis suis perterrent, vincunt, domant eos qui velint obsistere. Deus non solùm ut Rex, sed & ut exercituum Dominus, fortis bellator voluit incurrere in Israëlitarum animos; quia nullâ aliâ imagine poterant magis commoveri & perterreri. Idcirco dici & cogitari voluit exercituum Dominus, non solùm quia sors armorum pendet ex eo, & huc illuc, prout ei placet, victoriam inclinat; sed quia militabat ei magnus exercitus, quem Israëlitarum multitudo conflabat. De Israëlitis egressis ex Ægypto ut de exercitu fit sermo. (Exod cap. 12. v. 41) *Eâdem die egressus omnis exercitus Domini de terrâ Ægypti.* Passim in Scripturis Deus appellatur exercituum Dominus, quo titulo amat insigniri, non solùm propter exercitus suos cælestes, & imperium in Angelos, sed quòd in exercitu Israëlitico summi ducis nomen & officium tenuisset. Ipsa dispositio cæli & terræ appellatur in Genesi (cap. 2. v. 1.) צבא *tsaba*, id est, *exercitus*, quæ vox denotat aliquam egregiam dispositionem, qualem cernere est in ordinatis ad pugnam militibus, quâ nec quidpiam amœnius simul nec terribilius cogitari potest. Deus in imagine bellatoris occurrebat menti Davidis cùm ille canebat (Psal. 23.)

7. *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales. & introibit Rex gloriæ.*

8. *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis & potens. Dominus potens in prælio.*

9 *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.*

10 *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.*

In fonte Deus appellatur Dominus *tsebaoth*, id est, *exercituum* τῶν δυνάμεων. Græcis δύναμις sonat idem quod Latinis, *potestas*, *exercitus*, etiam *virtus*. Hocce postremo nomine Latinus Interpres reddit nomen Hebræum. *Deus virtutum*, id est, *exercituum*,

In castris Romanorum locus erat Prætori dicatus, indè dictus *Prætorium*. Juxta erat sacellum, sive ædicula in quâ servabatur primarium signum *aquila* quod Romani venerabantur; ad quod alludebat Tertullianus in Apologetico. *Religio tota castrensis signa veneratur, signa jurat, Diis omnibus præponit.* Josephus in libro tertio de Bello [cap 3] disertè dicit in ipsis mediis castris Romanorum Prætorium fuisse statutum templo simile μεσαίτατον δὲ τούτων, τὸ στρατήγιον ναῷ παραπλήσιον. Non possum continere quin exscribam verba Schelii, qui tam peritis & elegantibus notis exornavit quæ Hyginus & Polybius scripsêre de Romanorum castris. Cùm de portarum numero locutus esset Schelius. » Sedet, inquit, inter has medias Imperator à nullâ parte remotus, & undique prospiciens, tutissimo, aptissimo, & quodammodo nato imperiis loco. Sedet inter aras, altaria, cultus, & imagines divinas, velut in templo augustissimæ religionis, ubi & sanctitas loci, & circumstantia undique numina majestate eum & horrore circumdant suo; simul in omni cœpto aurem ei vellant, & admoneant non priùs hominum quàm Deorum meminisse. Proximè hæc habentur judicia castrensia. Hîc dantur imperia, hîc indicantur munera. Hîc pleraque magni momenti geruntur in oculis Deorum & Imperatoris. «

Ipse Deus in Tabernaculo suo veluti in Prætorio residebat Rex & Imperator, Regum belligerantium more, curans ea omnia quæ militiam spectabant. Si enim castra movenda essent aut ponenda, id significabat columnæ nubeæ & ignitæ signo quiescentis vel motæ. Ex Tabernaculo admonebatur populus de his omnibus quæ eum scire intererat. Schelius observat, Romanis in auspicatò nihil seriæ rei agere fas fuisse; augurio autem accepto & addicentibus auspiciis, tum demum exercitum ad concionem vocasse. Idcirco, ut dicit Hyginus, auguratorium in parte dexterâ Prætorii ad viam principalem apponebatur, ut Dux in eo augurium rectè capere posset. In parte lævâ tribunal statuebatur, quod ascenderet & exercitum felici auspicio alloqueretur. Moyses & Aaron duces populi tendebant juxta Tabernaculum Dei, undè responsa ejus deferebant ad populum. Copiosus autem erat exercitus Dei. Castra Israëlitarum incredibilem turbam mulierum, puerorum, senum & promiscuam plebem complectebantur. Ut ista comparatio Tabernaculi cum tentorio magni Imperatoris adhuc lucidior fiat, huic loco totum primum caput Numerorum inseram, & sic ubi est discutiam caliginem.

SECTIO III.

Exponitur caput primum Numerorum in quo agitur de castris Israël. Initur numerus Israëlitarum qui in illis erant.

1. *LOcutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinaï in Tabernaculo fœderis, primâ die mensis secundi, anno altero egressionis eorum ex Ægypto dicens.*

Jam erat erectum Tabernaculum; in quo ex Arcâ aut ex loco ubi erat Arca, audiebatur vox Dei, dum eum Moyses consuleret.

2. *Tollite summam universæ congregationis filiorum Israël per cognationes & domos suas, & nomina singulorum, quidquid sexus est masculini.*

Tu & Aaron inite numerum filiorum Israël Recensete capita eorum, numerate omnes masculos qui ad bella apti sunt, non ergo fœminas nec pueros.

3. *A vigesimo anno & supra omnium virorum fortium ex Israël, & numerabitis eos per turmas suas tu & Aaron.*

A viginti annos natis censum incipite, nempe ab his qui arma ferre possunt, & proficisci ad bellum, ut ibi dicitur in fonte Hebræo.

4. *Eruntque vobiscum principes tribuum ac domorum in cognationibus suis.*

In hocce delectu faciendo aderunt vobiscum unus ex singulis tribubus, nempe cujusque tribus vir primarius: *phularchæ*, sive jure primogenituræ sive electione ob merita electi principes.

5. *Quorum ista sunt nomina: De Ruben, Elisur filius Sedeur.*

6. *De Simeon, Salamiel filius Surisadaï.*

7. *De Juda, Naasson filius Aminadab.*

8. *De Issachar, Nathanael filius Suar.*

9. *De Zabulon, Eliab filius Helon.*

10. *Filiorum autem Joseph, de Ephraïm, Elisama filius Ammiud, de Manasse, Gamaliel filius Phadassur.*

11. *De Benjamin, Abidan filius Gedeonis.*

12. *De Dan, Ahiezer filius Amisaddai.*

13. *De Aser, Phegiel filius Ochran.*

14. *De Gad, Eliasaph filius Duel.*

15. *De Nephtali, Ahira filius Enan.* A

16. *Hi nobilissimi principes multitudinis per tribus & cognationes suas & capita exercitûs Israël.*

Hi qui enumerati sunt, erant viri principes, in fonte *vocati*, id est, nominati, famosi; quos Moyses & Aaron ad capienda consilia advocabant; vel quos ipse Deus vocaverat ut essent principes tribuum, & capita chiliadum Israëlis.

17. *Quos tulerunt Moyses & Aaron cum omni vulgi multitudine.*

Et Moyses & Aaron acceperunt viros istos, id est, assumpserunt ut censui adessent, nominibus suis appellatos, nempe nominatos hosce viros principes. Particula illa, *cum omni vulgi multitudine*, pertinet ad versum sequentem. B

18. *Et congregaverunt primo die mensis secundi, recensentes eos per cognationes, & domos, & familias, & capita, & nomina capitum singulorum, à vigesimo anno & supra.*

Congregaverunt omnem cœtum Israël, & recensuerunt eos. Quisque professus est natales suos; ostenderunt cognationem suam, & tribum, & parentes.

19. *Sicut præceperat Dominus Moysi, numeratique sunt in deserto Sinai.*

Ille census actus est in deserto juxta præceptum Domini; ideò ei gratus fuit. David quòd censuisset populum sine Dei jussu, pœnas postea dedit.

20. *De Ruben primogenito Israëlis per generationes & familias, ac domos suas & nomina capitum singulorum à vigesimo anno & suprà procedentium ad bellum.* C

21. *Quadraginta sex millia quingenti.* (46500.)

22. *De filiis Simeon per generationes & familias ac domos cognationum suarum, recensiti sunt per nomina & capita singulorum à vigesimo anno & suprà procedentium ad bellum.*

23. *Quinquaginta novem millia trecenti.* (59300.)

24. *De filiis Gad per generationes & familias, ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum à viginti annis & suprà, omnes qui ad bella procederent.*

25. *Quadraginta quinque millia sexcenti quinquaginta.* (45650.)

26. *De filiis Juda per generationes & familias, ac domos cognationum suarum per nomina singulorum à vigesimo anno & suprà, omnes qui poterant ad bella procedere.* D

Recensiti sunt septuaginta quatuor millia sexcenti, (74600.)

28. *De filiis Issachar per generationes & familias, ac domos cognationum, per nomina singulorum à vigesimo anno & suprà, omnes qui ad bella procederent.*

29. *Recensiti sunt quinquaginta quatuor millia quadringenti.* (54400)

30. *De filiis Zabulon per generationes & familias, ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum à vigesimo anno & suprà, omnes qui poterant ad bella procedere.* E

31. *Quinquaginta septem millia quadringenti.* (57400.)

32. *De filiis Joseph, filiorum Ephraim per generationes & familias, ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum à vigesimo anno & suprà, omnes qui poterant ad bella procedere.*

33. *Quadraginta millia quingenti.* (40500.)

34. *Porro filiorum Manasse per generationes & familias, ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum à viginti annis & suprà, omnes qui poterant ad bella procedere.*

35. *Triginta duo millia ducenti.* (32200.)

36. *De filiis Benjamin per generationes & familias, ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum à vigesimo anno & supra, omnes qui poterant ad bella procedere.*

37. *Triginta quinque millia quadringenti.* (35400.)

38. *De filiis Dan per generationes & familias, ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum à vigesimo anno & suprà, omnes qui poterant ad bella procedere.*

39. *Sexaginta duo millia septingenti.* (62700.)

40. *De filiis Aser per generationes ac familias, ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum à vigesimo anno & suprà, omnes qui poterant ad bella procedere.*

41. *Quadraginta millia & mille quingenti.* (41500.)

42. *De filiis Nephtali per generationes & familias, ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum à vigesimo anno & suprà, qui poterant ad bella procedere.*

43. *Quinquaginta tria millia quadringenti.* (53400.)

44. *Hi sunt quos numeraverunt Moyses & Aaron, & duodecim principes Israël, singulos per domos cognationum suarum.*

45. *Fueruntque omnis numerus filiorum Israël per domos & familias suas à vigesimo anno & suprà, qui poterant ad bella procedere.*

46. *Sexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta.* (603550.)

Joannes Clericus putat neglectas unitates omnes in singulis calculis, quæ fuerunt supra decadas; imò etiam fortè decades aliquot; neque enim verisimile est in omnibus tribubus fuisse tantùm chiliadas & hecatondas, ne uno quidem viro, aut ne unâ quidem decade superante. Quidquid sit, Deus cujus erat tantus exercitus meritò poterat dici exercituum Dominus. Neque enim memorantur exercitus numerosiores. Quæ verò castrorum amplitudo, ubi tot milites castrametabantur? attamen nec in isto censu sunt mulieres, pueri, & promiscua turba; Levitæ etiam non censi sunt.

47. *Levitæ autem in tribu familiarum suarum non sunt numerati cum eis.*

Levitæ non sunt censi per tribus, id est, per domos & familias suas pariter ac cæteri.

48. *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens:*

49. *Tribum Levi noli numerare, neque pones summam eorum cum filiis Israël.*

Circa Tabernaculum versabantur Levitæ obsequiis Dei dicati & à reliquis secreti, quasi legio quæ stipat Regem.

50. *Sed constitue eos super Tabernaculum testimonii & vasa ejus, & quidquid ad cæremonias pertinet. Ipsi portabunt Tabernaculum, & omnia utensilia ejus: & erunt in ministerio ac per gyrum Tabernaculi metabuntur.*

A militiâ Levitas immunes fuisse dicit Josephus; nempe non cogebantur militare; si necessitas postularet, sponte arma tractasse, discimus ex Macchabæis & Josepho. Præcipuum eorum munus erat portare ac custodire Tabernaculum, & utensilia ejus; quibus impediti non poterant pugnare.

51. *Cùm proficiscendum fuerit, deponent Levitæ Tabernaculum: cùm castrametandum, erigent. Quisquis externorum accesserit, occidetur.*

Levitæ descendere faciebant, ut loquuntur Hebræi, aulæa, cortinas: dissolvebant tabulas, & omnia sic componebant ut ferri possent, cùm iter agebatur. Ubi castra ponebantur, erigebant Tabernaculum; cui operi nemo qui non essent è Leviticâ tribu,

tribu, poterat impunè manus admovere.

52. *Metabantur autem castra filii Israël unusquisque per turmas & cuneos atque exercitum suum.*

In fonte ad vexillum suum, ad exercitus suos. Ibi *tsebaoth* sumendum in eâ significatione quâ sumitur pro *ordine*. Ordinata erant Israëlitarum castra, ut sequenti paragrapho dicemus.

53. *Porrò Levitæ per gyrum Tabernaculi figent tentoria, ne fiat indignatio super multitudinem filiorum Israel, & excubabunt in custodiis Tabernaculi testimonii.*

54. *Fecerunt ergo filii Israël, juxta omnia quæ præceperat Dominus Moysi.*

Videlicet præceptum erat à Deo ut Levitæ castrametarentur inter Tabernaculum & reliqua castra; ne si vulgus, hoc est, viri Deo non consecrati ausi essent appropinquare Tabernaculo, fieret Dei excandescentia in eos.

SECTIO IV.

Forma castrorum Israël quanto decore disposita? Dispositio viarum, tentorium in singulis tribubus. Numerus eorum quos illa castra capiebant pene infinitus.

NEc solo numero virorum exercitus ille Israël sive Domini suspici debet, sed ipsâ sui dispositione & castrorum suorum. Ordo, ubicunque observetur, jucundum præbet spectaculum, voluptatem oculis simul & ipsi rei virtutem. Etenim quilibet exercitus non tantam vim accipit à turmis, quibus pluribus constat, quàm ab ipsâ dispositione, quâ singulæ turmæ aptis collocantur locis, ut possint extra pugnam quiescere, pugnantes non sibi sint invicem impedimento. Hæc duo ordo efficit; exercitui adeò necessarius ut quod Latinis *exercitus* ab *exercitio*, Græcis quidem multis nominibus dicatur, sed præcipuè τάξις quod idem sonat ac *ordo*. Opinor nomen Hebræum צבאות *tsebaoth* & indicare ordinem & decorem; cur enim usurpatum esset ad significandum ornatum & decorem cæli & stellarum ejus? Ergo cùm delectationem simul & terrorem præbeant oculis acies & castra ordinata; ideò aspectus Reginæ his comparatur plenus pariter jucunditate & majestate. *Pulchra es amica mea, suavis & decora sicut Jerusalem: terribilis ut castrorum acies ordinata.* Fons Hebræus ibi habet איומה כנדגלות *Terribilis ut vexillata*, seu vexillis insignita castra vel copiæ; ut subaudiatur, מחנות *castra*; ita, ut Joannes Mercerus dicit, vulgatus Interpres hunc locum doctè reddidit *ut castrorum acies ordinata* secutus Græcos ὡς αἱ τεταγμέναι. Pertinere putabat sponsus ad commendationem sponsæ suæ formidabilem fuisse more turmarum cum vexillis; quæ gravitate suâ & majestate procis & impuris hominibus terrorem incuteret & eos à se arceret. Speciem castrorum Israël admirans Balaam, cùm venit ad maledicendum populo Dei, exclamabat in Numeris (cap. 24.)

5. *Quàm pulchra tabernacula tua Jacob & tentoria tua Israël.*

6. *Ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvium irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri propè aquas.*

Reipsâ nullum spectaculum jucundius cogitari potest. Castra illa tam numerosa, tam extensa, insignita Dei Tabernaculo, magis in admirationem rapere poterant, quàm castra Romana, quæ tamen Pyrrhus Rex Epirotarum cernens, & universam speciem eorum admiratus dicebat, *barbarorum illorum ordinem minimè barbarum esse*. Homo Græcus,

A idest, superbus omnium nationum mores legesque prorsus contemnebat, hunc tamen veritas ipsa compulit ut castra Romana laudaret. Quibus ergo laudibus castra Israëlitica ei digna visa fuissent? Horum formam fuisse quadratam, & sic dispositam ut quodque latus responderet alicui ex quatuor plagis mundi, Moyses clarè innuit. Cum enim castra in quatuor partes, sive, ut ipse loquitur, in quatuor castra distribuisset duodecim Israëlitarum tribus, tres ad Orientem, tres ad Meridiem, tres ad Occidentem, tres denique ad Septentrionem locat, ut modo videbimus. Eâdem formâ Romani disponebant castra sua, ut nos docet Polybius, (lib. 6. Historiarum) quod scire nostrâ refert: ut quod in Romanis

B suspicitur, ab Hebræis ante mille annos observatum demiremur; & indè quantùm gens Hebræa cæteris nationibus antecelluerit constet. « Est autem castrametatio Romanorum hujusmodi, fari incipit Polybii Interpres. Quoties locus castris est captus, partem illius quæ ad prospiciendum & dandum mandata fuerit commodissima, Prætorium occupat, id est, ἡ τῦ στρατηγοῦ σκηνή, Imperatoris tentorium. » Sic ipse Deus voluit ut in mediis castris erigeretur Tabernaculum; cui, ut verisimile est, aptus locus eligebatur εἰς σύνοψιν ἅμα καὶ παραγγελίαν scilicet ut conspicuum esset, & inde Moyses & Aaron omnia prospicere possent, simul & mandata dare. *Vexillo autem eo loci posito ubi Prætorium sunt fixuri* τεθείσης δὲ σημαίας, pergit loqui Polybius. In castris

C Dei vexillum sive signum erat ista columna interdiu nubea, noctu ignea, quæ insidebat tentorio Domini exercituum. Signo, inquam, posito « ubi Romani Prætorium sunt fixuri, spatium quadratum circa ipsum vexillum sic metiuntur, ut ab eo latera omnia centum distent pedes, ac jugerum quatuor fiat area. Ad unum semper figuræ hujus aspectum ac latus, quod aquationibus pabulationibusque opportunissimum visum fuerit, Romanæ legiones isto modo collocantur. »

Fusè prosequitur istam castrorum Romanorum descriptionem Polybius. Dicit in partes illa divisa omnes ad lineam directas; majores vel minores pro ratione eorum qui in illis metabantur. Intercurre-

D bant viæ inter tentoria certis mensuris definitæ; qui ordo non solùm decorem sed & utilitatem conferebat. Etenim cùm castra latiùs extensa vix defendi possint, necesse est ut eâ formâ donentur, quâ fiant capaciora, sive capiant majorem hominum & rerum multitudinem. Id ordo facit. Etenim videre est sparsos lapides aut acervatim positos, facilè ad angustos limites revocari, quando aptè locantur. Trities centena millia, sive tres hominum milliones, quot possunt numerari in castris Israël, implessent non dico plura terræ jugera sed & regiones; nisi quod duo post ferè mille annos scimus factum à Romanis observasset Moyses. Romani habebant metatores, viros nempe qui scientiâ Geometriæ imbuti dirigebant

E ordines vicorum, dimetiebantur viarum spatia, tentoriorum intervalla; vici enim omnes & viæ ad normam dirigebantur tum ob ordinem ut diversa loca castrorum faciliùs & compendiosiùs adirentur; tum ut liberior aura, castra perflare posset ad æstum leniendum, tum ad corruptelas aëris purgandas. Machinula quâ utebantur metatores appellatur à Festo *groma*, à Græcis γνώμων. Hujus ope castra partiebantur in strigas; quâ voce intelligunt Scriptores qui de agrestibus mensuris & de castris loquuntur, ordinem rerum inter se continuatè collocatarum; quod una sint constrictè. Veluti in areolas dividebantur castra, quod non dubito observatum à Moyse; ut agmina Israëlitarum & tentoria sic ordinata essent, ut hic myriades; alibi chiliades, semi-

chiliades, centuriæ, decuriæ quæ aream occuparent congruentem & certis inter se intervallis distinctam. In primis cavit Moyses, ut nulla loca inania essent. Idcirco arearum forma quæ eis assignabatur habuit rectos angulos; nam ad continuandos papilionibus papiliones hæc forma apta est; cùm circularis nudam & inanem pedaturæ partem relinquat inter diversa tentoria; quin & in singulis tentoriis. Circulus quidem capacior est quâcunque aliâ figurâ, sed diversis vasis capiendis non ita idonea, rotunda tentoria. Quæ in columnâ Trajanâ exhibentur, omnia ferè quadrata sunt, & sic fastigiata, ut ex illis imber deflueret. Præterea citiùs & faciliùs parantur; nam decussatis lignis in duabus tentorii extremitatibus ubi transversum lignum impositum est, velum super illud extenditur, & sic fit tentorium militare. Hujus formæ quadratæ, puto fuisse Israëlitarum papiliones.

Romanorum castra unâ semper & eâdem formâ disponebantur; quod ipsis plurimam utilitatem præstabat ut fusè ostendit Polybius. Audiamus eum. » His brevi tempore expeditis, ut pote facili di- » mensione, quum omnia intervalla sint definita, » & ex familiari usu nota, mox vexillum defigere » solent, unum quidem & primum eo loco ubi Præ- » torium est ponendum, alterum in electo latere, » tertium in medio ejus lineæ ad quam Tribuni » tendunt, quartum in eâ ad quam legiones metan- » tur. Et cætera quidem punicea statuunt: At Im- » peratorium vexillum est album. In iis quæ sunt » ab alterâ parte Prætorii, modò nudas hastas defigunt » modò vexilla ex aliis coloribus. Secundùm hæc » strigas statim dimetiuntur. Strigæ in fonte Poly- » bii sunt ῥύμαι. Et in singulis earum hastas figunt. » Ut meritò postquàm appropinquaverunt legiones, » & locus castrorum potest conspici, omnia confes- » tim omnibus sint nota, vexillo Imperatoris pro in- » dicio utentibus ad cætera conjicienda. Denique » cùm nemo sit, quin sciat in quâ strigâ & quâ stri- » gæ parte tendat: quia semper eumdem singuli lo- » cum in castris occupant: simile quid evenit, ut » cùm urbem suam aliquis exercitus indigena in- » greditur. Tum enim rectâ à portis divertentes a- » lius aliò progrediuntur, & ad suas ædes sine erro- » re perveniunt; quia & in universum, & per par- » tes norunt, in quâ regione proprium cujusque sit » diversorium. Simile, inquam, his est, quod in » Romanorum castrametatione usu venit. » Certè quidpiam simile fiebat in Israëlitarum castris; quorum dispositionem cùm semel præcepisset Deus, verisimile est servatam ab illis toto eo tempore quo fuêre in deserto.

SECTIO V.

Quâ in regione castrorum quaque tribus ex Dei jussu tenderet.

Deus per Moysem & Aaronem mandat Israëlitis quæ debeat esse dispositio castrorum. Loquitur Moyses in Numeris cap. II.

1. *Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens:*

2. *Singuli per turmas, signa atque vexilla, & domos cognationum suarum, castrametabuntur filii Israël, per gyrum Tabernaculi fœderis.*

Singuli castrametabuntur juxta vexilla & signa domûs patrum suorum. Videbimus quamque tribum habuisse propria signa. Debebant tendere circum Tabernaculum, quod veluti Prætorium sive Imperatoris tentorium debebat media castra occupare. In fonte additur è regione; circa quidem Tabernaculum tendebant Israëlitæ, sed è regione; quia eorum castra non jungebantur cum castris Dei, ut dilucidiùs infra dicturi sumus. Deus verò definit regionem castrorum cuique tribui propriam.

2. *Ad Orientem Judas figet tentoria per turmas exercitûs sui: eritque princeps filiorum ejus Aminadab.*

4. *Et omnis de stirpe ejus summa pugnantium septuaginta quatuor millia sexcenti.*

Dispositionem Israëlitici exercitûs luculenter eo in loco explicat Scriptura. Primùm in quatuor castra, quibus quatuor principes tribuit Judam, Ruben, Ephraïm & Dan. In itinere prior incedebat Judas, ideò ad Orientem castrametabatur; quoniam versùs Orientem erat Israëlitarum iter.

5. *Juxta eum castrametati sunt de tribu Issachar, quorum princeps fuit Nathanaël filius Suar.*

6. *Et omnis numerus pugnatorum ejus quinquaginta quatuor millia quadringenti.*

7. *In tribu Zabulon princeps fuit Eliab filius Helon.*

8. *Omnis de stirpe ejus exercitus pugnatorum quinquaginta septem millia quadringenti.*

9. *Universi qui in castris Juda annumerati sunt, fuerunt centum octoginta sex millia quadringenti; & per turmas suas primi egredientur.*

Scriptura, ut dixi, omnem exercitum Israël partitur in quatuor castra; quibus præerant quatuor principales tribus, quibus duæ aliæ adjungebantur; sive singula castra habebant ternas tribus; quod hîc videre est; nam postquam codex enumeravit tres tribus Judam, Issachar & Zabulon, & inivit summam virorum in illis pugnatorum, colligendo tres summas, has ternas tribus appellat castra Judæ.

10. *In castris filiorum Ruben ad meridionalem plagam erit princeps Elisur filius Sedeur.*

11. *Et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt quadraginta sex millia quingenti.*

12. *Juxta eum castrametati sunt de tribu Simeon: quorum princeps fuit Salamiel filius Surisaddai.*

13. *Et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt quinquaginta novem millia trecenti.*

14. *In tribu Gad princeps fuit Eliasaph filius Duel.*

15. *Et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt quadraginta quinque millia sexcenti quinquaginta.*

16. *Omnes qui recensiti sunt in castris Ruben centum quinquaginta millia & mille quadringenti quinquaginta.*

Ruben erat una ex quatuor principalibus tribubus. Hic Scriptura dicit quæ tres tribus ei essent.

17. *Levabitur autem Tabernaculum testimonii per officia Levitarum & turmas eorum. Quomodo erigetur, ita & deponetur. Singuli per loca & ordines suos proficiscentur.*

Hîc fit mentio Levitarum, quoniam postquàm Judas primus cum adjunctis duabus tribubus, & Ruben secundus cum totidem tribubus fuerant profecti, tum Levitica tribus viam ingrediebatur cum Tabernaculo quod sic inter tribus medium erat. Duæ principales tribus præcedebant illud, subsequebantur aliæ duæ.

18. *Ad occidentalem plagam erunt castra filiorum Ephraim, quorum princeps fuit Elisama filius Ammiud.*

19. *Cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt quadraginta millia quingenti.*

20. *Et cum eis tribus filiorum Manasse, quorum princeps fuit Gamaliel filius Phadassur.*

21. *Cunctusque exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt triginta duo millia ducenti.*

22. *In tribu filiorum Benjamin princeps fuit Abidam filius Gedeonis.*

23. *Et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui recenſiti ſunt triginta quinque millia quadringenti.*

24. *Omnes qui numerati ſunt in caſtris Ephraim centum octo millia centum per turmas ſuas : tertii proficiſcentur.*

Ergo Ephraim tertia erat tribus principalis ex quatuor tribubus.

25. *Ad Aquilonis partem caſtrametati ſunt filii Dan : quorum princeps fuit Ahiezer filius Amiſaddai.*

26. *Cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati ſunt ſexaginta duo millia ſeptingenti.*

27. *Juxta eum fixere tentoria de tribu Aſer : quorum princeps fuit Phegiel filius Ochran.*

28. *Cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati ſunt quadraginta millia, & mille quingenti.*

29 *De tribu filiorum Nephtali princeps fuit Abira filius Enan.*

30. *Cunctus exercitus pugnatorum ejus quinquaginta tria millia quadringenti.*

31. *Omnes qui numerati ſunt in caſtris Dan, fuerunt centum quinquaginta ſeptem millia ſexcenti : & noviſſimi proficiſcentur.*

32. *Hic numerus filiorum Iſraël per domos cognationum ſuarum, & turmas diviſi exercitus ſexcenta tria millia quingenti quinquaginta.*

33. Levitæ autem non ſunt numerati inter filios Iſraël : ſic enim præceperat Dominus Moyſi.

24. *Feceruntque filii Iſraël juxta omnia quæ mandaverat Dominus. Caſtrametati ſunt per turmas ſuas & profecti ſunt per familias ac domos patrum ſuorum.*

Quatuor principales tribus occupabant quatuor angulos caſtrorum, & quæquæ cum duabus adjunctis unum latus : verbi causâ caſtra Juda, quæ conſtabant hacce tribu, & duabus aliis Iſſachar, & Zabulon, occupabant totum orientale latus ; ut videre eſt in ſchemate horum caſtrorum.

SECTIO VI.

De ſignis & vexillis per quæ caſtrametabantur Iſraëlitæ. Quæ cuique tribui propria : quis color eorum : quæ in illis ſymbola.

PAraphraſtes Chaldæus Jonathan filius Uzielis ſic explicat poſitionem caſtrorum Iſraël cap. 2. Numerorum. Caſtra Iſraëlis, inquit Ligfootus hunc interpretans, occupaverant milliarium duodecim longitudine, & latitudine itidem duodecim. Cæterùm qui caſtra habebant ſua versùs Orientem ; habebant inſignia trium colorum referentium tres lapides qui erant in pectorali, ſardium, topazium, & pyropum : & adſcripta inibi nomina tribuum *Judæ, Iſſacharis, & Zabulonis*, in medio autem, hæc verba : *Surge Jehova & diſpergantur inimici tui, & oſores tui fugiant à facie tuâ.* Eratque inibi depicta imago catuli leonis ; pro principe filiorum Judæ Nahaſſone filio Aminadab

Vexillum exercitus Rubenis caſtra habebat verſus meridiem per exercitus ſuos in quadrum milliarium quatuor ; inſignia verò ejus erant trium colorum referentium tres lapides in pectorali, chryſopraſium, ſaphirum, & adamantem ; atque inibi inſcripta erant nomina trium tribuum *Rubenis, Simeonis, Gadis* : in medio verò hæc verba. *Audi Iſraël, Dominus Deus noſter, Deus unus eſt.* Picta etiam forma *Hinnuli* ; juxta aliam verſionem ejuſdem Paraphraſeos, *cervi*. Pingenda verò fuerat forma juvenci ; ſed Moyſes Propheta immutavit, quia cavere voluit occaſionem cogitandi de vitulo.

Vexillum caſtrorum Ephraim per exercitus ſuos caſtrametabatur Occidentem versùs ; & caſtra eorum erant quatuor milliarium in quadrum ; inſignia verò illorum erant trium colorum referentium tres lapides in pectorali, cyanum, achatem, & amethiſtum. erantque inibi inſcripta nomina trium tribuum *Ephraïmi ; Manaſſis, & Benjaminis* ; inque medio hæc verba *Et nubes Domini erat ſuper ipſos de die quando proficiſcebantur è caſtris.* Picta etiam erat forma pueri.

Vexillum caſtrorum Danis Aquilonem versùs, & caſtra illorum quatuor milliarium in quadrum : & inſignia illorum erant trium colorum referentium tres lapides in pectorali, beryllum thalaſſium, ſardium, & jaſpidem ; erantque inibi inſcripta nomina trium tribuum *Danis, Nephtali, & Aſeris*, inque medio hæc verba. *Cùm verò quieſceret illa, dicebat ; revertere Jehova ad miriadas, ad millia Iſraëlis.* Picta etiam erat forma ſerpentis, vel aſpidis.

Hæc Ligfootus ex Paraphraſte Chaldæo : quem non pedatim ſecutum dicit. Omnes conveniunt Iſraëlitas caſtrametatos fuiſſe per ſigna & vexilla. *Singuli per turmas ſigna atque vexilla, & domos cognationum ſuarum caſtrametabantur.* Erigebantur vexilla, ubi ſingulæ tribus poſituræ erant caſtra ; & ibi ſtatuebant tentoria ; quæque על-דגלו *juxta vexillum ſuum.* Erant & ſingulis tribubus propria אות, id eſt ſigna. באתת לבית אבתם *in ſignis domûs patrum ſuorum* ; nempe quæ tribubus & cognationibus propria erant : κατὰ φῦλα, κατὰ φρατρίας, ſive κατὰ φρήτρας, ut loquitur Homerus [Iliad. B. 362.] Coloribus vexilla poterant diſtingui ; ſed nomen illud אתת *Othoth* videtur quidpiam aliud indicare, nempe ſymbola. In repræſentatione caſtrorum Iſraël videre eſt in ſingulis tribubus præfixam haſtam cum vexillo ; ſed non ſolùm tribus integræ, ſed & familiæ & cognationes habebant propria ſua ſigna, quibus à ſe invicem diſtinguebantur. Quid cuique tribui, cuique cognationi proprium fuerit, ſive in colore, ſive in ſymbolis ; nullus niſi vates dixerit ; neque enim codex ſacer diverſos vexillorum colores, neque figuras ſignorum explicat ; quod quidam comminiſcuntur. Conſtat in his fuiſſe aliquam diverſitatem ; alioqui nullum uſum præbuiſſent. Juxta Chaldæum Paraphraſtem, quem allegavimus, vexilla illa præferebant colorem lapidis qui in panno rationali judicii inſcriptus erat nomine ejus tribus, cujus erat vexillum. De iſto panno infra plurimus fiet ſermo. Juſſit Deus huic apponi duodecim lapides, quot ſunt tribus, quarum ſingularum nomina ſinguli lapides inſcripta haberent. Lapides autem illi duodeni, non erant ejuſdem coloris. Deus ipſe nominatim, ut videbimus, præſcripſit hos lapides, intuitus, quod veriſimile eſt in unoquoque aliquam proprietatem, quâ cuique tribui potiùs conveniret, ut ſuo loco dicetur, ſed incertum eſt quibus coloribus lapides illi eſſent inter ſe diſtincti. Horum nomina ſcripta habemus ; ſed rem ipſam ſive naturam non expreſſit Scriptura. Quaternus erat lapidum ordo. Terni lapides unius ordinis, ut quidam conjiciunt, erant ejuſdem coloris quoad ſpeciem ; ſed qui gradu diſtinguerentur. Verbi causâ, in primo ordine primus rubicundus, ſecundus rubicundior, tertius rubicundiſſimus. In ſecundo ordine lapides erant nigri ; ſed prius niger, ſecundus nigrior, tertius nigerrimus. In tertio ordine primus luteus, ſecundus majus luteus, tertius maximè luteus. In quarto ordine alius candidus, alius candidior, alius candidiſſimus. Ita vexilla colorem referebant lapidum, & ſic diſtincta erant, ut etiam ſuo colore oſtenderent

ad quam principem tribum attinerent. Puta in castris Judæ omnia vexilla essent ejusdem coloris, sed magis diluti, aut magis saturi. Ordo videtur postulasse causâ connexionis & distinctionis. Non conveniunt Judæi circa hæc signa. Vulgò quatuor tantùm memorant quatuor tribuum principum, Judæ, Ruben, Ephraim, & Dan. Rubeni assignat Jonathan pro bove, quem deberet habere, imaginem cervi; sive hinnuli; & Ephraim figuram pueri. Vulgò tamen cernitur bos in vexillo Ephraim, & facies hominis in vexillo Ruben, sicut aquila in Danis vexillo inter ungues suos tenens serpentem. Discordia illa arguit hæc omnia non fluere ex claris fontibus.

Philippus Aquinas, libellum scripsit Gallicè de castris Israëlitarum, in quo proponit Judæorum opiniones de illis vexillis. Id moris antiqui erat ut gens quælibet, quin sæpè singuli haberent propria sua insignia sive ab arte quam profitebantur, sive ab insigni aliquo facinore quod patraverant, sive ab aliquo casu aut propriâ re. Exemplum habemus apud Homerum, in cujus Odysseâ [lib. 11. v. 77.] Elpenor rogat Ulyssem ut illi statuat monumentum.

Ταῦτά τέ μοι τελέσαι, πῆξαί τ' ἐπὶ τύμβῳ ἐρετμὸν
Τῷ καὶ ζωὸς ἔρεσσον.

Hæc mihi perfice, figeque sepulchrum remum, quo etiam vivus remigabam. Hocce munus Æneas Miseno exhibuit apud Virgilium.

Ingenti mole sepulchrum
Imponit, suaque arma viro, remumque, tubamque.

Sicyonii habebant in clypeis suis sculptam literam *sigma*, ut videre est, apud Xenophontem, (lib. 4. Histor. Græcæ.) ut Lacedæmonii *lambda*. Ergo priùs ab Hebræis quàm à Græcis adinventa insignia, quæ ob multitudinem tribuum & familiarum distinctionem, necessaria erant in populo Dei.

Dum hîc disserimus de signis, & notata dicimus in vexillis Israëlitarum, forsan mentem Lectoris subeat illa cogitatio; illa debuisse deleri statim ac prohibuit Deus ne ulla fieret similitudo rerum quæ essent sive in cælo, sive in terrâ, verum ipsi Judæi hunc scrupulum eximunt. Maimonides in tractatu de Idololatriâ (cap. 3. Sectione 12.) » Vetitum est, in» quit ille, facere imagines etiam ornatûs gratiâ, » tametsi non fiant ad cultum idololatricum; quip» pe dictum est (Exod. cap. 20. v. 23.) Non fa» cietis mecum, &c. ac si diceret Non facietis ima» gines argenteas vel aureas, vel tantùm ornatûs » gratiâ, ne per eas seducantur errantes, atque exis» timent idololatriæ causâ factas. Non autem pro» hibitum est formare propter ornatum præter» quam hominis figuram; atque eam ob causam non » est formanda, aut ex ligno, aut ex calce, aut ex » lapide figura hominis: sed hoc capiendum est de » imagine quæ protuberat, quales sunt figuræ & » sculpturæ in palatiis, & his similes. Talem igitur » si quis fecerit, vapulat; sin figura sit depressa, vel » coloribus expressa, uti illæ quæ in tabulis men» sisve fiunt, aut quæ intextæ operi textorio, pro » licitis habentur. » Forma hominis, qualis exprimitur in vexillo Rubenis potuit esse depressa; nempe texta; ita non contraria legi.

Toties fit mentio symbolorum, quæ constarent faciebus hominis, leonis, bovis & aquilæ, ut illa fuisse apud Israëlitas usitata dubitare non liceat. Videmus eorum exercitum in quatuor agmina fuisse divisum; & quodque agmen habuisse ternas tribus;

A quibus propria signa. Congruebant quatuor dicta animalia quæ quemdam principatum tenent inter animalia, juxta illud effatum Talmudicum quod allegat Spencerus lib. 3. cap. 5. dissert. 5. *Quatuor sunt superbi*, vel excellunt, *in mundo: leo inter feras, bos inter jumenta, aquila inter volucres, homo verò super omnia. at Deus eminet super universa. Referunt autem Hebræi*; inquit Spencerus, *ex antiquâ majorum traditione, vexillum* Judæ *cum sociis tribubus, leonis*; Ephraim, *bovis*; Rubenis, *hominis*; Danis, *aquilæ signum prætulisse.* Hæc quatuor vexilla dicuntur in Numeris capite decimo דגלי מחנה id est, *vexilla castrensia.* Pro eo quod est in Vulgatâ 13. *Moveruntque castra primi juxta imperium Domini in manu Moysi.* 14 *Filii Juda per turmas suas,*
B *&c.* Fons verti potest: *Sic profecti sunt primùm ex præstituto Jehovæ per Mosem. Nam profectum est vexillum castrorum Jehudæ per exercitus suos.* Ubi autem de duabus adjunctis Jehudæ tribubus fit sermo non nominatur דגל *deghes*, id est, vexillum, sed simpliciter צבא מטה exercitus virgæ sive tribus filiorum Issachar, &c. ita de cæteris, ut quatuor tantùm modo numerentur דגלי *digle* vexilla.

Beckius in notis suis ad paraphrasim Chaldaicam Paralipomenorum, quam primus edidit, (lib. 1. cap. 12.) allegat *Bemidbar Rabbæ* seu glossam Numerorum, in quâ ex vetustâ traditione Hebræorum, tribus Zabulon & Issachar insignia describuntur. Tribui Zabuloni juxta hanc glossam Adamas
C in pectorali Pontificis maximi respondebat: mappæ verò seu campi ejus color albus fuit, in quo navis mercaturæ symbolum depictum erat. Issachar tribûs sapphirus erat in pectorali Pontificis maximi. Mappa verò seu campus insignium est coloris subnigri seu fusci parietis instar coloratus, in quo depicta sunt sol atque luna, testes & indices peritiæ in astris, quæ in Paralipomenis laudatur (lib. 2. cap. 12. v. 32.) *De filiis quoque Issachar viri eruditi qui noverant singula tempora.* Quem locum sic Paraphrastes Chaldæus, quem Beckius edidit, sic explicat. « Ex Issacharitis fuêre periti scientiæ temporum, id est, Chronologi, & docti in figendis initiis annorum atque mensium: in inter- «
D calandis quoque mense & annis, in novilunio in- « dagando, ad definienda hinc festa temporibus suis « celebranda, exercitati quoque in cognoscenda re- « volutione solis. «

Beckius dicit à se visos manuscriptos codices Hebraïcos ubi illa insignia depicta erant. Diversi diversa sentiunt. Sed peritiores Judæi satis conveniunt de quatuor præcipuis vexillis « Antiquiores nostri, inquit Abenezra, dicunt in tribu Ruben, homi « nem; in tribu Juda, leonem; in tribu Ephraim, « bovem; in tribu Dan, aquilam fuisse pro vexillo « Id ex traditione quod Hebræi didicerant, & ut videtur deduxerant ex antiquis vaticiniis; quæ enim Propheta Jacob pronunciavit de singulis tribubus respondent his symbolis. De Judâ sic vaticinatus
E fuerat. (Genes. cap. 49. v. 9.) *Catulus leonis Juda: ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti ut leo.* Non ergo abludit à vero tribum hujus nominis habuisse pro symbolo leonem. Cùm hæc tribus declaratur victrix in Apocalypsi, (cap. 5. v. 5.) dicitur de illâ; *vicit leo de tribu Juda.* Secunda castra scilicet tribus Ruben & adjunctarum ei tribuum insigne fuit humana facies. Philippus Aquinas dicit in Rubenis vexillo depictum hominem colligentem mandragoras. Narratur quidem in Genesi, (cap. 30. v. 13.) quòd Ruben adhuc juvenis collectas à se mandragoras detulerit matri suæ Lia. Indè factum ut vexillum ejus haberet faciem hominis, quia mandragora ab inferiore parte hominem refert,

Huncce fructum Columella semihominem appel- A lat. (lib. 10. de Cultu hortorum.)

Quamvis semihominis vesano gramine fœta
Mandragoræ pariat flores.

Alii verò hanc causam assignant cur humanam faciem præferret vexillum Ruben; quia fuerat ille filiorum Jacob primogenitus, & veluti caput totius domûs Israël juxta illa verba vaticinii Jacob (Genes. cap. 49. v. 3.) *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea.* In versione Græcâ: σκληρὸς αὐθάδης, id est, *durus pervicax*. Ita symbolum ejus potuit esse facies hominis duri & pervicacis. Ruben ducebat agmen in quo duæ aliæ tribus Simeonis & Gad. Videre est apud Philippum Aquinatem in signo Si- B meonis urbem, nempe Sichem, in memoriam interfectorum incolarum ab hacce tribu ob illatum stuprum Dinæ. Vexillum Gad exhibet exercitum sive turmam propter allusionem nominis. גד *Gad* idem sonans quod *turma*; & propter vaticinium Jacob (Gen. cap. 49. v. 19.) *Gad accinctus præliabitur ante eum.*

Tribus Joseph in duas scissa fuerat, Ephraim & Manasses. Tribus Ephraim una ex quatuor principibus, quæ agmen ducebant, habebat bovis imaginem pro signo. Jacob singulis tribubus benedicens Josephum his verbis alloquutus fuerat, quæ respiciunt Ephraim primogenitum filium ejus. [Deuter. cap. 33. v. 17.] *Quasi primogeniti tauri plenitudo ejus : cornua rinocerotis cornua illius : in ipsis* C *ventilabit gentes usque ad terminos terræ. Hæ sunt multitudines Ephraim, & hæc millia Manasse.* Imago monocerotis cernitur apud Philippum Aquinatem in vexillis Manasses. A plerisque rinoceros habetur pro monocerote; sunt tamen qui diversa animalia esse contendant. Insigne Benjamin erat lupus. De illo sic vaticinatus erat Jacob. [Genes. cap. 49. v. 27.] *Benjamin lupus rapax.* Judæi agnoscunt aquilam in vexillo tribûs Dan. Serpentem præfert in delineationibus Aquinatis. De Dan hocce vaticinium legitur inter Jacobi vaticinia. [Genes. cap. 49.]

16. *Dan judicabit populum suum, sicut & alia tribus in Israël.*

17. *Fiat Dan coluber in viâ, cerastes in semitâ,* D *mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retrò.*

Quia verò serpens non est animal pulcrum ut poneretur in vexillo, inquit Paulus Burgensis, ideò, datam ei aquilam in signum dicunt Judæi. Plantata exprimitur olea in vexillo Aser, symbolum pinguedinis quam huicce tribui portendebat vaticinium Jacob.

20. *Aser pinguis panis ejus & præbebit delicias regibus.*

Denique tribus Nephtali insigne fuit cerva juxta illud ejusdem Jacob vaticinium.

21. *Nephtali cervus emissus.*

In fonte אילה *aialah*, id est, cerva. Quæ in hoc E articulo protulimus, non sunt pariter indubitatæ fidei; sed nec omnia in dubium revocare licet. Iterum de his symbolis agemus infra, cùm sermo fiet de quadrigâ Dei; cui illigabantur quatuor symbola homo, aquila, bos, leo.

SECTIO VII.

Dimensiones castrorum Israëlis; & in illis dispositio Tabernaculi Dei circa quod Moyses & Aaron & cæteri Levitæ tendebant.

SOlos pugnatores castra Israël non complectebantur, sed & mulieres, pueros & servos; quorum ergo, quantùm fieri potest, ineundus numerus, ut eorum æstimari possint dimensiones. Monitum est prudens Flavii Vegetii in libris de re militari, ubi loquitur de castrametatione. (lib. 1. cap. 22.) « Pro numero autem militum, inquit ille, vel impedimentorum, muniendæ sunt castra, ne « major multitudo constipetur in parvis, neve pau- « citas in latioribus ultra quàm oportet, cogatur ex- « tendi. « Immensam castrorum Israël magnitudinem esse oportebat, quæ tantam multitudinem hominum & rerum caperent. Etenim ut dicitur in Exodo. (cap. 12. v. 37.) *Profectique sunt filii Israël de Ramesse in Socoth sexcenta ferè millia peditum virorum absque parvulis; sed & vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis, oves & armenta & animantia diversi generis multa nimis.* Viri illi pedites in fonte nominantur גברים *ghevarim*, hoc est, *fortes*, scilicet omnes bello idonei. Ita bellatorum ingens erat numerus, qui definitur in secundo capite Numerorum.

32. *Hic numerus filiorum Israël per domos cognationum suarum & turmas divisi exercitus, sexcenta tria millia quingenti quinquaginta.* In eo numero non censi sunt, nisi qui jam annum vigesimum attigissent apti bello; nec Levitæ, cujuscumque ætatis fuerint; ex jussu Dei siquidem non numerandi erant inter filios Israël. Non, inquam, numeratus omnis muliebris sexus; non servi, & quod solet appellari vulgus promiscuum. Vix numerus virorum qui bello idonei sunt, sexta pars censeri potest populi; cujus quinas partes mulieres, pueri, puellæ ad minimum conficiunt. Quod magis constat de Israëlitis; illis enim licebat duas & plures uxores ducere; quas fœcundas docet iste virorum bellatorum numerus. Ducentorum quindecim annorum spatio ex septuaginta capitibus tot homines nasci potuerunt; Deus enim voluit dare singulare specimen potentiæ suæ, implens promissionem de augendâ prole Abrahamiticâ. Itaque non ultra fidem est quod vulgò viri docti adstruunt, minimùm trecentas capitum myriades esse oportuisse, sive ter hominum milliones; quem & numerum superarent Israëlitæ, si cuique sponso & sponsæ adjungamus tres aut filios aut servos. Etenim 603550 numerus virorum bellatorum multiplicatus numero quinario conficit 3021750 nimirum plusquàm ter milliones. His par est addere oves, armenta, omnis generis animantia, omnemque illum apparatum, quo instructi Israëlitæ incedebant. Amplissima ergo decuit esse eorum castra *ne major multitudo constiparetur in parvis*, ut verbis Vegetii utar. Parisii cum pluribus suis tabulatis non habent plusquàm octingenta millia incolas; quantùm oportuit Israëlitica castra laxiora fuisse hac & urbe.

Præterea ipsa dispositio sive situs Tabernaculi in castris faciebat ut illa extenderentur; etenim castra singula totius exercitûs, sive omnia tentoria eorum qui non erant de tribu Leviticâ, saltem bis mille cubitis aberant à Tabernaculo Dei. Id Judæi adstruunt, & confirmatur testimonio sacri codicis. In itinere præcipitur intervallum bis mille cubitorum inter castra Israël & Tabernaculum. Præcones jussu Josuë [cap. 3.] ubi de profectione agitur, sic

clamant alloquentes Israëlem. A

3. *Quando videritis Arcam fœderis Domini Dei vestri, & Sacerdotes stirpis Leviticæ, portantes eam, vos quoque consurgite, & sequimini præcedentes;*

4 *Sitque inter vos & Arcam spatium cubitorum duûm millium: ut procul videre possitis, & nosse per quam viam ingrediamini, quia priùs non ambulastis per eam: & cavete ne appropinquetis ad Arcam.*

In castris, si fidem Judæis adhibemus, simile intervallum requirebatur inter castra quæ vocantur Dei, ubi tendebant Moyses & Aaron cum Levitis, & inter cætera Israëlitarum tentoria. Item conveniunt Judæi castrorum eam fuisse mensuram nempe duodecim milliaria tum in longitudine; tum in latitudine. Non definiunt quæ illa sint milliaria, an B passuum, an cubitorum. Credo subintelligendos cubitos, cujus mensuræ frequentior est usus in Scripturis; & de illis fit sermo in loco allegato ex Josuë. Audiamus Jonathan filium Uzielis in suâ paraphrasi capitis secundi Numerorum. *Castrorum Israël longitudo fuit duodecim milliarium & latitudo eorumdem duodecim milliarium.* Idem Paraphrastes definit eodem in loco mensuras castrorum Dei sive Levitarum. *Et proficiscatur Tabernaculum conventus cum castris Levitarum in medio castrorum & castra eorum per quatuor milliaria jacentia in medio proficiscebantur.* Ergo juxta Jonathanem in medio castrorum Israël statuenda pro castris Dei quadratura cujus longitudo esset quatuor mille cubitorum; & æqualis C mensuræ latitudo; ita ejus area erat sexdecim mille cubitorum. Cùm omnium castrorum sive longitudo sive latitudo esset 12 mille cubitorum, tota area erat 144000000 cubitorum, ex quibus detractis 16000000 restant 128000000, quos cubitos occupabant quatuor alia præcipua castra, cum agminibus suis. Latera quatuor simul sumpta erant duodecim mille cubitorum, qui faciunt viginti mille pedes, sive ter mille trecentas triginta tres toisias cum duobus pedibus; nempe leucam integram cum toisiis $1050\frac{1}{2}$

Dispositio castrorum Dei, in quibus erat Tabernaculum cum tentoriis Leviticæ tribûs declaratur in Scripturâ. Hæc tribus divisa erat in quatuor D familias. Prima Moysis erat & Aaronis, penes quam cessit Sacerdotium. Tres aliæ tribus erant Gersonitarum, Caathitarum & Meraritarum. Quibus in partibus hæ quatuor familiæ metarentur legimus in capite tertio Numerorum ubi Levitica tribus censetur.

14. *Locutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinaï, dicens:*

15. *Numera filios Levi per domos patrum suorum & familias, omnem masculum ab uno mense & suprà.*

Omne primogenitum sive hominum sive animantium offerebatur Deo, ut mactaretur vel redimeretur, post unum ab ortu mensem. Ideò Levitæ qui E omnes Deo debebantur non minùs quàm cæterorum Israëlitarum primogeniti, censentur ab eâ ætate.

16. *Numeravit Moyses, ut præceperat Dominus.*

17. *Et inventi sunt filii Levi per nomina sua, Gerson, & Caath, & Merari.*

18. *Filii Gersonis, Lebni & Semei.*

19. *Filii Caath: Amram & Jesaar, Hebron & Oziel.*

20. *Filii Merari: Moholi & Musi.*

21. *De Gerson fuêre familiæ duæ, Lebnitica & Semeitica.*

22. *Quarum numeratus est populus sexûs masculini ab uno mense & suprà, septem millia quingenti.*

23. *Hi post Tabernaculum metabuntur ad occidentem.*

Non ergo quatuor castra in quæ Levitæ cum Sacerdotibus dividebantur, posita erant in angulis Tabernaculi; sed tenebant latus unum quadraturæ ejus, quæ circumscribebat castra Dei. Gersonitæ castrametabantur ponè ad Occidentem Tabernaculi; undè discimus quam plagam mundi spectaret ostium ejus. Ibi Moyses præscribit munera cujusque familiæ Leviticæ, ministeria ejus sive in excubando circa Tabernaculum, sive in portando partes ejus tabulas, cortinas, vasa. De iis sermo erit cùm datâ operâ disseremus de ministerio Tabernaculi.

27. *Cognatio Caath habebat populos Amramitas & Jesaaritas, & Hebronitas, & Ozielitas. Hæ sunt familiæ Caathitarum recensitæ per nomina sua.*

28. *Omnes generis masculini ab uno mense & suprà, octo millia sexcenti habebunt excubias Sanctuarii.*

29. *Et castrametabuntur ad meridionalem plagam.*

Latus meridionale castrorum Dei Caathites occupabant. De ministerio eorum alibi agemus.

33. *At verò de Merari erunt populi Moholitæ & Musitæ recensiti per nomina sua.*

34. *Omnes generis masculini ab uno mense & suprà, sex millia ducenti.*


35. *Princeps eorum Suriel filius Abihaiel: in plagâ septentrionali castrametabuntur.*

Restat quartum latus castrorum Dei in quo latere tendebant Moyses & Aaron.

38. *Castrametabuntur ante Tabernaculum fœderis, id est, ad orientalem plagam Moyses & Aaron cum filiis suis, habentes custodiam Sanctuarii in medio filiorum Israël, quisquis alienus accesserit morietur.*

Sic certò cognoscitur dispositio sive situs Tabernaculi in castris Israël. Situm erat in medio filiorum Israël; & pars ejus quâ adibatur spectabat solem orientem. Deus qui voluit quemque ex tribubus Israël conferre aurum, argentum, æs, lanam, linum ad conficiendum Tabernaculum, sinit ut ex exoticis scriptoribus hùc afferamus quæ ad illustranda castra Israël possunt inservire. Xenophon laudatissimus Scriptor, ut Cyri sapientiam prædicet, narrat quantâ sapientiâ solitus esset sua castra disponere; quæ dispositio videtur imitari & referre castra Israël. Sic Xenophon libro octavo historiarum ubi de expeditionibus Cyri loquitur. « Ubicunque Rex castra habet, ibi omnes illi, qui circum Regem « versantur sub tentoriis tam æstate, quàm hyeme, « militant. Et statim quidem ipse Cyrus hoc insti- « tuit, ut tentorium ita figeretur, quo solem orien- « tem spectaret. Deinde primùm quanto ex inter- « vallo à Tabernaculo Regio abesse satellitum ten- « toria deberent, ordinavit. Post hos locum dex- « trum iis quibus esset mandata panis conficiundi « cura, adsignavit; quibus obsoniorum, sinistrum: « equis item dextrum, sinistrum jumentis cæteris. « Erant sic etiam distincta cætera, ut quisquis sta- « tionem suam, tum mensurâ, tum loco nosset. « Quum verò vasa colligunt, quisque vasa illa com- « ponit, quorum ipsi assignatus est usus, ac rur- « sum alii jumenta ea imponunt. Quo fit ut simul « omnes impedimentorum vectores ad ea veniant, « quibus vehendis, ipsi sunt destinati; & simul quis- « que suis jumentis sua imponat. Ita tempus idem « uni tabernaculo & omnibus tollendis sufficit. Ea- « dem est impedimenta deponendi ratio. Præterea « singulis est imperatum, quid facere debeant, ut « omnia necessaria parentur opportunè. Idcirco tem- « pus idem & uni parti & omnibus, ad ea paranda « sufficit. Atque uti suus erat locus ministris hæc «

Forma Castrorum Israel secundum Samuel ... Reyherum



Ephraim, Manasses, Benjamin, Gad, Dan, Gersonitæ, Caathitæ, Meraritæ, Simeon, Aser, Tabernaculum, Moyses, Aaron, Ruben, Nephtali, Zabulon, Issachar, Juda

Tab IV. *Castra Israël, ex nostra opinione*

» necessaria curantibus, sic & armati milites in me- A » tatione castrorum locum illum habebant, qui ar- » maturæ cuivis aptus esset, & quis esset is, norant; » adeoque universi eum sic occupabant, ut minimè » de eo ambigerent. Nimirum arbitrabatur Cyrus, » etiam in familiâ præclarum esse studium colloca- » tionis aptæ: quandoquidem hoc modo, si aliquâ » re quis fortè indiget, planum est, quo ire debeat, » ut eam sumat: sed multò pulchrius æstimabat es- » se, militares tribus apta collocatione distribui, » quum in usu rerum bellicarum, quanto magis su- » bitæ sunt opportunitates occasionum, tanto plus » ab iis delinquatur, qui tardiùs in iis se gerunt. » Per illos vero, qui maturè adsunt, ea fieri vide- » bat, quæ bellicis in rebus quantivis pretii sunt. B » Hæc causa fuit, cur aptæ hujus collocationis per- » studiosus esset. Ac primus quidem ipse castro- » rum in medio se collocabat, quod is locus esset » quàm munitissimus. Deinde circum se fidissimos » quosque.

Plura exscribere non vacat. Juvaret oculis exponere formam castrorum Israël. Picturam vides horum satis elegantem, sed non forsan utique veram. Æquis spatiis & intervallis distribui castra inter omnes tribus ordine qui oculis placeret; sed cùm Scriptura indicet non parem virorum armatorum numerum fuisse in singulis tribubus, non verisimile est parem locum fuisse omnibus designatum; alioqui quædam castra fuissent aut laxiora, aut angustiora quàm par erat. Samuel Reyherus in libro quem C inscripsit Mathesim Mosaicam, sive loca Pentateuchi Mathematica mathematicè explicata, excogitavit dispositionem, quæ verbis sacri codicis congrueret, in quâ quæque tribus haberet locum convenientem. Eam exhibet tabula quarta ænea, cum forma castrorum Israëlis, quam excogitavi oculis magis gratam. Sed & Reyheri dispositio potest quidem dici verisimilis; sed non absolutè vera; primum quia non ita certi esse possumus de numero pugnatorum qui in quaque tribu numerabantur, ut indubitatum sit unitates non defuisse hisce numeris qui leguntur in sacro codice. Præterea pendet ex arbitrio calculatoris ex eodem militum numero constituere agmina vel quadrata, nempe quorum la- D tera paria sint, vel inæqualia ut alia latera fuerint breviora, alia longiora. Etenim ex eodem numero prout diversa latera in eo supponuntur, vel quadrata, vel parallelogramma esse possunt, & inter parallelogramma augeri potest vel latitudo vel longitudo. Scriptura exhibens numerum militum qui erant in quoque agmine, non definit latitudinem nec longitudinem ejus.

SECTIO VIII.

Castra Israëlitarum erant veluti pars Tabernaculi; ideò sancta. De disciplinâ eorum castrensi, sive ratione quâ omnia in illis administrabantur. E

TOt tantisque signis Deus se præsentem testabatur in Israëlitarum castris, ut illa pro templo haberi possent. Quid enim aliud est templum quàm locus, quem Deus beneficiis suis, & gloriæ suæ majestatisque signis videtur incolere? Ab illis castris veluti à sacrâ æde omne immundum arcendum erat. Hoc est quod præcepit Deus; causam præcepti dans suam in castris præsentiam in capite vigesimo sexto Levitici.

11. *Ponam Tabernaculum meum in medio vestri, & non abjiciet vos anima mea.*

12. *Ambulabo inter vos & ero Deus vester, vosque eritis populus meus.*

In templo quod Salomon ædificavit & inhabitavit Deus, spatiosa atria, ut declaraturi sumus, repræsentabant castra Israëlitarum Quapropter cùm atria templi meritò pars ejus censeantur, & castra pertinebant ad Tabernaculum; ut illa similiter pro loco sancto haberentur, & omnis Israëlitarum exercitus templum constitueret. Igitur ab hisce castris oportebat omnem immunditiam abesse; quod præcipit Deus in capite quinto Numerorum.

1. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:*

2. *Præcipe filiis Israël ut ejiciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusque est super mortuo.*

3. *Tam masculum quàm fœminam ejice de castris, ne contaminent ea cùm habitaverim vobiscum.*

Juvat audire quod Josephus [lib. 1. contra Appionem] scribit de leprosis. « Leprosis enim & oppidis & vicis interdixit Moses, ut seorsim in lace- « ro vestitu agant: & eum qui eos attigisset, aut « sub idem tectum successisset, pro impuro habet: « Quin etiam si eo morbo liberari & in pristinum « restitui contingat, præscripsit certas purificationes « mundationes, & fontanarum aquarum lavacra, & « omnium pilorum abrasiones: multisque & variis « sacrificiis peractis, tum demum sanctam urbem « adeundam; » nempe Jerusalem quæ repræsentabat castra Israël. Mundities quæ in lege præcipiebatur, tota erat symbolica. Neque enim tanti est corpus carere sorde quæ non attingit animos, nec omnino eos polluit; qualis est quæ contrahitur ex attactu cadaveris; dum quis debito pietatis munere defungens, illud fasciis sepulcralibus involvit, aut terræ mandat, devolvens illud in foveam. Symbolis ergo indicat tantùm Deus mentem ab omni vitiorum labe puram servandam. Paulus ad hæc omnia alludens & ostendens in Christianis completos veteres typos, nempe jam reipsâ Deum inter illos inambulare: Paulus, inquam, ex præsentiâ Dei inter eos concludit, quantâ curâ omnes Christiani debeant à se amovere omnem animi immunditiem. Sic loquitur in secundâ Epistolâ ad Corinthios capite sexto.

16. *Qui autem consensus templo Dei cum idolis? vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.*

17. *Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis.*

Miris legibus omnia ordinata in castris Israël; adeò ut etiam providerat Deus ne sordibus inquinarentur, quibus exonerari postulat natura. In Deuteronomio cap 23. sic loquitur Deus.

10. *Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra,*

11. *& non revertetur, priusquàm ad vesperam lavetur aquâ, & post solis occasum regredietur in castra.*

12. *Habebis locum extra castra ad quem egrediaris ad requisita naturæ,*

13. *gerens paxillum in balteo. Cùmque sederis, fodies per circuitum, & egesta humo operies,*

14. *quo relevatus es (Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum, ut eruat te, & tradat tibi inimicos tuos.) & sint castra tua sancta, & nihil in eis appareat fœditatis ne derelinquat te.*

Adverte, Lector, istam locutionem, *Cùmque sederis*, quod honestè dicitur pro *egerere excrementa.* Locum autem in quo quis sederat, postquàm surrexerat, terrâ operire debebat, ne apparerent sordes. Ideò Israëlitæ gerebant in balteo paxillum quo effodiebant terram. His legibus Deus signifi-

cabat, quantum olim provideret ne Ecclesia sua pollueretur. Sed subit mentem leges illas benignè interpretandas esse. Etenim quando urgeret necessitas, poterant ne Israëlitæ tantum emetiri spatium, præsertim Levitæ qui Tabernaculo proximiores, ab extremis castrorum limitibus aberant sex fere mille cubitis, qui faciunt plusquam mille sexcentas & sexaginta sex hexapedas Parisinas. An senes, an pueri, an mulierculæ, an omnes qui erant infirmæ valetudinis potuissent conficere tantum itineris intervallum? Nisi quis sic interpretetur illud Psalmi 104, *& in tribubus eorum non erat infirmus*, ut toto eo tempore morbis non obnoxii fuerint Israëlitæ. Possumus etiam intelligere dictum mandatum non absolutum fuisse; sed conditionatum, quantùm scilicet fieri poterat. Advertendum est omnia fuisse miraculis plena in hisce castris; nam & per quadraginta annos vestimenta Israëlitarum non fuêre detrita. Denique alia conditio erat Israëlitarum qui manna tantùm vescebantur; nempe ut ipsi dicebant, cibo levissimo; ut tam frequenter venter non illis esset exonerandus. Israëlitarum castra illustraturus comparatione illorum quæ potissimum commendantur, adducam quæ de castris Romanis dixit Josephus [lib. 3. de Bello Jud. c. 3.] Cùm prædicasset eorum exercitationes tempore pacis ut bello semper parati sint eorum milites, subdit. « Nam ne repentino quidem hostium incursu opprimi possunt: sed quocumque in hostilem terram irruperint, non nisi permunitis castris prælio decernunt, quæ quidem non levi opere, nec iniquo loco erigunt, nec inordinatè describunt: sed siquidem inæquale solum fuerit, complanatur: quatuor verò angulis horum dimensio designatur. Nam fabrorum multitudo, & ferramentorum copia, quæ usus exstructionis postulat, sequitur exercitum. Et interior quidem pars castrorum tabernaculis distribuitur, ambitus autem eorum extrinsecùs muri faciem præfert: ordinatis etiam turribus pari spatio dispositis, quarum intervalla catapultis atque balistis, & aliis machinis saxa intorquentibus, omnibusque instrumentis missilium complent, ut cuncta scilicet jaculorum genera in promptu sint. Portas autem quatuor ædificant, tam jumentis aditu faciles, quàm ipsis, si quid urgeat, intro currentibus latas. Intus autem castra vici spatiis interpositis dirimunt, mediaque rectorum tabernacula collocant, & inter hæc Prætorium Divûm templo simillimum: prorsus ut quasi repentina quædam civitas existat. Forum quoque & opificum stationes & sedes militum primatibus, ordinumque principibus, ubi si qua sit inter alios ambiguitas judicent. Ipse verò ambitus, omnia quæ in eo sunt, multitudine & scientiâ fabricantium, opinione citiùs communitur; qui, si res urgeat, fossâ extrinsecùs cingitur depressâ cubitis quatuor, parique spatio latâ. Armis autem septi per contubernia cum decore atque otio in tentoriis agunt: omniaque ab his ordinatè etiam alia, caute per contubernia expediuntur: veluti si ligno aquâve opus sit, aut frumento: nec enim cœna vel prandium cùm voluerit, in potestate cujusque est, simul autem somnus est, excubias & vigilandi tempora buccinæ significant, neque est omnino quicquam quod sine edicto geratur. Mane autem milites ad Centuriones, illi verò ad Tribunos conveniunt salutatum; cum quibus ad summum omnium ducem universi ordinum principes. Ille autem his signum aliaque dat ex more præcepta proferenda subjectis: quibus etiam in acie circum aguntur, quò opus est ac universi pariter incurrunt, itemque sese recipiunt. »

Omnia ordinaverat Deus etiam quoad cibos; nam singulis diebus mane eâdem horâ Israëlitæ colligebant manna quantùm sufficiebat; neque enim qui plus collegerat, habuit ampliùs. Verumtamen præceptum erat ut die sextâ pararent manna pro sequenti sabbato, quo erat quiescendum. Non longè aquatum ibant Israëlitæ, etenim, ut dicit Paulus 1. Corinth. cap. 10. v. 4 petra ex quâ percussâ Moyses aquam eduxerat, eos sequebatur; nempe effectus. Quin indè deducebantur rivi per castra Israëlitarum toto eo tempore, per quod peregrinati sunt in deserto; ut ab omni parte castra eorum insignirentur miraculis. Stata erant tempora precum quas fundebant Deo accedentes àd tabernaculum, ut Imperatorem salutaturi milites Romani conveniebant ad Prætorium. Apud eos pauci numero milites excubabant ante Prætorium sive tentorium Imperatoris, ut nos docet Polybius disserens de Romanis castris [lib. 6.] « Unus porro è cunctis manipulis, suam quisque vicem Imperatori excubat, qui & tutum ab insidiis eum præstat, & imperii majestatem simul ornat. » Excubiis autem agendis circa tentorium Dei destinati erant Levitæ omnes quorum numerus initur in tertio capite Numerorum.

39. *Omnes Levitæ, quos numeraverunt Moyses & Aaron juxta præceptum Domini per familias suas in genere masculino à mense uno & suprà, fuerunt viginti duo millia.*

Vacabant illi à militiâ, soluti omni alio munere, ut Deo deservirent. *Et habebunt excubias in Tabernaculo fœderis*, ut in eo capite dicitur de singulis Levitarum familiis. Præceperat Deus Israëlitis ut ipsi facerent domum & vasa quasi domûs Regiæ, in quâ habitaret in solio gloriæ. Sic voluit Deus & haberi bellator sive Imperator, ut nominis sui terrore impleret animos Israëlitarum, & avocaret eos à contemptu legum suarum. Mediis itaque in castris erectum est Tabernaculum ejus, circa quod, ut in exercitu fit, Israëlitæ tenderent. Tabernaculi, pariter & castrorum exemplar puto præmonstratum fuit Moysi. Scilicet apparuit ei Deus residens in Tabernaculo cum exercitu quo postea illud circumdatum est. Vegetius dicit [lib 2. de Re militari cap. 23.] in castris Romanis juniores bis in die veteres etiam, semel in die fuisse omni armorum genere exercitos. Israëlitæ soluti erant omni labore: suppetebat illis cibus de cælo, manna pluebat. Sequebantur eos aquæ: vetustate nec vestes nec calcei deterebantur. An erudirentur ad prælia, an assuescerent hostem ferire, se protegere, ordines servare, & cætera munia obirent quæ in castris fieri solent sacer codex non declarat. Attamen liquet sic omnia ordinata fuisse, ut sine confusione & vexillorum permixtione stare, incedere & pugnare possent, sed quia vacabant à laboriosis exercitiis illis, quibus Romani providebant ne milites in sedibus otiosè delicatèque viventes, moverent tumultum; ideo sæpius non quieti erant Israëlitæ. Sed Deus qui præmittebat in deserto typum Ecclesiæ suæ, volebat, ut ab omni alio munere liberi animos & manus unico suo cultui admoverent.

SECTIO

SECTIO IX.

De caſtrametatione & profectione, caſtrorum munitione, numero portarum & tabernaculorum materiâ.

REſtat ut paucis de caſtrametatione agamus & profectione. Ut his quoque lucem accerſamus ex caſtris Romanorum, iterum audiamus Polybium. » Peractâ metatione caſtrorum, inquit ille, » ore ſui Latini Interpretis, conveniunt in unum » Tribuni, & ab omnibus qui in unaquaque legio- » ne ſunt liberi aut ſervi, jusjurandum exigunt, vi- » ritim ſingulis jurantibus. Eſt illud hujuſmodi:
B » nihil è caſtris ſe furaturum: verùm & ſi quid for- » tè aliquis invenerit ad Tribunos relaturum. Ut caſtrorum viæ latæ eſſent & mundarentur ſcopis diligenter curam adhibebant Tribuni. Sic ordinabatur profectio apud Romanos. » Profectionem è » caſtris hoc modo inſtituunt, pergit loqui Inter- » pres Polybii. Simul datum eſt primò ſignum, » tentoria omnes detendunt; & vaſa colligunt. Cæ- » terùm neque aufferre neque figere ſuum cuiquam » Tabernaculum priùs fas eſt, quàm Tribunorum » & Imperatoris fuerint tenſa aut detenſa. Ubi au- » tem editum iterum eſt ſignum, ſarcinas jumentis » imponunt. At tertio dato ſigno, primos oportet » procedere & tota caſtra movere. Hanc profectio-
C nem militum Romanorum ſic paucis verbis explicat Joſephus. [lib. 3. de Bello cap. 3.] » Cùm au- » tem caſtris egrediendum eſt. tuba indicium facit: » nemoque otioſus eſt; ſed vel ſolo nutu moniti, » tabernacula tollunt, omniaque ad profectionem » inſtruunt. Deinde iterum tuba ut ſint parati ſig- » nificat. Illi autem cùm mulos ac jumenta ſarcinis » oneraverint, velut in curuli certamine ſignum ex- » pectant. Nempe cùm ſigno dato, aurigæ laxant equis habenas, ut currus abripiantur. Similia obſervata in caſtris Iſraëliticis ex juſſu Dei, legimus in capite primo Numerorum.

51 *Cùm proficiſcendum fuerit, deponent Levitæ Tabernaculum: cùm caſtrametandum, erigent.*

D Nullus autem Iſraëlita auferebat vel figebat tentorium ſuum antè juſſum Dei, quem manifeſto ſigno declarabat, nubes enim illa operiens Tabernaculum movebat ſe aut quieſcebat, prout movenda vel metanda caſtra, ut narratur in Numeris capite 11.

15. *Igitur die quâ erectum eſt Tabernaculum, operuit illud nubes. A veſpere autem ſuper tentorium erat quaſi ſpecies ignis uſque mane.*

16. *Sic fiebat jugiter? per diem operiebat illud nubes, & per noctem quaſi ſpecies ignis.*

17. *Cùmque ablata fuiſſet nubes, quæ Tabernaculum protegebat, tunc proficiſcebantur filii Iſraël: & in loco, ubi ſtetiſſet nubes, ibi caſtrametabantur.*

E 18 *Ad imperium Domini proficiſcebantur, & ad imperium illius figebant Tabernaculum. Cunctis diebus quibus ſtabat nubes ſuper Tabernaculum, manebant in eodem loco.*

19. *Et ſi eveniſſet ut multo tempore maneret ſuper illud, erant filii Iſraël in excubiis Domini & non proficiſcebantur,*

20. *quot diebus fuiſſet nubes ſuper Tabernaculum. Ad imperium Domini erigebant tentoria, & ad imperium deponebant.*

21. *Si fuiſſet nubes à veſpere uſque mane, & ſtatim diluculo Tabernaculum reliquiſſet, proficiſcebantur: & ſi poſt diem & noctem receſſiſſet, diſſipabant tentoria.*

22. *Si verò biduo aut uno menſe vel longiori tempore fuiſſet ſuper Tabernaculum, manebant filii Iſraël in eodem loco, & non proficiſcebantur: ſtatim autem ut receſſiſſet, movebant caſtra*

23 *per verbum Domini figebant tentoria, & per verbum illius proficiſcebantur: erantque in excubiis Domini juxta imperium ejus per manum Moyſi.*

Non pendent ex nominibus talia ſigna Solo tubarum ſonitu, aut motu & indicio vexillorum poſſunt Imperatores indicere vel profectionem vel ſtationem; ſed ductor populi Iſraëlitici Deus erat; ideo ſigno utebatur, quod gloriæ ejus conveniebat. Attamen & Iſraëlitæ ex ejus juſſu utebantur tubis; quas faciendas præcipit in capite ſequenti.

1. *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:*

2. *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare poſſis multitudinem, quando movenda ſunt caſtra.*

3. *Cùmque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad oſtium Tabernaculi fœderis.*

4. *Si ſemel clangueris, venient ad te principes & capita multitudinis Iſraël.*

5. *Si autem prolixior atque conciſus clangor increpuerit, movebunt caſtra primi qui ſunt ad orientalem plagam.*

6. *In ſecundo autem ſonitu & pari ululatu tubæ, levabunt tentoria qui habitant ad meridiem, & juxta hunc modum reliqui facient, ululantibus tubis in profectionem.*

7. *Quando autem congregandus eſt populus, ſimplex tubarum clangor erit, & non conciſè ululabunt.*

8 *Filii autem Aaron Sacerdotes clangent tubis: eritque hoc legitimum ſempiternum in generationibus veſtris.*

Joſephus dicit Moyſen inveniſſe ſpeciem βυκάνη *buccinæ*, quam ſic deſcribit. Antiq. lib. 3. cap 12.] Longitudinem habet cubitali paulo minorem. Arcta eſt ſyrinx, id eſt canna, tibiâ paulò craſſior, cu- » jus os tantùm patebat, quantùm ſufficeret ad ex- » cipiendum ſpiritum, deſin batque in extremitatem » campanulæ ſimilem, quemadmodum tuba σάλπιγξ »
D Sunt qui opinantur tubam ceciniſſe ad Sanctuarium, deinde exceptam ab aliis; neque enim hujus ſonitus ad extrema caſtra pervenire potuiſſet quorum tantus erat ambitus.

Priuſquam finem faciamus dicendi de caſtris Iſraëliticis, quærere decet an aliquo militari ſepimento concluſa fuerint, nempe foſsâ & terreo aggere. Illa vallo foſsâ & militari ſepto circumdedimus, quin & circumfluentibus aquis; ut denotaremus miraculum de quo Paulus 1. Corinth. 10. 4. *Bibebant autem de ſpiritali, conſequente eos, petrâ: petra autem erat Chriſtus.* Reipsâ Iſraëlitæ biberunt de aquâ, quam eduxerat Moyſes ex petrâ, ſive rupe, quam percuſſerat, ex quâ, ut volunt Judæi, rivus inde profluens ſequebatur patres eorum in deſerto, ita ut quacunque in ſtatione non illis potus deficeret.
E Alii aliter rem concipiunt, nimirum utres impleviſſe aquis de petrâ, quæ ita eos ſequi videretur. Præibat illis Chriſtus; quia hæc petra erat typus Chriſti, ex quo fluit omnis ſpiritualis gratiæ potus. Ergo caſtra Iſraël munimentis non indiguiſſe cenſemus perinde ac Romanorum legiones, quæ numero paucæ comparatæ cum exercitibus Iſraëliticis, protegendæ erant munitione ab inimicis; ſed ſexcenta hominum millia qui erant in caſtris Iſraël, omnes viri bellatores, non impunè laceſſebantur. Signari autem poterant aliquo limite; neque enim illis inerant portæ. Certè portarum numerum non definit Scriptura. Civitas quidem illa quæ Joanni in Apocalypſeos capite 21. conſpicua facta eſt, & videtur affinis caſtris Iſraël; habebat tres portas in ſingulis

ſu s lateribus. Sed illa lata erant duodecim mille ſtadiis, quod intervallum multo majus eſt. Si caſtra Iſraëlitica totidem portas habuerint, ſive tres præcipuos exitus, ſingulæ reſpondebant ſingulis tribubus, quæ unum latus tenebant.

Ut de materiâ & formâ tabernaculorum quidpiam dicam, obſervabo illa ſub quibus agebant tum milites, tum paſtores, confecta fuiſſe ex pellibus, quæ diu durant propter pilos ex quibus imber defluit; & perindè ac veſtes Iſraëlitarum non detrita ſunt. Has Iſraëlitæ parare potuerant in Ægypto ſicut & alia pleraque ſecum aſportare. Tum & ſecum deduxerant armenta; neque enim ſtatim manna pavit eos; ita his pellibus uti potuerunt, quas detraxerant ſuo pecori. Ex ramis & foliis arborum ſua tabernacula Iſraëlitas contexuiſſe innuit Philo, cùm de ſecundâ eorum in deſerto ſtatione in Elim loquens, obſervat ibi fuiſſe multas arbores; quaſi dicere voluerit ex arboribus decerptas frondes ad conflanda tabernacula; ſed ibi tantùm mentionem facit ſeptuaginta duarum palmarum, quæ erant in Ælim. Facta autem ex ramis arborum tabernacula ſaltem quædam, non ſpernendum eſt argumentum quòd & hodie Iſraëlitæ in feſto Tabernaculorum ſibi conſtent talia tabernacula, quia ſub illis patres ſuos degiſſe tempus ſuæ peregrinationis in deſerto opinantur. Quod ad formam Tabernaculorum, jam dixi Romanorum tentoria fuiſſe quadrata, ut exhibent quæ in vetuſtis monumentis expreſſa ſunt. Rotundi vaſis capacior eſt figura, & plus liquoris recipit; ſed non ita eſt de tentorio rotundo in quo diſponendæ ſarcinæ His capiendis magis idonea eſt figura quadrata. Ipſum & Tabernaculum Dei erat quadrangulum.

CAPUT III.

De Tabernaculi fabricâ. De tabulis quibus compingebatur, & de velis, cortiniſque ejus. Huic conflando elegit Deus artifices, quos implevit ſcientiâ; quibus & ſuppetiit materia ex ſpontaneis donis. Exponuntur menſuræ Tabernaculi, columnæ, cortinæ quibus terminabatur.

SECTIO I.

Deus elegit Beſeleel, & Ooliab, quorum operâ Moyſes uteretur in Tabernaculo conflando; hos & ſcientiâ imbuit, ut eſſent idonei artifices.

QUis non miretur viros, qui hactenus vitam paſtoritiam egerant, laboribus contriti informandis, coquendiſque lateribus, eâ ſolertiâ & induſtriâ valuiſſe, ut opus Tabernaculi perficere potuerint, tabulas ejus expolire, conjungere, obducere auro, his ſubjicere baſes argenteas, æneas; ex auro conflare elegans candelabrum, ex ære labra, conchas, vas capaciſſimum, altare magnum, texere vela, veſtes; uno verbo parare tam variam ditemque ſupellectilem. Tunc temporis vix artes natæ erant, in Græciâ non excultæ ſunt niſi poſt mille centum quinquaginta annos ab erecto primùm Tabernaculo, ſub Alexandro Magno, ut obſervat Plutarchus libro ſecundo de fortunâ vel virtutibus Alexandri Magni; quod hujus Regis fortunæ non tam adſcribendum ſcriptor ille contendit, quàm artificum felicitati, qui eum nacti ſunt teſtem, qui & optimè judicare egregia opera, & liberaliſſime compenſare poſſet. Hujus ergo ſolertiæ quâ opus Tabernaculi inchoatum & abſolutum eſt, ſolus Deus poteſt cenſeri auctor; qui inter alia beneficia quæ contulit in humanum genus utiles, neceſſarias, & jucundas artes hominibus dedit, ut Seneca (lib. 4. de Beneficiis initio) dicit. « Non calamo tantùm cantare, & agreſte atque inconditum carmen ad « aliquam tantùm oblectationem modulari docuit, « ſed tot artes, tot vocum varietates, tot ſonos, a- « lios ſpiritu noſtro, alios externo, cantus edituros, « commentus eſt. Neque enim noſtra iſta, quæ in « venimus, dixeris: non magis quàm quòd creſcimus; quam quòd ad conſtitutum temporum ſua « corpori officia reſpondent. Inſita ſunt nobis om- « nium ætatum, omniumque artium ſemina, ma- « giſterque ex occulto Deus producit ingenia; « quod patuit in fabricâ Tabernaculi. Quibus artificibus Deus uſus ſit, ſive quos ipſe ſcientiâ imbuerit, narratur in Exodo capite 31.

1. *Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:*

2. *Ecce vocavi ex nomine Beſeleel filium Uri, filii Ur de tribu Juda.*

Nominatim vocavi id eſt, præ omnibus elegi.

3. *Et implevi eum ſpiritu Dei, ſapientiâ & intelligentiâ & ſcientiâ in omni opere.*

4. *Ad excogitandum quidquid fabrefieri poteſt ex auro, & argento, & ære.*

5. *Marmore, & gemmis, & diverſitate lignorum.*

Spiritu Dei, id eſt excellenti implevi Beſeleelem. ut ſapienter excogitare, & quæ excogitaverit, poſſit ſolerter operari, ſive operandum ſit in metallis, ſive in lignis, ſive in lapillis pretioſis. Marmore enim ſignificantur gemmæ ſive lapides pretioſi; nam quos in uſus hic cæderetur marmor in opere quod aſſeribus ſolis & cortinis conſtaret? Fons habet: *& in artificio gemmario, & artificio lignario.* Dolandi erant aſſeres, & lapillis pretioſis exornanda fuit veſtis pontificia. Plerique autem ex lapillis pretioſis, quibus ornatum fuit pectorale nihil aliud erant, quàm ſpecies marmoris; quod adeo durum eſt & ſic expoliri poteſt, ut refulgeat. Pergit loqui Deus:

6 *Deditque ei ſocium Ooliab filium Achiſamech de tribu Dan, & in corde omnis eruditi poſui ſapientiam ut faciant cuncta quæ præcepi tibi.*

7. *Tabernaculum fœderis & Arcam teſtimonii & Propitiatorium, quod ſuper eam eſt, & cuncta vaſa Tabernaculi.*

8. *Menſamque & vaſa ejus, candelabrum puriſſimum cum vaſis ſuis & altaria thymiamatis;*

9. *& holocauſti, & omnia vaſa eorum, labrum cum baſi ſuâ:*

10 *Veſtes ſanctas in miniſterio Aaron Sacerdoti & filiis ejus, ut fungantur officio ſuo in ſacris.*

Oleum unctionis & thymiama aromatum in Sanctuario, omnia quæ præcepi tibi, facient.

Præterea cuique licebat, qui polleret ſcientiâ, accedere operam collaturus; ſic enim Moyſes nomine Dei præcipit in capite 35.

10 *Quiſquis veſtrum ſapiens eſt, veniat & faciat quod Dominus imperavit.*

De hiſce autem operibus diligenter diſſeram ſuo loco. Ne quis dum ferveret opus & Moyſes opificibus inſtaret, crederet diebus ſabbati non illicitum laborem qui juſſu Dei eſſet ſuſceptus, quo & majeſtati ejus parabatur habitaculum, adjicit loqui Deus:

12. *Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:*

13 *Loquere filiis Iſraël, & dices ad eos: videte ut ſabbatum meum cuſtodiatis: quia ſignum eſt inter me & vos in generationibus veſtris: ut ſciatis quia ego Dominus, qui ſanctificavi vos.*

Admone Israëlitas, ait Deus Moysen alloquens, ne adducant animum opera illa non esse sabbato illicita, quia sacra; institui enim sabbatum in signum inter me & inter vos. Scilicet quia his diebus Israëlitæ soluti omni alio negotio vacabant soli divino cultui, recordabantur quod olim Deus post creationem sabbato quievisset, ac proinde quod mundum creavisset. Quæ sequuntur in sacro codice circa religionem sabbati non pertinent ad rem præsentem; ideo prætermittamus. Moyses denunciavit Israëlitis quos Deus artifices delegisset, Exod. 35.

30. *Dixitque Moyses ad filios Israël: ecce vocavit Dominus ex nomine Beseleel filium Uri filii Hur de tribu Juda.*

31. *Implevitque eum spiritu Dei, sapientiâ, & intelligentiâ, & scientiâ, & omni doctrinâ.*

32. *Ad excogitandum & faciendum opus in auro, & argento, & ære.*

33. *Sculpendisque lapidibus & opere carpentario, quidquid fabrè adinveniri potest.*

34. *Dedit in corde ejus: Ooliab quoque filium Achisamech de tribu Dan.*

35. *Ambos erudivit sapientiâ, ut faciant opera abietarii, polymitarii ac plumarii de hyacintho ac purpurâ, coccoque bis tincto, & bysso, & texant omnia, ac nova quæque reperiant.*

Opus carpentarium intelligendum ex fonte Hebræo & versione Græcâ, omne artificium sive artis opus ex ligno. Asseres enim dolandi erant fabrè, ut postea dicetur. *Opera abietarii* ex fonte sunt *opera artis* fabrilis. Græci LXX. scribunt τὰ ἔργα τῦ ἁγίυ opera Sanctuarii: ita videntur legisse non חרש *churasch* ut hodie, sed קדש *chodesch* quæ lectio mihi majus probatur. *Polymitarii* sive qui faciunt opera רקם *rochem*, nempe qui texunt vela, cortinas, textilia varia cocco & bysso. Plumarium opus Hebraïcè רקמה dicitur quod fit acu & ex filis diversi coloris, quod & phrygionicum appellant. Hæc omnia opera dicuntur *artificis cogitantis*; quia scilicet hæc perficere nemo potest, nisi valeat ingenio quod totum impendat operi suo.

SECTIO II.

Dona spontanea oblata sunt ab Israëlitis tantâ copiâ, ut artificibus suppetierit abundanter materia ad conflandum Tabernaculum & suppellectilia ejus.

His divinis artificibus materia necessaria suppetiit. Neque enim omni rerum inopiâ laborabant Israëlitæ, quamquam modò ex durâ servitute egressi. Jussu Dei cui jus est in omnia, *Domini enim est terra & plenitudo ejus*, spoliaverunt Ægyptios divitiis suis, quæ immensæ erant; tum ob viciniam fodinarum auri & argenti, apud Arabas & Indos; undè in Ægyptum navibus advehi poterant pretiosæ merces mari Ærithræo. Nulla regio tunc beatior Ægypto. Fuisse opulentam colligimus ex verbis Gedeonis ad Israëlitas post devictos Madianitas & Ismaëlitas qui proximi sunt Ægypto, Judicum 8.

24. . . . *Date mihi inaures ex prædâ vestrâ. Inaures enim aureas Ismaëlitæ habere consueverunt.*

25. *Qui responderunt: libentissimè dabimus. Expandentesque super terram pallium, projecerunt in eo inaures de prædâ.*

26. *Et fuit pondus postulatarum inaurium mille septingenti auri sicli, absque ornamentis, & monilibus & veste purpureâ, quibus Reges Madian uti soliti erant, & præter torques aureas camelorum.*

Pondus illud solarum inaurium æquabat circiter pondus 3620 Ludoviceorum aureorum. Tenebræ per totam Ægyptum diffusæ per tres dies locum dedêre Israëlitis ut impunè possent Ægyptios spoliare. Præterea quæque Israëlitis vasa aurea, & argentea, & vestes postulaverat à viciná suâ & à suâ hospitâ, sicut Deus docuerat esse faciendum. Dederat gratiam populo suo ut omnibus ejus postulatis annuerent Ægyptii; qui itaque non exivit vacuus ut in sancto codice narratur Exodi cap. 11.

1. *Et dixit Dominus ad Moysen. Adhuc unâ plagâ tangam Pharaonem & Ægyptum, & post hæc dimittet vos, & exire compellet.*

2. *Dices ergo omni plebi, ut postulet vir ab amico suo, & mulier à viciná suâ vasa argentea & aurea.*

3. *Dabit autem Dominus gratiam populo suo coram Ægyptiis, &c.*

Quod ibi nomine Dei præceperat Moyses, factum narratur capite sequenti, nempe duodecimo.

35. *Feceruntque filii Israël sicut præceperat Moyses: & petierunt ab Ægyptiis vasa argentea & aurea, vestemque plurimam.*

36. *Dominus autem dedit gratiam populo suo coram Ægyptiis, ut commodarent eis; & spoliaverunt Ægyptios.*

Ergo quando Moyses admonuit, ut quisque afferret dona ultroneus; neque enim aliâ conditione ullum donum accipiendum esse Deus præmonuerat, non mirum si Israëlitis suppeteret aurum, argentum, & cætera quæ enumerantur in capite 25 Exodi.

1. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:*

2. *Loquere filiis Israël, ut tollant mihi primitias: ab omni homine qui offeret ultroneus accipietis eas. . .*

3. *Hæc sunt autem quæ accipere debetis aurum, argentum & æs.*

4. *Hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum & byssum, pilos caprarum.*

5. *Et pelles arietum rubricatas, pellesque ianthinas, & ligna setim.*

6. *Oleum ad luminaria concinnanda: aromata in unguentum, & thimiamata boni odoris.*

7. *Lapides onychinos, & gemmas ad ornandum Ephod ac rationale.*

Ibi per hyacinthum intelligenda lana tincta hyacinthino colore, quia neri poterat. Hyacinthus flos est cælo concolor, ideò censendus cæruleus; qui & maris color est. In fonte appellatur תכלת *thekeleth*. Ibi pariter per purpuram intelligenda lana tincta purpureo colore. Dicitur in codice Hebræo ארגמן *argaman*, habeturque pro colore rubeo, qui nascitur ex sanie pisciculi sive conchæ, quæ nominatur *purpura*. Ita de cocco: semper intelligenda lana aliquo colore infecta. In fonte appellatur תולעת שני *tholahath schani*, hoc est, vermis cocci. Color est rubeus, sed lucidior, qui fit ex sanguine vermiculi qui solet reperiri in aliquo fratice dicto olim שני *schani*, ob acuta folia à verbo שנן *acuere*. Sunt verò qui intelligunt pannos coccineos vermiculi sanguine tinctos: sic autem dici שני à duplicitate filorum vel ab intensione coloris, quia bis tingerentur; quæ videtur esse sententia Græcorum, & Latini Interpretis. Ita derivant שני à verbo שנה *iterare*. De bisso communis opinio est fuisse linum quod in fonte dicitur שש, & constanter à Græcis Interpretibus redditur Βύσσος. Ibi ab illis additur κεκλωσμένη *torta*; quasi intellexerint lini fila sextuplicia. Ex pilis caprarum mollioribus vestes contexi nemini ignotum est. Non solùm lanâ sed pellibus integris opus fuit ad obregendum Tabernaculum. Pelles, quarum aliæ essent rubricatæ, sive tinctæ

rubro colore, aliæ ianthinæ, id eſt, hyacinthinæ: Sed hæ in fonte dicuntur pelles תחשים *tachaſchim*, quod nomen variè redditur; alii enim volunt תחש eſſe nomen animalis, cujus pellis arcendis aëris injuriis idonea. Talium pellium uſus fuit in Tabernaculo. Alii תחש pro colore habent, nempe pro ianthino ſive hyacinthino. Denique ligna ſetim שטים nomen Hebræum ſervavit Latinus Interpres. Hæc ligna dicuntur imputribilia ἄσηπτα qualis eſt cedrus. Aromata pariter colligenda erant boni odoris ex quibus thymiama conficeretur. Lapides onychini in fonte שהם accipiuntur pro ſardonice, qui lapidus habet candorem unguis humani. Nomen מלאים *milaim*, id eſt, *impletionum*, in genere videtur ſignificare lapides pretioſos, qui includi ſolent palis, & eas implent; ideò dicti lapides *impletionum*. Gemmas appellat Latinus Interpres, Græci λίθους εἰς τὴν γλυφὴν lapides in ſculpturam. Juſſum illud Dei de donis conferendis ad conflandum Tabernaculum, iterùm ſignificavit Moyſes Exod. 35.

4. *Et ait Moyſes ad omnem catervam filiorum Iſrael: iſte eſt ſermo quem præcepit Dominus, dicens:*

5. *Separate apud vos primitias Domino. Omnis voluntarius & prono animo offerat eas Domino, aurum, & argentum, & æs.*

6. *Hyacinthum & purpuram, coccumque bis tinctum, & byſſum, pilos caprarum,*

7. *Pelleſque arietum rubricatas & ianthinas, ligna ſetim.*

8. *Et oleum ad luminaria concinnanda, & ut conficiatur unguentum & thymiama ſuaviſſimum.*

9. *Lapides onychinos & gemmas ad ornatum ſuperhumeralis & rationalis.*

Quod præcipiebatur faciendum, mox narratur factum.

20. *Egreſſaque omnis multitudo filiorum Iſraël de conſpectu Moyſi.*

21. *Obtulerunt mente promptiſſimâ atque devotâ primitias Domino, ad faciendum opus Tabernaculi teſtimonii. Quidquid ad cultum & ad veſtes ſanctas neceſſarium erat.*

22. *Viri cum mulieribus præbuerunt armillas, & inaures, annulos & dextralia; omne vas aureum in donaria Domini ſeparatum eſt.*

Viri & mulieres pariter dederunt omnia ornamenta ſua aurea & argentea ut ſunt annuli, inaures, armillæ. חח *chac* propriè ſignificat *fibulam*, *ſpinulam* ſive aciculam, quâ nectebant duas oras veſtis ſub gutture.

23. *Si quis habebat hyacinthum, & purpuram, coccinumque bis tinctum, byſſum & pilos caprarum, pelles arietum rubricatas & ianthinas.*

24. *Argenti, ariſque metalla, obtulerunt Domino, lignaque ſetim in varios uſus.*

25. *Sed & mulieres doctæ, quæ neverant, dederunt hyacinthum, purpuram & vermiculum ac byſſum.*

Nempe fila lanea vel byſſina quæ deduxerant, & inficienda curaverant diverſis coloribus.

26. *Et pilos caprarum, ſponte propriâ cuncta tribuentes.*

27. *Principes verò obtulerunt lapides onychinos, & gemmas ad ſuperhumerale & rationale.*

Etenim non penes vulgus Iſraëlitarum erant pretioſi lapides.

28. *Aromataque & oleum ad luminaria concinnanda, & ad præparandum unguentum ac thymiama odoris ſuaviſſimi componendum.*

29. *Omnes viri & mulieres mente devotâ obtulerunt donaria, ut fierent opera, quæ juſſerat Dominus per manum Moyſi. Cuncti filii Iſraël volun-*
A *taria Domino dedicaverunt.*

Munera autem illa tanto ſtudio, & largitione tam effusâ contulerunt Iſraëlitæ, ut tot tantiſque donis onerati, ſive a turba offerentium impediti ſint artifices, cùm major eſſet offerentium numerus, ſive plus offerret populus quàm neceſſarium erat, Moyſes coactus eſt ſignificare voce præconis ne vir aut mulier quidquam ultra offerret in opus Tabernaculi. Exod. 36.

1. *Fecit ergo Beſeleel & Ooliab & omnis vir ſapiens, quibus dedit Dominus ſapientiam & intellectum, ut ſcirent fabrè operari, quæ in uſus Sanctuarii neceſſaria ſunt, & quæ præcepit Dominus.*

2. *Cùmque vocaſſet eos Moyſes, & omnem eruditum virum, cui dederat Dominus ſapientiam, & qui ſponte ſuâ obtulerant ſe ad faciendum opus.* B

3. *Tradidit eis univerſa donaria filiorum Iſraël. Qui cùm inſtarent operi, quotidie mane vota populus offerebat.*

4. *Undè artifices venire compulſi.*

5. *Dixerunt Moyſi: plus offert populus quàm neceſſarium eſt.*

6. *Juſſit ergo Moyſes præconis voce cantari: nec vir, nec mulier quidquam offerat ultra in opere Sanctuarii. Sicque ceſſatum eſt à muneribus offerendis.*

7. *Eo quod oblata ſufficerent, & ſuperabundarent.*

Omne autem aurum quod expenſum eſt in opere Sanctuarii, oblatum in donariis fuit ex Scripturâ Exod. 38. 14. viginti novem talentorum, & ſeptingentorum triginta ſiclorum nimirum juxta tabulas noſtras, paulò plus quàm 5063 marcarum auri. C

SECTIO III.

Tabernaculi diverſa nomina, & fabrica ejus. Facilè ſolvi vel compingi, erigi vel aſportari poterat miniſterio Levitarum vario pro cognatione ſuâ.

JAm attentiùs & quaſi propiùs intuendum eſt Tabernaculum. Expendamus primùm quibus in Scripturâ nominibus ſignificetur. In fonte appellatur משכן *miſchan*, id eſt, habitaculum. Vox Hebræa à Græcis redditur σκηνὴ *Tabernaculum* Vocatur & אהל *ohel*, quod nomen propriè denotat tentorium. Prout olim fons Hebræus legebatur à Græcis Interpretibus, & poſt eos ab Hieronymo Tabernaculum dicebatur *teſtimonii* τοῦ μαρτυρίου: ut in hodierno codice Hebræo Exod. cap. 31. v. 18. tabulæ in quibus Deus legem ſcripſerat nominantur העדת *haadut*, id eſt, teſtimonii τοῦ μαρτυρίου, quia ſignum erant fœderis, quod cum Iſraëlitis pepigerat Deus. Hiſce verò diebus in eodem codice Hebræo Tabernaculum appellatur מועד *moed*, id eſt, *conventus*: quia ad Tabernaculum omnis cœtus Iſraël conveniebat, & congregabatur ad preces, ad victimas offerendas & mactandas. Lector eruditus facilè deprehendit, quomodo factum ſit, ut ejuſdem loci varia ſit lectio. In causâ eſt vicinia elementorum, quibus ſcribuntur illæ duæ voces העדת & מועד. Quæ ſit verior lectio vix dijudicari poteſt. Græci Interpretes, & vulgatus Latinus ſequuntur, antiquiorem, ut puto, quæ nimirum in antiquis codicibus reperiebatur. De nominibus non multùm laborandum eſt cùm de re conſtat.

Tabernaculum erat tentorium diviſum in duas partes, ſanctam & ſanctiorem. In ſanctiori ſive in Sancto Sanctorum locabatur Arca continens duas tabulas fœderis inter Deum & Iſraëlitas. Duæ illæ tabulæ continebant præcipua Dei mandata, præci-

puos articulos hujus fœderis quod inierat Deus, cùm Israëlitis proposuit leges suas; & hi polliciti sunt se omnia quæ mandabat Deus perfecturos. Ita Tabernaculum dictum est fœderis, maximè ob duas tabulas, quæ asservabantur in Arcâ, quæ ob eandem rationem solet dici *Arca fœderis*. In primâ parte Tabernaculi, quæ appellabatur *Sanctum*, & in Epistolâ ad Hebræos cap. 9. 2. σκηνὴ πρώτη *Tabernaculum primum*, erant mensa panum propositionis, altare aureum, & candelabrum, de quibus singulatim multus sermo fiet. Altera pars in eâdem Epistolâ dicitur σκηνὴ δευτέρα, *Tabernaculum secundum*.

Totum Tabernaculum pro parietibus habebat ligneas tabulas, quæ citò dissolvi & facilè asportari poterant, sicut compingi & erigi. Castra Israëlitarum peregrinantium in deserto exhibebant Ecclesiam sive cœtum fidelium Christianorum, qui veluti hospites & peregrini fixas sedes non habent. Quia verò in ipsis castris cultus interea Deo persolvendus erat, oportebat paratum esse locum ubi Israëlitæ sacris muneribus defungerentur; cùm autem crebrò sedes mutarent, necesse fuit ut illis esset templum portatile, sic dispositum ut citra negotium vel erigi vel dissolvi posset; multiplici constans numero partium, quarum singulæ sine gravi onere portarentur à viris vel à plaustris. Tabulæ enim Tabernaculi non ultra cubitos decem longæ, non ultra cubitum cum semicubito latæ, quatuor digitis crassæ. Videlicet sexdecim Parisinis pedibus erant longæ cum octo pollicibus, latæ duobus pedibus cum semipede, crassæ tribus pollicibuscum quatuor lineis. Judæi faciunt crassas cubito ita ponderosiores, quàm ut facilè humeris efferrentur. Laminis aureis tegebantur, singulis subjiciebantur bases argenteæ, unaquæque basis pondere unius talenti, sed illæ separari poterant à tabulis & separatim ferri. Etiam vectes quibus tabulæ inter se conjungebantur, constabant diversis partibus. Ita est de operimentis Tabernaculi; loris enim & ansulis, aliæ aliis annectebantur cortinæ, ut his totum tegeretur, cùm fixum erat, statim ac movebatur suo loco, hi quibus portandi illud demandata cura partiebantur inter se onus.

Eâdem de causâ, ut scilicet omnia essent portatilia, atrium Tabernaculi non distinguebatur à reliquis castris nisi velis. Columnæ quibus illa appendebantur, ligneæ erant argento obductæ. Harum quidem bases æneæ, sed separatæ. Funiculi, paxilli, quorum usus erat in Tabernaculo, poterant distribui in plures bajulos. Cæteris rebus sacris, quæ erant ponderosiores, ut Arca, ut altaria, mensæ, inerant annuli, per quos transibant vectes, quibus efferrentur. Labro æneo subjectæ erant rotæ; boves enim trahebant illud, cùm iter ageretur; nec forsan minùs quàm bisseni; quod cùm Salomon exprimere voluisset, labro æneo, quod conflandum curavit, & ob capacitatem appellavit mare æneum, duodecim boves supposuit; nihil enim ab hoc sapientissimo Rege temerè factum est. Itaque sine ullo gravi labore totum asportabatur Tabernaculum, & sine ullâ confusione tum erigebatur, tum dissolvebatur in partes suas. Etenim, ut jam observatum, nec figebatur nec refigebatur pro lubitu Ministrorum, sed ex Dei imperio; quod significabat nubes obumbrans interdiu Tabernaculum; quæ cùm movebatur quisquis ex Levitis prout cognationi suæ obtigerat, accedebat subiturus onus proprium, depositurus ubi quiesceret nubes. Alius ex aliâ tribu non impunè manus admovisset. Sic præceperat Deus in Numerorum cap. 1. v. 51 *Cùm proficiscendum erit deponent Levitæ Tabernaculum: cùm castrametandum, erigent: quisquis externorum accesserit, occidetur.*

A

Nec permixtim Levitæ occurrebant. Deus cuique cognationi assignaverat proprium onus, ut videre est in capite tertio Numerorum in quo recensentur onera Levitarum: quæ scilicet vasa portari deberent ab unaquaque familiâ. Ad hocce munus poterant sufficere Levitæ; quos cùm Moyses numeravit, reperit esse viginti duo mille. Hos Deus subjicit Aaroni & filiis ejus Moysen alloquens in tertio capite Numerorum.

6. *Applica tribum Levi & fac stare in conspectu Aaron Sacerdotis, ut ministrent ei, & excubent.*

Applica, id est, fac accedere, ut mandata Aaronis excipiant.

B

Et observent quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram Tabernaculo testimonii.

Istud verbum *excubent*, quod est in fine præcedentis versiculi conjungendum cum sequenti, *& observent*, &c. in fonte. *Et custodiant custodiam ejus & custodiam multitudinis*, sive omnis cœtûs coram Tabernaculo Nempe ut Levitæ ministrabant Sacerdotibus, pariter & adjuvabant populum in oblationibus suis; ut omnia ritè fierent.

8. *Et custodiant vasa Tabernaculi servientes in ministerio ejus.*

9. *Dabisque dono Levitas*

10. *Aaron & filiis ejus, quibus traditi sunt à filiis Israël.*

Aaroni & filii ejus Levitæ dono dati sunt, nempe eorum addicti ministerio.

C

Recensendo Levitas, & cognationes eorum designat Moyses quod esset singularum munus. Primum agit de Gersonitis de quibus dicit:

25. *Et habebunt excubias in Tabernaculo fœderis.*

26. *Ipsum Tabernaculum & operimentum ejus tentorium quod trahitur ante fores tecti fœderis, & cortinas atrii; tentorium quoque quod appenditur in introitu atrii Tabernaculi, & quidquid ad ritum altaris pertinet, & omnia utensilia ejus.*

Septem millibus viris constabat familia Gersonitarum; ita quodcumque fuerit tentoriorum pondus, tot in illo numero viri fortes qui illud subibant, non poterant multùm gravari. Vulgatus Interpres videtur in eâ fuisse opinione, quod Gersonitæ ea deferrent quæ pertinebant ad altare; dicit enim *& quidquid ad altaris ritum pertinet*; sed ut modo diximus, illud erat munus Caathitarum. Fons itaque verti debet: *quod super Tabernaculum & super altare undequaque*; nempe vela, aulæa omnia quæ erant circum locum, ubi Tabernaculum & altare. Ut æquivocationem tollerent Græci, ibi altaris mentionem non faciunt. De oneribus Gersonitarum iterùm loquitur Moyses capite sequenti, videlicet quarto Numerorum.

D

21. *Locutúsque est Dominus ad Moysen, dicens:*

22. *Tolle summam etiam filiorum Gerson per domos ac familias & cognationes suas*

E

23. *à triginta annis & supra usque ad annos quinquaginta. Numera omnes qui ingrediuntur & ministrant in Tabernaculo fœderis.*

Omnes pariter masculi de tribu Leviticâ non erant idonei muneribus Leviticis; nempe juniores & seniores; ita ætas quâ Levitæ tenerentur obire munia sua, definitur intra annum trigesimum & quinquagesimum.

24. *Hoc est officium familiæ Gersonitarum.*

25. *Ut portent cortinas Tabernaculi & tectum fœderis operimentum aliud, & super omnia velamen ianthinum, tentoriúmque quod pendet in introitu Tabernaculi fœderis.*

26 *Cortinas atrii, & velum in introitu quod est* A *ante Tabernaculum. Omnia quæ ad altare pertinent, funiculos & vasa ministerii.*

27. *Jubente Aaron & filiis ejus portabunt filii Gerson, & scient singuli, cui debeant oneri mancipari.*

28. *Hic est cultus familiæ Gersonitarum in Tabernaculo fœderis, eruntque sub manu Ithamar filii Aaron Sacerdotis.*

Plura erant operimenta quibus Tabernaculum tegebatur, & plura alia aulæa circum altare. De muneribus Caathitarum loquitur Moyses. Num. cap. 3.

31. *Et custodient Arcam, mensamque & candelabrum, altaria & vasa Sanctuarii, in quibus mi-* B *nistratur, & velum, cunctamque supellectilem hujusmodi.*

Cortinas quidem, aulæa, operimenta portabant Gersonitæ; sed quia non poterant Caathitæ oculis & manu attingere Arcam, relinquebantur quæpiam vela quibus Sacerdotes involverent vasa sacra, ut eis præcipitur in capite quarto Numerorum; ita cùm de Sacerdotibus Ministris agemus, munera quæ Caathitas spectant, erunt tunc proferenda. Nunc de Meraritis; hæc dicit Moyses in capite tertio Numerorum.

36. *Erunt sub custodiâ eorum tabulæ Tabernaculi, & vectes, & columnæ ac bases earum, & omnia quæ ad cultum hujuscemodi pertinent.*

C Nomen fontis עבדה *avoda* idem sonat ac Latinis *cultus*, sed & reddi potest *servitus*, *ministerium*, *opus*, *negotium*.

37. *Columnæque atrii per circuitum cum basibus suis, & paxilli cum funibus.*

Et aliquos funes portabant Gersonitæ, eos nempe quibus vela intendebantur. Funes illigabantur paxillis sive clavis trabalibus, ut columnæ erectæ starent contra vim ventorum. Simili paxillo sive clavo Jahel Sisaræ tempora transfixit, in Judicibus cap. 4. v. 21. *Tulit itaque Jahel uxor Haber clavum tabernaculi, assumens pariter malleum: & ingressa absconditè, & cum silentio, posuit supra tempus capitis ejus clavum, percussumque malleo defixit in cerebrum usque ad terram.* Similibus clavis D figebatur Tabernaculum. Formam vides in figurâ G. Horum autem & funium custodia pertinebat ad Meraritas. Munera eorum adhuc exactiùs recenset Moyses capite quarto Numerorum.

29. *Filios quoque Merari per familias & domos patrum suorum recensebis.*

30. *A triginta annis & suprà, usque ad annos quinquaginta, omnes qui ingrediuntur ad officium ministerii sui & cultum fœderis testimonii.*

31. *Hæc sunt onera eorum: portabunt tabulas Tabernaculi & vectes ejus, columnas ac bases earum.*

32. *Columnas quoque atrii per circuitum cum ba-* E *sibus suis & paxillis & funibus suis. Omnia vasa & supellectilem ad numerum accipient, sicque portabunt.*

33. *Hoc est officium familiæ Meraritarum & ministerium in Tabernaculo fœderis: eruntque sub manu Ithamar filii Aaron Sacerdotis.*

Subdit Moyses numerum eorum qui in unaquaque ex tribus Leviticis familiis eâ ætate essent, quâ Levitica munia poterant exerceri.

34. *Recensuerunt igitur Moyses & Aaron & principes Synagogæ filios Caath per cognationes & domos patrum suorum.*

35. *A triginta annis & suprà, usque ad annum quinquagesimum, omnes qui ingrediuntur ad ministerium Tabernaculi fœderis,*

36. *Et inventi sunt duo millia septingenti quinquaginta.*

37. *Hic est numerus populi Caath qui intrant Tabernaculum fœderis: hos numeravit Moyses & Aaron juxta sermonem Domini per manum Moysi.*

38. *Numerati sunt & filii Gerson per cognationes & domos patrum suorum.*

39. *A triginta annis & suprà, usque ad quinquagesimum annum, omnes qui ingrediuntur ut ministrent in Tabernaculo fœderis.*

40. *Et inventi sunt duo millia sexcenti triginta.*

41. *Hic est populus Gersonitarum quos numeraverunt Moyses & Aaron juxta verbum Domini.*

42. *Numerati sunt & filii Merari per cognationes & domos patrum suorum.*

43. *A triginta annis & suprà, usque ad annum quinquagesimum, omnes qui ingrediuntur ad explendos ritus Tabernaculi fœderis.*

44. *Et inventi sunt tria millia ducenti.*

45. *Hic est numerus filiorum Merari quos recensuerunt Moyses & Aaron juxta imperium Domini per manum Moysi.*

46. *Omnes qui recensiti sunt de Levitis, & quos recenseri fecit ad nomen Moyses & Aaron & principes Israël, per cognationes & domos patrum suorum.*

47. *A triginta annis & suprà usque ad annum quinquagesimum ingredientes ad ministerium Tabernaculi & onera portanda.*

48. *Fuerunt simul octo millia quingenti octoginta.*

49. *Juxta verbum Domini recensuit eos Moyses unumquemque juxta officium & onera sua, sicut præceperat ei Dominus.*

Ad portanda supellectilia Tabernaculi poterant sufficere Levitæ. Sed & Israëlitarum primarii viri obtulerunt plaustra & boves in ministerium Tabernaculi; quibus Levitæ sublevarentur. Qui serviebant Sanctuario ad efferenda propriis humeris supellectilia tenebantur. Num. 7.

1. *Factum est autem in die quâ complevit Moyses Tabernaculum & erexit illud: unxitque & sanctificavit eum omnibus vasis suis, altare similiter & omnia vasa ejus.*

2. *Obtuleruntque principes Israël & capita familiarum, qui erant per singulas tribus, præfectique eorum qui numerati fuerant.*

3. *Munera coram Domino sex plaustra tecta cùm duodecim bobus: unum plaustrum obtulerunt duo duces, & unum bovem singuli, obtuleruntque ea in conspectu Tabernaculi.*

4. *Ait autem Dominus ad Moysem:*

5. *Suscipe ab eis ut serviant in ministerio Tabernaculi, & trades ea Levitis juxta ordinem ministerii sui.*

6 *Itaque cùm suscepisset Moyses plaustra & boves, tradidit eos Levitis.*

7. *Duo plaustra & quatuor boves dedit filiis Gerson, juxta id quod habebant necessarium.*

8. *Quatuor alia plaustra & octo boves dedit filiis Merari, secundùm officia & cultum suum, sub manu Ithamar filii Aaron Sacerdotis.*

9. *Filiis autem Caath non dedit plaustra & boves, quia in Sanctuario serviunt, & onera propriis portant humeris.*

Ex his, Lector, collige miro ordine omnia fuisse præscripta in his quæ Tabernaculum spectabant.

SECTIO IV.

De tabulis Tabernaculi, de incastraturis earum, & basibus, tum de annulis per quos qui transibant vectes, eas firmiter conjungebant inter se.

DEus tabularum quibus constabat Tabernaculum præscribit formam, mensuram, numerum, Exod. 26. & præcipit, quæ bases eis subjiciendæ, quot annuli inserendi per quos transirent vectes, à quibus tota confirmaretur compages. Hæc iterat Moyses ubi narrat factas tabulas juxta mandatum Dei in ejusdem libri capite 36. Primùm exponenda verba superioris capitis nempe 26. loquitur Deus ad Moysen.

15. *Facies & tabulas stantes Tabernaculi de lignis setim.*

Quasi dicat Deus tibi secandæ & expoliendæ sunt tabulæ ex ligno setino, quibus erectis compaginetur Tabernaculum, quæ erectæ stent, sive ita factæ sint ut stare possint. Modo dicetur quâ arte id fieret. Torniellus ex D. Hieronymo super Isaiam (cap. 41.) probat *setim* genus fuisse arboris, quæ in solâ eremo Arabiæ nasceretur, colore & foliis similis spinæ albæ; undè Theodotion *setim* interpretatur *spinam*. Septuaginta Interpretes vertunt ἐκ ξύλων ἀσήπτων ex lignis imputribilibus. Quæque fuerit arbor *setim*, necesse est, ut crassa fuerit, ex quâ præcisæ sint tabulæ altæ decem cubitis sive pedibus sexdecim & octo pollicibus, latæ cubito & semicubito sive triginta pollicibus, sive duobus pedibus & semipede, crassæ quatuor digitis, nempe tribus pollicibus cum quatuor lineis.

16. *Quæ singulæ denos cubitos in longitudine habeant, & in latitudine singulos ac semissem.*

Omnium tabularum erit una & eadem dicta mensura. Quæ fuerit crassitudo earum, Scriptura non dicit; Josephus eam facit quatuor digitorum τὸ δ᾽ δακτύλων τεσσάρων, id est, uno tophac, qui est pars sexta cubiti; ita trium pollicum cum quatuor lineis. Exhibetur crassitudinis ferè cubitalis in delineationibus Tabernaculi quas Arias Montanus attexuit Bibliis Regiis Antuerpiensibus. » Crassi cubitum unum illi asseres, quod colligitur, inquit Relandus in antiquitatibus sacris veterum Hebræorum cap. » 5. ex testimonio Judæorum, & ex latitudine Ta- » bernaculi internâ, quæ fuit, teste Philone, 10 cu- » bitorum, quorum novem efficiunt sex asseres oc- » cidentales. Exod. cap. 26. v. 22. & dimidius cu- » bitus hinc & indè asserum duorum angularium, » ita ut reliquam latitudinem asserum angularium » cubitalem scilicet impingant, eamque tangant cras- » situdine sua asseres laterales: remanetque inter- » num Tabernaculi spatium, latum cubitos decem. In delineationibus nostris videre est hos angulares asseres, sive tabulas, duobus lateribus quæ comprehendebant angulum, quem faciebant, obtexisse tum posticum Tabernaculi, tum latera ejus. Ita erant quidem cubitales; sed non ideò unius cubiti; nempe constabant duobus semicubitis, quæ angulum efficiebant; quod verbis clariùs ipsa nostra delineatio declarat. Tanta crassitudo nulli usui fuisset, sed oneri. Non humeris Levitarum potuissent portari; nec etiam manibus tractari sine multo labore. Licet crassæ fuerint quatuor tantùm digitis, habebant 20000 pollices cubicos, qui faciunt pedes cubicos quibus semipes ferè est addendus. Pes cubicus ligneus etiam lectioris ligni non multùm differt ab aquâ paris voluminis. Pes autem aqueus cubicus ponderat 70 libras; ita quæque tabula ponderabat ad minimum 805 libras. A Josepho dictæ tabulæ appellantur κίονες τετράγωνοι *columnæ quadrangulæ* & in Græcâ versione στῦλοι, quæ observanda, ut intelligas, Lector, columnarum latam esse significationem; si quidem nomen earum & datur tabulis.

17. *In lateribus tabulæ duæ incastraturæ fient, quibus tabula alteri tabulæ connectatur: atque in hunc modum cunctæ tabulæ parabuntur.*

Expendenda ipsa verba fontis, quæ diversimodè redduntur ab Interpretibus. De verbo ad verbum sic ea interpretatur Pagninus. « Duæ manus tabulæ uni dispositæ quælibet ad sororem suam. ידות *Jadoth* idem sonat ac *manus* Latinis; sed nomen illud denotare potest denticulos qui eminerent ex lateribus tabulæ quibus una cum alterâ committeretur; quod schema oculis subjectum exhibet in tabulis A & B. *Tabula ænea V.* Græci senes interpretantur ἀγκωνίσκους, quæ Græca vox propriè significat parvum cubitum; sed & indicat commissuras, concatenationes, incastraturas, denticulos. Josephus nominat στρόφιγγας, id est, cardines. Verior ea sententia videtur quæ *Jadoth* habet pro eo quod vernaculè dicimus *des tenons*. Participium autem seu nomen משלבות *meschullaboth*, indicat scalarem dispositionem; ita ut eam habere formam potuerint illæ tabulæ ut secundùm totam longitudinem promineret manus vernaculè *une feuillure*. Duas tabulas A. & C. sic exhibemus cum istis continuis manibus scalaris formæ. Vox *incastratura* quam usurpat vulgatus, non reperitur apud antiquos Latinæ linguæ autores. Propriè *incastratura* est incavatura lignorum per quam duo asseres sibi agglutinantur, & alter alteri adhæret; dum pars unius quæ eminet, inseritur in alterius parte quæ excavata est. Scriptura nullomodo similem innuit incastraturam. Hîc *soror* appellatur tabula quæ proximior esset ut A. & B. sicut A. & C. Quæque autem tabula lata erat cubito uno & semicubito, præter latitudinem manuum ejus qualiscunque formæ fuerint; alioquin viginti tabulæ non confecissent longitudinem Tabernaculi; quod erat longum triginta cubitis. Nam etiam si latitudo cujusque manûs fuisset unius pollicis, demptis saltem pollicibus viginti; jam superfuissent viginti novem cubiti.

18. *Quarum viginti erunt in latere meridiano quod vergit ad austrum.*

Ibi est pleonasmus, nam *ad austrum* non aliud dicit quàm meridianum latus. Itaque quidam vocem תימנה *themana*, quæ quidem sonat *ad austrum* interpretantur *ad dexteram*. תימן theman, quod nomen est venti australis sive meridiani, deducitur à ימין *dextrum* ut *theman* & sumi possit pro dextro. Græci pleonasmum non expresserunt. Cùm autem singulæ tabulæ latæ essent cubito uno cum semisse, viginti simul junctæ faciebant triginta cubitos: quæ erat longitudo Tabernaculi.

19. *Quibus quadraginta bases argenteas fundes, ut binæ bases singulis tabulis per duos angulos subjiciantur.*

Bases erant necessariæ, quibus insisterent erectæ tabulæ. Ex metallo has bases conflari præcepit Deus, quia ponderosiores, & ideò his implantatæ tabulæ firmiùs consistebant. Decuit eas argenteas esse ob magnificentiam & decorem Sanctuarii. Quidam has bases faciunt acutas inferius & oblongas, ut figerentur in terram. Alii sentiunt fuisse quadratas & planas. Utramque opinionem quodammodo conciliat forma quâ, Lector, vides repræsentatas in basi A. & in mediâ parte ejus B. Certum est bases columnarum quibus appendebantur vela atriorum fuisse mucronatas similes σαυρωτῆρσι, id est, imæ hastæ, ut dicit Josephus. Aliter hæ columnæ consistere

non potuiſſent. Sed non ita eſt de tabulis, quarum baſes formâ ſuâ & pondere poterant eas tenere erectas. Puto pondus harum baſium fuiſſe unius talenti, hoc eſt, juxta calculos noſtros 174 marcarum cum unciis quatuor & ſeptem groſſis. In primo libro obſervatum cubum pollicarem argenti ponderare ſex uncias, quinque groſſos, viginti octo denarios; undè ſubductis calculis reperimus in talento Hebræo eſſe valorem ducentorum & decem pollicarium cuborum. Quapropter æſtimare licet longitudinem harum baſium fuiſſe viginti pollicum, ſive unius cubiti, latitudinem quinque pollicum, altitudinem trium, & quatuor linearum. Eâ formâ quam exhibemus in ſingulis baſibus poſſunt numerari 210 pollicares cubiti.

Quomodo autem tabularum pedes inſerebantur baſibus? Binæ baſes ſingulis tabulis per duos angulos ſubjiciebantur, inquit vulgatus Interpres. Sic inter baſim unius tabulæ & baſim ſociæ tabulæ non fuiſſet intercapedo. Verùm fons Hebræus dicit לשתי ידותיו, id eſt, duabus manibus, ſive cardinibus ſubjectæ erant baſes. Videre eſt in ſchemate haſce manus, ſive cardines qui immittebantur in ipſas baſes. Sic autem diſtribuimus haſce manus, ut æqualibus intervallis diſtarent inter ſe baſes omnes, nec ſubjiciantur angulis tabularum, quod non dicit Scriptura. In ſchemate tabularum videre eſt duos quaſi dentes qui immittebantur in duas baſes. Intervallum c æquale eſt duobus intervallis a & b: ita cùm omnes tabulæ inter ſe conjungebantur, inter ſubjectas baſes ubique par erat intervallum; quod decorem & robur conferebat Tabernaculo. Quod non angulis tabularum ſubjicerentur baſes, contentientem habemus Joſephum; unum enim id dicit tabularum cardines immiſſos in ipſas baſes δύο δ' αὐτῶν ἑκάστῳ πεποίηντο στρόφιγγες ἐλαυνόμενοι κατὰ δύο βάσεων αὗται δ' ἀργυραῖ μὲν ἦσαν. πύλη δ' ἑκατέρᾳ τούτων πεποίηται, δεχομένη τὸν στρόφιγγα. » Et » ſingulis tabulis inerant cardines bini immiſſi per » duas baſes, quæ erant argenteæ & in ſuis foraminibus tabularum cardines ſuſcipiebant. Illa diverſimodè concipi poſſunt. Quiſquis ſit verior modus, conſtat haſce baſes argenteas fuiſſe magnum tum fulcimentum, tum ornamentum Tabernaculi, ad quod Eccleſiaſticus ſive Sapientia Sirach alludit, ut mulieris bonæ pretium & decorem ſignificet cap. 26. v.

21 *Sicut ſol oriens mundo in altiſſimis Dei, ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domûs ejus.*

22. *Lucerna ſplendens ſuper candelabrum ſanctum, & ſpecies faciei ſuper ætatem ſtabilem.*

23. *Columnæ aureæ ſuper baſes argenteas.*

In fonte Græco Στῦλοι χρύσεοι. Intelligit Sirach tabulas aureas quibus ſubjectæ erant baſes argenteæ. Revertamur ad Exodum.

20. *In latere quoque ſecundo Tabernaculi quod vergit ad aquilonem viginti tabulæ erunt.*

21. *Quadraginta habentes baſes argenteas. Binæ baſes ſingulis tabulis ſupponentur.*

Omnia paria erant in latere ſiniſtro ſive aquilonari.

22. *Ad occidentalem verò plagam Tabernaculi facies ſex tabulas.*

23. *Et rurſum alias duas quæ in angulis erigantur poſt tergum Tabernaculi.*

Sex primæ tabulæ dimenſionum earumdem cum cæteris laterum, faciebant tantùm novem cubitos; Tabernaculum autem erat decem cubitis latum Sed aliæ duæ ſuperaddebantur; quæque in uno ex angulis. Fons ſic exprimi poteſt. *Et duas tabulas facies in angulis Tabernaculi in duobus lateribus.* Si duæ illæ tabulæ fuiſſent omninò ſimiles ſex aliis, paries ille occidentalis fuiſſet duodecim cubitorum quem Scriptura adſtruit fuiſſe decem cubitorum Ergo tabula ſeptima & octava aut minores, aut ita collocabantur, ut adſtarent poſt alias tabulas & partim obtegerent. Ut modo diximus, has tabulas angulares ſimiles facit cæteris Relandus omnes uno cubito craſſas, ita ut quæque uno ſemicubito clauderent ſpatium quod vacuum reliquiſſent ſex tabulæ, & alio cubito obtegerent craſſitudinem tabularum lateralium. Sed veriſimilius eſt fuiſſe pro antis ſive pro poſtibus; & hoc eſt quod ſubſequentia verba codicis ſacri innuunt.

24. *Eruntque conjunctæ à deorſum uſque ſurſum, & una omnes compago retinebit. Duabus quoque tabulis quæ in angulis ponendæ ſunt, ſimilis junctura ſervabitur.*

Fontem his verbis exprimit Pagninus. « Et erunt geminatæ de infra & pariter erunt perfectæ « ſuper caput ejus ad annulum unum. Sic erit am- « babus ipſis in duobus angulis erunt. « Nempe angulares illæ tabulæ, quaſi gemellæ ſive duplicatæ erant, quia ſecundùm totam ſuam longitudinem ab infra uſque ad caput ſive ſurſum partim obtegebant proximas alias tabulas. Conjungebantur *ad annulum unum* in Græcâ verſione εἰς σύμβλησιν μίαν *in unam commiſſuram.* Joſephus non exprimit illam commiſſuram; ſed dicit κίονας ἐκ πήχεως τετμημένους columnas ſive tabulas illas angulares fuiſſe ex medio cubito ſectas. Nempe quod ſpatium vacuum relinquebant ſex tabulæ hinc indè unius cubiti, implebant angulares tabulæ. Sed quod non dicit Joſephus & innuit Hebræus fons, pars alia obtegebat proximam tabulam ut anguli craſſiores & firmiores eſſent Quod vulgatus habet *ſimilis junctura ſervabitur*, ſic intelligendum ut una omnes tabulas compago retineret quaſi uno concluſas annulo. His omnibus verbis caligo ab eo loco in quo ſumus non fugatur. Liceat mihi aperire mentem meam. Cùm diu multùmque rem verſaverim, tandem putavi duas angulares tabulas fuiſſe geminas. Unam conſideremus poſitam ad angulum versùs meridiem. Quaſi biſecta erat in partes M & N. Pars M ſemicubitalis pertinens ad latus occiduum, pars N ſex digitorum ad latus meridionale. Huic ſubjecta baſis H cujus veſtigium I K L. Hæc baſis ratione amplitudinis ſuæ æquare poterat duas baſes; & reſpondebat diverſis partibus M & N ut meritò Scriptura dicat cuique angulari tabulæ duas ſubjectas baſes.

25. *Et erunt ſimul tabulæ octo, baſes earum argenteæ ſexdecim, duabus baſibus per unam tabulam ſupputatis.*

Sex tabulæ occidentales habebant ſingulæ duas baſes, & pariter quæque angularis tabula. Tum autem forma harum angularium tabularum tum ſubjectarum baſium conjungebant arctè latera Tabernaculi cum tergo; quod & faciebant vectes quos paravit Moyſes ex Dei juſſu.

26. *Facies & vectes de lignis ſetim quinque ad continendas tabulas in uno latere Tabernaculi.*

Hi vectes poſſunt tranſtra appellari quia tranſeunt per medias tabulas.

27. *Et quinque alios in altero, & ejuſdem numeri ad occidentalem plagam.*

28. *Qui mittentur per medias tabulas à ſummo uſque ad ſummum.*

Oculos conjice, Lector, in Tabernaculi delineationem tibi ſubjectam X. In tabulâ æneâ V. Vides eâ arte compactas tabulas ut erectæ ſtarent tum beneficio baſium ſuarum, ut diximus, tum quia vectes immiſſi per annulos adhærentes tabulis, eas omnes firmiter conjungebant. Vectes illi erant de ligno ſetim. Quinque faciendos præcepit

Deus

Deus. Quidam existimant hos quinque vectes in eadem lineâ positos fuisse; & sic fabrefactos, ut uniuscujusque caput intraret in caput alterius, more pixidis. Sic ex quinque vectibus unus perpetuus fiebat, nempe transversum & longum tignum quod transiens per annulos tabularum contineret eas, ut ostendit delineatio. Considera, Lector, Q unum ex istis vectibus, & separatim in figuris E & D. Ea videtur fuisse Josephi sententia. » Singulæ verò tabulæ, verba sunt Interpretis Latini, annulos habe» bant aureos per exteriores frontes eminentes κατὰ » τὸ ἔξω μέτωπον, id est, in facie exteriori, velut qui» buidam radicibus confixos per ordinem ad invi» cem per circuitum respicientes, & per eos deaura» ti vectes immissi, singuli cubitorum quinque, ta» bulas conjungebant: intrabatque caput vectis u» niuscujusque in alio capite in modum pixidis: & » post tergum parietum in longitudine positarum, » unus erat ordo, per tabulas omnes vadens quo per » uncinos utriusque parietis latera continebantur in» castrationibus factis & immissis ad invicem. Atque » ita cautum est Tabernaculo contra ventorum vim » aliosve impetus, ut securum & immobile consiste» ret. » Non omnino ibi fons Græcus fluit limpidus; in eo vectes nominantur σκυτελίδες, id est, propriè flagella lorea seu coriacea; sed nomen illud etiam significat *fustem*. Nominantur & φάλαγγες quæ vox Græcis sonat quod Latinis *vectis*. Horum autem verborum subsequentium Latinus Interpres non sensum expressit. κατὰ δὲ τὸ ὄπισθεν μία φάλαγξ ἦν διὰ πάντων ἴσα τῶν κιόνων, εἰς ἣν ἐνέβαινον πλαγίαι αἱ τελευταίαι τῶν σκυτελίδων ἐξ ἑκατέρας τοίχου τῶν ἐπιμηκεστέρων, κρατεῖσθαι σὺν ἑαυτοῖς γιγγλυμοῖς τοῦ θήλεος τοῦ ἄρρενος συνελθόντος. *Erat in postico unus vectis pervadens omnes tabulas, in quem ingrediebatur pars extrema & longior transversorum vectium qui erant in lateribus, & cardinibus suis marem cum fœminâ jungebant*, id est, tum tergum cum parietibus, tum parietes inter se. Tale quidpiam requirebatur. In Lexicis, in Hesychio, in thesauro Stephani non γιγγλυμοῖς, sed γίγγλυμος, & definitur ab Hesychio γόμφος, id est, *cardo* portæ qui cum ipsâ portâ vertitur. Juxta illam significationem vectes qui erant in tergo Tabernaculi poterant committi cum laterum vectibus eâ formâ quâ vides in R & S. Sed aliter potuit fieri ista commissura. γίγγλυμος est species διαρθρώσεως juncturæ quâ artus colligantur, sive per quam ossa se se invicem ingredientia ita conjunguntur ut unius caput in alterius cavitatem condatur, & vicissim hujus caput in illius sinum recipiatur. Quâ & juncturæ specie tibi exhibemus dictos vectes conjunctos.

Hæc omnia quæ ex Josepho protulimus, partim vera esse possunt; opinor enim vectes ex pluribus partibus constitisse; etenim vectis triginta cubitorum, hoc est, quinquaginta pedum, & laminis aureis obtectus fuisset oneri & impedimento. Sed non verisimile est unicum fuisse ordinem vectium. Esto partes vectium quibus unus ordo constabat, fuerint longæ cubitis quinque; sed unicus non potuisset continere tabulas decem cubitos altas. Itaque in nostrâ delineatione quintuplex ordo est vectium. Cui favet versio Græca καὶ ποιήσεις μοχλοὺς ἐκ ξύλων ἀσήπτων. Πέντε τῷ ἑνὶ στύλῳ ἐκ τοῦ ἑνὸς μέρους τῆς σκηνῆς, καὶ πέντε μοχλοὺς τῷ στύλῳ τῷ ἐπὶ κλίτει τῆς σκηνῆς τῷ δευτέρῳ, καὶ πέντε μοχλοὺς τῷ στύλῳ τῷ ὀπισθίῳ τῷ κλίτει τῆς σκηνῆς τῷ πρὸς θάλασσαν. *Et facies vectes de lignis imputribilibus quinque uni tabulæ ex latere secundo Tabernaculi, & quinque vectes tabulæ quæ erat in tergo versùs mare*. Vectes illi ibant per medias tabulas; quod benignè intelligendum. Neque enim quintuplex vectium ordo per medium tabularum, si *medium* in rigore sumatur, permeabat. Itaque omnes tabulæ quæ erant numero quadraginta octo colligabantur in ere se firmiter. Præterea Tabernaculum æreis paxillis & funiculis firmatum erat adversùs vim ventorum; quod expressimus in delineatione X. Horum fit mentio in capite 35. Exodi, in quo hæc legimus in decimo octavo versu. *Paxillos Tabernaculi & atrii cum funiculis suis*. Etiam retinentiæ erant cortinæ Tabernaculi ne à ventis abriperentur. Diutiùs fortan immoratus sum his vectibus exponendis. Revertamur ad caput vigesimum sextum Exodi; quod exponere pergamus.

29. *Ipsas quoque tabulas deaurabis, & fundes in eis annulos, per quos vectes tabulata contineant: quos operies laminis aureis.*

Et tabulas auro teges ut habet fons; neque enim tenuiores bracteæ erant sive tenuia auri folia, quæ non multi sunt pretii, sed aureæ laminæ λεπίδες, ut loquitur Josephus, id est, *squamæ, cortices* tegebant eas. Quin annuli videntur fuisse ex auro solido: *& annulos earum facies auro domos vectibus*, id est, ut sint loca vectibus, sive per quos annulos vectes transeant. Sic fons reddi potest. His omnibus paratis eriges Tabernaculum, inquit Deus, Moysem alloquens

30. *Et eriges Tabernaculum juxta exemplar quod tibi in monte monstratum est*

In fine capitis hujusce nempe 26. versu 37. Moyses memorat quatuor columnas ex quibus pendebat velum quo separabatur Sanctum Sanctorum à Sancto; sicut & alias quinque positas ante introitum Tabernaculi. Cùm innuat quatuor columnarum bases argenteas fuisse unius talenti, ut videbimus, quadratæ esse potuerunt semicubitales in omni latere suo sive decem pollicum; altitudine pari cum cæteris tabularum basibus nempe quatuor digitos, sive tres pollices & quatuor lineæ, quare facilè in illis deprehenduntur 210 pollices cubi argentei. Columnarum scapum facio sex pollicum. In ichnographiâ Tabernaculi videre est earum dispositionem satis oculis gratam. De illis columnis iterum agam infra. Sic autem quatuor illæ columnæ dividunt Sanctum à Sancto Sanctorum; ut linea Q R. à limine Tabernaculi ad Q ubi pendebat velum sit præcisè 20 cubitorum; & linea P. O. ab alterâ parte columnarum, usque ad latus occiduum sit decem cubitorum. Intervallum O Q. non est definitum in Scripturâ. P. O. & Q R faciunt triginta cubitos. Videbimus ubi erit sermo de templo, longitudini Tabernaculi totius, cujus Sanctum erat 40 cubitorum, Sanctum Sanctorum 20, addendos duos cubitos latitudinem muri, quo duæ illæ partes separabantur. Quatuor hæ columnæ aperiebant triplicem viam ad Sanctum Sanctorum. Capita earum erant aurea & decora. Sustinebant illæ trabem auream ex quâ pendebat velum ut dicemus. Id ostendit quod Josephus narrat in lib. 14. Antiquitatum (cap 12.) de Crasso qui è templo abstulit auream trabem undè vela penderent. Tum & simili trabe conjungebantur latera Tabernaculi in ostio ejus; ubi similis formæ sed non ejusdem materiæ erexit Moyses quinque columnas; quæ quadruplicem viam patefaciebant. Etiam ibi ex trabe pendebat velum; quod juxta Josephum descendebat tantùm ad medias columnas; ita restabat altitudo quinque cubitorum, ut sub velo liberrimè Sacerdotes ingrederentur & egrederentur; quod in priore totius Tabernaculi schemate, Lector, vidisti repræsentatum.

Hacce formâ quam descripsimus jussit Deus ut fieret Tabernaculum. Capite autem 36 narrat Moyses factum illud juxta Dei jussum, nempe præscriptâ formâ.

20. *Fecit & tabulas Tabernaculi de lignis setim stantes.*

21. *Decem cubitorum erat longitudo tabulæ unius, & unum ac semicubitum latitudo retinebat.*

22. *Bina incastraturæ erant per singulas tabulas, ut altera alteri jungeretur. Sic fecit in omnibus Tabernaculi tabulis.*

23. *E quibus viginti ad plagam meridianam erant contra austrum.*

24. *Cum quadraginta basibus argenteis. Duæ bases sub unâ tabulâ ponebantur ex utraque parte angulorum, ubi incastraturæ laterum in angulis terminabantur.*

25. *Ad plagam quoque Tabernaculi quæ respicit ad aquilonem fecit viginti tabulas.*

26. *Cum quadraginta basibus argenteis, duas bases per singulas tabulas.*

27 *Contra occidentem verò, id est, ad eam partem Tabernaculi, quæ mare respicit fecit sex tabulas.*

28. *Et duas alias per singulos angulos Tabernaculi retrò,*

29. *Quæ junctæ erant à deorsum usque sursum, & in unam compaginem pariter ferebantur, ita fecit ex utraque parte per angulos.*

30. *Ut octo essent simul tabulæ, & haberent bases argenteas sexdecim, binas scilicet bases sub singulis tabulis.*

31. *Fecit & vectes de lignis setim quinque ad continendas tabulas unius lateris Tabernaculi.*

32. *Et quinque alios ad alterius lateris coaptandas tabulas, & extra hos quinque alios vectes ad occidentalem plagam Tabernaculi contra mare.*

33. *Fecit quoque vectem alium qui per medias tabulas ab angulo usque ad angulum perveniret.*

34. *Ipsa autem tabulata deauravit, fusis earum basibus argenteis. Et circulos eorum fecit aureos per quos vectes induci possent; quos & ipsos laminis aureis operuit.*

Ista descriptio tabularum non alia est quàm quæ occurrit in capite 26. ubi quidem istæ tabulæ præscribuntur faciendæ; in hoc autem capite 36. narrantur factæ. Verbis fermè iisdem utrobique ista descriptio fit. Cùm autem & quinque vectes ibi numerentur in posticâ parte Tabernaculi, argumentum est quinarium horum numerum intelligendum esse de quintuplici ordine, non de quinque vectibus, quibus constaret unus ordo. Tot vectium ordines decuit esse in postico ac in lateribus; quia eadem ubique tabularum altitudo; sed cùm Tabernaculum longum esset triginta cubitis, latum solummodò decem cubitis; si quilibet ordô vectium ex multis conjunctis vectibus consistit, ordo posticæ partis certè non tot habuit proprios vectes. Vulgatus Interpres in versu 33. fontem non exprimit, ubi sic loquitur de alio quodam vecte: *Fecit quoque vectem alium.* Qui, inquam, fabricam Tabernaculi contemplantur, perturbantur hoc alio vecte; nec vident quis ejus usus fuerit. Fons habet: *Et fecit vectem medium ad penetrandum in medio tabularum ab extremo ad extremum.* Locus ille non diversus est ab eo quem vidimus in capite 26. ubi sermo est de vectibus versu 28. dicitur. *Qui mittentur per medias tabulas à summo usque ad summum:* in Pagnini versione: *Et vectis medius in medio tabularum penetrans ab extremo ad extremum.* Vox autem תוך *medium* est: sonat quandoque idem quod *inter, intra;* Licet ergo quilibet vectium ordo non transiret per medium cujusque tabulæ, de quolibet vecte dici potest, quòd medias tabulas penetraret. Illud autem *Et vectis medius,* &c. ponitur pro *Quilibet autem vectis,* &c. Pertinet ad huncce articulum quod Moyses narrat capite 38. 26. *Fuerunt centum talenta argenti, è quibus conflata sunt bases Sanctuarii & introitûs ubi velum pendet.* Verba illa ambigua sunt, & adducerent ut crederent in numero centum basium comprehensas bases columnarum, quæ erant in introitu Tabernaculi, quod falsum est, nam bases harum columnarum erant æneæ. Fons apertior: *Fuerunt centum talenta argenti ad fundendum bases sanctitatis* nempe omnium tabularum Tabernaculi *& bases* הפרכת *haparoketh*, nempe columnarum è quibus pendebat velum dictum *paroketh* appansum ante Sanctum Sanctorum. In paraphrasi Chaldaïcâ. *Et fuerunt centum talenta argenti ad conflanda fulcra Sanctuarii & fulcra veli. Centum fulcra ex centum talentis, talentum pro fulcro;* quod & Latinus Interpres dicit v. 27. *Centum bases factæ sunt de talentis centum, singulis talentis per bases singulas supputatis.* Quadraginta octo erant tabulæ; quibus binæ bases subjiciebantur ita erant 96 bases; quibus quatuor dictarum columnarum additæ, fit centenarius numerus. Innuuntur omnes æqualis ponderis. Talentum Hebræum pendit 174 marcas quatuor uncias & septem grossos. Ita centum talenta faciunt 17460 marcas, duas uncias, quatuor grossos; ita solum basium pretium erat plusquàm ter millionum.

SECTIO V.

De variis velamentis & pellibus quibus Tabernaculum operiebatur.

EGressi ex Ægyto Israëlitæ poterant intra paucos dies pervenire in terram Chanaan, quam illis promiserat Deus. Non longi itineris intervallo distant regiones istæ. Sed Deus meliùs fore judicaverat, si protinus non daret illis sedes quietas, & peregrinarentur per quadraginta annos. Docebat hacce peregrinatione mysticâ sive typicâ, Ecclesiam Christi sui in terris peregrinam futuram: nempe electos suos non statim inducendos in possessionem felicitatis, sed priùs illis esse gemendum ut peregrinis, donec cives in cælis gaudeant. Peregrinantes in deserto Israëlitæ id figurabant. Ergo ut mos est eorum qui vagi sunt, & sæpiùs mutant sedes, habitare sub papilionibus, tentoriis, tabernaculis, ita & Israëlitæ dum errabant in deserto. Deus autem qui ambulabat in medio eorum nec dedignatus est habere pro habitaculo tentorium; nempe habitaculum quod citò vel colligi vel erigi potest, ut fit de tentoriis; quibus ideo vita brevis comparatur in Cantico Ezechiæ apud Isaiam capite 38. 12. *Generatio mea ablata est & convoluta est à me, quasi tabernaculum pastorum.* Isidorus Orig. lib. 14. cap. 10. sic de tentoriis loquitur. *Tabernacula tentoria sunt militum quibus in itinere solis ardores tempestatesque, imbrum frigorisque injurias vitant: dicta autem Tabernacula,* inquit Isidorus, *quod cortinæ distentæ funibus, tabulis interstantibus appenderentur, quæ tentoria sustinerent. Tentorium vocatur quòd tendatur funibus & palis. Papiliones vocantur à similitudine parvuli animalis volantis, quod maximè abundat florentibus malvis.* Tentoria illa, sive papiliones, quia tuguria sunt, tabernis similia, aut tabernarum usum præstantia, dicuntur tabernacula. Conficiuntur ex pellibus; undè David, intuens Tabernaculum Dei sic obtectum pellibus, dicebat (Paralipomenon lib. 1. cap. 17.) *Ecce ego habito in domo cedrinâ: Arca autem fœderis Domini sub pellibus est.* Multiplici integumento opus fuit,

ne unicum perplueret. Tum & ratio habenda fuit decoris, ne cælum Tabernaculi objiceret oculis indecoras pelles. De hisce integumentis, sive cortinis Tabernaculi nunc differam.

Cortinarum mensuras omnes definit Scriptura. Harum mensurarum ratio appaset; convenire enim debent cum mensuris Tabernaculi. Deus compellat Moysem in Exodo cap. 26.

1. *Tabernaculum verò ita facies : decem cortinas de bysso retortâ, & hyacintho ac purpurâ, coccoque bis tincto, variatas opere plumario.*

Primùm Deus præcipit fieri cortinas interiores pretiosioresque nempe quæ erant infra alia integumenta *Facies*, inquit, decem יריעת *iertboth*, id est, aulæa, cortinas quibus obtegatur Tabernaculum. Quatuor erant integumenta quæ distinguebantur mensuris & materiâ. Interius quod primum denominatur, erat ex lino retorto, & laná trium colorum, hyacinthinâ, purpureâ, & coccineâ. Pretiosius esse oportebat, & ideo magis elaboratum; siquidem patebat oculis Sacerdotum cùm in Tabernaculum introierant; & veluti cælum ejus erat; ideo ex lino sive ex bysso retortâ שש משזר *sthesch moschzar*, id est, de bysso conduplicatâ, contortâ, duobus vel pluribus filis in modum chordæ contortis, juxta etymologiam sex filis. Quid sit hyacinthus, quid purpura, quid coccus bis tinctus jam diximus. *Variatas opere plumario.* Juxta fontem *Cherubim opus cogitantis facies eas.* Juxta paraphrasim Chaldaicam *figuras Cherubim facies, opere artificis facies eas.* Divus Hieronymus ibi accipit כרבים non pro Cherubim quæ erant species animalium, sed pro opere vario. Sic ille loquitur scribens ad Marcellam. » In Exodo cæterisque locis, ubi » describuntur vestes plumariâ arte contextæ, opus » Cherubim, id est, varium atque depictum factum » esse describitur, ita tamen ut *vau* literam Che» rubim non habeat, quia ubicunque cum hac lite» râ scribitur, animalia magis, quam opera signifi» cat. Sunt qui deducunt à נכר *cognoscere*, & רב *multitudo*. Alii à רב & particulâ *caph* similitudinis, ut כרב sonet *tanquam magister, tanquam doctor*.

Josephus in his decem cortinis non memorat Cherubinorum facies textas vel depictas. Attamen id ultro crederem præterquàm enim id adstruit paraphrastes Chaldæus, colligi potest ex eo quod Salomon qui Tabernaculum imitari voluit, ubique in parietibus templi expresserit Cherubinos. Quidquid sit *opus cogitantis*, ut loquitur fons Hebræus, juxta Hieronymum est *opus plumarium*. Videlicet opus erat quod fiebat multâ arte, quale opus phrygionicum, nempe quod olim faciebant Phrygiones acu vel textrinâ, quod & dicitur *plumarium*; Artifex enim plumarius ille est qui acu pingit ποικιλτὴς seu *dædalus, variator*. Idem & *polymitarius*, qui varietate liciorum intercurrente in telâ ipsâ texturâque quascumque figuras exprimit aut fingit.

2. *Longitudo cortinæ unius habebit viginti octo cubitos : latitudo quatuor cubitorum erit. Unius mensuræ fient universa tentoria.*

Postrema illa verba ambigua sunt; videntur enim significare omnia alia integumenta fuisse paris mensuræ, quod falsum est; quædam enim longiora erant. Ista ambiguitas non est in fonte : *Omnibus ieriboth*, id est, dictis decem cortinis *una mensura erit.* Intelligendæ sunt singulares cortinæ, ex quibus constabat universalis, quæ alioquin integra obvolvi & revolvi non potuisset. Singulares, inquam, cortinæ omnes pares erant 28 cubitorum, latæ 4 cubitorum. Cùm autem Tabernaculum latum esset decem cubitis, & totidem altum, duo latera cum

A cælo ejus faciebant triginta cubitos. Ita cortinæ illæ longæ viginti octo cubitis cum transversæ ponebantur ut Tabernaculum integerent, duobus deficiebant cubitis, quominùs sicut cælum, sic & duo latera tegerent; ex utroque latere limbus earum terram non attingebat. Quod ad latitudinem cum singulæ latæ essent quatuor cubitis, ubi decem omnes ansulis suis connectebantur; faciebant quadraginta cubitos; ita totum cælum Tabernaculi & tergum ejus, & ideo longitudinem quadraginta cubitorum tegere poterant decem cortinæ simul conjunctæ. Attamen ex Josepho minùs uno pede in tergo & lateribus ad terram pertingebant, scilicet quia pars adducebatur ad frontem Tabernaculi, ut modò dicetur. Quo artificio cortinæ conjungeren- B tur explicat Scriptura.

3. *Quinque cortinæ sibi jungentur mutuò & aliæ quinque nexu simili cohærebunt.*

Primò quinque simul cortinæ jungebantur, ut fons loquitur, *mulier cum sorore*, id est, altera cum alterâ. Hebræi ea quæ paria sunt vocant fratres vel sorores. Decem simul cortinæ primùm non connectebantur; quia ob pondus & amplitudinem vix extendi potuissent supra Tabernaculum; sed ubi quinque, sive una constans ex quinque fuerat seorsim imposita, tunc beneficio circulorum aureorum una cum alterâ connectebatur, ut ex omnibus decem cortinis unica fieret. Moyses in sequenti versu incipit loqui de singulis cortinis, quarum latitudo C erat quatuor cubitorum. Non agit de illis quæ bus quintuplicibus, quæ circulis aureis connectebantur, sed de simplicibus quæ in suis lateribus ansulas habebant quibus par cum pari connecteretur.

4. *Ansulas hyacinthinas in lateribus ac summitatibus facies cortinarum, ut possint invicem copulari.*

5. *Quinquagenas ansulas cortina habebit in utraque parte, ita insertas, ut ansa contra ansam veniat, & altera alteri possit aptari.*

Fons sic verti potest : *Et facies laqueolos hyacinthi*, id est, nexus ex filis hyacinthini coloris, *super labium cortinæ unius ab extremo in conjunctione*, id est, eâ in parte quâ conjunctio fieri de- D bet : *Et sic facies in labio cortinæ extremæ in conjunctione secundæ. Quinquaginta laqueolos*, id est, loramenta, nexus *facies in cortinâ unâ & quinquaginta laqueolos facies in extremo cortinæ, quæ in conjunctione secundæ, suscipientes laqueoli quique sororem suam.* Horum laqueolorum sive ansularum sive fibularum multiplex forma cogitari potest; quæque ea fuerit, quinque simul cortinæ his mediantibus poterant sibi invicem annecti. Laqueoli enim cortinæ unius respondebant recto ordine laqueolis alterius.

6. *Facies & quinquaginta circulos aureos, quibus cortinarum vela jungenda sunt ut unum Tabernaculum fiat.*

E קרסים sunt quidpiam *curvum, reflexum.* Vulgatus interpretatur *circulos*; alii *uncinos*, vel *hamos*, vel *fibulas*. Animadvertendum ansulas singularium cortinarum fuisse fila hyacinthina; sed cortinarum quintuplicium ansulas fuisse ex auro; quia nempe non una cum alterâ cortinâ, sed quinque cum quinque aliis connectendæ, ut unum operimentum fieret; itaque ansulis firmioribus opus fuit. Non ejusdem figuræ ansulæ illæ erant : aliæ *mares*, aliæ quasi *fœminæ* erant, nempe aliæ habebant figuram aptam quâ infererentur, aliæ quâ exciperent & retinerent. Decem cortinæ faciebant primum Tabernaculi integumentum. De secundo mox loquitur Scriptura, quod erat è sagis ciliciniis sive è pilis caprarum.

7. *Facies & saga cilicina undecim ad operiendum tectum Tabernaculi.*

De secundo integumento tunc fit sermo. Perpendendum quibus verbis. Dicit Deus Moysi in fonte: Facies cortinas e caprinis sive pilis caprarum. לאהל על המשכן *lehohel al hamischan*, id est, *in tentorium supra Tabernaculum.* Ubi distinguuntur duo nomina אהל *hohel* tentorium, & משכן *mischan* Tabernaculum, ita a Tabernaculo distinguebatur tentorium *hohel*. Videlicet, ut postea comprobabimus aperto testimonio Josephi, supra ipsum Tabernaculum, quasi aliud Tabernaculum sive tentorium extendebatur; quod formabat tectum triangulare. Materia hujus secundi integumenti, compositum erat ex sagis cilicinis. Appellavit Latinus Interpres *saga cilicina* quæ in fonte dicuntur cortinæ caprarum, quod ambiguum est. Intelligi enim potest, saga illa cilicina fuisse vel pelles caprarum, vel illa saga fuisse texta, è caprarum pilis. Græci ibi habent καὶ ποιήσεις δέρρεις τριχίνας σκέπην ἐπὶ τῆς σκηνῆς *& facies vela capillacea tegmen Tabernaculo.* Crederem illud tegmen consutum non fuisse ex pellibus caprarum, sed contextum ex earum pilis, ut olim fiebat, juxta illud Virgilianum carmen 3. Georg.

Nec minùs interea barbas, incanaque menta
Cyniphii tondent hirci, setasque comantes
Usum in castrorum, & miseris velamina nautis.

Ex pilis caprinis notum est vestes subtiles & tenues confici posse. Talia non erant opertoria Tabernaculi; quapropter Latinus Interpres appellavit saga quæ erant militare ac bellicum gestamen ex pilis caprarum contextum. Puto tamen hocce secundum operimentum fuisse pretiosius veste cilicinâ. Tertium verò & quartum tegumen, ut modò dicemus erant pelles arietinæ.

8. *Longitudo sagi unius habebit triginta cubitos: & latitudo quatuor: æqua erit mensura sagorum omnium.*

Sic illud secundum tegumentum poterat obtegere cælum & utrumque latus Tabernaculi, totamque longitudinem ejus & tergum. Quin & supererat unum sagum revolvendum ad Tabernaculi ostium; nam undecim saga sive undecim *jerihoth* cortinæ faciebant quadraginta quatuor cubitos. Diximus illa saga sive vestes ex pilis caprarum contextas fuisse tentorium, sive vice tecti Tabernaculo. Scilicet cortinæ illæ attollebantur ut formarent tectum declive, idcirco oportuit illas esse longiores primo integumento. Saga, illa formabant quasi tectum triangulare, deinde ad latera Tabernaculi demittebantur, & obtegebant interius integumentum ne detereretur tertio & quarto integumento crassiori.

9 *E quibus quinque junges seorsum, & sex sibi mutuò copulabis, ita ut sextum sagum in fronte tecti duplices.*

Partem hujus secundi operimenti adductam ad ostium Tabernaculi Scriptura his verbis indicat. Nimirum extremitas cortinæ redundantis sive sexta cortina pendens reducebatur *è regione facierum tentorii*, id est, versùs anteriorem faciem κατὰ πρόσωπον τῆς σκηνῆς ut habet versio Græca κατὰ θύρας ad ostium ex Josepho

10 *Facies & quinquaginta ansas in orâ sagi unius ut conjungi cum altero queat: & quinquaginta ansas in orâ sagi alterius, ut cum altero copuletur.*

11 *Facies & quinquaginta fibulas æneas quibus jungantur ansæ, ut unum ex omnibus operimentum fiat.*

Duo saga fiebant, unum ex quinque, aliud ex sex. Illa autem duo fibulis æneis conjungebantur, ut unum fieret. Singula saga secum connectebantur loris; non dicitur cujus materiæ fuerint, sed filis constabant minùs pretiosis, quam hyacinthinis, qualia erant lora primi integumenti. Duo autem saga majora, facta nempe ex conjunctis sagis pariter jungebantur, ut unum fieret operimentum, non aureis circulis sive uncinis, sed æreis, sic omnia in secundo integumento erant inferioris materiæ.

12. *Quod autem superfuerit in sagis quæ parantur tecto, id est, unum sagum quod amplius est, ex medietate ejus operies posteriora Tabernaculi.*

Ita interpretor: cùm illud integumentum assurgeret in tectum triangulare supra Tabernaculum, necesse fuit ut longius & latius esset; quoad latitudinem, constabat non decem cortinis ut prius, sed undecim; & sic dividebatur ut ita dicam undecima cortina ut partes operiret אחרי המשכן, id est, posteriora, sive extrema Tabernaculi, nempe triangularis formæ aperturam. Et hoc est quod dicitur versu nono superiori *ita ut sextum sagum duplices in fronte tecti*, ibi Latinus Interpres tectum appellat quod in fonte dicitur *hohel*, id est, tentorium.

13. *Et cubitus ex unâ parte pendebit, & alter ex alterâ, qui plus est in sagorum longitudine, utrumque latus Tabernaculi protegens.*

De verbo ad verbum: *Et cubitus hinc & cubitus in superfluente in longitudine cortinarum tentorii.* Interpretor illum cubitum de declivitate tecti Tabernaculum erat decem cubitis latum; ita cælum ejus planum totidem habebat cubitos, sed tectum triangulare quod faciebat integumentum de quo quæstio, latius erat hinc & hinc cubito, sive superficies ejus tota duodecim cubitis lata erat. Deinde adjungitur. *Erit superfluum super lateribus Tabernaculi hinc & inde ad tegendum illud.* Videlicet postquam secundum integumentum operuerat tectum, demittebatur ad latera Tabernaculi. Hæc quidem non ambiguitate carent; sed ea quæ dico percipi possunt, & rei ipsi conveniunt, ut modò verbis & delineationibus ostendam.

14. *Facies & operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis: & super hoc rursum aliud operimentum de ianthinis pellibus.*

Non indicat Scriptura quæ utriusque operimenti fuerit mensura. Licet cogitare majorem; quoniam superiores illæ cortinæ debebant ab imbribus protegere inferiores sive interiores quæ erant pretiosæ & delicatæ. Vulgatus Interpres secutus Græcam versionem dicit quartum operimentum fuisse pelles ianthinas δέρματα ὑακίνθινα, quod miror; neque enim decuit ultimum illud operimentum esse tam pretiosum. Factum dicitur in fonte ex pellibus תחשים *thachasim.* Talmudici dicunt תחש *thachas* esse speciem animalis, de quo multa comminiscuntur. Bochartus probat hocce animal esse inane figmentum; & hac voce *thachasim* non designari pellem, sed colorem operimenti; quæ sententia est senum Græcorum, ut diximus. Quis autem fuerit iste color, non convenit, an revera *ianthinus*, sive *hyacinthinus.* Sæpiùs occurrit vox תחש sed sine ullâ circumstantiâ quæ indicet speciem ejus. Alii nigrum, alii cæruleum, alii purpureum colorem fuisse sentiunt. Bochartus contendit esse hysginum aut hyacinthinum colorem in suo Hierozoico (parte 1. lib. 3. cap. 3.) Cùm quartum operimentum conspicuum esset, si naturâ pellium minùs pretiosum fuit, decuit & colore suo esse splendidius; quod observatum adstruit Josephus; *quapropter*, inquit, *è longinquo spectantibus res erat miraculo dignissima: colores enim Tabernaculi non aliter micabant, quàm si*

cælum quis contueretur. Perstringamus breviter A quæ iterantur in sacro codice de iisdem cortinis; ubi scilicet in Exodo cap. 36. dicuntur factæ prout Deus jusserat

8. *Feceruntque omnes corde sapientes ad explendum opus Tabernaculi, cortinas decem de bysso retorta & hyacintho & purpurâ, coccoque bis tincto opere vario & arte polymitâ.*

9. *Quarum una habebat in longitudine viginti octo cubitos & in latitudine quatuor. Una mensura erat omnium cortinarum.*

10. *Conjunxitque cortinas quinque, alteram alteri, & alias quinque sibi invicem copulavit.*

11. *Fecit & ansas hyacinthinas in orâ cortinæ unius ex utroque latere, & in orâ cortinæ alterius similiter.*

12 *Ut contra se invicem venirent ansæ, & mutuò jungerentur.*

13. *Undè & quinquaginta fudit circulos aureos qui morderent cortinarum ansas, & fieret unum Tabernaculum.*

14. *Fecit & saga undecim de pilis caprarum ad operiendum tectum Tabernaculi.*

15. *Unum sagum in longitudine habebat cubitos triginta & in latitudine cubitos quatuor, unius mensuræ erant omnia saga.*

16. *Quorum quinque junxit seorsum, & sex alia separatim.*

17. *Fecitque ansas quinquaginta in orâ sagi unius, & quinquaginta in orâ sagi alterius, ut sibi invicem jungerentur.*

18. *Et fibulas æneas quinquaginta, quibus necteretur tectum, ut unum pallium ex omnibus fieret.*

19 *Fecit & opertorium Tabernaculi de pellibus arietum rubricatis: aliudque desuper velamentum de pellibus ianthinis.*

Interpres Latinus non iisdem verbis eadem verba Hebræa expressit, sectatus elegantiam, & ne rerum earumdem repetitio iisdem facta verbis tædium pareret. Ista autem diversitas non est in fonte; ita res ipsa quæ hîc repetitur, non ullâ indiget expositione.

SECTIO VI.

De velis quæ oppandebantur foribus; tum & de columnis è quibus illa pendebant.

IN duas partes divisum fuisse Tabernaculum vidimus; hæc quæ Sanctum dicebatur, viginti cubitorum erat, & altera quæ nominabatur Sanctum Sanctorum, decem cubitorum. Sanctum à Sancto Sanctorum distinguebant quatuor columnæ quibus velum appensum erat quod hisce verbis describitur in Exodo cap. 26.

31. *Facies & velum de hyacintho & purpurâ, coccoque bis tincto, & bysso retortâ, opere plumario & pulchrâ varietate contextum.*

E Velum de quo fit sermo appellatur in fonte פרכת *parocheth*; quam vocem Græcis caracteribus exprimere volebat Josephus cùm illud nominat φᾶρος. De coloribus illis hyacintho, purpurâ & cocco jam locuti sumus. Iterum de illis differemus, & de textrinâ arte veterum Hebræorum; ubi de vestibus Sacerdotum sermo fiet. Opus illud quod hîc dicitur *plumarium* in fonte Hebræo & in versione Græcâ, dicitur *Cherubim:* Supra etiam declaravimus opus Cherubim dici, quod esset plurimâ arte perfectum; quale illud est quod Latini appellabant *plumarium*; quia forsan imitaretur variis coloribus avium plumas. Non ergo, ut innuimus, necesse est ut huicce eleganti velo cogitemus intextos Cherubinos, quamquam nec liceat negare.

32. *Quod appendes ante quatuor columnas de lignis setim; quæ ipsæ quidem deauratæ erunt & habebunt capita aurea, sed bases argenteas.*

Columnæ illæ dicuntur עמודי שטים *amude setim.* Verbum עמד undè עמוד idem sonat quod *fulcivit.* Igitur nomen *amud* indicat fulcri aliquod genus; cujus nec mensuras nec formam omnem explicat Scriptura. Dicit tantùm eas fuisse ex ligno setim, quod auro obduceretur. Fons non memorat in illis capitella; quod facit versio Græca; καὶ αἱ κεφαλίδες αὐτῶν χρυσαῖ *& capitula earum aurea.* Fons tantum apponit vertici harum columnarum sive fulcrorum *uncinos* sive *clavos.* Vox enim ווים *vavim* quâ utitur,

B eam habet significationem: *Et uncini earum aurei super quatuor.* Scilicet quatuor hisce columnis inerant uncini vel clavi ex quibus pendebat dictum velum.

33. *Inseretur autem velum per circulos, intra quod pones Arcam testimonii, quo & Sanctuarium & Sanctuarii Sanctuaria dividentur.*

Circuli illi קרסים *cherasim* sunt ansulæ, sive res incurva, reflexa, cujus ope velum adhæreret uncinis sive clavis columnarum. Quoniam harum summitatem omni caruisse ornamento non verisimile est, sivi ut pingeretur quædam capituli species in delineatione hujus columnæ quæ hîc subjicitur cum suâ basi. Indicat ipse fons Hebræus cap. 36. quin-

C que columnas, quibus ante fores Tabernaculi velum pendebat, capitella & hæc elegantia habuisse. Non decebat interiores columnas exterioribus esse formâ inferiores. Verba sacra quæ proposuimus præcipiunt dictum velum faciendum, sequentia factum referunt. Exod. cap. 36.

35. *Fecit & velum de hyacintho, & purpurâ, vermiculo, ac bysso retortâ, opere polymitario, varium atque distinctum.*

36. *Et quatuor columnas de lignis setim, quas cum capitibus deauravit, fusis basibus earum argenteis.*

In fonte nulla est diversitas inter hæc duo loca ubi dicti veli, & quatuor columnarum ex quibus

D illud penderet, mentio fit. De Arcâ, de mensâ, de candelabro, de altari aureo, quæ in Tabernaculo reponi jubet Deus, diligenter infra disseremus.

Denique velum secundum oppandebatur ante Tabernaculi fores: Præcepit Deus faciendum in Exodo capite 26. quod in capite 36. factum memoratur.

36. *Facies & tentorium in introitu Tabernaculi de hyacintho & purpurâ, coccoque bis tincto & bysso retortâ opere plumarii.*

37. *Et quinque columnas deaurabis lignorum setim ante quas ducetur tentorium: quarum erunt capita aurea & bases æneæ.*

E Hocce velum quod Latinus Interpres appellat *tentorium* nominatur in fonte מסך *masac* quod in genere est operimentum à verbo סכך *sacac* texit. In Græcâ versione dicitur ἐπίσπαστρον, hoc est velum quod adduceretur; quapropter hujus auctores videntur legisse משך *maschac* à verbo משך traxit. Literæ ס & ש quæ sunt ferè ejusdem soni facilè permutantur: eodem elemento Græci sigma, Latini S illas duas literas exprimunt. Colore & materiâ hocce velum non notatur diversum ab interiori velo; in eo tamen non opus Cherubim sed opus רקם *rochem*, hoc est *acupingentis.* In capite Exodi 36. dictum velum enarratur factum.

37. *Fecit & tentorium in introitu Tabernaculi ex*

hyacintho, purpurâ, vermiculo, byssoque retortâ o- A *pere plumarii.*

38. *Et columnas quinque cum capitibus suis, quas operuit auro, basesque earum fudit æneas.*

Postremus ille versus in fonte adstruit columnis capitella distincta à clavis sive uncinis. *Et columnas ejus quinque & earum uncinos, & texit capita earum & cincturas earum auro & bases quinque earum æneæ.* In ipso columnarum vertice duo distinguuntur ראש *caput* & השוקים, id est, *fasciæ, cincturæ, orbes.* Verbum חשק *amavit, desideravit, cinxit, redimivit fasciis*, indicat capita columnarum redimita fuisse aliquâ eleganti cincturâ, quam sacer codex nobis reliquit cogitandam, tantùm significans capitellis exornari hasce columnas; quibus B subjiciebantur æneæ bases; quippe extra Tabernaculum erigebantur. Situs autem earum, ut videre est in vestigio totius Tabernaculi, patefacit cur quinque numero in introitu essent; & in interiori parte quatuor tantùm. Duæ locabantur ante quodque latus Tabernaculi, veluti parastades, & tres positæ sunt in aperturâ. Hæc omnia quæ in hunce articulum congessimus de cortinis & velis, ante tabularum descriptionem occurrunt in sacro codice; sed cortinarum mensura quæ accommodata erat mensuris tabularum, vix antea poterat explicari.

SECTIO VII.

De tecto Tabernaculi, parietibus & appendicibus ejus. C

HActenus differentes de Tabernaculo protulimus quæ de eo habet codex divinus. Non superimpositas tabulas dicit Tabernaculo, sed cortinas & pelles superextensas; quas transversa tigna, si non sustinuissent pondere illarum, quasi excavata lacuna fuisset in medio ejus, ubi imbres stagnantes corrupissent Tabernaculi operimenta. Ne hoc contingeret tectum ejus oportuit esse fastigiatum, ut hinc indè defluerent imbres. Id Josephus adstruit; dicit enim fuisse simile ἀετώματι. Quod ut videre est in lexicis peculiariter intelligitur de fastigio ædificiorum τοῦ ἀετοῦ *aquilæ* volantis speciem re- D præsentante. Galeno est illud quod triangulari formâ supra tectum elevatum est. Vernaculè diceremus *le timpan.* Sed cùm autem auctoritas Josephi, & ipsa ratio adstruant tectum Tabernaculi fuisse fastigiatum sive triangulare; supponenda sunt tigna quæ triangulum constituerent. Horum quidem nulla est mentio in sacro codice aperta; non enim illa conspicua erant; idcirco cùm omnia, quæ in Tabernaculo objiciebantur oculis, aurea essent, non præceperat Deus ut hæc tigna auro obducerentur. Supra extensum primum integumentum, illa tigna extendebantur, sic occultata sub aliis integumentis. Secundum autem integumentum ideo in fronte Tabernaculi adducebatur sive revolve- E batur; ne illud triangulare interstitium appareret. Ergo cùm tigna de quibus loquimur occultarentur & nullius essent pretii, ex materiâ parabili fabricanda sine arte, Moyses non ea memoravit. Reliquerat Deus intelligenda tum ex exemplari Tabernaculi quod oculis ejus objecit, quando cum eo collocutus est, tum ex usu consueto Tabernaculorum vulgarium; quorum vertici supponebantur fulcra; ut ex hoc vertice velut ex fastigiato tecto defluerent imbres.

Sed nec omnino prætermissa dici possunt hæc fulcra. Etenim videtur Moses illa innuere in postremo capite Exodi, ubi de erecto Tabernaculo loquitur.

A 16. *Erexitque Moyses illud & posuit tabulas ac bases & vectes, statuitque columnas.*

17. *Et expandit tectum super Tabernaculum imposito desuper operimento.*

In fonte est האהל *hahoel* quod Latinus Interpres reddit *tectum*, sed in genere significat *tentorium*, non verò aulæa. Cortinæ, ut vidimus, appellantur יריעות. Tentoria habebant aulæa, cortinas, pelles; sed hæc pendula in aëre sine adminiculo non stabant. Ita licet dicere, si non affirmando, saltem conjectando, ibi *hahoel* indicare solitum apparatum tentoriorum; *fulcra, tigna, furcas*, supra quæ omnia extenderit Moses מכסה *michse*, id est, operimenta.

B Quod fieri solet in tentoriis ordinariis, ut adversus vim ventorum funibus hinc indè firmentur, factum quidem est in Tabernaculo. Cortinæ autem ejus in tergum & latera defluentes poterant hisce funibus subextentis sic ferri, ut non attingerent tabulas. Igitur circum circa relinquebatur spatium vacuum coopertum cortinis; ita ut tentorium quod continebatur inter tabulas, acciperet incrementum ab illâ tenturâ; quippe cingebatur quasi tentoriolis, quæ dici possunt Tabernaculi appendices. Linea A C decem cubitorum repræsentat altitudinem tabularum. B locum indicat ubi paxillus fixus est. Distantia ejus B A ab A pede sive basi tabularum potuit esse brevior aut longior; non po- C tuit definiri ejus mensura, sed aliquod spatium vacuum relinquebatur inter tabulas & cortinas, quo incremento dilatabatur Tabernaculum. Latus unum tecti ejus repræsentatur linea C D quam suppono sex cubitorum. Primum integumentum viginti octo cubitorum, postquam texerat cælum ejus planum decem cubitorum perveniebat usque ad aliquam partem lineæ B C puta usque ad E. Linea C E fuerit novem cubitorum, intercipiebatur spatium B E quominùs primum illud & pretiosum integumentum perduceretur ad terram. Secundum integumentum erat trigintà cubitorum. Ex his duodecim ad totum tectum sive sex ad latus D C operiendum adhibebantur; novem reliqui dimittebantur; qui sic ad eundem terminum E D pervenîebant; & tegebant totum primum integumentum ne offenderetur à tertio & quarto. Animadvertere est illas appendices circa Tabernaculum amœnas; nam tabulæ intra & extra Tabernaculum deauratæ erant; tum ob pretiosos tapetes. Nam qui pretiosus erat, non occultabatur ut videre est in universali delineatione in quâ observare licet & distinguere diversa integumenta Tabernaculi. Quatuor numero erant, sic ea revoluta expressimus ut singula distincta appareant.

Sub appendicibus multa supellex colligi & servari poterat; neque enim intra tabulas in ipso Tabernaculo quidquam reponere licebat, nisi quod mandaverat Deus Pluribus lancibus, pateris opus E erat in sacrificiis præter cultros, & alia instrumenta; quæ omnia prompta ad manum debebant occurrere. Videbimus in appendicibus templi ubi saxo ædificatum est, repositas cespitas, sive gladios quibus mactabantur victimæ. Cùm autem Sacerdotes, ut admonet Ezechiel, non possent induti sacris vestibus exire ad populum, necesse erat circa Tabernaculum fuisse locum in quo induerent & exuerent vestimenta, quæ congruerent muneribus sacris. Appendices illæ Tabernaculi idoneæ erant excipiendis innumeris vasis, quorum usus erat in sacrificiis; tum & servandis vestibus sacerdotum. Possunt etiam haberi pro gazophylaciis Tabernaculi. Locus ille valdè exornatus erat; præceperat enim Deus ut exteriùs pariter ac interiùs obduce-

rentur laminis aureis tabulæ, & vectes quibus illæ intrinsecus continebantur, etiam integerentur auro, & ex solido eodem metallo conflarentur annuli, per quos hi vectes transibant. Nisi dictæ appendices cogitentur, hæc omnia auro splendentia latebant sub quatuor integumentis; ita vana eorum impensa. Verisimile ergo magis est fuisse veluti decora & opulenta conclavia, quæ differrent à Tabernaculo, quia illud majus, & parietes ejus recti, de cætero idem cælum, sive idem tegumentum, iidem parietes. Videre est cur bases tabularum essent argenteæ; & quinque columnarum erectarum in ostio Tabernaculi æreæ; illæ enim protegebantur appendicibus, illæ verò subjacebant pluviis. Non dubito quin Salomon, ut imitaretur opulentas illas appendices, ædi sacræ apposuerit appendices, quæ erant minores cellæ adhærentes parietibus ædis; quas Josephus appellat aureas & breves domos, quod suo loco uberius dicemus.

SECTIO VIII.

Tabernaculum erat in medio atrii. De hujus atrii mensuris, velis & columnis, quibus terminatur.

Tabernaculum erat circumdatum atrio sive areâ; quam à reliquis castris distinguerent columnæ quibus appendebantur vela. Has columnas & vela Scriptura describit, simul definiens hujus atrii mensuras omnes. His verbis Deus Moysem compellat in Exodo cap. 27.

9. *Facies & atrium Tabernaculi, in cujus australi plagâ, contra meridiem, erunt tentoria de bysso retortâ: centum cubitos unum latus tenebit in longitudine.*

Atrium est locus subdialis. חצר *chatser* venit à חציר *chatsir* fœnum. Ita atrium sic dictum, quia in eo crescit fœnum, herba. Græcis dicitur αἴθριον unfactum latinum nomen. Philo illud atrium de quo fari incipimus, vocat τέμενος; quâ voce Græci significabant portionem agri, quæ abscinderetur & separaretur à reliquo agro, ut Deo sacra esset. Vulgatus circumdat atrium tentoriis de bysso retortâ. In fonte קלעים *chelaim*. Nomen illud notat tapetes ocellatos, qui nempe perforati sunt ad instar fundæ & retis; prima enim origo nominis hujus est verbum קלע *sculpere, incidere*. Talem tapetum speciem exprimere non satagit Latinus vertens *tentoria*, nec Græci interpretes reddentes ἱστία *vela*. Illa non oportuit esse pretiosa. Erant tantùm ex bysso retortâ; tenuiora quippe & pretiosiora vela citò corrupissent imbres, abripuissent venti. Forsan visum admittebant tapetes illi ocellati, sive reticulati; ut Israëlitæ qui non admittebantur intra atrium, possent interesse rebus sacris, & harum esse spectatores. Forsan & ocellatos hosce tapetes exprimere voluit Salomon, cùm quasdam partes templi circumdedit lapideis cancellis, qui, ut notat Josephus, cancellos sive retia imitabantur. Mensura autem atrii in quo versamur, definitur sine ullâ ambiguitate: *Centum cubitos unum latus tenebit in longitudine.*

10. *Et columnas viginti cum basibus totidem æneis, quæ capita cum cælaturis suis habebunt argentea.*

Pari perspicuitate Scriptura disserit de columnis, è quibus pendebant ocellati tapetes. Indicat earum numerum, dispositionem, formam, & materiem. Erant viginti in uno latere; sic distabant ab invicem intervallo quinque cubitorum. Bases earum erant æneæ, sed capita habebant argentea; quorum omnes uncini, sive clavi undè pendebant vela, & cælaturæ ex argento erant. In fonte ווי העמדים וחשקיהם כסף; *& clavi, sive uncini columnarum, & circuli earum, sive cincturæ, fasciæ earum ex argento.* Scilicet uncinis innectebantur lora velorum; cincturæ verò sive fasciæ ornabant capita argentea columnarum. Aliqua his inerat elegantia. Verùm cùm varia & multiplicia esse potuerint talia ornamenta, non licet definire propriam eorum formam. Quid essent ווים *vavim* clavi, uncini, supra jam observatum, sicut חשקים *chaschuchim*. Bases æneæ erant; sæpiùs enim pulvere, etiam luto inficiebantur.

11 *Similiter & in latere aquilonis per longum erunt tentoria centum cubitorum, columnæ viginti & bases æneæ ejusdem numeri, & capita earum cum cælaturis suis argentea.*

Describitur latus aquilonare, quod meridionali omninò simile erat.

12. *In latitudine verò atrii quod respicit ad occidentem, erunt tentoria per quinquaginta cubitos, & columnæ decem basesque totidem.*

Atrium quod longum erat cubitis centum, tantummodo latum erat cubitis quinquaginta; igitur tapetes ejus minores & minor columnarum numerus.

13. *In eâ quoque atrii latitudine quæ respicit ad orientem quinquaginta cubiti erunt,*

14. *in quibus quindecim cubitorum tentoria lateri uno deputabuntur columnæ tres & bases totidem.*

Forsan irrepsit in vulgatam *lateri uno* pro *lateri uni*.

15. *Et in latere altero erunt tentoria cubitos obtinentia quindecim, columnæ tres & bases totidem.*

Ibi vulgatus Interpres vocem כתף *cateph* reddit *latus*, secutus Græcos, qui interpretantur κλίτος; sed Hebræis idem sonat quod humerus Latinis. Ibi fit sermo de latere orientali atrii, ubi erat introitus. De more Scripturarum, partes lateris hujus orientalis, quæ hinc indè erant, & intra quas erat introitus, appellantur *humeri*, qui reperiuntur æquales; nempe quisque humerus quindecim cubitorum tres habens columnas similes. Utrumque autem humerum distinguit Scriptura, quia reliquis velis & columnis similia omnia habebant illi duo humeri. Nempe expandebantur ocellati tapetes ex bysso retortâ circa cæteras partes atrii; sed in ipso introitu qui patebat viginti cubitis, aliud erat tentorii sive tapetis genus.

16. *In introitu verò atrii fiet tentorium cubitorum viginti ex hyacintho & purpurâ, coccoque bis tincto & bysso retortâ opere plumario: columnas habebit quatuor cum basibus totidem.*

Decem ergo columnæ erant in hac parte orientali; ita, quod nostra delineatio repræsentat, columnæ erant numero sexaginta circa totum atrium, omnes pares, paribus dispositæ intervallis. Sed velum in hoc introitu appensum à cæteris atrii velis discrepabat. Proprium nomen habet, sive idem quo appellabatur velum appensum ante fores Tabernaculi. Dicitur מסך *masach*; quod ita describit Scriptura, ut pretiosum esset. De coloribus ejus & texturâ jam locuti sumus.

17. *Omnes columnæ atrii per circuitum vestitæ erunt argenteis laminis, capitibus argenteis & basibus æneis.*

Ideò versus ille difficilis, quia videtur columnas atrii facere argenteis laminis vestitas; quas alter locus ejusdem Exodi cap. 38. v. 10. statuit æneas. Alicubi ergo error est vel in fonte vel in versionibus; sed si uspiam error est, certè antiquissimus; nam Græcâ versio liquidò dicit omnes columnas fuisse inargentatas. Pagninus dicit cinctas argento;

quod ferè idem eſt ac dicere veſtitas *laminis argenteis :* verùm facile eſt ab iſto errore fontem vindicare. In eo legimus מחשוקים כסף quod malè quis reddat *cinctas* aut *veſtitas argento.* Meliùs vertat *faſciatas argento* nempe in capite. Etenim obſervavimus in capite cujuſque columnæ fuiſſe חשוקים *faſcias, cincturas, orbes* ex argento. Ergo qualecumque ornamentum ſint illæ faſciæ, cincturæ pertinebant ad verticem columnæ; quæ quod adſtruitur in altero capite Exodi, erat tota ænea, excepto capite. Videlicet præter *vavim* clavos, uncinos ex quibus pendebant tapetes, & faſcias ſive cincturas argenteas, in iſtis columnis omnia erant ænea. Dicta ornamenta vulgatus appellat cælaturas, ut ſignificet elegantiæ rationem habitam; nomen proprium non occurrebat. *Chaſchuchim* juxta Græcos ſunt ψαλίδες. Lexica dicunt ψαλίδας eſſe lapides qui in ſui coagmentatione *forficum* figuram efficiunt. Hac ergo voce Græci intellexerunt aliquid prominens, ſicut ſunt in ædificiis frontati lapides.

Iterum dicam non omni ornamentorum ſpecie carebant atrii columnæ; quanquam haud cogitare prorſus ſimiles columnis ædificiorum. Joſephus eas appellat κάμακας, hoc eſt *vallos, palos;* & baſes earum aſſerit mucronatas, nempe ſimiles imæ haſtæ, ut poſſent defigi in terrâ. Locum ubi iſta dicit, ſic lego; aut corruptum ſic reſtituo, eliminans vocem χρυσαῖ quæ irrepſit malè in textum. κιονόκρανα μὲν ἀργυρᾶ, βάσεις δὲ (χρυσαῖ hoc nomen expungendum) σαυρωτῆρσιν ἐμφερεῖς χαλκαῖ ἦσαν ἐπὶ τῆς γῆς ἐληλαμέναι. *Capita quidem columnarum argentea, baſes verò imæ haſtæ ſimiles, æneæ erant in terrâ defixæ.* Joſephus dicit capitibus columnarum innexos funes, qui & paxillis æreis cubitalibus illigabantur. Paxilli illi erant ἧλοι clavi qui cum funibus, ut inquit ille, debebant ſingulos vallos κάμακας, id eſt, columnas firmare & contra vim ventorum immotum tabernaculum reddere ἀκίνητον ὑπὸ βίας ἀνέμων τὴν σκηνὴν παρέχειν. Sic interpretantur. σκηνὴν interpretantur *Tabernaculum.* Videre eſt in delineationibus verſionis Gallicæ, cujus autor Arnaldus, à capitibus vallorum ſive columnarum intentos funes uſque ad Tabernaculum; quod vix concipi poteſt; nam intra columnas atrii & Tabernaculum erat major intercapedo; & funes illi obſtitiſſent atrii miniſterio. Ibi ergo σκηνὴ intelligi debet velum quod pendebat ex dictis columnis; vel benignè interpretandus Joſephus.

18. *In longitudine occupabit atrium cubitos centum, in latitudine quinquaginta, altitudo quinque cubitorum erit, fietque de byſſo retortâ & habebit baſes æneas.*

Ibi, quod facit paraphraſtes Chaldæus, altitudo illa intelligenda de columnis & de cortinis, quibus quaſi paries excitatus erat circa atrium altus quinque cubitis, nempe octo Pariſinis pedibus & pollicibus quatuor. Hocce pariete, ſive hiſce velis arcebantur prophani à loco ſancto, ut Philo ait. Tabernaculum duplo altius conſpicuum exſtabat. In utroque latere atrii boreali & auſtrali erat area viginti cubitorum. Hæc area tot cubitis lata, habebat in longitudine centum cubitos. Ante tabernaculum patebat area quadrata quinquaginta cubitorum in omnibus ſuis lateribus. Non poſſumus. Quantùm ſatis eſt admonere, diligenter attendendum eſſe hiſce omnibus atrii dimenſionibus. Videbimus enim Salomonem imprimis ſtuduiſſe ut quantùm fieri poterat, exprimeret Tabernaculi formam & menſuras.

19. *Cuncta vaſa Tabernaculi in omnes uſus & cæremonias tam paxillos ejus, quàm atrii ex ære facies.*

Vas apud Hebræos כלי habet latam ſignificationem; potiſſimum denotat inſtrumenta quorum uſus eſt in omni opere. In ſecundo libro ubi de metallis diſſeruimus, vidimus æris frequentiorem fuiſſe quam ferri; quia æs funditur, ferrum autem non poteſt ſine multo labore edomari. Unde primis temporibus, multis etiam ſæculis poſt erectum Tabernaculum, nempe Homeri ætate, etiam ſecures fiebant ex ære. Quæ modò ſubjecimus ex capite 27. Exodi, occurrunt in capite 38. quæ exſcribenda ſunt.

9. *Fecit & atrium in cujus auſtrali plagâ erant tentoria de byſſo retortâ, cubitorum centum.*

10. *Columnæ æneæ viginti cum baſibus ſuis, capita columnarum & tota operis cælatura argentea.*

Ibi Latinus Interpres juxta fontem clarè dicit columnas illas cum baſi ſuâ fuiſſe æneas; ſed habuiſſe capita cælata, & illam cælaturam fuiſſe argenteam: quod adſtruit verſu duodecimo ſequenti. Intelligendum autem has columnas fuiſſe intus ligneas & laminis tantùm æreis obtectas; alioquin non potuiſſent portari à Meraritis.

11. *Æquè ad ſeptentrionalem plagam tentoria, columnas baſeſque & capita columnarum ejuſdem menſuræ & operis, ac metalli erant.*

12. *In eâ verò plagâ, quæ ad occidentem reſpicit, fuerunt tentoria cubitorum quinquaginta, columnæ decem cum baſibus ſuis æneæ, & capita columnarum, & tota operis cælatura argentea.*

13. *Porro contra orientem quinquaginta cubitorum paravit tentoria.*

14. *E quibus quindecim cubitos columnarum trium, cum baſibus ſuis, unum tenebat latus.*

15. *Et in parte alterâ (quia inter utraque introitum Tabernaculi fecit) quindecim æquè cubitorum erant tentoria columnæque tres & baſes totidem.*

16. *Cuncta atrii tentoria byſſus retorta texuerat.*

17. *Baſes columnarum fuêre æneæ; capita autem earum cum cunctis cælaturis ſuis argentea: ſed & ipſas columnas atrii veſtivit argento.*

Non ergo erant ex ſolido aut auro, aut argento, aut ære columnæ, ſed veſtitæ, ſive obductæ in ſcapo æreis laminis, in capitello argenteis, baſes verò prorſus æreæ.

18. *Et in introitu ejus opere plumario fecit tentorium ex hyacintho, purpurâ, vermiculo, ac byſſo retortâ: quod habebat viginti cubitos in longitudine, altitudo verò quinque cubitorum erat, juxta menſuram, quam cuncta atrii tentoria habebant.*


19. *Columnæ autem in ingreſſu fuêre quatuor cum baſibus æneis, capitaque earum & cælaturæ argenteæ.*


20. *Paxillos quoque Tabernaculi & atrii per gyrum fecit æneos.*

Hæc omnia non niſi verbo tenus differunt ab iis quæ jam exſcripta fuerant; hæc autem repetitio quæ fit in fonte, ubi enarratur factum, quod priùs dixerat Deus faciendum, in Græcâ verſione prætermiſſa eſt.

CAPUT

Tabernaculum Mosaicum et partes ejus





Orthographia Tabernaculi Mosaici et atrii ejus. Col. 366

Orthographia Tabernaculi sublatis velis quo interiora pateant, omnes que adeo constructionis ejus partes penitus videantur. Col. 353

Orthographia Tabernaculi, reductis tantisper velis superioribus, ut subjecta vela inspiciantur, tum et appendices Tabernaculi in quibus pateræ &c recondebantur. Col. 365


Forma basium argentearum quæ tabulis tabernaculi subjiciebantur. Col. 351


Vectis R posticæ partis, Vectis S lateris meridionalis, in T commissus. Col. 354



Paxillus æneus quo retinebantur funes tabernaculi. Col. 348



Basis argentea aut ænea in quâ infigebatur Columna. Col. 351

Columna ex ligno Setim cum capite suo aureo. Col. 365



Vectes quibus tabulæ tabernaculi constabiliebantur. Col. 354

Vestigium anguli Occidui et meridionali tabernaculi. Col. 353



Asseres angulares Tabernaculi cum incastraturis gallicè des feuillures Col. 353


Basis angularis asserum Col. 353

Forma tabularum quibus Conflabatur Tabernaculum. Tab. V^a Col. 351


Cardines seu dentes (vernaculè, des tenons) qui immittebantur in bases argenteas. Col. 352

Ichnographia Tabernaculi. Col. 365



Back of Foldout Not Imaged

Back of
Foldout
Not Imaged

Imago Summi Pontificis Col. 487 et 493

A. Cidaris pontificia
B. Corona pontificia
C. Ephod
D. Pectorale
E. Lapides superhumerales
F. Cingulum
G. Tunica cum tintinnabulis
H. Vestis talaris
I. Balteus



Alia forma pilei Sacerdotis Col. 492

Corona pontificia Col. 491



Lapis superhumeralis Col. 488

Feminalia.

Alia forma pilei Sacerdotum Col. 480

Ephod, Siue Super humerale Col. 487. 494.




Pectorale cum duodecim lapidibus inscriptis nomine tribuum Col. 488




Sacrificium gentile ex ueteri monumento Col. 465





Arca fœderis Col. 413.

A. Urna mannæ.
B. Virga Aaronis quæ floruerat.









Nummi Samaritani Col. 416 ex Relando

Vetus nummus Col. 426




Cherubin Col. 427

Vectes quibus mensa panum propositionis portabatur. Col. 372.



Dimidiati Calami aurei Col. 378


Fibulæ quibus uectes adhærebant mensæ Col. 371.



Altitudo limbi Unius Palmi Col. 371.

Mensa panum propositionis sine panibus Col. 371.

Mensa cum panibus propositionis Col. 377




Tripus Col. 402.

Cubiti

A. Panes propositionis
B. Calami aurei dimidiati inter placentas per quos uentus perflare poterat.
C. Acerræ thuris plenæ.
D. Limbus mensæ.
E. Pedes conicæ figuræ.


Tabula PI. Col. 371.

Numisma Faustinæ Col. 372.



Pontifex gentilis cui minister porrigit acerram Col. 401.





Mensa panum propositionis secundum Judæos Col. 378

A. Panes propositionis siue placentæ replicatæ
B. Baculi quibus nitebantur Strues panum
C. Acerræ thuris plenæ
D. Vectes quibus mensa portabatur



Cubiti

Summus Pontifex adolens thus in altari aureo Col. 398

Picart del.

CAPUT IV.

De Sancto & his quæ in illo erant, de mensa panum propositionis, de candelabro, & altari aureo. Horum supellectilium mensura, forma usus.

SECTIO I.

In Sancto mensa erat ad aquilonare latus supra quam proponebantur panes. Describitur hæc mensa, & ratio redditur formæ ejus.

PRima pars Tabernaculi dicebatur Sanctum, longa viginti cubitis, lata decem. In Sancto erant hæc tria pretiosa supellectilia. Mensa supra quam proponebantur coram Deo panes, qui idcirco *propositionis* dicuntur, candelabrum, & altare thymiamatis, quod appellabatur aureum propter laminas aureas quibus erat obtectum. De his disseram eo ordine quo enumerantur in Exodo primùm in capite 25. ubi Deus mandat Moysi, quæ ab eo oporteret fieri.

23. *Facies & mensam de lignis setim habentem duos cubitos longitudinis & in latitudine cubitum, & in altitudine cubitum & semissem.*

Hæc mensa erat lignea, ut per desertum deferri posset; sed laminis aureis obtegebatur, ut mox dicetur. Duplo longior quam lata, longa tres pedes Parisinos cum quatuor pollicibus, & lata pedem cum semipede & duobus pollicibus; alta triginta pollices nempe duos Parisinos pedes cum semipede. Usui in quem erat destinata conveniebant hæ dimensiones, ut videbimus. Huic imponebantur duodecim panes dicti facierum, quia ponebantur coram facie Domini. Horum panum ea erat dispositio, ut in unâ parte sex essent panes, & super eos acerra thure plena. In alterâ parte erat totidem panum cum acerrâ thure plenâ similis dispositio.

24. *Et inaurabis eam auro purissimo: faciesque illi labium aureum per circuitum.*

Auro puro hæc mensa obtegebatur. Labium quo erat cingenda dicitur in fonte זר *zer*, quæ vox derivatur à זרה *zarah*, id est, *sparsit*, *ventilavit*. Scilicet *zer* erat aliquid quasi in aëre projectum. Græci vertunt. Καὶ ποιήσεις αὐτῇ στρεπτὰ κυμάτια χρυσᾶ κύκλῳ. *Et facies ei tortilia cymatia aurea in circuitu.* Architecti *cymatium* appellant partem summam coronidis, *partie de l'entablement*, quæ nascitur ex ipsâ coronide, & quasi projicitur extra illam. κυμάτιον denotat aliquid flexuosum & undulosum; κῦμα fluctus est sive unda. Nomen illud *zer* redditur à Josepho ἕλιξ; quod apud Architectos denotat in columnarum capitulis & abacis ornamenta quæ volutæ dicuntur à similitudine clavicularum & capreolorum. ἕλιξ clavicula est capreolus, caliculus viteus, *le tendron avec lequel la vigne s'accroche*, cincinnus.

25. *Et ipsi labio coronam interrasilem altam quatuor digitis, & super illam, alteram coronam aureolam.*

Ista corona quæcumque fuerit, videtur potiùs mensæ facta, quàm ipsi labio, sive *zer*. In fonte *Et facies ei:* subintelligi potiùs debet mensa, in Græcâ versione: καὶ ποιήσεις αὐτῇ στεφάνην, nempe Græci Interpretes intelligunt τὴν στεφάνην non τὰ κυμάτια Corona autem ista appellatur מסגרת *misghereth*, id est, *clausura* alta quatuor digitis, in fonte *tophac*, quæ mensura sexta pars est cubiti; ideò alta juxta calculos nostros tribus pollicibus cum tertiâ parte

A pollicis. Super illam clausuram facienda erat altera corona: in fonte alterum *zer* huic coronæ sive clausuræ faciendum. Quoniam vulgatus Interpres vocem illam reddiderat *labium*, pariter hîc reddenda erat *labium*; alia enim vocum permutatio offundit tenebras. Juxta fontem *misghereth* clausura debebat habere suum *zer*, id est, sive labium, sive projecturam Duplex ergo projectura, prima in circuitu mensæ, secunda in circuitu clausuræ, quod figura subjecta exhibet. Interrasilia dicuntur quorum pars est plana, alia pars sculpta. Ultrò crederem utrumque *zer* comprehendi in altitudine clausuræ, *Tab. VI.* ita ut duo illa cum *misghereth* supra mensam extarent altitudine *tophac*, id est, tribus pollicibus cum quatuor lineis. A sit primum labium, prima projectura, primum zer, B est *misghereth* sive clausura, & C secundum zer labium aut projectura clausuræ. D E mensura tophac erit horum trium altitudo, quod & adstruit Josephus.

B

26. *Quatuor quoque circulos aureos præparabis, & pones eos in quatuor angulis ejusdem mensæ per singulos pedes.*

Huic mensæ adjiciebantur quatuor pedes quorum formam describit Josephus. (Antiq. lib. 3. cap. 7.) « In templo autem ἐν τῷ ναῷ Moses collocavit mensam Delphicis non absimilem, longitu« dine duorum cubitorum, latitudine unius, altitu« dine palmorum trium. Eam sustinebant pedes di« C midiâ sui parte inferiore per omnia pedibus simi« les, quales lectis Dorienses addere solent: sed su« pernè quadrangulares erant. » Ibi Josephus clausuram & projecturam huic mensæ adscribit, forsan non diversam ab eâ quam depingendam curavimus. Κοιλαίνεται δὲ καθ' ἕκαστον πλευρὸν κοιλαίνουσά πως, κατὰ παλαιστὴν τὸ ἔδαφος, ἕλικος περιθεούσης τόπε ἄνω καὶ τὸ κάτω μέρος τοῦ σώματος. Sic paraphrasticè interpretor. « Mensa illa quasi excavabatur in omni suâ parte, nempe habebat clau« suram intra quam solum mensæ depressum erat al« titudine spithames, labio super & infra clausuram « currente. » Nempe, ut diximus, clausura mensæ habebat duplicem projecturam. Circuli autem sive annuli aurei inerant mensæ per quos immittebantur vectes. Locus horum annulorum designatur in D versiculo sequenti.

27. *Subter coronam erunt circuli aurei, ut mittantur vectes per eos & possit mensa portari.*

Corona ibi est *misghereth*, id est, clausura sub quâ aut juxta quam לעמת *leumath* è regione ejus erant circuli. Josephus hos circulos & vectes qui per eos immittebantur, ita explicat, ut habuerint formam peculiarem quam Interpres ejus non assecutus est. Conabor verbis ejus lucem aliquam afferre. Καθ' ἕκαστον δὲ τῶν ποδῶν καὶ ταύτη ἐλήλατο κρίκος, οὐκ ἄπωθεν τοῦ ἐπιθήματος, δι' ὧν εἴσω σκυταλίδες χρύσεοι ξύλου τὸ νέρθεν ὄντες ἐξαίρετοι. *Et per singulos pedes inerant annuli fere circa summum pedem*, sive propè id quod propriè dicitur mensa κρίκος non dicit necessariò annulum, sed quidpiam annulo simile; *per eos* autem annulos mensæ E *ibant manubria lignea inaurata, quæ infernè eximi poterant.* στειλὸς apud Homerum est manubrium securis. Illa autem manubria non erant similia his vectibus, quorum partes æqualiter rotundæ sunt, & per annulum possunt æqualiter permeare veluti fustis, regula σκυταλίδες; quo nomine idem Josephus appellat vectes quibus arca fœderis & altare aureum deferebantur, & conjungebantur inter se, ut vidimus, Tabernaculi tabulæ. Vectes autem illi sive manubria de quibus nunc loquimur, & quæ subjicimus oculis, non educebantur motu, ut dicitur, horizontali, sed infra dimittebantur, ut separarentur à fibulâ quâ cum annulo conjungebantur, quod delineatio exhibet. Et hoc est quod dicit Josephus

his verbis quæ Gelenius non intellexit. Κοῖλον γὰρ εἶχεν A ἐπ' αὐτοῖς τὸ κατὰ τοὺς κρίκους κοινωθέντας. οὐδὲ γὰρ εἰσὶ διηνεκεῖς, ἀλλὰ πρὶν συνελθεῖν εἰς τὸ ἄπειρον, εἰς περονίδας τὴν ἀρχὴν τελευτῶντες. ὧν ἡ μὲν εἰς τὸ προανέχον ἐμβάλλεται τῆς τραπέζης, ἡ δὲ εἰς τὸν πόδα· καὶ τούτοις κατὰ τὰς ὁδοὺς ἐκομίζετο. *In his manubriis tum & annulis cavitas quædam est quæ illa cum istis conjungit; non etenim manubria perpetua sunt*, quæ ut fustis uniformis per circulos transire possit; *sed antequam omnino transeant, fibulæ quædam mordent illa; attingentes mensam & mensæ pedes. His manubriis per viam portabatur.* Nostra delineatio hocce vectium genus subjicit oculis. Verisimile est hanc mensam dum portaretur, sicut & alia pleraque, fuisse humeris ministrorum elatam; ita poterant vectes locari juxta summitatem ejus; alioqui si dimissis, ut B fieri solet brachiis translata, attigisset terram, alta cubito & semisse, sive duobus pedibus cum semipede. Idem observandum de altaribus aureis & æneo. Primum altum erat duobus cubitis, id est, tribus pedibus cum tertiâ parte pedis. Altare æneum habebat tres cubitos, qui faciunt quinque pedes; idcirco circuli non dicuntur fuisse in isto altari in summitate ejus. Illa ob suum pondus immota erant; mensa verò ut humeris elata non vacillaret, habebat idoneæ formæ vectes, quod delineatio, quâ Lector depictos vides, clariùs explicat, quàm sermo.

Pedes autem, qui mensæ subjiciebantur, in acutum desinebant perinde ac lectorum Doriensium, ut adstruit Josephus. Quâ de causâ dicam, scilicet C præcavebat Moyses ne sorices, ut conjecto, attingerent panes huicce mensæ superpositos. Sic videbimus tectum templi horruisse verubus acutis, ne illud suo stercore inquinarent aves, dum in eo quiescerent, quod non sinebat horum veruum acies: similiter in introitu ædis videbimus in capitulo duarum columnarum appensa tintinnabula, quorum sonitu abigerentur omnes illæ aves immundæ, quæ solent nidos ponere in ædium vestibulis. Mures autem aureis pedibus mensæ non poterant inhærere unguibus suis, nec surgere, quia ob inversam figuram pondere corporis, id conati, statim relapsi fuissent. Verisimile autem est ideo sic factos pedes lectorum Doriensium, ne cimices, D scorpiones, & id genus animalium in lectos ascenderent. Observavi in vetustis monumentis, quæ Sponius proponit in suis Miscellaneis eruditæ antiquitatis, subjectos lectis similes pedes conicæ formæ, cujus acies solo inhæret. Instar sit plurium monumentorum numisma Faustinæ apud Patinum, quo Felicitas publica sub istâ Imperatrice repræsentatur lecto: sponsi & sponsæ, ut videtur, suspensus est lectus ex columnis, quarum pes dictam formam habet. In plagis orientalibus, nisi bellum geratur cum cimicibus, scorpionibus, culicibus, somnus interpellatur. Alexandrini velo, quod instar retis erat, circumdabant lectos, ut arcerent κώνωπας *culices*; undè illud velum appellatum est E κωνωπεῖον *conopæum*, quia hoc genere veli utebantur ad culices abigendos, quibus abundant. Nec minùs cimices, scorpiones, & alia id genus animalia infestant lectos, nisi ferrei, aut ærei sint, quod & hac nostrâ ætate in ipsâ Galliâ experimur. Idcirco, ut verisimile, Regis Og, de quo fit mentio in tertio capite Deuteronomii, lectus erat ferreus. Ferreos, inquam, aut æreos lectos propter eandem, ut puto, causam habebant Asiatici, ut colligo ex eo quod dicit Titus Livius (lib. 39. n. 6.) » Luxuriæ enim peregrinæ origo ab exercitu Asiatico in» vecta in urbem est. Ii primùm lectos æratos, ves» tem, stragulam pretiosam, & alia textilia, & » quæ tum magnificæ supellectilis habebantur, mo» nopodia & abacos Romam advexerunt. Ælianus in historiâ animalium [lib. 6. cap. 23.] narrat quâ arte in Africâ Libici defenderent lectos à scorpionibus. « Ad vitandos ipsos omnia machinamenta moliuntur: soccos ferunt in lectis cùm longè à « pariete remotis, tum in excelsum collocatis, tum « fulcrorum pedibus in hydrias aquæ plenas impo « sitis, sublimes somnum capiunt. « Securus potest à scorpionibus stertere, cujus lectus pavimentum non attingit. Huc facit locus ex libro secundo Pædagogi apud Clementem Alexandrinum capite nono, ubi docet quomodo se in somno gerere oporteat, & uti simplici cubili & frugali. Κλίνη δὲ ἀπερίεργος ἔστω, καὶ λείους ἐχέτω τοὺς πόδας. Αἱ γὰρ περίεργοι τορεύσεις τῶν ἑρπυστικῶν ἐσθ' ὅτε γίγνονται τρίβοι ζώων περὶ τὰς ἐντομὰς τῆς τέχνης εἰλισσομένων αὐτῶν, καὶ μὴ ἀπολισθανόντων. *Sit autem lectus non affabrè, & curiosè factus, pedesque habeat planos ac leves; nimis enim curiosæ & exquisitæ tornaturæ, sæpè reptilium semitæ sunt animantium, dum incisuris artis circumvolvuntur, & minimè delabuntur.* Quisquis mentem huc adverterit, conjecturam nostram non aspernabitur. Mures adduci poterant odore panum. Forsan nec in sacro loco araneæ telas suas texebant; omnia enim aurea erant, vel aureis laminis obducta; auro autem & argento araneæ non possunt adhærere. Revertamur ad codicem sacrum.

28. *Ipsos quoque vectes facies de lignis setim, & circumdabis auro, ad subvehendam mensam.*

Vectibus illis mensa deferebatur. Annuli in fonte vocantur *domus vectium*; quia in illis locabantur.

29. *Parabis & acetabula ac phialas, thuribula ac cyathos, in quibus offerenda sunt libamina, ex auro purissimo.*

Hæc quatuor nomina; *acetabula, phialæ, thuribula, cyathi*, indicant quatuor res diversas, quæ apponebantur supra mensam. Josephus tantùm memorat duas phialas, *super panes autem ponebantur duæ phialæ aureæ*, Φιάλαι δύο χρυσαῖ, thure plenæ. In Levitici cap 24. ubi agitur de panibus illis, qui ponebantur supra mensam, non alterius rei fit mentio nisi thuris quod superponebatur. Hebræi verò ut declaraturi sumus in articulo sequenti, docent panes positos in catino aureo, & cùm plures alii aliis imponerentur, ne eorum dispositio ex se vel quopiam casu everteretur, fultam duobus bacillis, inter quos surgebat. Supponunt præterea dimidiatos calamos cavos inter panem & panem fuisse positos, ut aër transire posset, & ita à mucore conservarentur. Phialas thure plenas imponunt Judæi cuique panum dispositioni; quod & facit Josephus. Alii has phialas inter ipsos panes collocant; quod autem adjungit Vulgata; *Et cyathos in quibus offerenda sunt libamina ex auro purissimo*; satis exprimit hodiernum fontem, nec non consentit cum iis quæ in versione Græcâ, & Paraphrasi Chaldaicâ leguntur. Attamen verisimile non est usum libaminum adhibitum fuisse in dictis panibus, quos liquor affusus citò corrupisset. Quin ex eo quod prohibitum esset omne libamen in altari aureo, Exod. 30. 9. *Non offeretis super eo thimiama compositionis alterius, nec oblationem & victimam, nec libabitis libamina.* Colligi, inquam, potest & prohibitum in mensâ panum propositionis: cùm enim libamina adderentur tantùm victimis, in eo solùm loco offerri debebant, ubi victimæ mactabantur; scilicet extra Tabernaculum. Undè ergo libaminum ibi mentio? Ex ambiguitate verbi יסך, quod deduci potest vel à נסך *nasach*, id est, *libavit, effudit*, יסך *jusach, libabitur, effundetur*; aut à verbo סכך *texit*, יסך *jusach, tegetur*. Fons ergo reddi potest. *Et cyathos ejus in quibus tegeretur, ex auro purissimo.* Interpretes Græci malè reddiderunt בהם אשר יסך ἐν αἷς σπείσεις *in quibus libetur*. Philo se-

quitur Græcos. » Huic & Græcis in Ægypto viventibus hæc ignorantiâ rituum Hierosolymitarum potuit subrepere. Josephus autem σπονδεῖα scribit à Pompeio visa in templo, & non imposita mensæ sacræ, aut vino impleta, ut observavit Relandus, sed cum pecunia sacra, conjectis aromatibus, aliisque quæ extra Sanctum fuerunt, aut certè esse solebant: ne dicamus de latiori usu vocis σπονδεῖον, aut quod forsitan vascula aurea libamini vini in altari exteriori inservientia, in Sancto reposita esse aliquando potuerint, nequaquam tamen uti libatoria respectu panum sacrorum habenda. Prosequamur hunc locum Scripturæ.

30. *Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper.*

B His panibus proprium articulum tribuimus. In fonte appellantur *panes facierum, ante faciem Dei,* quam locutionem interpretati sunt Græci senes, quasi panes coram facie Dei fuissent propositi: appellant ἄρτους ἐνωπίους ἐναντίον μου διαπαντός. *Panes præsentes coram me semper.* Tres Evangelistæ Mathæus, Marcus & Lucas appellant ἄρτους τῆς προθέσεως, id est, *propositionis.* Sic appellati sunt, quia coram Deo proponebantur, sive ante faciem Dei; sicut apud Isaiam cap. 63. v. 9. *Angelus faciei* dicitur, qui ante Deum stabat. Eadem quæ Deus præcipit facienda circa dictam mensam occurrunt in Exodo capite 37. ubi enarrantur quæ fecit Moyses juxta Dei mandata.

C 10 *Fecit & mensam de lignis setim in longitudine duorum cubitorum, & in latitudine unius cubiti; quæ habebat in altitudine cubitum ac semissem.*

11. *Circumdeditque eam ex auro mundissimo, & fecit illi labium aureum per gyrum.*

12. *Ipsique labio coronam auream interrasilem quatuor digitorum, & super eandem alteram coronam auream.*

13. *Fudit & quatuor circulos aureos, quos posuit in quatuor angulis per singulos pedes mensæ.*

14. *Contra coronam: misitque in eos vectes ut possit mensa portari.*

15. *Ipsos quoque vectes fecit de lignis setim, & circumdedit eos auro.*

D 16. *Et vasa ad diversos usus mensæ, acetabula, phialas, & cyathos, & thuribula, ex auro puro, in quibus offerenda sunt libamina.*

Sic vulgatus Interpres loquitur, *in quibus offerenda libamina,* sequens Græcos. Sed, ut diximus, locus ille meliùs redditus esset: *in quibus tegeretur,* nempe scutellæ thure plenæ in quibus tegeretur panum dispositio. Hæc quæ in fonte dicuntur כלי השלחן *Kele haschulchan*, id est, vasa sive instrumenta mensæ, modò diligentiùs exponam. Interim indicabo quis locus & quis situs mensæ in Sancto. Locum definit sacer codex in Exodo 26. 34. Deus compellat Moysen. Pones & propitiatorium super Arcam testimonii in Sancto Sanctorum.

E *Mensamque extra velum & contra mensam candelabrum in latere Tabernaculi meridiano: mensa enim stabit in parte aquilonis.* Velum illud appellatur פרכת *paroketh* quo Sanctum Sanctorum separabatur à Sancto. Cùm ergo Deus jussisset Arcam reponi in Sancto Sanctorum, dicit: *Pones mensam extra velum.* Quæ cùm duplo esset longior quàm lata, quæritur juxta quam dimensionem applicaretur parieti Tabernaculi Quæstionem non dirimit Scriptura. Maimonides in Tractatu de domo electâ sic sitam statuit. (cap 3 n. 12) » Ut ejus longitudo responderet longitudini templi; & latitudini latitudo. Atque reliquorum etiam quæ in templo inerant; utensilium situs erat hujusmodi, ut ad

A templi longitudinem spectaret eorum longitudo, & eorum latitudo ad templi latitudinem. His oportet excipias Arcam, cujus erat latitudo conversa ad templi longitudinem. Itemque lucernæ candelabri ad templi latitudinem spectantes sitæ erant inter septentrionem & meridiem. «

SECTIO II.

Numerus & figura panum qui in mensâ proponebantur coram Deo. Singula hujus mensæ instrumenta explicantur diligentiùs.

QUæ spectant panes propositionis, præcipiuntur in Levitico 24. Deus compellat Moysen, & præcipit quæ in eâ re observare debeat.

5. *Accipies quoque similam, & coques ex eâ duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas.*

Simila flos est farinæ triticeæ. Docet nos Maimonides quæ esset diligentia Judæorum in hac similâ seligendâ. Sic ille in tractatu Tamidim sive de jugibus sacrificiis. (cap. 1. n. 6.) » Jam hæc erat ratio efficiendi panis propositionis: efferebantur quatuor & viginti sata tritici ejus generis, quod idoneum esset ad ferta: ea itidem ut reliqua fertorum triticea terebant, calcabant, molebant. Tum cribris undecim viginti quatuor decimas similaginis indè secernebant, ex quibus efficiebantur duodecim placentæ, & eæ azymæ. Quanquam si nec essent succretæ cribris undecim, nec fuissent redactæ ex satis viginti quatuor, modò fuissent è similagine, tamen erant idoneæ, nec enim præfinitæ sunt istæ mensuræ, nisi quia ita fieri laudabilius est. «

Consuetudo Hebræorum non patitur dubitare quin multam curam impenderint in secernendâ similagine è quâ panes propositionis conficiebantur. Undè Josephus eos appellat καθαροὺς πάνυ, id est, valdè mundos. Agnoscit etiam fuisse ἀζύμους azymos; seu sine fermento. Idcirco potiùs placentæ erant, quàm panes [sic in fonte vocantur חלות, id est, placentæ,] idcirco erant in *testu* coquendæ. Instrumentum est *testu* plerumque testaceum, nonnunquam ex ære, aliâve materiâ, in quo placentæ aliaque id genus coqui bantur, ut ex libro Catonis de Re rusticâ discimus » Placentam sic facito [inquit Cato cap. 76.] farinæ siligineæ L. II. undè solum facias in tracta: farinæ L. IIII. & alicæ primæ L. II. alicam in aquâ infundito. Ubi benè mollis erit, in mortarium purum indito, siccato que benè. Deinde manibus depsito. Ubi benè subactum erit, farinæ L. IIII. paulatim addito, id utrumque tracta facito. In qualo ubi arescant, componito. Ubi arebunt, componito puriter, tum facies in singula tracta. Ubi depsueris, panno oleo uncto tangito, & circumtergeto, unguitoque ubi tracta erunt. Focum ubi coquas, calfacito benè & testum. « Placenta Græcis est λάγανον ex particulâ tractâ, sive avulsâ ex massâ, sive ex farinâ maceratâ subactâ. Non opus est ut illud panificium prosequar. Hæc protuli ut quæ Maimonides subjicit; non reprobentur prorsus ut inania figmenta.

Pergit loqui Maimonides. » Eas igitur placentas oportebat extra atrium subigi; atque in formam suam protendi ligno tereti. Rursus easdem veluti reliqua ferta intra atrium coqui oportebat. Jam pinsebatur seorsim unaquæque placenta, & coquebantur simul placentæ binæ. His efficiendis erant ex auro typi tres: in eorum uno imponebatur placenta, id est, depsita farina: coquebatur placenta in altero: & cùm esset extracta furno

» ponebatur in typo tertio ne corrumperetur. » Typi illi vasa sunt, quorum beneficio apta forma indebatur panibus, sive placentis. D. Hieronymus in Commentariis in caput primum Malachiæ commentans hæc verba. *Offertis super altare meum panem pollutum*, hæc ex traditionibus profert inducens Malachiam loquentem Sacerdotibus: *Offertis super altare meum panem pollutum: panes videlicet propositionis, quos juxta traditiones Hebraicas, ipsi serere, ipsi demetere, ipsi molere, ipsi coquere debebatis, & nunc sumitis quoscumque de medio.* Hocce quidem negotium videtur fuisse demandatum Levitis qui erant ex familiâ Caath, ut legere est in libro primo Paralipomenorum cap. 9. v. 32. *Porro de filiis Caath fratribus eorum, super panes erant propositionis, ut semper novos per singula sabbata præpararent.* Sed ea sic intelligi possunt ut Caathitæ in hocce ministerio adessent Sacerdotibus qui præerant; nam postea dicitur (cap. 23. 29. *Sacerdotes autem super panes propositionis & ad similā sacrificium, & ad lagana azyma, &c.*

Tot panes conficiendi erant quot tribus; nempe duodecim, singuli ex duabus decimis עשרנים *esronim.* Vidimus in libro hujusce operis primo mensuram quæ in Latinâ versione appellatur *decima*, dici עשרון *issaron*, quod nomen Græcis literis expressit Josephus scribens ἀσσάρων. Probatum est istam mensuram non diversam esse ab eâ quæ Hebræis dicebatur עמר *homer*, à Græcis γομὸρ quod nomen Latinus Interpres retinuit. Gomor autem mensura aridorum erat pars decima bati. Eam æstimat Josephus septem cotylas, quarum quæque æqualis est sextario Romano. An locus ille corruptus sit à librariis, vel ipse rem satis non expenderit Josephus, maneat in incerto. Juxta calculos nostros batus redactus in cubum habet latera sua semicubito Hebraïco æqualia, decem ergo Parisinis pollicibus. Ita batus cubus continet mille pollices; quorum ducenti continentur in duabus decimis bati; undè postea deducemus panum propositionis mensuras, & pondus. Redeamus ad codicem sacrum.

6. *Quorum senos altrinsecus super mensam purissimam coram Domino statues.*

In fonte *Et pones eas* placentas *duabus dispositionibus, sex dispositionem super mensam mundam ad facies Domini.* Vox Hebræa מערכת *maaraketh* idem sonat quod *ordo, dispositio.* Sensus est. Duæ fient dispositiones, sive strues duodecim panum: in unaquaque erunt sex panes. Græci interpretantur δύο θέματα, ἓξ ἄρτους τὸ ἓν θέμα, id est, *duæ positiones: quæque positio habebit sex panes.* Hac positione, sive potiùs dispositione, in 2. Paralip. cap 29. 18. mensa panum propositionis Hebraïcè nominatur שלחן המערכת *chulchan hameyareket*, id est, *mensam dispositionis* nempe elegantis.

7. *Et pones super eos thus lucidissimum ut sit panis in monimentum oblationis Domino.*

Fons *Et pones super dispositionem* (maaraket) *thus mundum.* Videlicet super unaquaque. Josephus, ut vidimus, dicit super hos panes positas duas phialas thure plenas. Græci senes nec vasis faciunt mentionem; sed dicunt super positionem nempe unam positum thus cum sale; sal autem neque in fonte nominatur neque apud Josephum, neque apud Paraphrastem Chaldæum. Maimonides particulam על interpretatur *juxta.* » Ad cujusque ordi- » nationis latus, inquit, apponebatur vas in quo » pugillus thuris erat. Non ergo credit impositas panibus acerras, sed juxta positas. Particula quidem על latam habet significationem; & imprimis eam quâ accipitur à Maimonide; sed alia significatio placuit Græcis Interpretibus, Josepho & Latino In-

A terpreti. Vidimus supra vas aliquod appositum quod tegeret unam struem panum Exod. cap. 25. v. 20. Ibi Vulgata habet, *in quibus offerenda libamina.* Locum reddendum diximus *in quibus tegetur in eis.* In eo autem Levitici loco in quo versamur, simpliciter nominatur thus sine ullâ mentione vasis. In paraphrasi Jonathanis ponitur *fasciculus thuris*, nomen צריר non *granum* sed fasciculum significat â צרר tum Chaldaïcè, tum Hebraïcè *colligare.* Copia quidem erat thuris, ideò copiosior, quia ignis non supponebatur, ut suffitus fieret. Errant Pictores, qui phialas thure plenas exhibent super struem panum exhalantes fumum. Thuris copiosi nativus odor spargebatur, etsi igne non excitatus; quod puto indicari hisce verbis, ut sit panis in mo-
B nimentum oblationis Domino. Verba autem fontis diligenter expendenda: possunt enim alium habere sensum, quàm quem his indit vulgatus Interpres. ללחם לאזכרה אשה *lalachem leatzecarah ische.* Nomen אזכרה ambiguum est, significat & *memoriale* & *suffimentum.* אשה *ische* verò non quamcumque oblationem sed ignitam; nempe oblationem quæ igne consumitur. Fons ergo sic reddi potest: *Et pones super eos* panes *thus* lucidissimum, ut sit vice panis in suffimentum igne absumendum. Scilicet quia non poterant adoleri panes erat thus per totam hebdomadem, quod die sabbati vice panis adolebatur. Alii dicunt thus impositum panibus, & אשה *ische* sive *igniti* fieri mentionem, ut significa-
C retur Deo tam gratos esse hos panes, quàm holocaustum quod igne absumitur. Quidquid sit non intelligendum thus de quo sermo, ignitum fuisse, sive igne subjecto tunc crematum. In catino reponebatur, qui panum struem tegebat, ut videre est in schemate. Nativo autem thuris odore panes subjecti & unâ sacrum habitaculum profundebatur.

8. *Per singula sabbata mutabuntur coram Domino suscepti à filiis Israël fœdere sempiterno.*

Fons. *In die sabbati* nempe per singula sabbata, *disponet eum* nempe panum ordinem, *ad facies Domini semper à filiis Israël fœdere sempiterno.* Duodecim panes disponendi erant suprà mensam, ut dona Deo oblata à duodecim tribubus Israëlis. Cen-
D sebatur enim factum à toto Israël, quod faciebant Sacerdotes & Levitæ. Singulis sabbatis panes recentes substituebantur Levit. 24. 8. & illi qui in Sancto collocati fuerant comedebantur à Sacerdotibus accedentis & recentis ephemeriæ, non ante nonum nec post undecimum diem à coctione, ut probat Relandus in Anquitatibus sacris.

9. *Eruntque Aaron & filiorum ejus, ut comedant eos in loco sancto: quia Sanctum Sanctorum est de sacrificiis Domini jure perpetuo.*

In fonte: *quia sanctitas sanctitatum hoc ei de ignitionibus Domini.* מאשי, id est, de sacrificiis igne absumendis. אשה *ische* erat sacrificium igni destinatum, cujus pars aliqua igne concremabatur, & pars altera à Sacerdotibus & eorum masculis comedebatur, ut
E lex Levitici jubet [cap. 11. v. 9.] ubi in fonte sermo est de sacrificio quod esset אשה, igne altaris consumendum, sed non totum; adjungitur enim [v. 10.] *Quidquid autem reliquum est, erit Aaron & filiorum ejus, Sanctum Sanctorum de oblationibus Domini.* מאשה *mische*, id est de ignitis. Itaque panes propositionis non erant laïci nempe populis concessi in usum, nisi necessitas compelleret, ut hanc legem interpretatur ipse Dominus in Evangelio, non improbans Davidem qui cùm non haberet alium cibum quo vesceretur, ingressus domum Pontificis panes propositionis comedit. Ergo lex dicta habebat exceptionem, sed non expressam. *Non omnia scriptis, sed quædam quæ perspicua sunt, ta-*

citis exceptionibus caventur, ut loquitur Cicero. *Necessitas magnum humanæ imbecillitatis patrocinium, quidquid cogit excusat*, ait Seneca.

Restat ut quod perstrinximus in articulo superior, iam diligentiùs exutiamus, videlicet quæ fuerint ista, ut loquuntur Hebræi כלים *Kelim* vasa sive instrumenta quibus mensa circa quam moramur, instruebatur. In vigesimo versiculo capite 25. Exodi, unius vasis sive instrumenti usus apertus est; in quo nempe thus reponebatur supra panum struem. Quæ circa horum Kelim usum dicunt Judæi, non ita sunt dissimilia verò, ut sileri debeant. Loquitur Maimonides in tractatu de domo electâ [cap. 3] » Mensa erat instructa quatuor ex auro baculis supernè fissis quibus innitentur ordinationes duæ panum propositionis, utraque videlicet ordinationum baculis duobus: hos autem lex ita dicit וקשותיו uklotau Porro erat instructa mensa duodetriginta dimidiatis calamis aureis, atque adeò intus vacuis, ex quibus quatuordecim utrique panum ordinationi adhibebantur. Nimirum hi sunt qui dicuntur מנקיותיו menakiotau. Præterea autem duabus acerris, quibus thus in mensâ imponebatur ad ordinationum latus. Hæc dicuntur כפותיו Kappotau. Et formis in quibus propositionis panes efficerentur. Istæ dicuntur קערותיו Kearotau. De calamorum aureorum ordine, imponebatur in ipsâ mensâ panis seu placenta prima: tum inter primam & secundam placentam tres imponebantur calami, atque inter singulas deinceps placentas item calami tres. Atenim inter placentam quintam & sextam duo duntaxat intercedebant calami, propterea quòd in sextâ placentâ nulla alia recumberet. Itaque cuique ordinationi decem & quatuor adhibebantur calami. Horum baculorum & calamorum usum iterum explicat Maimonides in tractatu *Tamidim*, sive de sacrificiis jugibus cap. 5. » Inter binas placentas terni ex auro calami intererant, ideò ut perflaret ventus. Jam ordinatio quæque baculis fulciebatur duobus. Conjice oculos, Lector, in appositam figuram quâ Philippus Aquinas exponit sententiam Judæorum circa dispositionem panum propositionis. In expositione dictorum nominum non omnes consentiunt ut videre est in notis majoribus Drusii ad Exodum. קערה est typus, forma, in quâ formabatur panis Græci interpretati sunt τρύβλιον, Latinus Interpres acetabulum, hoc est catinum, paropsidem. Aliis וקשותיו *nksotau* ut sancti Pagnino & quibusdam Rabbinis sunt calami. Interpretibus Græcis sunt σπονδεῖα, id est, *libatoria*, Vulgato thuribula.

Pleraque quæ dicunt Rabbini de his panibus mihi valdè suspecta sunt, ne dicam falsa, maximè quæ horum spectant dimensiones In Tamidim capite allegato n. 9. » Erat, inquit Maimonides, unaquæque placenta figuræ quadratæ; nam indè factum ut diceretur panis facierum, quod ei multæ quasi facies erant. Ratio quam secuti sunt Græci senes magis aperta est; quia scilicet ponebantur coram Deo. פנים *panim* significat quidem facies, & sonat idem quod Latinis *coram ante*. De panibus illis fit sermo in tractatu Misnæ qui inscribitur *menachoth*, id est, munera (cap. 11.) » Duo panes seorsim depsuntur & coquuntur seorsim. Sic etiam panis facierum seorsim depsitur & bini coquuntur, atque in formam rediguntur. Quum verò eos è furno detrudebant, in formam redigebantur, ne corrumperentur. » Forma ibi est typus sive catinus certæ formæ. Sic singulorum panum definitur mensura. » Panis facierum longitudo est palmorum decem, latitudo quinque & cornua septem digitorum. « Latera ibi dicuntur cornua, eminentiæ duæ laterales, quas advertere potes, Lector, in figurâ mensæ juxta Rabbinos, sine cujus diligenti conspectu vix intelligeres quæ hic dicuntur. Sic pergit loqui Misna de mensa & panibus. Mensa in longitudine palmorum decem, in latitudine quinque est. Panis facierum in longitudine est decem, in latitudine 5 palmorum; longitudinem ergo panis opponat latitudini mensæ & duos palmos & dimidium duplicet duos palmos & dimidium ab unâ parte, & duos palmos cum dimidio ab alterâ parte. Hinc fiet ut longitudo panis totius mensæ latitudinem compleat. Ita R. Jehuda; sed R. Meyr statuit mensæ longitudinem esse duodecim, latitudinem sex, & panis facierum longitudinem decem, latitudinem quinque palmorum. Idcirco longitudinem panis opponendam esse latitudini mensæ & duos palmos duplicandos ab unâ parte, totidemque ab alterâ parte. Et porrò duorum palmorum spatium in medio ut inter panes penetrare possit ventus. « Maimonides sic exponit mensuras. » Jam cujusque placentæ longitudo palmorum erat decem, quinque palmorum latitudo. « Palmus Hebraïcè *tophac* mensura est sexta pars cubiti; ideò juxta calculos nostros & hanc Maimonidis sententiam quæque placenta longa erat pollices triginta tres cum una tertia parte pollicis, & lata sexdecim cum duabus tertiis pollicis. *Et altitudo septem digitorum*, quales quatuor faciunt unum palmum, sive tophac cum tribus partibus palmi. Cùm autem cubitus sit 20 pollicum, tophac sexta pars ejus, est pollicum $3\frac{1}{3}$ sive quadraginta linearum. Ergo septem digiti faciunt primùm quadraginta lineas & insuper alias triginta, nempe 70 lineas pares quinque pollicibus cum decem lineis. Sic unius ordinationis, sive sex placentarum altitudo fuisset triginta quinque pollicum etiam non ratione habitâ crassitudinis calamorum interpositorum. Sed hæ mensuræ non quadrant. Ipse Maimonides, quia non conveniunt mensæ, conatur replicare placentas, sive plicare, si ita loqui fas est. « Mensæ autem longitudo erat palmorum duodecim, & sex palmorum latitudo. » Nempe longitudo erat duorum cubitorum, & latitudo unius cubiti. » Jam placentæ longitudo per mensæ latitudinem disponebatur, ita ut placenta hinc indèque duobus palmis excederet. Replicabatur igitur id quod hinc & indè excedebat, & vacuum inter extrema duo intermedium relinquebatur, & sic deinceps reliquæ placentæ ponebantur alia super aliam usque dum omninò placentæ fuissent ordinatæ sex. « Mensuras illas placentarum credo longè abesse à veris; sicut & istam replicationem impossibilem puto. Quæque placenta talis longitudinis, latitudinis & altitudinis continuisset fere bis mille pollices. Ostendimus autem batum sive epha esse mensuram mille pollicum; bati enim latus demonstravimus par semicubito Hebræo sive decem pollicibus. Duæ decimæ bati constant ergo tantùm ducentis pollicibus. Esto farina commixta aquis & cocta in panem turgescat; sed tantam magnitudinem assequi non potest. Nec panes replicari poterant ut vult Maimonides, quin frangerentur; quod si fieret antequam mensâ tollerentur ipso autore Maimonide temerabantur. Etenim, inquit ille, « si placentis ex istis aliqua fracta foret antequam de mensâ panis tolleretur, sanè panis temeratus esset, neque acerræ ad ipsum appositæ adolerentur: sin post sublatum panem fracta fuisset, omninò panis esset temeratus, sed appositæ acerræ adolerentur » Non autem illæ acerræ adolebantur nisi sabbato sequenti, quo removebantur panes dum infereban-

tur novi; ut ibi liquidò Maimonides declarat, unde ſequitur, quod adſtruximus; thure quidem plenas fuiſſe acerras quæ imponebantur panibus; ſed tunc non concrematum thus ſive ſubjecto igne non factum ſuffitum; adolebatur thus extra menſam, ſaltem extra tempus quo panes erant coram Deo. A

Tandem quid ſtatuendum circa hos panes & eorum diſpoſitionem, formam, dimenſiones, pondus. Pleraque quæ dicunt Judæi, non omninò repudiarem. Veriſimile enim eſt in catino aureo ut volunt infimum panem non in menſâ nudâ repoſitum. Interpoſitos autem calamos ut perflaret ventus ne panes mucidi fierent. Fieri etiam non poterat eos omninò eſſe planos; ita ſtrues eorum poterat egere aliquo fulcro ut ſuperiores non excide- B rent.

Quoad pondus, & dimenſiones eorum, res ardua eſt. Pendet enim ex his quæ certò ſciri non poſſunt. Primum enim non cujuſque tritici idem pondus eſt: majus eſt cùm grana craſſiora & magis ſicca ſunt; ſimila verò quo tenuior eſt, minùs ponderat, ut experimento didici; ſcilicet quia inter ejus particulas aër ſubeſt. Obſervatum eſt in libro primo, panem illum quem conficiendum curavimus ex illâ copiâ farinæ, quam caperent duo vaſa gomor, quæ menſura erat legitima, ponderaſſe decem libras Pariſinas cum decem unciis; ex quo experimento deduximus, ſingulos panes propoſitionis non ſuperaſſe duodecim libras. Non omninò re- C pudio quod dicunt Judæi, panes propoſitionis fuiſſe quadratos; quam eis formam dare non arduum erat; coquebantur enim ut volunt in typis, quorum formam induebant. Cùm latitudo menſæ eſſet cubitalis, panum latitudo non potuit eſſe tam magna. Suppono ſingulos altos non paulò plus quàm quatuor pollicibus: nam, ut dixi, panis ille rotundus quem conficiendum curavi, habuit altitudinem trium pollicum cum duabus lineis. Sic ſtruem quamcumque ſex panum, comprehensâ latitudine baculorum interpoſitorum, facio parem triginta pollicibus. Tota ergo altitudo menſæ cum ſtrue panum non excedit tres cubitos, ſive ſexaginta pollices, ſive quinque pedes; ita Sacerdos ſtaturæ non puſillæ poterat ſupremo pani ſuperimponere lancem thure D plenam. Latitudo menſæ erat cubitalis, ſive viginti pollicum. Licet ergo hiſce panibus pro latitudine aſſignare paulò plus quàm ſeptemdecim pollices. Sic quæque ſtrues diſtabat à lateribus uno pollice cum ſemipollice. Longitudo menſæ erat duorum cubitorum, ſive quadraginta pollicum; è quo numero demptis 34. pollicibus reſtant ſex pollices; ita ab extremitatibus remotæ fuerint ſtrues pollice & ſemipollice, ſupererunt tres pollices pro intercapedine inter duas ſtrues.

SECTIO III.

De candelabri aurei formâ, ſitu in Sancto, & partibus ejus; tum harum partium menſuris juxta Maimonidem. E

TAbernaculum concluſum ligneis tabulis & multiplicibus aulæis involutum non admittebat diem niſi oſtio ſuo, quando ſcilicet oppanſum velum removebatur aut contrahebatur ex parte. Itaque ſine lucernis tenebræ, quod non decebat, occupaſſent, habitaculum Dei, qui dicitur inhabitare lucem inacceſſibilem. Qui omne ſtudium adhibent, ne tabernaculum videatur præceſſiſſe in typos, præceperat Deus in eo fieri candelabrum, quia mos erat gentilium accendere multas lucernas in templis ſuis. Morem culpabat Seneca (Epiſtolâ 95.) *Quoniam,* inquit, *nec lumine Deus eget & ne homines quidem delectentur fuligine.* Deus quidem non egebat lucernis, ſed neceſſe erat ut nox non vinceret in loco quem miniſtri ingrediebantur obituri munia ſua: Inſuper ipſe Deus candelabro ſicut cæteris Tabernaculi rebus præmonſtraret quæ operaturus eſſet in Eccleſiâ, poſituris in illâ plurimos Doctores, qui inſtar candelabri luce doctrinæ ſuæ omnes diſpellerent tenebras. Eccleſia quæ Dei incorporeum templum eſt, non ampliùs indiget candelabris; ipſe enim Jeſus Chriſtus lucet in animis noſtris illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, ut dicit B. Joannes, qui hanc doctrinam luculenter ſtatuit in Apocalypſi, ubi Eccleſiam civitati aſſimilat (cap. 21. v. 22.) *Et templum non vidi in eâ. Dominus enim Deus omnipotens templum illius eſt & agnus. Et civitas non eget ſole, neque lunâ ut luceant in eâ: nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus eſt agnus.* Ipſe eſt Jeſus Chriſtus Dominus, qui toties ſe dicit lucem mundi. Jam, inquam, non opus eſt candelabro, nec ipſo ſole, ut idem B. Joannes loquitur cap. 22. v. 5. *Et nox ultra non erit: & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine ſolis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in ſæcula ſæculorum.* Non ita erat de Tabernaculo & antiquo templo, in utroque candelabrum neceſſarium fuit. Deus faciendum præſcribit, & formam ejus, quo oleo ignes lucernarum alerentur, & quæ ſpectant miniſterium ejus; in capite 25. Exodi compellans Moyſen hiſce verbis.

31. *Facies & candelabrum ductile de auro mundiſſimo, haſtile ejus, & calamos, ſcyphos & ſphærulas ac lilia ex ipſo procedentia.*

Opus ductile dicitur, cùm aurum vel aliud metallum ex quo fit, non fuſum eſt, ſed ductum malleo. Joſephus adſtruit candelabrum fuſum, ſed intùs cavum. Rem non expenderat: opus quod conflatur, ſive quod ex fornace formatum exit, tenue eſſe non poteſt. Ita candelabrum paris altitudinis ponderoſius fuiſſet talento quod illi aſſignat Moyſes, ut videbimus. Præterea opus candelabri nominatur in fonte מקשה hoc eſt durum difficile; quod autem igne conflatur formam ex ſe ſuſcipit in typo in quem infuſum eſt; opus ergo eſt non ita difficile. Senes Græci vertunt τορευτὴν ποιήσεις τὴν λυχνίαν, *Tornatile facies candelabrum*; hoc eſt torno perficies. Nomen *tornus* ambiguum eſt; ſicut & Græcum τορεύειν; ſignificans tum rotundum facere, tum & cælare. Certè nomen *tornus* ſæpiùs pro cælo ponitur. Toreumata apud Martialem ſunt opera cælo facta ut libro 3. Epig. 35.

Artis Phidiacæ toreuma clarum
Piſces aſpicis.

Piſces illi non circinando facti erant. Et libro 10. Epig. 87.

Mirator veterum ſenex avorum
Donet Phidiaci toreuma cæli.

Igitur τορευτὴ λυχνία candelabrum tornatile, elaboratum fuerat cælo. Vernaculè loquar. *Il n'étoit pas fait au tour, mais il étoit cizelé.* Scilicet primùm malleo aurum ductum fuerat; undè ab iiſdem Græcis nomen Hebræum מקשה redditur ἐλατὴ. Num. cap. 10. 2 Tale opus, ut lubet artifici, malleo attenuatur, & in varias figuras cælo efformatur: quapropter candelabrum non fuit multi ponderis.

Partes candelabri ſunt haſta in medio; rami in lateribus; ſcyphi, ſphærulæ & lilia. Has omnes ex auro conflandas Deus præcipit, *haſtile ejus*, nempe præcipuam partem, quæ Græcis dicta eſt καυλὸς;


Typus Candelabri aurei · Col. 382
B
M
L
N
Infundibuli partes interiores Col. 382.


Candelabrum aureum ex Villalpando Col. 382
et Fortunato Schacco · Col. 393.
F
G
Infundibulu
Col. 382.


Candelabrum aureum ex arcu triumphali Titi. Col. 380.


Visio Zachariæ prophetæ ex Villalpando · Col. 391.
Visio Zachariæ prophetæ juxta nostram opinionem. Col. 390.
D. Simone del.

vernaculè *la tige*. In fonte ירכה *jereca*. Vox autem illa ירך *arec* sæpiùs quidem sonat idem quod *femur, latera, crura*. Sed, ut videre est in Scriptura, non rarò partes inferiores denotat; undè à Græcis Interpretibus redditur, ut videre est in concordantiis, *βάθος profundum*, θεμέλιον *fundamentum*, κοίλη *concavum*, sive inferiores partes navis. Itaque hîc redditur à Latino Interprete *hastile*, à Græcis καυλὸς, *c'est-à-dire, la tige*. Villalpandus autem arripiens solitam *femoris* significationem ambitiosa ornamenta affingit pedi candelabri. Schema ejus exhibet in hac parte Cherubinos.

32. *Sex calami egredientur de lateribus, tres ex uno latere, & tres ex altero.*

Ex hastili veluti ex trunco nascebantur rami, quos Scriptura appellat calamos, קנה Græci καλαμίσκοι; quasi dicas tenues calamos; quia non asperi erant ullis signis, sed læves ad instar calamorum, ut faciliùs tergerentur. Cavi erant, & malleo ducti, ut diximus.

33. *Tres schyphi, quasi in nucis modum, per calamos singulos, sphærulaque simul & lilium; & tres similiter scyphi instar nucis in calamo altero, sphærulaque & lilium. Hoc erit opus sex calamorum, qui producendi sunt de hastili.*

In his calamis tria notanda, primùm scyphi גבעים *calices* κρατῆρες. De significatione nominis constat; rei usum intellige; nimirum in calamis scyphos, sive calices, sive crateres dispositos fuisse ut exciperent oleum, si fortè deflueret ex superioribus lucernis. Secundò decet considerare sphærulas sive globulos, qui, si candelabrum habeatur pro arbore, repræsentabant ejus nodos, sive connectebant cum hastili calamos, ut junctura firmior fieret. In fonte sphærulæ appellantur כפתרים, id est, *poma*, nempe formam habebant pomorum sive malorum, quæ juxta Maimonidem longula essent. Denique in summis calamis florebat lilium, cujus flore ornabatur candelabrum & aptum fieret in quo recubaret lucerna. Fons nominat פרחים, id est, flores, non indicans speciem florum; Chaldæus verò Paraphrastes, Græci, sicut & Vulgatus interpretantur κρίνα *lilia*. Flores illi, ut vult Maimonides, referebant quasi quandam lancem, cujus ora foris convolvitur. Illa autem omnia, hastile, scyphi, sphærulæ, lilia *ex ipso procedentia* erant. In fonte simpliciter *ex ipso*, nempe ex eadem materiâ, vel ex eodem trunco procedentia.

In unoquoque ex sex calamis erant tres scyphi similes nucibus. Latinus Interpres sequitur Græcos, qui ibi habent καρύισκοι *nuces*. Fons hos scyphos dicit similes amygdalinis nucibus, ita ut, inquit Maimonides, patulo essent ore, fundo angusto. Forma illa apta erat ad excipiendum caducum oleum. Erant & sphæræ sive poma, ut loquitur fons, & flos lilii.

34. *In ipso autem candelabro erunt quatuor scyphi in nucis modum, sphærulaque per singulos, & lilia.*

In ipso candelabro, in præcipuâ parte nempe hastili ex quo calami nascebantur, non tantùm tres scyphi ut in singulis calamis, sed quatuor erunt. Scilicet erat quartus scyphus magis patulus circa pedem candelabri; excepturus oleum caducum ex omnibus superioribus partibus. Huic stipiti sive hastili pariter inerant poma & lilia, qualia in sex calamis. Maimonides numerat novem flores septem in vertice sex calamorum & hastilis, præterea duo in ipso trunco sive in primo stipite. Viginti duos scyphos nempe tres in superiori parte hastilis & totidem in sex calamis: unus verò erat in ipso trunco sive in primo stipite. Denique juxta eundem Mai-

A monidem erant undecim poma, sive sphærulæ, sive globuli; septem sub floribus qui subjiciebantur septem lucernis, quatuor in hastili, videlicet tria poma eo in loco undè nascebantur hinc & indè calami, & quartum in medio trunco.

35. *Sphærulæ sub duobus calamis per tria loca, qui simul sex fiunt procedentes de hastili uno.*

Ubi duo calami nascebantur, erat sphærula sive pomum quo connectebantur calami cum hastili; quod fiebat in tribus locis. Calami autem erant *procedentes de hastili uno*. In fonte *procedebant ex candelabro*.

36. *Et sphærulæ igitur, & calami ex ipso erant universa ductilia de auro purissimo.*

B Omnia erant ex auro ductili: ὅλη τορευτὴ ἐξ ἑνὸς χρυσίου καθαροῦ. *Totum tornatile ex uno auro puro.*

37. *Facies & lucernas septem, & pones eas super candelabrum, ut luceant ex adverso,*

Fac ascendere has lucernas, ut dicitur in fonte, nempe loca eas in vertice candelabri, ut luceant ab omni parte, id est, splendorem emittant undecumque. על־עבר פניה *super latus facierum ejus*, vel *ultra facies suas*, id est, undecumque ob situm suum in calamorum verticibus. Græci habent ἐκ τοῦ ἑνὸς προσώπου· *ab unâ facie*. Clericus interpretatur, *utrinque* quia ad dexteram & sinistram erant lucernæ, adeòque *trans faciem* candelabri lucebant, nam facies est pars anterior quâ septem lucernæ obversæ erant huic qui in situ parallelo illas inspiceret; cùm C è latere conspectum candelabrum unam tantùm lucernam ostentaret, post quam aliæ latebant.

Eam fuisse lucernarum dispositionem dicit Maimonides, ut omnes converterentur versùs illam mediam lucernam, quæ in medio hastili locabatur; illa verò media lucerna spectaret Sanctum Sanctorum ad Occidentem conversa: ideò lucerna Occidentis dicebatur juxta hunc Rabbinum. In cæteris verò lucernis ellychnium non erat in medio lucernæ, ut plerique volunt; neque enim aliæ magis quàm alteræ dici potuissent in hanc vel illam partem conversæ. Candelabrum delineavimus juxta mentem Maimonidis. Villalpandus lucernas illas similes facit oculo humano, quæ forma absona D videtur; etenim si unicum fuisset foramen lucernis, oleum non potuisset priùs in illas infundi quin amotum esset ellychnium. In omnibus antiquis lucernis, quas Scacchus repræsentavit in suo Myrothecio, ubi eruditè & diligenter disserit de veterum lucernis, duo semper aut plura in illis exhibet foramina; huic ellychnium inserebatur, alteri infundebatur oleum. Scacchus tamen, malè, ut puto, lucernas Scripturæ facit cymbiis similes; quorum in centro statuit ellychnium.

38. *Emunctoria quoque, & ubi quæ emuncta sunt extinguantur, fiant de auro purissimo.*

Emunctoria מלקחים *malachim* quasi dicas acceptoria à לקח *accepit*, forcipes erant quibus quasi myxus lucernarum præcidebatur, & mundabantur lu- E cernæ, ut clariùs micarent, suaviùsque splenderent. Illa emunctoria appellantur in versione Græcâ ἐπαρυστῆρα ab ἀρύω *haurio, ex profundo traho*. Quod fit dum componuntur lucernæ; neque enim tantùm mucus præciditur, sed paulò extrahitur ellychnium. Ad emunctoria pertinebant מחתת *machtoth*, cujus nomine radix חתה *chatha*, id est, *cepit, accepit*, undè מחתה thuribulum, acerra, quasi receptaculum ignis & carbonum. Græci reddunt τὰ ὑποθέματα, id est, *suppositoria* vasa quæ supponebantur dum lucerna mundabatur, & in his recipiebantur purgamenta, nempe favillæ myxi incensi & forcipibus præcisi. Observat Maimonides ante candelabrum fuisse lapidem trium graduum, in quo Sacerdos insistebat

lucernas emundans & componens. In eodem lapide ponebat vasa olearia, forcipes & trullas, sive receptacula myxi.

39. *Omne pondus candelabri cum universis vasis suis habebit talentum auri purissimi.*

Sacer codex ex hoc uno talento facit candelabrum elaboratum cum suis *chelim*, id est, instrumentis, ad componendas lucernas necessariis. Illa autem *chelim*, nempe forcipes, trullas atque vasa olearia putat Maimonides non fuisse ex illo auri talento, ex quo candelabrum factum. Talentum Hebræorum ככר *Kikar*, ut vidimus, par erat ter mille siclis, qui ponderant centum septuaginta quinque marcas cum duabus unciis & septem grossis; quod pondus est circiter 6370 Ludoviceorum aureorum. Tanto ponderi ferendo unus Levita par non erat. Forsan sic factum hocce candelabrum, ut omnes calami ejus, & partes hastilis committerentur inter se more pixidis; & dissolverentur quoties iter susciperetur; ita non oneri erant Caathitis à quibus portabatur. De his dicit Scriptura (Numer. cap. 4. v. 6.) *Sument & pallium hyacinthinum, quo operient candelabrum cum lucernis & forcipibus suis, & emunctoriis, & cunctis vasis olei, quæ ad concinnandas lucernas necessaria sunt, & super omnia ponent operimentum ianthinarum pellium.* Id integro & expanso candelabro difficile erat, facile partibus sejunctis. Sed subsequitur in sacro codice.

10. *Et super omnia ponent operimentum ianthinarum pellium, inducentque vectes.*

In fonte: *& ponent super perticam.* על המוט *Moth* est instrumentum quo res suspensæ vehuntur. A Græcis redditur ἀναφορεύς. Ita si vectis est, non erat ejusdem formæ, quam cæteri, qui per annulos immittebantur; Moyses enim in candelabro nullos memorat annulos. Itaque crederem partes candelabri involutas operimento & positas fuisse à Caathitis super perticam & sic portatas. Absolvamus descriptionem candelabri quæ est in capite 25. Exodi cùm præcepit Deus faciendum.

40. *Inspice & fac secundùm exemplar quod tibi in monte monstratum est.*

Hæc non dicuntur de solo candelabro, sed de omnibus, quæ Deus jussit paranda, & quorum formam & exemplar præmonstraverat. Moyses in capite Exodi 37. narrat candelabrum factum sicut Deus præceperat faciendum.

17. *Fecit & candelabrum ductile de auro mundissimo. De cujus vecte calami, scyphi, sphærulaque ac lilia procedebant.*

De cujus vecte, ut fons loquitur, de cujus latere, id est, stipite, hæc omnia procedebant, aut lateri ejus adhærebant.

18 *Sex in utroque latere, tres calami ex parte unâ, & tres ex alterâ.*

19. *Tres scyphi in nucis modum per calamos singulos, sphærulæque simul & lilia. Æquum erat opus sex calamorum, qui procedebant de stipite candelabri.*

Ad eandem altitudinem surgebant calami, ut Maimonides observat, omninò similes inter se; *sic sex calamis*, ut habet fons, nempe in calamis paria omnia. Sed non ita est de vecte, ut loquitur Vulgatus, de stipite, sive de columnâ candelabri, ut loquitur Josephus.

20. *In ipso autem vecte erant quatuor scyphi in nucis modum, sphærulæque per singulos simul & lilia.*

21. *Et sphærulæ sub duobus calamis per loca tria, quibus sex fiunt calami procedentes de vecte uno.*

Ubi calami egrediebantur de stipite ibi erat globulus, quo calami duo & stipes jungebantur.

22 *Et sphærulæ igitur & calami ex ipso erant universa ductilia ex auro purissimo.*

23. *Fecit & lucernas septem cum emunctoriis suis, & vasa ubi ea quæ emuncta sunt extinguantur de auro mundissimo.*

24. *Talentum auri appendebat cum omnibus vasis suis.*

Restat ut breviter indicemus quis fuerit situs candelabri. In Sancto positum erat è regione mensæ panum propositionis versùs meridiem. Hunc locum ei assignat Exodus capite 26. 35. *Pones*, inquit Dominus, *contra mensam candelabrum in latere tabernaculi meridiano: mensa enim stabit in parte aquilonis.* Hæc verba non definiunt an ordo lucernarum parallelus esset vel obliquus respectu Sancti Sanctorum & ostii Tabernaculi. Josephus adstruit eum positum obliquè. *Respiciuntque* loquitur de lucernis, *ad orientem & meridiem, candelabro obliquè posito.* Vulgatus in capite 8. Numerorum de situ candelabri sic loquitur.

1. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:*

2. *Loquere ad Aaron & dices ad eum, cùm posueris septem lucernas, candelabrum in australi parte erigatur. Hoc igitur præcipe ut lucernas contra boream è regione respiciant ad mensam panum propositionis: contra eam partem quam candelabrum respicit, lucere debebunt.*

Illud in australi plagâ, ut annotat Augustinus Steuchus, *In contextu Hebraïco nusquam ponitur, neque vel minima apparet hujus vocis expressio, videturque aliud omninò legisse Hieronymus*; neque boreæ ulla mentio.

3. *Fecitque Aaron & imposuit lucernas super candelabrum, ut præceperat Dominus Moysi.*

Juxta fontem, *& è regione facierum candelabri fecit ascendere lucernas*, id est juxta Chaldæum, *accendit.*

4. *Hæc autem erat factura candelabri, ex auro ductili, tam medius stipes, quàm cuncta, quæ ex utroque calamorum latere nascebantur: juxta exemplum quod ostendit Dominus Moysi, ita operatus est candelabrum.*

Quæ de mensuris cujusque partis candelabri collegit Maimonides ex vetustis traditionibus; hùc afferam ex capite tertio jam allegato de Domo electâ, ubi diligenter prosequitur ejus descriptionem. *Candelabrum*, fari incipit Maimonides, *tophac duodeviginti altum erat*, nempe totidem palmis, quorum singuli sunt quatuor digitorum, quales in suo cubito Hebræi viginti quatuor numerant. Sic duodeviginti, sive tophac, sive palmi, faciunt 72 digitos, pares tribus cubitis, ideò juxta nostros calculos sexaginta pollicibus Parisinis; qui faciunt quinque pedes Parisinos. Eâ ergo altitudine erat candelabrum, ut Sacerdos potuerit attingere lucernas impositas candelabro, & illas componere; sed non id commodè, si verè inhæsissent. Verisimile eas recubuisse in liliorum patulis flosculis. Favet mihi Josephus, juxta quem λύχνοι δ' ἐπεφέροντο: nempe capitibus calamorum ferebantur lucernæ. Quin & difficile fuisset ministerium; nisi subjecto lapide, quod innuit Maimonides, tacet verò Scriptura, sublatus fuisset minister. Pergit loqui Maimonides. « Pes igitur & flos primus candelabri occupabat palmos tres: indè lævitas erat duorum palmorum: palmus sequens continebat scyphum, globulum & florem. Rursusque duo læves erant. Consequebatur indè globulus unius palmi, ex quo procedebant calami duo, unus hinc & illinc alter, qui extollendo producebantur ad altitudinem ipsius candelabri. Super his erat lævitas unius palmi, & unius etiam palmi globulus ex quo rursus procedebant

cedebant calami duo, unus hinc & illinc alter, qui ad candelabri pertinebat altitudinem. Post etiam erat unius palmi lævitas, & unius palmi globulus, ex quo rursum excedebant calami duo, unus hinc & illinc alter, qui itidem assequebantur altitudinem candelabri. Super his erat duorum palmorum lævitas. Restabat igitur spatium trium palmorum in quo erant scyphi tres & globulus unus, unusque flos. Huic descriptioni sacer codex non adversatur. Ideò læve erat illud candelabrum, ut facilè tergeretur, neque enim fieri potest, quin defflueret oleum.

Candelabro quod descripsimus haud prorsus simile est candelabrum quod hodie adhuc visitur in arcu, quem erexit Titus in perenne victoriæ suæ de Judæis monumentum. De templi incendio ereptum vulgò creditur, ut inter pompæ triumphalis fercula portaretur. Plurima illa erant. *Eminebant autem*, narrat Josephus lib. 7. de Bello cap. 7. *ea quæ apud Hierosolymam in templo reperta sunt, mensa aurea, ponderis talenti magni, & candelabrum.* Sic loquitur Interpres Latinus Josephi, juxta quem in templo reperta mensa aurea, repertum candelabrum; sed an hæc dicat Josephus expendamus. Græcè sic loquitur. Διέφερε δὲ τὰ μὲν ἄλλα χύδην ἐφέρετο διέπρεπε δὲ πάντων τὰ ἐγκαταληφθέντα τῷ ἐν Ἱεροσολύμοις ἱερῷ χρυσῆ τε τράπεζα τὴν ὁλκὴν πολυτάλαντος, καὶ λυχνία. Verbum ἐγκαταληφθέντα à λαμβάνω *accipio* derivatum significat quidem intus accepta dicta spolia; sed si legamus ἐγκαταληφθέντα à λείπω *relinquo*, alius sensus est, nempe hæc derelicta fuisse in ipso templo; non ergo ut cætera asportata, sed tantùm prælatam in pompâ imaginem eorum. Non fuerant subducta incendio quo templum absumptum est. Supellex licet aurea non potuit flammis resistere, & servare formam suam. Hinc factum est ut artifices Romani pro libitu ad decorandam pompam confiaverint imaginem; ut ex candelabro, quod in arcu Titi cernitur, nullum adversus nos duci possit argumentum. Josephus sic candelabrum describit. « Candelabrum, similiter quidem auro factum, sed opere commutato ab usûs nostri consuetudine. Nam media quidem columna basi hærebat, tenues autem ab eâ cannulæ producebantur, formatæ ad similitudinem fuscinæ, ad summum quæque in lychni speciem fabricatæ. Erant autem numero septem, septimi diei, qui apud Judæos est, indicantes honorem. »

SECTIO IV.

De usu candelabri, lucernis ejus, & oleo, quod iis infundebatur. Utrum per totam diem lucernæ arderent.

Satis superque de structurâ candelabri disseruimus; jam de illius usu. Fecit Moyses jussu Dei *candelabrum ad luminaria sustentanda.* Exod. cap. 35. v. 14. Candelabrum lucernis paratur; lucernæ ut procurent lumen, quo indiguisse videtur Tabernaculum, & templum. Utrumque enim solis lumini non fuit pervium, nisi ostii sui aperturâ. Quæritur an ideò decuerit perpetuò ardere lucernas, ne locus caliginosus esset. Id innuere videtur Scriptura, ubi Deus in Exodo cap. 27. v. 20. præcipit à filiis Israël offerri purissimum oleum *ut ardeat lucerna semper in Tabernaculo.* Similiter & in capite Levitici 24. v. 1. Quin adjungitur auctoritas veterum scriptorum quibus consuetudines Hebraïcæ non ignotæ fuêre. Allegatus Josephus qui in tertio Antiq. cap. 9. expressè dicit tres ex septem lucernis per totam diem illuxisse, reliquas sub vesperam fuisse accensas. Ὧν τρεῖς μὲν τρεῖς ἐπὶ τῇ ἱερᾷ λυχνίᾳ φαίνειν ἔδει τῷ Θεῷ κατὰ πᾶσαν ἡμέραν τὰς δὲ λοιπὰς περὶ τὴν ἑσπέραν ἅπτοντας. Philo scrutatur causas ob quas Deus præcepisset lucernas accendi, sed non monuit die ac noctu pariter arsisse Sic loquitur ejus Interpres [libro de illis qui victimas offerunt.] « Ampliùs præcipitur ut à vespere mane usque lumina intra velum in sacro candelabro luceant multis de causis. Una ut diurnæ luci succedant illustratura sacrarium expers semper tenebrarum ad stellarum similitudinem. Nam & hæ post solis occasum lucem suam proferunt, non deserentes stationem quam in mundo sortitæ sunt. Altera ut noctu quoque ad Dei cultum fiat oblatio, à diurnis non aliena, nec interrumpatur gratiarum actio nocturno tempori maximè idonea. Est enim genus quoddam sacrificii clarissimus hic splendor in penetralibus. Tertio verò valdè necessaria. Quoniam enim non solùm vigilantes, verùm etiam dormientes juvamur divinâ beneficentiâ, relaxati à diurnis laboribus, & levati curis, animo in seipsum secedente à turbis sensuum, & sibi ipsi vacante, meritò lex æquum judicavit gratiarum actiones ita distribui, ut sacra fiant pro vigilantibus, pro somno verò & provenientibus indè commodis accendantur sacrata lumina. « Hecatæus Abderita, qui historiam Judæorum conscripsit; dicit in candelabro & in altari ignem perpetuum arsisse. Ἐπὶ δὲ τούτων φῶς ἐστιν ἀναπόσβεστον, καὶ τὰς νύκτας, καὶ τὰς ἡμέρας. Eusebius inserui t hocce testimonium libro suo nono de præparatione; cui attexam quod scribit Diodorus in Eclogâ primâ lib 34. de Antiocho Epiphane, sive Illustri, qui religionem Judaïcam voluit impedire. Τὸν δὲ ἀθάνατον λεγόμενον παρ' αὐτοῖς λύχνον, καὶ καιόμενον ἀδιαλείπτως ἐν τῷ ναῷ κατασβέσαι. *Lychnum præterea immortalem ipsis dictum, qui perpetuò in templo ardet extinxit.* Hæc testimonia sunt luculenta; attamen videtur sacer codex in secundo Paralipomenorum cap. 13. v. 11. innuere lucernas non accensas nisi noctu. *Estque apud nos candelabrum aureum & lucernæ ejus ut accendantur semper ad vesperam.* Componebantur lucernæ matutino tempore; eâ horâ quâ Deus præcipit in Exodo cap. 30. v. 7. *Et adolebit incensum super eo* altari aureo Aaron suave fragrans mane. Quando componet lucernas, incendet illud. In fonte quando הטיב *hetib*, id est, *bonificabit lucernas:* In Græcâ versione ὅταν ἐπισκευάζῃ τοὺς λύχνους, *quando præparabit lucernas.* Videlicet cùm quidquid immunditiarum oleum & ellychnium noctu contraxerint, mane removebit & repurgabit, sive præparabit lucernas. Duo actus hujus ministerii distinguuntur nominibus propriis & respectu temporis. Mane Sacerdotes *concinnabant* lucernas, & vespere accendebant, ut dicitur in Exodo cap. 30. *Et adolebit incensum super eo Aaron, fragrans, mane;* cujus incensi fragrantiâ dispelleretur, si quis malus odor oleis fuisset & lucernis. Actus ille dicitur in fonte *hetib*, id est, *bonificatio*, cùm concinnabat Sacerdos lucernas alter actus indicatur. *Et quando collocabit eas ad vesperum* ובהעלת *ubeyaloth.* Ad verbum in ascendere faciendo lucernas, nempe educendò ellychnium, ut fieri solet, quando lucerna accenditur. Si idem fuisset vespertinum, idem matutinum officium non videtur distinguendum diversis nominibus; sed mane concinnabantur lucernæ, quæ vesperæ accendebantur, cùm scilicet vel sponte deficiente oleo extinctæ fuissent; ut concordia ineatur; etiam dabent operam Sacerdotes ut res saltem, quod dicit Josephus, lucernæ per diem arderent. Illas cùm non infunderetur novum oleum ex se extinctas fuisse indicat ille locus primi Samüelis (cap. 3. v. 3.) *Lucerna Dei antequam extingueretur, Samüel dormiebat in templo Domini, ubi erat Arca Dei.* Des-

criptio est noctis; quasi diceretur: & cùm lucernæ quæ erant in templo Domini, ubi erat Arca Dei, nec dum extinctæ essent, & Samüel adhuc dormiret; lucernæ enim tandem, deficiente oleo, sub lucis ortum extinguebantur. Verùm qui pro inextinctis omnibus lucernis pugnant; innituntur verbis Exodi (cap. 27. v. 20.) quæ jam protulimus: *ut ardeat lucerna semper* תמיד jugiter; quibus Josephus & alii adducti videntur ignem perpetuum in lucernis agnovisse. Qui in contrariâ sententiâ sunt, reponunt illud, jugiter, in eam partem accipiendum, ut jugis esset cultus lucernarum, scilicet non perpetuò, sed statis temporibus accenderentur. Sic panes propositionis dicuntur *appendi jugiter*, Exod. cap. 25. v. 30. Et agni offerebantur jugiter, Exod. cap. 29. v. 38. nec tamen continenter, sed statis horis.

Quidquid sit, & quomodo ritus ille perpetuus intelligatur, præcipit Deus in Exodo cap. 27 hisce verbis.

20. *Præcipe filiis Israël, ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum piloque contusum, ut ardeat lucerna semper.*

21. *In Tabernaculo testimonii extra velum quod appansum est testimonio. Et collocabunt eam Aaron & filii ejus, ut usque mane luceat coram Domino. Perpetuus erit cultus per successiones eorum à filiis Israël.*

In fonte filii Aaron *disponent* lucernam ut usque mane ardeat. Ut iterum præcipitur in Levitico capite 24. circa lucernas v. 3. . . *Ponetque eas Aaron à vespere usque ad mane coram Domino, cultu, rituque perpetuo.* Illud, *à vespere usque ad mane*, significat, loquitur Maimonides tractatu de jugibus sacrificiis, cap. 3. n. 11. *dandam esse lucernæ mensuram olei eam, quæ suppeditat ad ardendum à vespero ad diluculum.* Hanc mensuram dictus Rabbinus definit in unamquamque lucernam dimidium logum olei; quæ quidem mensura non sufficeret, si omnes arsissent per diem, æquè ac per noctem. Ex Misna producam quæ leguntur de lucernis in tractatu *Tamid*, sive de jugi ministerio templi (cap. 2. Sectione 9.) « Qui designabatur ad decinerationem candelabri, ingrediebatur quando inveniebat duas lucernas, quæ erant ad orientem ardentes, reliquum decinerabat, & in locum suum deposuit, quando inveniebat illas extinctas, decinerabat eas, accendebatque ad ardentes, & postea decinerabat reliquas. Lapis erat è regione candelabri, qui habebat tres gradus, in quibus stabat Sacerdos, quando aptabat lucernas, tunc deposito in gradu secundo vase, abiit. Misna addit de munere ejus cui obtigerat decineratio candelabri (cap. 6.) « Quando inveniebat duas lucernas orientales ardentes, decinerabat illam, quæ erat ad orientem & sinebat occidentalem ardere, quia ad illam accendebat candelabrum inter vesperas, quando inveniebat extinctam, accendit eam in altari holocausti. Misna non definit litem de igne lucernarum an fuerit perpetuus, nec ne. Quam in sententiam animus meus inclinet, si quis quærat, fatebor me ancipitem fluctuare. Non liquidò dicit Misna omnes lucernas de die extinctas; ita potest stare sententia Josephi tres per diem illuxisse, quæ vespertino tempore adveniente communicarent cæteris lumen suum; nam ad illustrandum Tabernaculum omninò necessariæ non videntur; etenim velum quod oppandebatur ante ostium ejus, ut videre est in schemate Tabernaculi, contrahebatur nec terram attingebat; ut Sacerdotes liberè ingrederentur, & egrederentur. Cùm ergo introitus pateret, & solis lumen admitteret, poterat Tabernaculum carere lucernarum luce. Præterea cùm parietes ejus essent auro obtecti, locus renidebat. Experimur specula è metallo terso per tenebras splendescere.

Consumpto oleo tandem lucernæ extinguebantur, nec componi poterant dum lucebant, sed Tabernaculum non ideò tetro odore non inficiebatur, quia eâ ipsâ horâ, ut vidimus, incendebantur odoramenta in altari aureo ex Dei mandato Exod. cap. 30. 7. & 8. Præterea non adhibebatur nisi oleum purissimum, cujus fumus naribus non ita ingratus est. *Præcipe*, inquit Deus, Moysen alloquens, *filiis Israel ut afferant tibi oleum purissimum, piloque contusum: ut ardeat lucerna semper.* Oleum illud dicitur in fonte כתית *cathith*, id est, *contusum*, nempe fluens sponte ex contusis oleis, non prælo, aut molâ expressum, quod amurcâ & fæcibus plenum est. Columella in libro 12. de Re rusticâ cap. 50. ubi de tali oleo loquitur, appellat primæ notæ, & primæ pressuræ. « Quoniam, inquit, longè melioris saporis est, quod minore vi præli, quasi lixivium defluxerit. » Similiter Palladius in duodecimo libro de Re rusticâ titulo 17. agens de oleo faciendo: « nobilius erit, inquit, quod sponte defluxerit. » Eadem observat Plinius lib. 15. cap. 1. « Ex eâdem quippe olivâ differunt succi. Primum omnium è crudâ, atque nondum inchoatæ maturitatis: hoc sapore præstantissimum. Quin & ex eo prima unda præli laudatissima. » Tale oleum, ut Græci loquuntur, ἄτρυγον fece carens infundebatur lucernis. « Olivæ, inquit R. Salomon, tundebantur in mortario, & non molebantur in molâ, ne remanerent in iis feces. Cæterùm post eductam primam guttam, introducebantur in molam, & ibi molebantur. Hoc oleum secundum ineptum erat ad lucernas, & aptum ad sacrificia. » Exscribendus locus integer de oleo candelabri ex Tractatu Misnico Menachoth sive de muneribus, ubi hæc leguntur, cap. 8. n. 4. « Tres sunt olivarum species, & quælibet tres olei species profert. Harum prima species in cacumine oleæ colligitur, contunditur & in canistrum conjicitur. R. Jehuda dicit, ponit circum canistrum; hæc prima est species olei: quum eas presserit trabe, R. Jehuda dicit lapidibus, hæc secunda est. Denuò si contuderit & oneraverit, hæc tertia est. Primum oleum est pro candelabro, reliqua duo pro muneribus. » Nempe pro illis oblationibus, in quibus offerebatur oleum.

Hæc quæ dicunt Doctores Misnici non abludunt ab eo quod Deus præcipit de oleo purissimo candelabri; de quo iterum mandat in Levitico cap. 24. verbis quibus nulla inest obscuritas.

1. *Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens:*

2. *Præcipe filiis Israël ut afferant tibi oleum de olivis purissimum, ac lucidum ad concinnandas lucernas jugiter.*

In fonte: præcipe ut afferant oleum purum & כתית *cathith*, id est, contusum candelabro, ut ardeat lucerna semper. *Ad ascendere faciendum*, sed idem valet ut jam significatum est, quod *ut ardeat.*

Conjectat Fortunatus Scacchus in suo Myrothecio artem adhibitam à Judæis, ut puriori oleo & magis defecato uterentur; quod convenit moribus eorum; qui etiam vinum percolabant, ne culicem quem habebant pro immundo animali, deglutirent imprudentes. Vidimus cribris purgasse similam ex quâ conficiebant panes propositionis. Instrumentum autem quo utebantur in defecando oleo, describit Scacchus, & dicit nunc eo uti olearios. Medio in gutture infundibili ubi collum principium

habet, illi interponunt aliquam laminam, pluri- A
bus minutisque foraminibus perforatam, ut oleum delicatiùs ac defecatiùs in vas descendat. In sequenti schemate occurrit imago hujus instrumenti. Quidpiam simile ab Hebræis olim factum indicat R. Obadias de Bartenora; dum exponit id quod occurrit in hocce loco Misnico quem modo produximus. » R. Jehuda dicit ponit circum canistrum: Hanc, » inquam, particulam sic explicat Obadias. Circa » latera canistri qui colligit ponet olivas ut oleum » per latera effluat, & in fundum defluat, ibique » purificetur, nam scoria lateribus canistri adhære» re solet. Sed non ponet eas in fundo canistri, quia » tum oleum & feces commiscentur, oleumque tur» batur; oleum vero quod exit ex olivis suâ spon- B
» te & absque ullâ necessitate, vocatur oleum pri» mum.

SECTIO V.

Visio candelabri aurei objecta est Zachariæ oculis. Hanc diligenter exponere de instituto est.

Visionem candelabri aurei sibi factam narrat Zacharias in capite quarto vaticiniorum suorum.

1. *Et reversus Angelus qui loquebatur in me, & suscitavit me, quasi virum qui suscitatur de somno suo.*

Propheta Zacharias excitabat Judæos qui Baby- C
lone reversi fuerant ut nullâ interpositâ morâ templum ædificarent. Hos metus inimicæ potestatis dejiciebat, & deterrebat ab opere. Ut ipsum Prophetam excitaret, Angelus, qui ab illo recesserat, revertitur, & ei ostendit novam visionem; cujus finis erat ut Judæi certiores fierent de multiplici Dei providentiâ & timorem deponerent. Angelus ponit ob oculos Prophetæ candelabrum, cujus lucernæ nunquam deficerent, quia positum erat inter duas fœcundas oleas, ex quibus continuus liquor effundebatur in lecythum; & indè infundebatur in lucernas, purgatus transiens per infusoria. Duas autem illas oleas Angelus indicat esse duos Domini unctos Josuë, sive Jesum Sacerdotem & Zorobabe- D
lem ex prosapiâ Regiâ. Reges & Sacerdotes inungebantur. Res Judæorum sub illis duobus unctis debebant florere.

2. *Et dixit ad me: quid tu vides? Et dixi: vidi & ecce candelabrum aureum totum, & lampas ejus super caput ipsius, & septem lucernæ ejus super illud: & septem infusoria lucernis, quæ erant super caput ejus.*

Candelabrum ipsum erat totum aureum, quod fuit in Tabernaculo & in templo. Ibi fons Hebræus consulendus est. Græci enim Interpretes, quos ibi sequitur B. Hieronymus, vocem גלה *ghula* interpretantur λαμπάδιον *lampada*, quâ interpretatione longè abducunt à verâ visione. גלה *ghula* est vas amplum E
rotundum continens & emittens oleum; etenim גלות *scaturigines* significat in libro Josuë [cap. 15. v. 19.] Itaque concipio visum Prophetæ candelabrum super cujus caput, id est, super summitatem, extendebatur lenticula, vas formæ lenticularis, sicut magna pelvis; qualem tuis oculis subjicimus, Lector. In isto autem candelabro erant septem lucernæ, quibus totidem respondebant infusoria. Notanda locutio Hebraïca *& septem septem infusoria*, quâ admonemur singulas lucernas habuisse duo infusoria מוצקות *infundibula*; à verbo יצק *fudit, effudit, infudit*. Per illa oleum ex vase super imposito influebat in lucernas subjectas; quod facilè concipi potest in nostro schemate, modò infundibulorum aperturæ inferiores angustæ fuerint, & adeò exiles, ut non ultra quam satis esset, oleum infunderetur; sive sufficiens flammæ materies subministraretur. Villalpandus cujus & schema conjunximus cum nostro; ut utrumque compareatur; Villalpandus, inquam, opinatur ex lenticulâ superimminente oleum veluti lacrymas instillatum lucernis, quas quodammodo facit oculis similes. Verùm cito oleum omne ex lenticulâ effluxisset; quin extinxisset lucernas.

3. *Et duæ olivæ super illud, una à dextris lampadis, & una à sinistris ejus.*

Duæ oleæ videbantur utrinque adnatæ candelabro; quæ surgerent supra גלה lenticulam, quam vocem pergit vulgatus cum Græcis interpretari lampadem; undè tanta obscuritas in utraque versione. Virentes oleæ, quarum rami superabant vas impositum, ex se sponte oleum effundebant è baccis & perennem hujus copiam suppeditabant, ut perpetuo igne arderent lucernæ; quæ visio denotabat perenne Dei auxilium, quod non defuturum erat Ecclesiæ.

4. *Et respondi & aio ad Angelum qui loquebatur in me, dicens: quid sunt hæc, Domine mi?*

Ibi *in me* ponitur pro *ad me*. In fonte בי. Lata est enim significatio literæ servilis ב. Potest etiam dici, reipsâ in Zachariâ locutum Angelum, qui ore hujus Prophetæ utebatur, vaticinans Judæis.

5. *Et respondit Angelus, qui loquebatur in me, & dixit ad me: numquid nescis quid sunt hæc? Et dixi, non, Domine mi.*

6. *Et respondit & ait ad me, dicens: hoc est verbum Domini ad Zorobabel, dicens: non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum.*

Respondit Angelus Deum hacce visione compellare Zorobabelem, & in personâ ejus omnes Judæos, ne desponderent animos ob res tenues, & potentes inimicos qui obstabant ædificationi templi. Quasi dicat, Deus qui est exercituum Dominus, non vos Judæos magno quidem exercitu adjuvabit, sive faciet ut eluceat potestas auxilii sui in armis & in militum copiâ & robore, sed aliâ ratione vobis succurret; nimirum spiritu suo, sive gratiâ spiritûs sui, quam abundè in eos effundendam visio illa edocebat, in quâ lucernæ modo supernaturali alebantur.

7. *Quis tu mons magne coram Zorobabel? in planum: & educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ ejus.*

Pergit loqui Angelus excitans mentem Judæorum dejectam. *Quid tu*, ô Babylon? *mons* eras *magnus præ Zorobabele.* Ingens tuum erat imperium coram Zorobabele, id est, præ isto Zorobabelis; *in planum* tamen dejecta es, vel complanaberis per Cyrum. Et ipse Zorobabel qui habebatur despicatui, fundabit templum, primarium ejus lapidem ponet, cum acclamationibus populi *gratia gratia*; nempe ut Zorobabeli semper Deus faveret. Nunc in fonte legitur תשאות *thescheoth*, id est, *tumultuationes, acclamationes.* Aliter legebat Hieronymus תשוה *æquabit.* Zorobabel, ut postea dicitur, fundabit templum cum plausu & acclamationibus.

8. *Et factum est verbum Domini ad me, dicens:*

9. *Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, & manus ejus perficient eam: & scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos.*

Zorobabel templum absolvet quod inchoavit; sic implebuntur quæ prædico.

10. *Quis enim despexit dies parvos? & lætabuntur & videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel. Septem isti oculi sunt Domini qui dis-*

currunt in universam terram.

Ubi sunt qui despicatui habebant res tenues Judæorum, & frustra ædificationem templi ab iis suscipi contendebant? lætabuntur tandem diu tristes, quando videbunt mœnia templi crescere, & Zorobabelem tanquam hujus Architectum habentem filum ex quo pendet lapis stanneus, sive plumbum, ut ad perpendiculum erigat mœnia & perficiat. Hæc contingent; quia invigilat Deus suâ multiplici providentiâ ut opus absolvatur. *Septem lucernæ sunt illi oculi Domini qui discurrunt in universam terram.* Repræsentant oculos Dei quibus omnia patent: providentiam ejus multiplicem, quâ mundum regit & gubernat. Josephus, ut vidimus, dicit septem candelabri lucernas exhibuisse cæli planetas septem qui discurrunt per universam terram: errantia sidera. Tabernaculum & templum erant veluti totius mundi repræsentatio. Ob istam oculorum mentionem Villalpandus adductus est ut faceret lucernas oculis similes; sed sine causâ; neque enim necesse est ut symbola rei ipsius quam indicant, habeant lineas omnes.

11. *Et respondi & dixi ad eum: quid sunt duæ olivæ istæ ad dexteram candelabri & ad sinistram ejus.*

Ampliorem declarationem visionis quærit ab Angelo Zacharias; nimirum quid significent duæ adnatæ oleæ candelabro utrinque.

12. *Et respondi secundò, & dixi ad eum: quid sunt duæ spicæ olivarum, quæ sunt juxta duo rostra aurea, in quibus sunt suffusoria ex auro?*

Instat Zacharias; & petit quid sint istæ spicæ, nempe baccæ olivarum, quæ adhærentes teneris ramis; referebant speciem spicæ. Spicæ illæ erant *juxta duo rostra.* In fonte צנתרות *tsaneteroth.* Græci reddunt μυξωτῆρες *nares*, per quas stillaret oleum. Nomen autem Hebræum propriè significat *tubulos, fistulas, canales* per quos ex baccis infunderetur in lucernas oleum aurei coloris, id est, lucidissimum. Fons de verbo ad verbum redditur. *Quid duæ spicæ olivarum quæ in manu duarum tsaneteroth auri evacuantium desuper se* vel de supernis *aurum* זהב *tsaab*, rem aurei coloris, id est oleum; quod Hebraicè dicitur יצהר *itsaar* à צהר *lumen, splendor.* Oleum cùm purissimum est, habet aureum colorem. In delineatione Villalpandæâ videre est in vase rotundo duplex cornu excipiens ex spicis olearum oleum jugiter manans. Hocce cornu exprimit *tsaneteroth*, quæ, ut diximus, Græci appellant μυξωτῆρες *nares*: B. Hieronymus *rastra*; quæ rostra similia facit Villalpandus *cornui copiæ.* Verùm potiùs decet accipere nomen Hebræum pro fistulâ & canali; etenim non diversum omninò est à צנור *tsinor* quod significat fistulam, canalem, tubum. Quidquid fuerit, per rem illam dictam *tsaneteroth* evacuabatur oleum in lucernas, & duplici ratione usum præstabat primò deducens oleum in lucernas, secundò purificans ipsum oleum; nec non defæcatum ad illas perveniret, quod illicitum visum fuisset Zachariæ. Utendum enim erat juxta legem oleo puro. Idcirco putamus cum Fortunato Scaccho in his duobus canalibus fuisse laminas instar cribri perforatas. Supra hæc *tsaneteroth* infundibula erant qualia H M & L N, quæ ita secta sunt, ut interiores partes conspicuæ sint & præbeant videndas laminas perforatas M & N. Forma exterior horum infundibulorum apparet in F & G. Religio Judaïca non sinebat ut unâ tantùm vice oleum purgaretur. Ubi autem sic purgatum erat, jam aureo fulgebat colore. Ergo adnatæ oleæ sic producebant spicas suas sive baccas ut singulis infundibulis sive tubulis responderent baccæ per infundibula oleum stillantes

A defæcatum & aptum lucernis. Multùm me adjuvit quod Fortunatus Schaccus conjectavit de formâ horum infundibulorum; sed non fortunatè, ut puto, visionis hujusce imaginem effixit. Oleas non exhibet defixas terræ, à quâ succum traherent, & baccas perpetuò producere possent, sed ex lateribus candelabri exeuntes; sed infœcundæ cui usui esse potuissent, nisi ornamento inutili. Præterea Fortunatus appendit candelabro tum lenticulam tum infundibula, ut quoties lucernæ componerentur, toties refigenda essent; ita sine ope humanâ non arsissent perpetuo igne lucernæ; quod intendebat ista visio; à cujus igitur scopo delineatio Fortunati abducit.

13. *Et ait ad me, dicens: numquid nescis quid sunt hæc? Et dixi: non, Domine mi.*

B 14. *Et dixit: isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ.*

Scilicet istæ duo oleæ adnatæ candelabro significant duplex unctorum oleo genus, qui non deerunt templo, de cujus restauratione inter me & te agitur (quasi sic loquatur Angelus cum Zacharia.) Princeps & summus Sacerdos ambo inservient Deo, quisque pro mandatis partibus opus promoventes. Indicantur Josuë sive Jesus Sacerdos & Zorobabel; quorum primus unctus fuerat in die consecrationis suæ; nam tum oleum ex more capiti ejus affusum fuerat: *Sicut unguentum quod descendit in barbam Aaron.* Zorobabel autem ex stirpe Regum Juda potuerat & inungi prisco ritu, sicut Saul & David C uncti fuerant. Potuit ergo uterque Josuë & Zorobabel dici *filii olei.* In Apocalypsi cap. 11. 4. dicitur, de duobus Prophetis & duobus testibus, qui apparebunt in terris & prædicabunt antequam dies Domini adveniat. *Hi sunt duæ olivæ & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.* Manifesta allusio est ad visionem Zachariæ. B. Hieronymus suum in hanc visionem commentarium his verbis claudit. *Hæc ut quivimus: & ut vires ingenioli nostri ferre potuerunt, locuti sumus, & Hebræorum, & nostrorum varias opiniones breviter perstringentes: si quis meliùs imò veriùs dixerit, & nos libenter melioribus acquiescimus.* Hoc à me dictum puta, Lector. Non credidi è re esse congerere diversas opiniones, quæ recensentur in synopsibus. Nec etiam D suscipiam confutandum Samuëlem Rehyerum qui in suâ Mosaïcâ Mathesi, ipsum Mosaïcum candelabrum habet pro perpetuâ lampade. Sphærulæ, poma, ut opinatur, oleum continebant, quod per excavatos calamos deferretur ad lucernas. Sed in lampadibus perpetuis, quas Cardanus dicitur adinvenisse, ex superiori vase descendit oleum ad lucernam inferiorem; in candelabro autem Mosaïco sphærulæ, globi, & calami erant inferiores; lucernæ verò superiores; præterquàm quod sphærulæ & calami haberent alios usus, ut dictum est. Pausanias in Atticis mentionem facit perpetuæ lampadis, quam fecerat Callimachus, & posuerat in templo Minervæ. « Lucernam ex auro Deæ Callimachus fecit: E in quam oleum infusum non consumitur, nisi exacto demum anno, cùm tamen lucerna dies noctesque ardeat. Id adeò evenit, quod lucernæ inest è lino carpasio funiculus, quod sanè linum unum omnibus igni non consumitur. Eminet supra lucernam palma ænea. Quæ cùm ad lacunar consurgat, exceptum vaporem facilè dissipat « Ὃ δὴ πυρὶ λίνων μόνον οὐκ ἔστιν ἁλώσιμον. Φοῖνιξ δ' ὑπὲρ τοῦ λύχνου χαλκοῦς ἀνήκων ἐς τὸν ὄροφον ἀτμίδα, ἀνασπᾷ τὴν ἀτμίδα. Palma ænea, & cava transitum vapori præstabat, & conferebat decorem loco. Sed hæc nihil ad candelabrum Mosaïcum; quod formâ penitùs erat diversum.

SECTIO VI.

De altari thymiamatis sive incensi, de materiâ ejus, formâ, mensuris, loco, & situ.

POst descriptionem mensæ panum propositionis, & candelabri, codex sacer mentionem facit altaris thymiamatis sive incensi, quod ob materiam dicitur aureum; & hoc nomine distinguitur ab altari holocaustorum, quod ideò appellabatur æneum, quia ex ære conflatum. Formam hujus aurei altaris, & mensuras definit Deus alloquens Moysen in Exodo cap. 30.

1. *Facies quoque altare ad adolendum thymiama de lignis setim.*

B Licet hocce altare mactationi animalium non deserviret, nominabatur מזבח *mizebeach* à verbo זבח *zabach*, quod idem sonat ac *mactavit, sacrificavit.* Sine mactatione & effusione sanguinis non fiebant vetera sacrificia. In altari autem de quo loquimur, incendebatur certum suffimenti genus ex diversis odoramentis compositum, quod Græci Interpretes appellaverunt θυμίαμα *thymiama*, & cum illis Latinus Interpres *altare thymiamatis:* Hebræi *altare suffimenti.* Suffire enim est incendere odores; quod erat necessarium ubi animalia sacrificabantur ad discutiendum nidorem incensarum carnium. Ergo, ut fieret suffitus, jubet Deus parari altare, id est, C mensam, si quidem verò oportebat eam esse portatilem, paratur ex ligno; quod eligitur imputribile; & ne illud ignis corriperet, obductum est aureis laminis. Deus mensuras illas præcipit servari dum hocce altare conflatur.

2. *Habens cubitum longitudinis, & alterum latitudinis, id est, quadrangulum, & duos cubitos in altitudine. Cornua ex ipso procedent.*

Quadratum erat altare illud, altum duobus cubitis, sive quadraginta pollicibus, qui faciunt tres pedes Parisinos cum quatuor pollicibus. Eâ ergo erat altitudine ut Sacerdos cui obtingebat ponere incensum, posset in eo operari; nam, ut vidimus, statura hominis est quatuor cubitorum; scilicet mensura cubiti ejus quater repetita constituit ejus alti- D tudinem. Quatuor cubiti Hebræi faciunt octoginta pollices sive sex pedes cum octo pollicibus; quapropter quisquis Sacerdos non multùm infra hanc altitudinem, superior erat hocce altari; in quo ergo commodè operabatur. *Cornua ex ipso procedent.* In fonte. *Ex ipso cornua ejus.* Hoc est, altare & cornua ejus unum opus erunt. Scilicet altaris anguli producebantur in cornua. In quodam solemni sacrificio Sacerdos his cornibus illinebat sanguinem hostiæ mactatæ, eo priùs intengens digitum quo hæc cornua attingebat. Ad illum usum, ut puto, producebantur anguli altaris, ita ut similitudine referrent cornua, quæ symbolum essent roboris, quo aliquando polleret Christi crux.

E 3. *Vestiesque illud auro purissimo, tam craticulam ejus quam parietes per circuitum & cornua. Faciesque ei coronam aureolam per gyrum.*

In fonte Hebræo non memoratur ἐσχάρα craticula, ut in Græcâ versione & in Latinâ; sed גג *gag*, hoc est, *tectum.* Dicit, inquam, Scriptura parietes altaris vestiendos auro cum tecto ejus, nempe cum summâ ejus superficie; quæ plana fuit. Non depressus erat in eo foculus, sive depressa craticula, quam tamen Græci agnoscunt & Josephus. Ἐπῆν δὲ ἐσχάρα χρυσέα ὑπερανεστῶσα, ἔχουσα κατὰ γωνίαν ἑκάστην στέφανον, *super quâ stabat foculus coronâ aureâ circumquaque cinctus,* dicit Josephus, dans huic craticulæ coronam, quæ in codice sacro manifestè pertinet ad ip-

A sum altare. *Faciesque ei coronam aureolam per circuitum.* Ποιήσεις αὐτῷ στρεπτὴν στεφάνην tortilem coronam. In fonte est זר *zer*, quam vocem supra exposuimus, & effingendam curavimus delineando mensam panum propositionis; quo in loco iidem Græci Interpretes reddunt hanc vocem κυμάτιον. Quidquid fuerit ultrò crederem assimilari speciei cujusdam coronæ. Duplicem talem coronam habebat mensa panum propositionis; hocce verò altare unicam, quæ tectum ejus sive planam superficiem circumdaret, ne scilicet odoramenta caderent in terram. Altare aureum habebat parietes, qui necessarii erant, ne cineres odoramentorum decidui per solum tabernaculi spargerentur; vel quod verisimilius est, ne everteretur, quippe angustum, cùm unius esset cubiti latum, sed parietum pondere firmiùs consistebat.

4. *Et duos annulos aureos sub coronâ per singula latera, ut mittantur in eos vectes, & altare portetur.*

Fons *super duobus ejus lateribus*, nempe super duobus ex ejus quatuor lateribus; neque enim in his quatuor omnibus annuli positi fuerant, in quos vectes immitterentur; quoties altare portandum erat.

5. *Ipsos quoque vectes facies de lignis setim, & inaurabis.* Vectes fuère ex eodem ligno; quod & laminis aureis obductum est.

6. *Ponesque altare contra velum, quod ante Arcam pendet testimonii, coram propitiatorio; quo tegitur testimonium ubi loquar tibi.*

Situs altaris aurei vix poterat apertioribus verbis indicari. Præcepit Deus ut ubi Tabernaculum absolutum fuerit, ponatur ante velum הפרכת *haparoketh* quo nomine appellatur, ut vidimus, velum quod Sanctum à Sancto Sanctorum separabat, post quod latebat Arca, quæ dicitur testimonii seu fœderis, quia continebat tabulas fœderis inter Deum & Israëlem. Addit Scriptura, *coram* propitiatorio. Coram הכפרת *hakaphoreth*, id est, ante Arcam; ex cujus operculo Deus alloquebatur Pontificem. Nomen illud Kaphoreth significat & *operculum*, & *propitiatorium*, ut pluribus mox dicemus, loquentes de Arcâ. Altare aureum positum dicitur in Apocalypsi cap. 9. 13. ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ *coram Deo*, & in Vulgatâ Latinâ, *quod est ante oculos Dei*, indè sunt qui illud locant intra ipsum Sanctum Sanctorum, intelligentes hanc phrasim, *coram Deo*, sive *ante oculos Dei*, innuere præsentiam rei in ipso loco sanctissimo. Ipse sanctus Augustinus pro hac pugnat sententiâ. Postquàm locutus est de Sancto, in quo mensa panum propositionis, & candelabrum, in quæstionibus supra Exodum, subjungit. « Huc usque secundis Sacerdotibus licebat intrare: interius autem, id est, in Sanctum Sanctorum intra « velum quatuor columnarum, Arca erat testimonii deaurata, in quâ erant tabulæ lapideæ legis, « & virga Aaron, & urna aurea cum manna, & « propitiatorium desuper aureum, ubi stabant duo « Cherubim alis obumbrantes propitiatorium, & « intuentes invicem ad ipsum. Ante Arcam verò, « id est, inter Arcam & velum positum erat altare « incensi, quod aliquando aureum dicit Scriptura, « aliquando deauratum, aureum utique appellans « quod erat inauratum. Ad hæc Sancta Sanctorum « nisi summo Sacerdoti, non licebat intrare quotidie propter inferendum incensum. Semel autem « in anno cum sanguine ad purificandum altare. «

Moyses, Philo, Josephus abducebant Augustinum ab illâ opinione: Philo libro de victimas offerentibus duo distinguens altaria δύο βωμοὺς, de aureo sic loquitur. *Aliud verò aureum, intra primum velum in loco inaccesso est;* quia, ut mox dicit, omnibus

non licitus erat introitus etiam in primam partem templi, ubi altare, de quo loquimur. Locus verò ubi altare æneum, patebat saltem oculis omnium Israëlitarum. Non ita erat de altari aureo, *quod videre nemini mortalium licet nisi Sacerdotibus, cùm in casto sunt. Factum autem est in usum suffituum.* Simpliciora & adhuc apertiora sunt verba Josephi in Antiquitatibus lib. 3. cap. 7. ubi loquens de his quæ erant in primâ parte Tabernaculi, primùm memorat mensam in quâ ponebantur coram Deo panes propositionis, secundò candelabrum, & subjicit inter hoc candelabrum & mensam panum propositionis, ut dicit, sita erat arula suffumigatoria. Μεταξὺ δὲ αὐτῆς καὶ τῆς τραπέζης ἔνδον ὡς προεῖπον θυμιατήριον. Aperta est ergo sententia Josephi de situ altaris aurei extra Sanctum Sanctorum. Attamen illud altare in Epistolà ad Hebræos cap. 9. Videtur collocatum intra Sanctum. *Tabernaculum factum est primum, in quo erant candelabrum, & mensa & propositio panum, quæ dicitur sancta.* Fons Græcus ad eum sus. Σκηνὴ γὰρ κατεσκευάσθη ἡ πρώτη, ἐν ᾗ ἥτε λυχνία καὶ ἡ τράπεζα, καὶ ἡ πρόθεσις τῶν ἄρτων, ἥτις λέγεται ἅγια. *Tabernaculum factum est, in cujus primâ parte erat candelabrum & mensa, & panum propositio. Quæ pars* primi Tabernaculi dicitur *sancta.*, sive sanctum. Ambigitur utrum *candelabrum, & mensa, & panum propositio.* Sint trina & disjuncta supellex, an vero illa duo *mensa & panum propositio*, sint unica supellex quod interpunctio videtur non pati. Postea subjungit Apostolus. *Post velamentum autem secundum, Tabernaculum quod dicitur Sancta Sanctorum.* Occurrebat σκηνὴ ἡ λεγομένη ἅγια ἁγίων. Loquitur de secundâ parte Tabernaculi, quæ dicebatur Sanctum Sanctorum, in quo, ut subjicit, erat aureum thuribulum χρυσοῦν ἔχουσα θυμιατήριον, & Arca. Si mensam, quam dixit reperiri in Sancto, habeat pro aureo altari, ibi θυμιατήριον thuribulum aliud quidpiam est. Quid vere sit quæritur: nodus dignus est vindice.

Primò advertendum est vocem illam θυμιατήριον in versione Græcâ veteris Testamenti non sumi nisi pro thuribulo quod manu tenetur, & ideo non pro altari. Occurrit in secundo Paralipomenorum capite 26. v. 19. & apud Ezechielem cap. 8. v. 11. in significatione thuribuli simplicis. Ergo illud thuribulum de quo quæstio, sumi posset pro simplici thuribulo, de quo præcipit Deus in Levitico cap. 16. *Assumptoque thuribulo quod de prunis altaris impleverit, & hauriens manu compositum thimiama in incensum, ultra velum intrabit in Sancta. Ut positis super ignem aromatibus, nebula eorum & vapor operiat oraculum, quod est supra testimonium, & non moriatur.* Fons Hebræus magis limpidus est. *Et accipiens plenum thuribulum prunis ardentibus ex ipso altari à conspectu Dei*, id est, ab altari æneo, *plenosque pugillos suos suffitu aromatum comminuto inferet ea intra velum ipsum. Et imponet suffitum illum igni coram Deo, ut tegat nubis ille suffitus ipsum operculum propitiatorium, quod est super propitiatorium, & non moriatur.* Videlicet oculis suis videns illud.

In illis verbis nullo modo designatur altare aureum, sed simplex thuribulum, quod cùm vetus reportaretur, novum restabat; quod igitur Sanctum Sanctorum semper habebat. Ita asseritur altari aureo situs in Sancto; alioquin Sacerdotes singulis diebus adolentes, toties penetrassent in Sancta Sanctorum, nec id privilegium fuisset soli summo Sacerdoti concessum semel in anno. Θυμιατήριον, inquam, de quo loquitur Epistola ad Hebræos est illud thuribulum quod novum inferens in Sanctum Sanctorum Pontifex, vetus referebat.

Altare autem aureum Judæi dicunt tam præcisè situm ad ostium Sancti Sanctorum inter mensam & candelabrum & sic interpositum, *ut totum excederet*, inquit Maimonides de Domo electâ cap. 3. n. 17. & ideò dicebatur positum coram Domino, quia ostio Sancti Sanctorum & Arcæ proximius; unde illud Dei verbum Moysen alloquentis in Exodo cap. 11. v. 5 *Et pones altare aureum, in quo adoletur incensum coram Arcâ testimonii.* Quasi conjungebatur cum Arcâ, ut in tertio Regum; cap. 6. v. 20. *Operuit illud* nempe oraculum sive Sanctum Sanctorum, *atque vestivit auro purissimo, sed & altare vestivit cedro. Domum quoque ante oraculum operuit auro purissimo.* Ita adeò ubi videtur Sancto Sanctorum, excludi à Sancto ut in sequenti versu. *Sed & totum altare oraculi texit auro.* Pertinebat ergo ad oraculum; quo sensu fons & versio Græca explicant אשר לדביר *quod erat ad oraculum.* κατὰ πρόσωπον τοῦ δαβίρ. *ante faciem oraculi.* Ita ob viciniam quasi in oraculo sive in Sancto Sanctorum altare aureum positum censebatur. Non multum loci occupabat longum & latum uno cubito sive viginti pollicibus; ita simile portatili foculo, in ipso ingressu Sancti Sanctorum prostans, quomodo ad illud non pertineret? Quod si quis admittat, facilè adducetur ut θυμιατήριον Scriptoris ad Hebræos sit altare aureum, quod hocce nomine appellatum est à Josepho. Subtexam quod dicitur de isto altari in 37. Exodi.

25 *Fecit & altare thymiamatis de lignis setim, per quadrum singulos habens cubitos, & altitudine duos: è cujus angulis procedebant cornua.*

26. *Vestivit illud auro purissimo cum craticulâ ac parietibus, & cornibus.*

27. *Fecitque ei coronam aureolam per gyrum, & duos annulos aureos sub coronâ per singula latera, ut mittantur in eos vectes, & possit altare portari.*

28. *Ipsos autem vectes fecit de lignis setim, & operuit laminis aureis.*

29. *Composuit & oleum ad sanctificationis unguentum, & thymiama de aromatibus mundissimis, opere pigmentarii.*

Composuit Moyses unguenta quibus consecrarentur Sacerdotes; oleum unctionis de quo disseremus postea. Aliud insuper Moyses composuit unguentum, potiùs suffimentum, quod dicitur Thymiama, de quo modò agam.

SECTIO VII.

De thymiamate; ex quibus componeretur odoramentis; & quo incenderetur ritu: ad eum fit allusio in Apocalypsi capite octavo.

QUo ritu incenderetur à Sacerdotibus in altari aureo suffimentum, nunc dicam; quanquam id in alio loco fusiùs cùm juge ministerium Tabernaculi exponendum erit. Quoties adolendum erat, carbones in vase, sive in thuribulo adducebantur ex igne altaris ænei: cui thuribulo excipiendo aptum erat tectum altaris. Supra autem adductos carbones Sacerdos spargebat pulverem aromaticum, nempe odoramenta contrita & in pulverem reducta, ut infra dicturi sumus. Audiamus quæ in capite quarto Misnæ in tractatu Tamid leguntur sectione 4. « Qui dignus habebatur ad suffitum, sumebat vas, quod « vas simile erat modio majori aureo, continenti tres « cabos, & patera erat in medio ejus impleta & ac- « cumulata suffitu. Operculum habebat & linteum « quoddam supernè impositum erat. Qui dignus ha- « bebatur ad thuribulum, sumebat thuribulum ar- « genteum, ascendebat ad verticem altaris, & agi- « tabat prunas hinc indè, accipiebat, descendebat, « & effundebat illas in medium thuribuli aurei. «

Ita non necesse erat ut instrueretur focus in tecto A altaris antequam adoleretur ; quoniam ad illud ex altari æneo adducerentur prunæ supra quas, ut videre est in schemate, Sacerdos manu tenens pateram plenam thymiamatis contriti, alterâ pulverem odoriferum spargebat supra prunas thuribuli aurei. Huic recipiendo poterat locus parari in tecto altaris. Hicce ritus exponitur in Exodo 30.

7. *Et adolebit incensum super eo Aaron, suave fragrans, mane quando componet lucernas, incendet illud.*

8. *Et quando collocabit eas ad vesperum, uret thymiama sempiternum coram Domino in generationes vestras.*

Bis suffitus in die fiebat, mane quando lucernæ B componebantur , juxta fontem *beneficabantur* , id est, purgabantur, mundabantur; & vespere, quando collocabantur, sive juxta fontem, quando accendebantur; quo in cultu ingratus odor potuisset oriri, ut diximus, ex purgamentis ellychniorum. Munus erat Aaronis, & cujusque Sacerdotis, cui hoc munus sorte obtigerat. Dum agemus de ministerio templi, videbimus omnem stirpem Aaronis fuisse divisam in viginti quatuor familias. Quæque à sabbato ad sabbatum continuis vicibus serviebat in templo; cujus munera cùm plurima essent, plurimi autem in singulis familiis Ministri, sorti committebatur, quo quisque munere fungeretur. Hinc oboritur lux loco Evangelii ubi agitur de Zachariâ adolente thymiama [Lucas capite 1. v. 8.] C *Factum est autem cùm sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum. Secundùm consuetudinem sacerdotii, sorte exiit ut incensum poneret ingressus in templum Domini.* ἔλαχε τοῦ θυμιᾶσαι εἰσελθὼν εἰς τὸν ναόν. Illi sorte obtigit, ut thymiama adoleret ingressus in ædem sacram, extra quam erant cæteri Sacerdotes, tum & omnis populus. *Et omnis multitudo populi erat orans foris horâ incensi.* Extra proximum locum templo; quem morem notat Maimonides in tractatu de jugibus sacrificiis exponens illud munus adolendi thymiama. » Cùm incendebatur suffimentum in » templo, inquit Maimonides, ab eo amovebatur » populus omnis: Et neminem inter vestibulum & » altare versari fas erat, donec is qui suffimentum D » adolebat, templo egressus esset. Cùmque Sacer» dos in templum inferret sanguinem hostiæ pro » peccato illius, quem respergi intùs oportebat om» ninò omnes cedebant loco inter vestibulum & » altare intermedio usque dum egrediebatur. Est » enim in lege, Nullus hominum sit in Tabernaculo, quando Pontifex sanctuarium ingreditur. » Quod quidem generaliter constitutum erat, ut » inter cunctas expiationes faciendas in Sanctuario « nemo ibi versaretur homo.

Idem Maimonides ibidem quærit quantum esset pondus suffimenti quod singulis diebus adoleretur. » Quantum igitur suffimenti singulis diebus incen» debatur? Centum denariorum pondus: denario- E » rum videlicet quinquaginta pondus mane & tan» tundem vesperi. Juxta calculos nostros si uncia Romana par erat septem denariis centum denarii ponderant 14 uncias Romanas $\frac{2}{7}$, hoc est, cum duabus septem partibus unciæ. Tot unciæ Romanæ efficiunt Parisinas uncias 13 grana 21 cum $\frac{1}{3}\frac{1}{5}$ unius grani. Cùm ergo, juxta Maimonidem, pondus quinquaginta denariorum mane, & totidem vespere adoleretur, singulis vicibus paulò plus quàm sex unciæ cum semiunciâ tantùm incendebantur; sed cùm illa aromata in tenuissimum pulverem redigerentur, suffitus licet hujus solius ponderis, poterat esse magnus. Præterea verisimile est Maimonidem & alios Judæos habuisse denarios pro majori pondere.

Videbimus enim alio in loco quanti æstiment illa odoramenta, quæ usque ad urbem Jericho suavi suo odore aërem perfunderent.

9. *Non offeretis super eo thymiama compositionis alterius, nec oblationem nec victimam; nec libabitis libamina.*

Non offeretis peregrinum suffitum, sic loquitur fons Hebræus, id est, diversum ab eo quem ipse Deus præcipit faciendum. Si quidem non in alios usus paratum altare aureum, quàm odoramentis incendendis. Prohibet Deus fieri in eo, ut habet fons, *Holocausta*, & illam oblationem quæ *Minnecha* solet dici, nempe donarium propriè ex farre. Neque etiam licebat in hoc altari libare libamina.

10. *Et deprecabitur Aaron super cornua ejus semel per annum, in sanguine, quod oblatum est pro peccato, & placabit super eo in generationibus vestris, Sanctum Sanctorum erit Domino.*

In fonte & expiabit Aaron; nempe & pars hujusce ritûs quo Aaron die expiationum expiat peccata populi, erit intingere cornua hujus altaris sanguine victimæ, quæ his piandis mactatur per singulos annos. *Sanctum Sanctorum* Domino vel *Sanctitas Sanctitatum* Domino. Res erit sacratissima, cæremonia illa expiationum, aut illud altare, ad quod verba illa referri possunt, erit sanctissimum. Cæteris aliis diebus nec sanguis, nec libamen, nec munus ex farre in aureo altari offerre licebit.

In eodem capite 30. Exodi, Moyses loquitur de pecuniâ exigendâ in usus Tabernaculi, de labro æneo faciendo, de unguento, tum quo omnia supellectilia Tabernaculi inungenda erant, tum de quo Sacerdotes inungendi. Hæc omnia suo in loco exponemus, hùc verò pertinet quod in eodem capite Exodi, narrat Moyses de unguento illo quod thymiama appellatur; & sic componi præcipit Deus.

34 *Dixitque Deus ad Moysem: sume tibi aromata, stacten & onycha, galbanum boni odoris & thus lucidissimum, æqualis ponderis erunt omnia.*

Sume 1. סמים *sammim* aromata, ea nempe quæ solent adhiberi ad suffimentum. 2. נטף *nataph*, id est, gutta, ut myrrha quæ defluit ex arbore, idcirco à Græcis appellata στακτὴ *stacte* quia στάζει, id est, stillat. 3. שחלת *schhheleth*, vulgatus secutus Septuagintâ senes interpretatur onycem. Onyx autem juxta Dioscoridem (lib. 2. cap. 10.) « Conchilii tegumentum est, ei simile quo purpura integitur. Is « in lacubus nardiferis Indiæ reperitur; quapropter « & conchiliis nardum depascentibus odoramenta « resipit. « Διὸ καὶ ἀρωματίζει νεμομένων τῶν κογχυλίων τὴν νάρδον. Plinius lib. 21. cap. 18. juncus est onyx, aromaticus crescens in Syriâ. 4. Galbanum Hebraïcè חלבנה, Græcè χαλβάνη, est succus ferulæ sive plantæ alicujus crescens in Syriâ. Optimus est similis thuri & gravis odoris. Thus notum omnibus. Guttæ thuris lucidiores censentur magis odoriferæ. De his quatuor aromatibus fons dicit esse sumenda בד בבד *bad bebad*, juxta vim harum vocum *solum cum solo esto*. Græci reddunt ἴσον ἴσῳ ἔσται *æquale æquali erit*. Vulgatus *æqualis ponderis erunt omnia*. Paraphrastes ponit: *sicli pondo erit unumquodque*. Josephus videtur statuere suâ ætate thymiama compositum fuisse ex tredecim diversis aromatibus. Etenim libro 6. de Bello cap. 6. ubi describit templum dicit τὸ θυμιατήριον διὰ τῶν τρισκαίδεκα θυμιαμάτων, οἷς ἐκ θαλάσσης ἀνεπίμπλατο τῶν τ' ἀοικήτων καὶ οἰκουμένης ἐσήμαινεν, ὅτι τοῦ Θεοῦ πάντα καὶ τῷ Θεῷ. *Altare incensi per tredecim thymiamata, quibus replebatur ex mari, ex inhospito, & habitabili, designabat omnia Dei esse Deoque servire.* Nempe ex mari, ex terrâ, ex omni loco accersebantur odoramenta.

35. *Faciesque thymiama compositum opere unguen-*

tarii, mixtum diligenter & purum & sanctificatione dignissimum.

Facieſque קטרת *Rethoreth*, id eſt, ſuffimentum ex his aromatibus, undè illud ſuffimentum dictum Græcis θυμίαμα, hoc eſt, compoſitum ex multis ſimul commixtis ſuffimentum. *Opere unguentarii* vel *pigmentari*, ut ſolent aromata componi ab unguentariis. מ לח *memalah*. Ad verbum *ſalitum*, ſcilicet hæc aromata diligenter miſcenda erant, ſaliendo unam ſpeciem cum aliâ, quomodo ſi ſal miſceres. *Sanctificatione dignissimum*, id eſt, danda opera ut omnia ſint mundiſſima, pura, ut decet eſſe ſanctum thymiama; idcirco quod fons dicit *ſolum cum ſolo eſſe*, in eum ſenſum accipi poteſt; quod quodlibet ex dictis quatuor aromatibus, purum eſſe debet, ſeparatum ab omni immunditie; verbi causâ, purum ſit galbanum.

36. *Cùmque in tenuiſſimum pulverem univerſa contuderis: pones ex eo coram tabernaculo teſtimonii in quo loco apparebo tibi, Sanctum Sanctorum erit vobis thymiama.*

Ego putarem verba illa expoſitionem eſſe hujus quod dictum eſt *ſalitum* videlicet quæque aromata contundenda eſſe & comminuenda inſtar ſalis, ut pigmentarii ſolent conterere aromata. Sic attrita & in pulverem redacta offerenda erant illa aromata in altari aureo. Tale thymiama erit *Sanctum Sanctorum* nempe ſanctiſſimum, vel habebitur pro re ſacratiſſimâ, quæ in uſus prophanos aſſumi non ampliùs poſſet, ut ſubjicitur.

37. *Talem compoſitionem non facietis in uſus veſtros, quia ſanctum eſt Domino.*

38. *Homo quicunque fecerit ſimile ut odore illius perfruatur peribit de populis ſuis.*

Afficietur pœna, quæ à Rabbinis ſolet dici *manu cæli* inflicta. Quippe Deus morte ſæpiùs afficiebat reos occultos; nempe de quibus judices humani, non poterant vindictam ſumere. Præter quatuor aromata quæ Scriptura præſcribit, alia Judæi memorant, inquit Relandus myrrham *muſcum* Maimonidi, ſed malè. 2. Caſiam, 3. ſpicam nardi, 4. crocum, 5. coſtum, 6. calamum aromaticum, 7. cinnamomum. Hæc omnia, ut probè miſceri poſſint, in mortario æneo redigi debuerunt in pulverem. Et onyx præcipuè fricari ſanone carſchinæ, & ſavari vino Capparisio, ut loquitur Relandus in Antiquitatibus ſacris. Hæc autem peragenda fuiſſe dicunt Judæi in atrio, ubi & ſervabatur ſuffitus in uſum totius anni quantitate 368 librarum confectus. Illud thymiama non fiebat liquidorum aromatum mixturâ. Opus quidem dicitur unguentarii; ſed cum Paraphraſte Chaldæo intelligi poteſt *opus odoratiſſimum.* Nempe Moyſes innuit aromata illa ſpargere gratiſſimum odorem; ſive odoramenti, ſuffimenti genus gratiſſimum; qualia ſunt quæ condiuntur à pigmentariis. Ergo illud thymiama aliud eſt ab eo quod Diſcorides dicit uſitatum apud Ægyptios. Verba Diſcoridis affert Clericus in annotationibus ad Pentateuchum; occaſionem, ut ſolet, captans adducendi Lectores ſuos ut credant omnia quæ Deus ordinavit in lege Moyſis, eſſe imitamenta Ægyptiacæ ſuperſtitionis Pleraque aromata Dioſcorides agnoſcit in compoſitione Ægyptii thymiamatis, non adhibita in thymiamate ſacro. Præterea adjungit vinum & mel quod coquendum erat, ut glutinis craſſitudinem adſciſceret; ita non conſtabat ſiccis pulveribus; quæ incenſa abibant in fumos; & quod alludebat Salomo in Canticis cap. 3. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris & univerſi pulveris pigmentarii.* Cùm incendebatur thymiama, ex altari aureo ſurgebat columna gratiſſima fumi, volvens vertices aſpectu & odore jucundos. Salomo quærens animo omnia quæ pulchra ſunt, ut his aſſimilaret ſponſam, non prætermittit thymiama, quod conſtabat ex omni pulvere aromatarii, quem nempe mercator aromatarius venalem habere poteſt.

Ex his quæ diximus, lux illuceſcit loco Apocalypſeos ubi in capite 8. 3. exhibetur Angelus, adolens in altari aureo. *Et alius Angelus venit, & ſtetit ante altare habens thuribulum aureum: & data ſunt illi incenſa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei.* Angelus habebat, λιβανωτὸν χρυσοῦν thuribulum aureum; in quo, ut vidimus ſupra, accepti erant carbones ardentes ex vertice altaris holocauſtorum. *Et data ſunt illi incenſa multa.* In fonte θυμιάματα πολλὰ, *thymiamata multa*; ſive multa copia ex thymiamatibus. Aderat enim Sacerdoti adolenti ſocius qui ei offerebat odoramenta; ut videre eſt in tractatu Miſnæ Tamid cap. 6. Sectione 3. Qui deſignatus erat ad ſuffitum, ſumebat pateram è medio cupæ, dabatque eam amico aut proximo ſuo, ſi ſparſus eſſet ſuffitus in medium, cupæ, pugillo ipſius imponebat, docebant eum, cautus eſto, fortaſſe incipies coram facie tuâ, ne aduraris incipiens, expandebat & abibat, qui adolebat non adolebat ante, quàm præfectus ipſi diceret, adole, ſi autem eſſet Sacerdos magnus, præfectus dicebat, Domine Sacerdos magne adole, diſcedebat populus, adolevit; & incurvans ſe abiit. Sanctorum preces ad inſtar thuris incenſi aſcendunt ad Deum; undè illud Pſaltæ Regii, [Pſ. 140.] *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Oratio mea ad te aſcendat ut gratus ſuffitus. Et hoc eſt quod ibi Joannes dicit, *ut daret de orationibus Sanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei.* Id eſt ante Arcam, quæ appellatur thronus Dei, ſive ſedes. Sacerdos adolens videbatur cum ſuffitu offerre populi preces; eo enim tempore populus extra templum orabat, ut obſervatum eſt ex Luca cap. 1. v. 10. *Et omnis multitudo populi erat orans foris horâ incenſi.* Nunc in fonte Apocalypſeos legitur ἵνα δώσῃ ταῖς προσευχαῖς τῶν ἁγίων, quod ſic Beza vertit; *ut offerret cum precibus Sanctorum.* Forſan vulgatus legerat τὰς προσευχάς. Idem ſenſus eſt, nempe ut offerret Deo cum ſuffitu orationes Sanctorum.

4. *Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.*

Fumus thymiamatum ſimul & orationum aſcendit ad Deum, quando Angelus adolevit.

5. *Et accepit Angelus thuribulum & implevit illud de igne altaris, & miſit in terram, & facta ſunt tonitrua.*

Sicut Angelus acceperat thuribulum, quod impletum fuerat prunis ex foco altaris ænei, ut ſuffitum faceret; ita ex eodem foco accepit carbones, ut effunderet in terram in ſupplicium. Quaſi undè benevolentiam Dei conciliaret Sanctis, indè illius iram concitaret adverſus impios.

SECTIO VIII.

De peccato & ſupplicio tum Nadab & Abiu, tum Core, Dathan & Abiron, quos ignis conſumpſit ſuſcipientes incenſum ponere coram Domino.

HUc pertinent quæ narrantur in ſacro codice de peccato & peccati pœnis tum Nadab & Abiu, tum Core, Dathan & Abiron. Nemo clarè percipiat, niſi priùs perſpectos habuerit ritus quibus Tabernaculi incenſum ponebatur. Arguenda primum imperitia

tia Pictorum, qui vetusta thuribula exhibent similia hodiernis quæ constant vase quo excipiuntur ignis & odoramenta; & longis catenis flexilibus, ex quibus pendet vas; quod quidem cùm movetur & per aërem vibratur, simul fumus odoramentorum, qui exhalat ex vase, spargitur per aërem. Verum horum thuribulorum usum antiqui ignorabant. Utebantur focis portatilibus, sive aris minoribus; quibus terni pedes subjiciebantur; undè solent appellari *tripodes*. Hic antiquum tripodem & aram minorem ex vetustis numismatibus repræsentamus. Superstruebatur focus in quem ex acerra projiciebantur odoramenta, contrita & in pulverem redacta. Ethnici eosdem ritus in adolendo servabant; nec mirum est, habuêre enim suorum rituum ferè omnium auctores Patriarchas; ex quibus omnes gentes ortæ sunt. Adolebant isti odoramenta contrita & in pulverem redacta, spargentes super vivos carbones. Illa autem recundebant in arculâ, quæ ritè nominatur *acerra*; de quâ voce loquens Festus, *Acerra*, inquit, *arcula est thuraria, scilicet ubi thus reponebant.* Sic appellabatur a materiâ, quò d *acerna* esset, id est, ex acere facta, ut pixis à πύξω, id ex buxo nomen accepit. In subjectâ formâ conspicis, Lector, Sacerdotem adolentem; Minister ei adstat, portans acerram ex quâ ille thus depromit. Has formas protuli ex libris Guillelmi du Choul de Religione Gentium. Jam exponam quæ in capite decimo Levitici de Nadab & Abiu narrantur. Ignis egressus a Domino devoraverat holocaustum, & adipes qui erant super altare, quod videntes turbæ laudaverunt Dominum ruentes in facies suas. Hæc, in fine capitis noni, Moyses inserit ut indicet altare holocaustorum sanctum reddi igne cælitùs misso, postea subjicit historiam Nadab & Abiu.

1. *Arreptisque Nadab & Abiu filii Aaron thuribulis posuerunt ignem & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat.*

In fonte thuribulum appellatur מחתה *mahhtah*: in versione Græcâ πυρεῖον, hoc est, ignis receptaculum. Dicitur expressis verbis, quod super ignem posuerint incensum ἐπέβαλον ἐπ' αὐτὸ θυμίαμα *injecerunt super ignem thymiama.* Id autem non fiebat, nisi cùm Sacerdos, cui id munus sorte obtigerat, ingressus in Tabernaculum stabat ad altare incensi. Nadab autem & Abiu, priusquàm pedem inferrent in Tabernaculum, videntur igne fuisse consumpti, ut postea liquebit. Voluntas ergo pro facto reputata. Videlicet licet alienum ignem posuissent in thuribulis, tamen intendebant in altari aureo adolere; ad hoc & posuerant in manu suâ suffitum. Quid autem est ille *ignis alienus* זרה *zarah*, nempe non sumptus ex altari, cujus contactu & victimarum & descensu ignis de cælo missi, sanctificatus esset. *Quod eis præceptum non erat.* Anteà non extat scriptum præceptum illud de sumendo igne ex altari; quod postea servatum esse, supra observavimus. Non omnia scripsit Moyses, ut ex hocce loco patet. Non etenim ob sumptum hunc alienum ignem tanto supplicio afflicti fuissent; nisi id fuisset vetitum. Causam facti dicunt Rabbini fuisse temulentiam, quia post narratum horum supplicium, videlicet versu octavo, vinum prohibetur Sacerdotibus, dum ministrarent in Tabernaculo.

2. *Egressusque ignis à Domino, devoravit eos & mortui sunt coram Domino.*

Si hoc contigit dum adolerent in altari aureo, intelligendus ignis egressus è Sancto Sanctorum. Si verò eâ ipsâ horâ quâ ingressuri erant Tabernaculum, cum proposito adolendi, censendus exiisse è Sancto ille ignis, quo consumpti sunt, in fonte, *qui*

A *devoravit eos*, nempe intùs; nam corpora manserе, & ablata sunt etiam cum vestibus, ut postea dicetur. Sic plures qui fulmine afflati sunt, exanimantur flammâ intrinsecùs viscera torrente. *Exemplum statui utile erat*, notat Joannes Clericus ad hunc locum, *ne Sacerdotes sacra mutare, prout viderentur, postea aggrederentur. Cùm prava exempla non stent ubi cœperunt, mutato divino præcepto, quamquam in se levioris momenti, ad momentosiores mutationes una aperta fuisset.* Josephus ne Deus videretur Gentilibus nimis facilè & leviori de causâ iratus in Aaronis filios, scribit cùm illi tulissent in altare non victimas quas prædixerat Moyses, sed quas anteà solebant, ambustos esse.

B 3. *Dixitque Moyses ad Aaron: Hoc est quod locutus est Dominus: sanctificabor in iis, qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor. Quod audiens tacuit Aaron.*

Ubi hoc dixit Moyses? dictum fuerat à Domino, sed non scriptum anteà à Moyse; qui, ut diximus, non omnia refert. *Sanctificabor*, id est, declarabo mea sacra sanctè esse tractanda, & celebranda juxta verbum meum; quæ ergo si non rectè fiant, nec Pontifici quidem peccanti parcam, & cæteris Sacerdotibus *qui appropinquant mihi*; ne populus speret me sibi, si peccet, parciturum; ita glorificabor coram eo. Intelliget quantâ potestate possim sumere pœnas de his qui prætergrediuntur mandata mea. *Tacuit Aaron*; obstupuit, præ dolore obmutuit, vel divinæ voluntati acquievit.

C 4. *Vocatis autem Moyses Misaële & Elisaphan filiis Oziel, patrui Aaron, ait ad eos: ite & tollite fratres vestros de conspectu Sanctuarii, & asportate extra castra.*

Hi non erant è Sacerdotum numero, si quidem Sacerdotium solis filiis Aaron mandatum fuerat; non poterant ergo ingredi in Sanctum, ibi ergo non jacebant corpora Nadab & Abiu, sed coram Sancto; ex quo ignis egressus consumpserat eos.

5. *Confestimque pergentes, tulerunt eos sicut jacebant, vestitos lineis tunicis, & ejecerunt foras, ut sibi fuerat imperatum.*

D Ignis ergo ille cælestis nec corpora nec tunicas Nadab & Abiu ambusserat. Hinc Hebræi morem sumpsêre, ut ubi pœna ignis est in lege, plumbum fervens damnato in os funderent, ut notat Grotius. Extra castra asportata sunt cadavera.

Attexamus historiam rebellionis Core, Dathan & Abiron; quos & ignis devoravit suscipientes ponere incensum. Describitur illa rebellio in capite decimo sexto Numerorum.

1. *Ecce autem Core filius Isaar, filii Caath, filii Levi, & Dathan atque Abiron filii Eliab, Hon quoque filius Peleth de filiis Ruben.*

2. *Surrexerunt contra Moysen, aliique filiorum Israël ducenti quinquaginta viri proceres Synagogæ, & qui tempore concilii per nomina vocabantur.*

E Qui e numero Levitarum erant, commovebantur invidiâ in Moysen, quòd Sacerdotium soli Aaroni & filiis ejus commisisset; hoc autem sibi ablatum forsan querebantur Rubenitæ primogeniti Jacob; Sacerdotii enim jus anteà erat penes primogenitos. Conjuncti ergo simul cùm excitassent Israëlem, Moyses, ut par est credere, consuluit Deum de ratione sedandæ rebellionis illius

3. *Cùmque stetissent adversum Moysen & Aaron, dixerunt: sufficiat vobis, quia omnis multitudo Sanctorum est, & in ipsis est Dominus: cur elevamini super populum Domini?*

4. *Quod cùm audisset Moyses, cecidit pronus in faciem.*

5. *Locutusque ad Core & ad omnem multitudinem:*

manè, inquit, notum faciet Dominus, qui ad se pertinent, & sanctos applicabit sibi: & quos elegerit, appropinquabunt ei.

Deo monente, Moyses edixit ut ducenti quinquaginta conjurati singuli sumerent thuribula ad adolendum; quo in munere significaret Deus quos vellet suo adducere ministerio.

6 *Hoc igitur facite: tollat unusquisque thuribula sua, tu Core & omne concilium tuum.*

Sumat quisque vas receptaculum prunarum. Thuribula illa sive vasa habuisse ansas, sive manubria notat R. Salomo; ita multum diversa ab hodiernis thuribulis. *Ils étoient faits comme nos rechaux.*

7. *Et hausto cras igne, ponite desuper thymiama coram Domino: & quemcumque elegerit, ipse erit sanctus.*

Accipientes ignem de altari ingredimini Tabernaculum, ut incendatis thymiama coram Domino; quod si impunè susceperitis, apparebit vos à Domino sanctificatos, sive separatos in ministerium Sacerdotale. Etenim Sacerdotum munus erat adolere. Hi annuentes postulatis Moysis, sequenti die viri ducenti quinquaginta thuribulis instructi ad ostium Tabernaculi cum omni conjuratâ multitudine steterunt, & Aaron seorsim habebat suum thuribulum.

8. *Dixitque rursum ad Core: Recedite filii Levi.*

9 *Num parum vobis est, quòd separavit vos Deus Israël ab omni populo, & junxit sibi, ut serviretis ei in cultu Tabernaculi, & staretis coram frequentia populi, & ministraretis ei.*

Moyses qui mitissimus erat, conatur eos ad pœnitentiam rebellionis adducere.

10. *Idcirco ad se fecit accedere te & omnes fratres tuos filios Levi, ut vobis etiam Sacerdotium vindicetis,*

11. *& omnis globus tuus stet contra Dominum? quid est enim Aaron ut murmuretis contra eum?*

12. *Misit ergo Moyses ut vocaret Dathan & Abiron filios Eliab, qui responderunt non venimus.*

13. *Nunquid parum est tibi quod eduxisti nos de terrâ, quæ lacte & melle manabat ut occideres in deserto, nisi & dominatus fueris nostri?*

14 *Revera induxisti nos in terram quæ fluit rivis lactis & mellis, & dedisti nobis possessiones agrorum & vinearum, an & oculos nostros vis eruere? Non venimus.*

15. *Iratusque Moyses valdè, ait ad Dominum: ne respicias sacrificia eorum: Tu scis quod ne asellum quidem unquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum.*

16 *Dixitque ad Core: Tu & omnis congregatio tua, state seorsum coram Domino & Aaron die crastino separatim.*

17. *Tollite singuli thuribula vestra & ponite super ea incensum offerentes Domino ducenta quinquaginta thuribula. Aaron quoque teneat thuribulum suum.*

Instructi vestris thuribulis appropinquabitis Domino posituri incensum; nempe sinat Deus, & gratum sit munus quod vultis suscipere.

18. *Quod cùm fecissent, stantibus Moyse & Aaron.*

19. *Et coacervassent adversùm eos omnem multitudinem ad ostium Tabernaculi, apparuit cunctis gloria Domini.*

Antequàm inivissent prædictum munus conjurati adhuc cum multitudine stantes ad ostium Tabernaculi, *apparuit gloria Dei.* Deus se præsentem & vindicem rebellonis testatus est: eâ enim ipsâ horâ cùm advocasset Dathan & Abiron, & illi renuissent accedere, admonuit quemque recedere ab illorum tentoriis; & protinus tentoria eorum & vivos illos cum familiâ terra dehiscens absorpsit. Simul & conjurati qui stabant ad Tabernaculi ostium pœnas dedêre.

20. *Locutusque Dominus ad Moysen & Aaron, ait:*

21. *Separamini de medio congregationis hujus, ut eos repentè disperdam*

22. *qui ciciderunt proni in faciem, atque dixerunt: fortissime spirituum universæ carnis, non uno peccante, contra omnes ira tua desaeviet?*

23 *Et ait Dominus ad Moysen:*

24 *Præcipe universo populo ut separetur à tabernaculis Core & Dathan & Abiron.*

25. *Surrexitque Moyses, & abiit ad Dathan & Abiron: & sequentibus cum senioribus Israel*

26. *dixit ad turbam: recedite à tabernaculis hominum impiorum & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.*

27. *Cùmque recessissent a tentoriis eorum per circuitum, Dathan & Abiron stabant in introitu papilionum suorum, cum uxoribus & liberis, omnique frequentiâ.*

28. *Et ait Moyses: in hoc scietis, quòd Dominus miserit me ut facerem universa quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim.*

29. *Si consuetâ hominum morte interierint, & visitaverit eos plagâ, quâ & cæteri visitari solent, non misit me Dominus.*

30 *Sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos, & omnia quæ ad illos pertinent, descenderintque viventes in infernum, scietis quòd blasphemaverint Dominum.*

31 *Confestim igitur ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum:*

32. *& aperiens os suum, devoravit illos cum tabernaculis, & universâ substantiâ eorum.*

33. *Descenderuntque vivi in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis.*

34. *At verò omnis Israel, qui stabat per gyrum, fugit ad clamorem pereuntium, dicens: Ne fortè & nos terra deglutiat.*

35. *Sed & ignis egressus à Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros qui offerebant incensum.*

Intelligendum, qui accingebant se ut offerrent incensum. Stabant ad ostium Tabernaculi. Vix potuissent ingredi simul Sanctum quod longum non erat ultra 20 cubitos sive 400 pollices, latum 10 cubitos, sive 200 pollices. Sic area ejus erat 80000 pollicum; quos si partiaris in 250 oritur pro singulis viris spatium 320 quadratorum pollicum, sufficiens quidem; sed præterquam partem Sancti occupabant supellectilia ejus. Cogitandum hos viros fuisse thuribulo instructos. Quin verisimile est nec tum temporis quo interfecti sunt, intra vela atrii stetisse, sed extra parati statim ingredi, nisi mors eos occupasset. Opinor nec tunc accessisse ad altare, ut inde caperent prunas. Sed ipse ignis egressus ex altari irrupit in eos & combussit.

36 *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:*

37 *Præcipe Eleazaro filio Aaron Sacerdoti, ut tollat thuribula, quæ jacent in incendio & ignem huc illucque dispergat: quoniam sanctificata sunt*

38 *In mortibus peccatorum:*

Illa verba Vulgatæ, quæ exprimunt satis fontem hodiernum *Et ignem huc illucque dispergat* nostram opinionem videntur evertere. Diximus nec accepisse de altari ignem conjuratos eâ horâ quâ interfecti sunt; sed illa verba indicant in thuribulis fuisse ignem. Verùm dici potest, quòd Eleazar jussus sit dissipare tantum ignem incendii; sic sermonem non fieri de igne thuribulorum Græci ibi dicunt πῦρ τὸ ἀλλότριον τοῦτο σπεῖρον ἐκεῖ. *Et ignem alienum sparge.* Ita vox Hebræa זרה duos sensus habet prout nota-

tur diversis punctis: sonat vel *dispergat*, vel *alienum*, quos Græci expressêre. Paraphrastes ibi de ipso incendio, ut videtur, interpretatus est huncce locum, nempe *elongandum* esse ab ostio Tabernaculi ignem incendii ית אשת ירחיק & *ignem elongabit*. Thuribula autem dicuntur sanctificata in mortibus peccatorum, quia illi peccatores qui mortui sunt, ea obtulerunt Domino, ut postea dicitur; & ideo sacra censeri debent. A

38... *Producatque ea in laminas, & affigat altari, eo quòd oblatum sit in eis incensum Domino, & sanctificata sint, ut cernant ea pro signo & monimento filii Israël.*

Et hæc indicant Latinum Interpretem credidisse viros ducentos quinquaginta reipsâ ante mortem incensum posuisse, sed non id dicit codex Hebræus, B qui sic reddi potest, *atque ex iis fiant ducta malleo laminæ; quibus tegatur altare; ea enim* thuribula *obtulerunt coram Domino, & consecrata sunt.* Quod Græci secuti sunt; ideò thuribula consecranda fuêre, quia adducta coram Domino. Istud autem altare non aliud quàm holocaustorum, quod solum populo conspicuum erat, ideòque huic laminæ affixæ in monumentum.

39. *Tulit ergo Eleazar Sacerdos thuribula ænea, in quibus obtulerant hi quos incendium devoravit, & produxit ea in laminas affigens altari:*

40. *Ut haberent postea filii Israël, quibus commonerentur, ne quis accedat alienigena, & qui non est* C *de semine Aaron, ad offerendum incensum Domino, ne patiatur sicut passus est Core & omnis congregatio ejus.*

Ænea illa thuribula ostendunt hocce altare, cui sunt affixa, fuisse altare holocaustorum, quod æneum erat; neque enim aureo altari Moyses inseruisset laminas æneas. Josephus dicit à Moyse deposita reorum thuribula ad altare æneum. Reipsâ fuissent in monumentum conspicuum, sed verisimilius est quod fons Hebræus dicit *extensiones laminarum quibus tegatur altare;* quod & Græci seniores dicunt ποίησον αὐτὰ λεπίδας ἐλατὰς περίθεμα τῷ θυσιαστηρίῳ. *Fac eas laminas ductiles, ad circumponendas eas altari.* Cùm vis ignium subjectas laminas altaris holocaustorum ambureret, sæpiùs aliæ sufficiendæ e- D rant; in quem usum destinata dictorum thuribulorum materia; nempe assumebantur, quoties altare obtegendum erat, novis tabulis æneis: ardens & perpetuus in eo focus erat, ut suo loco dicemus. Pro eo quod habetur in Vulgatâ, *in quibus obtulerunt*, fons habet, *quæ obtulerunt* hi quos devoravit incendium; ὅσοι προσήνεγκαν οἱ κατακεκαυμένοι, ut ibi Græci loquuntur. Acceperant singuli thuribulum ut exercerent Sacerdotii munus; ita illa thuribula sanctificata fuerant, sive separata ab usu communi statim ac Deo fuerant dicata. Quæ in sacro codice sequuntur, non attinent ad hunc locum.

CAPUT V.

De Sancto Sanctorum: de Arcâ, & his quæ in illâ erant: de operculo ejus sive Propitiatorio, & Cherubinis super illam alas expandentibus. Quid essent Cherubim; & undè Deus illis insidens toties visus Prophetis.

SECTIO I.

Sancto Sanctorum repræsentabatur cælum, quod obseratum Christus sanguine suo reseravit. Cujus & typus fuit Arca in quam conversa erat omnis Israëlitarum religio.

Antequam ex Sancto penetremus in Sanctum Sanctorum, aliquantisper gradum sistamus consideraturi dignitatem & sanctitatem loci, & undè utraque huic conciliaretur. Etiamsi tanto apparatu totum Tabernaculum Moyses erexerit, splenduerit illud ubique auro, pretiosis exornatum sit tapetibus, mirâ artis solertiâ omnia in eo fuerint perfecta; attamen si in se spectetur, aut quod quidam suadere volunt, referatur ad Ægyptios, quia quidpiam simile Israëlitæ in Ægypto viderant, Tabernaculum, inquam, cum omnibus quæ continebat, haud dignum erat tum admiratione, tum religione, quâ erga illud Israëlitæ afficiebantur, & affectos voluerat Deus. Etenim nec ipsum Sanctum Sanctorum pars Tabernaculi interior & sacratior tanti erat. Quid enim aliud quàm conclave sive penetrale angustum, longum tantummodo decem cubitis & tot pariter latum & altum, qui non majores sunt sexdecim pedibus Parisinis cum octo pollicibus? Quid ipsa Arca lignea, quæ in hoc loco erat? Eam quidem Moyses obduxerat laminis aureis: continebat tabulas lapideas; quæ si quidem manu Dei exaratæ pretio & honore dignæ erant, sed non ut his soli Deo debitus cultus, saltem tantus exhiberetur. Nam in Sanctum Sanctorum & in Arcam conversa erat omnis Israëlitarum religio. Locus ille angustus appellabatur *Sanctum Sanctorum*: hoc est, reputabatur sacratissimus, sanctissimus; ut non solùm clauderetur prophanis; sed & Israëlitis etiam piis ac mundis. Quin nec patebat omnibus sacerdotibus. Uni summo Sacerdoti licebat, & id semel in anno, intrare in illud, oblato priùs sacrificio. Deus enim sic præceperat in Levitico capite 16. compellans Moysen v. 2. *Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod est intra velum coram Propitiatorio, quo tegitur Arca ut non moriatur.... 3. Nisi hæc antè fecerit, vitulum pro peccato offeret.*

Septem versibus sequentibus describitur illud sa-
E crificium. Ingressus autem in illud summus Pontifex non poterat huc illuc circumferre oculos, & intueri Arcam, inferebat enim secum ignitum thuribulum plenum suffitu; cujus fumo oculi ejus impediebantur; ut supra diximus. Aperta sunt verba Scripturæ, quibus ille ritus describitur in sequentibus versibus dicti capitis 11. *His ritè celebratis, offert vitulum, & rogans pro se & pro domo suâ, immolabit eum. 12. Assumptoque thuribulo, quod de prunis altaris impleverit, & hauriens manu compositum thymiama in incensum, ultra velum intrabit in Sancta: 13. ut positis super ignem aromatibus, nebula eorum & vapor operiat oraculum, quod est supra testimonium & non moriatur.* Finis hujus omnis ritûs erat ut oculi opplerentur fumo, & nihil videre

possent, ut observavit Philo in secundo libro de Monarchiâ; ubi ille cùm dixisset ea quæ erant in Sancto Sanctorum nemini conspicua esse, nisi Pontifici maximo, quasi se se revocans. » Atque huic » ipsi, inquit, cùm quot annis duntaxat semel in- » trare fas sit, non tamen omnia cernere licet. Ete- » nim thuribulum ignitis carbonibus & odoramen- » tis plenum illuc infert. Omnia autem circum cir- » ca tenentur multo fumo, qui ut consentaneum » est, excitatur. Tum verò & visus obtenebratur, » inhibeturque, neque longiùs ferre quit.

Omnibus inconspicua erat Arca. Ubi movebantur castra, & hæc asportanda erat, priùs involvebatur velo quod ante illam oppansum erat. Id præcepit Deus in capite 4. Numerorum. Velum illud deponebant Sacerdotes, expandebant super Arcam, quam idcirco Caathitæ à quibus portabatur, non videbant; ne morerentur; ut ibi dicitur: 18. *Nolite perdere populum Caath de medio Levitarum.* 19. *Sed hoc facite eis, ut vivant & non moriantur, si tetigerint Sancta Sanctorum. Aaron & filii ejus intrabunt, ipsique disponent opera singulorum, & divident quid portare quis debeat.* 20. *Alii nullâ curiositate videant quæ sunt in Sanctuario priusquam involvantur, alioquin morientur.* Hæc pœna contigit Bethsamitis quorum Deus percussit septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis, *eò quod vidissent Arcam*, cùm remissa est à Philistinis, ut narratur in primo libro Regum capite 6. Frustra alia causa quæritur aut fingitur tanti supplicii, quo Deus innocentes, ut nobis videretur, Bethsamitas affecit. Etenim lætabantur visâ Arcâ, quam amiserant ab inimicis raptam. Abarbanel putat septuaginta hos viros qui percussi sunt; & alterum numerum, quinquaginta millia, esse summam omnium tum Israëlitarum, tum Philistinorum qui mortui sunt propter Arcam. Joannes Buxtorfius in tractatu de Arcâ refert varias Rabbinorum opiniones, quorum alii dicunt percussos Bethsamitas quia metere non desierint cùm viderunt Arcam: Alii Arcam aperuerint scrutati curiosè quæ contineret. Non alia causa quærenda præter supradictas Dei minas; quas & Oza expertus est, cùm David Arcam deduceret à domo Aminadab, inclinato enim plaustro in quo erat, extendens manum ad Arcam & tenens eam ne caderet, protinus mortis pœnam subiit, quia scilicet tetigerat Sancta.

Inanis autem non potest censeri religio quam ipse Deus instituerat. Procul omni dubio non prætendebat rebus futilibus velamentum; ut fiebat apud Ethnicos. Quædam templa eorum habebant penetralia, quæ nec licebat sermone attingere; quale fuit templum Triptolemi, de quo loquens Pausanias in Atticis cap. 38. Cùm dixisset circa illud fuisse aream & aram Triptolemo dicatam: » At » quæ intra sacrum parietem, inquit, servantur, » scribere somnio prohibemur. Iis enim qui non ini- » tiati fuerint, non tantùm eorum aspectu interdic- » tum est, verum etiam ne percontari quidem aut » audire fas quicquam est. » In eodem libro (cap. 14.) Pausanias pariter dicit se per somnium visâ quadam specie, deterritum ne sermonem faceret de templo Eleusino.

Non ita est de Tabernaculo quod non occultabatur, ut prorsus lateret, sed ut excitarentur Israëlitæ ad perquirenda & cognoscenda mysteria, quæ Deus indicabat. Non aliter Deus solet loqui in Scripturâ sacrâ de Sanctuario, quàm ut de propriâ sibi domô. Arcæ jussit exhiberi omnes honores, qui præsenti ejus majestati debentur. *Fœderis* appellatur, quia contineret fœdus sancitum ab eo cum Israëlitis; *testimonii* ob tabulas quibus voluntatem suam hominibus testatus fuerat. Insuper dicitur *Arca Domini, Arca Dei Israëlis, Arca fortitudinis Domini, Arca sanctitatis; Gloria Domini, Sanctitas, Sanctitas Sanctitatum.* Quin Arcæ tribuitur nomen magnum *Jehova*; nam sæpiùs *coram Deo* ea esse dicuntur, quæ erant in conspectu Arcæ. Cùm illa incipiebat loco moveri, & quasi proficisci, tunc Moyses canebat *surge Domine*; quando requiescebat, *da quietem Domine, surge Deus & dissipentur inimici.* Ipsi Philistæi cùm audiverunt Arcam advenisse in castra Israëlitarum; de illâ dicebant. *hi sunt Dii qui percusserunt Ægyptum.* De illâ sermo est in Psalmis; cùm canitur: *Ascendit Deus in jubilo. Elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.*

Diximus, & nunquam satis dici potest, Deum erudiisse Hebræos hisce omnibus rebus, significans quid aliquando acturus esset. Emblema, etiamsi eleganter depictum, nullius est pretii, nisi intelligatur finis ejus, nimirum id quod significandum sibi proposuit auctor emblematis. Ita est de omnibus institutis Mosaïcis, quæ emblemata sunt ideò despectui & fastidio obnoxia, cùm ignorantur, quibus significandis erant ordinata. Judæi, etiamsi non intelligerent omnia eorum mysteria, sciebant his adumbrari res magnas, ob quas tantâ veneratione, verbi causâ sanctum locum prosequebantur, ut ultrò vitam amitterent, ne vel visu contaminaretur. Audiendus Josephus ubi narrat quomodo Pompeius expugnaverit Jerosolymam & templum (lib. 15. Antiq. cap. 8) Queritur Josephus tunc subjecta oculis Sanctuaria. » Læsa etiam est, inquit, non mediocriter templi religio, humanis antehac nec » vestigiis penetrati, nec oculis. Introgressus est e- » nim in illud Pompeius, & unà cum eo non pau- » ci alii, & inspexerunt, quæ nefas videre nisi solis » Sacerdotibus » Hoc & fecerat Antiochus Epiphanes. Judæis bello subactis, inquit Diodorus in Eclogis. Εἰσῆλθεν εἰς τὸν ἄδυτον τοῦ Θεοῦ σηκὸν, οὗ νόμιμον εἰσιέναι μόνον τὸν ἱερέα. *Ingressus est inaccessum Dei fanum, quò tamen Sacerdoti tantùm penetrare lege permissum erat.* Tacitus Hist. 5. 9. Romanorum primus Cn. Pompeius *Judæos domuit: templumque jure Victoriæ ingressus est, indè vulgatum nullâ Deum intùs effigie, vacuam sedem & inania arcana.* Hæc meritò dixisset Tacitus, si illa arcana non occultassent quidpiam majoris momenti quàm quod oculis cernebatur. Nemo dicat me comminisci mysteria latitasse sub Tabernaculo Mosaïco, sed ut adstruit Josephus cælum & terram repræsentabat Tabernaculum. *Illud Moyses,* (Antiq. lib. 3. cap. 9.) *trifariam partitus & duabus partibus Sacerdotibus permissis, quasi prophano loco, terram & mare significavit. Hæc etenim ab omnibus pariter calcantur, tertiam verò partem soli Deo adsignavit, eo quòd cælum hominibus sit inaccessibile.* Totus est Philo in hisce explicandis mysteriis quæ latebant sub cortice legis Mosaïcæ, tum etiam recentiores Judæi in suis Midraschim, nempe in Commentariis qui non simplicem, sive literalem sensum explicant; sed occultam doctrinam traditione acceptam, juxta quam loquebatur Paulus in Epistolâ ad Hebræos cap. 9. ubi breviter perstringens quæ erant in Tabernaculo, sic concludit. 6. *His ita compositis, in priori quidem Tabernaculo semper introibant Sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes.* Paulus appellat πρώτην σκηνὴν *prius Tabernaculum* priorem partem Tabernaculi, ut sequentia declarant. 7. *In secundo autem*, id est, in secundâ parte *semel in anno solus Pontifex, non sine sanguine, quem offert pro suâ & populi ignorantiâ.* 8. *Hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse Sanctorum viam, adhuc priore Taber-*

naculo habente ſtatum. Dum prius Tabernaculum A erectum ſtetit. Scilicet docebat Spiritus ſanctus, dum primum Tabernaculum ſubſtitit, nondum viam cæli fuiſſe reſeratam. 9. *Quæ parabola eſt temporis inſtantis : juxta quam munera, & hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt juxta conſcientiam perfectum facere ſervientem, ſolummodò in cibis & in potibus.* Tempus inſtans, eſt tempus præſens; ſed incertum an intelligi debeat de tempore quod Paulo Scriptori Epiſtolæ præſens erat, an ipſi Tabernaculo de quo ſermo. Liquet hæc quæ ſpectant Tabernaculum fuiſſe parabolam, id eſt, ſimilitudinem, quæ aliud quàm quod ingereret oculis, præſignificabat. *Juxta quam* in Græco fonte relativum illud refertur ad tempus, *juxta quod* nempe, tempore quo B ſubſiſtebat Tabernaculum, omnia ſacrificia potuêre quidem carnem emaculare, at non purgare conſcientiam delictis. Quod nec omninò lex poterat. 10. *Et variis baptiſmatibus & juſtitiis carnis uſque ad tempus correctionis impoſitis;* quo nempe nova & melior lex inſtauraretur. 11. *Chriſtus autem aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius Tabernaculum non manufactum, id eſt, non hujus creationis*, id eſt, non humani operis. 12. *Neque per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem, introivit ſemel in Sancta, æternâ redemptione inventa.*

Igitur juxta Apoſtolum Sancto Sanctorum repræſentabatur Cælum, quod fuerat clauſum pecca- C to Adæ. Etenim ille Cæli ſpe exciderat, & poſteri ejus, niſi morte Chriſti poſtea patefactum eſſet; quod ut Deus ſignificaret, præmittebat dictos ritus à Pontifice Aaronico ſervandos; Chriſtus enim futurus erat ſummus Pontifex, cui primo conceſſum eſt Cælum ingredi. Undè in eadem Epiſtolâ concluſerat Apoſtolus cap. 14. *Habentes ergo Pontificem magnum qui penetravit Cælos Jeſum filium Dei....* 16. *Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ ejus &c.* Ibi & fit alluſio ad Arcam, quæ thronus Dei dicebatur. Ultro Judæi Doctores fatentur omnia quæ ſunt Moſaïcæ legis pertinere ad Chriſtum & hunc prænuntiare. Sed nos Chriſtiani ideò clariùs intelligimus quæ prænuntiabantur, D quia ea in Chriſto videmus completa. In Arcâ ſermo Dei olim concluſus fuerat, ut poſtea ſermo, ſive Verbum Dei in arcâ carnis ſuæ fuit. Idcirco omnem Moſaïcam religionem decuit eſſe converſam in Arcam, & huic omnes honores deferri; ſi quidem finis ejus Chriſtus. Arca habuit Propitiatorium. Ipſe autem Chriſtus fuit propitiatio noſtra. Thronus gratiæ dicebatur Arca; de plenitudine gratiæ quæ eſt in Chriſto nos omnes accepimus. Ex Propitiatorio Deus Judæos compellabat; noviſſimè nobis locutus eſt in filio ſuo. Arca erat gloria Dei; de Chriſto dicit Evangeliſta. *Et vidimus gloriam ejus quaſi unigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis.* His tamen ſi fidem facimus Spencero, « ſæ- E « culi ruditas & religio longo gentium uſu confir- « mata, originem dedit. Quum enim Ægyptiis, a- « liiſque gentibus in more fuerit, Deorum imagi- « nes, aut eorum ſymbola, in thenſis ναΐσκοις, aut « tentoriis, collocata circumferre: vel ut eos hono- « re ſingulari colerent, vel ut eos haberent indivi- « duos viarum & periculorum ſuorum comites: « quumque morem illum tollere non ita promptum « eſſet, hinc Deo viſum fuit ad ſæculi morem & « modulum ſe demittere, in Tabernaculo habitare, « Tabernaculum etiam miniſtris ſuis circumferen- « dum tradere. » Ego verò Tabernaculum, & quæ hujus erant non habeo pro imitamentis falſæ religionis; ſed magnis & divinis myſteriis plena.

SECTIO II.

Arcæ dimenſiones, materia & forma.

IN Arcâ repoſuerat Moyſes Dei juſſu ſibi traditas ab eo legis tabulas. Has ſervare præcipuus ejus uſus. Teſtimonium erant fœderis inter Deum & Iſraëlitas initi; undè dicebatur Arca & teſtimonii & fœderis; quia teſtabantur quæ fuiſſet Dei voluntas cùm inivit fœdus cum Iſraëlitis. Joannes Clericus obſervat in templis Idolorum arcas deſerviſſe myſteriis; undè cum Spencero quem ducem ſequitur, deducit, Deum ideò juſſiſſe Arcam conflari, quia aptabat legem ſuam moribus & conſuetudinibus receptis. « Deus qui, idem eſt heri atque hodie, eo- « dem modo coli illo tempore ſe voluit, ac poſtea « juſſit. Verùm cùm in plurimis deſcenderit ad ab- « jectos & humiles Iſraëlitarum animos propter eo- « rum σκληροκαρδίαν, in hac quoque re receptis ritibus « eos uti paſſus eſt, ut in cæteris omnibus, in qui- « bus nulla naturalis honeſtas, nihil ſpiritali numi- « ne dignum, nihil mortalibus proficuum depre- « henditur. « ſed digniora Deo cogitamus cùm in Moſaicis ritibus intuemur Chriſtum. Tanta res eſt Deum fieri hominem, ut neceſſariò præcedere debuerit magnus apparatus, ex quo intelligeretur. Arca fuit præcipua pars hujus apparatûs; quippe ſymbolum quo ſignificabatur incarnatio Verbi divini; quod aliquando latitaret intra corpus ex beatâ Virgine ſuſceptum. Multâ ergo curâ & ſumptu non mediocri paranda erat Arca, tantæ rei typus; & ipſa thronus Dei, qui in eâ ſe præſentem conſpicuis ſignis dabat, ut ipſe re præſentiſſimus fuit, quando Verbum caro factum eſt.

Arcam conflandam præſcribit Deus in Exodo cap 25.

10. *Arcam de lignis ſetim compingite, cujus longitudo habeat duos & ſemis cubitos : latitudo cubitum & dimidium : altitudo cubitum ſimiliter ac ſemiſſem.*

Volunt Judæi diverſas eſſe cedrorum ſpecies & inter illas unam præcipuam, quæ *ſetim* dicatur; de quâ ſic B. Hieronymus loquitur ad caput tertium Joëlis. *Cæterùm*, inquit ille, *nulli dubium eſt omnia quæ in Tabernaculo Dei legimus, de lignis ſetim fuiſſe perfecta, quæ LXX. interpretati ſunt ligna imputribilia. Eſt autem genus arboris in eremo, ſpinæ albæ ſimile, colore & foliis, non magnitudine. Alioquin tam grandes arbores ſunt, ut latiſſima ex illis tabulata cædantur : lignumque fortiſſimum eſt, & incredibilis levitatis ac pulcritudinis, ita ut ex his etiam vaſa torcularium, quæ ἄροτρας ϗ θηλύας vocant, ditiſſimi quique & ſtudioſiſſimi faciant, quæ ligna in locis cultis, & in Romano ſolo, abſque Arabiæ ſolitudine non inveniuntur.* Menſuræ quas Scriptura aſſignat Arcæ nihil obſcuritatis habent; nec diſſentit Joſephus faciens eam longam πέντε σπιθαμῶν. Spithama enim eſt dimidium cubiti. Arca itaque longa erat quatuor pedibus noſtratibus cum pollicibus duobus, lata duobus pedibus cum ſemipede, & paris menſuræ erat altitudo ejus.

11. *Et deaurabis eam auro mundiſſimo intùs & foris : facieſque ſuprà coronam auream per circuitum.*

Laminis aureis interiores & exteriores partes Arcæ fuêre inducendæ. Præterea illa fuit exornanda limbo, & coronâ: In fonte facies זר *zer*. De hujus vocis ſignificatione jam diſſeruimus: Græcis Bibliorum interpretibus redditur aliquando κυμάτιον ut vidimus, aliquando στέφανη *corona* aut *coronamentum*. Buxtorfius vult verbum זרה à quo זר origi-

nem suam ducit, non solùm idem sonare quod Latinis *ventilavit*, *sparsit*, *dispersit*, sed & quod *cinxit*; ut *zer* haberi possit pro coronamento quod labiis Arcæ circumductum erat, ut simul emineret supernè, & impositi operculi crassitudinem cingeret.

12. *Et quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor Arcæ angulos: duo circuli sint in latere uno, & duo in altero.*

His circulis immittendi erant vectes, quibus Arca portaretur, quando movebantur castra. Locus circulorum, sive annulorum fuêre partes illæ quæ in fonte appellantur פעמתיו *paamothau* Vox פעמים significat *ingressum*, *vices*, *pedes*; undè Rabbini quidam subjiciunt pedes Arcæ. Alii dictos circulos locant in infimâ parte, & quasi in Arcæ pedibus. In fonte non est פעמים sed פעמתיו *paamothau* quod nomen juxta Kimchium significat angulos; & in eâ significatione Chaldæus Paraphrastes accipit; nisi quis dicat illi & nostro Vulgato Interpreti lectum פנותיו *pinothau*. Convenit inter omnes de significatu פנה pro angulis. Nempe annuli erant in angulis adhærentes Arcæ lateribus. Latera autem intelligo illos duos ejus parietes, qui erant secundùm longitudinem. Duo alii parietes dicuntur extremitas. Habeo auctorem Josephum. *Secundùm longiorem parietem*, inquit, *appositi sunt annuli aurei.*

13. *Facies quoque vectes de lignis setim, & operies eos auro.*

14. *Inducesque per circulos qui sunt in Arcæ lateribus, ut portetur in eis.*

15. *Qui semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis.*

Buxtorfius dicit vectes illos statui à Judæis decem cubitis longos. Cur præceperit Deus ab Arcâ nunquam removeri vectes quærit Abarbanel; & hanc causam reddit. » Sacerdotes, inquit, immittebant humeros suos sub vectes illos, & hoc modo portabant Arcam, ut non opus haberent manibus suis eam contingere, ac proinde Arca ab ipsis sic gestata fuit super humeros ipsorum; quia vectes fuerunt in annulis qui erant in pedibus Arcæ, & Sacerdotes illis vectibus humeros suos submittentes, Arcam elevabant sursum. Et quia annuli erant propter vectes, & vectes ideò ne Arcam ipsam tangerent; ideò necesse fuit præcipere, ne vectes ex annulis unquam recederent. Hæc nominatus Judæus quem his verbis inducit loquentem Buxtorfius in historiâ Arcæ capite octavo.

Quæritur quomodo cum præsenti præcepto de non educendis vectibus ex annulis, concilietur quod in Numeris legimus cap. 4. 5. *Ingredientur Aaron & filii ejus, quando movenda sunt castra.* .. 6..... *& inducent vectes.* In fonte *& ponent vectes ejus.* Aben Esra dicit id intelligendum, quòd tunc humeris suis vectes imponere debuerint filii Aaron. Rabbi Moses Bar Nachman aptandos non inducendos vectes, ut portari posset Arca. Verbum שום quod ibi usurpatur, non rarò sonat *componere.* Vectes autem erant componendi, aptandi intra velamina, quibus Arca ita operiebatur portanda, ut nec videri oculis nec manibus attingi posset.

Ut hocce articulo complectar quæ dictos vectes spectant, proferam quod de illis innuitur in tertio Regum capite 8. sic extra Sanctum Sanctorum prolongatos, ut capita eorum viderentur è Sanctuario. v. 8. *Cùmque eminerent vectes & apparerent summitates eorum foris Sanctuarium ante Oraculum, non apparebant ultrà extrinsecùs, qui & fuerunt ibi usque in præsentem diem.* Locus ille implexus est. Fons sic reddi potest. *Et prolongaverunt* sive ordinaverunt *vectes* eo modo *ut apparerent principia vectium à Sancto*, id est, versùs Sanctum *coram Oraculo*, sic appellatur Sanctum Sanctorum, *& non apparebant extra*, tamen illi vectes non videbantur esse extra nempe Sanctum Sanctorum. Postrema verba sonant: *& non videbantur* extra: quod non solùm de vectibus sed de Arcâ & Cherubim intelligi potest; quasi dictum fuerit: capita quidem vectium apparebant, sed non cætera quæ erant in adyto. Ergo Arca paulò remotior erat ab occidentali pariete; ita ut quando prolongarentur vectes sive extraherentur, tunc capita eorum conspicerentur è Sanctuario; vel quia propellebant velum quod oppendebatur portæ, sicut ubera mulierum licet velo tegantur, tumore suo se produnt; vel velamento portæ rejecto tunc apparebant, quod contingebat festo die expiationis in quo summus Pontifex intrabat in Sanctum Sanctorum deductus, ut sentit Isaac Abarbanel, inter duos prolongatos vectes usque ad Arcam, ut non circumvagaretur hinc & indè. Igitur latera, sive longitudo Arcæ respondebat lateribus boreali & australi Arcæ. Quod autem jusserat Deus faciendum in capite 25. Exodi, factum narratur in capite 37.

1. *Fecit autem Beseleel & Arcam de lignis setim, habentem duos semis cubitos in longitudine, & cubitum ac semissem in latitudine, altitudo quoque unius cubiti fuit & dimidii: vestivitque eam auro purissimo intus ac foris.*

2. *Et fecit illi coronam auream per gyrum.*

3. *Conflans quatuor annulos aureos per quatuor angulos ejus: duos annulos in latere uno, & duos in altero.*

4. *Vectes quoque fecit de lignis setim, quos vestivit auro,*

5. *& quos misit in annulos, qui erant in lateribus Arcæ ad portandum eam.*

Hisce lineis, quas Lector vides, Arca solet repræsentari, quas nemo nisi temerè possit negare aut adstruere veras. Sunt qui in arcu Titi inveniunt formam Arcæ expressam; sed multùm hallucinantur; arcus enim non alia exhibet quàm ea ipsa quæ in templo Hierosolymitano erant, cùm Titus urbem expugnavit; tunc temporis autem Arca non extabat; nec extiterat in templo secundo; paulò ante captivitatem per Jeremiam abscondita, ex quibus latebris posteà non emersit, ut dicemus suo loco.

SECTIO III.

De tabulis fœderis quas continebat Arca; de urnâ mannæ, de virgâ Aaronis, quæ fronduerat. Tum de libro legis; quæ omnia quidam concludunt intra Arcam: alii præter tabulas, omnia rectiùs excludunt.

PRius quàm differamus de Arcæ operculo prosequentes caput Exodi 37. videamus quæ intra se recondiderit. Jusserat Deus in eâ reponi tabulas fœderis, ut dicitur ejusdem Exodi capite 25. *Ponesque in Arcâ testificationem quam dabo tibi.* Nempe duas tabulas legis, quæ erant testes, sive testimonia perhibentes fœderis, quod Deus inierat cum Israëlitis. Quærunt Rabbini quid contigerit tabulis quas Moyses fregit. Quidam ex illis duas arcas fingunt, alteram quam Moyses, alteram quam Beseleel confecerit: in illâ fuisse duas tabulas legis, in hac virgam Aaronis quæ floruerat, vas plenum mannâ, & librum legis. « Invenimus dissensionem in verbis Rabbinorum nostrorum benedictæ memoriæ « circa hanc rem. Loquitur Kimchius in Commen- «

» tario ad 1. librum Samüelis cap. 4. Quidam ex
» illis dicunt, quod tabulæ & fracturæ tabularum
» positæ fuerint in Arcâ unâ & liber legis cum ipsis. Nec Scriptura, nec Philo, nec Josephus mentionem usquam faciunt duplicis Arcæ. Decet similes ineptias negligere, in quibus enarrandis Buxtorfius filius diligentissimus est in historiâ Arcæ. Huc pertinet locus Deuteronomii cap. 10. parallelus.

1. *In tempore illo dixit Dominus ad me: dola tibi duas tabulas lapideas, sicut priores fuerunt, & ascende ad me in montem: faciesque Arcam ligneam,*

2. *& scribam in tabulis verba quæ fuerunt in his quas ante confregisti, ponesque eas in Arcâ.*

Moyses duo præcepta, diversis data temporibus connectit quia ex se connectenda. Nam jussus fuerat facere Arcam, antequàm Deus de tabulis loqueretur. Qui fractas tabulas volunt in speciali Arcâ reconditas his innituntur: *ponesque eas in Arcâ*; in fonte est שמתם quod verbum est in præterito, unde interpretantur *& posuisti eas in Arcâ.* Quæ interpretatio si verior esset, clarè ipse Deus declararet Moysen sicut confregisse priores tabulas, sic & illas, nempe fracturas earum posuisse in Arcâ. Sed quoniam præcedit *vau*, ut loquuntur Hebræi, *conversivum*, rectior est interpretatio Vulgatæ rem de futuro intelligendam præbens. Verbum in præterito habet vim futuri præcedente *vau* conversivo, ut convenit inter Grammaticos.

3. *Feci igitur Arcam de lignis setim. Cùmque dolassem duas tabulas lapideas instar priorum, ascendi in montem, habens eas in manibus.*

4. *Scripsitque in tabulis, juxta id quod priùs scripserat, verba decem, quæ locutus est Dominus ad vos in monte de medio ignis quando populus congregatus est: & dedit eas mihi.*

Lex Dei appellatur verbum Dei, quod intra Arcam delituit; ut Verbum Dei vivum in carne Christi; quam carnem sic adumbrabat Arca.

5. *Reversusque de monte, descendi & posui tabulas in Arcam, quam feceram, quæ huc usque ibi sunt, sicut mihi præcepit Dominus.*

Alia ergo, inquiunt Rabbini, est Arca, quam à se factam dicit Moyses, & in quâ posuerat tabulas; alia, quam fecerat Beseleel; quasi verò, quod ille artifex fecit ex imperio Moysis, non possit censeri factum ab hoc legislatore. Dum autem enumeramus quæ in Arcâ erant, intra eam vel juxta eam, non prætermittendum vas plenum mannâ quod coram Domino positum est, ut dicitur in Exodo capite 16.

32. *Dixit autem Moyses: ille est sermo, quem præcepit Dominus: imple gomor ex eo, & custodiatur in futuras retrò generationes ut noverint panem quo alui vos in solitudine, quando educti estis de terrâ Ægypti.* Ad perpetuam insignis miraculi memoriam.

33. *Dixitque Moyses ad Aaron, sume vas unum, & mitte ibi man, quantùm potest capere gomor, & repone coram Domino ad servandum in generationes vestras.*

In fonte dicitur ponendum illud vas *coram Domino*, id est, coram Arcâ, quæ & nomine Dei designatur.

34. *Sicut præcepit Dominus Moysi. Posuitque illud Aaron in Tabernaculo reservandum.*

In fonte *coram testimonio*; quod Græci secuti sunt Græci illud vas faciunt aureum: λάβε στάμνον χρυσοῦν ἕνα, *Sume urneam auream unam.* Quod & facit auctor Epistolæ ad Hebræos cap. 9. v. 3. & hanc collocat in eâ parte Tabernaculi, quæ dicebatur Sancta Sanctorum, & ideò coram testimonio, id

A est, *coram Arcâ.*

Sacer Historicus referens urnam positam ab Aarone in Tabernaculo, aut coram testimonio, non servat ordinem temporis; cùm enim manna cœpit pluere, nondum Tabernaculum erectum fuerat; ideò præceptum Dei tunc temporis non potest censeri datum, sed cum illo Moyses conjunxit narratione suâ tempus quo impletum est.

Quæ fuerit forma urnæ aureæ quæritur. Appellatur in fonte צנצנת *tsintseneth*, quæ vox est ἐκ ἅπαξ λεγομένων, *ex semel dictis.* Igitur incerta esset ejus significatio, nisi Græci interpretati essent ἡ στάμνος, quod sequitur auctor Epistolæ ad Hebræos. Ab Hesychio autem nomen Græcum exponitur *urna, hydria.* Pollux numerat illud inter vasa vinaria, &
B habet pro amphorâ: quibus non solùm vinum recondebatur, sed & frumentum, & alia, ut Adrianus Relandus multis apertis testimoniis in dissertatione suâ de nummis Samariticis evincit. Itaque urna quâ absconditum est manna, erat amphora dicta Græcis στάμνος, ut sentiunt viri docti à στάω, *quia stat.* Habebat duas ansas quibus arripiebatur, quibus non eguisset si perinde ac dolia potuisset volvi. Amphoram ansatam, sive *diotam*, sive duas aures habentem exhibet unus ex illis Samariticis nummis Relandi; & tectam operculo; quo non carebant amphoræ, ut ab Homero discimus in Odys. 2. ubi Telemachus sic Eurialem alloquitur.

C Μαῖ' ἄγε δή μοι οἶνον ἐν ἀμφιφορεῦσιν ἄρυσσον.
Nutrix age mihi vinum in amphoris hauri.

Et mox.

Δώδεκα δ' ἔμπλησον καὶ πώμασιν ἄρσον ἅπαντας.
Duodecim verò imple, & operculis apta omnia.

Ita nullus est dubitandi locus, quin in illo nummo, quem ex Relando tibi exhibemus, repræsentetur ἡ στάμνος urna aurea Exodi. *Ipsa elegantia forma ostendit vas fuisse ad ornatum compositum, & dignum quod inter alia sacrarii illius sive intimi penetralis divini ornamenta, quæ summâ arte & industriâ erant facta, locum haberet. Quod desuper tectum sit operimento, aliquid eo contineri indicare*
D *videtur, quod pretiosum sit* κειμήλιον. Verba sunt Relandi; qui advertit optimâ ratione factum ab Hebræis ut exprimerent suis numismatibus vas illud, cùm enim aliæ gentes Deos aut genios suarum urbium tutelares, vel sacra quædam vasa nummis suis solerent imprimere; religiosè & sapienter extare voluerunt in suis nummis indicium manifestum divinæ curæ, quam pro illis provida numinis sapientia gesserat, pascens eos per quadraginta annos cælesti cibo. Nec minimum hoc erat gloriæ argumentum, se illum Deum colere, qui majoribus suis, omni alimento destitutis, cælitùs cibum dimittere dignatus esset.

Plures quidem viri eruditi urnam mannæ desuper apertam fuisse contendunt, eâ ratione inducti,
E inquit Relandus, quòd ita depingatur juxta illorum opinionem in nummis quibusdam, quos Villalpandus exhibet in apparatu ad paginam 378. Calix est apertus, semiplenus, in cujus concavitatem oculi pertingunt; si igitur continuisset mannam, & qui cuderunt hunc nummum, voluissent exprimere urnam Mosaicam, aliquam certè ejus portionem oculis conspiciendam dedissent, eò faciliùs, quod vas apertum sit. Quid verò calix ille apertus in nummo Villalpandino, quem pariter vides, Lector, ob oculos tuos; explicent, qui de nummis Samariticis disserunt. Inscriptiones sunt exaratæ Samariticis litteris litteris in utroque nummo. In illo in quo est amphora tecta, inscriptio est *senoth sa-*

licha, id est, anno tertio; & in alterâ parte *lecharrus Sion*, id est, libertatis Sion: nempe cusus erat anno tertio recuperatæ libertatis Sion. In nummo aperti calicis legitur *le galoth Sion*, id est libertatis Sion *schenoth harba*, anno quarto. Temporibus Machabæorum utebantur Hebræi hac ærâ ab anno, quo soluti fuerant jugo Græcorum. Non est de instituto diligentiùs agere de hisce nummis Samariticis, de quibus eruditè Adrianus Relandus disseruit. Adjungam tantùm mihi videri quòd Joannes in Apocalypsi cap. 2. 17 alludat ad urnam mannæ, cùm dicit *vincenti dabo manna absconditum* τῷ νικῶντι δώσω αὐτῷ φαγεῖν ἀπὸ τοῦ μάννα τοῦ κεκρυμμένου. Manifesta est allusio si manna repositum fuit in vase tecto, verè enim absconditum erat. Promittit Deus vincentibus eos pascendos vero manna, quale fuerat suavissimum, quod ex jussu Dei absconditum est in Sancto Sanctorum.

Pariter & jusserat Deus ut in Tabernaculo servaretur virga Aaronis quæ floruerat, & produxerat amygdalas, in testimonium adsignati generi Aaronico Sacerdotii. Voluit Deus tanti miraculi memoriam perpetuam esse. Hanc virgam viri docti agnoscunt expressam in nummis Samariticis; miraculum autem enarratur in capite 17. Numerorum. quod ergo exscribendum nobis est.

1. *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens:*

2. *Loquere ad filios Israël, & accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas, à cunctis principibus tribuum, virgas duodecim, & uniuscujusque nomen superscribes virgæ suæ.*

3. *Nomen autem Aaron erit in tribu Levi, & una virga cunctas seorsum familias continebit.*

4. *Ponesque eas in Tabernaculo fœderis coram testimonio, ubi loquar ad te.*

5. *Quem ex his elegero, germinabit virga ejus: & cohibebo à me querimonias filiorum Israel, quibus contra vos murmurant.*

Moyses ibi alloquitur Aaronem & filios ejus, contra quos murmurabant Israëlitæ quasi sibi Sacerdotii dignitatem arrogassent.

6. *Locutusque est Moyses ad filios Israël: & dederunt ei omnes Principes virgas per singulas tribus: fueruntque virgæ duodecim absque virga Aaron.*

7. *Quas cùm posuisset Moyses coram Domino in Tabernaculo testimonii:*

8. *Sequenti die regressus invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.*

Qui sentiunt virgam Aaronicam quæ floruit eandem esse cum baculo Moysis, quo tot opera prodigiosa præstitit; non advertunt, quia mirum non fuisset eam virgam, tot miris rebus patratis inclytam, efflorescere, licet aliæ virgæ ordinariæ nullam mutationem paterentur. Debebant omnes virgæ esse conditionis paris, ut Deus ipse ex eis unam indicaret, quam præ reliquis Sacerdotio dignaretur. Hanc nonnulli putant virorem suum perdidisse lapsu temporis, alii verò conservasse, quandiu in Sancto Sanctorum fuit; scilicet usque dum Arca fuit abscondita regnante Joha: nam cum illa virgam hanc & oleum unctionis & amphoram mannæ absconditam ferunt Judæi, inquit Relandus, in Antiquitatibus sacris rerum Hebraïcarum.

9. *Protulit ergo Moyses omnes virgas de conspectu Domini ad cunctos filios Israël; videruntque, & receperunt singuli virgas suas.*

10. *Dixitque Dominus ad Moysen: refer virgam Aaron in Tabernaculum testimonii, ut servetur ibi in signum rebellium filiorum Israël, & quiescant*

A *querelæ eorum à me, ne moriantur.*

11. *Fecitque Moyses sicut præceperat Deus.*

Ibi nulla est mentio Arcæ; attamen Abarbanel dicit Interpretes Judæos sentire virgam istam cum urnâ mannæ fuisse conclusam in ipsâ Arcâ. Contra Abarbanelem contendit Buxtorfius, unum Rabbi Levi filium Gersonis allegari posse pro istâ sententiâ. Communior opinio Judæorum est manna cum virgâ Aaronis positum fuisse in scriniolo aliquo, quod esset Arcæ connexum. *Lapis fuit in Sancto Sanctorum*, ait Maimonides in tractatu de Domo electâ, *in parte occidentali, cui imposita fuit Arca, & ante eam, urna mannæ, & virga Aaronis.*

B Certum pariter est in aliquo loco intra Sanctum Sanctorum, & servatum librum legis ex præcepto Dei quod legitur in Deuteronomio cap. 31.

24. *Postquam ergo scripsit Moyses verba legis hujus in volumine atque complevit;*

25. *præcepit Levitis qui portabant Arcam fœderis Domini, dicens:*

26. *Tollite librum istum, & ponite eum in latere Arcæ fœderis Domini Dei vestri: ut sit ibi contra te in testimonium.*

Non ergo liber ille fuit in ipsâ Arcâ conclusus. Utrùm autem totam complecteretur legem, quinque ejus videlicet volumina, an solum Deuteronomium nimirum partem quam modò recitaverat Moyses, non liquet; C attamen Talmudici sentiunt totius legis volumen reconditum intra ipsam Arcam. Maimonides in præfatione magni operis sui quod inscripsit *Jad* sive *manus*, asserit Moysen manu propriâ totam legem scripsisse antequàm moreretur, & unicuique tribui dedisse exemplar, & insuper unum aliud reponendum in Arcâ. Ille igitur cum Judæis, quod dicitur *in latere Arcæ*, intelligit de latere interiori. Verisimile magis accipiendum de exteriori, sicut quod legitur in primo Regum cap. 6. v. 8. Philistæos posuisse vasa aurea in capsellâ ad latus Arcæ quam plaustro imposuerant; qui non ausi fuissent Arcam recludere, & huic quidpiam alienum intromittere. Judæi qui librum legis recondunt in Arcâ afferunt in argumentum inventum D ab Helciâ Prophetâ librum legis, qui hactenus delituerat. Ubi delituisset, inquiunt, nisi intra ipsam Arcam? Sed in quarto Regum ubi res ista describitur cap. 28 v. 8. non indicatur locus in quo repertus est, an intra vel extra Arcam, sed in genere in domo Domini; videlicet in capsâ asservatus, in loco quodam inusitato, cùm fissuras templi repararet Helcias; undè quasi inventâ ex inopinato prædâ lætatus est. Quo autem casu fieri potuit ut Deuteronomii liber qui servaretur in Sancto Sanctorum evanuerit. Sic factum puto. Præceptum erat ut indè educeretur & traderetur Principi ad scribendum. Deus in eodem libro capite 22. ubi futurum Regem monitis suis instruit, v. 18. *Post-* E *quam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribûs.* 19. *Et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ.* Exemplar quod erat in Sancto Sanctorum forsan traditum fuerat cuipiam Regi, illudque negligentiâ & oblivione in proprium locum cùm Ministri non reposuissent, ignoratum potuit tandiu latere. Ista omnia urnam mannæ, virgam Aaronis, & librum legis, liber tertius Regum liquidis verbis ab Arcâ excludit. Capite 8.

9 *In Arcâ autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in eâ Moyses in Horeb quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israël, cùmque egrederentur de terrâ Ægypti.*

Eadem

Eadem iteratur assertio in secundo Paralipomenorum cap. 5. A

10. *Nihilque erat aliud in Arcâ, nisi duæ tabulæ quas posuerat Moyses in Horeb, quando legem dedit Dominus filiis Israel egredientibus ex Ægypto.*

Sola difficultas est in conciliando scriptore Epistolæ ad Hebræos cum eo à quo scripti sunt libri Regum & Paralipomenorum. Etenim scriptor Epistolæ videtur contrariam sententiam statuere capite 9. 3. *Post velamentum autem secundum, Tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum.* Pars indicatur secunda Tabernaculi, quæ dicebatur Sanctum Sanctorum. 4. *Aureum habens thuribulum & Arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in quâ urna aurea habens manna, virga Aaronis quæ fronduerat, & tabulæ testamenti.* B Multa dicunt Interpretes ut sacros scriptores concilient, alii illud *in quâ* ἐν ᾗ referunt non ad proximam vocem τὴν κιβωτὸν, Arcam, sed ad remotiorem τὴν σκηνὴν; ut solum indicare voluerit auctor Epistolæ urnam mannæ & virgam Aaronis fuisse ἐν τῇ σκηνῇ *in Tabernaculo.* Vulgatus Interpres id de Arca dictum accepit; etenim cum σκηνὴν reddidisset *Tabernaculum*, dixisset non *in quâ*, sed *in quo.* Ipse vero Apostolus immediatè subjungens ὑπεράνω δὲ αὐτῆς superque eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia Propitiatorium omnia refert ad Arcam, quam Cherubim obumbrabant, Sunt qui velint Apostolum intueri hocce tempus in quo Arca non re- C quiescebat, sed cum Tabernaculo deferebatur per desertum. Tunc, inquiunt, Arca non solas tabulas continebat, sed & cætera, quæ ubi ædificatum est templum à Salomone, & laxiora loca parata sunt, solæ remanserunt in Arcâ tabulæ, quod adstruit scriptor tertii Regum. Tandem quæ sit ratio conciliandi duo loca Scripturarum quæ sibi videntur adversari? Animadvertimus apud Hebræos non esse numero plures particulas, quæ præpositionum vice fungantur; quarum ergo laxior est significatio. Littera ב *beth* servilis usurpatur pro his præpositionibus Latinis *in, intra, cum;* & pro Græcis ejusdem significationis. Quæ cùm ita sint, illud ἐν ᾗ D non astringimur reddere *in quâ* vel *intra quam*, sed licet interpretari *cum quâ;* ut sensus sit loci circa quem moramur, fuisse in Sancto Sanctorum cum ipsâ Arcâ vas aureum mannæ & virgam Aaronis. Quoad thuribulum, quod memoratur in Sancto Sanctorum, aliis videtur altare aureum, quod quidem erat coram Arcâ, alii illud habent, ut diximus, pro illo thuribulo quod singulis annis in Sanctum Sanctorum inducebatur à summo Sacerdote, & per totum annum ibi remanebat, donec inducto novo vetus aufferretur. Buxtorfius prolatis testimoniis ex codicibus Judæorum id evincit; observat autem quod cùm cæteris diebus Sacerdotes suffitum facturi, sumerent prunas ex altari in thuri- E bulo argenteo, deinde evacuarent in thuribulum aureum, in festo expiationis summus Sacerdos thuribulo aureo exceperit prunas, & eas retinuerit in illo; quapropter de ea dictum quòd servaretur in loco cui inserviret.

SECTIO IV.

De Arcæ operculo, sive Propitiatorio; & Cherubinis, quorum alis expansis illa protegebatur. Nominis Cherubim *origo & rei significatæ forma.*

QUæ supersunt exponenda de Arcâ majoribus involuta sunt difficultatibus. Operculum ejus illam & magna mysteria tegebat quæ patefacienda & confirmanda sunt argumentis, ne adversarii illa

A cum Spencero reputent meras nugas. Ille enim inquit, « creditu magis pronum est, Deum Israëlitis aureos Cherubinos, Arcam etiam cedro & auro plurimo illustrem concessisse, ne prava æmulatio pungeret eorum animos, quum viderent Ethnicorum imagines, cistas & sacra alia ubique splendescere, & pueriles eorum animi cultu simplici, & infra superstitionis Ethnicæ pompam subsidente, offenderentur. » Hanc Spenceri sententiam postea, ut cæpi, impugnabo; sed pergamus exponere caput 25. Exodi. Deus alloquitur Moysen, & absolvit mandatum de formâ & mensuris Arcæ.

17. *Facies & Propitiatorium de auro mundissimo: duos cubitos & dimidium tenebit longitudo ejus &* B *cubitum ac semissem latitudo.*

Ibi sermo est de operculo Arcæ; quod Vulgatus Interpres appellat Propitiatorium, exprimens unam ex significationibus vocis Hebreæ כפרת *chaphoreth*, quæ derivatur à verbo כפר, quod pro diversâ conjugatione in quâ flectitur, significat vel *operire*, vel *expiare.* In conjugatione *Kal* sonat *operire*, in conjugatione *Piel propitium facere.* Ita nomen *chaphoreth* reddi potest & *operculum*, & *propitiatorium.* Duas significationes exhibent LXX. in suâ versione. ποιήσεις ἱλαστήριον ἐπίθεμα, *facies Propitiatorium, operculum.* Philo libro tertio de vitâ Mosis dicit ἐπίθεμα operculum Arcæ appellari Propitiatorium in sacris litteris λεγόμενον ἐν ἱεραῖς βίβλοις ἱλαστήριον C Paulus in Epistolâ ad Hebræos cap 9. v. 5. eadem appellatione utitur. *Superque eam* Arcam *erant Cherubim gloriæ obumbrantia Propitiatorium.* κατασκιάζοντα τὸ ἱλαστήριον. Addit Apostolus, *de quibus non est modò dicendum per singula.* Innuens his inesse mysteria. Cùm autem loquens de Arcæ operculo, vocem ἱλαστήριον usurpaverit, cur eâ uti Joannes Clericus refugiat, non video. *Simpliciter operculum maluimus vertere*, ait Joannes Clericus, aspernatus quod dici solet operculum, illud dictum Propitiatorium, quòd in eo Deus propitius appareret. *Hoc nusquam in Scripturâ docemur*, inquit. Sed ut modò videbimus, ipse Deus promittit Moysi fore ut eum allocuturus esset de operculo Arcæ de medio D Cherubinorum, quorum alis protegebatur Arca. Ergo cùm ex hoc operculo vox Dei audiretur, quâ se placatum vel placandum significaret, meritò dictum est ἱλαστήριον *Propitiatorium.* Paris mensuræ erat cum Arcâ, ut huic congrueret. Crassities autem ejus nec materia memorantur. Abarbanel apud Buxtorfium, facit illud solidum ex auro *Quia*, inquit, *aurum Propitiatorii fuit corpus plenum, solidum, non concavum interius, ex frusto seu unâ massâ constans, quam malleo tandiu tondebant, donec effingerent Propitiatorium & Cherubinos.* Philo in libro tertio de vitâ Moysis, opinionem, ut videtur, Judæorum refert, qui ideò opinabantur hocce operculum fuisse quasi superficiem mathematicam, E quia crassities ejus non indicaretur. *Ejus operculi proditur longitudo latitudoque, altitudo non item, ut simile sit superficiei geometricæ.* Ἐπιφανείᾳ γεωμετρικῇ μάλιστ' ἐξομοιούμενον. *Cujus interpretatio* operculi, subjungit Philo, *si ad naturam applicetur, intelligi potest propitia Dei potentia* σύμβολον, φυσικώτερον μὲν τῆς ἵλεω τοῦ Θεοῦ δυνάμεως. Mirâ illud arte compositum fuisse dicit Josephus; quòd nullâ ex parte promineret, aureis cardinibus cum Arcâ coaptatum.

18. *Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies ex utraque parte Oraculi.*

Ibi Latinus Interpres vocem *caphoreth* nempe operculum sive propitiatorium nominat *Oraculum*, quia indè Deus promeret oracula sua, sive loqueretur; undè Salomon, cùm templum ædificavit, partem ejus sanctiorem, ubi Arcam locavit, nomi-

navit דביר *devir* quasi dicat *locutorium*. Magis eleganter dicitur *Oraculum*. Quid sint autem illi Cherubini difficile est statuere. Nihil est in totâ Scripturâ magis reconditum. Apponendos jubet Deus Arcæ; de quibus cùm non explicet quâ formâ donandi essent, saltem artificibus hæc non fuit ignota. Scrutemur nominis *Cherubim* originem, sive propriam ejus significationem. Philo hocce in loco quem allegabamus suprà, dicit *Cherubim* sonare Hebræis idem quod Græcis ἐπίγνωσις καὶ ἐπιστήμη *cognitio & scientia*. B. Hieronymus cum Philone censet à multitudine scientiæ *Cherubim* dictos; à qua autem origine, quærunt qui Philonis & B. Hieronymi sententiæ adhærent, alii hanc accersunt à verbo נכר *nakar* cognoscere & רב *rab*, id est, *multitudo*: Alii in כרוב *cherub* literam כ censent esse servilem, notam similitudinis; reliquas verò consonantes רוב, eandem habere originem ac vocem *rabbi* nomen doctoris & magistri. Voce רביא significatur *puer formosus*; cui cùm præmittitur litera similitudinis כ *caph*, fit *cherub* nempe veluti puer formæ elegantis. *Sic in Babiloniâ puerum vocant* רביא *Rabiah* dicit Talmud. Qui Cherubinis vitulinam formam indunt, nomen *Cherubim* derivant à כרב Syris & Arabibus *arare*; quod certè boum proprium est. Sed & non pauci sentiunt in voce *Cherubim* esse permutatum ordinem literarum sive כרוב esse ejusdem significationis ac רכוב. Duo ista nomina constant iisdem consonantibus. רכוב *rekub* autem Hebræis est *vehiculum* Visio, quâ Deus se Ezechieli conspicuum præbuit in Cherubinis, solet à Judæis appellari מרכבה *merchabah*; & ipsa Arca sic appellatur in 1. Paralip. cap. 28 v. 18...... *Ut ex ipso fieret similitudo quadrigæ Cherubim, extendentium alas, & velantium Arcam fœderis Domini*. Hac de re modò copiosior sermo fiet.

Forma Cherubim adhuc ignotior est nominis eorum origine. Attamen iterum dicam, nisi innotuisset artificibus, hanc Deus Moysi explicuisset, & Moyses illis. Plerique credunt Angelos fuisse, qui natura sua incorporei, cùm apparuerunt hominibus, necessariò diversas formas induerunt, nunc hominis junioris, nunc leonis, nunc bovis, nunc aquilæ, nunc viri bellatoris, & exterminatoris, prout exigebat ministerium ad quod mittebantur. Omnes enim Angeli sunt administratorii spiritus, qui numero infiniti deserviunt Deo. Ita in Genesi cap. 3. cùm Deus expulisset paradiso Adamum, apposuit Angelos Cherubim, ne ille expulsus hùc reverteretur 24. *Ejecitque Adam & collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ*.

Quid tandem de Cherubim statuemus, illa quæ opus fuère Beseleelis, repræsentasse Angelos sub forma puerorum pennatorum Forsan hæ imagines simul conjungebant diversorum animalium formas, erant enim symbolicæ. Ita Cherubim illa viva quæ Ezechieli visa sunt, habebant quadruplicem formam de qua postea disseremus. Josephus eo in loco ubi de Arca sermonem facit, statuit Cherubim fuisse imagines animalium pennatorum. ζῶα δ' ἐστὶ πετεινὰ μορφὴν δ' οὐδενὶ τῶν ὑπ' ἀνθρώπων ἑωραμένων παραπλήσια. *Ea sunt animalia volucria novâ specie, nec unquam cuiquam hominum visa*. Addit in libro octavo capite 11. neminem vel conjicere vel eloqui posse cujus speciei fuerint Cherubicæ species Τὰς δὲ χερουβεὶς οὐδεὶς ὁποίας τινὲς ἦσαν εἰπεῖν οὐδ' εἰκάσαι δύναται. Scilicet nulla talia animalia cernuntur in terra ab hominibus; visa sunt vero a Prophetis, qui formam eorum describunt, & eis alas appingunt.

Gentiles non solùm alis donaverunt plerosque

A homines, sed & animalia quadrupeda. Equus enim Pegasus repræsentabatur cum alis. Fama & alas habet, sicut & Cupido. Mercurius alatus est in capite & pedibus. Victoria etiam alata exhibetur in omnibus antiquis monumentis. Nimirum Gentiles intellexerant, aut didicerant ex vetustis traditionibus alas esse apta symbola substantiarum incorporearum, sive cælestium spirituum, quorum motus velox & promptus; quippe qui corporum mole & pondere non onerantur, nec tardantur. Cherubim autem, quæcunque fuerit forma eorum, sic locata erant, secundùm fontem Hebræum, ut unum ex latere uno hinc esset, & alterum ex latere altero. Vocem קצה Latinus Interpres cum Græcis interpretatus est latera Arcæ. Nomen illud redditur in

B Græca versione κλίτος *latus* μέρος *pars*; sed & vox Hebræa significat quod extremum est, juxta quam significationem intelligi potest Cherubim locata in extremitate Arcæ intra vectes. Erant autem *aurea & productilia*: nempe ex auro ductili facta erant.

19. *Cherub unus sit in latere uno, & alter in altero.*

Unus Cherubim sit ab extremo hinc & alter ab extremo indè.

20. *Utrumque latus Propitiatorii tegant, expandentes alas, & operientes Oraculum, respiciantque se mutuò versis vultibus in Propitiatorium, quo operienda est Arca.*

21. *In qua pones testimonium quod dabo tibi.*

C Quæri potest an Cherubim recubuerint supra operculum Arcæ, ut repræsentantur ab aliquibus; an nullo modo Arcæ inhæserint, & ab illâ separarentur. Salomon, ut puto, non aliâ formâ Cherubim expressit quoad situm & locum, quàm quæ illis fuit in Tabernaculo Videre autem est in tertio Regum capite sexto, & in Paralipomenis libro secundo capite tertio Cherubim qui ibi describuntur, alis suis expansis totum Sanctum Sanctorum occupasse; ita non erant pars Arcæ, stabant erecti in pedes; ut eorum sub pennis Arca quasi protegeretur. Ergo verisimile est & in Tabernaculo pariter stetisse Cherubim insistentes solo; & cùm in templo alæ eorum extenderentur viginti cubitis, quæ erat latitudo Sancti Sanctorum; puto & Che-

D rubim Tabernaculi respondisse magnitudini loci in quo erant. Majori ergo formâ deceret eos exhibere, quàm vulgò fit. Scilicet cùm quatuor essent Cherubim in Sancto Sanctorum templi, quia latius illud; in Tabernaculo erant tantùm duo Cherubim, quia Sanctum ejus duplo angustius.

22. *Indè præcipiam & loquar ad te supra Propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim qui erunt super Arcam testimonii, cuncta quæ mandabo per te filiis Israël.*

Græci habent γνωσθήσομαί σοι *innotescam tibi*. Recentiores Interpretes Hebraïci codicis vertunt: *& conveniam te ibi & loquar tecum.* Scilicet nunc legitur ונועדתי à verbo יעד *condicere, indicere*; quod

E in conjugatione *niphal*, hoc est, passiva נועד idem sonat ac *convenire*. legebat olim Interpres noster cum Græcis ונודעתי à verbo ידע *scire, cognoscere*. Advertis, Lector, in utraque lectione easdem occurrere literas consonantes, ita ut sola positione differant. In antiqua lectione ponitur ד ante ע. In hodierna verò ד subsequitur ע, quod in eumdem autem sensum recidit. Quasi enim conveniebat Deus cum Israëlitis, si quidem ex propitiatorio compellabat eos colloquio familiari; quoties eum interrogaturi accedebant ad Arcam. Responsio ejus audiebatur quasi de operculo Arcæ exiens *de inter duo Cherubim*, ut habet fons; undè meritò nomen Propitiatorii huicce operculo datum est; nec audien-

ous Spencerus quando quærit, » an non verisimi- A
» ..or sit eorum opinio, qui Arcam ob sæculi mo-
» rem institutam sentiunt, & sententiam suam ar-
» gumentis bene instructam proferunt; quàm eo-
» rum qui Arcam ad mysteria quædam evangelica
» adumbranda datam asserunt; eam autem senten-
» tiam ne vel umbrâ rationis confirmare possunt? An Apostolus aberrabat in mysticas expositiones, dum scribens Romanis capite 3. v. 25. Jesum vocat ἱλαστήριον *Propitiatorium*; & de illo dicit: *quem proposuit Deus propitiationem* ἱλαστήριον *per fidem in sanguine ipsius*. Olim Deus alloquebatur Israelitas ex Propitiatorio, *novissime diebus illis locutus est nobis in filio*. Attexamus quæ Exodus narrat de factis Cherubinis cum Propitiatorio juxta Dei manda- B tum. Capite 37.

6. *Fecit & Propitiatorium, id est, Oraculum de auro mundissimo, duorum cubitorum & dimidii in longitudine & cubiti & semis in latitudine.*

Ibi Vulgatus interpretationi *caphoreth*, quod reddit *Propitiatorium*, adjungit nomen *Oraculi*, quo & Sanctum Sanctorum alibi appellatur, quia indè Deus oracula sua edebat.

7. *Duos etiam Cherubim ex auro ductili quos posuit ex utraque parte Propitiatorii.*

In fonte à duabus extremitatibus Propitiatorii.

8. *Cherub unum in summitate unius partis & cherub alterum in summitate partis alterius: duos Cherubim in singulis summitatibus Propitiatorii.*

C Id est, in extremitatibus, ut habet fons.

9. *Extendentes alas, & tegentes Propitiatorium, seque mutuò & illud respicientes.*

Non aspernanda sententia Maimonidis, dum rationem reddit cur Deus jusserit supra Arcam duo Cherubim effingi: his notari Angelos, videlicet spiritus illos qui Deo ministrant & famulantur. *Ad hujus doctrinæ confirmationem*, inquit tertiâ parte More nevochim capite 45. *præcepit Deus super Arcam duorum Angelorum figuram facere ad existentiam Angelorum in animis hominum confirmandam, qui secundus est articulus sciendus post fidem existentiæ Dei, principiumque prophetiæ & legis.* Figuræ illæ non quidem propriæ erant ullius Angeli, D cùm omnes incorporei sint; sed cùm sine corpore repræsentari oculis non possent, placuit Deo aptas figuras imaginibus eorum attribuere nempe symbola virtutum quibus præditi sunt. Tum voluit esse multiformes illas figuras, quales nullus homo vidit, ut aliquomodo significaret naturam Angelorum esse ab humanâ diversam. Duo autem illi Cherubini, sive Angeli obumbrantes Arcam alis suis, & respicientes in Propitiatorium, quasi in Jesum qui verum est Propitiatorium, intuebantur quem adoravêre, & cui servierunt, juxta Dei mandatum. Deus enim mandavit Angelis, ut adorent primogenitum suum & huic serviant; quo officio toties functi sunt; in ortu ejus, cùm pastoribus nuntiaverunt natum; in deserto, cùm ad esurientem *ac-* E *cesserunt & ministrabant ei*; in horto, cùm in agoniâ eum solabantur.

SECTIO V.

Arca cum Cherubinis dicitur in Scripturâ thronus, & quadriga Dei; cui insidens sæpiùs visus est; hacce formâ in hominum mentes incurrens.

QUi opinantur Cherubinorum imagines ideò non repudiatas, imo & jussas à Deo, quia pigebat Israëlitas his carere, olim delectatos similibus figuris quas viderant in Ægypto, consarcinant exempla multiformium imaginum. Tales habebant Ægyptii, qui, ait Tacitus hist. lib. 5. cap. 5. *pleraque animalia, effigiesque compositas venerantur.* Macrobius describit statuam quæ conjungeretur cum Serapide, cujus « simulacro signum tricipitis animantis adjungunt, quod exprimit medio eo- «
demque maximo capite leonis effigiem. Dexterâ «
parte caput canis exoritur mansuetâ specie blan- «
dientis; pars verò læva cervicis rapacis lupæ ca- «
pite finitur, easque formas animalium draco con- «
nectit volumine suo, capite redeunte ad Dei dex- «
teram, quâ conspicitur monstrum. « Has formas multiplices cavillantur, qui pro religione Christianâ scripserunt adversùs gentes, quas Minutius Felix compellat *de capro & homine mixtos Deos; & leonum & canum vultûs Deos dedicatis.* Similiter Arnobius libro 6. adversùs gentes *Inter Deos videmus leones torvissimâ facie, &c.* Tertullianus Apolog. cap. 16. *sed illi debebant adorare statim biforme numen, quia & canino & leonino capite commixtos & de capro & de ariete cornutos, & à lumbis hircos & à cruribus serpentes, & plantâ vel tergo alites Deos receperunt.*

Hosce gentilium mores, Spencerus & Clericus volunt originem dedisse Cherubinis Arcæ; sed scriptores quos allegant loquuntur de ætate suâ, ut non sequatur ex eorum testimonio ante erectum Tabernaculum multiformes imagines fuisse in usu apud Ægyptios. Philo quidem in libro primo de vita Moysis dicit hunc Prophetam didicisse ab Ægyptiis *occultam philosophiam, eam nempe quæ per symbola traditur, quam & literis, quas vocant, sacris describunt; & eam quæ per receptionem animalium, quæ & divinis honoribus venerantur.* Sed non credendum est omnes istas Ægyptiorum opiniones admissas à Moyse; quas illis ipsi gentiles vitio dederunt, & ut ineptas, & portentosas insectati sunt. *Quis nescit qualia demens Ægyptus portenta colat:* canit Juvenalis. Hæc tamen portenta, si credimus Spencero, Deus imitanda dedit Israëlitis; ita ut illis « carendum fuisset præcipuâ religionis suæ parte, nisi Ægyptiis libuisset primùm in- «
sanire? Hoccine egit institutis suis Deus, ut po- «
pulus Israëliticus, si idololatriam demas, religio- «
ne suâ quàm proximè ad Ægyptios accedere vi- «
deretur? Nonne passim Israëlitis inculcavit, non «
esse ipsis in religionis negotio agendum secundùm «
instituta gentium, à quibus vel ad quas venirent, «
vel quas cæteroquin vicinas sibi aut circumjacen- «
tes haberent? Nonne infinitis præceptis diremit «
eos ab earum gentium ritibus. « Utor verbis Hermani Vvitsii qui deditâ operâ Spencerum confutat. Certè si Deus instituendo religionem, mores Ægyptiorum imitatus fuisset, has ipsas ineptias approbasset, à quibus revocabat Israëlitas. Quin visus esset eos docere, in pretio habendas, non solùm sinens ut effingerent similes formas, sed præcipiens ut locarent eas in sanctiori loco, & in ipsâ Arcâ suâ, in quâ tanquam in throno suo se conspicuum Moysi præbuit. Etenim his quos effingendos Cherubinos curavit Moyses, similes viderat in throno Dei; ut scribit Josephus. *Cherubim*, inquit ille, *sunt animantia volucria novâ specie nec unquam cuiquam hominum visa: quæ Moyses in Dei solio viderat figurata.* τῷ θρόνῳ τ Θεῷ [illegible] Similibus Cherubinis insidens conspectus est Ezechieli; cui ut Sacerdoti innotuerat forma Cherubinorum Arcæ; undè dicebat ille Propheta cap. 10. v. 20. *Ipsum est animal quod vidi subter Deum Israël juxta fluvium Chobar: & intellexi quia Cherubim essent.* 21. *Quatuor vultus uni, &c.* Modo subjiciemus visiones Propheticas in quibus Deus inter Cherubim apparere voluit. Miror quemquam adductum

ut crederet, Deum voluisse ab Angelis suis indutam formam, sub quâ mali Angeli, nempe dæmones coli elegerant. Hi quidem suffurantur divinos honores, sed si non errat Spencerus, ipse esset Deus qui subripuisset dæmoniorum honores & proprios sibi fecisset. Ineptit ille, & quisquis cum eo sentit. Veriores causas quæramus cur hisce Cherubinicis formis Deus olim incurrerit in Israëlitarum animos.

Loco in quem quis cecidit, necesse est ut incumbat quò resurgat. Pariter homo per peccatum quasi lapsus à Deo in corpora, claram ejus notionem vix assequitur, nisi innitatur corporibus, sive utatur corporeis signis. Et huicce conditioni hominum attemperabat se Deus, maximè in veteri Testamento, cùm nondum vulnera peccati Jesus Christus sanaret. Formis ergo corporeis incurrebat in animos Israëlitarum; cur his vel illis, indagamus. Deus est ens, potens, & tremendæ majestatis; cujus nulla expressior imago, quàm Rex armis potens, numerosis exercitibus circumdatus. Idcirco, ut jam animadvertimus, voluit Deus apparere sub forma bellatoris; mediis in castris & numeroso exercitu circumvallatus. Omnia antiqua monumenta docent Reges & duces magnanimos è curribus pugnasse. Statim equi non domiti sunt, nec didicerunt pati sessores; nec homines dorso eorum considere ausi sunt. Qui primi equos domuêre, inter heroas & semideos numerati, pro miraculo enim habebatur equum conscendere. Palæphatus in libro de non credendis fabulis ad primos equorum domitores refert originem Centaurorum, sive opinionem de Centauris. *Adolescentuli*, inquit Interpres Latinus Palæphati, *ex montano loco pagoque quodam qui* νεφέλη, *hoc est, nubes nuncupatur equos domare tum primùm aggressi, quomodo equites sessoresque gestarent, illos docere excogitant. Priùs etenim homines equis vehi nesciebant, verùm curribus duntaxat utebantur.* Joannes Tzetzes hanc historiam inseruit chiliadi septimæ Historiarum numero 90. & narrat fusiùs quomodo tauris agrestibus Thessaliam lædentibus, juvenes conscensis equis cùm jacularentur tela in tauros, visi sint à longè quasi equo mixti. Observat Pollux (lib. 1. cap. 10) omnes Homericos heroas de curribus equisque junctis pugnasse. Ille enim Poëta non noverat μονίππους ἱππέας *unijugo equo utentes equites*. Facit hùc locus Juliani Imperatoris in Oratione secunda de rebus gestis Constantii. *Quod ad equitandi verò scientiam ac currendi celeritatem pertinet, num ex veteribus eos quispiam terum conferat, qui illustre sibi ex eâ re nomen famamque pepererunt? An illud quidem potiùs nondum repertum fuerat? Curribus enim, non equis singulatibus utebantur.* Ἄρμασι γὰρ ἐχρῶντο, καὶ ἵππω κέλητι ἄζυξι. De pugna ex essedis observandus est locus Commentariorum Cæsaris de Bello Gallico, ubi sic describit Britannorum pugnam lib. 4. cap. 33. » Genus hoc est ex essedis pugnæ; primò per » omnes partes perequitant, & tela conjiciunt, at» que ipso terrore equorum & strepitu rotarum or» dines plerumque perturbant, & cùm se inter equi» tum turmas insinuaverunt, ex essedis desiliunt, & » pedibus præliantur. Aurigæ interim paululùm è » prælio excedunt, atque ita se collocant, ut si illi » à multitudine hostium premantur, expeditum ad » suos receptum habeant. Ita mobilitatem equitum, » stabilitatem peditum in præliis præstant. Xenophon innuit primùm à Cyro sublatum vetustum morem curruum in pugnis. Sic enim scribit libro 6. de Institutione hujus Principis. Καὶ μὲν τρωικὴν διφρείαν ἀπόθεν ἔσαν καὶ τὴν Κυρηναίων ἔτι νῦν ἔσαν ἁρματηλασίαν κατέλυσε. *Ac superiorum quidem temporum agitationem currûm Troianam, & quâ utuntur hodie Cyrenaici, quadrigis invehendi rationem sustulit & abrogavit.* Moyses in Cantico quod cecinit in Exodo capite 15. videretur loqui de equo gradario *Equum & ascensorem dejecit in mare*, sed ibi sermo est de equis curruum, ut liquet ex illis quæ sequuntur. *Currus Pharaonis & exercitum ejus projecit in mare.* Pharao, Sisara, Saül, Achab, Josias & alii è curru dimicasse memorantur in sacris codicibus.

Ergo, ut ad propositum redeamus, quoniam placuit Deo se præbere conspicuum in formà potentis bellatoris, necesse fuit ut videretur curru vehi. Et ista imago adeò apta est, ut & in illâ etiam Ethnici sibi repræsentarent Deos suos. Apud Herodotum (libro 7.) ἅρμα Διὸς ἱερὸν *currus Jovi sacer* legitur. Plutarchus in vitâ Camilli ὄχημα τῷ πατρὶ τῶν Θεῶν ἱερὸν *vehiculum Deorum patri sacrum* memorat. Occurrit ὄχος τῆς Ἀθηνᾶς *Minervæ vehiculum* & ὄχος Ἄρεος *vehiculum Martis* apud Dionem in Circensi pompâ. Neptunum currui insistentem inducit Plato in Critiâ. Sed animadvertenda imprimis quæ ille Philosophus dicit in Phædro de Jove. *Magnus igitur in cælo Jupiter primus incedit alatum currum impellens* πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων, *omnia & exornans & providentiâ sua gubernans.* Passim occurrunt apud Poëtas Dii gentilium è curru dimicantes, aut per Cælum vagantes in curribus, quos diversa animalia trahunt. Herodotus pompam Xerxis describens in Polymniâ sive in libro 7. *Sequebatur*, inquit, ἅρμα Διὸς ἱερὸν *sacer Jovis currus, quem octo equi albi trahebant, ponè auriga comitante, qui pedibus ingrediens habenas tenebat. Hanc enim sellam nemo mortalium ascendit. Post quem ipse Xerxes vehebatur curru equorum Nisæorum, præcedente aurigâ, &c.* Virgilius in primo Æneidos, ut indicet Junonem potissimum coluisse Carthaginem, dicit:

Hic illius arma
Hic currus fuit.

Thesim nostram probemus, Deum scilicet incurrisse in mentes Prophetarum & omnium Israëlitarum in formâ bellatoris, qui vehitur curru & cingitur exercitu numeroso. Jam significavi in eâ me versari sententiâ Cherubinos veros, hoc est, vivos, nec conflatos ex metallo esse ipsos Angelos cælestes, qui assistunt ante Deum, & quorum ministerio exercet potestatem suam. Sæpiùs illi appellantur militia cælestis exercitûs; qui ex incorporeis ut fierent conspicui, diversas assumpserint formas. Arca, ut diximus, erat quasi quadriga Dei. Non ipse diffitetur Spencerus. *Instituti sunt*, inquit, *Cherubini, ut loco vehiculi essent aut currus militaris, quo Deus velut Imperator & Dominus exercituum per Hebræorum castra veheretur.* Josephus Antiq lib. 7. cap. 11. vocat Cherubinos τὸ ἅρμα τοῦ Θεοῦ *currum Dei*, tanquam nomen *Cherub* per μετάθεσιν sive trajectionem literarum veniat ex verbo רכב quod est *currus*. Et hac appellatione usus fuerat scriptor Paralipomenorum libro 1. cap. 28. [v. 18.] *Ut ex ipso fieret similitudo quadrigæ Cherubim extendentium alas & velantium Arcam fœderis.* Καὶ τὸ παράδειγμα τοῦ ἅρματος τῶν Χερουβὶμ τοῖς πτέρυξι καὶ σκιαζόντων ἐπὶ τῆς κιβωτοῦ διαθήκης κυρίου. Indè toties Deus exhibetur Cherubim inequitans, sedens super Cherubim. Ita in primo Samuëlis capite 4. legimus 4. *Misit ergo populus in Silo & tulerunt indè Arcam fœderis Domini exercituum sedentis super Cherubim.* Et in secundo libro capite 6. 2. *Surrexitque David & abiit & universus populus qui erat cum eo de viris Juda, ut adducerent Arcam Dei, super quam invocatum est nomen Domini exercituum sedentis in Cherubim super eam.* Non prætermittendus locus ille Ecclesiastici capi-

te 40. 10. *Ezechiel qui vidit conspectum gloriæ, quam ostendit illi in curru Cherubim.* ἐφ' ἅρματος χερουβίμ. Modò agemus de istâ visione Ezechielis. Innumeris in locis prætertim in Psalmis dicitur Deus sedere super Cherubim. Ascensor & equitans super excelsa Deuter. 33. 26. *Non est Deus alius ut Deus rectissimus: ascensor Cæli, auxiliator tuus.* Qui per Cælum curru vehitur, ut fons habet, auxiliator tuus erit. Scilicet ibi Moyses, ut & David in Psalmo 17. Sibi videntur videre Dominum curru vectum, perinde ac potentem bellatorem. *Et ascendit super Cherubim & volavit.*

Hisce admonitus Lector, dum sacras paginas evolvet, loca quæ prætermittimus observabit, ubi de quadrigâ istâ Cherubim mentio fit. Verbum Hebræum רכב *rachab* significat quidem vehi bestiâ, insidere equo, asino; sed potissimum curru quem bestiæ trahunt. Videre est in plerisque antiquis numismatibus, unum ob oculos pono, quatuor equos in fronte currûs in eadem lineâ dispositos. Olim non soli equi, sed varia animalia ad currus jungebantur; ad Dei autem quadrigam illa quatuor, quæ in cætera videntur principatum tenere. Quatuor sunt in mundo superbi, ut Talmudistæ loquuntur, id est, excellentes, leo inter feras, bos inter jumenta, aquila inter volucres, homo super omnia. Josephus loquens de Romanorum signis lib. 3. de Bello Jud. cap. 5. *Aquila*, inquit, *omnibus apud Romanos agminibus præest*, βασιλεὺς οἰωνῶν ἁπάντων, καὶ ἀλκιμώτατος ὤν, *quòd & universarum avium regnum habeat & sit validissima.* Taurus ab Opiniano libro secundo de venatione describitur ut Rex pecoris εἷς βασιλεὺς ἀγέλῃφι τυραννεύων ὁ ἄριστος *unus Rex armento imperitans, longe præstantissimus.* Leo si a naturâ regnum in feras non obtinuit, certè usurpavit, ut dicit Phædrus.

Quum se ferarum regem fecisset leo.

Dignitas hominis quanta sit & cæteris præcellat animalibus, dicere non opus est. Deus ergo volens suam potentiam declarare, adjunxit currui suo quatuor illa animantia; sive horum sub formis apparere voluit Angelos milites exercitûs sui, quem repræsentabant castra Israëlitarum. In horum castrorum quatuor lateribus tendebant quatuor præcipuæ tribus. Integra castra dividebantur in quatuor particularia, quibus præerant quatuor tribus Juda, Ephraim, Ruben & Dan: singula appellabantur nomine tribûs ducis; & pro insigni proprio habebant unum ex dictis quatuor animantibus: Juda leonem, Ephraim taurum, sive bovem, Ruben hominis faciem, Dan aquilam. In Cherubim quatuor illæ formæ commiscebantur, ut quisque constaret quadruplici formâ hominis, aquilæ, bovis & leonis, sive referret horum animalium imagines sic collectas, ut earum juncturas non sermo, non penicillus humanus repræsentare possit, nec forsan animus cogitare. Hanc autem multiplicem formam adstruit Ezechiel, quem modò interpretaturi sumus. Tribuit quatuor Cherubinis, qui illi apparuêre, quatuor facies; Hebraïcè quatuor פנים *panim*, quod nomen faciem & vultum significat, sed non contrahendum est ad *faciei & vultûs notionem.* Cùm enim derivetur à verbo פנה *panah*, id est, *aspicere*, id omne denotat quod aspectui patet. Sic Job capite 26. 9. dicitur *facies solii.* Psal. 131. v. 10. *facies Christi*, sed & alibi *facies terræ*. Ergo Propheta dicit animantia sibi visa habuisse פנים *panim* hominis, leonis, bovis, & aquilæ, quia sibi in uno quoque videbatur videre hominem, leonem, bovem, & aquilam; sive hæc quatuor aspiciebantur animantia. Non itaque necesse est ut visio fuerit veluti bellua mul-

A ticeps. *Quatuor*, inquam, *facies uni* dicuntur ab Ezechiele juxta Interpretem Latinum, quia habebat aspectum quatuor animalium ob partem aliquam similem. Dicit enim pedes fuisse vitulinos, manus quales manus hominum, pennæ erant volucris, nempe aquilæ. Ita liceret sibi repræsentare Cherubinum, cogitando effigiem hominis alati leonino exuvio vestiti, ungulisque vitulinis calceati; quæ forma non portentosa esset, nec oculis ingrata, qualis illa quæ cuique Cherubino caput proprium, & ab alterius capitis forma diversum affingit; ut unus caput hominis, alius bovis, hic leonis, alter aquilæ haberet. Sed quæcumque fuerit horum Cherubinorum effigies, hi compendio colligebant quatuor formas, insignia quatuor castrorum exercitûs Is-
B raëlitici; de quo loquebatur Michæas Propheta in tertio Regum 22. 19. *Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum Cæli assistentem ei à dextris & à sinistris.* Propter innumeros Angelos assistentes ei veluti milites, ubique Deus dicitur Dominus exercituum. Sic Isaias cap. 37. v. 16. *Domine exercituum Deus Israël, qui sedes super Cherubim.* Ad hoc alludebat Dominus Jesus Matth. 26. 53. cùm dicebat Petro. *An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquàm duodecim legiones Angelorum?* Legio nomen est usurpatum in militia Romanorum, indicans certum militum numerum. Quoties summa Dei potestas, cujus sub præsidio nullus ti-
C mori est locus, in Scripturis declaratur, vectus exhibetur quadrigâ Cherubim; sub qua imagine apparere voluit Prophetis.

SECTIO VI.

Arcæ descriptio & Cherubinorum lucem visionibus Propheticis accersit. Exponitur visio, quam Ezechiel narrat sibi factam contigisse.

ET facultatem qua corpora animus cognoscit, Deus occupare voluit sui cognitione, multoties sub aliqua visione corporea se præbens conspiciendum; quoniam de illo nihil sentiendum nisi mag-
D num & excelsum, sub imagine, ut diximus, bellatoris qui pollet virtutibus, prudentiâ, robore, sagacitate, industriâ: quem nulla res lateat: qui omnia pervideat: quocumque feratur celeritate incredibili: ubique præsens sit: cui nulla vis valeat obsistere. Harum virtutum Cherubim erant symbola. Singula animalia quibus constabant, pugnæ ineundæ apta sunt, in præliis audacia & fortia; neque enim solùm homò perspicax est & solers, sed & fortis; ut nec detrectet certamen cum tauris & leonibus, quos tum solertiâ suâ, tum & fortitudine vincere potest. Omnium animalium cicurum taurus fortissimus est, leo omnium ferarum, sicut aquila avium. Idonea ergo illa animalia exhibendæ forti-
E tudini Dei; nec sub digniori imagine occurrere poterat hominum animo. Arca, inquam, erat ista repræsentatio terrorem incutiens ne quis auderet, vel speraret posse impunè leges quas asservabat, violare.

In omnibus visionibus Propheticis Deus visus est in nubibus & igne. Indicium gloriæ ejus fuerat lucida nubes tegens Tabernaculum. Hinc Psalmista canebat Psalmo 17. *Ignis à facie ejus exarsit, carbones succensi sunt ab eo.... Caligo sub pedibus ejus.... posuit tenebras latibulum suum.* Similiter Moyses Exod. 24. 17. *Erat species gloriæ Domini, quasi ignis ardens super verticem montis in conspectu filiorum Israël.* In his visionibus Propheticis conspectus est Deus in ea forma quam Ezechiel

describit initio vaticiniorum suorum.

1. *Et factum est in trigesimo anno, in quarto, in quintâ mensis, cùm essem in medio captivorum juxta fluvium Chobar, aperti sunt cæli, & vidi visiones Dei.*

2. *In quintâ mensis, ipse est annus quintus transmigrationis Regis Joachim.*

Locum; tempus visionis suæ Ezechiel notat, ut huic faciat fidem.

3. *Factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi sacerdotem in terrâ Chaldæorum, secùs flumen Chobar: & facta super eum ibi manus Domini.*

Manus Dei est potentia ejus, fortitudo, efficacia. His denotat, & indicat Vates visionem Dei quam narratus est, fuisse efficacem.

4. *Et vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone, & nubes magna & ignis involvens & splendor in circuitu ejus: & de medio ejus quasi species electri, id est, de medio ignis.*

Nubes illa ideò pro miraculo habenda, quia tunc flabat aquilo, qui nubes & pluviam pellit, ut dicitur in Proverbiis cap. 25. 23 *Ventus aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem.* Ab Homero ideò aquilo dicitur αἰθρηγενέτης, id est, serenitatem, sive Cælum purum faciens. Undè Horatius lib. 1. Od. 34. colligebat Deum aliquem in sceleratos fulgura vibrare, si quidem, cùm nubes non essent, quæ tonitrua formarent, audiretur Deus ipse tonans.

...... Namque Diespiter
Igni corusco nubila dividens,
Plerumque per purum tonantes
Egit equos volucremque currum.

Igitur Ezechiel dicit Cælo sereno, cùm omnes nubes solent dispelli, nubem tamen magnam visam, quæ crebra fulgura ejaculabatur, & tota resplendebat. *Et de medio ejus*, scilicet in ipsâ mediâ nube apparebat *oculus*, id est, *color*, eodem enim nomine apud Hebræos *oculus* significatur & *color*. In centro istius nubis plaga erat splendidior, sicut oculus sive color חשמל *chasmal*; quod nomen non alibi occurrit. Græci interpretantur ἤλεκτρον *electrum*, quod genus est metalli pretiosi mixtum ex auro & ære. Micabat interior nubes velut illud metallum, dum in fornace candet.

5. *Et in medio ejus similitudo quatuor animalium: & hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis.*

In istâ lucidâ nube apparebat similitudo quatuor animalium; & in illis quatuor videbatur quidpiam homini simile.

6. *Quatuor facies uni & quatuor pennæ uni.*

Nomen פנים *panim*, quod Latinus Interpres reddit *vultus*, ambiguum est, ut diximus, nec semper significat vultum anteriorem aut partem corporis, sed sæpè habitum, aspectum, figuram, formam & totiùs corporis speciem, quæ apparet & cernitur. Sensus ergo esse potest in unoquoque ex his quatuor animalibus apparuisse quatuor formas diversas. Scilicet unumquodque caput & vultum habebat humanum: faciem verò, id est, formam aquilæ in humeris qui erant alis instructi: formam vituli in pedibus bifidis, formam leonis in pectore, cervicibus & armis, quia in his erant jubæ instar leonum. Has commemorat facies Propheta. Quodque animal habebat quatuor alas.

7. *Pedes eorum pedes recti, & planta pedis eorum quasi planta vituli, & scintillæ quasi aspectus æris candentis.*

Pedes eorum recti erant quales sunt hominum, A sed planta pedis erat vitulina bifida, splendens tanquam æs candens, quod nempe liquatum est, vel tanquam χαλκολίβανον, quod genus est æris albicantis. In fonte tanquam æs tersum, politum.

8. *Et manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus: & facies & pennas per quatuor partes habebant.*

Brachia humana vel his similia sita erant vel apparebant sub pennis *in quatuor partibus* Juxta fontem in quatuor quadraturis. Quatuor erant animalia quæ quadrigam Dei com..bantur, & illa quatuor simil a erant.

9. *Junctæ erant pennæ eorum alterius ad alterum: non revertebantur cùm incederent: sed unum quodque ante faciem suam gradiebatur.*

B In antiquis vehiculis Regum quæ repræsentantur in numismatibus, equi vel animalia à quibus trahuntur in fronte sunt in eadem lineâ, ut vidimus Si hanc dispositionem habebant quatuor Cherubini, pennæ eorum conjungebantur, ita ut altera alteram contingeret. Nempe ala sinistra Cherubini qui erat à dextris, tangebat alam dexteram Cherubini qui erat à sinistris; quæ conjunctio ostendit motum parem & uniformem.

Quid autem illud, *non revertebantur?* in fonte est יסבו a radice סבב, quod verbum sonat *ambivit, vertit se, divertit, deflexit.* Non vertebant se, non deflectebant, *sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur.* Ad verbum, C *quo, ne ad latus facierum suarum ibant*, vel *contra faciem suam ibant.*

10 *Similitudo autem vultus eorum: facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor; facies autem bovis à sinistris ipsorum quatuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.*

Hæc quatuor animalia sic jungebantur, ut homo & leo viderentur trahere partem dextram vehiculi; sinistram bos & aquila Illud vulgatæ versionis *desuper* supervacaneum est, & in fonte Hebræo non reperitur. Non diffiterer in unoquoque Cherubino quamvis omnes quadriformes essent, fuisse quidpiam dissimile, quo distingueretur, & accederet magis ad formam aut hominis, aut leonis, aut bovis, aut aquilæ.

D 11. *Facies eorum & pennæ eorum extentæ desuper. duæ pennæ singulorum jungebantur, & duæ tegebant corpora eorum.*

Duabus pennis volabant, quæ cùm extensæ essent, una Cherubini ala alam alterius contingebat; duabus autem alis tegebant corpora sua, id est, femora, partes verendas.

12. *Et unumquodque eorum facie suâ ambulabat: ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur cùm ambularent.*

Quò spiritus agebat; sive quocumque erat spiritus ipse iturus, ibant, *nec revertebantur*, non deflectebant à recto itinere.

13 *Et similitudo animalium, aspectus eorum quasi* E *carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum. Hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis & de igne fulgur egrediens.*

Scilicet tota hæc visio splendebat; quippe ubique ex eâ ignis emicabat, & fulgura circumquaque coruscabant.

14. *Et animalia ibant & revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.*

Quia modò Ezechiel dixit animalia non abrupisse cursum suum, hîc intelligendum est illa obeundo suum ministerium, sive ingrederentur sive egrederentur, eundo vel redeundo, visa tanquam coruscantia fulgura.

15. *Cùmque aspicerem animalia, apparuit rota una super terram juxta animalia habens quatuor facies.*

Primùm oculos Ezechielis convertunt in ſe animalia; deinde currum intuitus eſt. Hunc abſcondebant quatuor animalia, ſi in fronte ejus in eadem lineâ diſponebantur. Tandem dum huc illuc diſcurrerent animalia fulguris in morem, & terræ appropinquaret currus, apparuit primùm rota juxta animalia. *Habens quatuor facies.* Hæc verba non pertinent ad rotam. Fons verti poteſt, *ad quatuor facies ejus.* Supplendum ad quatuor facies currûs ſive in quadraturis ejus fuiſſe totidem rotas; quas ſimiles dicit Propheta.

16. *Et aſpectus rotarum, & opus earum, quaſi viſio maris: & una ſimilitudo ipſarum quatuor: & aſpectus earum & opera, quaſi ſit rota in medio rotæ.*

Et ſpecies, ſive color rotarum erat *quaſi viſio maris*, in fonte quaſi *oculus*, id eſt, color *Tarſis.* תרשיש *Tarſis*, nomen quidem eſt urbis maritimæ, undè Vulgatus Interpres interpretatur mare; ſed in ſacro codice, in Exodo cap. 28. 20. nomen eſt lapidis pretioſi, quem alii habent pro carbunculo, alii pro chryſolitho, alii pro hyacintho, alii pro berylло qui appellatur thalaſſius, quia coloris eſt marini. Rotæ inſtar pretioſi lapidis fulgebant. Quatuor rotæ prorſus ſimiles erant; eo autem ſitu Propheta intuebatur illas, ut apparerent implexæ, quaſi una in medio eſſet alterius. Sic interpretor quod dicit Propheta: *quaſi ſit rota in medio rotæ.*

17. *Per quatuor partes earum euntes ibant, & non revertebantur cùm ambularent.*

Nempe quatuor partes vehiculi, tota quadriga promovebatur introrſum recta progrediebatur, non convertebant ſe Cherubini.

18. *Statura quoque erat rotis & altitudo & horribilis aſpectus; & totum corpus oculis plenum in circuitu ipſarum quatuor.*

Statura, id eſt, canthi, circonferentiæ rotarum. Omnia in his rotis ſtupenda erant, & injiciebant terrorem. Circumquaque plena oculis, id eſt, diverſis coloribus, ut jam obſervatum.

19. *Cùmque ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ juxta ea: & cùm elevarentur animalia de terrâ, elevabantur ſimul & rotæ.*

In iſtâ Dei quadrigâ puto non habenis opus fuiſſe; nec loris quibus Cherubini hanc traherent. Ideò hîc dicitur juxta illos fuiſſe rotas, quarum motus non ideò minùs conſentiebat cum motu animalium, ut pariter irent & elevarentur.

20. *Quocumque ibat ſpiritus, illuc eunte ſpiritu, & rotæ pariter elevabantur ſequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis.*

Etenim non ipſi Cherubini trahebant quadrigam, ſed illa per ſe currebat ac ſi vitam habuiſſet, animalibus præcedentibus & rotis ſubſequentibus.

21. *Cum euntibus ibant & cum ſtantibus ſtabant: & cum elevatis à terrâ pariter elevabantur & rotæ ſequentes ea: quia ſpiritus vitæ erat in rotis.*

Repetitio eſt ejuſdem ſententiæ.

22. *Et ſimilitudo ſuper capita animalium firmamenti, quaſi aſpectus chryſtalli horribilis & extenſi ſuper capita eorum deſuper.*

Nomen רקיע *rachia* quod Græci reddunt ϛερέωμα, Latini eos ſequuti *firmamentum*, denotat expanſionem, qualis eſt Cælorum. Sunt qui credunt ibi à Prophetâ deſcribi cælum ſive tectum, ſive tympanum vehiculi. Ille quidem dicit hoc firmamentum fuiſſe ſuper capita Cherubinorum; ſed illi non erant in vehiculo, ſed potiùs ſub vehiculo. Opinarer ergo illam expanſionem fuiſſe ipſum ſtratum vehiculi, quaſi ſolum quo excipiuntur tum ſeſſores tum vaſa quæ devehuntur. Altitudo rotarum innui videtur excelſa; ita Cherubini erant infra vehiculum; cujus ſtratum, cùm à terrâ ſpectaret Propheta, videbatur ſibi videre cælum ſtellis aptum, adeò exornatum erat. Præterea, quod me adduxit ut crederem firmamentum illud non haberi poſſe pro tympano ſive pro tecto vehiculi, illud eſt, quod ſupra illud thronus erat, ſive ſolium. Non autem ſedet auryga ſupra tympanum, ſed ſub tympano.

23. *Sub firmamento pennæ eorum rectæ alterius ad alterum: unumquodque duabus alis velabat corpus ſuum, & alterum ſimiliter velabatur.*

24. *Et audiebam ſonum alarum quaſi ſonum aquarum multarum, quaſi ſonum ſublimis Dei: cùm ambularent quaſi ſonus erat multitudinis ut ſonus caſtrorum. Cùmque ſtarent demittebantur pennæ eorum.*

Tantus erat motus alarum in his animalibus, ut ederet ſonum maris clangentis, & videretur loqui ipſe שדי *ſchadai*, id eſt, Deus omnipotens. In capite decimo ejuſdem Prophetæ, ubi ſimilis viſio huic objecta eſt dicitur v. 5. *quaſi vox Dei omnipotentis loquentis.* Tonitru in Pſalmis appellatur vox Dei. Propheta putabat inſuper ſe audire vociferationem numeroſi exercitûs. In oriente & nunc ante pugnam milites terribiliter vociferantur, ut adverſarios perterreant. Apparet Deus in iſtâ viſione tanquam bellator potens.

25. *Nam cùm fieret vox ſuper firmamentum, quod erat ſuper caput eorum, ſtabant & ſubmittebant alas ſuas.*

Ad vocem Dei volatum ſiſtebant; ut equi voce aurigæ à quo reguntur, ſiſtunt gradum. Itaque Deus exhibetur velut auriga in curru.

26. *Et ſuper firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, quaſi aſpectus lapidis ſapphiri ſimilitudo throni: & ſuper ſimilitudinem throni, ſimilitudo quaſi aſpectûs hominis deſuper.*

In iſto firmamento, ut opinor, in ſtrato ſive ſolo vehiculi ſurgebat thronus colore ſapphirico; in quo videretur ſedere homo, nempe Rex potens, bellator fortis.

27. *Et vidi quaſi ſpeciem electri, velut aſpectum ignis, intrinſecus ejus per circuitum: à lumbis ejus & deſuper, & à lumbis ejus uſque ad deorſum, & vidi quaſi ſpeciem ignis ſplendentis in circuitu.*

28. *Velut aſpectum arcus cùm fuerit in nube in die pluviæ, hic erat aſpectus ſplendoris per gyrum.*

Cùm Deus ignis ſit, auriga ille quo repræſentabatur, totus igneus erat. Habebat ſpeciem electri; id eſt, juxta fontem, oculum ſive colorem *haſmal*, quod, ut diximus, genus eſt metalli. Corpus autem igneum inſtar ſolis radios vibrabat in nubem opacam vicinam, undè formabatur iris. Hac ergo iride non cingendum caput hujus aurigæ, quæ ex adverſo eſſe debet, ut inter illam & illum ſolem interpoſitus eſſet oculus Prophetæ cui apparebat.

Non ſemel obtigit Ezechieli iſta Cherubinorum viſio. Narrat in capite octavo quomodo à ſpiritu raptus ſit Jeroſolymam, & viderit abominationes quæ fierent in templo, ob quas, ut dicit in capite nono, deſignaverit Deus viros à quibus trucidarentur Jeroſolymitani. In capite autem decimo Cherubini in ipſo templo apparuerunt, cui apparitioni ſecundæ, non immorabimur niſi hiſce in locis quæ primam clariorem facient.

3. *Cherubim autem ſtabant à dextris domûs,*

Nimirum apparuêre Cherubini cum curru in atrio templi à dextris domûs, nempe ædis ſacræ, quæ ſolet *domus* per antonomaſiam appellari.

4. *Et elevata eſt gloria Domini deſuper cherub ad limen domûs.*

Nimirum ipſe Deus cujus thronus poſitus erat in vehiculo, ad limen domûs delatus eſt, *& reple-*

ta est domus nube & atrium repletum est splendore A
gloriæ Domini.

5. *Et sonitus alarum Cherubim audiebatur usque ad atrium exterius, quasi vox Dei omnipotentis loquentis.*

6 *Cùmque præcepisset viro, qui indutus erat lineis, dicens: sume ignem de medio rotarum, quæ sunt inter Cherubim.*

Viro qui Sacerdos esset, lineis indutus, *ingressus ille stetit juxta rotam.*

7. *Et extendit Cherub manum de medio Cherubim ad ignem, qui erat inter Cherubim: & sumpsit & dedit in manum ejus, qui indutus erat lineis: qui accipiens egressus est.*

8. *Et apparuit in Cherubim similitudo manus ho-* B
minis subtus pennas eorum.

Vir indutus lineis jubetur ignem sumere sive potius accipere de manu Cherubim; neque enim ausus esset, accedere; quem, inquam, ignem effunderet in civitatem.

9 *Et vidi & ecce quatuor rotæ juxta Cherubim: rota una juxta Cherub unum, & rota alia juxta Cherub unum.*

Currus ille Dei erat quadriga, non biga. In quadrigâ Dei quatuor Cherubini ante aut juxta singulas rotas singuli disponebantur, quam quisque movisset, si indiguisset motore.

13. *Et rotas istas vocavit volubiles audiente me.*

Fons reddi potest: *& rotis istis acclamatum ô ro-*
ta; audiente me. Subticere aliquid videtur Pro- C
pheta; nisi innuat, quoties moverentur rotæ, his imperatum voce quam audiebat Ezechiel, ut moverent se; nempe imperio Dei non aliâ vi impellebantur.

14. *Quatuor autem facies habebat unum; facies una, facies Cherub.* Ibi *Cherub* sumitur pro bove. Diximus כרב undè *Cherub* sonare Hebræis idem quod Latinis *arare. Et facies secunda, facies hominis: & in tertio facies leonis: & in quarto facies aquilæ.* Hæc verba indicare videntur singulos Cherubinos habuisse diversa capita, diversos vultus; ut in primo esset caput bovis, in secundo hominis, in
tertio leonis, in quarto aquilæ. Sed cùm locum de- D
ceat interpretari ex aliis locis, immò ex eo quod ibi dicitur, *quatuor autem facies habebat unum:* Quæ sequuntur pro interpretamento habenda. Nimirum ibi enumerari istas quatuor facies quæ in singulis Cherubinis erant *Facies una facies Cherub.* Nempe primùm erat in singulis Cherubinis. *Facies Cherub* sive bovis; *& facies secunda, facies hominis;* secunda ex quatuor faciebus erat, facies hominis, cernebatur, aspiciebatur homo, sive pars aliqua hominis. Ita non intelligendum secundo Cherubino fuisse propriam faciem hominis, sed secundam faciem fuisse faciem hominis. Igitur pro eo quod legitur in Vulgatâ: *& in tertio facies leonis: & in*
quarto facies aquilæ. Juxta textum Hebraïcum ver- F
tendum *& tertia facies leonis, & quarta facies aquilæ.* Scilicet tertia facies erat leonina, quarta aquilina. Visio quatuor animalium in quarto capite Apocalypseos non exhibebat Cherubinos, sed illa animalia quæ erant insignia vexillorum principalium tribuum inter se distincta. Primum animal simile erat leoni, secundum vitulo, tertium homini, quartum aquilæ, nec dicit Joannes fuisse Cherubinos. Cætera quæ sequuntur in hoc decimo capite Ezechielis, exposuimus in primâ visione.

SECTIO VII.

Visionibus Propheticis & hisce quas sibi objectas describit Joannes in Apocalypsi facem præfert Arca, qua ipsa collustratur Evangelio; à Christo enim suam dignitatem habet.

Visionibus singulis quæ cuique Prophetæ obtigerunt, quidpiam proprium esse potest, quo distinguantur; sed his quæ de Arcâ diximus, & de Cherubinis, illustrantur omnes. Experiri non alienum est ab instituto nostro; si quidem non alio consilio opus suscepimus, nisi ut clariores fiant Scripturæ. Ordiamur ab istâ visione Isaiæ de quâ agit in capite sexto. *Vidi*, inquit, *Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum: & ea quæ sub ipso erant replebant templum.* Vox Hebræa ההיכל *habekal*, quod redditur *templum*, admonet istam visionem complexam fuisse imaginem sive templi, sive Tabernaculi. Aliud alterius erat expressio, ut pro re eâdem haberi possint. Solium illud excelsum erat Arca, thronus Dei. Pro eo quod legimus in vulgatâ versione: *Et ea quæ sub ipso erant replebant templum.* Fons habet: *fimbria ejus;* Græca versio, & Paraphrasis Chaldaïca; *gloria ejus.* Scilicet ignis & fumus apparebant, quibus Deus complebat templum, quoties se indicabat in eo præsentem Quin de templo loquatur Isaias dubitare non possumus;
addit enim (v. 4.) *Et commota sunt superliminaria* C
cardinum à voce clamantis, & domus repleta est fumo. In Scripturis vox illa, *domus*, absolutè posita, intelligitur de templo, quod erat Dei domus.

5. *Et dixi: væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum; & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & Regem Dominum exercituum vidi oculis meis.*

Advertit Isaias hanc objectam sibi visionem esse ipsius Dei, qui præsentem se faceret; undè timore corripitur, ut fieri solebat, ubi quis viderat Dominum: *Vidi Dominum, moriar*, inquiebant etiam viri sanctiores.

6. *Et volavit ad me unus de Seraphim, & in* D
manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari.

Angelus de altari tulit forcipe calculum, id est, carbonem; ut habet fons; quo tetigit labia Prophetæ; quod confirmat, quod dicimus, fuisse oppositam oculis Isaiæ templi imaginem. Addit Propheta: *Seraphim stabant super illud*, nempe super illud solium: in Græcâ versione ἐν κύκλῳ αὐτοῦ *in circuitu ejus;* designans Cherubim Arcæ, quos ideò appellat *Seraphim*, id est, ignitos, à שרף *ussit, combussit;* quia aspectus eorum, ut loquitur Ezechiel Cherubim describens, erat quasi æris in fornace liquefacti & candentis. Formam Seraphim & Cherubim eandem esse liquet. Utrique enim pennati. Nec difficultatem movere potest quòd Seraphim ex
Isaiâ habeant sex alas; totidem enim habere pote- F
rant Cherubim Ezechielis, quanquam omnes non ille recensuit; sed & alarum numerus speciem mutare non potest. Clamabant Seraphim, *Sanctus, sanctus, sanctus. Dominus exercituum.* Castra Israël nominantur exercitus Dei. Animalia visa Joanni, quæ Cherubim fuisse constat, in has easdem voces erumpebant; ut certum sit Seraphim non multùm discrepare ab his animalibus quæ Cherubim appellantur; & quæ, ut loquitur Athanasius in synopsi, erant ζῶον τετραπρόσωπον animal quadriforme; quippe pedes cujusque Cherubim erant vitulini; recti quidem ut hominis, sed planta omnino vitulina: Manus verò hominis sub pennis eorum. Cherub Ezechielis 10. 7. manum suam extendit ut
ignem

lapidem sumat; quod & facit Seraphim de altari car- A
bonem forcipe accipiens. Pergit Isaias.

7 *Et tetigit os meum, & dixit: ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.*

Præmittit hanc visionem sequenti vaticinio; quasi dicat se non ausum fuisse populum compellare tam duris verbis, nisi ipse fuisset ad hoc missus.

8. *Et audivi vocem Domini dicentis: quem mittam? & quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me.*

9 *Et dixit vade & dices populo huic: Audite audientes & nolite intelligere, &c.*

Cætera quæ sequuntur, non ad huncce locum pertinent. In his autem visionibus omnia quæ possunt parere admirationem, & insolitâ apparitione B
in se convertere oculos, simul occurrunt. Audiebatur sonus maris & castrorum. Quasi ipsum firmamentum descendebat in terras. Quod autem in Prophetiâ nominatur firmamentum, aliqui, ut diximus, habent pro tympano, sive umbellâ currûs cui insidebat Deus. Mihi vero illud firmamentum est ipsum stratum currûs, quod oculis Prophetæ qui illud è terrâ aspiciebat, tanquam cælum apparebat.

Daniel vidit Deum sed visionem suam non omnem descripsit. (capite 7. v. 9.) Attamen pariter exhibet Deum sedentem flammeo in throno, cui subjicit rotas igneas. Igneum, inquam, fluvium dicit visum sibi egressum à facie sedentis; ut visio- C
nis istius non alia fuerit species, quàm quæ conspecta fuerat aliis Prophetis. Addit Deo, qui sub formâ senis apparebat, adstitisse millia millium & decies centena millia, nempe Angelorum. Deo semper adest numerosus cælestium spirituum exercitus, cujus imaginem subjiciebant sensibus Israëlitarum castra tot hominibus frequentia. Iterum dicam in istis omnibus visionibus corporeas Dei & rerum divinarum formas objectas fuisse, quæ Prophetarum animis dignas Deo ingererent cogitationes. Visio Joannis quam narrat in Apocalypsi, hæc omnia quæ in aliis visionibus sunt observata complectitur. Illi objecta est imago Tabernaculi, sive templi, cùm Deum vidit. *Et conversus sum*, in- D
quit, (Apoc. cap. 1 v. 12) *ut viderem vocem quæ loquebatur mecum. Et conversus vidi septem candelabra aurea.* Hæc candelabra admonebant Joannem se à Domino Jesu compellari, quemadmodum Deus inhabitans inter Cherubim Arcæ, juxta quam situm erat candelabrum, olim compellaverat Moysen. Dicit *septem candelabra*, vel propter septenarium lucernarum numerum, vel quia in templo plura erant candelabra, ut suo loco dicetur. Docet Joannes septem lucernis candelabri aurei [cap. 2.] significatum numerum multiplicem Episcoporum & cæterorum virorum clarorum, per quos illustraretur Ecclesia. Paradisus terrestris ostensus est Joanni typus paradisi cælestis; dixitque ei Deus se daturum de ligno vitæ his qui victores evaderent. Pa- E
riter declaratur [cap. 3.] columnas Jachim & Booz, quibus vestibulum templi exornatum videbimus, fuisse typum virorum in Ecclesiâ fortium. *Qui vicerit*, inquit Dominus Joannem alloquens, *faciam illum columnam in templo Dei mei.*

Et statim fui in spiritu, loquitur Joannes (cap. 4. v. 2.) *& ecce sedes posita erat in cælo, & supra sedem sedens. Et qui sedebat similis erat aspectui jaspidis, & sardinis: & iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinæ.* Convenit illam speciem in quâ majestas Dei apparet præ omni re esse conspicuam. Talis lux magna inter varios illos colores, qui fulgent in iride. (v. 4.) *Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor. Et super thronos viginti quatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.* Viginti illi quatuor senes, sunt ipsi principes viginti classium, in quas dividebantur Sacerdotes, qui Deo deserviebant, munera sua obeuntes in albis vestimentis. Itaque ista imago visa Joanni exhibebat Deum in cælo, qualis quantusque erat in terris in Tabernaculo, circa quod tentoria sua ponebant Levitæ [5.] *Et de throno procedebant fulgura & voces & tonitrua.* Ut olim de Arcâ, quæ erat thronus Dei, exibant oracula, sive vox audiebatur. In his quæ sequuntur, alluditur ad Arcam, in cujus conspectu erat candelabrum. *Et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei.* Tum & ista confirmant sententiam nostram. [6] *Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile chrystallo.* Innuitur vas illud ob capacitatem dictum mare, positum ante Tabernaculum. Etenim antequam templum ædificaretur, ante ostium Tabernaculi vas erat capax, ex quo pedes & manus ministri abluebant. Hujus vasis aqua perlucida erat, ut chrystallus.

Et in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante & retro. Nempe circa thronum Dei, ut circa Tabernaculum ejus olim in deserto fuerat exercitus Israël, qui pro suis præcipuis insignibus habebat quatuor illa animalia. Illa oculis plena dicit Joannes; quod cogitari non potest, nisi ibi oculus juxta morem loquendi Hebræorum, sumatur pro colore. Illa, inquam, animalia coruscabant variis coloribus, qui quasi igne micabant, ut oculi ardentiores. Parùm decenter multiplex oculorum forma effingitur à Pictoribus, qui hanc visionem delineant. (7.) *Et animal primum simile leoni, & secundum animal simile vitulo, & tertium animal habens quasi faciem hominis, & quartum animal simile aquilæ volanti. Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas.* Hæc animalia non habebant quidem quadruplicem formam, & in eo discrepabant ab antiquis Cherubim; sed referebant exercitum Israëlitarum qui sub quatuor præcipuis vexillis, horum animalium imagine signatis, militabant, cum viginti quatuor senibus, hoc est, cum Sacerdotibus laudantes Deum in istâ visione Joannis.

Animadversione imprimis dignus qui Joanni exhibitus est agnus cap. 5. stans quasi occisus in medio animalium & seniorum. Scilicet in imagine Dei inhabitantis in templo cernitur & imago sacrificii, quod extra templi atria non fiebat. Ipsa autem victima est Christus, quem figurabant tot agni occisi. Habet ille agnus, qui Christus est, septem cornua, symbola multiplicis potestatis. Clamant senes & animalia, hoc est, totus Israël ad agnum. (12.) *Occisus es & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & linguâ, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes & regnabimus super terram.* Omnem virtutem, & auxilium omne expectabat Israël à Messiâ quem oportebat pati. Sic senes viginti quatuor dicuntur cecidisse in facies suas coram agno; omnis enim religio veteris fœderis erat in Christum. Habent illi singuli senes citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum; quia Sacerdotum & Levitarum, munus erat psallere in templo, diversa musicæ instrumenta pulsare. Proprium Sacerdotum munus fuit adolere, sive incendere odores, quibus significabantur orationes Sanctorum, quæ ad Deum perveniunt; ut supra dicebamus.

Conspectus est Joanni (cap. 7.) Angelus, qui prohibet ne electis nocerent hi Angeli, *quibus datum erat nocere terræ & mari.* Ille Angelus signat eos, qui Dei sunt. Joannes recenset Israëliticas tri-

bus: & numerum eorum qui ex illis tribubus signati erant, quod demonstrat has omnes tribus numerosas typum fuisse electorum, quos Ecclesia complectitur; quodque docet Joannes omnes in sanguine agni ablutos. Quod sequitur [cap. 8.] clarè demonstrat in istâ visione visum & Tabernaculum. Sic enim Joannes (v. 3.) *Et alius Angelus venit, & stetit ante altare habens thuribulum aureum: & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei.* Ibi indicatur altare thymiamatis, quod & aureum dicebatur; & collocatum erat ante Arcam, quæ est thronus Dei. Imaginem templi objectam fuisse Joanni evincitur his verbis ejus. (cap. 14. v. 15. *Et alius Angelus exivit de templo clamans voce magnâ ad sedentem super nubem.* Nempe ad Deum qui nubem probabat præsentem. Sed illud templum quod exhibitum est, in cælo cernebatur (v. 17.) *Et alius Angelus exivit de templo, quod est in cælo.* Ubi Angeli repræsentantur ut Sacerdotes capite 15. v. 5. *Et ecce apertum est templum Tabernaculi testimonii in cælo, & exierunt septem Angeli habentes septem plagas de templo, vestiti lino mundo, & candido, præcincti circa pectora zonis aureis.* Munere enim Sacerdotali fungebantur; & ideo induti erant vestes suo congruentes ordini. Phialas habebant ex quibus, ut olim Sacerdotes libabant oleum & vinum, ita & illi mala effundebant in terram cui irascebatur Deus. [v. 8.] *Et impletum est templum fumo à majestate Dei & de virtute ejus.* Cùm apparuit gloria Dei in Templo Salomonico, sic illud implevit fumo, ut ministri sua munia obire non possent. Exibetur Christus (cap. 19. v. 14) tanquam victor; quem, ut ait Joannes, exercitus qui sunt in cælo sequebantur. Appellatur (v. 16.) *Rex Regum & Dominus dominantium.*

Quod addit Joannes (cap. 21.) comprobat non solùm templum, sed & urbem Jerusalem fuisse typos Ecclesiæ. Vidit Joannes *novam Jerusalem descendentem de cælo à Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* Illa sponsa est Ecclesia, quæ ubique in novo fædere decoratur hocce titulo. Audit Joannes vocem illam. (v. 3.) *Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Deus Ecclesiæ suæ præsentissimus est. In monte alto collocatur ista nova Jerusalem, habens claritatem Dei, ideò conspicua omnibus. Quadrangula fuit, sive in quadro posita; quæ figura erat castrorum Israël. Habet & duodecim portas; quia ad illam undique confluunt populi. Singula latera castrorum Israëlis patere potuerunt tribus portis, per quas sibi propias quæque tribus egrederetur & ingrederetur.

Datus est Joanni [cap. 11. v. 1.] calamus similis virgæ, ut metiretur templum & altare & adorantes in eo; nempe spatium illud in quo erat altare holocaustorum, & ubi adorabatur, quod dicebatur interius atrium. Apparebat in istâ visione & atrium exterius; de quo fiet sermo cum de templo disseremus. Angelus metitur novam civitatem (cap. 21.) quæ major reperitur, & templo veteri, & ipsâ urbe Jerusalem; quia Ecclesia plurimas gentes exceptura erat, non coarctata Judææ limitibus. *Templum non vidi in eâ,* inquit Joannes; (v. 22) ut doceretur Ecclesiam Christi, sive Christianos non astringi loco, ut Israëlitas quibus alibi quàm Jerosolymis non licebat facere sacrificia. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum.* Sanctitatem Ecclesiæ prænuntiabant castra Israëlitarum, à quibus arcebantur leprosi, & immundi omnes.

De sede agni procedentem fluvium vidit Joannes (cap. 22.) Sic Ezechiel viderat aquas egre-

A dientes de templo. Jucundâ simul & tremendâ visionis suæ descriptione recreat Joannes Christianos; sive potiùs confirmat adversùs persecutiones tum præsentes, tum futuras. Intererat ergo indere Christianorum animis magnam existimationem de Deo, qui suos electos servare potest, & vindictam de inimicis eorum sumere; illum scilicet exhibere, qualem se fecerat Moysi & Prophetis manifestum. Quisquis considerabit illas visiones, in quibus Deus apparuit eâ in gloriâ, quâ Arcam Tabernaculi inhabitabat, agnoscet magna & veneranda mysteria intra illam delituisse. Omnia facit Deus in pondere & mensurâ; singula ejus opera summam & infinitam
B ostendunt potentiam. Quid autem tantâ existimatione dignum sub Tabernaculi cortinis tegebatur? Quid & ipsa Arca, si hanc solam spectes, haberet tanti pretii? Illa quidem facta erat ex ligno imputribili, quod aurum obduceret: servabat duas tabulas, in quibus Deus decem præcepta, summa legis suæ capita scripserat; sed si quid hisce lapideis tabulis majus & sanctius non complexa esset, frustra in eam tota populi religio conversa fuisset; & inditus tantus pavor Israëlitis ne in illam curiosò aspectu peccarent. Non eos vana religio incesserat. Hujus Deus ipse auctor, qui tot minas non intentasset eam aspernantibus, si illam permisisset potiùs quàm imperasset; & non instituisset tanquam signum & symbolum Christi venturi, qui ab æterno
C Filius Dei, Verbum ejus, credendus & colendus erat à primo mundi exordio.

CAPUT VI.

De altari æneo, sive holocaustorum; & victimarum mactatione, respersione sanguinis earum, & de cæteris sacrificiorum operibus; quæ non inchoabant ministri, nisi abluti aquis ænei labri.

SECTIO I.

D *De materiâ altaris holocaustorum, loco, formâ, mensuris.*

Ante Tabernaculum in atrio, sive in areâ subdiali situm erat altare holocaustorum; quod erectum est ut in eo fierent sacrificia, omnium religiosorum operum præstantissimum, quo nempe vivum animal mactabatur. Undè huic mactationi tanta vis, tanta dignitas, tanta excellentia, infrà quærremus. Post mactationem animalis effundebatur sanguis ejus ad pedem altaris, quod & eo respergebatur; supra autem illud igne qui semper ibi ardebat, certa victimarum membra cremabantur.
E Ergo ut liber nidor carnium in fumos abiret; & copiâ sanguinis, locus non inficeretur, hoc & altare non fuit concludendum sub tecto intra parietes. Apud Gentiles eâdem de causâ sub dio locabantur altaria. Æneid. 2.

Sedibus in mediis, nudoque sub ætheris axe,
Ingens ara fuit.

Apud Pausaniam frequens est mentio ararum ἐν τῷ ὑπαίθρῳ sub dio sitarum. Quædam ædes sacræ erant aut sine tecto, aut perforatæ, quale illud Dei Termini templum apud Ovidium in Fastis.

Nunc quoque se supra ne quid nisi sidera cernat,
Exiguum templi tecta foramen habent.

Illas quidem ædes continuus aër perflasset & tetro odore purgasset, quem in cæteris copia sanguinis cum muscarum molestia procreasset, nisi inter-

fuisset miraculum, quale illud quod Ælianus narrat libro quinto Historiæ animalium cap. 17. Muscas Pisatides eo tempore, quo Olympiacum festum celebrabatur, veluti inducias cum incolis simul & peregrinis solitas pacisci. *Mirum autem*, inquit ille, *inter tot sacrificia, & sanguinis passim fluentis copiam, & carnes suspensas, abesse velle, ac sponte ultra flumen Alpheum discedere.* Idem libro 11. cap. 8. asserit in Leucade insulâ ubi est fanum Apollinis Actii, cùm festum instaret, bovem mactatum muscis, cujus sanguine saturatæ recederent, veluti munere ad id faciendum persuasæ. Perpetuum altaris incendium satis abigebat muscas ut similia miracula comminisci non opus sit.

Altare, de quo loquimur, dicebatur holocaustorum a præstantiori sacrificio, cui inserviebat. Græci appellant ὁλόκαυστον *holocaustum*, sacrificium, quod totum igne absumebatur: Hebræi nominant עולה *olah* à verbo עלה *ascendit*; quia tota victima in altare ascendit, & in fumum igne absumpta sursum abit. Quævis etiam sacrificia nomine holocausti insigniuntur; ut illud altare dictum fuerit holocaustorum, quia in eo omnia fiebant sacrificia; æneum verò propter materiam ex quâ conflatum. Formam & materiam ejus præscribit Deus in Exodo, capite 27.

1 *Facies altare de lignis setim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine, id est, quadrum, & tres cubitos in altitudine.*

Quinque cubiti Hebræi faciunt centum pollices Parisinos, sive octo pedes cum unâ tertiâ parte pedis, sive cum quatuor pollicibus. Altum erat tribus cubitis, qui æquant quinque pedes nostrates, ideò altius quàm ut in eo rem sacram possent ministri facere, nisi ascenderent in aream ejus ad disponendas partes victimarum, quæ destinatæ erant flammis. Hæc area, sive summa superficies altaris erat viginti quinque cubitorum Hebræorum, qui faciunt quingentos pollices Parisinos, sive plusquàm 41. pedes; ita locus erat in eo focis, circa quos & Sacerdotes spatiari poterant, ut postea dicemus. Quoad materiam altaris, fabrefactum est de lignis, ne sub pondere ejus, cùm portabatur, Levitæ fatiscerent; laminis verò æneis illa ligna obtecta, ne corriperentur superposito igne. Vir doctus putat hæc solùm adhibita, dum altare conflaretur. Etenim, inquit, lignum æri subjectum post aliquot sacrificia in carbones & cineres redactum fuisset, propter ignis vehementiam. Reponi potest quorumdam lignorum eam esse proprietatem, ut igne non facilè absumantur quod de larice adstruit Vitruvius libro secundo cap. 9. » Larix, inquit, etiam flammam ex igne non recipit; nec ipse potest ardere, nisi, uti saxum in fornace ad calcem » coquendam, aliis lignis uratur: nec tamen tum » flammam recipit, imò carbonem remittit, sed » longo spatio tardè comburitur. » Præterea structura altaris obstabat ne cito ligna ejus igne consumerentur; quia craticula supponebatur focis; & ambiente aëre, & intùs novo semper subeunte, lignei parietes ejus non inflammabantur. Verisimile est huic altari suppositum fundamentum. Nempe vel terra aggerebatur, vel congerebantur lapides in fundamentum ejus. Tum & circa illud ducebatur fossa; quâ exciperetur sanguis, qui effundendus erat in omni sacrificio ad fundamentum, sive pedem altaris. De hocce fundamento interpretor verba illa Exodi, quæ præcipiunt terram aggerendam, vel congerendos lapides in altare. Sed prosequamur verba sacri codicis.

2. *Cornua autem per quatuor angulos ex ipso erunt: & operies illud ære.*

A Præcepit Deus ut ex altaris angulis producantur cornua, nempe ipsi altaris anguli. Dissentiunt Interpretes de horum cornuum figurâ, & usu. Alii intelligunt radios, aut coronidem: alii pyramidulas turbinatas in quatuor altaris angulis extantes. Certum est fuisse angulos ad extra protensos, sed quidam volunt fuisse curvatos ad cornuum tauri vel arietis figuram; quæ cornua ænea in extremis altaris angulis latè prominebant, & forsan contorquebantur. Hæc sententia videtur ipso cornuum nomine confirmata. Josephus loquens de altari, quod in templo Salomonis fuit, dicit illud habuisse κερατοειδεῖς γωνίας *angulos in formam cornuum protensos*; de quibus disseremus diligentius cum de templo Salomonis

B sermo fiet. Hocce autem loco quærere decet in quem finem erigerentur ista cornua. Alii putant illis hostias mactandas illigatas. Verum non vinciebantur, ut videbimus; quasi Deo non gratæ essent si non sponte mactarentur. Alii adhibita cornua, sive angulos altaris in cornua productos, ut hoc insigni ostenderetur ejus potentia, quatenus typus fuit crucis in quâ Christus immolatus est; & ideò imbuendum erat sanguine victimæ; quo Sacerdos intingebat digitum & illinebat cornibus in hunc usum paratis. Sic docebat Deus vires expectandas à cruce Christi. Idcirco ubi instabat periculum ad illa confugiebant Israëlitæ, ut fecit Joab in libro tertio Regum capite 11. (v. 28.....) *Fugit ergo Joab in Tabernaculum Domini, & apprehendit cornua alta-*

C *ris.* An reipsâ manu tangeret incertum mihi videtur. Fons habet *apprehendit in cornua*, ut significaretur adhæsisse ipsis angulis altaris, & propè accessisse ut mortem fugeret; undè subjicitur v. 29. *Nunciatumque Regi Salomoni, quòd fugisset Joab in Tabernaculum Domini & esset juxta altare.* Loco jussus egredi, *non egrediar*, inquit Joab, *sed hic moriar.* Plerasque aras gentilium ex cornibus fuisse contextas legere est; sed alia horum forma. Plutarchus scribit Lycurgum saltasse circa aram ceratonam, quæ ex cornibus compacta erat omnibus sinistris.

3. *Faciesque in usus ejus lebetes ad suscipiendos cineres, & forcipes atque fuscinulas & ignium recepta-*

D *cula, omnia vasa ex ære fabricabis.*

In fonte סירות ollas facies, quibus suscipiendi cineres, cùm altare purgabatur. יעים *jahis* derivatur hoc nomen à verbo יעה *rejecit, removit.* Sunt qui interpretantur *verrere*; undè reddunt. *Et palas ejus*, quibus scilicet altare verreretur. Non malè *forcipes*, instrumentum aptum ad removenda altaris purgamenta. Hæc, inquam, & cætera instrumenta, quibus opus, in ministerio altaris, conflanda erant ex ære. Josephus aurea dicit, vel ambitiosè, vel corruptis ejus codicibus.

4. *Craticulamque in modum retis æneam, per cujus quatuor angulos erunt quatuor annuli ænei;*

5. *quos pones super arulam altaris: eritque craticula usque ad altaris medium.*

E Latinus Interpres ibi Græcos sequitur καὶ ὑποθήσεις αὐτοὺς ὑπὸ τὴν ἐσχάραν τοῦ θυσιαστηρίου κάτωθεν. *Et suppones eos sub craticulâ altaris ab imo.* Illi relativum referunt ad annulos; fons verò hodiernus: pones אותה *othah* eam, subter כרכב *vecturam, vehiculum.* Legerant Græci מכבר *craticulam*; quæ lectio videtur clarior & magis connexa. Etenim craticula, & altare habebant suos distinctos annulos; ut seorsim portarentur. Latinus Interpres per *arulam* significat ἐσχάραν, nempe aliud receptaculum ignis, sive foculum.

Qui Hebræo codici hodierno adhærent per כרכב intelligunt ambitum altaris; intra quem locanda erat craticula. Eâ formâ exhibeo altare. Cavum

erat in ſummitate ejus. Circumquaque extendebatur deambulacrum ſatis latum, ut in eo verſantes miniſtri obirent munia ſua, ſive ſtruendo focos, ſive componendo membra victimæ comburendæ. Occupabat craticula medias partes, nempe arulam, ſive focum. Aër, cui illa pervia, ſi quidem in formam retis diſpoſita erat, ignem alebat; & cineribus tranſitum præbebat. Foculus enim altaris, inquit Joſephus, non habebat quidpiam ſubſtratum, niſi ipſam terram, quæ excipiebat quidquid ignitum ſupernè decidebat, τῆς βάσεως ἀδεμαντος ὑποκειμένης. Gelenius reddit iſta verba, *quòd baſis nulla ſubeſſet.* Opinor à Joſepho indicari non ubique baſim altari ſuppoſitam; & in aliquâ parte caruiſſe, quâ cineres ad terram libere deciderent. Ergo cùm, flammâ altaris ſurgente versùs cælum, novus aër magno impetu accederet, ſic ventus perpetuò flaret, vivacior ignis holocauſta conſumebat; & ideò, ut quidam putant, altare, aut iſta craticula, ſive reticulata crates appellatur ab Ezechiele אריאל *ariel*, hoc eſt, *leo potens*, ſive leo Dei, quia, ut leo prædam cito diſcerpit, & dilacerat, illa abſumeret victimas. De hiſce nominibus *ariel*, & *hariel*, ſuo loco diſſeremus, ubi inducemus Ezechielem metientem altare Salomonici templi. Craticula altaris admoveri vel removeri poterat ope annulorum qui erant in quatuor angulis ejus; ſive cùm motis caſtris aſportandum erat altare, ſive cùm nova craticula inſucenda erat; abſumebatur enim igne altaris perpetuo. Deſcendebat craticula uſque ad dimidium altaris. Ignis parcebat lateribus ejus ligneis, ut diximus, quia diſſita aliquo intervallo à foco; lata enim erat area altaris. Attamen id Judæi miraculo tribuunt.

6. *Facies & vectes altaris de lignis ſetim duos, quos operies laminis æneis.*

Ornamenti causâ, neque enim metus vectibus ab igne, qui non immittebantur in circulos, niſi cùm altare portandum erat.

7. *Et induces per circulos, eruntque ex utroque latere altaris ad portandum.*

Etiam cùm portabatur altare, fovebatur ignis quem præceperat Deus eſſe perpetuum, alebatur; ita non inutiles laminæ æreæ quibus vectes muniebantur.

8. *Non ſolidum, ſed inane, & cavum intrinſecùs facies illud, ſicut tibi in monte monſtratum eſt.*

Alioquin ponderoſius fuiſſet, cùm continuò ſedes mutandæ eſſent. Saltem in omni parte altare non habebat fundum, quò internè prorſus clauderetur, ut jam innuimus. Sic excitabatur ignis, ut videmus fieri in craticulis quæ in fundo ventis perviæ ſunt. In hocce loco Exodi, cui immorati ſumus, præcipitur altare faciendum; quod factum adſtruitur in capite 38. Exodi. Ubi menſuræ ejus protinus declarantur.

1. *Fecit & altare holocauſti de lignis ſetim, quinque cubitorum per quadrum, & trium in altitudine.*

Singuli cubiti æquant pedem Pariſinum cum 8 pollicibus; ita ipſa ſumma area altaris conſtans 25 cubitis erat 41 talium pedum cum 8 pollicibus. Cùm ergo altum eſſet altare tribus cubitis, ita quinque pedibus, Sacerdotes non potuiſſent miniſterium ſuum exercere, in ſummâ ejus ſuperficie, nempe focos inſtruere, holocauſta diſponere comburenda niſi hanc conſcendiſſent. In medio erat craticula ubi foci & ignes. Spatium occupabant cornua. Inter craticulam & hæc cornua relinquendus fuit locus, quem Sacerdotes operam ſacris dantes poſſent circuire; qui ideo dicebatur circuitus altaris. Cornuum & circuitus ſpatium non hic definitur. De cornibus Scriptura tantùm innuit hæc eadem fuiſſe cum ipſis altaris angulis.

2. *Cujus cornua de angulis procedebant, operuitque illud laminis æneis.*

3. *Et in uſus ejus præparavit ex ære vaſa diverſa lebetes, forcipes, fuſcinulas, uncinos & ignium receptacula.*

Non mirum ſit omnia inſtrumenta illa fuiſſe ex ære conflata; hactenus enim ferrum ferè incognitum fuerat, ut obſervavimus in ſecundo libro hujuſce operis.

4. *Craticulamque ejus in modum retis fecit æneam, & ſubter eam in altaris medio arulam.*

Fons reddi poteſt: *Et fecit altari cribrum opere retis æris ſubter ambitum ejus ab infra uſque ad medium ejus.* Deſcendebat, ut dictum eſt craticula, quæ inſtar cribri perforata erat, uſque in mediam partem altaris. Ita tum ligna, tum partes comburendæ contineri intra eam poterant.

5. *Fuſis quatuor annulis per totidem retiaculi ſummitates, ad immittendos vectes ad portandum.*

Ita, quod diximus, proprios vectes craticula habebat. Tum horum illos quibus portabatur altare, ære obtexit Moyſes.

6. *Quos & ipſos fecit de lignis ſetim & operuit laminis æneis.*

7. *Induxitque in circulos, qui in lateribus altaris eminebant: ipſum autem altare non erat ſolidum, ſed cavum ex tabulis & intus vacuum.*

8. *Non ſolidum ſed inane & cavum intrinſecus facies illud ſicut in monte tibi monſtratum eſt.*

Hocce itaque 38. caput Exodi continet repetitionem, cap. 27. Circa verò tum materiem, tum formam altaris, multa habet ejuſdem Exodi caput 20. quæ non ſunt prætermittenda, immò ſibi vindicant peculiarem expoſitionem.

SECTIO II.

Altari æneo ſubjiciebatur fundamentum aut ceſpititium, aut lapideum, circa quod ducebatur foſſa. Ad altaris ſummitatem non gradibus, ſed colle aſcendebatur.

QUæritur an altari quod erat æneum tribus cubitis altum, inſuper ſubeſſet fundamentum quo erigeretur; ita ut præter partem æneam quâ conſtaret ſummitas ejus, alia pars inferior ſubjiceretur. Decuit altaria eſſe excelſa, & ex altitudine ſuâ nomen acceperunt. Saltem in Græcâ & latinâ linguâ. *Altare* dicitur, quia altum. Id indicat nomen *ara*; *Æneid.* 1.

Saxa vocant Itali, mediiſque in fluctibus, aras,
Dorſum immane mari ſummo.

Et VI.

aramque ſepulcri
Congerere arboribus, caloque educere certant.

Videre eſt in libro Joſuë capite 22. duo tribus Ruben & Gad cum dimidiâ Manaſſe erexiſſe altare *infinitæ magnitudinis.* Tumulus quidem erat in monumentum, ut dicebant, ſed cæteri Iſraëlitæ habebant pro altari in quo victimas offerrent. Hinc colligitur tunc temporis altaria holocauſtorum fuiſſe excelſa; nam non ita erat de illis in quibus incenderentur odores, quale fuit altare Tabernaculi. Hæc animadvertimus, ut conjecturam noſtram de baſi altaris ænei probemus. In argumentum etiam poſſumus adducere, quod Salomonicum altare quale deſcribitur ab Ezechiele, habuerit fundamentum, crepidinem, & ſummam partem, quæ dicebatur *harel*, ſive mons Dei. Nam ſi quidpiam ſimile non occurriſſet ex juſſu Dei in altari Taber-

naculi, profecto non subjecisset Salomon altari, quod struebat, tale fundamentum, suis tantùm differens majoribus mensuris a Mosaico; habebat quidem partes majores, sed non diversas. Memorat Esdras lib. 1. cap. 3. 2. basim in altari. *Et ædificaverunt altare Dei Israel, ut offerrent in eo holocautomata, sicut scriptum est in lege Moysi, viri Dei. Collocaverunt autem altare Dei super bases suas.* על מכונתו *hal mechonothau*, id est, super fundamenta, supra bases; ut ea perficerent quæ in lege Moysi præscripta erant. Perpendamus quod circa altare præcipit Deus in capite Exodi 20.

24. *Altare de terrâ facietis mihi & offeretis super eo holocausta & pacifica vestra, oves vestras & boves, in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei: veniam ad te & benedicam tibi.* Illam terram ex quâ altare parandum declarat Deus, vocatur אדמה *Adama*; qualis erat illa ex quâ Adam formatus, nempe terra virginea, aratro intacta. Per terram intelligi possunt vivi cespites ex quibus mos quondam fuit gentilium iter facientium aras subitarias struere. Tertullianus in Apologetico appellat *temeraria de cespite altaria.* Aras de *cespite vivo*, ut loquitur Horatius, quas Virgilius *gramineas* appellat. Videbimus gentilium sacra fuisse imitamenta sacrorum, quæ à primis Hebræorum Patriarchis instituta sunt; undè ex gentilium sacris deduci potest cognitio rerum quæ pertinent ad sacrificia veri Dei. In hocce autem loco Exodi, ubi altare præcipitur de terrâ faciendum, puto sermonem fieri non de summâ parte, quæ erat ænea, sed de fundamento altaris; quod ut citò pararetur, cùm mutabantur castra, permittebat Deus ut fieret ex fortuitis cespitibus tumultuario opere.

25. *Quod si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus: si enim levaveris cultrum super eo, polluetur.*

Cur Deus tradidisset hocce præceptum, si nusquam ædificandum erat tale altare lapideum? Certè ab eo tempore, quo ea præcepta tradebat Deus, conflatum est altare æneum. Quapropter hæc quæ dicuntur de altari lapideo, non possunt accipi nisi de fundamento ænei altaris; quo non caruit, ut passim innuitur in sacro codice. In capite 8 Levitici id narratur factum à Moyse. 15. *Hauriens sanguinem & tincto digito tetigit cornua altaris per gyrum, quo expiato & sanctificato, fudit reliquum sanguinem ad fundamentum ejus.* אל יסוד *el isod*; quod nomen sæpiùs redditur à LXX. θεμέλιον *fundamentum*, sed etiam pluries βάσις *basis*; quâ voce Latinus Interpres utitur quoties de effundendo sanguine ad pedem altaris sermo fit. Pars enim sacrificii, ut dicemus, erat ista sanguinis effusio ad altaris sive pedem, sive basim, sive fundamentum. Idcirco circumdabatur fossâ quâ exciperetur sanguis effusus, tum & ille quo altare fuerat imbutum, sive respersum, cùm defluebat; alioquin atrium stagnasset tabo. Fossâ quâ præcingebatur altare templi per occultos canales sanguinem emittebat in torrentem Cedron, ut suo loco videbimus; ex fossâ vero altaris Tabernaculi potuit sanguis effluere in occulta receptacula. Incredibilis hostiarum numerus certis diebus solemnibus mactabatur; ita mira sanguinis copia affundebatur altari.

De fundamento altaris consideremus iterum fuisse illud vel cespititium, vel lapideum. Cespes vivus dicebatur à Romanis terra, cui adnata erat herba, & cædebatur in modum lateris. Si basis altaris strueretur lapidibus, Deus præcipiebat fieri non ex sectis, id est, quos ferrum attigisset; idcirco eligebantur integri, & magnâ curâ Rabbini dicunt afferri solitos ex loco qui vallis domus vineæ diceba-

A tur, *ram*, inquiunt, *ibi lapides integros & eximios reperire erat, atque effodere infra in fundo virgine, hoc est, tali, ubi ante nunquam effoderant.* Loquuntur illi de lapidibus altaris quod erat in templo. Hæc autem pro figmento Rabbinico non habenda esse monet, quod Philo dicit libro de Offerentibus victimas. Ἐκ λίθων λογάδων ἀτμήτων συνῳκοδόμηται, καὶ ἐν ὑπαίθρῳ παρὰ τοῖς τοῦ νεὼ προβάσεσιν ἵδρυται. *E sacris collectitiis, impolitis extruitur in atrio juxta templi vestibulum.* Locus ille meliùs verteretur, *ex lapidibus selectis sed impolitis structum est.* Eam certè curam adhibuerunt Macchabæi, cùm aram eversam excitarunt lib. 1. cap. 4. v. 47. *Et acceperunt lapides integros secundùm legem, & ædificaverunt altare novum secundùm illud quod fuit priùs.* In Græco fonte lapi-

B des illi dicuntur ὁλοκλήρους; hoc est, totâ forte suâ constantes; quibus totum inest quod forte obtigit. Josephus libro quarto Antiquitatum capite 8. eandem legem profert hisce verbis; fit altare unum ἐκ λίθων μὴ κατειργασμένων, ἀλλὰ λογάδην συνειλεγμένων. Gelenius interpretatur: *ex lapidibus non politis sed collectitiis constructum.* Clericus, *ex lapidibus non politis, sed qui priùs sparsim jacerent.* Vox λογάδην in lexicis vertitur *lectè, electè.* Lapis quidem cæsus non magis pollutus, sive sordidus censeri debet; itaque Deus dicit lapides cæsos, pollutos, hoc est, ad structuram altaris ineptos, quia cùm semel dixisset se nolle è cæso lapide sibi altaria strui eo, ipso ferro polluta censebantur omnia saxa cæsa, hoc est, ei usui inep-

C ta. Videlicet voluerat Deus ut tumultuario opere, citra ullas moras fierent altaris fundamenta; quæ lex semel à Deo posita, valuit etiam cùm templum ædificatum est. Nec res caruit mysterio; Christus enim & arâ repræsentari potuit, ipse ex virginali utero egressus. Alii alias causas reddunt. Non displicet quod dicitur: altare subitarium citò everti potuisse, quando mutabantur castra; ne superstes schismati & vetitæ religioni locum præberet. Interminatus enim erat Deus ne extra Tabernaculum, & postea extra templum quis sacrificaret. Alii addunt, ne Israëlitæ imitarentur altaria idololatrarum vanis ornamentis decorata. Sed & quandoque aras Ethnici sine arte parabant, ut testatur illud O-

D vidianum lib. 3. Amorum Elegia 13.

Accipit ara preces, votivaque thura piorum
Ara per antiquas facta sine arte manus.

Ergo illud, *si levaverit cultrum super eo polluetur*, sic interpretamur: habendum erit illud altare pro profano. Quasi dixerit Deus, volo ut altare fiat subitarium, arte non adhibitâ; intuens forsan crucem filii sui, quæ, ut fieri solebat, de ligno haud arte dolato parabatur. Hanc legem iterum inculcavit in Deuteronomio capite 27. v. 5. *Et ædificabis ibi altare Domino Deo tuo de lapidibus, quos ferrum non tetigit, 6. & de saxis informibus & impolitis.* Revertamur ad Exodum, ut cœptum ibi de

E altari sermonem absolvamus.

26. *Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudo tua.*

Cùm altare de quo disserimus, superponeretur fundamento, præter tres cubitos partis vivæ æneæ, habebat & sui fundamenti altitudinem. Ministris ergo scandendus ejus vertex, ut operarentur sacris, sive ad componendum ignem, sive ut disponerent in craticulâ membra hostiarum. Lex autem ista vetat ne hùc per gradus ascenderent; ergo colle aliquo aggesto, ut dicunt Judæi; quibus testimonium perhibet Josephus loquens de lapidibus quibus constructum altare: ἦν δ' ἐπὶ τούτων ἀνόδευσις οὐ μὴν διὰ βαθμίδων, ἀλλὰ προσχώσεως αὐτοῦ κατὰ πρανὲς τῆς ὀφρύος. *Ascensusque sit ad illud altare non per gradus, sed terrâ le-*

niter per acclive aggeſtâ. Clivus carebat gradibus, & æquali ſuperficie ad ſummum altare ducebat. Hanc rationem præcepti dat Moyſes *ne reveletur*, inquit, *turpitudo tua*, ne ſcilicet pars corporis innominata retegeretur; quod contigiſſet ſi per ſcalam Sacerdotibus aſcendentibus laxas eorum tunicas ventus agitaſſet, & ita, patefactum eſſet quod pudor non ſinit apparere.

Ab hocce loco non alienum eſt quod Cicero agens de decore in libro primo de Officiis, dicit pro verecundia contra Cynicos. Oſtendit veteres Romanos eam rationem habuiſſe verecundiæ ut & illam exigerent ab ipſis Scenicis. *Scenicorum quidam*, inquit, *mos tantam habet à vetere diſciplinâ verecundiam, ut in ſcenâ ſine ſubligaculo prodeat nemo. Verentur enim ne quo caſu evenerit, ut corporis partes quædam aperiantur, adſpiciantur non decorè.* Inſitus erat Julio Cæſari iſte verecundiæ amor, quem eâ die quâ occiſus eſt demonſtravit; ubi enim novit *undique ſe ſtrictis pugionibus peti*, rem Suetonius narrat, *togâ caput obvolvit: ſimul ſiniſtrâ manu ſinum ad ima crura deduxit, quò honeſtiùs caderet, etiam inferiore corporis parte velatâ.* Non ſolùm rebus ſacris operans, ſed nullibi Sacerdotiſſa Romana flaminica ſcalis uti poterat; ut obſervat A. Gellius in Noctibus Atticis libro decimo cap. 15 *Scalas, quæ Græcè κλίμακες appellantur, eas aſcendere ei plus tribus gradibus religioſum eſt.* Hunc locum quidam putant corruptum, & ſic corrigunt. *Scalas niſi, quæ Græcæ appellantur, eas aſcendere ei plus tribus gradibus religioſum eſt.* Huicce correctioni favet quod habet Servius ad hunc verſum quarti Æneidos, quo Didonem furentem deſcribit.

& altos
Conſcendit furibunda rogos,

» Furenti ſimilis, inquit Servius, additque, ſanè » quidam volunt Virgilium ubique Didonis, tam» quam flaminicæ facere mentionem. Eandem le» gem paulo fuſiùs enunciat. Apud veteres, flamini» cam, plus tribus gradibus, niſi Græcas ſcalas ſcan» dere non licebat, ne ulla pars pedum ejus, cru» rumve ſubter conſpiceretur; eoque nec pluribus » gradibus, ſed tribus, ut aſcenſu duplicis niſûs non » paterentur extolli veſtem, aut nudari crura; nam » ideò & ſcalæ Græcæ dicuntur, quia ita fabrican» tur, ut omni ex parte compagine tabularum clau» ſæ ſint, ne adſpectum ad corporis aliquam partem » admittant. » Hæc animadverto ut liqueat quomodo etiam apud gentiles honeſtatis ratio habita ſit. Ita magis decuit ut in religione veri Dei non minùs pudori eſſet conſultum.

Hæc lex de gradibus ad altare prohibitis, poſita eo ipſo tempore quo cæteri Moſaici ritus ordinati ſunt, reſpiciebat quod tunc ſtructum erat altare; tribus tantùm altum cubitis ratione partis ſuæ æneæ ſed pluribus propter ſubditam baſim lapideam vel ceſpitiam; alioquin Deus incaſſum dixiſſet: *non aſcendes per gradus ad altare meum.* Primis temporibus, cùm rudia erant artium initia, non illæ ſcalæ Græcæ quas deſcribit Servius, adinventæ fuerant. Simplicioribus utebantur veteres; ut nunc fabri in ſtruendis ædibus: per quas qui aſcendit ſine femoralibus, verecundiora corporis præbet aſpicienda infernè aſtantibus. Sunt qui ſentiant ibi tantùm à Deo vetari altaria tantæ altitudinis, ut niſi gradibus in cacumina eorum nemo evadere poſſit. Verùm, ut diximus, decebat altaria excelſa eſſe. Quod ſtruxit Salomon, habebat decem altitudinis cubitos, hoc eſt, ſexdecim pedes Pariſinos cum duabus tertiis partibus unius pedis; ita vel colle vel gradibus ad illius verticem Sacerdotes aſcendebant. Veriſimile ergo eſt altare Moſaicum eam habuiſſe altitudinem, ut niſi gradibus, vel colle ad ſummam aream ejus Sacerdotes pervenire non poſſent. Gradus erant prohibiti, ſive altare ex juſſu Dei carebat gradibus; clivus igitur æquali ſuperficie ad illud ducebat. Circuitus altaris qui in ſummo erat non latus eſſe potuit ob anguſtiam ſpatii, cujus magnam partem occupabat opus reticulatum; quandoque in hoc circuitu ambulandum erat miniſtris. Præterea ſanguis victimarum cornibus adſperſi, infra ambitum quoque ſpargi & ad baſim effundi nonnunquam debuit; indè Relandus cum multis aliis triplicem clivum ſtatuit, unum medium, eumque altiſſimum, alterum ad dextram, tertium ad ſiniſtram ducentes ad utrumque altaris circuitum uti in altari Salomonico quod deſcripſit Ezechiel; & habebat diverſas crepidines *des retraites*, in quibus Sacerdotes ſtarent dum, verbi causâ, cornua ſanguine intingebant. Tribus, inquam, dictis clivis, ſive collibus poterant illas aſcendere altitudines, quæ ſatis apparent in delineatione altaris, quam oculis ſuis ſubjectam, Lector, diligenter intuere. Rem fuſiùs exponemus in libris de templo. Sed hîc adverte Miniſtros potuiſſe circuire altare, illius diverſas partes ſanguine reſpergere, & reliquum ſanguinem effundere ad fundamentum ejus.

SECTIO III.

Victimas omnes juſſerat Deus eligi integras & ad altare æneum adduci. Qui offerebant, confitebantur peccata ſua ſuper earum caput imponentes manus.

ANtequam ultra progrediar loqui de altari æneo quod paratum erat ſacris faciendis; in naturam & originem, ſacrificiorum inquirendum eſſet, ſed cum id faciam alibi oportuniùs, hîc agam de ratione in genere ſacrificiorum faciendorum; & primùm de victimarum delectu. Omnia ſacrificia fiebant ex animalibus mundis & integris; quæ autem illa eſſent, neminem latêri poterat; lex enim Dei liquidò declarabat nullum animantium genus niſi è bobus, capris, ovibus, columbis, aut turturibus ad ſacrificia adhibendum eſſe. Horum ſumma eſt manſuetudo, magna in terra Canaan copia, & præcipuus in victu communi uſus; quod & ſervabant Ethnici, de quorum ſacrificiis ſic loquitur Lucianus. « Conſtitutis aris, inquit Latinus ejus Interpres, deſignatis ſacrorum ſeptis, puris « vaſis collocatis, victimas offerunt, bovem arato- « rem agricola, agnum opilio, caprum caprarius. « Hæc erat materia ſacrificiorum. Præſtantiſſimum erat ſacrificium è bobus, ut adſtruit Plinius lib. 8. cap. 45. *Hinc victima opima & lautiſſima Deorum placatio.* In multo pretio bos erat, *ſocius hominum in ruſtico opere, & Cereris miniſter*, ut loquitur Varro lib. 2. de Re ruſticâ cap. 5 Obſervandum autem ſæpiùs vitulos oblatos in ſacrificia, & bos ἀζυγας indomitos, qui jugum non ſubierant; ſed potiſſimùm vitulos, tauros. Primiades Helenus in Iliade Z.v. 94. præcipit Troianis ut voveant in templo mactandos anniculos, nimirum, ut verbis utar Ovidii, in tertio Amorum Eleg. 13. *Vitulos nondum metuendâ fronte minaces*, nempe quibus vix nata cornua. Delectus autem victimarum ſtatim fiebat à teneris unguiculis, ut indicat Virgilius in 3. Georgicorum.

Poſt partum cura in vitulos traducitur omnis:
Continuòque notas, & nomina gentis inurunt:
Et quos aut pecori malint ſubmittere habendo,

Aut aris servare fueris, aut scindere terram.

Quidquid offerebatur altari, priùs magnâ curâ explorabatur an dignum esset, ut præcipit Deus in Deuteronomio cap. 15.

21. *Sin autem habuerit maculam, vel claudum fuerit, vel cæcum, aut in aliquâ parte deforme vel debile, non immolabitur Domino Deo tuo.*

Moyses Deum his verbis loquentem inducit in Levitico 22.

21. *Homo qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota solvens, vel sponte offerens, tam de bobus, quàm de ovibus, immaculatum offeret, ut acceptabile sit: omnis macula non erit in eo.*

Sine vitiis victimæ dicuntur in fonte Hebræo תמימים *thmimim*, id est, integræ. De ratione sacrificii est, ut vicaria anima quæ mactatur pro sonte, ipsa insons sit.

22. *Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem: non offeretis ea Domino, nec adolebitis ex eis super altare Domini.*

Animal non est integrum, cui deest quidpiam ex membris corporis; vel cujus quæpiam membra fracta, attrita, debilitata corrupta sunt. Idcirco boves quibus amputatæ aures, vel amputata cauda, rejiciuntur.

23. *Bovem & ovem, aure & caudâ amputatis, voluntariè offerre potes, votum autem ex eis solvi non potest.*

Quia debet solvi votum oblato animali integro.

24. *Omne animal, quod vel contritis, vel tusis, vel sectis, ablatisque testiculis est, non offeretis Domino, & in terrâ vestrâ hoc omnino ne faciatis.*

Castrantur animalia sectis & ablatis omnino testiculis, vel tusis. Castrationis genus est quod, ut docet Columella libro sexto cap. 26. adhibetur teneræ ætati, sine vulnere, dum comprimuntur & confringuntur testiculi. Omnes Judæi sic hunc locum interpretati sunt, ut omnino non liceret ullum animal in terrâ Israël castrare. Id astruit Josephus in Antiquitatibus lib. 4. cap. 8. *Castrare nec homines liceat, nec ullum aliud animal.* Integris tauris vix coloni uti possunt in vertendis agris & in aliis operibus, ideò quidam restringunt illud *omnino ne faciatis*, ad sacrificia, in quibus bovem castratum mactare nefas est.

25. *De manu alienigenæ non offeretis panes Deo vestro, & quidquid aliud dare voluerit: quia corrupta, & maculata sunt omnia: non suscipietis ea.*

Sic intelligo; nec panes etiam ab alienigenis accipietis, quos in munus offeratis Deo; quia censeri debent maculata, quæ ab his proficiscuntur. Sunt qui intelligunt victimas, quæ veluti sunt sacrificiorum cibus. Fiebant quidem pro gentilibus sacrificia, sed de eorum pecuniâ comparabantur victimæ, quæ vir Judæus eligebat idoneas.

26. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:*

27. *Bos, ovis, & capra, cùm genita fuerint, septem diebus erunt sub ubere matris suæ: die autem octavo, & deinceps offerri poterunt Domino.*

28. *Sive illa bos, sive ovis, non immolabuntur unâ die cum fœtibus suis.*

Etenim non ante septimum diem ista purgantur immunditie, in quâ nascuntur omnia animantia. Matrem super liberis occidere, res est crudelis; à quâ ut revocarentur Israëlitæ, vetat Deus ne pariter fœtus cum parente mactaretur. Maimonides in suo magno tractatu Jadchasucha, sive manu forti, recenset res altari interdictas. Numerat quinquaginta vitia, quæ pariter hominem æque ac pecudem temerarent: tria & viginti quæ propria pecudi essent; in quibus explicandis ille est diligentior Plura scire non refert quam quæ in Levitico præscribuntur.

Post delectum, victima erat adducenda ad ostium Tabernaculi; à tempore quo illud erectum est & altare æneum fuit collocatum supra basim suam, non alibi licuit offerre sacrificia Altare opponebatur ostio Tabernaculi; & ad illud victimæ, quarum sanguis fundendus erat in circuitu altaris, adducebantur. Ex hac adductione omnia quæ offerebantur dicuntur Hebraïcè קרבנות *corbanoth* à verbo קרב *appropinquavit, adauxit.* De adducendis corbanoth ad ostium Tabernaculi præceptum Domini est in Levitico 17.

8.... *Homo de domo Israël & de advenis qui peregrinantur apud vos, qui obtulerit holocaustum sive victimam.*

9. *Et ad ostium Tabernaculi testimonii non adduxerit eam, ut offeratur Domino, interibit de populo suo.*

Iterat illud præceptum Dominus in Deuteronomio 12. sed ibi non solùm loquitur Dominus de altari, sed & de loco altaris ubi aliquando statuendum erat; nempe templo condito. Pergamus exponere ordinem sacrificiorum; nempe quid fieret, cùm ad ostium Tabernaculi victimam stitissent. Qui eam adduxerant sacrificandam, capiti ejus imponebant manus. Sic Deus jusserat in Levitico cap. 1.

2.... *Homo qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, id est, de bobus, & avibus offerens victimas,*

3. *si holocaustum fuerit ejus oblatio, ac de armento; masculum immaculatum offeret ad ostium Tabernaculi testimonii ad placandum sibi Dominum:*

4. *ponetque manum super caput hostiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem ejus proficiens.*

Hocce præceptum sæpiùs renovatur. In peccatis totius populi seniores omnes manus ponebant super caput vituli qui pro ignorantiâ populi offerebatur. Levit. 4.

15. *Et ponent seniores populi manus super caput ejus coram Domino.*

Hocce ritu designabatur res vel persona aut morti devota aut Deo commendata. Impositio verò manuum potissimùm indicabat eum qui offerret ponere suo loco victimam, in quam conferret onus proprii sui peccati; ut observat Theodoretus quæstione 61. in Exodum. « Signum, inquit, hoc erat victimam locum subire offerentis, & pro illo accipi mactationem. » Quisquis, inquam, offerret victimam, agnoscebat se commeritum mortem, si Deus pœnas repetere voluisset, sed ejus benignitate, sibi succedere victimas mox jugulandas. Ideò conjungebatur cum impositione manuum confessio peccatorum, quorum in ultionem, sive purgationem mactatio fiebat, ut videre est in illo hirco qui oneratus peccatis omnium Israëlitarum expellebatur castris, eo ritu qui describitur in Levitico 16. observandus à summo Sacerdote die solemni expiationis.

20. *Postquàm emundaverit Sanctuarium, & Tabernaculum, & altare, tunc offerat hircum viventem:*

21. *& positâ utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israël, & universa delicta atque peccata eorum: quæ imprecans capiti ejus, emittet illum per hominem paratum in desertum.*

animos perderent, & placido vultu admotas manus paterentur. Allegat Kramerus Talmudistarum testimonia, qui istam incisionem dicunt à Rabbi Jochanam sublatam, quia vitio similis esse videbatur; & in hujus loco constitutos annulos, quibus victimæ innecterentur, domarenturque. Hi verò annuli diversimodè ab Hebræis exhibentur. Juxta Maimonidem in glossis suis ad tractatum sotam. *Catenas ferreas terræ infixas confici jussit* Jochanam, *quibus pedes victimarum coercerentur.* Alii, ut Bartenora, volunt annulos unâ parte terræ annexos fuisse; factos instar arcûs non integri sed dimidii, quibus colla hostiarum, dum mactarentur, indebant, atque tum alteram partem annuli etiam terræ infigebant. Nempe virga erat ferrea, vel calibea in terreo solo quæ ad instar arcûs torqueri poterat circa collum hostiæ quod sic innectebat. Colligit inde Kramerus ligationem hostiarum in Hebræorum sacris nunquam receptam fuisse; alioqui necessariam, quando tauros mactare oporteret *Jochanam*, inquit Bartenora, *annulos fieri voluit, quia victimam jugem ligare nefas erat.* Quomodo autem illi Judæi sibi constant, qui dicunt agnum jugis sacrificii colligatum, quia Isaac colligatus est à patre, ut narratur in Genesi capite 22. v. 10.... *Cùmque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum.* Reponunt Rabbini in agno non vinctos duos pedes anteriores simul, & simul duos posteriores; sed anteriorem cum posteriore colligant.

Apud Gentiles poparum, sive cultrariorum officium erat mactare victimas. Nulli peculiari ministro hocce munus demandabatur apud Hebræos; omnes enim Israëlitæ ex qualibet tribu orti poterant cædere hostiam. *Omnes mactare possunt, & mactatio eorum recta est.* Ut dicitur capite 1. tractatûs *Cholim*, sive de profanis in Misna. Res constat etiam de holocaustis; ut adstruit Josephus libro tertio Antiquitatum capite decimo. Ἀνὴρ ἰδιώτης ὁλοκαυτῶν, θύει μὲν βοῦν καὶ ἄρνιον καὶ ἔριφον. *Vir privatus holocautomata facturus, mactat bovem, agnum & hædum.* In sacrificiis Gentilium alii mactabant, alii suscipiebant sanguinem, ut videre est in illo sacrificio quod describit Virgilius in sexto Æneidos.

Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem
Suscipiunt pateris.

Sed clariùs id significat Homerus in tertio Odysseos; ubi dicitur Thrasymedes astitisse gestans securim quâ bovem cæderet, & Perseus pateram tenuisse recipiendo sanguini. Apud Hebræos proprium munus Sacerdotale erat excipere sanguinem; ut dicit Maimonides in *Maase corbanoth* capite 4. *Exposuimus superiùs*, inquit ejus Interpres Latinus, *victimarum jugulationem rectè fieri etiam per homines alienos*, nempe alios quàm Sacerdotes; *Sacerdotis autem esse officium sanguinem earum excipere, & cætera porrò munia obire. Cunctarum igitur victimarum sanguis excipiebatur manu Sacerdotis in vas sacrum.* Id liquidò declaratur in primo capite Levitic. *Homo qui obtulerit ex vobis victimam Domino.... offeret ad ostium Tabernaculi.... ponetque manum super caput hostiæ.... immolabitque vitulum coram Domino, & offerent filii Aaron Sacerdotes sanguinem ejus, fundentes per altaris circuitum.* Sacerdotum sic ministerio opus erat, ut intelligeret is, qui victimam adduxerat, se commeritum pœnas, & sine mediatore non posse Deum adire. Modum autem jugulationis exponit Maimonides in tractatu *schechitha*, id est de Ratione jugulandi. *Modus jugulandi est, ut resecentur signa duo, quæ sunt aspera arteria, & œsophagus.* Ita & in tractatu de Ratione

A faciendorum sacrificiorum loquitur idem Rabbinus capite 4. ubi de mactatione agit. *Sanguinem victimæ prorsus omnem excipere constituendum erat. Hoc igitur modo res tota fiebat. Apprehendebantur manu signa pecudis*, id est gula, & aspera arteria, *quæ signa protrahebantur simul cum venis versùs pateram suppositam: tum signa illa resecabantur aut ambo prorsus, aut amborum pars major, ut exciperetur vase supposito sanguis omnis. Culter autem jugulationis sursum extollebatur ne sanguis ex eo distillaret, sed ex gutture ipso deflueret, qui in cultro sanguis inerat, abstergebatur in orâ pateræ.*

SECTIO V.

B *Victimæ sanguis paterâ exceptus portabatur ad altare, quod eo respergebatur.*

EXcipiebatur sanguis victimæ, ut dictum est, paterâ quæ asportabatur ad altare, imbuendum sanguine sacrificii, ritu quem protinus explicabo. Cùm per totum atrium licitum esset facere sacrificia leviora, sive minùs sancta, quandoque longè asportandus erat sanguis. Tunc, quod fusè dicemus agentes de agnorum paschalium immolatione, ordinabantur plurimæ Sacerdotum series à loco mactationis usque ad altare, ut illi de manu in manum multâ celeritate pateras sanguinis plenas deferrent ad altare. Effusio autem illa sanguinis, quo respergeretur altare, passim memoratur in Levitico capite primo v. 5.... *Et offerent filii Aaron Sacerdotes sanguinem ejus, fundentes per altaris circuitum, quod est ante ostium Tabernaculi.* Ad quod alludebat, ut jam dixi, Paulus Apostolus comparans se victimæ, ut significaret mortem suam instantem, cùm scribebat: *Ego enim jam delibor.* σπένδομαι, idem sonat quod θύομαι. Mactabatur victima cùm effundebatur sanguis ejus; diversâ autem ratione aspergebatur sanguis pro specie sacrificii. In aliquibus solùm ad pedem altaris effundebatur, unâ aspersione; in aliis in circuitu. In quibusdam velum interius respergebatur, tum & cornua altaris aurei, ut in sacrificio vituli quod offerebatur pro peccato. Levit. 4.

5. Hauriet quoque Sacerdos de sanguine vituli, inferens illum in Tabernaculum testimonii.

6 Cùmque intinxerit digitum in sanguine, asperget eo septies coram Domino contra velum sanctuarii;

7. ponetque de eodem sanguine super cornua altaris thymiamatis gratissimi Domino, quod est in Tabernaculo testimonii, omnem autem reliquum sanguinem fundet in basim altaris holocausti in introitu Tabernaculi.

In capite septimo Levitici de hostiâ pro delicto precipitur. 2.... *Sanguis ejus per gyrum altaris fundetur.* Ea erat pars, præcipua sacrificiorum, undè αἱμάσσειν βωμοὺς imbuere aras sanguine dicitur pro sacrificare, ut cùm Virgilius indicat se sacra facturum Augusto Cæsari, canit in primâ Ecclogâ.

: illius aram
Sæpè tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

Cavebant Sacerdotes, ne quem ex jugulo victimæ exceperant pateris, sanguis concresceret; idcirco in festo die Expiationis, in quo ipse summus Pontifex mactabat victimam propriis manibus, & paterâ excipiebat sanguinem, dabat illam, dum adoleret, alteri Sacerdoti, qui eam agitabat, ut partes sanguinis attereret & attenuaret ne concrescerent. Hoc dicebatur *miscere sanguinem*; ut dicitur in Misna in tractatu Joma, sive de die Expiationis capite 4.

3. *Mactabat ipsum & paterâ excipiebat sanguinem, dabatque ei qui miscebat eum.* Sheringamus in notis ad hunce tractatum dicit baculo attritas partes sanguinis; & in hunc finem usos fuisse Sacerdotes vasis acuminatis, quæ manu tenerent, & sic calescerent. Horum vasorum fit mentio in tractatu Pesachim capite 5. *Et non erant funda pateris, ne fortè deponerent ipsas & sanguis concresceret.* In aspersionibus autem religio erat ut fierent debitis locis. Misna in tractatu *Tsebachim*, sive de sacrificiis capite secundo, admonet ne quis effundat sursum sanguines qui debent effundi deorsum. Scilicet, ut exponit Rabbi Bartenora, infra vel supra filum סקרא, quod altare in medio cingebat. Sparsiones sanguinis ad spatium quinque cubitorum supra filum istud, vocabantur superiores; qui verò ad quinque B cubitorum spatium infra filum, sparsiones inferiores.

Istam aspersionem sanguinis jam diximus ritum fuisse longè sanctissimum; quippe quo vita, animave hostiæ Deo reddi censebatur pro animâ reâ. Sanguis vehiculum vitæ & animæ est, ut ipse dicit Dominus in Levitico capite 17. 11. .... *Anima carnis in sanguine est: & ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro anima piaculo sit.* Videntur Dæmones qui honores divinos suffurabantur, potissimùm delectati sanguine. Deos Gentilium exhibet Lucianus in libello de sacrificiis muscarum more affusum aris sanguinem C bibentes τὸ αἷμα πίνοντες τοῖς βωμοῖς προσχεόμενον ὥσπερ αἱ μυῖαι. Joannes in Apocalypsi capite 6. v. 9.... *Vidi*, inquit, *subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant.* Intuebatur martyres, qui veluti victimæ sanguinem suum profuderant; & cùm templi sive Tabernaculi imago subjiceretur oculis ejus, videbatur sibi videre Martyrum sanguinem, qui mactati fuerant pro Domino, effusum de more ad radices altaris holocaustorum; neque enim ad pedem altaris aurei deferebatur victimarum sanguis. Ibi anima ponitur pro sanguine. Vidit animas Martyrum subtus altare; quia videbat sanguinem eorum subtus effusum, nempe in fossâ quæ altare circumdabat; & in quam, de- D fluebat respersus sanguis.

SECTIO VI.

Pelle detractâ, victimæ concidebantur in partes; quarum aliæ igni altaris destinabantur; & ad illud deferebantur priùs sale conspersæ. Cæteræ reservabantur epulis sacris. Adjungebantur sacrificiis pium far & libamenta.

IDeò satagimus rationem faciendorum sacrificiorum explicare, ut apertiora sint quæ de his leguntur in Levitico; non enim restat locus simili sacrificali operi, quo cujuspiam animalis sanguis effundatur. Prosequamur ergo ordinem quem ille liber indicat servatum in sacrificiis. Post mactationem victimæ & effusionem sanguinis ejus, sic Leviticus rem ordinat in primo capite. E

6. *Detractâque pelle hostiæ, artus in frusta concident,*

7. *Et subjicient in altari ignem, strue lignorum ante compositâ:*

8. *Et membra quæ sunt cæsa, desuper ordinantes, caput videlicet, & cuncta quæ adhærent jecori,*

9. *intestinis & pedibus lotis aquâ: adolebitque ea Sacerdos super altare in holocaustum, & suavem odorem Domino.*

His verbis indicantur pleraque quæ fiebant in sacrificio, sed non omnia. Victimæ detrahebatur A pellis: concidebatur in partes, quæ deinde abluebantur: deferebantur ad altare & in strue lignorum compositâ & accensâ comburebantur; sed constat priùs fuisse sale conspersa; & quæ offerebantur Deo cæli & terræ agitatas, sive motas versùs qualibet orbis plagam. Quæ omnia ex ordine exponenda sunt. De pellis detractione sic Maimonides loquitur capite quinto sectione 18 libri de sacrificali Opere. *Omninò hostiarum omnium sanguis postquàm erat aspersus altari, tum denique adolebantur ipsa. Item hostiis primùm detrahebatur pellis, tum exta extrahebantur: nec detrahebatur pellis usque dum sparsus fuerat sanguis. Excipi debent hostiæ pro peccato illa, quæ cremabantur, quibus omninò pellis non detrahebatur, ideò quia de his ita dictum fuit.* Levit. cap. 8. v. 17. cum pelle & carnibus, &c *Patet igitur ex his quæ jam dicta sunt primò spargi sanguinem, deinde pellem detrahi, tum hostiam diffindi, extrahi exta atque adoleri.* 19. *Victimarum sanctiorum seu publicarum, seu privatarum pelles Sacerdotum erant: scriptum est enim* Levit. cap. 7. v. 8. Sacerdos qui offert holocausti victimam, habebit pellem ejus: *victimarum autem minùs sanctarum pelles redibant ad dominos. Porro cujus holocausti carnem altare non obtinebat, ejusdem nec pellem consequebantur Sacerdotes.* Quibusdam videtur incertum an Sacerdotes pellem detraherent, an is ipse qui offerret. Eam in partem Græcus & Latinus Interpres acceperunt sacrum codicem, ut qui in partes conciderent victimam; ipsi huic pellem detraherent. Licuit in levioribus sacrificiis puta Agni Paschalis cuique excoriare victimam suam.

Victimæ prosecabantur in partes. Pro specie sacrificii alia membra cedebant in cibum Sacerdotibus, alia Laicis offerentibus, quæ in ipso loco sancto comederent. Præterea quoniam igne luculento comburendæ carnes quæ imponebantur altari, certa harum dispositio requirebatur. Flamma non facilè corripuisset & incendisset corpus animalis integrum, cujus omnes artus fuissent conjuncti. Idcirco dissolvendi, separandusque adeps, & omnia sic struenda, ut apta essent flammis. Antiquos Gentilium ritus in adornandis sacrificiis scire interest. Vidimus quomodo molâ salsâ conspergerent caput victimæ, pilos ex fronte avellerent, & hanc partem clavâ, vel malleo percuterent. Ubi ceciderat, admovebant jugulo cultros, & pateris suppositis excipiebant sanguinem. Prosequitur Homerus in primo Iliados descriptionem sacrificii.

Αὖ ἔρυσαν μὲν πρῶτα καὶ ἔσφαξαν καὶ ἔδειραν.

Retrotraxerunt quidem primùm & jugulaverunt & excoriaverunt. Scholiastes Homeri dicit olim sacrificulos solitos αὖ ἐρύειν, id est, retrorsum inflectere cervicem victimæ, ut videretur cælum respicere, nempe cùm Diis cælestibus sacra erat; Heroibus enim defunctis mactata cogebatur dimittere ad terram oculos.

Μηρούς τ' ἐξέταμον, κατά τε κνίσῃ ἐκάλυψαν.

Coxasque secuerunt, arvinaque cooperuerunt. Coxæ, sive femora præcipuè ex omni victimâ Diis offerebantur; undè frequentissimè Homerus illud usurpat πίονα μηρία καίειν pingues coxas incendere ad notandum sacrificium κνίσσα est propriè arvinæ, sive pinguedinis incensæ fumus, nidor, vapor, & odor ex carnibus quæ torrentur. Satagebant ut plurimus ille nidor esset; ideò duplicabant arvinam, sive pinguedinem.

Δίπτυχα ποιήσαντες, ἐπ' αὐτῶν δ' ὠμοθέτησαν.

Duplicata facientes, super ipsis autem cruda posue-

runt. Satagebant, ut ad hunc versum notat Eustatius, totas coxas incendi luculento igne. Ἦν γὰρ σπουδὴ ὁλοκαυτωθῆναι τοὺς μηροὺς λαμπρῶς καταφλεχθέντας πυρί. Nec aliter putabant καλλιερεῖν, hoc est, sacrificium beneplacens facere; ut loquitur Scriptura, sacrificium boni odoris coram Deo. Apud Homerum ὠμοθετεῖν fit, ut docet Eustatius, cum coxis quæ pinguedine sive omento operiebantur, crudæ particulæ ex omnibus membris decisæ apponuntur ut simul & cum adipe incendantur veluti primitiæ ex universo animali. Revertamur ad sacrum codicem.

Deus præcipit ut detractâ pelle artus hostiæ concidantur in frusta, in quæ nempe solet dividi. Verterunt LXX. κατὰ μέλη *membratim.* Hæc frusta idem Vulgatus mox appellat *membra.* Locum hunc Junius & Tremelius reddunt; *Deinde nudans pelle illud holocaustum, dividet illud in membra sua.* Præcipit, inquam, Deus ut accendatur ignis in altari, lignis aptâ strue dispositis, super quam struem Sacerdotes disponant frusta victimæ, nempe, ut ibi loquitur Vulgatus, membra in quæ fuerit divisa victima. *Proficias* appellant Romani partes victimæ quæ adolebantur, ut docet Festus. In isto Levitici loco, in quo versamur, indicantur partes adolendæ, nempe *caput, & cuncta quæ adhærent jecori.* In fonte est פדר *peder;* quod nomen LXX. interpretantur στέαρ *adipem.* Adnumerantur intestina, pedes, exta, ea quæ intùs sunt, proprie viscera. Fons non nominat pedes, sed כרעים *cheraaim*, id est, crura Attamen ubi Philo loquitur de animalibus sacrificio aptis, videtur illam partem interpretari τοὺς πόδας *pedes;* pariter & Vulgatus. Illud autem quòd sæpiùs legimus in sacro codice. *In holocaustum & suavem odorem Domino.* Lucem accipit ex iis quæ protulimus ex Gentilium ritibus, videlicet interpositam crudis particulis multam pinguedinem, ut sacrificium igne absumptum emitteret plurimum nidorem versùs cælos; quasi hocce nidore videretur Deus delectari. Partes extorum quæ incendebantur appellabant Romani *ablegmina*, ut discimus ex Festo. Illa Hebræi nominant אימורים, quæ Maimonides distinguit in opere toties allegato. Verba ejus adducit Outramus & interpretatur. » Hæc sunt, » inquit, in bobus caprisque אימורים ablegmina: » adeps quæ operit intestina, quâ comprehenditur » adeps ventriculi, ambo renes, eorumque adeps, » cum adipe ilibus adhærente. Item reticulum je» coris, quocum aufert is qui victimam prosecat, » jecoris particulam. Sin fortè quicquam ex gene» re ovillo immoletur, his ablegminibus caudam » integram addit unà cum articulis usque ad renum » regionem pertinentibus. Dictum est enim in ter» tio capite Levitici, contra spinam dorsi auferet » eam. » Caudæ scilicet ovium apud Syros, uti refert Plinius lib. 8. cap. 48. admodum grandes esse solent, seboque quodam onerari; quo factum arbitror, inquit Outramus, ut ablegminibus adderentur in arâ ritè adolendis. Abluere intestina victimarum & כרעים crura, sive pedes jubet Deus: *intestinis & pedibus lotis, &c.*

Videbimus ubi de templo sermo fiet, in atrio ubi altare, fuisse dispositas mensas, quales verisimile est habuisse atrium Tabernaculi, in quibus prosecarentur hostiæ. Indè membra earum deferendа ad altare per collem; quo apparatu, narrat Maimonides citati operis capite 6. » Jam membra ho» locausti, inquit, plures ad collem altaris transfe» rebant Sacerdotes: nempe si fuisset holocaustum è » minori pecore transferebatur per Sacerdotes sex. » Primus igitur caput hostiæ atque posterioribus è » pedibus alterum portabat. Is dextrâ tenebat ca» put, sicut nares converteret ad brachium suum, » cornua inter digitos interessent, & sursùm tolle» retur locus jugulationis, qui erat adipe opertus; » lævâ verò de pedibus hostiæ posterioribus dex» trum gestabat, ita ut pars illa pedis, in quâ pel» lis inerat exterior esset. » Non vacat totum hunc locum Maimonidis exscribere. Definit quas partes & quo ritu cæteri Sacerdotes deferrent, cujus ritûs nulla fit mentio in codice sacro. Attamen non ideò censeri potest fictitius; omnia enim certo ordine fiebant in veteri lege, quare verisimile est, cuique Sacerdoti commissas certas partes deferendas.

Prætermittendus non est ritus quo partes victimæ agitabantur, sive movebantur ad dextram & ad sinistram, prorsùm, vorsùm. Hæc agitatio in fonte appellatur תנופה *thnoupha.* Quin omnis oblatio solet appellari תרומה *throumah*, id est, elevatio, quâ quis attollit munus ad caput, deinde dimissis brachiis ad crura deprimit. Huicce ritui quidpiam simile reperitur apud priscos Romanos. Cato enim de Re rusticâ capite 134. ubi monet ante messem, faciendum sacrificium ex porcâ, sic loquitur. » Priusquàm porcum fœminam immolabis, Jano struem » commoveto sic: Jane pater te hac strue commo» vendâ bonas preces precor, ut sies volens propi» tius mihi, &c. » Ista agitatio præcipitur multis in locis Scripturæ. » Qualis igitur erat ista agitatio? Quærit Maimonides in dicto tractatu capite 9 » Nempe movebatur hùc & illùc, sursùm, & deorsùm. » Quod si sacrificium esset Eucharisticum, sumen» da de pane, qui huic adhibebatur, pars decima, » quæ cum pectore, femore, & extis conjungeretur: » tum cuncta in manibus offerentium agitabantur » sic ut modò diximus. » In manibus offerentium, ut ibi dicit Maimonides, collocabantur adipes, super has autem pectus & femur; & super ista duo, duo renes & reticulum jecoris, quæ omnia postquàm agitaverant, reddebant Sacerdoti. Videlicet hæc agitatio erat oblationis modus, qui præcipitur in Exodo capite 29.

24. *Ponesque omnia super manus Aaron & filiorum ejus, & sanctificabis eos elevans coram Domino.*

In fonte *& agitabis ea thnoupha* agitatione *coram Domino.* LXX interpretantur καὶ ἀφοριεῖς αὐτὰ ἀφόρισμα *& separabis separationem coram Domino.* Ritus ille describitur in Levitico capite 7.

29.... *Qui affert victimam pacificorum Domino, offerat simul & sacrificium, id est, libamenta ejus.*

De verbo ad verbum. *Offerens sacrificium pacificorum suorum Domino, adducet oblationem suam Domino de sacrificio pacificorum suorum.* Videlicet offerat Deo portionem debitam ex more sacrificiorum pacificorum, ut incendatur; nec putet sibi licitum totum comedere sacrificium.

30. *Tenebit manibus adipem hostiæ & pectusculum: cùmque ambo oblata Domino consecraverit, tradet Sacerdoti,*

31. *qui adolebit adipem super altare, pectusculum autem erit Aaron & filiorum ejus.*

De verbo ad verbum. *Manus ejus adducent agitationes Domini.* את אשי יהוה, id est, quæ debent adoleri, igne incendi ad gloriam Dei pura adipem; undé LXX. interpretati sunt στέαρ *adipem.* Pergit fons. *Adipem super pectusculo adducet illum, pectusculum ad agitandum agitatione coram Domino* להניף אתו תנופה *Et suffire faciet Sacerdos adipem super altare. Et erit pectus Aaron & ejus filiis.* Sacerdos incendet adipem, cujus nidor, sive vapor & odor sursùm ferentur. Post agitationem sale aspergebantur exta, atque in altari adolebantur, juxta præceptum Domini, in Levitici capite secundo 13. *Quidquid obtuleris sacrificii sale condies, nec aufe-*

res ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo. 14. *In omni oblatione tuâ offeres ſal.* A Nempe ut ipſe Dominus rem explicat apud Marcum cap 9 v. 4 *Omnis victima ſale ſalietur.* Sal autem ſymbolum eſt perpetuitatis ; unde pactum ſalis dicitur quod diuturnum eſſe debet.

Videre eſt in omnibus Ethnicorum ſacrificiis pariter ſal adhibitum ; quod ideò divinum appellatum eſt a Plutarcho, qui in quinto Sympoſiorum quæſtione decimâ allegat illud Homeri πάσσε δ' ἁλὸς θείοιο divino ſale conſperſit. Cavebant, ut puto, ne oblatæ carnes putreſcerent. Prohibebatur ideo mel quo muſcæ alliciuntur ; quarum ex ſemine quod relinquunt, ſtatim enaſcuntur vermes. Sic præcipit Leviticus cap. 2. v. 11. *Omnis oblatio quæ offertur* B *Domino, abſque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in ſacrificio Domino.* Fermentum amovebatur, ne carnes etiam aceſcerent. Ne autem offenderentur oculi ſanguinolentis carnibus, puto ab Ethnicis conſperſas farinâ. Qui mos, ut dicemus, non ſervabatur ab Hebræis. Nullum omnino fiebat ſacrificium ſine ſalſis frugibus, ut dicit Plinius lib. 31. cap. 7. loquens de ſalis præſtantiâ. *Maximè tamen*, inquit, *in ſacris intelligitur* ejus *auctoritas, quando nulla conficiuntur ſine mola ſalsâ.* Mola autem, ut diſcimus ex Feſto, *vocatur far toſtum & ſale conſperſum, quòd eo molito hoſtiæ aſpergerentur.* Illud eſt quod Poëta in ſecundo Æneidos appellat *ſalſas fruges*, id eſt, ut ibi C notat Servius: *ſal & far quod dicitur mola ſalſa: quâ & frons victimæ, & foci aſpergebantur & cultri.* Alibi Virgilius nominat *far pium*; quomodo Horatius & Tibullus.

Inter ſymbola Pythagoræ citatur illud: Ἄπεῤ ἀλφίτων μὴ θύειν, id eſt, non eſſe ſacrificandum ſine farinâ. Non cuique occurrebat pecus in ſacrificium, idcirco, ut dicit Plinius in præfatione ad Veſpaſianum: *Et Diis lacte ruſtici, multæque gentes ſupplicant; & molâ tantùm ſalsâ litant qui non habent thura; nec ulli* [illegible] *vitio Deos colere, quoque modo poſſet.* In deſcriptione ſacrificii quam protulimus de Dionyſio Halicarnaſſæo videre eſt, protinùs frontem victimæ conſperſam fuiſſe Cereali munere. Molam autem, ſive ſal & far Homerus appellat ὀλοχύτας, quas D ſacrificaturi projiciebant tum in frontem victimæ, tum in ignes. Odyſſeos 14.

Καὶ τὰ μὲν ἐν πυρὶ βάλλε καλύψας ἀλφίτου ἀκτῇ.
Fruſtula in ignem conjiciebat polline puro contecta.

Euſtathius putat iſto ritu antiquiſſimum victum adumbratum, ut in ſacrificiis agnoſcerent homines, ſe Deo debere ea quibus victitarent. Olim cibus omnis panis cum ſale. Ideò etiam effundebatur vinum, ut jam diximus ; quod Seneca Tragedus in Thieſte numerat inter ſacrificii apparatum Act. 2.

Non thura deſunt, non ſacer Bacchi liquor,
Tangenſve ſalsâ victimam culter molâ. E

Apud Hebræos triticum offerebatur cum victimâ. Ita in primo Paralip. cap. 21. v. 23. Ornan dicebat : *boves do in holocauſtum, & tribulas in ligna, & triticum in ſacrificium* : in fonte in מנחה *mincha*, id eſt, oblationem ex farinâ. Salſis frugibus frons cujuſque victimæ aſpergebatur, ut probaretur ejus voluntas ; ſi enim non reluctata eſſet, nec obſtupuiſſet, tunc idonea cenſebatur ſacrificio; alioqui Deo non poterat eſſe accepta ; inquit Spondanus commentans Homerum ; & hunc ritum probat hiſce verſibus Horatii lib. 2 Saty. 3.

A *Tu cùm pro vitulâ ſtatuis dulcem Aulide natam*
Ante aras, ſpargiſque molâ caput improbe ſalsâ ;
Rectum animi ſervas ?

Ego arbitror oculis oppletis ſale & farre victimam placidiorem factam ; & eam eſſe primam ritûs originem. Præterea cruore multo ſic non offendebantur oculi ; ideo & cultri farre inſpergebantur. Denique non decebat in ſacris quidpiam offerre quod non eſſet ſapidum ; carnes autem ſale conditæ, & dum torrentur polline conſperſæ, ſapidiores ſunt. Verùm non id conſuetum apud Hebræos, quibus religio erat ſiſtere ſanguinem jugulati animalis : B ſatagebant ut totus efflueret ; vulnus autem inſperſum multo furfure minorem copiam ſanguinis emittit. Victimæ carnes, & molam ſive ſimilam ſeparatim offerebant in ſacrificiis, & adolebant igne altaris, 29. Exodi.

38 *Hoc eſt quod facies in altari : agnos anniculos duos per ſingulos dies jugiter,*

39. *unum agnum mane & alterum veſpere,*

40. *decimam partem ſimilæ conſperſæ oleo tuſo, quod habeat menſuram quartam partem hin, & vinum ad libandum ejuſdem menſuræ in agno uno.*

Itaque non ſimplex farina offerebatur, ſed libum, quod erat genus dulciarii cibi ex oleo & farre. Oleum tuſum, illud eſt quod fit ex oleis tantùm con- C tuſis, quæ prælo non ſubjectæ ſunt. Cùm ergo vinum adjungeretur, ſacrificia erant quaſi opiparum convivium, & primitiæ omnium, quibus jucundiùs vivunt homines.

Paucis abſolvam quæ in hocce articulo exponenda ſuſcepi. In altari erat ſtrues magna lignorum, in quam primùm proſecta victimarum projici ſolebant, nullâ ſitûs habitâ ratione ; poſtea verò ſic diſponebantur, ut qui in vivâ pecude ſitus fuiſſet, quantùm fieri potuit, in arâ quoque ſervaretur ; quod eliciunt Judæi ex his Levitici verbis cap. 1.

7. *Et ſubjiciebant in altari ignem, ſtrue lignorum ante compoſitâ :*

8. *& membra quæ ſunt cæſa, deſuper ordinantes, caput videlicet, & cuncta quæ adhærent jecori.*

D Vocem פדר *pader* interpretatur Latinus, quæ adhærent jecori. Ipſa ſunt inteſtina, adeps ; ut optimè reddatur hic locus. *Fruſta autem*, nempe in quæ conciſa eſt victima, *caput & ſebum*, ſive inteſtina, ſive adipem, *ſuper ligna ordinabant ſacerdotes filii Aaronis.* Ex his fruſtis, ſive proſectis victimæ, pro ratione ſacrificii, cedebant quædam Sacerdotibus, quibus veſcebantur in atrio Tabernaculi. In quibuſdam ſacrificiis & partes quædam reſervabantur offerentibus, quas comederent in loco ſancto, ſive intra illa vela, quibus atrium Tabernaculi præcingebatur, ut loquuntur Judæi in Miſna tractatu Zebachim ſive de ſacrificiis cap. 14. ſect. 4. *Sancta Sanctorum edebantur intra vela ; ſancta* E *levia in totis caſtris Iſraël.* Tenebantur Iſraëlitæ epulari & lætari coram Deo. Et hoc obſervabant Gentiles, ut participes eſſent ſacrificiorum quæ erant veluti epulæ Diis paratæ. In deſcriptione convivii quam facit Homerus, dum adoleret in altari carnes Sacerdos, ſuperlibabat rubrum vinum ; juvenes autem apud ipſum tenebant manibus verua quinque ordines habentia ; quibus aſſarentur reliquiæ victimarum ; ſive partes quæ ab offerentibus reſervabantur comedendæ ; quas illi cœperunt deguſtare, poſtquam carnes altaris aduſtæ ſunt.

Paulò fusiùs diſſeramus de libaminibus quæ ſacrificiis adjungebantur. Quidquid offerebatur vini & ſimilæ unâ cum victimâ, libamina nominantur, inquit Maimonides. Omnia iſta ſimul, victima ip-

sa, vinum, simila, oleum, ab Hebræis dicuntur A קרבנות *corbanoth*, hoc est, dona, sive oblata, nempe Deo, in honorem ejus consumenda. Ferta sunt farinæ oleo & vino subactæ, quæ Deo adolebantur. Corbanoth sive dona ex animalibus nominabantur propriè זבחים *zebachim*. Sacrificia alia corbanoth sive dona ex similâ dicebantur מנחה *minecha*. Simila sive triticea, sive hordeacea ex quâ ferta fiebant, subigebatur vino & oleo. Illa appellantur ferta libaminum; & superaddebatur thus, ut præcipitur in Levitico cap. 11. 1. *Anima cùm obtulerit oblationem sacrificii*, in fonte corban minecha, Domino, *simila erit ejus oblatio* corban, *fundetque super eam oleum & ponet thus.* Non omni pecorum generi eadem similæ, olei, vinique portio, B sed alia bovi, alia arieti, alia capris, alia agnis & hœdis adhibenda fuit. Ferta in altari adolebantur, & vinum affundebatur. Ferta coquebantur vel in clibano, vel in sartagine, vel in craticulâ. Nempe in foco, sub cinere; in vase æneo rotundo, vernaculè *dans des tourtieres*, vel in laminis æneis calefactis, *sur des platines échauffées*. Sic consuetum est ad usum sacrificii Christiani conficere plagas farinarias. Fertorum fruges molebantur, & secernebantur extra loca sancta: in quibusdam verò pinsebantur & coquebantur; & in hunc usum furnus ibi erat è metallo, & sartago, & craticula, ut nos docet Maimonides in allegato tractatu capitibus 12. & 13. Dicit ille id discriminis fuisse inter craticulam C & sartaginem; quòd craticula instructa esset orâ, & quæ in illa coquebatur mola; mollis esset; sed ne excederet, obstabat ora. Illud autem instrumentum quod in Latinâ versione dicitur *craticula*, in fonte nominatur רחשת *rachescheth*, quod potiùs exprimendum erat nominibus aheni, cacabi, & vasis in quo aliquid ebullitur. Certè vas de quo loquitur Scriptura haud similis esse potuit craticulæ, ut vernaculè loquimur, *à un gril*. Sartago autem חבת orâ carebat, in illâ enim coquebatur mola oppidò dura; quæ ergo hinc & indè non excurrebat. Leviticus mentionem facit talium fertorum de clibano, de sartagine, de craticulâ. Sine multo temporis impendio non prosequerer quibus mensuris si- D milæ, olei constarent ferta; quæ coquenda in clibano, quæ in sartagine, quæ in craticulâ pro ratione sacrificiorum.

SECTIO VII.

Sacerdotes altari ministraturi manus & pedes abluebant aquâ ex labro æneo, quod Moyses conflavit è speculis mulierum. Tunc ænea erant specula.

Omnibus hominibus hæc innata est opinio, Deum non adeundum nisi casto animo & corpore, & nulli reo, vel impuro licitum attingere res sacras. Poëta qui virum pium exhibet in Æneâ, E eum inducit alloquentem his verbis Anchisen patrem suum 2. Æneidos.

Tu, genitor, cape sacra manu, patriosque Penates.
Me, bello è tanto digressum & cæde recenti,
Attrectare nefas; donec me flumine vivo
Abluero.

Quin & Gentiles lavare manus religiosè soliti, quoties erant vota Diis libanda. Nestor Iliade 9. pro felici legationis exitu Jovem precaturus φέρτε δὲ χερσὶν ὕδωρ, inquit Achilles oraturus pro salute Patrocli, νίψατο δ' αὐτὸς χεῖρας Iliade 16. Hector quoque verebatur χερσὶν ἀνίπτοισιν Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον. illotis manibus libare. Nec illud Plauti prætermittendum in Aulularia act. 3. sc. 6. *Ego, nisi quid vis, eo lavatum ut sacrificem.* In descriptione sacrificii, quod fit in primo Iliadis; ubi adducta est victima ad altare, primùm manus lavârunt. Idcirco in templis & circa altaria, erant vasa ex quibus aqua suppeteret ad lotionem, cùm non occurrebant viva flumina, nempe aqua perennis ex fonte, vel ex flumine. Ita perinde altaria struebant, & vasa ad purgandas sordes corporis; ut declarant ista Luciani in libello de sacrificiis. Θέμενοι δὲ βωμοὺς καὶ προῤῥήσεις, καὶ περιῤῥαντήρια προσάγουσι τὰς θυσίας. *Tum autem constitutis aris, oraculisque septis & puris vasis victimas adducunt.*

Deus præcavit ut ministri sui non altari deservirent, nisi mundo corpore. Jussit in hunc finem vas B æneum conflari, cujus aquâ pedes & manus Sacerdotes abluerent, antequam accederent ad altare. Exod. 30.

17. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens,*

18. *Facies & labrum æneum cum basi suâ ad lavandum: ponesque illud inter Tabernaculum testimonii, & altare. Et missâ aquâ,*

19. *lavabunt in eâ Aaron & filii ejus manus suas ac pedes,*

20. *quando ingressuri sunt Tabernaculum testimonii, & quando accessuri sunt ad altare, ut offerant in eo thymiama Domino,*

21. *ne fortè moriantur. Legitimum sempiternum* C *erit ipsi & semini ejus per successiones.*

Labrum illud æneum, in fonte Hebræo appellatur כיור *Kiior*, in Græcâ versione λουτήρ. Vox Hebræa videtur derivanda à כיון *basis*, à verbo כון *aptavit, disposuit, paravit, stabilivit*; ita propriè significat basim. Huic vasi subjiciebatur aliud vas, in quo lavabant se ministri. LXX. Interpretes in Numeris cap. 4. 15. ubi fit sermo de ritu quo illud labrum portabatur à Levitis, mentionem faciunt hujus baseos. Καὶ λήψονται ἱμάτιον πορφυροῦν, καὶ συγκαλύψουσι τὸν λουτῆρα καὶ τὴν βάσιν αὐτοῦ, καὶ ἐμβαλοῦσιν αὐτὰ εἰς κάλυμμα δερμάτινον ὑακίνθινον, καὶ ἐπιθήσουσιν ἐπὶ ἀναφορεῖς. *Et sument vestimentum purpureum, & cooperient labrum & basim ejus, & injicient illud in operimentum pelliceum hyacinthinum: & imponent super gestatoria.* Basis illa fuerit D instar pollubri, in quo, ut videre est in apposito schemate, ministri pedes manusque abluebant. Etenim non in ipso labro lavabantur; quod difficile fuisset; tum & aqua tota immunda evasisset, simul ac quis in eam immisisset pedem. Ergo quod de Salomonico, comprobabimus, ex labro Mosaïco per mammas educebatur aqua in vas subjectum, in quo pedes & manus facilè fuit lavare, quia in solo erat. Labrum Mosaïcum cum basi suâ, nempe cum subjecto pollubro, si fuerint ex ære ductili, non multi erant ponderis. Utrique paratum aptum vehiculum, quod traherent boves; ad quorum imitamentum, opinor Salomonem mari æneo subjecisse boves.

Quoad basim, sive subjectum pollubrum & usum ejus nobiscum sentit Maimonides in tractatu Beitha hamicdas, sive de ratione adeundi templi, cap. 5. sect. 10. Atque ut aquâ è labro exiliente « manus abluerentur, præceptum erat: verumtamen si quis ex alio vase ad rem divinam apto la- « visset, benè habuisset: de vasis autem profanis ne- « quaquam consecrabantur. Jam si quis ex vase ad « rem divinam administrandam parato manus lavis- « set extra Sanctuarium, aut intra Sanctuarium la- « visset è vase profano, & faceret, operatio ejus pro- « fana fuisset: porrò autem manus non abluebantur intra labrum ipsum בתוך כיור in medio labro, « aut intra vas aliud divino ministerio consecratum: « scriptum est enim, » lavabunt ex eo Aaron & filii

ejus, » non item in eo: quamquam si quis manus intra labrum abluisset, atque fecisset, nihil profanasset. » Nempe opus quod fecisset, non ideò habitum fuisset pro profano. Sectione decimâ sextâ quomodo fieret pedum & manuum lotio explicat Maimonides. » Jam hæc erat, inquit, manuum consecrandarum ratio. Sacerdos ad pedem dextrum dextram manum applicabat, lævam ad pedem lævum, incurvusque ea simul consecrabat. Et quidquid lustrando corpori obstabat; obstabat etiam consecrationi manuum: non consecrabat autem manus sedens, quia & consecratio ista erat quoddam sacrificium, quod utique stantem facere oportebat: scriptum est enim in Deuteronomio cap. 18. v. 5. *ut stet & ministret.*

Antequàm Sacerdotes etiam intrarent in atria Tabernaculi decebat eos carere omni maculâ. Præcipit enim Deus in Levitico cap 21. 21. *Omnis, qui habuerit maculam de semine Aaron Sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino.* Itaque Sacerdotes alioquin jam mundi, sive purgati antequàm accessissent ad Tabernaculum, operaturi sacris, tenebantur denuò manus & pedes lavare; ad quem ritum, ut puto, alludebat Dominus cùm apud Joannem cap. 13. v. 10. dicebat. *Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet; sed est mundus totus.* Ideò dictum labrum erat situm inter Tabernaculum & altare; ut dicitur in capite 40. Exodi, ubi Deus præcipit quo in loco res sacræ disponendæ essent, incipiens ab Arcâ quæ in Sancto Sanctorum erat, deinde designans locum mensæ, altaris aurei, & candelabri; adjungit 5. *Tentorium in introitu Tabernaculi pones,* 6. *& ante illud altare holocausti:* 7. *labrum inter altare & Tabernaculum.* Quod repetit Deus in fine ejusdem capitis.

27. *Et altare holocausti in vestibulo testimonii, offerens in eo holocaustum, & sacrificia, ut Dominus imperaverat.*

28. *Labrum quoque statuit inter Taberbernaculum testimonii & altare, implens illud aquâ.*

29. *Laveruntque Moyses & Aaron ac filii ejus manus & pedes,*

30. *cùm ingrederentur tectum fœderis, & accederent ad altare, sicut præceperat Dominus Moysi.*

Non hîc definitur ullum altare; ita cuicumque, sive aureo, sive æreo, appropinquare non licebat ulli ministro, qui non lavisset manus & pedes ex aquâ labri; cujus situs cùm tam clarè indicetur in sacro codice; Josephus benignâ interpretatione ad veritatem adducendus est. Postquàm ille descripsit introitum, mox adjungit. Ἐντὸς δὲ τῶν πυλῶν περιῤῥαντήριον ἦν χάλκεον. *Intra januas autem erat aspersorium æneum.* Ibi sermo fit de labro æneo. Reipsâ Moyses illud collocaverat intra ostium Tabernaculi & ostium atrii, sed eo situ, ut proximius esset Tabernaculo inter fores ejus & altare æneum. Qui æneas formas versionis Gallicæ Josephi cudendas curaverunt rem æstimantes ex hodiernâ consuetudine, quia ad primum introitum aspersoria sunt, & locaverunt aspersorium, sive labrum æneum ad primum atrii ostium.

Materia labri non incerta est; dicitur æreum, quia conflatum ex ære: sed illud dignum notatu, istam materiam suppeditatam fuisse à mulieribus, quæ ultro obtulere Moysi specula sua capite Exodi 38.

8. *Fecit & labrum æneum cum basi suâ de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio Tabernaculi.*

Sed, inquiet aliquis, quomodo Moyses labrum istud conflare potuit ex speculis mulierum, quæ ad ostium Tabernaculi excubarent; cùm nondum Ta-

A bernaculum erectum esset? Respondeo, priusquàm erigeretur, omnem ejus supellectilem cum labro æneo paratam fuisse. Fortunatus Scacchius in suo Myrothecio vocem במראת *bemaroth* vertit ἐκ τῶν κατόπτρων ex speculis. Litera servilis ב, ut vidimus, *in* & *cum* sonat. « Non igitur, inquit Scacchius, concha illa fuit facta ex ære illorum speculorum; sed fusâ jam conchâ ex ære oblato à filiis Israël, prout dicitur Exodi cap 35. super basim illius ac concham specula illarum mulierum superposita fuêre; quæ religionis causâ in die erectionis Tabernaculi, & per integros septem dies, jejuniis orationibusque Tabernaculi ac ministrorum consecrationem prosequebantur. Mox subjungit dic-

B tùs scriptor. Specula verò ista non frustra super basim & concham æneam adaptata fuêre, sed ut in altari solaribus radiis ignis excitaretur. Eâ enim de ratione, & non frustra concham hanc inter Tabernaculum atque altare à Moyse in rectâ lineâ, ac debitâ distantiâ collocatam legimus. « Facie quadam ingenii placere potest ista opinio; sed huic nullum subest fundamentum in sacro codice; qui rem animadversione dignam non siluisset. Serò ustoria specula adinventa sunt. Difficultatem autem, quam movet Scacchius, sic solvimus. Reipsâ nondum erectum fuerat Tabernaculum, quando labrum æneum, sive æneam concham fecit Beseleel, sed intelligere possumus cùm Israëlitæ ultro afferrent metalla, aurum, argentum, æs; sua ipsa

C specula contulisse pias mulieres, quæ quidem tunc temporis non excubabant ad ostium Tabernaculi, quod tunc nullum erat, sed postea pio huic muneri sese addixerunt; quo tunc defungebantur, cùm hæc Moyses scriberet. Verbum צבאות *tsabeoth* sonat idem quod *militare, ministrare, turmatim concurrere.* Militia, exercitus, acies constant certâ dispositione, certo ordine; ita ut cogitare liceat, pias illas mulieres fuisse quasi turmam, quæ certo ordine serviret Deo ad ostium Tabernaculi. LXX. Interpretes non צבאות *tsabeoth* legerunt, sed צמות *tsamoth*; undè verterunt ἐνήστευσαν *jejunaverunt.* Ubi agemus de exercitiis harum mulierum duas versiones conciliabimus. Sed nodum ipsum attingamus, quo nempe sensu Moyses dicitur ex speculis mulie-

D rum conflasse concham? Primum dum æs offerrent pii Israëlitæ, & collata sunt à piis mulieribus etiam sua specula. Ita non ex solis speculis conflatum illud vas. Harum mulierum liberalitatem laudibus exornat Philo in libro tertio de vitâ Moysis, ubi loquitur de labro æneo; quod inquit, « non ex rudi materiâ, ut ferè fit fabrefactum ab opifice, sed ex vasis jam antè expolitis, in usum tamen alium, quæ mulieres mirâ animi alacritate, certatim benignèque contulerunt, ne viris hac parte viderentur cedere, æmulatione longè honestissimâ, quâ dabant operam, ne illis inferiores judicarentur in pietatis sanctitatisque studio. Specula enim ad quæ formam curare solitæ fuerant, sponte

E te nemine jubente, Deo dedicaverunt, ceu primitias conjugalis pudicitiæ, pulcritudinisque animæ decentissimas. Hæc ad se delata opifex in unam massam confudit, ratus nihil magè aptiùs posse confici, quàm labrum ex quo se lustrarent Sacerdotes templum ingressuri ad obeunda sua ministeria, præsertim pedes, manusque lavando in signum vitæ inculpatæ. « Strabo in libro decimo quarto Geographiæ memorat templum Dianæ, cùm incensum fuisset, denuò excitatum, collato à mulieribus suo mundo muliebri & suis facultatibus. Συνεισενεγκόντων τὸν τῶν γυναικῶν κόσμον καὶ τὰς ἰδίας οὐσίας. Memorat Plutarchus in libello de vitando ære alieno, Romanas mulieres mundum suum τὸν κόσμον Apollini Pi-

thio dedisse primitiarum loco; ex quo aureus crater confectus Delphos missus est. Primis autem temporibus specula fuisse ex ære terso & polito facilè est demonstrare, prolatis pluribus testimoniis. Vitruvius dicit ea specula fuisse præstantissima, quæ ex ære erant & stanno simul mixtis; quâ mixtione fit illud metalli genus, quod vernaculè dicitur *Bronze*, ex quo fiunt nostræ majores campanæ & bellica tormenta. *Optima apud majores*, inquit Plinius lib. 33. cap. 9. specula, *fuerant & blandissima è stanno & ære mixtis*. Alii legunt: *fuerant brundisina, stanno & ære mistis*. Quæ lectio probatur ex eo quod libro sequenti capite 17. dicit Plinius. *Specula quoque ex eo laudatissima, ut diximus, Brundusii temperabantur, donec argentess uti cœpère & ancillæ*. Suppetunt alia complura testimonia; sed huicce articulo finem imponam attexens egregium locum Beati Cyrilli Alexandrini, quo constat olim mulieres Ægyptias in consuetudine habuisse gestare specula cùm templa adirent, quam consuetudinem potuerunt Israëlitidæ imitari. Joannes Clericus in Commentariis in hunc locum Exodi cui immoramur, probat verbis B. Cyrilli Alexandrini, quæ allegat ex ejus libris de Adoratione & cultu in spiritu & veritate, morem fuisse Ægyptiorum, præsertim mulierum, cùm templa adirent, lineâ veste ornari, speculo sinistram, & sistro dextram religiosè decorari; quæ omnium electissimæ erant, & sacris initiatæ, vix hunc honorem obtinebant. Inter spolia Ægyptiorum quæ secum Israëlitæ asportaverunt, licet numerare complura similia specula; neque enim verisimile est, dum iniquâ servitute premerentur, sive mulieres, sive virgines specula pretio comparavisse.

CAPUT VII.

Antequàm falsa numina colerentur, creditum est sacrificia rem esse Deo gratam, & in illis animalia pœnam pro homine reo dare vicariam. Ad id credendum ipse Deus adduxerat Patriarchas promittens Christum, qui morte suâ piaret hominum scelus. Diversa sacrificia fuère hujus pretiosæ mortis symbola diversa.

SECTIO I.

Ante institutionem Mosaïcæ legis, priusquàm homines deficerent à Deo, mactata sunt animalia in sacrificium; quæ res ei fuit accepta; igitur non habent ortum ab idololatriâ.

OPus susceptum de Tabernaculo, & templo, postulat ut adstruam dignitatem suam sacrificiis; quibus faciendis utrumque paratum fuit. Nomine sacrificiorum, quorum originem hìc indagabimus, intelligitur mactatio animalis, cujus sanguis effundebatur ad placandum Deum. Quærimus undè ista opinio inciderit in animos hominum, ut crederent istam virtutem inesse animalium sanguini; sive undè primùm consuetudo nata, ut qui Deum vellent colere & placare, mactaverint hostias. Id ex pravâ opinione & ruditate gentium venit, si fides adhibeatur Joanni Spencero. Primùm, inquit, ille Ægyptii, quod & potuerunt discere ab antiquioribus populis, sacrificia Diis, quos colebant, obtulerunt; Israëlitæ verò, cùm diu versati essent in Ægypto, imitati sunt Dominos, quibus serviebant. Longâ, inquam, consuetudine cum Ægyptiis, mores eorum induerunt Israëlitæ, & omnem veri cultûs notitiam oblitteraverunt; quem cùm vellet Deus revocare, non id fecit immediatè & quasi per lineas rectas. Erant enim Israëlitæ tam perversi moris homines, ut ad religionem non minùs quàm ad patriam per circuitum essent reducendi. Sacrificiis, expiationibus, purificationibus, & hujusmodi religionibus assueti ad Dei veri cultum adduci non poterant, nisi Deus ritus illos, & alios quorum consuetudo animos eorum devinxerat, emendaret, & in usum sacratiorem transferret. Hæc Spencerus; qui nullo Scripturæ testimonio evincit Deum dum ordinaret cultum, quo se coli volebat, non alium præcepisse quàm quem suis idolis deferrent Ægyptii; nec maluisse verum ordinare, quàm accipere falsum, & antiquitùs profanatum à viris sibi infensis. Sed, inquit ille, aliter non poterat perversas Israëlitarum mentes ab idololatriâ abducere. An ita res sit expendamus.

Omnium quidem propensionum maxima illa est, quâ ad Deum vergimus; & eâ conditione homo nascitur, ut vix Deum incorporeum possit cogitare; quapropter cùm sine Deo esse non posset, quæ præstantiora, & utiliora corporum cernebat, solem videlicet, lunam pro Deo coluit. Nec mirum, si gentes quibus Deus se subtraxerat illa falsa numina coluerint; sed nulla in corde nostro deprehenditur prænotio, ex quâ quisquam deduxisset, peccata posse sanguine ablui. Dictat ratio honorem Deo conspicuum habendum; sed undè ex mactatâ pecude & sanguine effuso honor illi redundaret? Attamen, inquit Spencerus, nemo, cui sanum sinciput, inficiari potest, viros pietate claros à primâ usque rerum origine, sacrificandi ritus exercuisse, eosque principium suum à gentium ruditate non accepisse. Res constat de Abele, qui cùm Deum sibi conciliavisset mactatione primogenitorum gregis sui, movit adversùs se invidiam fratris sui Cain, ad cujus munera quæ offerebat de fructibus terræ non respexerat Deus. Historia narratur in capite quarto Geneseos.

2. . . . . . *Fuit autem Abel pastor ovium, & Cain agricola.*

3. *Factum est autem post multos dies ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino.*

4. *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum; & respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus.*

5. *Ad Cain verò & ad munera illius non respexit: iratusque est Cain vehementer, & concidit vultus ejus.*

Ibi Paraphrasis Chaldaica habet: *fuitque beneplacitum in conspectu Domini, in Abel & in munere ejus non fuit beneplacitum*. Pro וישע *vaischa*, id est, *respexit*, legit Theodotio דשן *daschen*, id est, *in cineres vertit*, quod interpretatus est ἐνεπύρισεν *inflammavit*. Hanc lectionem approbat B. Hieronymus in traditionibus Hebraïcis. *Undè*, inquit Hieronymus, *scire poterat Cain, quod fratris ejus munera suscepisset Deus, & sua repudiasset; nisi illa interpretatio vera esset: quam Theodotio posuit*. Et inflammavit Dominus super Abel, & super sacrificium ejus: super Cain verò & super sacrificium ejus non inflammavit. *Ignem autem ad sacrificium devorandum solitum venire de cælo: & in dedicatione templi sub Salomone legimus, & quando Elias in monte Carmelo construxit altare.* Ratio non præcipit, nisi supposito jussu Dei, in honorem ejus mactari unquam debuisse animantia. In Scripturis autem nulla mentio fit talis mandati ante latam legem. Dicat ergo nobis Spencerus, cur Deo Abel tunc Deo placuerit. Sed licet cogitare Abelem edoctum ab Adamo veros sacrificiorum ritus, hos observasse,

observasse, quos cùm neglexisset Cain, sive avaritiâ, sive aliquo alio animi vitio, displicuisse. Non inanis est conjectura, & ab Adamo mactatas pecudes in Dei honorem. Post lapsum ejus & datam promissionem de futuro Messiâ, à quo repararetur peccatum, addit Scriptura capite 3. 21. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas & induit eos.* Undè pelles illæ suppetebant? Etenim tunc temporis non occidebantur pecudes in cibum; nec tam citò abripi potuerant morte. Verisimile ergo est, quod demonstraturi sumus, Adamum, ex aliquo Dei jussu mactasse animalia, quorum morte confirmaretur pactum de futurâ Christi morte, ad piandum omne ejus peccatum; ita mors animalis esset signum quod, ut vicaria pecudis anima dabatur in sacrificio pro homine reo, ita & Christus aliquando subiturus esset mortem, ut à morte homines reos redimeret. Ergo sanguis animalium effusus pretium non habuit, quia repræsentabat sanguinem à Christo in arâ Crucis effundendum; quem Adamus & cæteri Patriarchæ sacrificando intuebantur; qui sic in repræsentatione occisus est, ab origine mundi. Apocaly. 13. 8. & ideò laudata fides Abel's sacrificantis, quia id credebat. *Fide plurimam hostiam Abel, quàm Cain obtulit Deo.* ad Hebræos 9. 4.

Patriarchas ante legem Mosaïcam ex paternâ traditione didicisse ritus sacrificiorum demonstrat distinctio mundorum & immundorum animalium; quæ nulla est ex naturâ, sed ex usu cui destinantur, vel hominum cibo, vel sacrificiis. Quibus homines vesci non possunt, eorum respectu immunda sunt; cùm ergo ante diluvium carnem non comederent, tunc temporis nulla respectu cibi animalia immunda censebantur. Ergo non alia habita immunda quàm quæ inepta erant sacrificiis; videlicet quia symbola esse non poterant animæ pœnitentis. Hujus distinctionis mundorum & immundorum animalium fit mentio. Genes. cap. 8. v. 20. *Ædificavit autem Noë altare Domino: & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare. Odoratusque est Dominus odorem suavitatis, & ait: nequaquam ultrà maledicam terræ propter homines.* Res grata fuit Deo. Vox hebræa ניחח quam Latinus Interpres reddit *suavitatis*, εὐωδίας sequens Græcos Interpretes significat propriè *quietem*, sive placabilitatem. Videlicet Deus qui adversùs homines commotus fuerat, quietus & placatus redditus est Noachi sacrificio: tunc quievit ab irâ. *Victimis incensis precabatur Noë,* sic Latinè loquitur Josephus, *ut in posterum pristinus ordo maneret, & nulla tanta incideret calamitas, per quam universum animalium genus in salutis periculum adduceretur.* Et postea. *Impensè orabat, acciperet sacrificium propitius Deus, nec ullam posthac tantam iram contra terram conciperet.* Tunc nulli erant idololatræ, quos Noë imitaretur. Non itaque idololatris suam debet originem sacrificium, cujus ritus si fuisset hominis merum inventum, eam vim neutiquam habuisset apud Deum, ut ejus iram compesceret.

Non semel sacrificavit Abraham ex jussu Dei, qui & ei præceperat ut filium suum offerret in holocaustum, sed ejus loco immolavit arietem, pariter Deo jubente. Priusquàm Ægypto egrederentur Hebræi mactaverant agnos paschales in sacrificium, cùm nondum pervenissent ad montem Sinaï. Ita ante legem datam sacrificia fuisse prius consueta indicat Moyses, cùm rogat Pharaonem liberum exitum, ut Israëlitæ sacrificarent ex imperio Dei Exod 7. 16. *Dominus Deus Hebræorum misit me ad te*, Moyses loquitur, *dicens: dimitte populum meum ut sacrificet mihi in deserto.* Plerique ex posteris Noë statim

A à vero Dei cultu defecerunt. Quin verisimile est hisce cibus, quibus lex condita est, ubique terrarum obtinuisse Dæmones, ut colerentur oblatis sacrificiis, quorum ritus ultro concedam eosdem fuisse, aut non multùm diversos ab illis, quos Deus præcepit in Levitico; sed quid indè sequitur, nisi ex eadem origine errorem scaturire. Scilicet, statim ac posteri Noe sibi alienos Deos excogitaverunt, his simul tribuerunt honores, quos ex patribus intellexerant deberi Deo. Sacrificaverunt, inquam, idolis non alio ritu, quam quo viderant à Noe & aliis Patriarchis vero Deo sacrificatum. Suffuratur divinos honores malus Dæmon, *cujus sunt partes*, ut ait Tertullianus in libro de Præscriptionibus cap.
B 40. *intervertendi veritatem, qui ipsas quoque res sacramentorum divinorum, idolorum mysteriis æmulatur.*

Allegari quidem possunt ex sanctis Patribus, qui sacrificiorum instituta ex Idololatriâ accersunt. *Deus enim*, inquit B. Chrysostomus Homil. 6. in S. Mat. *ad errantium salutem per hæc quidem se coli passus est, per quæ gentes extraneæ Dæmonas coluerunt; ea tamen aliquantùm in melius inflectens, ut eos paulatim à consuetudine revocatos, ad altiorem perduceret sapientiam.* Homiliâ secundâ contra Judæos dicit Deum sacrificia non instituisse, nisi ad infirmitatem hujus populi, cui se accommodabat. *Deus enim, quoniam vidit illos insanientes, anxios, concupiscentes victimarum oblationem; jamque nisi*
C *acciperent quod desiderabant, paratos ut ad idola sese deflecterent; imò non solùm paratos verùm etiam eò jam prolapsos, permisit immolationem victimarum. Atque ut scias hanc fuisse causam, vel ex ipso tempore declaratur id quod dico. Siquidem post festum, quod impiis Dæmonibus celebrarunt, tum demùm permisit illis immolationes pecudum. Tantùm non dicens, insanitis & vultis immolare victimas, quin igitur mihi potiùs immoletis?* Audacter dicam hunc & alios rem satis non expendisse, & abruptos ultra metam, dum nimio impetu feruntur in Judæos; quos cùm viderent veterem legem pluris facere, adducebant eam in contemptum, quo tunc temporis digna erat. Sed initio rerum, Deus, ut vidi-
D mus, significaverat sibi acceptam esse mactationem animalium, effusionem sanguinis, & carnium combustionem, cùm nondum inducta esset idololatria in mundum; in quam nec Abel, nec Noë propensi erant.

SECTIO II.

Naturam sacrificiorum omnes gentes, sive sacræ, sive prophanæ in eo statuerunt, quòd anima innocens & grata Deo poneretur loco animæ sontis, cui Deus succenseret.

Omnium hominum animis insitum est, peccato pœnas deberi, & repetendas à Deo vindice. Harum metum ab animo expellere conati sunt sed
E frustra; nam inhæret naturæ. Persuasum quoque est pœnam cui reus obnoxius est ob peccatum, posse transferri in caput immerens, quod vices ejus subeat, sive pro eo puniatur. Undè ista persuasio inducta sit, quæstio est quæ non potest solvi, nisi recurratur ad antiquos Patriarchas, quorum traditione didicerunt nepotes eorum sacra facere. Adamum statim ejectum è paradiso certiorem fecit ipse Deus filium suum unigenitum & coæternum, assumptâ hominis carne, mortem peccato debitam proprio sanguine expiaturum. Non aliundè, nisi temerè, creditum est, alterius pœnâ quemquam reum posse substrahi supplicio, & pro eo pendere pœnas quod in criminis sui piaculum mactabatur.

Patriarchæ, ut diximus, intuentes animalium ſacrificia ùt ſymbola mortis Chriſti, indè expectabant ſacrificiorum ſuorum præmium. Ethnici ſicut ritus ſacrificiorum traditos habebant à Patriarcharum nepotibus, ita & ab illis acceperant doctrinam de pœnâ vicariâ.

Omnes ſacrificiorum ſpecies ad tres claſſes referri poſſunt. Prima eſt eorum quæ offerebantur inchoando & perficiendo aliquod opus. Talia ſacrificia dicebantur votiva. In ſecundâ claſſe numerantur Euchariſtica, quibus ſolemnes gratiæ referebantur Deo, re impetratâ quæ poſtulata eſſet. Tertia denique claſſis eſt ſacrificiorum piacularium; quibus iratus Deus putabatur placari, converſâ omni ejus irâ in caput victimæ, quæ afficiebatur morte, & ita ſubibat pœnam vice alterius. In his omnibus ſacrificiis, illa in quibus major copia ſanguinis effundebatur, ſive major erat victimarum numerus, ad impetrandam gratiam, magis idonea putabantur. In hanc opinionem adducti fuerant Gentiles temerè; non itidem Patriarchæ, à quibus expectabatur venturus Meſſias filius Dei. Non eos latebat quàm efficax & pretioſa futura eſſet mors ejus; ſed gentes, quæ ignorabant Chriſtum, tantùm didicerant ex avitâ traditione Patriarcharum, Deum lætari oblatis ſacrificiis, & pœnâ vicariâ placari poſſe.

Qui hæc legis, ſubit mentem tuam, Sinon, qui libro ſecundo Æneidos, cùm Græci oracula conſuluiſſent de facili ſuo in Græciam reditu, fingit hæc illis data reſponſa.

Sanguine placaſtis ventos, & virgine cæſâ
Cùm primùm Iliacas Danai veniſtis ad oras.

Nimirum ipſe Rex Agamemnon, cùm iram Dianæ in ſe & omnes Græcos concitaſſet, compulſus eſt propriam ſuam filiam Iphigeniam offerre immolandam, cujus loco, miſeratione numinis, ſuppoſita eſt cerva. Pergit loqui Sinon.

Sanguine quærendi reditus, animâque litandum
Argolicâ.

Ut ibi obſervat Servius, verbo pontificali utitur Poëta, *animam* dicens & *litare*. Anima enim, ſive vita inſontis victimæ dabatur ad placandos Deos pro animâ quæ pravi facinoris rea eſſet. Quo & ſermone ex peritiâ juris pontificii loqui videtur in libro quinto, ubi Entellus vitam condonans Dareti, cæſtu ſuo effregit tauri cerebrum, & mactavit, ſimul has effundens pectore voces.

Hanc tibi, Erix, meliorem animam pro morte
Daretis
Perſolvo.

Luculentum ſuppetit nobis teſtimonium ex notis Servii ad illud carmen tertii Æneidos: *Auri ſacra fames. Sacra*, inquit vox eſt idem ſonans, quod execrabilis & devota. Poſt ſubjungit. » Tractus eſt autem ſermo ex more Gallorum: nam Maſſilienſes quoties peſtilentiâ laborabant, unus ſe ex pauperibus offerebat alendus anno integro publicis & purioribus cibis: hic poſtea ornatus verbenis & veſtibus ſacris, circumducebatur per totam civitatem cum execrationibus, ut in ipſum reciderent mala totius civitatis, & ſic projiciebatur. » Hæc ſacrificia conſueta erant. In decimo Æneidos.

ſulmone creatos
Quatuor hic juvenes, totidem, quos educat Ufens,
Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,
Captivoque rogi perfundat ſanguine flammas.

Non prætermittenda illa carmina Ovidii in ſexto faſtorum, ubi offertur victima piacularis.

Cor pro corde precor, pro fibris ſumite fibras
Hanc animam vobis pro meliore damus.

Locus inſignis eſt apud Macrobium in Saturnalibus libro tertio capite nono, ubi animadvertere eſt ab Ethnicis victimas creditas pro offerente vicarias. Allegat vetus carmen, ſive preces quibus Dictatores, Imperatoreſque hoſtias Diis offerebant, oppugnaturi civitatem aliquam inimicam, cujus incolas, agros ſic devovebant. « Eas urbes agroſque, capita ætateſque eorum, devotas conſecrataſque habeatis illis legibus, quibus quandoque ſunt maximè hoſtes devoti: eoſque ego vicarios pro me fide, magiſtratuque meo, pro populo Romano, exercitibus, legionibuſque noſtris, do, devoveo: ut me meamque fidem, imperiumque legiones, exercitumque noſtrum, qui in his rebus gerundis ſunt benè ſalvos ſinatis eſſe. « In comœdia Plauti, quæ inſcribitur *Epidicus*. Eſt nomen ſervi qui ſic compellat Stratippoclem qui audacius mandabat facinus ſuſcipiendum.

Men' piacularem oportet fieri ob ſtultitiam tuam
Ut meum tergum ſtultitiæ tuæ ſubdas ſuccidaneum:

Ibi, ut notat Taubmannus optimus Plauti Interpres, *piaculares victimæ*, aliena mala excipiebant, & in pœnam ſuccedebant. Innumera congeri poſſunt teſtimonia ex libris Gentilium. Herodotus in Euterpe obſervat Ægyptios victimarum capitibus multa imprecari ſolitos fuiſſe; « ut ſi quid mali, inquit, aut immolantibus ipſis, aut univerſæ Ægypto impendeat, id in caput hoc convertatur « Hac opinione imbutæ fuêre gentes omnes « Natio eſt omnis Gallorum admodum dedita religionibus, dicit Cæſar in Commentariis lib. 6. Atque eam ob cauſam, qui ſunt affecti gravioribus morbis, quique in prælìis, periculiſque verſantur, aut pro victimis homines immolant, aut ſe immolaturos vovent, adminiſtriſque ad ea ſacra Druidibus utuntur; quòd pro vitâ hominis, niſi vita hominis reddatur, non poſſe Deorum immortalium numen placari arbitrentur. « Quod Porphyrius (de Abſtinentiâ lib. 4 ſect. 15.) affert ex Aſclepiade, obſervatione dignum eſt. « Primùm nullum animal Diis immolabatur; neque lex ulla ſuper hac re fuit, quippe quam prohibebat lex naturæ. Occaſione verò aliquâ animam pro animâ exigente, primum ſacrificium ex animalibus datum referunt «

Ipſe Deus hanc notionem ſacrificii apertis verbis confirmat prohibens ne quis comedat ſanguinem: *quia*, inquit in Levitico cap. 17. v. 11. *anima carnis in ſanguine eſt: & ego dedi illum vobis, ut ſuper altare in eo expietis pro animabus veſtris, & ſanguis pro anima piaculo ſit.* Ita factum eſt, ut apud Hebræos ſemper conſtiterit mortem victimæ ſuccedere in locum mortis ejus qui peccaverat. Quin & inter eos creditum ſapientem poſſe in ſemetipſo tolerare ſupplicia multitudini peccatorum debita; juſſum exempli causâ, Ezechielem per trecentos nonaginta dies aſſumere iniquitates populi Iſraël & illas portare, hoc eſt, transferre & ideo ſubire pœnam 4. 5. *Et portabis iniquitatem domûs Iſraël.* Vir bonus, inquit Philo, mali hominis λύτρον, id eſt, redemptio eſt. Eleazar in ſermone de ſeptem fratribus, qui Joſepho adſcribitur, Deum pro populo ſic deprecatur: *fac ſanguinem meum pro illis piacularem, & animam meam pro illorum animâ accipe.* Indè ut vidimus, qui offerebant victimam, eam peccatis ſuis onerabant, quæ ſupra caput ejus confitebantur, huic imponentes manus ſuas, tanquam

ipſorum actiones. Manus, ut inquit Theodoretus quæſtione primâ ad Leviticum, ibi ſignificant actiones pro quibus victimam aliquis offerebat. Et quæſtione ſexageſimâ primâ ad Exodum. » Non omnibus victimis manus imponebant Sacerdotes, ſed illis quæ pro ſe oblatæ ſunt, & præcipuè pro peccato factis: cæteris autem offerentes ipſi manus imponebant. Hæc autem ſymbolicè indicabat hoſtiam in locum offerentis pro quo mactabatur ſuffectam eſſe. Ἦν δὲ τοῦτο σύμβολον τοῦ τὸ ἱερεῖον τὴν τοῦ πληρεῖν τοῦ προσφέροντος τὴν ὑπὲρ αὐτοῦ δεχόμενον σφαγήν. Videre eſt ſimilia teſtimonia in libro ſecundo Outrami, ubi diſſerit de ſacrificiis. Digna ſunt lectu verba Euſebii in capite decimo libri primi de Demonſtratione, ubi mentionem facit hujus ritûs, quo ex lege manus imponebantur cædendæ victimæ. » Hoc ipſum lex de victimis lata cuique animum hùc advertenti indicat; quippe quæ quemque, qui ſacrificat, victimæ ſuæ capiti manus imponere, ejuſque caput manibus tenentem animal ad Sacerdotem adducere jubet, quaſi victimam pro capite ſuo offerentem. Quare ſic de unâ quaque victimâ dicit, eam quiſque ſiſtito coram Domino, manuſque ſuas victimæ ſuæ capiti imponito. Id quod in omnibus hoſtiis factum eſt, nulla enim aliter oblata fuit. Undè intelligitur victimarum animas animarum offerentium vice datas eſſe. Ἀντίψυχα τῆς αὐτῶν ψυχῆς προσήγετο τὰ ζωοθυτούμενα. Hæc eadem adſtruit Euſebius de victimis, quas Abel, Noë, Abraham, aliique pii viri ante Moſis tempora immolabant. » Quandoquidem enim viri pii, Deoque familiares, & afflatu divino illuminati magno ſibi opus eſſe remedio viderent, quo mortifera peccata expiarent; Deo vitæ animæque datori λύτρον aliquod dandum judicabant ſalutis impetrandæ causâ. Ac quidem cum animabus ſuis nihil melius, nihil præſtantius, quod Deo conſecrarent, haberent, pro eis beſtias immolabant, ita ſcilicet animarum ſuarum vice alienas animas offerentes. Τῆς σφῶν ψυχῆς ἀντίψυχα. Allegat Outramus verba Rabbinorum qui obſervant impoſitionem manuum hùc ſpectaſſe, ut intelligeretur removeri ab offerente peccata ejus, & ad animal oblatum quodammodò transferri; ut precum, quæ recitarentur, ſenſus eſſet, *hæc victima ſit expiatio mea; & quod ego ipſe malum merui, in victimæ meæ caput recidat.*

SECTIO III.

Mactatio vivi animalis per ſe non poteſt placere Deo, impetrare gratiam, aut eluere admiſſam culpam. Per ſe ergo nullius valoris ſacrificia erant; imò prorſus contemptibilia.

OMnia aquæ limpidioris lavacra, quæ animam non attingunt, cùm peccati labe polluta eſt, eam mundare non poſſunt: ut ipſi Ethnici agnoſcunt. Ovidius 2. Faſtorum.

Ah nimiùm faciles, qui triſtia crimina cædis
Fluminea tolli poſſe putetis aquâ.

Si id non poteſt pura aqua, quantò minùs tabum animalium, quod ex ſe ſpurcum & fœtidum eſt. Ergo ſi mactatio eorum ſola conſideretur, non relata ad quidpiam ex quo pretium ſumat, Deum cum hominibus conciliare non poteſt; nec haberi huic grata, veluti quoddam munus quo delectaretur. Neque enim paſcitur Deus carne animalium, ſanguine eorum potatur, nec recreatur nidore cùm fiunt holocauſta. Ita viri pii & ſanæ mentis ſacrificia Deo non obtuliſſent aliquâ aliâ peculiari causâ ad id non determinati. Naturâ quidem monſtrante & impellente honor Deo deferendus eſt, qui conſpicuus ſit; ſed iterum dicam, non indiget muneribus: *Domini enim eſt terra & plenitudo ejus.* Non poteſt ergo ei offerri quidpiam alienum; nec quæ ex proprio penu depromuntur, ideo gratiora illi eſſe poſſunt, quia mactantur: contra magis placere deberent, ſi ſervarentur in vitâ, nec deleretur quod ipſe fecit. Vulgò dicitur ipsâ occiſione & combuſtione, quibus aliquo modo in nihilum redigitur victima, ſacrificantes agnoſcere ſummas Dei divitias, qui nullà re indigeat; ſed & hoc teſtari liceret ſine ſacrificio; modò oblata munera ex frugibus terræ, ex triticâ meſſe, ex vite, illicò ſpargerentur in ventos, aut igne abolerentur. Addunt plerique mactationem animalium ideo acceptam eſſe Deo, quia ſupremum ejus dominium, quo vitæ neciſque jus habet, agnoſcitur; ſed & hoc ſatis declararetur incendendo ſegetes, ſilvas. Nec jus vitæ & necis quo quis pollet, ſignificatur, niſi cum ex ejus imperio vita vel adimitur, vel ſervatur; alioqui enim non Dei, cui mactatur ſacrificium; ſed hujus qui mactat pecudem, dominium demonſtratur. Notio ergo illa ſacrificii celebrata in ſcholis, imperfecta videtur, & cur conſtiterit ſine ſanguinis effuſione non fieri peccatorum remiſſionem; alia cauſa quærenda eſt, cur, inquam, ſacrificia Deus requiſiverit de manu hominum, & his oblatis propitius factus ſit. Mactatio cujuſvis animalis per ſe digna eſt fastidio. Ipſi Ethnici cavillabantur Deos qui putarentur amare ſacrificia, ſive potiùs eos qui ita ſentirent. Sic Lucianus in libello de Sacrificiis, loquitur de Regiâ Jovis quam Vulcanus fabricaſſe fertur. *At verò Dii Jovi aſſidentes (convenit enim, ut opinor, res ſupernas verbis extollere) in terram deſpiciunt, & inclinato capite quoquo verſùm circumſpectant, ſi alicunde ſubvolantem ignem videant, aut ſurgentem nidorem, circaque fumum ſeſe rotantem. At ſi quis fortè ſacrum faciat, epulantur omnes inhiantes fumo, ac muſcarum in morem, affuſum aris ſanguinem bibentes.* His cavillis digna erat Gentilium religio; nec cogitari poteſt quidpiam magis indignum Diis, quàm capere voluptatem ex ſanguinis effuſi copiâ. Error ille Gentilium pudendus erat, quo non vacabant Iſraëlitæ, qui non cogitabant futuram Chriſti victimam, & ſolùm mentem advertebant ad animalia bruta quæ immolabant. Sciebat Dæmon Deum aliquando placandum proprio filii ſui ſanguine, ideò compulerat cultores ſuos, ut nec propriis filiis parcerent, & eorum ſanguinem effunderent coram idolis; quod ipſi faciebant Iſraëlitæ in honorem idoli Molochi. Hoc & Germanis Cicero in oratione pro M. Fonteio exprobrat. *His*, inquit, *quidquam ſanctum & religioſum videri poteſt: qui etiam, ſi quando aliquo metu adducti Deos placandos eſſe arbitrantur, humanis hoſtiis eorum aras ac templa funeſtant? ut ne religionem quidem colere poſſint, niſi eam priùs ſcelere violarint. Quis enim ignorat eos uſque ad hanc diem retinere illam immanem ac barbaram conſuetudinem hominum immolandorum? Quam ob rem quali fide, quali pietate exiſtimatis eſſe eos, qui etiam Deos immortales arbitrentur hominum ſcelere & ſanguine facillimè poſſe placari?* Arnobius lib. 7. contra Gentiles multa jactat ſcommata, quibus ſubjacent ſacrificia animalium à quacumque gente offerantur, ſi in ſe conſiderentur. *Unum illud præ omnibus quæro*, loquitur Arnobius, *quæ cauſa eſt, ut ſi porcum occidero, Deus mutet affectum, animoſque & rabiem ponat: ſi vitulum ſub illius oculis atque altaribus concremaro, oblivionem inducat injuriæ? . . . . Ergone injurias ſuas Dii vendunt, atque ut parvuli puſiones, ut animoſis parcant abſtineantque ploratibus, paſſerculos, pupulos,*

& panes accipiunt; ita Dii immortales & placamenta ista sumunt, quibus iras atque animos ponant, & in gratiam cum suis offensoribus redeant? .... Sapientius multò est, pertinaciter eos in offensione durare, quàm munerum corruptione mitescere. Crescit enim multitudo peccantium, cùm redimendi peccati spes datur: & facilè itur ad culpas, ubi est venalis ignoscentium gratia.

Hæc cùm perpenderent sancti Patres, nec animadverterent sacrificia verorum Israëlitarum fuisse relata ad Christum; ideo opinati sunt præceptum de sacrificiis offerendis datum, ne illi falsis numinibus sacrificarent. Deus non sibi diffidet imperans simul & repudians eadem sacrificia. Repudiat sacrificia quorum mors filii sui non erat objectum; quam mortem non intuebantur hi adversùs quos loquitur in Psalmo 49.

7. *Audi populus meus & loquar: Israël, & testificabor tibi: Deus Deus tuus ego sum.*

8. *Non in sacrificiis tuis arguam te: holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.* Id est, non multùm satago ut holocausta mihi facias.

9. *Non accipiam de domo tuâ vitulos, neque de gregibus tuis hircos.*

10. *Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus & boves.*

11. *Cognovi omnia volatilia cæli: & pulchritudo agri mecum est.*

12 *Si esuriero, non dicam tibi, meus est enim orbis terræ & plenitudo ejus.*

13. *Numquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo?*

14. *Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua.*

Apud Isaiam [capite primo] pariter Deus declarat fastidium suum erga sacrificia. *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum: holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum & hircorum nolui. Cùm veniretis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis? Ne offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi.*

Itaque ultro assentirem his quæ Spencerus dicit arguens eos qui Deum ex humano ingenio æstimantes, putant muneribus sacrificiorum delectari. *Sacrificiorum materia*, inquit ille, *(pecudum caro, sanguis fusus, & hujusmodi alia) tam vilis est, & summâ Dei majestate tam longè dissita, ut nemo nisi planè simplex, & rerum rudis, quin sacrificia planè superflua, Deoque prorsus indigna sint, facilè judicaret. Sanè tantùm aberat, ut Ethnici paulò humaniores, sacrificia Deorum suorum naturæ consentanea crederent, ut iis non rarò mirari subierit, undè ritus tam tristis, & à naturâ Deorum alienus, in hominum corda venerit, se tam longè propagaverit, & eorum moribus tam tenaciter adhæserit.* Plato in suo Alcibiade arguit eos qui putarent eam esse Deorum naturam, ut sacrificiis & donariis delectarentur, veluti improbus fœnerator; *sed nos videlicet*, inquit, *deliramus si hac ratione, collatis nimirum confertim muneribus, apud Deos, majorem quàm Lacedemonii gratiam, favoremque consecuturos nos Athenienses ducamus. Grave enim indignumque esset, si Dii ad nostra dona atque sacrificia respicerent, non verò ad animum, si quis pius & justus nimirum sit. Multò potiùs (arbitror) quàm ad opiparas has pompas, atque hostias: quas nihil prohibet quominùs vel privatus homo, vel etiam Respublica, si quibus se sceleribus obstrinxerint, illatâ innocentibus injuriâ, quot annis exolvant. Verùm enim verò Dii munerum sordibus minimè capiuntur, ac proinde hæc omnia securè contemnunt.* Multa alia testimonia ex libris Gentilium, Cyrillus Alexandrinus opponebat Juliano Apostatæ, qui arguebat Christianos, quòd cruenta sacrificia non offerrent. Itaque nusquam cædes animalium Deo gratam esse potuit, nisi quam imperasset in symbolum cujuspiam rei futuræ; quam intuiti sunt Patriarchæ in animalium sacrificiis. His ritè factis erudiebant populos, ut tanto apparatu intelligerent vim & dignitatem Christi filii Dei. Tanta res est Deus factus homo, ut huic credendæ neutiquam homines idonei fuissent, nisi per multa sæcula aptis symbolis fide eorum præparatâ.

SECTIO IV.

Solus Christus Dei filius potuit morte suâ veram Deo gloriam conciliare, hominibus ob peccata eorum iratum placare, peccatorum reatu simul & pœnis eos liberare.

Igitur usum & ritus sacrificiorum liquet manasse ab antiquis illis Prophetis, quibus mors futura Christi innotuerat. Indè omnes gentes ortum suum & sacrificiorum leges acceperunt; quas postea corruperunt oblitæ religionis, quam tradiderant Adamus, Abel, Noë. Hanc mortem delineabat animalium cædes; ut omnes antiqui Scriptores sentiunt. Supra protulimus egregium de illâ sententiâ locum apud Eusebium; juxta cujus mentem & plurium aliorum, quorum testimonia supersedeo afferre, sacrificia antiquitùs à Patriarchis oblata pro symbolis sacrificii Christi habenda sunt. Sacrificandi ritus inter gentes natus est ex imitatione Patriarcharum, ut dixi, vel ex ambitione malorum Angelorum, qui divinos honores sibi arrogabant. Cùm autem nec ipsi Israëlitæ id satis intelligerent, Deus visus est sacrificia eorum respuere; sed non sibi constaret præcipiens singulatim quæ ad sacrificia pertinent, simul ea fastidiens, nisi causa hujus fastidii fuisset Israëlitarum supinitas, qui ad verum sacrificii finem animum non advertebant, scilicet ad Christum. Sanguis brutorum non animam peccatricem purgare, sed repræsentare poterat sanguinem pretiosum Christi, quo verè mundati sumus. Hac ratione grata erant Deo sacrificia animalium, quatenus signa sacrificii sibi offerendi à filio suo, quo sacrificio nulla res præstantior, nec ullus est alius Deo dignus cultus. Displicebant sine illa ratione, quâ carebant sæpiùs carnalium Judæorum sacrificia, qui de Christo non cogitabant, occupati in solo delectu animalium, quasi pinguiora Deum magis placarent. Cùm igitur olim sacrificia instituta sint in typos mortis Christi, non mirum est, si Deus illa ordinaverit ritusque omnes eorum; quod absurdum est cogitare ab eo factum, nisi lex vetus, sacrificia ipsa & eorum ritus, locus in quo fierent, Tabernaculum, templum, utriusque ministerium, ministri magna occultarent mysteria; quæ omnia facile est adducere in contemptum, si Christus merus sit homo, ortus tantùm ex carne hominis. Neque decebat divinam sapientiam, ut totam religionem, quam instituerat, & fovit per quatuor mille annos, verteret in merum hominem. Verùm ubi Christus agnoscitur verè de Deo Deus, genitus ab æterno, filius Dei & sapientia ejus, in tempore homo factus, jam nullus apparatus censeri potest dignior tantâ re, quanta est Dei nativitas & mors. Itaque non potest intelligi sacrificiorum præstantia & utilitas, nisi supponatur Christi divina natura; quam cùm asserere totis viribus concupiscam, ideò quan-

tum valetudo & negotia ſinunt, opus, cui nunc in A cumbo, propero ad umbilicum perducere; ut ſi vita ſuppetat a incudem revocem quæ ante multos annos ſcripſi de Chriſto. Interea ſupponam hîc pro vero probatum quod omnis Eccleſia Catholica credit Chriſtum vere eſſe Deum; quod ubi quis admiſerit, ſtatim intelligit a ſolo Chriſto Deum placari potuiſſe. Etenim quâ ratione homo qui in Deum peccavit, & in ſe concitavit iram ejus, poſſet in gratiam ejus redire? Eſto det de ſe ſupplicium. An ideò veniam mereretur? Quaſi verò qui Dei ſupremam majeſtatem offendit, poſſet ultra debitum affici pœnis, ut tandem poſt aliquod tempus illæ finiendæ eſſent. Ergo homines rei ſi aliundè quiſpiam homine major non eis auxiliatus eſſet, ſubjacuiſſent ſup- B pliciis ſine ullo temporis termino, quantacumque illa fuiſſent. Pœnis quidem ultroneis ſe plectit, qui ſpoliat ſe armentis quæ in ſacrificium offert & mactat; ſed, ut dictum eſt, multis muneribus irato Deo merus homo non poteſt ſatisfacere. His Deus non indiget, & nullius ſunt pretii ante oculos ejus. Verùm Deo dignus Deus; & præſtantiſſimus ille cultus eſt, qui Deo à Deo exhibetur. Simul expletur juſtitia, nam cùm pœnâ omne peccatum corrigendum ſit, filius Dei factus homo in ſe peccatum, ſive potiùs meritam pœnam tranſtulit; quam ſubiens, patri ſuo pœnas dedit valoris infiniti; ita mors ejus Deum propitium reddidit, & ſolvit reos reatu. Satisfecit pro nobis pœnas ferendo, quibus dignus erat mundus; in eo enim poſuerat Deus omnium C iniquitates, quem cùm affici morte permiſerit, pœnis dignis peccatum punitum eſt: ſic ſatisfactum juſtitiæ divinæ; nec habuit Deus ampliùs quod in æternum ulciſceretur.

Meritorum Chriſti virtus animadvertenda eſt. Non meremur niſi quatenus cum illo conjungimur. Opera noſtra ex ſe mereri non poſſunt, nam cùm reus patitur, juſtum eſt ejus ſupplicium, quo exacto dicere non poteſt ſibi aliquam mercedem deberi. Verùm Chriſtus patri ſuo acceptus merebatur; cui inhærentes, & cum eo conjuncti, ut artus cum capite, jam opera noſtra Deo placere poſſunt. Indè vim, indè efficaciam, indè præſtantiam habe- D bant ſacrificia; quia admonebant fide intuendum Chriſtum, qui ipſe loco noſtro afficeretur pœnis, & vices noſtras ſuppleret. Idcirco repræſentatio rei, quâ non alia poterat eſſe acceptior, placebat Deo, & in anteceſſum veniam & gratiam ejus merebatur. Jeſus Chriſtus oneratus peccatis noſtris in ſingulis ſacrificiis repræſentabatur, & efficiebat ut illa non irrita eſſent. Hunc intuens aiebat Iſaias cap 53. v. 6. *Et poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm. Oblatus eſt quia ipſe voluit.* Hoc eſt quod adſtruunt omnes Scripturæ, Chriſtum paſſum eſſe pro nobis in tempore, ne pateremur in æternum. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret: ut omnis qui credit* E *in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Ut ſcribit Joannes in Evangelio 3. 16. Deus in eum tranſtulit peccata noſtra; & pœnas illis debitas ſumpſit. *Proprio ſuo filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Rom. 8. 32. Mors debebatur peccatis noſtris; ideò morti traditus eſt. Mors ejus verum fuit ſacrificium: verè inſons, & tamen vicariam pœnam ſuſtinens, ſive pœnas dans non proprii delicti, ſed locum ſupplens hominis rei.

SECTIO V.

Omnia veteris legis ſacrificia mortem Chriſti diverſaſque illius circumſtantias, repræſentabant, diverſis ſuis ritibus. Enumerantur illi ritus.

QUi Chriſto ſuam divinitatem volunt detrahere ultrò ſi poſſent, delerent illum ex veteri Teſtamento; & omni machinâ adducunt animum ut cogitans de lege Moſaicâ ſolùm intentus ſit Gentilium non diſſimilibus ritibus ex eodem fonte depromptis. Cæremonias Moſaicas vidimus non eſſe imitamenta idololatricorum rituum, nec Deum permiſiſſe populum ſuum illis uti, quia aliter non poterat revocari à Dæmonum cultu. Non permiſiſſet autem Deus religionem, quam dederat Moyſi tandiu ſervire Chriſto ſuo, ſi ille non fuiſſet Deus. Tota vetus religio verſabatur circa illum; ita ut qui victimas cæderet, exprimeret ſuam in eum fidem; quam Apoſtolus non laudaret in ſacrificiis, Abel, Noë, cæteriſque, ſi Chriſtum non fuiſſent intuiti. *Fide*, ad Hebr. 11. 4. *plurimam hoſtiam Abel, quàm Cain obtulit Deo.* Id eſt, pleniorem, pinguiorem. Quomodo autem poteſt cenſeri Abel id feciſſe ex fide: Et cui eam adhibuit? Si Deus jam præceperat ſibi offerri ſacrificia ex animalibus vivis, potuit fides Abelis, qui huic mandato paruit, laudari; verùm cur Deus mandaſſet talia ſacrificia, niſi ut umbras, & typos Chriſti mortis; in quam cùm crederet Abel, & ſperaret indè redemptionem, oſtendit fidem ſuam. *Credendo, inquam*, ait Rupertus in Geneſim cap. 2. *futurum eſſe illud ſemen mulieris, quod contereret caput antiqui ſerpentis, hac fide emeritum, non dubitandum eſt; prophetia quoque ſpiritum accepiſſe, ut, illud ſemen mulieris (inter quod audierat, Deum poſuiſſe inimicitias, & inter ſemen ſerpentis) ſciret non tantùm fore ſemen mulieris, ſed & filium Dei, qui verus agnus Dei per ſuam innocentiam, ſerpentis conculcaret malitiam, & per ſuum ſanguinem, flammeum gladium reſtingueret.* Fides Patriarcharum multis extollitur laudibus, ut exemplo eorum docerentur Hebræi promptam habere fidem in Chriſtum; quem omnes antiqui expectaverant, ſperaverant & crediderant ſacrificia à Deo conſtituta fuiſſe in figuram ſacrificii, quod pro nobis oblaturus eſſet. Pius Iſraëlita qui immolabat agnum, non in ſanguine animalis ſpem ſalutis, & fiduciam reponebat, ſed cogitabat alium agnum, videlicet Jeſum Chriſtum qui ſanguinem ſuum fuſurus erat pro remiſſione peccatorum.

Vetus Teſtamentum erat tanquam nox obſcura, his quorum in cordibus Chriſtus non illuxiſſet; cujus luce quiſquis etiam iſtis temporibus non illuſtratus eſt adhuc caligat; nec ſapientiam novi Teſtamenti percipit non cogitans Chriſtum cujus causâ Deus omnia fecerat. Qui negant, verbi causâ, inſtituta ſacrificia, ut exhiberent ſacrificium quod de ſe erat patri ſuo oblaturus, fruſtrà quærunt cur illa à ſe invicem diſcrepent materiâ, formâ. Quæ quæſtio facilis eſt orthodoxis. Cùm infinita eſſet virtus mortis Chriſti, neceſſe fuit ut diverſis ſacrificiorum ritibus, quaſi diverſis lineis delinearetur; & ſic admonerentur pii Iſraëlitæ quantus ille futurus eſſet, cujus gratiâ tot ſacrificia celebrarentur. In tractatu de Paſchate evicimus ſacrificium agni Paſchalis fuiſſe vaticinium loci & temporis ubi & quando moriturus eſſet Chriſtus, nempe Hieroſolymis; & ideò fuiſſe nefas agnum hujuſce feſti extra illam urbem immolari & comedi. Mactandus erat horâ nonâ, quæ tertia noſtra eſt: lex iſta manifeſtum erat va-

ticinium temporis, quo occidendus Christus, qui in cruce horâ nonâ expiravit. Possem demonstrare si non omnes veteres ritus sacrificiorum, saltem plurimos fuisse quasi lineas, quibus absoluta fuit perfecta imago Christi; sed hæc non pertinent ad opus quod urgemus, ut eo expediti toti incumbamus scriptis perficiendis, quæ ante multos annos inchoavimus de Christo. Breviter perstringamus, quæ dici possunt de sacrificiorum varietate.

In omni sacrificiorum specie, sicut in quibuscumque oblationibus, fiebat semper quædam destructio: tum pecudes, tum res inanimatæ destruebantur saltem ex parte. Scilicet fiebant ad obtinendam remissionem peccati, cui congruit ut destruatur omnis reus, qui pœnas debet divinæ justitiæ, & morte plectendus esset, nisi illam loco ejus subiret victima, quæ peccato ejus oneratur. Hoc in omni sacrificio fiebat; symbolum enim erat mortis Christi, quem oportebat pati. Idcirco omnis victima occidebatur, sive occisione quando effundebatur sanguis ejus, sive cum igne cremabatur. Eâ de causâ omnia adjuncta sacrificio libamina, vinum, oleum effundebantur. Quodcumque sacrificium appellabatur קָרְבָּן *corban*, id est, donum, sive id quod adducitur, nempe ad Deum. Quæ ex frugibus offerebantur Deo, dicebantur מנחה *Minecha*; oblatio verò facta ex pecudibus appellabatur זבח *zebach*. In genere, sive *Minecha*, sive *zebach*, cum igne absumenda erant; & nominabantur אשה *ische*; id est, *ignita*. Græci non satis clarè exprimunt vim hujus nominis. Redditur ab iliis non semel θυσία *sacrificium*, sæpiùs Κάρπωμα oblatio. Aliquando ὁλοκαύτωμα, *holocaustum*. Vulgatus Interpres hos secutus est; ideò versio ejus pariter ambigua est. אש ignis est Hebræis; ita אשה sunt res igni destinatæ, quæ igne destruendæ erant; & insuper קטרת & קטרה dicebatur suffitus, & θυμιάματα *incensa*, quæ in fumos abibant. Pecudes quæ integræ adurebantur à fumi ascensu in area dicebantur עולה quod verbum sonat *ascendit*; à Græcis verò ὁλοκαυτώματα, quasi in illis fieret totius victimæ combustio; quod non prorsus verum est; etenim sacrificiorum etiam horum quæ עולה *ola* dicuntur, pars quædam reservabatur. Ita nomen illud *holocaustum* ambiguum est; neque enim, ut nomen indicare videtur, accipiendum pro integrâ combustione hostiæ. Græci sacrificium *hola*, & sacrificium *ische* reddunt ὁλόκαυστον, ὁλοκαύτωμα, ὁλοκαύτωσις, malè, si intelligant semper in his sacrificiis totam victimam fuisse combustam. Libamina ea sunt, quæ effusione finiebantur. נסך σπονδὴ *libamen*.

Quatuor sacrificiorum species solent numerari ab Hebræis עולה holocaustum. שלמים sacricfiia salutaria, sive pacifica. חטאת peccatum, sive sacrificium pro peccato: אשם sacrificium pro noxâ. Ista habent sub se alias species inferiores. Sacrorum salutarium, sive pacificorum tres species recensentur: נדר votivum sacrificium, quod fit ex voto. נדבה voluntarium, quod liberrimè offertur: תודה Eucharisticum, quod fit ad gratias agendas. Ad Eucharistica referri possunt salutaria, festiva, & lætifica, aries Naziræi, sacrum Paschale, sacrum primogenitorum, & quod decimando obveniebat. In sacrificiis à Deo plura etiam mandata sunt, sine quibus illa non potuissent decenter fieri. Sunt aliæ duæ species sacrificiorum, *peccatum* & *delictum*. Peccatum חטאת censebatur omnis voluntaria, vel imprudens prætergressio legis divinæ; quæ nisi expiaretur, habebat pœnam comitem, quam immitteret Deus. Credunt enim Hebræi plerosque morbos, ut parturientium dolores, & immunditiem leprosorum esse alicujus peccati irrogata supplicia: idcirco ad illud sacrificium quod dicitur חטאת *peccatum* referunt sacrificia quæ offerebantur à leprosis & puerperis.

Delictum אשם appellant Hebræi culpam, ut ita dicam, incertam. Scilicet cùm aliquis certò non sibi conscius esset alicujus culpæ, sive dubius an admisisset necne, tenebatur certum piaculum facere, ne incurreret in odium Dei. Hocce sacrificium appellabatur *pro delicto*; quam rem non satis exprimit nomen illud Latinum. Præscripta fuisse sacrificia his quibus incertum erat, an culpâ vacarent, declaratur in Levitico (cap. 5. v. 17.) *Anima si peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his quæ Domini lege prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem suam.* Fons reddi potest. *Homo autem cùm peccaverit, & contra quodvis præceptorum Domini, quod facere minimè licet, fecerit, & si hoc fecisse non certò novit, reus tamen est.* Pergit loqui Vulgatus Interpres, *offeret arietem immaculatum de gregibus Sacerdoti, juxta mensuram, æstimationemque peccati: qui orabit pro eo, quia nesciens fecerit: & dimittetur ei.* Ea sacrificia, sive quos proprios ritus quodque festum vindicaret, exponemus in libro septimo, ubi de celebratione festorum agemus. Id unum quærimus, ut Scripturæ in his quæ de sacrificiis dicunt, sint clariores; neque enim tunc temporis requiritur multa peritia circa ritus illorum, quibus jam nullus locus est. Fatentibus ipsis Judæis nunc illicita sunt, quanquam olim in lege præcipiantur, quia eversum est templum, extra quod non licet sacrificare. Nempe, volente Deo, omnia cessâverunt vetusta sacrificia, ubi Christi filii ejus sacrificium oblatum est in arâ crucis.

CAPUT VIII.

De Sacerdotibus sacrificiorum ministris, cæterisque per quos res Tabernaculi administrabantur. De horum ministrorum vestibus.

SECTIO I.

Jus Sacerdotii nunquam fuit promiscuum. Post legem datam, soli qui erant e tribu Levi potuerunt ministrare in Tabernaculo; sed Sacerdotium pertinuit ad eos solos Levitas qui orti erant ex Aarone.

OPus sacrificale tanti pretii, tantæ dignitatis apud omnes gentes habitum est, ut non crediderint posse exerceri à quolibet, sed ab his solis qui viri conspicui essent, & ad id deputati. Rem piam & religiosam esse mactare animalia cum tot & tam solemnibus ritibus nemo opinatus fuisset, nisi horum rituum constitisset auctores esse Patriarchas sive primos hominum parentes. Scilicet ipsi in cultum Dei admisêre sacrificia, & tantam nepotibus suis opinionem de sacrificiorum valore & de religione indidêre, ut non sinerent opus impleri, nisi ab iis qui sapientiâ & auctoritate pollerent, & præcavere possent ne in illis peccaretur. Primis temporibus viri Principes, Reges ipsi publica Deo sacra faciebant, ut videre est apud Poëtam Æneidos tertio.

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique Sacerdos.

Ubi Servius. *Sanè majorum hæc erat consuetudo, ut Rex esset etiam Sacerdos, vel Pontifex. Un-*

denique Imperatores Pontifices dicimus. Egregius est apud Platonem locus in fine libri decimi de Legibus, ubi hanc legem sancit. *Sacella nemo in privatis ædibus habeat. Quum alicujus animum sacrificandi studium incesserit, ad publica sacrificaturus accedito, & Sacerdotibus hostias, quibus sancta harum rerum cura demandata est, præbeto. Simul autem ipse preces fundito, & quicumque cum ipso precari voluerit, ei simul apprecandi facultas esto. Hæc verò idcirco fiant, quia sacella & Deos instituere non est facile; est enim maximi ingenii hæc rectè constituere.* Μεγάλης γὰρ διανοίας πρὸς ὀρθῶς δρᾶν τὸ τοιοῦτον. Soli Patriarchæ electi a Deo, ut vidimus, potuêre instituere & tradere sacrificiorum ritus. Herodotus scribit in Clio, nisi Magus, nempe vir unus è sapientibus interesset, Persas non sacrificasse; quem morem servabant Galli ut adstruit Diodorus in libro quinto. Hi, nisi adesset Philosophus, ut Scriptor ille loquitur, ἄνευ φιλοσόφου nullum sacrificium faciebant. Quapropter Apostolus pronuntiat veluti decretum, cui omnes gentes consentirent (cap. 5. Epist. ad Hebr.) v. 1. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Quæ paulò post sequuntur; magis demonstrant nunquam fuisse promiscuum jus Sacerdotii. v. 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Hæc non possunt restringi ad tempora Mosaicæ legis. In genere & sine ullâ exceptione dicit Apostolus à nemine sibi sumi honorem, nisi accipiat à Deo à quo vocatus sit, ut Aaron vocatus est.

Abel & Cain à quibus vidimus oblata sacrificia, erant primogeniti Adæ. Noë obtulit sacrificium procul dubio non sine vocatione Dei, qui eum elegerat per quem servaret humanum genus. Tempore illo quo Abraham reduxit Loth captivum & in libertatem asseruit, tunc Melchisedech à Deo fuerat constitutus Sacerdos; sic enim de illo loquitur Scriptura, ubi occurrit Abrahæ revertenti à pugnâ. (Geneseos cap. 14. v. 18) *At verò Melchisedech Rex Salem, proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi. 19. Benedixit ei, & ait: Benedictus Abraham Deo excelso, qui creavit cælum & terram.* Si quilibet pro arbitrio tunc sacrificaret, cur id tribuit Scripturâ Melchisedech? Allegantur plura ex tertio Politicorum Aristotelis (cap. 14.) testimonia, quibus constat circa heroïca tempora, hoc est, antiqua, Reges & Principes præfuisse sacris. Tunc ipsa primogenitura conferebat principatum; indè plerique in hanc sententiam deducti sunt, ut ante legem Mosaïcam credant Sacerdotale munus concessum primogenitis singularum familiarum, qui jure primogenituræ suæ patri suo in dignitate, honore, principatu, & auctoritate in minores succedebant. Citatur quod Moyses scribit de se ipso in Exodo 24. 4. *Scripsit enim Moyses universos sermones Domini, & manè consurgens ædificavit altare ad radices montis, & duodecim titulos pro duodecim tribus Israël. 5. Misitque juvenes de filiis Israël, & obtulerunt holocausta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos.* Pro eo quod nunc est in textu *juvenes*, Chaldæi Paraphrastæ ponunt *primogenitos*. Suffragantur Thalmudici. *Antequàm Tabernaculum constructum esset*, aiunt illi, *altarium usus fuit licitus & sacro munere fungebantur ad ea primogeniti.* Indè opinor, cùm Apostolus scribens ad Colossenses [cap. 1. v. 15.] Verbum Dei appellat primogenitum omnis creaturæ, eum innuere quidpiam majus primogeniturâ, nempe dignitatem Sacerdotalem, quæ competebat primogenitis; eo quòd ab origine rerum, imò ante omnem creaturam constitutus esset summus Sacerdos, & caput Ecclesiæ. In eâ significatione *primogeniti* Esaü dicitur prophanus in Epistolâ ad Hebræos (cap. 12. v. 16.) quia prophana fecisset dignitatem suam primogeniti, sive parvi fecisset, quam vendiderit propter escam.

Itaque aut ipsâ naturâ, vel electione Dei semper constituti sunt, qui quolibet tempore res sacras administravêre. Id negant, quorum interest ut non illicitum fuerit, quod in novissimâ secessione factum est, ut plerique se ipsos facerent populorum Pastores. Contendunt antiquitùs jus Sacerdotii nec primogenitis fuisse proprium; & unumquemque potuisse privatim sacra facere. Sed de instituto non est illorum sententiam refellere. Constat post legem latam usque ad Christum solos Levitas ministrare potuisse; & ex illis solos jus Sacerdotii habuisse, qui erant ex Aaronis familiâ. De more proferam loca Scripturæ, in quibus mandatur ministerium Tabernaculi tribui Leviticæ, cujus Aaron caput fuit. Sic Deus Moysen alloquitur in capite tertio Numerorum.

5. *Locutusque est Dominus ad Moysen: dicens:*
6. *Applica tribum Levi, & fac stare in conspectu Aaron Sacerdotis, ut ministrent ei, & excubent,*
7. *Et observent quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram Tabernaculo testimonii,*
8. *& custodiant vasa Tabernaculi servientes in ministerio ejus.*
9. *Dabis dono Levitas.*

Nempe, quod postea dicitur, Aaroni & filiis ejus, ut illis utantur ministris.

10. *Aaron & filiis ejus, quibus traditi sunt à filiis Israël. Aaron autem & filios ejus constitues super cultum Sacerdotii. Externus qui ad ministrandum accesserit, morietur.*
11. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:*
12. *Ego tuli Levitas à filiis Israel pro omni primogenito, qui aperit vulvam in filiis Israël, eruntque Levitæ mei.*

Itaque soli tribui Levi commissum est ministerium Tabernaculi; sed eo ordine, ut soli Sacerdotes propriè fungerentur muneribus sacris: Levitæ verò, id est, qui de tribu Levi erant, sed ex aliâ familiâ, quàm Aaronicâ, ministrarent Sacerdotibus; quod Dominus præcipit in capite decimo octavo Numerorum.

1. *Dixit Dominus ad Aaron: tu & filii tui, & domus patris tui tecum portabitis iniquitatem Sanctuarii: & tu & filii tui simul sustinebitis peccata Sacerdotii vestri.*

Si quid peccatum fuerit in Sanctuario, & res ibi eo malè administrata fuerit, portabitis debitas pœnas: vobis enim demandatum ut curetis res sacras. Hocce munere Sacerdotii negligenter ne fungamini.

2. *Sed & fratres tuos de tribu Levi, & sceptrum patris tui sume tecum, præstoque sint, & ministrent tibi: tu autem & filii tui ministrabitis in Tabernaculo testimonii.*

Adhibe in ministros Levitas, qui sunt fratres tui, quippe ex eadem tribu. Sume sceptrum שבט *schebeth*, id est, tribum patris tui, omnes Levitas adjunge. Tu verò ipse & filii tui ministrabitis coram Tabernaculo לפני *liphne*, id est, *coram*, videlicet circa altare æneum quod erat coram Tabernaculo, tum & circa altare aureum quod intra erat. Designantur munera Levitarum.

3. *Excubabuntque Levitæ ad præcepta tua & ad cuncta opera Tabernaculi: ita duntaxat, ut ad vasa Sanctuarii & ad altare non accedant, ne & illi*

mo i.ntur, & vos pereatis simul.

Custodient, sive curabunt quæ illis præcipies custodienda, & curanda; sed non eis licet accedere ad altare.

4. *Sint autem tecum & excubent in custodiis Tabernaculi, & in omnibus ceremoniis ejus. Alienigena non misceb.tur vobis.*

נלוו *nilvou* adjungantur tibi. Allusio ibi fit ad nomen לוי *levi* quod ex eadem radice deducitur. Nec etiam al enigenarum ministerio utere.

5. *Excubate in custodiâ Sanctuarii, & ministerio altaris: ne oriatur indignatio super filios Israël.*

Cavebitis ne quid in ministerio Sanctuarii peccetur, quod iram Dei adversùs filios Israël possit concitare.

6. *Ego dedi vobis fratres vestros Levitas de medio filiorum Israël, & tradidi donum Domino ut serviant in ministeriis Tabernaculi ejus.*

Fons habet, Ego accepi Levitas fratres vestros, quippe ex eadem tribu, vobis in donum, ut sint dati Domino, nempe addicantur ministerio Tabernaculi ejus.

Tu autem & filii tui custodite Sacerdotium vestrum: & omnia quæ ad cultum altaris pertinent, & intra velum sunt, per Sacerdotes administrabuntur, si quis externus accesserit, occidetur.

Omnia munia quæ peraguntur in ipso Tabernaculo, intra velum & circa altare, non ab aliis quàm à vobis Sacerdotibus sunt exercenda. Si quis his defungi præsumat; non de Aaronis familiâ, occidetur, peribit; ut contigerat Core, Datan, & Abiron qui Sacerdotium usurpare voluerant. Interitus eorum narratur in capite decimo sexto Numerorum; Moyses capite sequenti subjungit, quomodo virga Aaronis floruerit, & hoc miraculo constiterit Sacerdotium pertinere ad illius familiam. Cùm nec interitus Core & aliorum compressisset murmur Israëlitarum, qui querebantur omnem Sacerdotii honorem collatum Aaronitis; Moyses imperavit tribubus omnibus, ut quæque afferret virgam suo nomine inscriptam: quod cùm fecisset Aaron, & virga habens nomen ejus cum cæteris posita fuisset coram Deo in Tabernaculo, sola turgentibus gemmis protulit flores, qui foliis dilatatis in amigdalas deformati sunt.

SECTIO II.

De vestium, quibus ministri in Tabernaculo Dei induebantur, materiâ, coloribus, & formâ.

NUlli licebat ministrare in Tabernaculo, qui non esset indutus vestibus quæ ordini suo congruerent. De hisce vestibus differendum; primùm autem agam de harum materiâ, coloribus, & formâ in genere. Rem istam multâ diligentiâ & doctrinâ prosecutus est Joannes Braunius Palatinus, cujus opus contraham. Attingit eruditus Scriptor pleraque quæ ad vestes Sacerdotum Hebræorum non pertinent, scitu quidem dignissima ad veteres Gentilium ritus cognoscendos; sed ad alia propero. Mentem adverte, Lector: nec parvi facias ea quæ hùc afferam, quia accersita ex vilibus artibus. Ex his Scripturæ accedet multa lux. Ordiar à materiâ.

Majorem usum in re vestiariâ præbent *lana* & *linum*; sed apud Hebræos vestes ex solâ lanâ, vel ex solo lino constabant; mixtura enim utriusque prohibebatur in Levitico (cap. 19.) sed non quæcumque mixtura, ut docent Magistri Judæorum, nisi propter externam speciem; scilicet id tantummodò cavendum ne illa appareret, sive ne quis crederet ex lanâ & lino factas vestes. *Est in urbibus maritimis*, ait Maimonides, *quadam lana, quæ nascitur in lapidibus, in mari salso, aurei coloris & tenerrima, nomine calach: illam cum lino misceri vetitum est, propter externam speciem, quia similis est lanæ agnorum. Sic etiam sericum & calach non licet misceri propter externam speciem.* Sacerdotes verò, ut Talmudici adstruunt, non ubique tenebantur hac lege; etenim quando ministrabant in Sanctuario, non vestiebantur nisi lanâ & lino; & hæc in eorum vestimentis, in Balteo, in Ephod & Pectorale miscebantur; ita ut illis licitum fuerit, quod prohibitum erat cæteris Israëlitis. Hùc respiciebat Josephus cùm in Antiquitatibus suis alloquitur Israelitas (l. 4 cap. 8.) *nullus ex vobis veste ex lanâ & lino utatur: hæc enim solis Sacerdotibus est concessa.* Tempore ministerii sui non vestiebantur nisi lanâ & lino; nec cannabum, nec gossipium, nec xilinum, nec sericum, nec pili camelorum, caprarum, leporum, aliorumve animalium ullum prorsus usum habuerunt in vestimentis sacris; horum enim non fit mentio ubi agitur de vestibus sacris, etsi aliàs non rarò in re vestiaria, iis uterentur Hebræi. Linum Hebræis dicitur שש & בד; quas voces interpretatur Chaldæus Paraphrastes בוץ; undè factum nomen βύσσος byssus, quo Græci Interpretes reddunt dictas voces שש & בד. Errant, judice Braunio, qui putant his significari sericum, cujus usum optimis argumentis probat fuisse ignotum antiquis Hebræis. Pariter falluntur qui easdem voces interpretantur gossipium, sive xilinum vernaculè *du coton*; de quo sic Plinius loquitur [lib. 19. cap. 1.] *Superior pars Ægypti, in Arabiam vergens, gignit fruticem, quem alii gossipium vocant, plures xilon, & ideò lina indè facta xilina. Parvus est, similemque barbatæ nucis defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur. Nec ulla sunt eis candore mollitiâve præferenda vestimenta. Vestes indè Sacerdotibus Ægypti gratissimæ.* Xilinum dicitur Talmudicis *lanea vitis*, quia arbores in quibus nascitur similes sunt viti. Braunius ostendit byssum Græcorum non speciem lanæ marinæ, quæ nimirum nascitur ex pinnis; sed speciem lini, quæ seritur, ex qua & retia olim conficiebantur. Byssus itaque est linum subtilissimum & pretiosum; & hæ voces Hebrææ שש, בד, בוץ pariter significant linum. Id quod multis prolatis testimoniis auctor evincit. Aliqui observant בד esse linum unius fili, sic dictum à בדד, id est, *solum*: שש verò significare linum retortum & sextuplum, nempe ex sex filis, nam שש idem sonat Hebræis quod Latinis *sex*. Addam & linum apud Isaiam 19. 9. appellari שריקות quando benè pexum & carminatum est, à verbo סרק quod est *pectere*. Lana quâ solâ cum lino induebantur ministri altaris, pro coloribus quibus imbuebatur, habet diversa hæc nomina תכלת, ארגמן, תולעת שני, *thechelet, argaman, tholaath, schani.* Quoad linum non inficiebatur ullo colore; natura enim sua album, & lineæ vestes omnes albæ sunt. Primus color quo lana tincta celebratur in Scripturis, est *thechelet*. Septuaginta, Josephus, Philo Judæus, Aquila, Symmachus, Theodotion, Vulgatus Interpres, Hieronymus interpretantur ὑάκινθον, *hyacinthum*, qui color convenit cælo sereno & mari; ut *thechelet* sit lana cæruleo colore infecta. Flos est hujusce nominis & coloris; sed non omnes hyacinthi tum apud veteres, tum apud nos, unius coloris sunt; reperiuntur enim purpurei, sive rubei coloris; hyacinthum verò colorem aëris habuisse Scriptura, Josephus & Philo adstruunt. Cæruleus, inquam, color erat *thechelet*, sed non qualem

qualem morientem Gallicè vocamus *bleu-mourant*. Exsaturatus erat & nigricans. Quandoque Septuaginta interpretati sunt *thechelet* ὁλοπόρφυρον; sed modò videbimus varios fuisse purpureæ colores. Violaceæ purpuræ meminit Plinius [lib 9. cap. 36.] Judæi scribunt colorem *thechelet* factum ex muricis sanguine, ut ille color non diversus sit à conchylio veterum. Maimonides *chilzon* appellat piscem cujus sanguine tingeretur thechelet. *Chilzon*, inquit, *piscis est, cujus color est instar coloris thechelet, & sanguis ejus ater est instar coloris atramenti: reperitur in mari salso.* Sed hæc videntur potiùs convenire alteri colori de quo modò dicemus, nempe *argaman*, qui a Tyriâ purpurâ non distinguebatur.

Secundus color ex factitiis in sacro vestitu est ארגמן *argaman*, quam vocem Septuaginta reddunt πορφύραν. Sic Josephus, & Philo Judæus. Hieronymus *purpuram*. Verùm, ut jam innui, erat purpura diversi coloris, violacea, cærulea & rubra. *Me juvene*, inquit Cornelius Nepos apud Plinium (lib. 9. cap. 39) *violacea purpura vigebat...... Nec multò post rubra Tarentina. Huic successit dibapha Tyria.* Ut plurimum tamen color ruber intelligitur per *purpuram*. At ipsa rubedo in purpurâ, quæ ita dicta est, varia animadvertitur. Erat purpura saturi coloris, & acuto rubore splendens: erat fusca & obtusa. Braunius opinatur *argaman* fuisse rubore austero, saturo, nigricante, sed qui lumine micaret, qualis color quem vernaculè dicimus *Ponceau*; quales sunt quædam certæ anemonæ & ranunculi rubri nigricantes, saturi coloris, quos ideò aliqui appellant *sanguinem boum*, instar nigricantis rosæ. Auctor allegatus contendit *argaman* fuisse propriè purpuram Tyriorum quæ murice tingebatur. Sunt tamen inter Judæos qui contendunt *argaman* esse potiùs texturam quàm infecturam; nempe quidpiam ex diversis coloribus contextum à verbo ארג *arag* texuit. Sed peritorum, ut Maimonidis alia sententia est. Philo & Josephus satis declarant purpuram, quæ in fonte Hebræo dicitur *argaman*, non distinguendam esse à Tyriâ; dicunt enim hunc colorem repræsentare mare, quia ex eo oritur nempe ex ejus cochleis, quæ murices dicebantur. Addam vocem ארגמן juxta Braunium componi ex illis duabus גין *ghen* color & *aram* ארם. Quasi dicas *color syrius* Sic eum colorem appellabant Hebræi, quia Tyro Syriæ urbe advehebatur.

Tertius factitiorum color in sacro vestitu est תולעת שני *tholaath schani*. Septuaginta interpretantur κόκκινον *coccinum* & κόκκινον διπλοῦν *coccinum duplum*: Vulgatus Interpres, *coccinum bis tinctum*, Josephus κόκκινον. Idem aliquando cum Septuaginta φοινικοῦν. Primùm rem inquiramus. Coccinum fuisse *tholaat schani* ostendit locus ille Isaiæ (cap. 1. v. 18.) ubi sic alloquitur Judæos: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum*, in fonte quasi שנים *schanim*, *illa quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus:* in fonte תולעת *tholaath velut lana erunt*, nempe quæ nondum colore infecta est. Peccata in Scripturâ vocantur *sanguis*. Ergo ibi colorem eorum comparat Propheta cum colore *tholaath schani*, quas duas voces dividit. In Canticis Canticorum (cap. 4) labia sponsæ assimilantur filo השני *haschani*; ut non liceat dubitare quin color, de quo nunc fit sermo, sit ille coccineus, quem vernaculè dicimus *du vermillon*. Sed juvat exquirere quid propriè esset veterum coccus. Non solùm in Phrygia, sed & aliis multis in locis crescit frutex, species querceti semper viridis, undè ab Arabibus dicitur *Kermes*, ex voce כרמל, quæ significat plantam virentem. Circa autem dictum fruticem nascitur coccus, id est, fructus rotundus instar lentis, sive potiùs excres-

A centia quædam, ex cujus succo alitur vermiculus, qui statim fit volucris, & aufugit, nisi morte præveniatur. Hujus sanguine lana tingitur. Indè hunc colorem Hebræi & Arabes vocant *Kermes*, vera origo nominis Gallici *Cramoisi*. Constat & hunc colorem ab antiquis reputatum pro purpurâ. Quapropter non mirum si chlamydem vocet coccineam Matthæus [cap. 27. v. 28.] quam Marcus & Joannes dicunt fuisse amictum purpureum. Differt coccus à Tyriâ purpurâ, quæ erat rubedine florida, & acuto lumine splendens, nec simili nigritiâ & saturitate quæ in Phrigiâ erat. Liquet vocem תולעת *tholaath* significare *vermiculum*, nimirum illum cujus sanguine fiebat coccineus color; ut uterque non differret saltem origine suâ. Vocem שני *schani* sic
B plerique interpretati sunt, quasi denotaret iteratum colorem à שנה *iterare* eo sensu quo purpura Tyria *dibapha*, sive bis tincta dicebatur. Observandum est in Scriptura voces illas *tholaath-schani* sæpissimè sic conjunctim legi. Aliquando præcedit *schani* aliquando *tholaath* absque *schani*, aliquando *schani*, absque *tholaath*. Vocem autem *schani* derivat Braunius à שנן *acuere*; ut illâ denotetur color non iteratus, sed acutus. Sunt qui velint *schani* nomen esse querceti, quod eo appelletur, quia folia ejus sint acuta; & in eo loco Levitici cap. 14. v. 4. in quo agitur de mundatione leprosi, ubi coccus & vermiculum nominantur in fasciculo qui inserviebat ad eum respergendum, opinantur non colorem, sive non la-
C nam coccineam indicari, sed dictum arbusculum. In hac mundatione duo passerculi offerendi erant, quorum unus immolandus erat, alter dimittendus liber priùs ligno cedrino, & cocco, & hyssopo tingendus in sanguine passeris immolati, quo etiam aspergendus, qui mundandus est, septies, ut jure purgetur. In fonte est שני התולעת *sani tholaath*. Aspersoria componi potuêre his lignis. Verùm cæteris in locis ubi *sani tholaath* usurpatur, significat lanam coccineam, quæ cùm imbibat & retineat humorem, idonea est aspersoriis parandis. Sic huncce locum interpretatus est Scriptor Epistolæ ad Hebræos, (cap. 9. v. 19.) *Lecto enim omni mandato legis à Moyse universo populo, accipiens sanguinem vi-*
D *tulorum & hircorum, cum aquâ, & lanâ coccineâ & hyssopo, ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit.* Aspersorium ex solis ramusculis sine lanâ imbui sufficienti sanguine non potuisset, ut omnis populus aspergeretur.

Circa colores factitios, tanta est opinionum diversitas, quanta esse potest inter ipsos colores; neque enim, ut experientiâ discimus, etiam ipsi solertissimi infectores non assequi possunt, ut panni plures qui non eadem infectura in eodem aheno simul tincti fuerint, prorsus eundem referant colorem. Ita fit ut res ejusdem nominis alios colores ostendant. Indè, inquam, incertæ sunt opiniones auctorum de factitiis coloribus, sed non ita de naturalibus; etenim natura eadem semper est.

E Jam de vestium sacrarum formâ agamus. Formam hîc vocamus, artem qua texebantur & conficiebantur; neque enim adhuc fit sermo de formâ qua contextus pannus fieret aptus corpori tegendo, sive quâ fit amictus, & indumentum. Nunc diversâ ratione panni conficiuntur; quæ vix sermone explicari potest. Hodierna ratio prorsus differt à veteri. Olim panni dum conficiebantur, & in vestem simul texebantur. Scilicet, ut probat Braunius, veterum vestes integræ, rotundæ, & manicatæ textura solùm conficiebantur, sine ulla sutoris opera; sed aliâ arte quam illis prælongis acubus, quarum usus est, cum unico & continuo filo integrum aliquod vestimentum contexitur. Nullo autem, in-

quæ Braunius, vetuſtatis monumento docemur hanc nunc vulgatam artem, antiquis uſitatam fuiſſe. Veſtis integra facilè texitur, cùm ſic adhibentur acus plurimæ. Harum operâ ex uno filo ad formam veſtimenti nectuntur tibialia, tunicæ nocturnæ, chirotecæ, & id genus infinita alia. Quomodo verò panni & veſtis textura fieret, ſive eodem tempore integra veſtis conficeretur, Braunius proponit machinam quâ id factum credit. Olim conſtat contextas tunicas inconſutiles, in Evangelio, & in Ethnicorum libris commendatas, ob difficultatem operis; undè deducit auctor rem fuiſſe multi laboris, & temporis. Huic operæ deſtinabantur ancillæ. Indè in Comœdia Mercatore ſic Plautus inducit loquentem ſenem Demiphonem [Act. 2. Scen. 3.]

Nihil opus nobis ancillâ, niſi quæ texat, quæ molat.

Ita lanificii cura non ad viros opifices, ut nunc fit, ſed ad puellas & matronas ſpectabat, Reginas ipſas & Regum filias. *Filiam & neptes ita inſtituit* Auguſtus, *ut etiam lanificio aſſuefaceret.* Scribit Suetonius (cap. 64.) Quin ætate B. Chryſoſtomi non exercebatur lanificium niſi à mulieribus; ut indicat (Homilia 34. in 1. Corint.) *Nec viro enim univerſa commiſit, nec mulieri, ſed pulcrè officia digeſſit; huic domum, illi forum tradens, & huic nutrire (agrum enim colit) illi amicire (tela enim & colus mulieris eſt) & texendi ſapientiam commiſit.*

Quam artem antiqui adhibuerint in texendis, ſive pannis, ſive veſtibus, difficile eſt explicare; attamen tentemus, ſi poſſimus, ſenſum aſſequi quarumdam vocum quæ huic arti propriæ ſunt. Prima expendatur שבץ quam Lexicographi interpretantur *teſſellatum, ocellatum, intertextum opus fecit.* Undè משבצה *ocellatio, pala*, funda annuli, ſive veſtis ocellata, quali veſte induta erat ſponſa Salomonis (Pſal. 44. v. 14.) fimbriata dicitur in Græca & Latina verſione; ſed ſecundùm vim fontis *teſſalata.* Nempe habebat vias & virgas eminentes, quæ totam eam tranſverſim & decuſſatim decurrebant, ita ut depreſſas & cavas aliquas figuras, ſive quadratas, ſive polygonas intra ſe relinquerent, inſtar lacunaris, aut fundæ annuli, quibus includuntur gemmæ & annuli. Sic ab Interprete benè redditur Gallicè locus Pſalmi ubi Reginæ mentio fit. *Son vêtement eſt ſemé d'enchaſſures d'or.* Hodie ocellati panni non rari ſunt, & veſtes fundis conſitæ. Talis erat tunica Saülis quam cùm perforare non valuiſſet, eùm ſibi violentas manus inferre voluit. (2. Regum cap. 1. v. 9) petiit ab Amalechite auxilium. Vulgatus Interpres vocem השבץ accepit pro *vertigine*, pro *anguſtiâ*, ſic enim inducit loquentem Saülem, *quoniam tenent me anguſtiæ.* Meliùs Junius & Tremellius, *quoniam detinuit me hæc ocellata chlamis*, quare tota vita in me eſt. Nimirum non uſque in præcordia ferrum penetravit. A שבץ etiam derivatur תשבץ, quæ vox etiam idem ſonat quod *ocellatio, teſſella*, undè כתנת תשבץ *tunica ocellata*, dè quâ fit ſermo in cap. 28 Exodi v. 4. A Vulgato Interprete habetur pro tunicą ſtricta; cui interpretationi adſtipulantur viri docti, qui ſentiunt שבץ etiam ſonare *ſtringere, arctare*, quod proprium eſt palæ, ſive fundæ annuli ſtringere & arctare gemmas; quapropter non contentiunt cum Braunio qui facit tunicas Sacerdotum ocellatas, ſcutulatas.

Secunda vox quâ exprimitur ornamentum in ſacro veſtitu, חשב *choſcheb.* De veſte Ephod, verbi causâ, dicitur quod facta ſit opere *choſcheb.* Sic & Cherubini dicuntur facti opere *choſcheb.* Sæpiùs Septuaginta appellant opus illud ἔργον ὑφαντὸν ποικιλτοῦ: aliquando ſimpliciter ἔργον ποικιλτοῦ. Vulgatus verò interpres *opus polymitum, opus variatum, opere plumario.* Hebræis חשב idem ſonat quod Latinis *meditari, excogitare*, ut opus *choſcheb* ſit opus artificioſiſſimum, ut jam à nobis obſervatum eſt; illud autem conſiſtere in certis quibuſdam figuris & varietate colorum creditur; quod ſignificat τὸ ποικιλτὸν à ποικίλλειν *variare.* Hæc opera dicuntur & πολύμιτα, quæ nempe habent plures μίτους, id eſt, *tramas, licia, fila.* Polymitæ, inquam, veſtes ſunt quæ plurimis liciis texuntur, & ſunt multorum colorum. Opus illud dicitur variatum & plumarium, nam plumare eſt ποικίλλειν.

Tertia vox quâ utitur Moyſes ad exprimendum ornatum in veſtibus ſacris eſt רקם. *Balteum facies*, inquit Deus, *opere* רקם *rokem* [Exod. cap. 28. v. 39.] Græci Interpretes illud opus vocant ἔργον ποικιλτοῦ, & Vulgata *opus plumarii.* Quomodo ergo differunt *choſcheb* & *rokem?* Braunius opinatur *choſcheb* opus eſſe textoris qui ipſâ texturâ, ſive connexu ſtaminis & ſubteminis pingendi artem imitatur, animalium formas, flores, & mille figuras exhibens; ut videre eſt in tapetibus; *rokem* verò opus ſit acu pingentis, vernaculè *ouvrage de broderie.* Hæc opera dicuntur Phrygionica, quia Phryges eorum inventores creduntur, ut docet nos Plinius (lib. 8. cap. 48.) Majori autem artificio fiebat opus *choſcheb*, ut nomen indicare videtur, quàm opus *rokem.*

In definiendâ harum vocum propriâ ſignificatione difficile eſt non errare; ſed iſte error non periculoſus eſt. Priuſquàm claudatur hicce articulus, obſervandum Sacerdotes potiſſimum uſos veſtibus lineis, quæ puriores ſunt, naturâ ſuâ albæ, & faciliùs amiſſum colorem recuperant lotæ. Indè videre eſt Angelos Apocalypſeos qui repræſentabant miniſtros templi, apparuiſſe in veſte candidâ Plerumque & Gentilium Sacerdotes dicuntur *linigeri.* Unde Silius Italicus lib. 3.

.... Ante aras ſtat veſte Sacerdos
Effulgens niveâ.

Conveniebat linum veſtimento eorum, à quo ſanguis ſæpiùs abſtergendus. Fieri non poterat, ut dum victimas mactarent, non macularentur ſanguine earum. Indè, ut conjicio, ſummus Pontifex in die expiationis non aliis quàm lineis veſtimentis induebatur, quæ aliis diebus lanea eſſe debebant, aut partim ex lanâ, tota linea erant in hoc feſto. Videlicet quia digitum intingebat ſæpiùs ſanguine, ut aſpergeret Sanctuarium: ſicut narratur in capite decimo ſexto Levitici.

SECTIO III.

De veſtibus, quæ omnibus miniſtris conveniebant; tum de his quæ ſummo Pontifici erant propria.

MAimonides probat in tractatu de Apparatu templi, Sacerdotes & Levitas fuiſſe in utos veſte congruenti. *Quod autem in vaticinationibus reperias amictos Sacerdotes amiculo lineo, non ſummi Sacerdotes fuêre. Nam ſummi Sacerdotis amiculum è lino non erat. Quin etiam ejuſmodi amiculo Levitæ quoque velabantur: Samuël enim vates erat Levita: atque de illo ſcriptum legitur.* (1. Reg cap. 2. v. 18.) Puer accinctus Ephod lineo: *amiculo videlicet iſto velabantur & vatum filii, & quicumque idoneus erat, quem Spiritus ſanctus invaderet atque obſideret, quò palàm fieret hominem illum aſſecutum eſſe gradum ſummi Sacerdotis, qui per amiculum & rationale fundit oracula afflatu divino.* Ephod autem in genere amictus eſt, *cinctum* a verbo אפד *aphad*, id

ciı, *amicivit*, *cinxit*; ſed hocce nomen proprium eſt certo amictui, quo ſolus ſummus Pontifex induebatur.

Quatuor veſtimenta habebat omnis turba Sacerdotum, feminalia, tunicam, balteum, & pileum. Primum genus veſtimenti appellatur מכנסים. Feminalia linea erant, quibus corporis ſudor extergebatur. Aliud genus dicebatur כתנה χιτὼν, id eſt, tunica, quæ & linea erat. Formam ejus deſcribit Joſephus. *Eſt illud indumentum talare, corpus ambiens, & manicas circum brachia adſtrictas habens.* Ita ut nulla eſſet in eo ruga. Nunc tunicæ interiores ſinum habere ſolent latis amplum a collo ad cor uſque, per quem caput tranſmittitur in veſtiendo. Verùm ex Joſepho oſtendit Braunius Sacerdotalem tunicam pro ſinu circa collum magnam aperturam habuiſſe; quæ tamen funiculis conſtringeretur, & utramque ſcapulam tegeret. Opinatur eam fuiſſe totam textilem, ſive inconſutilem; ex ſenis filis ſingula ejus licia conſtitiſſe; quippe dicatur ex שש, quæ vox indicat linum ſexies retortum, ſive ſex fila lini in unum retorta. Hanc tunicam repræſentat teſſellatam, ſive ſcutulatam; quia dicitur facta opere תשבץ *thſchbetz*, quam vocem ſupra interpretati ſumus de opere teſſellato, ſive ſcutulato. Maimonides ſuffragatur; ſic enim ille loquitur ore ſui Interpretis in tractatu *Chele hamikdas*, ſive de Apparatu templi cap. 8. Sectione 16 *Veſtium igitur illarum erat artificium ejuſmodi: tunicæ quidem, ſive privati, ſive ſummi Sacerdotis erant teſſelatæ: nempe erant totæ contextæ ac diſtinctæ quaſi teſſellis, qualis eſt forma reticuli.* Vernaculè diceremus *des toiles ouvrées.*

Tertium veſtimenti genus eſt balteus, qui pro ornamento potiùs haberi poteſt, quàm pro veſtimento; cingulum enim erat. Balteus ille Sacerdotum ex variâ materiâ contextus erat, ex lino & lanâ, & quidem ex lanâ diverſorum colorum; ex hyacintho, ex purpurâ & coccino; de quibus tribus coloribus diſſeruimus. Latus erat balteus quatuor digitis; atque ſemel & iterum circa pectus revolutus ligabatur, & ad talos uſque defluebat, quandiu non operabatur Sacerdos; quod fiebat propter decorem. Hæc Joſephus, qui adjungit & hunc balteum habuiſſe flores intextos, cocco, purpurâ, hyacintho & byſſo variegatos.

Quartum veſtimentum eſt מגבעות *Migbaoth*, κίδαρις, tiara, pileus. Erat ex lino, & nihil aliud quam longa quædam faſcia, aut tela aliquot ulnarum, ad involvendum caput, ad eam formam, quam quiſque deſiderabat, & pro modulo capitis; ut capiti detracta iterum expandi potuerit, inſtar cujuſvis telæ, ut colligitur ex deſcriptione veſtis ſummi Pontificis quam facit Joſephus 3. Antiq. cap. 8. *Super caput autem geſtat pileum non faſtigiatum* ἄκωνον, *neque totum caput comprehendentem, ſed paulò plus quàm medium. Hic vocatur maſaa emphtes. Eſt autem tali paratu, ut videatur vitta linea ſæpè in orbem replicata, & conſuta, quam supernè alia tela integit uſque ad frontem deſcendens, & per ſuperficiem verticis ſuturarum deformitatem occultans.* Definit longitudinem faſciæ Maimonides eo in loco quem ſupra allegavimus. *Cidaris illa tam ſummi, quàm privati Sacerdotis ſex & decem erat longa cubitos.* Alibi hic Rabbinus dicit pileum ſummi Pontificis fuiſſe faſcias capiti ejus circumdatas, quemadmodum membrum contritum aut fractum obvolvitur. Indè dicebatur מצנפת *Mitznepheth*, à צנף involvit; indè Joſepho dicitur μασσα ἐμφθής. Talia erant Parthorum, gentium plerarumque aliarum & diademata; nunc & Turcarum, nec & Maurorum. Videre eſt in 3. Regum cap. 20. v. 31. cùm Syri miſericordiâ commovere voluiſſent Regem Iſraël eos acceſſiſſe indutos ſaccis & habentes funiculos in capitibus, ſcilicet pro faſciis ſolitis involverant caput funiculis. Pilei illi non ideò minùs erant ſimiles galeæ, erant gibboſi; indè dicebantur מגבעות *migbaoth*. Summum Pontificem dicit Joſephus (lib. 3. Antiq. cap 8) habuiſſe pileum ſimilem cæteris Sacerdotibus, ſed ſuper quem alius exſtaret ex hyacintho. Nempe alia faſcia hyacinthina pretioſior obtegebat ſolitam faſciam.

Hùc uſque occupati fuimus in veſtiendâ totâ Sacerdotum turba; nunc de Pontificis maximi veſtimentis agamus. Alia dicebantur aurea, quia pleraque ex auro conſtabant; alia alba, nempe quæ ſolùm linea erant, quibus induebatur in die feſto Expiationis. Præter feminalia, tunicam & balteum, veſtes ſibi & cæteris Sacerdotibus communes, haſce habebat proprias. Primùm *mitznephet*, hoc eſt, pileum proprium, quia, ut obſervatum eſt, diſtinguebatur a *migbaoth* Sacerdotum. Secundò מעיל *meil* pallium. 3. אפד *Ephod*, & חשן *choſen*, id eſt, pectorale; quod, ut dicetur, erat pars Ephod. 4. ציץ *tzis* coronam. De quibus ſigillatim dicendum eſt. Vocem *meil* interpretantur Septuaginta ποδήρη *talarem*, nempe tunicam Sic Joſephus ποδήρη χιτῶνα, alii pallium. Sic illud deſcribit Maimonides. *Meil*, inquit, *totum hyacinthinum eſt, filamenta ejus ſunt duodecim, in unum retorta, & os ejus* cui caput immittitur, *ab initio textum eſt. Nullas habet manicas, ſed diviſum eſt in duas plagas ab initio colli deorsùm pendentes, qualia eſſe ſolent omnia pallia, ideòque non cohærent* plagæ *niſi circa collum tantùm.* Alii volunt *meil* fuiſſe manicatum; nec ad latera apertum, ſed clauſum. Sed Braunius qui cum Joſepho & Philone illud indumentum habet pro tunica, probat Joſephi verbis haud fuiſſe manicatum. Talare erat, ſed non uſque ad terram, tunica enim linea interior conſpici non potuiſſet; & tintinnabulorum, quæ ex eo dependebant, ſonitus impeditus fuiſſet. Talia tintinnabula, quæ omnia aurea erant, Judæi & Hieronymus numerant ſeptuaginta duo. His ſingulis inerat ex Maimonide malleolus. Unumquodque autem erat inter duo mala punica hyacinthina, purpurea, & coccinea. Scilicet fimbriæ erant, ut rem explicat Joſephus, in modum malorum punicorum ex lanæ filis diverſorum colorum. Hæc mala punica, ſive malogranata forſan exhibebantur cum ſuo flore; undè Septuaginta & Philo ſcribunt flores dependiſſe ex *meil*. Obverſatur oculis tuis, Lector, imago ſummi Pontificis, qui ſuis veſtimentis indutus eſt.

Meil, ſive pallio ſuperinduebatur אפוד Ephod ἐπωμὶς juxta Septuaginta, Joſephum & Philonem, quos ſequitur Vulgatus Interpres, appellans *ſuper humerale.* Factum erat ex auro, hyacintho, purpurâ, coccino, & byſſo retortâ. Tribus partibus conſtabat; primùm amiculo quod pectus & tergum tegebat ab axillis uſque ad dimidias nates. Secunda pars Ephod erant humeralia, duo ſcilicet fruſta quæ plagulæ adhærebant, & quæ uſque in humeros protrahebantur, ut anteriora cum poſterioribus jungerentur fibulis gemmatis. Tertia pars erat cingulum, quo infra axillas corpori adſtringebatur, quod Scriptura appellàt in Exodo (cap. 28. v. 8.) חשב *cheſcheb*, quam vocem Septuaginta vertentes ὕφασμα in errorem impulerunt noſtrum Interpretem, qui putavit ſignificari *texturam* Ephod, ſed hac voce notatur *cingula*, qua Ephod induebatur & applicabatur Sacerdoti & ornabat ipſum. Ita ſentiunt Rabbini. Præter aurum & cætera ornamenta etiam lapidibus pretioſis fulgebat veſtis pontificia. Duo in utroque humero, quibus tanquam fibulis gemma-

tis, duo succinctoria, sive duæ plagulæ anterior & A posterior nectebantur. Duæ scilicet fibulæ aureæ quibus cohærebant illæ duæ partes, egregia gemma ornatæ erant, quæ appellatur שהם, à Josepho sardonyx; tantæ magnitudinis ut his duabus nomina duodecim filiorum Israël insculperentur. Sex nomina super lapidem unum, & sex nomina reliqua super lapidem alterum. Addit Braunius duo lora infra axillas, in utroque latere unum, quibus corpori tanquam cingulo astringerentur plagulæ, ut videre est in imagine Pontificis, quam ob oculos tuos posuimus. Hoc est Ephod summi Sacerdotis, sed & aliud erat Ephod lineum, quod induisse Samüel & alii dicuntur, forsan à tunica Sacerdotali non diversum. Nomen Ephod potuit congruere B certis vestimentis quorum usus promiscuus erat; etenim & Ephod induit David.

Pars illa *Ephod*, quæ dicebatur חשן *hosen*, ut illud nomen exprimit Latinis literis Hieronymus; Josephus verò his Græcis ἐσσὴν *essen*, non potest brevi explicari sermone. Nomen, inquam, illud *hosen* Latine sonat *pectus*; & cum eo adjungebatur hocce aliud nomen המשפט *mischpat*, id est, *judicium*. Appellatur enim pectorale judicii, à Septuaginta λόγιον τῶν κρίσεων, à Josepho simpliciter λόγιον, à Vulgato *rationale judicii*. Illud ornamentum sacrum proprium summo Sacerdoti dicebatur *pectorale*, quia è regione cordis adhibitum: materia eadem quæ Ephod. Factum enim ex auro, hyacintho, purpurâ, coccino & bysso retortâ. Forma quadrata spi- C thamæ longitudine & latitudine, sive dimidii cubiti; ita decem pollicum nostratium. Cùm autem longitudo & latitudo ejus esset semicubitalis, & esset duplicatus, necessario expansum in cubitum extendebatur. Aureis catenulis, annulis & lapidibus pretiosis ornabatur. Quatuor annuli annexi erant quatuor ejus angulis. Superioribus annulis catenulæ infixæ erant pendentes ex humeris ubi sardonyches includebantur palis aureis: annuli inferiores annulis humeralium circa cingulum Ephod hyacinthinis vittis alligabantur, & constrigebantur; ut videre est in imagine summi Pontificis.

SECTIO IV.

De duodecim pretiosis lapidibus quæ inerant rationali, sive fasciæ pectorali summi Pontificis, tum de Urim & Thumim. An voces, an res sint. De laminâ Pontificiâ.

PRetiosissimis lapidibus ornatum erat pectorale: duodecim scilicet, quot erant tribus Israëlitarum, ita distributæ gemmæ illæ, ut quatuor essent ordines, & in quolibet ordine tres lapides in fundis aureis inclusi, eodem modo quo gemmæ in annulis contineri solent. Singulis inscripta erant nomina filiorum Jacob. Cùm totum pectorale longum & latum esset semicubito, & ideo decem Parisinis pollicibus; quisque ex quatuor ordinibus lon- E gus erat decem pollicibus, latus duobus cum semipollice. Sic quisque lapis cum pala sua, sive aureo fundo cui illigabatur, occupabat spatium tribus pollicibus & quatuor lineis longum, latum duobus pollicibus cum semipollice. Forsan cujusque lapidis longitudo superabat latitudinem. Magnitudine autem sua, ut dicit Josephus, mirabiles erant. Cujusque tribûs secundùm suum ordinem, in longitudine nomen scriptum erat. Diversæ speciei sicut & diversi nominis erant lapides illi. Cujusque speciem non est nisi arioli explicare. Dissentiunt inter se Interpretes. Primus lapis dicitur אדם *odem*. Nomen illud videtur indicare fuisse rubrum; undè aliqui hunc lapidem vocant rubinum. Aliis videtur fuisse adamas ob sonum nominis. Aliis σάρδιος *sardius* qui pellucidus est & rubet. Hinc Deus, cùm irâ succensus exhibetur in Apocalypsi (capite 4. v. 3.) dicitur similis sardio lapidi. Secundus lapis est פטדה pitdah, qui habetur pro topasio vitrei & viridis coloris. Judæi tradunt quemque ex his lapidibus retulisse colorem vexilli tribûs, cujus nomine inscriptus esset. In lapide *odem* Ruben legebatur, cujus vexillum rubrum erat. Simeon sculptus erat in *pitdah*. Hujus tribus vexillum erat viride. Tertium lapidem ברקת *bareketh*, habent pro smaragdo magni fulgoris. Id vox Hebræa indicat, ברק nempe fulgur est. Huic lapidi tres tribuuntur colores, album, nigrum, & rubrum, quibus coloribus distinguebatur vexillum Levi, cujus nomen inscriptum erat lapidi *bareketh*.

Quartus lapis est נפך *nophech*. Braunio est chalchedonius, sive carbunculus. Huic Judæi dant colorem cæli, quo distinguebatur vexillum Judæ, cujus nomen inscriptum habebat lapis nophech. Quintus lapis est ספיר *saphir* cujus color cæruleus, ut cæli. Vexillum Isacharis, cujus nomine inscripta erat sapphirus, habebat solem & lunam. Volunt tamen Judæi hujus vexilli colorem fuisse שחור *schachor*, id est, nigrum. Sed, inquit Braunius, cæruleus color erat intensus & saturatus, instar sereni cæli quod primo aspectu nigrum apparet. Sextus lapis est יהלום *jahalom*, quem diversis lapidum nominibus reddunt Interpretes. Vox illa derivari potest à verbo הלם C *confringere*; undè colligit Braunius *jahalon* esse adamantem qui confringit omnes lapides. Adamas omnium lapidum albissimus est, aëreus, albicans & mirificè scintillans. Zabulon inscriptus erat lapidi *jahalon*, & color vexilli ejus erat albus.

Septimus lapis est לשם *leschem*, ubi nomen Danis, cujus color creditur fuisse similis sapphiro, hyacinthini coloris. Lapis est qui & hyacinthus dicitur, sed non unius coloris. Octavus lapis est שבו *schebo*, nomen habebat Gad, cujus vexillum mixtum ex albo & nigro. Hinc credunt *schebo* esse achatem, quæ gemma punctis & maculis notata est; undè illi nomen à fonte Hebræo, עקוד *akud sonat punctatum*. Nonus lapis אחלמה *achluma*, חלם, id est, *somnia-* D *re*, quod somnia conciliat; putantque esse ἀμέθυστον *amethystum*, qui vinum suo colore refert, ad violaceum colorem accedens Vexillo inerat Nephtali cujus nomine inscriptus erat. Lapis ille referebat colore suo vinum clarum, cujus rubor non est saturatus.

Decimus lapis est תרשיש *tharschisch*. Habet illum Braunius pro chrysolito aurei coloris; aurum & tharsis vocatur, quia ex Tharsis advehebatur. Huic inscriptus Manasses. Undecimus lapis est שהם *schoham*. Braunius putat esse sardonychem. Huic lapidi Joseph inscriptus erat cujus vexillum valdè nigrum. Sunt sardonyches aliquæ valdè nigricantes. Duodecimus lapis est ישפה *jaspeh*. Forsan Græcorum ἴασπις, Latinorum jaspis. In eo scriptus Benjamin cujus vexillum colore simile erat omnibus coloribus undecim E lapidum. Multis lineis, punctis, coloribus notatur jaspis.

Exscribam quæ habet de hisce quatuor lapidum ordinibus Clericus in Arte sua critica. Interpres Samariticus primum ordinem lapillorum his nominibus exprimit סמוק סמק סמקמק *samok*, *samak*, *samakmak*, hoc est, *rubrum*, *rubicundiorem*, *rubicundissimum*; secundùm verò, hisce, חכום חכם חכמכם *hhachom*, *hhacham*, *hhachamcham*, quæ nomina quid significarent tum demum vidi, cùm in animum venit Samaritas pro אכם, quod apud Chaldæos, sonat niger fuit, dicere חכם, quòd sæpissimè א & ח confundant. Tertium ordinem vult *lutei* coloris fuisse. Quartum ita exprimit אבר עואר

עברבר *havar*, *abar*, *abarbar*, quod verbum idem est ac Chaldaicum חור *hhour*, albus fuit, nam miscentur ע & ח. Observandum, in hisce vocibus, etiam confundi ע & א & cum כ. Si benè conjicit Joannes Clericus, lapides cujusque ordinis non differebant specie, sed gradu coloris.

Prosequamur quæ spectant rationale judicii, primo sic dictum *hosen*, sive *chuschen mischpat*, id est, *pectorale judicii*; quia cùm summus Sacerdos indueretur sacris vestibus, divinitùs edoctus sapienter judicabat & dignoscebat verum à falso; undè illi pectorale erat oraculum λόγιον, ut appellatur à LXX. & à Josepho. Vox λόγος tum rationem, tum sermonem significat. Nempe sermone Deus Sacerdotem admonebat qui applicuerat sibi pectorale: illustrabatur, ut prudenter & rectè judicaret. De pectorali sic præceperat Deus Exod. 28. 30 *Pones autem in rationali judicii doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron quando ingredietur coram Domino: & gestabit judicium filiorum Israël in pectore suo.* In fonte *pones in pectorali judicii* אורים *Urim* & תומים *Thummim*. Utrum illa sint nomina scripta in pectorali, an res quæritur. Prima ex illis vocibus significat ignes, lucem, φωτισμοὺς, illuminationes: altera integritatem, perfectionem. Redduntur à Græcis LXX δήλωσις καὶ ἀλήθεια *doctrina & veritas*; quod Latinus Interpres secutus est. Doctores Hebræi tradunt in nominibus duodecim tribuum & in his tribus *Abraham, Isaac, & Jacob*, quæ pariter dicunt scripta fuisse in pectorali, contentas fuisse literas omnes alphabeti; & has vel illas insigniorem splendorem emisisse, prout opus erat ad rei quæsitæ declarationem; ita ut in his literis splendidioribus summus Sacerdos aliquomodo legeret id quod hujus intererat scire, & pectorale suum esset veluti λόγιον oraculum.

In ea expositione *Urim* & *Thummim* nec voces erant inscriptæ pectorali; nec etiam res quædam distinctæ ab ipso pectorali; sed ipsæ literæ quibus constabant scripta tribuum nomina, quatenus splendidiores fiebant Samariticus codex pro *pones Urim* & *Thummim* habet *facies Urim & Thummim*; undè colligitur Samaritas credidisse *Urim* & *Thummim* novi quidpiam fuisse, cujus confectio antea non fuerat à Deo præcepta. Interpretatio est verbi ונתת *venathatha*, id est, *pones*; quod Græci & Paraphrastæ legerunt. Si lectum fuisset ונתתי *venathathi*, id est, *ponam*, non esset difficultas; Deus enim pollicéretur mediante hocce pectorali se responsurum ad quæsita. Attamen licet lectio codicis hodierni sit antiqua & vera, sic accipiendus locus ille, ut ipse Deus vim istam indiderit pectorali, ut fuerit instar Oraculi; faciens ut ex splendore gemmarum summus Pontifex agnosceret quid esset Deo acceptum, & quid polliceretur. Non aliter Josephus *Urim* & *Thummim* exponit. Notat & dextrum lapidem ex illis duobus, qui inerant superhumerali, loco Oraculi fuisse, quando magis splendesceret. (lib. 3. Antiq. cap. 9.) » Ex lapillis enim quos Pontifex in humeris gestaret sardonyches erant, quorum naturam nulli non notam narrare supervacuum puto. » Micabat alter quoties litatum esset, is quid exterum » humerum occupabat: tantumque fulgorem emittebat ut procul etiam intuentibus conspiceretur. » Idque præter naturam suam & consuetudinem: » quod certè admirationem meretur apud omnes, » nisi qui ex contemptu religionis sapientiæ opinionem aucupantur. Sed mirabilius est quod nunc » adjecturus sum. Per duodecim gemmas, quas in » pectore Pontifex insuta essen gestat, in bello » victoriam prænuntiare Deus solebat. Nam priùs, » quam exercitus se moveret, tantus fulgor ex eis emicabat, ut toti populo facilè innotesceret adesse » Deum, opemque & auxilium suum invocantibus » esse allaturum. Quapropter Græci quotquot à nostra religione non abhorrent, cùm hoc miraculum » pro compertissimo habeant, ita ut negari non » possit, essena vocant λόγιον, hoc est, Oraculum. » Vidimus supra vocem *hosen* aut *hoschen* pectorale, sic exprimi à Josepho Ἐσσὴν *essen*; de quo subjungit. Desiit tam essen quàm sardonix fulgorem emittere annis ducentis antequàm hæc commentare » mur, irato Deo, propter legum suarum prævaricationem. »

Non dubito, quin Sacerdotes Ægyptii, quibus non ignotum esse poterat miraculum, ut Josephus indicat, affectarint quidpiam simile Narrat Diodorus res Ægyptiorum describens lib. 1. summum apud eos judicem habuisse de collo suo pendentem veritatem. De quo summo judice iterum dicit: Gestabat is de collo pendens ex aurea catena si- » mulacrum è pretiosis lapidibus, cui nomen ἀλήθεια » *veritas*. Causæ autem dictio tunc incipiebat, cùm » hoc veritatis simulacrum sibi summus judex aptasset. « Hoc & astruit Ælianus (variæ historiæ libro 14. cap. 24) observans summum hunc judicem, fuisse Sacerdotem. « Apud Ægyptios qui » judicabant, Sacerdotes erant. Eorumque princeps, » qui ætate anteibat cæteros: is in omnes jus dice- » bat. Eum vero esse oportebat omnium & justissimum & parcentem nemini. Gerebat autem de » collo imaginem ex sapphiro, eaque imago veritas » dicebatur « Ista quæ ex Diodoro, & Æliano allegamus, Spencerus & alii qui volunt omnes Mosaicos ritus esse imitamenta religionis Ægyptiacæ, arripiunt ut sententiam suam confirment. Sed nullus est locus Scripturæ in quo appareat *Urim & Thummim* fuisse *Teraphim*, sive imagines quæ responderent ad quæsita. Judæi in Commentariis suis ad caput 7. 17. Josuè, ubi legitur historia Achanis, quem Josuè deprehendit esse auctorem violati anathematis de spoliis Jericho, sic loquuntur *Et accedere fecit Josua Israëlem coram pectorali, scilicet summi Pontificis, cui inscriptæ erant tribus. Signum verò dederat Deus, gemmam illius tribûs, à quâ crimen erat admissum, obscurandum fore. Et gemma Judæ obscurabatur*, vel ut alii dicunt. *Gemma tribûs illius quæ peccaverat, non fundebat lumen.* Ita *Urim* & *Thummim* symbolum erant præsentiæ Dei, qui summo Sacerdoti omnia revelabat & respondebat ad interrogata. Per *Urim* & *Thummim*, inquam, dicebatur Deus respondisse, quoties respondebat per Sacerdotem indutum rationali; in quo sic positum dicitur *Urim* & *Thummim*, sive posita lux & doctrina; quia indè emanare viderentur.

Ultimum, sive vestimentum, sive ornamentum Pontificis erat ציץ *tzitz*. Quæ vox redditur à LXX. Interpretibus pariter & à Philone πέταλον, id est, folium tenue & expansum, à Latino Interprete *lamina*; à Josepho στέφανος corona. Hocce ornamentum nonnunquam etiam נזר nezer vocatur. Ut in Exodo cap 29. v. 7. id est, corona, diadema. Materia ejus erat aurum, forma, lamina tenuissima, quæ vittis hyacinthinis fronti alligabatur, & in occipitio stringebatur. Duos digitos lata secundùm Judæos. Triplicem ordinem caliculorum aureorum agnoscit ea in lamina Josephus, quales, inquit, videntur in herba quæ vocatur apud nos daccharus σακχάρος ὄνομα δ' ὑοσκύαμον Græci barbari appellant. Fusè describit hunc florem Josephus [lib. 3. cap. 8. Antiquitatum.] Hacce formâ delineandum curavit Braunius. Ejusmodi corona, sive lamina ab occipitio circum tempora utraque procedebat: nam frontem caliculi non ambiebant, pergit loqui Josephus,

i.. ceu lorum quoddam latum & aureum, inſcriptum caracteribus, quibus ſcribi ſolebat Dei nomen ſic floribus ornabatur tiara Pontificis, undè *tzitz* dicebatur, quod nomen idem ſonat ac *flos*. Hæc deſcriptio tiaræ pontificiæ mihi verior viſa eſt cæteris imaginibus hactenus haud ſatis doctâ manu expreſſis; qualis illa eſt, quæ in verſione Gallicâ Joſephi cernitur, & quam tuis oculis, Lector, ſubjicio. Has duas voces ſcriptas lamina habebat קדש ליהוה *chodis la Jehova*, id eſt, *ſanctitas Jehovæ*. Quærunt Judæi an vel unâ lineâ, vel duabus, ſcriptæ eſſent hæ duæ voces.

SECTIO V.

Expoſitio capitis trigeſimi octavi Exodi, in quo præcipiuntur conficienda veſtimenta Sacerdotalia.

Hæc veſtimenta Sacerdotum, quæ deſcripſimus Deus facienda præcipit in Exodo cap. 28. his verbis.

1 *Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis ſuis de medio filiorum Iſraël, ut Sacerdotio fungantur mihi Aaron, Nabad, & Abiu, Eleazar & Ithamar.*

Ad te appropinquare fac eos de medio Iſraëlitarum: hoc eſt, elige inter Iſraëlitas fratrem tuum & filios ejus, ut mihi ſint in Sacerdotes.

2. *Facieſque veſtem ſanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem.*

Ornatûs & decoris causâ; neque enim decet res extraordinarias peragi in veſte ordinariâ.

3. *Et loqueris cunctis ſapientibus corde, quos replevi ſpiritu prudentiæ, ut faciant veſtes Aaron in quibus ſanctificatus miniſtret mihi.*

Adhibe præſtantiſſimos artifices; quos multâ ſolertiâ donavi, ut faciant veſtes *ad ſanctificandum* Aaronem cùm mihi miniſtrabit; id eſt, ut veſte diſtinctâ, & quæ congruat miniſterio, induatur; ita ſit ſanctus, hoc eſt, ſeparatus ab uſu communi.

4. *Hæc autem erunt veſtimenta quæ facient: rationale, ſuperhumerale, tunicam, & lineam ſtrictam, cidarim & balteum. Facient veſtimenta ſancta fratri tuo Aaron & filiis ejus, ut Sacerdotio fungantur mihi.*

Hæc veſtimenta erant propria ſummo Pontifici. 1. *Rationale* חשן *hoſen*, id eſt pectorale τὸ περιστήθιον ut vertunt LXX. Ab uſu λογεῖον & λόγιον dictum eſt, *nos rationale poſſumus appellare*, ait B. Hieronymus in Epiſtolâ ad Fabiolam, ubi differit de veſte Sacerdotali. 2. Superhumerale Hebraïcè אפד *Ephod. Septuaginta*, ait idem Hieronymus, ἐπωμίδα, *id eſt, ſuperhumerale appellant: Aquila*, ἐπένδυμα, *nos Ephod ponimus ſuo nomine.* 3. Tunica מעיל *meil*. Ut indicat ordo quo enumeratur, ſuberat Ephod, ſive ſuperhumerali, & alterâ ſtrictiori veſte ſuperinducbatur. Nomen *tunica* quo redditur à Vulgato, ambiguum eſt niſi addatur extima vel ſuperior. LXX. Interptetes eo in loco Exodi in quo verſamur, appellavêre *poderem*, id eſt, veſtem talarem. Non benè, ut puto; etenim non uſque ad talos deſcendebat, ſi quidem ex illâ pendebant tintinnabula & malogranata, quæ decuit eſſe in aëre pendula. In eodem capite Exodi v. 31. iterum eandem veſtem appellavêre ὑποδύτην ποδήρη tunicam talarem. In textu originali nihil tale eſt. Facies & tunicam ſuperhumeralis totam hyacinthinam. *Mehil* pertinebat ad *Ephod* quia ſuberat. Itaque ipſi LXX. Interpretes erraverunt, & in errorem impulerunt Joſephum & alios, qui cenſuerunt *Mehil* fuiſſe veſtem talarem. Habebat illa veſtis in ſuperiori parte quâ collo inducebatur, aperturam, id quod vulgò capitium vocant, nempe foramen per quod caput inſereretur loris firmiſſimis, ne facilè rumperetur. 4. Veſtis altera, quæ dici poteſt tunica intima, appellatur ab Hieronymo « Linea ſtricta. In fonte כתנת *chetonet*, id eſt, χιτὼν quod Hebræo ſermone in lineam vertitur. « Hæc adhæret corpori, & tam arcta eſt, & ſtrictis « manicis, ut nulla omninò in veſte ruga ſit; & uſ- « que ad crura deſcendat. Volo pro legentis facili- « tate abuti ſermone vulgato. Solent militantes ha- « bere lineas, quas camiſias vocant, ſic aptas mem- « bris, aſtrictas corporibus, ut expediti ſint vel ad « curſum, vel ad prælia, dirigere jacula, tenere cly- « peum, enſem librare, & quocumque neceſſitas « traxerit. Ergo & Sacerdotes parati in miniſterium « Dei, utuntur hac tunicâ, ut habentes pulchritu- « dinem veſtimentorum, nudorum celeritate diſ- « currant. « Hæc Hieronymus juxta quem hocce veſtimentum linea ſtricta erat, Hebraïcè כתנת *chetonet* תשבץ *thaſchbets*. In verſione LXX. appellatur χιτὼν κοσυμβωτός Juxta Joſephum erat talare veſtimentum ποδήρης circumſcriptum corpori, habens manicas circa brachia adſtrictas. שבץ *ſchabatz* ſignificat *coarctare, conſtringere*. Vidimus משבצות eſſe palas lapillorum, quæ conſtringunt gemmas. Hinc Braunius opinatur hocce veſtimentum habuiſſe quidpiam ſimile palis, ſive fuiſſe ocellatum. Græci Interpretes, Joſephus, & B. Hieronymus intelligunt veſtimentum ſtrictum. κόσυμβος idem ſonat ac *nodus*. Ita χιτὼν κοσυμβωτὸς eſt veſtis nodata, ſive nodis ſubſtricta 5. Cidaris מצנפת *mitsnepheth*. Redditur à LXX. κίδαρις. Rotundus pileus erat juxta Hieronymum, « quale pictum in Ulyſſe conſpicimus, quaſi ſphæra « media ſit diviſa, & pars una ponatur in capite: « hoc Græci & noſtri πῖλον, nonnulli galerum vo- « cant, Hebræi miſnepheth: non habet acumen in « ſummo, nec totum uſque ad comam caput tegit: « ſed tertiam partem à fronte inopertam relinquit: « atque ita in occipitio vittâ conſtrictum eſt, ut non « facile labatur ex capite. Eſt autem byſſinum & « ſic fabrè opertum linteolo ut nullâ acûs veſtigia « forinſecùs appareant. « Sic illud capitis indumentum deſcribitur à Joſepho, ut intelligamus ſimile fuiſſe iis quæ Dolbanda à Turcis vocantur. Tale illud fuiſſe credit Braunius. Hîc animadvertendum veteres paganos non ſacrificaſſe diis ſuis niſi operto capite; & faciem velaviſſe. *Sciendum*, inquit Servius ad verſum 405 tertii Æneidos, *ſacrificantes Diis omnibus capita velare conſuetos:* Hanc rationem reddit, *ob hoc ne ſe inter religionem aliquid vagis offerret obtutibus.*

Purpureo velare comas adopertus amictu
Ne qua inter ſanctos ignes in honore Deorum
Hoſtilis facies occurrat, & omnia turbet.

Pluribus teſtimoniis conſtat ſic Ethnicos Sacerdotes caput velaſſe; quam conſuetudinem, ut pleraſque alias acceperant ab Hebræorum Patriarchis, à quibus omne humanum genus ducit originem. 6. Balteus אבנט LXX. ζώνη cingulum. Sic deſcribitur à Joſepho. « Aliquanto infra axillam cingulum ζώνην circumponunt, quod latum eſt quatuor digitos, « & ita textum ut intus vacuum ſit, & videatur inſ- « tar exuviarum ſerpentis. « Ut marſupium longius putes, dicit Hieronymus, juxta quem inter umbilicum & pectus ſtringebatur, ex unâ parte ad crura dependens; cùm ad ſacrificia curſu & expeditione opus erat, in lævum humerum retorquebatur. Proſequamur ſacrum codicem.

5. *Accipientque aurum, & hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum & byſſum.*

Hæc in materiam veſtium Sacerdotalium Sacerdotes accipient. De iſtâ materiâ ſupra ſatis ſuper-

que sermonem fecimus.

6 *Facient autem superhumerale de auro, & hyacintho, & purpurâ, coccoque bis tincto, & bysso retortâ opere Polymito.*

Describitur faciendum Ephod ex auro ex *thecheleth*, ex *argaman*, ex *tholaath schani*, & ex bysso retortâ. Horum nominum significationem protulimus. Opus appellatur חשב *hoscheb*, id est, artificis cogitantis, viri polymitarii, qui varii coloris filis opus texit.

7 *Duas oras junctas habebit in utroque latere summitatum, ut in unum redeant.*

In fonte Hebræo. Duo humeralia כתפות *chtephoth*: Græcâ versione ἐπωμίδες, unde totum Ephod a Græcis dictum ἐπωμίς; quod constabat duabus plagis, quæ fibulis aut vinculis in humeris Sacerdotis conjungebantur. Formam ejus subjecimus ex Braunio. Josephus adjicit manicas, quibus caret in sacrâ Scripturâ; ita aut corruptus locus Josephi, aut ætate ejus mutatum aliquid in re puto fuisse. Ephod etiam Levitis commune, ut diximus; sed tunc totum lineum erat, sed pretiosius illud summi Sacerdotis, ut sequens Scriptura admonet.

8 *Ipsa quoque textura, & cuncta operis varietas erit ex auro, & hyacintho, & purpurâ, coccoque bis tincto, & bysso retortâ.*

Ex hac materiâ conficietur Ephod.

9. *Sumesque duos lapides onychinos, & sculpes in eis nomina filiorum Israël.*

10. *Sex nomina in lapide uno, & sex reliqua in altero, juxta ordinem nativitatis eorum.*

11 *Opere sculptoris & cælaturâ gemmarii, sculpes eos nominibus filiorum Israël inclusos auro atque circumdatos.*

Vidimus lapides illos in fonte dici שהם *schoham*; quos alii onyches, alii sardonyches interpretantur. Juxta Hieronymum ab Aquilâ, & Symmacho, & Theodotione redduntur onychini, & à Septuaginta smaragdi, à Josepho sardonyches. Ponentur hi lapides in fundis arte quâ utuntur Gemmarii, qui gemmas includunt auro.

12. *Et pones in utroque latere superhumeralis, memoriale filiis Israël. Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino super utrumque humerum ob recordationem.*

In singulis lapidibus, loquor Hieronymi verbis, *sena Patriarcharum nomina sunt, quibus Israëliticus populus dividitur. In dextro humero majores filii Jacob, in lævo minores scripti sunt: ut Pontifex ingrediens Sancta Sanctorum, nomina populi, pro quo rogaturus est Dominum portet in humeris.*

13. *Facies & uncinos ex auro,*

14 *& duas catenulas ex auro purissimo, sibi invicem cohærentes, quas inseres uncinis.*

Uncini illi dicuntur in fonte משבצות, quæ vox significat ocellaturas, palas, in quibus includebantur duo lapides superhumeralis; & his palis annectebantur catenæ; quæ retinebant rationale, sive pectorale quod describitur.

15. *Rationale quoque judicii facies opere polymito, juxta texturam superhumeralis ex auro, hyacintho, & purpurâ, coccoque bis tincto & bysso retortâ.*

Illud rationale, sive pectorale habebat sequentes mensuras.

16. *Quadrangulum erit & duplex: mensuram palmi habebit tam in longitudine, quàm in latitudine.*

Ita quadratum erat; mensuræ זרת σπιθαμῆς, id est, dimidii cubiti, juxta æstimationem nostram decem pollicum Parisinorum, quæ mensura congruit pectori; cui applicari non potuisset, sive applicatum cogitare non possunt ii, qui cubitum Hebræum majorem faciunt viginti pollicibus Parisinis. Pectorale autem illud erat duplex, sive duplicatum; quia sustinebat duodecim lapides pretiosos.

17. *Ponesque in eo quatuor ordines lapidum: in primo versu erit lapis sardius, & topazius, & smaragdus.*

Superiori articulo proposuimus sententiam Braunii. Res ipsa valdè incerta est; neque enim vis nominum quibus Moses utitur satis nota fuit Interpretibus, qui non ipsos lapides oculis suis exploraverant. Græcos sequitur B. Hieronymus, à quibus, inquit ille, dissentit Symmachus in smaragdo, *ceraunium* pro eo transferens.

18. *In secundo carbunculus, sapphirus & jaspis:*

19. *In tertio ligurius, achates & amethystus.*

20. *In quarto chrysolitus, onychinus, & beryllus. Inclusi auro erunt per ordines suos.*

Quemadmodum gemmarii solent auro includere gemmas in palis, sive fundis aureis, & illas sic constringere.

21. *Habebuntque nomina filiorum Israël: duodecim nominibus calabuntur, singuli lapides nominibus per duodecim tribus.*

In singulis lapidibus secundùm ætates duodecim tribuum sculpta sunt nomina.

22. *Facies in rationali catenas sibi invicem cohærentes ex auro purissimo:*

23. *Et duos annulos aureos, quos pones in utrâque rationalis summitate;*

24. *Catenasque aureas junges annulis, qui sunt in marginibus ejus:*

25. *Et ipsarum catenarum extrema duobus copulabis uncinis in utroque latere superhumeralis, quod rationale respicit.*

26. *Facies & duos annulos aureos, quos pones in summitatibus rationalis, in oris quæ è regione sunt superhumeralis, & posteriora ejus aspiciunt.*

27 *Necnon, & alios duos annulos aureos, qui ponendi sunt in utroque latere superhumeralis deorsum, quod respicit contra faciem juncturæ inferioris, ut aptari possit cum superhumerali.*

28 *Et stringatur rationale annulis suis, cum annulis superhumeralis vittâ hyacinthinâ, ut maneat junctura fabrefacta, & à se invicem rationale & superhumerale nequeant separari.*

Juvat postremos hosce versus exponere verbis Divi Hieronymi, epist. ad Fabiolam de vest. Sacerd. *Per quatuor rationalis angulos, quatuor annuli sunt aurei, habentes contra se in superhumerali alios quatuor: ut cum appositum fuerit* λόγιον *in loco, quem in Ephod diximus derelictum, annulus veniat contra annulum, & mutuò sibi vittis copulentur hiacynthinis. Porrò ne magnitudo & pondus lapidum contexta stamina rumperet, auro ligati sunt atque conclusi: nec suffecit hoc ad firmitatem, nisi & catenæ ex auro fierent, quæ ob pulchritudinem fibulis aureis tegerentur, haberentque & in rationali supra duos majores annulos, qui uncinis superhumeralis aureis necterentur, & deorsum alios duos: nam post tergum in superhumerali contra pectus & stomachum, ex utroque latere erant annuli aurei, qui catenis cum rationalis inferioribus annulis jungebantur: atque ita fiebat, ut astringeretur & rationale superhumerali, & superhumerale rationali, ut una textura contra videntibus putaretur.*

Lector, iterum conjice oculos in figuras Sacerdotalium vestium.

29 *Portabitque Aaron nomina filiorum Israël in rationali judicii super pectus suum, quando ingredietur Sanctuarium, memoriale coram Domino in æternum.*

Sic pectori Pontificis inhærebant nomina filio-

rum Israël; quorum ergo recordabatur intrans in Sanctuarium, Deum pro illis rogaturus.

30. *Pones autem in rationali judicii doctrinam & veritatem, quæ erant in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino: & gestabit judicium filiorum Israël in pectore suo, in conspectu Domini semper.*

Pones, ut habet fons, in rationali, sive pectorali judicii *Urim*, & *Thummim*; has duas voces Septuaginta verterunt τὴν δήλωσιν καὶ τὴν ἀλήθειαν *manifestationem*, sive *doctrinam*, & *veritatem*. אורים *Urim*, sive *Ourim* derivatur ab אור *our*, quod est lucere, δηλοῦν *manifestare*, *apertè docere*. תמים *thummim*, quæ vox venit à תמם *absolvi*, *compleri*, *perfici*, *confici*, *absumi*. Hinc תמים *thummim*, quæ vox reddita est a septuaginta interpretibus πλειότης *perfectio* δικαιοσύνη *justitia*. ἰσχὺς *robur*, ὁσιότης *sanctitas*. ἀκακία *innocentia*, ἁπλότης *simplicitas*. ἀλήθεια *veritas*. Rem ipsam supra expendimus, sive de ea opiniones auctorum indicavimus. Clericus putat fuisse quoddam monile, quod è collo summi Sacerdotis penderet; quam opinionem supra arguimus.

31. *Facies & tunicam superhumeralis totam hyacinthinam,*

32. *in cujus medio supra erit capitium, & ora per gyrum ejus textilis, sicut fieri solet in extremis vestium partibus, ne facilè rumpantur.*

Quale sit vestimentum מעיל *mehil* supra exposuimus. Vulgatus interpretatur *tunicam*, quæ dicitur tunica Ephod, sive superhumeralis in genitivo, quia, ut jam observavimus, subjecta erat superhumerali, sicut & huic alia iterum tunica strictior, quæ linea erat, cùm *mehil* sit vestimentum totum laneum hyacinthini coloris.

33. *Deorsum verò, ad pedes ejusdem tunicæ, per circuitum, quasi mala punica facies ex hyacintho, & purpurâ, & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis.*

Pendebant illa ex *mehil*, quod ergo indumentum, ut diximus, non defluebat ad terram. Hujus fimbriæ, sive nodi fimbriarum texturâ imitabantur mala punica.

34. *Ita ut tintinnabulum sit aureum & malum punicum, rursumque tintinnabulum aliud aureum & malum punicum.*

Ut medium esset quodque malum punicum inter duo tintinnabula situm, & tintinnabulum inter duo mala punica.

35. *Et vestietur eâ Aaron in officio ministerii, ut audiatur sonitus quando ingreditur & egreditur Sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur.*

Ut non moreretur Aaron a Deo morte damnatus, necesse erat ut non ingrederetur Sanctuarium nisi his indutus vestibus; ut autem tempus hujus ingressûs innotesceret, necessarius erat sonitus tintinnabulorum, quæ sonabant cùm Pontifex gradiebatur. Quod Ecclesiasticus, sive Sirach observat cap. 45. v. 10. ubi loquitur de stolâ gloriæ quâ Deus induerat summum Sacerdotem. *Et cinxit illum tintinnabulis aureis plurimis in gyro, dare sonitum in incessu suo, auditum facere sonitum in templo in memoriam filiis gentis suæ.* Scilicet ut Israëlitæ adverterent quâ horâ Sacerdos oraturus ingrederetur in templum, ut cum eo conjungerent preces, quæ cum incenso ejus simul in cælum ascenderent.

36. *Facies & laminam de auro purissimo, in quâ sculpes opere cælatoris, sanctum Domino.*

37. *Ligabisque eam vittâ hyacinthinâ, & erit super tiaram.*

38. *Imminens fronti Pontificis. Portabitque iniquitates eorum, quæ obtulerunt, & sanctificaverunt filii*
A *Israël, in cunctis muneribus, & donariis suis. Erit autem lamina semper in fronte ejus, ut placatus sit eis Dominus.*

Hæc lamina dicitur in fonte ציץ *tzis* de quâ satis locuti sumus. Summus autem ille Sacerdos, qui nomen Dei in fronte sic gerebat, poterat, ut dicunt Rabbini, si quidpiam peccaretur in sacris, id omne expiare, & Deum Israëlitis errantibus conciliare.

39. *Stringesque tunicam bysso, & tiaram byssinam facies, & balteum opere plumarii.*

Stringes, sive facies strictam tunicam כתנת *chetonet* è bysso, id est, lineam, ut diximus. Et cidaris, sive tiara Pontificis erat ex bysso; & balteus fiebat
B opere רקם, hoc est, artificio quo opus fit varium.

40. *Porrò filiis Aaron tunicas lineas parabis, & balteos ac tiaras in gloriam & decorem.*

Hæc vestimenta paribus omnibus Sacerdotibus nempe כתנות *cuthonoth* tunicas quas fuisse lineas addit Vulgatus Interpres, & certum est ex antedictis. Omnes Sacerdotes habebant balteos, sive cingula & tiaras מגבעות *migbaoth*. Alio nomine pileus Pontificis appellatur.

41. *Vestiesque his omnibus Aaron fratrem tuum & filios ejus cum eo. Et cunctorum consecrabis manus, sanctificabisque illos ut Sacerdotio fungantur mihi.*

Nempe his omnibus vestimentis quæ enumerata sunt, vesties Aaronem propriis, & filios ejus his quæ omnibus Sacerdotibus sunt communia. *Et*
C *cunctorum consecrabis manus*, in fonte *unges*, de quâ unctione, sive consecratione modò fiet sermo.

42. *Facies & feminalia linea, ut operiant carnem turpitudinis suæ, à renibus usque ad femora.*

43. *Et utentur eis Aaron & filii ejus quando ingredientur Tabernaculum testimonii, vel quando appropinquant ad altare ut ministrent in Sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur. Legitimum sempiternum erit Aaron, & semini ejus post eum.*

Femoralia quæ pudendis occultandis parantur, non multùm differebant à braccis nostris. Vocantur מכנסי *michnese* à radice כנס *colligere*, quòd circa corpus colligerentur; non etenim laxa ut tunicæ. Illa describens Hieronymus, *usque ad genua*, inquit,
D *& poplites veniunt, verenda celantur, & superior pars sub umbilico vehementer astringitur: ut si quando expediti mactant victimas, tauros & arietes trahunt, portantque onera, & in officio ministrandi sunt, etiamsi lapsi fuerint & femora revelaverint, non pateat quod opertum est.* Hisce indui vestimentis erit legitimum νόμιμον, in fonte *præceptum* Aaroni & filiis ejus.

SECTIO VI.

Quæ vestimenta Sacerdotalia in capite 28. Exodi Deus præceperat facienda, facta narrantur in capite 39. subtexitur & illustratur locus sapientiæ Salomonis de hisce vestimentis.

E CAput trigesimum nonum Exodi, idem est in fonte Hebræo ac vigesimum octavum. Facta narrat quæ priùs præcepit facienda.

1. *De hyacintho verò & purpurâ, vermiculo, & bysso fecit vestes quibus indueretur Aaron, quando ministrabat in sanctis, sicut præcepit Dominus Moysi.*

Vermiculum & coccus sunt eadem res sive idem color; ut significatum est. תולעת השני vermiculus cocci. Quid esset coccus, suo diximus loco.

2. *Fecit igitur superhumerale de auro, hyacintho, & purpurâ, coccoque bis tincto & bysso retortâ.*

3. *Opere polymitario; inciditque bracteas aureas, & extenuavit in fila ut possent torqueri cum priorum colorum subtegmine.*

Sic

Sic olim, quod & nunc fit, extenuabatur aurum in laminas ſubtiles; undè fiunt fila aurea quæ miſcentur cum lanis.

4. *Duaſque oras ſibi invicem copulatas in utroque latere ſummitatum.*

Ephod, ſive ſuperhumerale conſtabat duabus plagulis, quæ ſibi in ſummitate conjungebantur, ut videre eſt in ejus delineatione.

5. *Et balteum ex eiſdem coloribus ſicut præceperat Dominus Moyſi.*

6. *Paravit & duos lapides onychinos aſtrictos, & incluſos auro & ſculptos arte gemmariâ nominibus filiorum Iſraël.*

7. *Poſuitque eos in lateribus ſuperhumeralis, in monimentum filiorum Iſraël, ſicut præceperat Dominus Moyſi.*

Latera appellat Vulgatus Interpres, quod fons appellat humeros, nempe partes ſuperhumeralis, quæ tegebant humeros.

8. *Fecitque rationale opere polymito juxta opus ſuperhumeralis, ex auro, hyacintho, purpurâ, coccoque bis tincto, & byſſo retortâ.*

9. *Quadrangulum duplex, menſuræ palmi.*

10. *Et poſuit in eo gemmarum ordines quatuor. In primo verſu erat ſardius, topaſius, ſmaragdus.*

11. *In ſecundo, carbunculus, ſapphirus, & jaſpis.*

12. *In tertio, ligurius, achates, & amethyſtus.*

13. *In quarto, chryſolitus, onychinus, & beryllus, circumdati & incluſi auro per ordines ſuos.*

14. *Ipſique lapides duodecim, ſculpti erant nominibus duodecim tribuum Iſraël, ſinguli per nomina ſingulorum.*

15. *Fecerunt in rationali & catenulas ſibi invicem cohærentes, de auro puriſſimo.*

16. *Et duos uncinos, totidemque annulos aureos. Porrò annulos poſuerunt in utroque latere rationalis,*

17. *è quibus penderent duæ catenæ aureæ, quas inſeruerunt uncinis, qui in ſuperhumeralis angulis eminebant.*

18. *Hæc & ante & retrò ita conveniebant ſibi, ut ſuperhumerale & rationale mutuò necterentur.*

Superhumerale & rationale verbis & delineationibus deſcripta ſunt.

19. *Stricta ad balteum & annulis fortiùs copulata, quos jungebat vitta hyacinthina, ne laxa fluerent, & à ſe invicem moverentur, ſicut præcepit Dominus Moyſi.*

In fonte nulla eſt mentio baltei; ibi ſibi indulſit Latinus Interpres: ſenſum ſatagit exprimere, qui talis eſt, ut reipsâ rationale ſtrictum ſit ad *balteum*, id eſt, ſupra aut prope balteum, vittâ hyacinthinâ.

20. *Fecerunt quoque tunicam ſuperhumeralis totam hyacinthinam,*

21. *& capitium in ſuperiori parte contra medium, oramque per gyrum capitii textilem:*

22. *deorſum autem ad pedes mala punica ex hyacintho, purpurâ, vermiculo, ac byſſo retortâ:*

23. *Tintinnabula de auro puriſſimo, quæ poſuerunt inter malogranata, in extremâ parte tunicæ per gyrum:*

24. *Tintinnabulum autem aureum, & malum punicum, quibus ornatus incedebat Pontifex quando miniſterio fungebatur, ſicut præceperat Dominus Moyſi.*

25. *Fecerunt & tunicas byſſinas opere textili Aaron & filiis ejus.*

26. *Et mitras cum coronulis ſuis ex byſſo:*

A 27. *Feminalia quoque linea byſſina.*

28. *Cingulum verò de byſſo retortâ, hyacintho, purpurâ ac vermiculo bis tincto, arte plumariâ, ſicut præceperat Dominus Moyſi.*

Hæc non differunt aliqua re, ſed tantùm aliquibus verbis à deſcriptione capitis 28. quæ nominum diverſitas non occurrit in fonte. Pileus ſummi Pontificis ubique nominatur מצנפת *mitznepheth*; ſed Vulgatus ibi appellat *mitram*, quod alibi *cidarim*: Ibi *vermiculus* ponitur pro *cocco*, non enim tingebatur vermiculus, ſed hujus ſanguine ſemel & bis lana.

29. *Fecerunt & laminam ſacræ venerationis de auro puriſſimo, ſcripſeruntque in ea opere gemmario ſanctum Domini,*

B 30. *& ſtrinxerunt eam cum mitrâ vittâ hyacinthinâ, ſicut præceperat Dominus Moyſi.*

De hiſce veſtimentis locus egregius eſt in ſapientiâ Salomonis in fine capitis decimi octavi, qui ergo exponendus. Liber ille in Latinis Bibliis, ſimpliciter dicitur *Liber Sapientiæ*, in Græcis verò *Sapientia Salomonis*. Quiſquis ſit hujus libri auctor, laudat Aaronem qui offerens incenſum & deprecans pro multitudine, eam liberavit incendio, quo, Core, & qui illi adhæſerant, periêre. Res narratur in Numeris 16. Cùm ſæviret ira Dei, Aaron obtulit thimiama, *& ſtans inter mortuos ac viventes pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſavit.* Hanc hiſto-
C riam intuetur Sapiens 18. 23. *Cùm enim jam acervatim cecidiſſent ſuper alterutrum mortui, interſtitit, & amputavit impetum, & diviſit illam, quæ ad vivos ducebat viam.* In medio ſtans Aaron, hoc eſt, intercedens repreſſit iram Dei, obſtititque ne in cæteros omnes qui adhuc viverent, eodem modo graſſaretur. Sic interclusit interfectori viam ad ſuperſtites. Exhibet Scriptor Aaronem indutum ſacris veſtibus, & ideo legitime fungentem muniis ſuis.

24. *In veſte enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum: & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant ſculpta, & magnificentia tua in diademate capitis illius ſculpta erat.*

D Veſtis ποδήρη *poderis* illa eſt quæ uſque ad pedes tracta eſt, quam Latinè dicimus *talarem*. Puto autem ibi indicari in genere veſtimentum Sacerdotale, quod conſtabat pluribus tunicis, quarum quædam talares erant, ſed non omnes. Quomodo autem totus terrarum orbis eſſet in hiſce Sacerdotalibus veſtimentis, explicat Joſephus (in lib. 3. Antiq. cap. 8.) *ſignificat autem Pontificis veſtis linea* χιτὼν *terram; hyacinthus cælum, cujus figura per mala punica figuratur, tonitrua verò per ſonitum tintinnabulorum.* Præter hanc terræ cælique ſignificationem Hieronymus addit [in epiſtolâ 127.] per purpuram intextam ſignificari mare, ignem verò per puniceum colorem. In quatuor ordinibus
E lapidum pectoralis erant *magnalia* parentum πατέρων δόξαι *patrum gloriæ*, id eſt, nomina primogenitorum poſteris glorioſa. *Et magnificentia tua*, ſcriptor Deum compellat, μεγαλωσύνη σου, id eſt, majeſtas tua in diademate Pontificis ſcripta erat, nempe קדש ליהוה *chodeſch la Jehova*, magnum nomen tuum, ô Deus.

25. *His autem ceſſit qui exterminabat, & hæc extimuit. Erat enim ſola tentatio iræ ſufficiens.*

Nempe quaſi victus eſt ab Aarone Angelus exterminator ὁ ὀλοθρεύων. Tanta vis fuit Aaronicæ interceſſionis, ut revocatus ſit Deus ab exequendâ ſententiâ de interitu populi. Poſtrema illa verba: *erat enim ſola tentatio iræ ſufficiens.* In fonte Græco Ἦ γὰρ μόνη ἡ πεῖρα τῆς ὀργῆς ἱκανή. Nomen πεῖρα ſignificat *conatus; inceptum, ſpecimen; periculum, experien-*

tia, documentum; etiam tentatio; quo nomine utens Vulgatus, minùs clarè locutus est, nam hujusce loci sensus est. Deo visum est sufficere in periculum adduxisse Israëlitas, ut admonerentur ne in posterum rebellarent, experti quid posset ira Dei.

CAPUT IX.

De ministrorum consecratione. Quibus vitiis impedirentur ne ministrarent. De legibus quibus tenebantur tempore ministerii sui.

SECTIO I.

De sacrificiis cæterisque ritibus quibus fiebat consecratio Sacerdotum: de unguento quo ungebantur.

RES religionis sanctè tractari debere, & à solis quos ministros elegisset, multifariam Deus significaverat. Se posuerat sibi ex omnibus gentibus Israëlitas in populum peculiarem, cui crederet sui cultûs ceremonias. Ex Israëlitis autem solos harum ceremoniarum ministros fecerat, qui de tribu Levi erant; ex quâ iterum separavit Aaronis familiam, extra quam nullus poterat fungi Sacerdotio. Indè intelligebatur, quæ esset dignitas religiosi cultûs, qui non posset à quolibet exerceri; & Sacerdotii, quod non promiscuum erat. Hoc autem solus ortus non conferebat sine ullâ exceptione, quatenus requirebatur consecratio; quâ electus Sacerdos ut origine suâ à cæteris hominibus, ita ab ejusdem originis viris separabatur. Hi autem erant consecrationis ritus, quibus summus Sacerdos consecrabatur, quos primùm descripturi sumus. Necesse erat ut erga eum multa esset veneratio, ideò conspicuis ritibus promovendus ad munia sua. Hi describuntur in Exodo 29. Postquàm Moyses capite superiori enumeravit vestimenta quibus induendus esset Aaron & filii ejus, quando ad altare accederent, & ingrederentur in Sanctuarium; pergit loqui de consecratione eorum, sive enarrat quæ Deus circa illam præceperit observanda. Loquitur Deus compellans Moysen.

1. *Sed & hoc facies, ut mihi in Sacerdotio consecrentur. Tolle vitulum de armento, & arietes duos immaculatos.*

Quasi dicat Deus. Hasce enumeratas vestes præparabis, ut induas Aaronem & filios ejus. Insuper & consecrabis eos facto sacrificio. In fonte, *sacrificabis*: sive hæc facies ad sanctificandum eos, nempe tale sacrificium hocce ritu. Tolle vitulum & arietes duos, & cætera quæ indicat.

2. *Panesque azimos, & crustulam absque fermento, conspersa sit oleo, lagana quoque azima oleo lita: de similâ triticeâ cuncta facies.*

3. *Et posita in canistro offeres: vitulum autem & duos arietes.*

Panis & placentæ offerebantur. De his placentis, crustulis, laganis, supra sermonem fecimus.

4. *Et Aaron ac filios ejus applicabis ad ostium Tabernaculi testimonii. Cùmque laveris patrem cum filiis suis aquâ,*

5. *Indues Aaron vestimentis suis, id est, lineâ, & tunicâ, & superhumerali, & rationali, quod constringes balteo.*

Applicabis, id est, approquinquare facies ad ostium Tabernaculi, ubi fiet eorum consecratio; neque enim extra locum sanctum apparere poterant Sacerdotes sacris induti vestibus. Ibi & fit mentio baltei in Vulgato Interprete, quasi rationale constringe-

A retur balteo, quod Hebræus codex non dicit; imò videtur potius præcipere rationale adnectendum esse superhumerali, ut LXX. fontem interpretantur.

6. *Et pones tiaram in capite ejus & laminam sanctam super tiaram.*

7. *Et oleum unctionis fundes super caput ejus; atque hoc ritu consecrabitur.*

De isto unctionis oleo postea differemus, exponentes caput Exodi trigesimum, in quo explicatur ratio quâ conficeretur illud oleum, sive aroma.

8. *Filios quoque illius applicabis & indues tunicis lineis, cingesque balteo.*

9. *Aaron scilicet & liberos ejus, & impones eis*
B *mitras: eruntque Sacerdotes mihi religione perpetuâ. Postquàm initiaveris manus eorum.*

Vulgatus non iisdem nominibus pileos Sacerdotum exprimit: summi Pontificis semper in fonte *mitznepheth* appellatur, sicut pilei cæterorum Sacerdotum *migbaoth*. Verbum *initiare* Latinis, sonat quod Hebræis מלא *implere* Hebræis. Apud eos *implere manus*, idem est quod *initiare* apud Latinos.

10. *Applicabis & vitulum coram Tabernaculo testimonii. Imponentque Aaron & filii ejus manus super caput illius.*

Ut translato peccato in caput vituli, purgentur.

C 11. *Et mactabis eum in conspectu Domini, juxta ostium Tabernaculi testimonii.*

12. *Sumptumque de sanguine vituli, pones super cornua altaris digito tuo, reliquum autem sanguinem fundes juxta basim ejus.*

13. *Sumes & adipem totum, qui operit intestina, & reticulum jecoris ac duos renes, & adipem qui super eos est, & offeres incensum super altare.*

14. *Carnes verò vituli & corium & fimum combures foris extra castra, eò quòd pro peccato fit.*

Sacrificium enim illud fiebat, ut expiarentur peccata eorum qui consecrabantur, sive sanctificabantur, ut dignè fungerentur Sacerdotio.

15. *Unum quoque arietem sumes, super cujus caput ponent Aaron & filii ejus manus.*

D 16. *Quem cùm mactaveris, tolles de sanguine ejus, & fundes circa altare.*

17. *Ipsum autem arietem secabis in frusta, lotaque intestina ejus, ac pedes pones super concisas carnes & super caput illius.*

18. *Et offeres totum arietem in incensum super altare. Oblatio est Domino, odor suavissimus victimæ Domini.*

In incensum, id est, in holocaustum. Nempe aries combustus, perinde ac thus incensum abibat in fumos; quod genus sacrificii gratum erat Domino

19. *Tolles quoque arietem alterum, super cujus caput Aaron & filii ejus ponent manus.*

E 20. *Quem cùm immolaveris, sumes de sanguine ejus, & pones super extremum auriculæ dextræ Aaron, & filiorum ejus, & super pollices manûs eorum ac pedis dextri, fundesque sanguinem super altare per circuitum.*

Nempe pedes, manus, auresque Sacerdotum dicari Deo potissimum debebant, ideò sacrificio consecrandæ.

21. *Cùmque tuleris de sanguine qui est super altare, & de oleo unctionis, asperges Aaron & vestes ejus, filios, & vestimenta eorum. Consecratisque ipsis & vestibus.*

Puto Moysen intinxisse digitum in sanguine altaris, sive quem ad pedem ejus, sive quem circum effuderat, simul & in oleo unctionis, ut utroque permixto respergeret Aaron & vestes ejus.

22. *Tolles adipem de ariete & caudam & arvinam, quæ operit vitalia, ac reticulum jecoris, & duos renes, atque adipem qui super eos est, armumque dextrum, eò quòd sit aries consecrationis.*

23. *Tortamque panis unius, crustulam conspersum oleo, laganum de canistro azimorum, quod positum est in conspectu Domini:*

24. *Ponesque omnia super manus Aaron & filiorum ejus, & sacrificabis eos elevans coram Domino.*

Sanctificabis ea omnia. Præcipit Deus, ut Moyses panem & diversas placentas quæ in canistro obtulerant Aaron & filii ejus, poneret in manu eorum, & sic elevaret & agitaret in diversas plagas mundi, ritu qui ab Hebræis dicitur תנופה *thenupha*, de quo ritu sermonem fecimus supra. Fons sic redditur, *& agitabis ea agitationem coram Domino.* Post hanc agitationem deferebantur ad altare ut comburerentur.

25. *Suscipiesque universa de manibus eorum: & incendes super altare in holocaustum, odorem suavissimum, quia oblatio ejus est.*

In fonte אשה הוא *ische hou*, hoc est, *ignitio ipsa.* Nempe hæc munera destinata sunt igni. In genere omne quod cremandum erat igne altaris, dicebatur אשה *ische*, quasi dicas *ignitum*; ita versio Latina rem non explicat; neque enim hæc ferta incendenda, quia erant oblatio, cùm non omnia oblata cremarentur igne altaris.

26. *Sumes quoque pectusculum de ariete, quo initiatus est Aaron, sanctificabisque illud elevatum coram Domino, & cedet in partem tuam.*

27. *Sanctificabisque & pectusculum consecratum & armum quem de ariete separasti.*

In fonte qui exaltatus est. Duobus hisce nominibus exprimitur oblatio תנופה *thenupha* & תרומה *theruma*. Primum nomen significat agitationem, alterum exaltationem, nempe quod agitando in diversas partes oblata, & exaltando, sive extollendo in altum, oblatio fieret. *Pectusculum consecratum*, est pectus victimæ quâ initiatus Aaron. *Armum quem de ariete separasti*, sic Vulgatus Codex Hebræus habet armum qui exaltatus & agitatus est.

28. *Quo initiatus est Aaron & filii ejus, ceden-que in partem Aaron & filiorum ejus jure perpetuo à filiis Israel: quia primitiva sunt & initia de victimis eorum pacificis, quæ offerunt Domino.*

Non potest fieri ut hacce die pectusculum arietis הזה *azeh* cesserit Moysi simul & Aaron. Sunt ergo qui dicant pectus *agitatum*, seu oblatum à Moyse, armum verò duntaxat separatum traditum Aaroni. Ita ut, si hîc & pectusculum innuatur attinere ad Aaronem, indicentur sequentia pacifica de quibus sic sermo fit in Levitico cap 7. v. 31. *Pectusculum autem erit Aaron & filiorum ejus. Armus quoque dexter de pacificorum hostiis cedet in primitias Sacerdotis ..... Pectusculum enim elevationis & armum separationis tuli à filiis Israël de hostiis eorum pacificis, & dedi Aaron Sacerdoti.* Juxta huncce locum Levitici videtur Vulgatus reddidisse locum Exodi in quo versamur. Neque enim in fonte sunt: *quia primitiva & initia de victimis pacificis*, sed quia *exaltatio & exaltatio*. Pectusculum & armus *exaltantur*, nempe utriusque fit exaltatio. תרומה *theruma* sonat idem quod *exaltatio* à verbo רום *exaltavit*; sed & hoc nomine significatur *separatio*, quia quæ offerebantur, sive elevabantur, priùs separabantur, undè *theruma* redditur à Græcis LXX. ἀφαίρεμα.

29 *Vestem autem sanctam, quâ utetur Aaron, habebunt filii ejus post eum, ut ungantur in eâ & consecrentur manus eorum.*

30. *Septem diebus utetur illâ qui Pontifex pro eo fuerit constitutus de filiis ejus, & qui ingreditur Tabernaculum ut ministret in Sanctuario.*

31. *Arietem autem consecrationis tolles & coques carnes ejus in loco sancto.*

Culinæ erant in atrio Tabernaculi, sive dispositæ ollæ, in quibus coquerentur carnes sanctæ, sive quæ Deo fuerant oblatæ.

32. *Quibus vescetur Aaron & filii ejus. Panes quoque, qui sunt in canistro, in vestibulo Tabernaculi comedent.*

Panes qui in canistro fuerant oblati.

33. *Ut sit placabile sacrificium, & sacrificentur offerentium manus. Alienigena non vescetur ex eis, quia sancti sunt.*

Fons reddi potest, *Et ea comedent quibus expiatum est in eis ad implendum manum eorum*; id est, ut consecrentur. Solemnis est phrasis, qua significatur potestas exercendi muneris; quasi illud tradeetur in manus. *Quia sancti sunt.* In fonte *quia sanctitas in eis.* In Græcâ versione ὅτι τὰ ἅγια. *Sunt enim sancta.*

34. *Quod si remanserit de carnibus consecratis, sive de panibus usque manè, combures reliquias igni: non comedentur, quia sanctificata sunt.*

35. *Omnia quæ præcepi tibi, facies super Aaron & filiis ejus. Septem diebus consecrabis manus eorum.*

36. *Et vitulum pro peccato offeres per singulos dies ad expiandum.*

Quæ sequuntur non pertinent ad consecrationem Sacerdotum; ideo illa nunc omitto.

SECTIO II.

De oleo quo summus Sacerdos & supellectilia Tabernaculi consecrabantur.

CUr ad unctionem summi Sacerdotis, & præcipuæ supellectilis Tabernaculi adhiberetur oleum, multa dici possunt. Præcipua ratio est præstantia olei; cujus plurimus usus in unguento quod affusum summo Pontifici spargebat odorem gratissimum. Permiscebantur enim óleo multa aromata ex præcepto Dei, qui sequentibus verbis compellat Moysen in capite trigesimo Exodi.

22. *Locutusque est Dominus ad Moysen,*

23. *dicens; Sume tibi aromata, primæ myrrhæ & electæ quingentos siclos & cinnamomi medium, id est, ducentos quinquaginta siclos, calami similiter ducentos quinquaginta siclos.*

Aromata בשמים sunt res odoriferæ; qualis primùm myrrha; præcipuè, ut habet fons, caput myrrhæ liberæ, quasi diceretur flos, sive prima gutta myrrhæ sponte fluentis; quod Vulgatus satis expressit interpretans primam myrrham & electam. Plinius dicit (lib. 12. cap. 15.) de arboribus undè manat: *sudans sponte, prius quàm incidantur stacten dictam, cui nulla præfertur.* Myrrha autem lacryma est arboris *stacte* quæ in Arabia gignitur, similis spinæ Ægyptiacæ, cujus ex vulnere defluit lacryma. Hæc Dioscorides. Arabiam plenam esse odorum, & gignere aromata pretiosa scribit Herodotus in Thalia. Omnes antiqui Scriptores assentiunt. Quid sit קנמן *cinnamomum*, non convenit inter viros doctos. Aroma est, quoniam additur בשם *beschem*, id est, cinnamomum benè olens. Hujus aromatis mentionem faciunt Discorides & Plinius; tanti pretii & tantæ raritatis, ut ad explicandam ejus originem confugiant scriptores antiqui ad fabulas, ut dicit ipse Plinius. (lib. 12. cap. 19.) « Cinnamomum & casias fabulosa narravit antiquitas « Princepsve Herodotus, avium nidis, & privatim «

In manibus pedibusque, sex. A

38. Claudus.
39. Femur alterum altero longius.
40. Femur alterum altero altius. Ex utroque scicet fiebat pedum incessus inæqualis.
41. Ossis manus fractura manifesta.
42. Ossis pedis fractura manifesta.
43. Pedes, ex sui constructione clausi, seu in se strictiùs contracti.

In superficie corporis quatuor.

44. Scabies sicca. Psora.
45. Verruca, quæ non sine osse.
46. Scabies Ægyptiaca; foris humida. B
47. Ossium, quæ apertiùs cerni possent, aliquod incisum.

Hisce adjiciuntur.

48. Ab ætate provectâ tremor.
49. Tremor ab ægritudine.
50 Sordes & inquinamenta, veluti sudor, fœtor oris.

Addunt, Sacerdotem sudore inquinatum, antequàm ad sacram ad nittendus esset functionem, abluendum atque aromate conspergendum. Oris item fœtorem, si quis fuerit, aromate aliquo devorato corrigendum. Aliter חלל עבדתו *abodah*, id est, *servitium suum* functionem, seu sacrificium suum profanabat. C

Secundi generis vitiorum hæc sunt numero nonaginta; quæ hominem tantùm, seu Sacerdotem, vitiant non victimas.

In capite, octo.

1. Verticis capitis concavitas.
2. Convexitas verticis, nimiùm exurgens instar ovi.
3. Frons, seu sinciput faciei superpendens.
4. Occiput cervici supe pendens.
5. Caput adeo deorsum amplum & diffusum, ut etiam colli locum pars ejus occuparet.
6. Calvitium in toto capite.
7. Calvitium (ec tamen sine recto crinium ductu inter aurem utramque) in sincipite, nam in occipite, ductus ejusmodi vitium perimebat. D
8. Calvitium in vertice; tametsi alias crinibus circumdaretur caput.

In collo, bina.

9. Collum adeò depressum, seu breve, ut caput humeris continuum videretur.
10. Collum adeò longum, ut humeris videretur eluxatum.

In aure quatuor.

11. Aures nimis exiguæ.
12. Aures turgidæ nimis, instar spongiæ.
13. Languidæ nimis, ac pendulæ aures. E
14. Auris altera ab alterâ, obiter intuenti diversa.

In superciliis, quinque.

15. Pilorum defectus in utroque
16. Jacentia supercilia.
17. Supercilium tantùm unicum.
18. Supercilia binis plura.
19. Dissidentia, veluti sive colore pilorum, sive longitudine supercilia.

In palpebris, quatuor.

20. Pilorum in utrisque defectus.
21 Densitas in pilis nimia, sive hirsutia, ut in silonibus.

A 22 Pilorum alterius ab altero diversitas, veluti colore, tenuitate.
23. Non ita, ut par est, apertæ, seu nimium conniventes palpebræ.

In oculis, undecim.

24. Oculi superius, quàm par est, siti.
25. Oculi siti inferius, quam par est.
26 Oculi omnino rotundi, nec in longitudinem aliquantulùm extensi.
27. Oculi furibundorum instar.
28. Oculi majores quàm par est, instar vituli.
29. Minores, quàm par est, oculi; instar anseris.
30. Lacrymæ perpetuò stillantes.
B 31. Humor a alterutro oculi angulo fluitans.
32. Contractio palpebrarum, & oculorum visui obstans, seu nictatio inter videndum frequens.
33. Visus adeò confusus, ut sine monitore inter objecta ampla distinguere nequiret.
34. Oculi dissidentes, velut colore, magnitudine, loco.

In naso, sex.

35. Superior pars nasi, inter oculos depressior.
36. Nasi medium nimium eminens.
37. Extremitas nasi repanda
38. Nasus alterutrinque divergens.
39. Nasus grandior, quàm ferret cæterorum membrorum ratio.
C 40. Nasus exilior, quàm ratio ea ferret. Mensura autem hæc erat digitus ejus, de quo fiebat quæstio, si nasus ei esset aut major digito, eo aut minor, vitium erat ex Maimonide.

In labiis, tria.

41. Labium inferius superiori prominentius.
42. Labium superius inferiori prominentius.
43. Os adeò laxatum, ut salivam non retineret.

In ventre tria.

44. Venter tumidus.
45. Umbilicus prominens; & non depressior, ut esse solet.
46. Mamillæ super ventrem instar mulieris, jacentes, seu pendulæ.

In dorso, tria.

D 47. Dorsum incurvum.
48. Gibbositas ex vertebrâ spinæ luxatâ.
49. Gibbositas carnosa.

In manibus, sex.

50 Digitorum numerus excrescens. Abscisso verò, qui excreverit, desiit vitium; sed ita demum si exos esset.
51. Digiti alicujus defectus.
52. Bini digiti continenter conjuncti. Sed desiit vitium, si à volâ ad extremitates discinderentur.
53. Digitus alter alteri inequitans.
54. Caro è pollice extuberantior.
55. Usus dextræ incommodus. Nam sinistrâ ministerio functum, id quod peragebat, profanasse scribunt. E

In vasis seminariis, quatuor.

56. Scrotum, ad genua fermè pendulum.
57. Veretrum, adeo longum ut genua fermè attingeret.
58. Scrotum percussum, adeò ut indè læderentur testiculi.
59. Hernia.

In cruribus & pedibus, quindecim.

60. Crura adeò extrorsùm incurva, ut genibus numquam conjunctis, pedes facile commiscerentur, ut in valgis.

61. Talus extuberantior.
62. Calcaneus ita retrorsum extensus, ut crus medio pede inniti videretur.
63. Planta pedis in latum diffusa, & instar anseris; plana, ut in plancis seu plantis.
64. Caro è pollice pedis extuberantior.
65. Digitorum pedum alicujus defectus.
66. Digitorum numerus excrescens.
67. Digitus alter alteri inequitans.
68. Bini digiti continenter conjuncti. Idem jus erat quod in digitis manus ita conjunctis.
69 Pes adeò undequaque sibi æqualis, ut à calce ad digitorum extremitates, utrinque ac ubique eandem haberet figuram.
70. Pes à calcaneo ad digitos ita incurvus, ut arcus instar alterutrinque distorqueretur; ut in loripede.
71. Pes excavatus, seu planta sic concava, ut stans, calcaneo & digitorum extremitate tantùm inniteretur.
72. Tali intertrigine se mutuò inter eundum pulsantes.
73. Genua se mutuò inter eundum intertrigine pulsantes.
74. Pedis sinistri potior usus.

In corpore toto, quatuor.

75. Corpus grandius, quàm membrorum ferret ratio.
76. Corpus minutius, quàm eadem ratio ferret.
77 Corpus longius, quam ratio ferret eadem.
78. Pumilionis statura.

In cute & carne, octo.

79. Nigrities, qualis Æthiopis.
80. Albor, qualis casei.
81. Rubor, qualis coccini.
82. Cutis, ex causâ interiori decolorata, veluti ex pustulis, lentigine.
83. Cutis, ex causâ foris admissâ decolorata, ut cicatricosa.
84. Verruca, seu nævus in facie, etiam assario minor; modò ex eo crescat pilus.
85. Verruca, seu nævus in facie assariò æqualis, seu major.
86. Caro, seu cutis languida & pendula.

Adduntur insuper hisce.

87. Surditas.
88. Fatuitas, quâ insania etiam denotatur.
89. Epilepsia.
90. Spiritus immundus.

Tertii generis, quæ vitiabant, quia intuenti deformitate displicerent, bina duntaxat faciunt.
1. Pilorum, qui in palpebris, defectus, tametsi eorum radices remanerent.
2. Dentes excussi.

SECTIO IV.

De ministerio Levitarum. Præcipuum erat portare Tabernaculum, & supellectilia ejus. Quâ ætate huic ministerio apti erant.

Ministerium Sacerdotum erat sacrificare, thimiama incendere, lucernas candelabri componere, ordinare in mensâ panes propositionis, cæteraque munia implere; de quibus suo loco egimus, plura addituri in libro septimo, ubi diligentiùs & fusiùs differemus de ministris & ministerio templi. Etenim necesse est, ut priùs ipsa templi dispositio nota sit, antequàm proponatur ministerium
A in eo exercendum. Tunc & de ministerio Levitarum poterimus etiam fusè loqui; etenim aliud fuit in templo, quàm in Tabernaculo. Nempe antequàm sedes fixas haberet domus Dei, officium Levitarum erat portare Tabernaculum quoties castra movebantur, & ejus supellectilia. Quam quisque partem Tabernaculi, quam supellectilem deferret, quæque familia Levitica, clarè declaratur in libro Numerorum capite quarto, ut non opus sit fusiori sermone. Sed animadvertendum quâ religione hocce munus Deus voluerit exerceri, seu quam religionem lex Moysis injiceret animis Levitarum erga sacra supellectilia: illa quidem portabant ex officio, sed non attingebant. Quando movenda castra, Aa-
B ron & filii ejus deponebant velum, quod erat ante Sanctum Sanctorum & eo Arcam involvebant. Similiter cæteram supellectilem Tabernaculi aliis velis, tegminibus, pellibus.

15. *Cùmque involverint Aaron & filii ejus Sanctuarium, & omnia vasa ejus in commotione castrorum, tunc intrabunt filii Caath ut portent involuta, & non tangent vasa Sanctuarii, ne moriantur.*

Iterum admonet Moyses Aaronem, aut ipse Deus loquitur ore Moysis. Omitto quæ ad Levitas non attinent.

17. *Locutus est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens:*

18. *Nolite perdere populum Caath de medio Le-*
C *vitarum:*

19. *Sed hoc facite eis, ut vivant & non moriantur, si tetigerint Sancta Sanctorum. Aaron & filii ejus intrabunt, ipsique disponent opera singulorum, & divident quid portare quis debeat.*

20. *Alii nullâ curiositate videant quæ sunt in Sanctuario, priusquàm involvantur, alioquin morientur.*

Notum in tribu Levi fuisse tres præcipuas cognationes, sive populos, quorum capita tres filii Levi, nempe Gerson, & Caath, & Merari. Ex Caath nati plures, inter quos Amram pater Aaronis, & Moysis. Aaron autem cum filiis suis accepit Sacerdotium. Cæteri filii Caath, cum Gersonitis, &
D Meraritis, ministerium, quod Leviticum appellamus, subiêre. Genealogia eorum recensetur in capite sexto Exodi; in capite quarto Numerorum, quod onus portarent; ubi & definitur tum initium, tum finis munerum eorum. Num. cap. 4.

1. *Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens:*

2. *Tolle summam filiorum Caath de medio Levitarum per domos & familias suas.*

3. *A trigesimo anno & supra, usque ad quinquagesimum annum, omnium qui ingrediuntur ut stent, & ministrent in Tabernaculo fœderis.*

Verumtamen juxta caput octavum subsequens ejusdem libri Levitæ, non expectatis triginta annis,
E servire incipiebant.

23. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:*

24. *Hæc est lex Levitarum, à viginti quinque annis & supra ingredientur ut ministrent in Tabernaculo fœderis.*

25. *Cùmque quinquagesimum annum ætatis impleverint, servire cessabunt:*

26. *Eruntque ministri fratrum suorum in Tabernaculo fœderis, ut custodiant quæ sibi fuerint commendata, opera autem ipsa non faciant. Sic dispones Levitas in custodiis suis.*

Maimonides in tractatu de Apparatu templi cap. 3. n. 7. sic concordiam init inter allegata duo capita Numerorum. *Nemo Levita munus suum effec-*

turus admittebatur in atrium, quin priùs esset quinquennio edoctus: habemus enim in lege. Num. cap. 8 Hæc est lex Levitarum à viginti quinque annis, &c. *Atqui alio loco à lege dicitur*. cap. 4. à trigesimo anno. *Quo igitur pacto lex sibi concilietur? Nempe quinquennium illud in addiscendâ ministerii ratione ponebatur. Etenim ministerium inire non poterat, quin jam vir grandis esset, quippe cùm scriptum sit*, ibidem v. 49. virum, virum secundùm officium suum, &c. *Quod autem de Levitis in lege dicitur*, cùmque quinquagesimum annum ætatis impleverint, servire cessabunt, *præceptum in id tempus erat, quo Sanctuarium, seu Tabernaculum deportaretur ex uno loco in alium; non item in ea quæ post insecuta sunt tempora.*

SECTIO V.

Præ cæteris requirebatur in sacerdotibus natalium puritas. De consuetudinibus, legibusque quibus tenebantur tempore ministerii sui.

PRæter ætatem omnibus ministris necessariam, requirebatur natalium puritas, ut scilicet essent ex tribu Leviticâ, si eis ministrandum inter Levitas, ex familiâ verò Aaronis, si obeunda Sacerdotalia munera. Josephus scribit diligenter inquisitum in Sacerdotum genus; quod satis constat ex libro primo Esdræ (cap. 11. v. 62.) ubi ille recenset reduces ex Babiloniâ Sacerdotes. Hi soli qui verè se natos ostendere poterant ex gente Sacerdotali admissi sunt, cæteri repulsi sunt. *Hi quæsierunt Scripturam genealogiæ suæ & non invenerunt, & ejecti sunt de Sacerdotio.* Caput vigesimum primum Levitici complectitur multa circa vitam & mores Sacerdotum.

1 *Dixit quoque Dominus ad Moysen: loquere ad Sacerdotes filios Aaron, & dices ad eos: ne contaminetur Sacerdos in mortibus civium suorum,*

2. *nisi tantùm in consanguineis, ac propinquis, id est, super patre & matre, & filio, & filiâ, fratre quoque,*

3. *& sorore virgine quæ non est nupta viro:*

4. *sed nec in principe populi sui contaminabitur.*

Cadaver judicatum est immundum apud omnes gentes. Hinc qui funestati essent, sacra attrectare non priùs ausi sunt, quàm lustrati. Hanc immunditiem Sacerdotes vitare debebant. Qui assidebant cadaveri, vel illud tangebant, immundi erant tantùm usque ad vesperam; etenim sic se polluendo non peccabant in legem. Peccassent autem Sacerdotes, nisi mortuus esset eis propinquus, cujus tenerentur curare funus; idcirco peccassent in funere sororis non virginis, hoc est, quæ conjuncta esset viro, si quidem hujus viri erat curam funeris suscipere. Itaque hæc verba *ne contaminentur*, sensum eum non habent, non contaminatum Sacerdotem qui sepelisset patrem aut alium è propinquis; etenim immundus erat usque ad vesperam: sed ei licebat se contaminare in funere patris. Ibi in versione Vulgatâ non fit mentio uxoris, quia nulla esse potest propinquior marito. Ideo alii aliter interpretantur fontem; in quo nomen בעל *Baal* est æqui vocum; significat enim *Dominum* & *Maritum*. Sic vertit hunc locum Clericus: *Immundus non fiet inter populares suos, ut polluatur maritus.* Id est, ut puto, Sacerdos cùm erit maritus, poterit se polluere curans funus uxoris suæ. Clericus verò sentit Sacerdotem nec potuisse interesse funeri uxoris.

5. *Non radent caput, nec barbam, neque in carnibus suis facient incisuras.*

Non inducent calvitiem, ut solebant quædam A gentes in luctu; quæ & se lancinabant ferro.

6. *Sancti erunt Deo suo & non polluent nomen ejus: incensum enim Domini & panes Dei sui offerunt, & ideò sancti erunt.*

אשי יהוה *ignitiones* offerunt. Omnia, ut supra observavimus, quæ igne altaris incendebantur, *ignitiones* in fonte vocantur. Has ignitiones Vulgatus reddit incensum, non prorsus benè. Per panem Dei intelligere decet omnia munera, quæ quasi cibus altaris erant. Sancta à sanctis tractanda sunt.

7. *Scortum & vile prostibulum non ducent uxorem, nec eam quæ repudiata est à marito: quia consecrati sunt Deo suo,*

B 8. *& panes propositionis offerunt. Sint ergo sancti, quia & ego sanctus sum, Dominus, qui sanctifico eos.*

Addit Josephus Sacerdotibus vetitum ducere servam, captivam, quæ ex cauponâ, aut hospitio publico vitam sustentassent, quæque à prioribus viris, quacunque ex causâ fuissent repudiatæ.

9. *Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro, & violaverit nomen patris sui, flammis exuretur.*

Polluit nomen patris sui: deterit famam ejus.

10. *Pontifex, id est, Sacerdos maximus inter fratres suos, super cujus caput fusum est unctionis oleum, & cujus manus in Sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet.*

C 11. *Et ad omnem mortuum non ingredietur omninò, super patre quoque suo & matre non contaminabitur.*

Solus magnus Sacerdos ungebatur, ut vidimus, oleo unctionis, nempe hocce unguento, quod conficiendum præceperat Deus; ideò cùm esset sanctior, sive Deo magis consecratus, alienus esse debebat ab eo omni quod polluere poterat; ideò non ei licebat quòd aliis. Sic Deus alloquitur Sacerdotes in Levitico cap. 10. 6. *Capita vestra nolite nudare, & vestimenta nolite scindere, ne fortè moriamini, & super omnem cœtum oriatur indignatio.* Non poterant Sacerdotes nudare caput, scilicet ut illud pulvere spargerent, quod solebat fieri in luc-

D tu. Summo verò Pontifici non licebat interesse cuiquam funeri, ullâ de causâ nudare caput, id est, tiaram, sive cidarim removere à capite οὐκ ἀποκιδαρώσει, ut ibi habent LXX. videlicet ut, quod solebat fieri in luctu, non conspergeret pulvere cæsariem: non scindet vestimenta sua; quod licebat cæteris Sacerdotibus in certis funeribus. Quæ esset consuetudo lugentium ex hisce Dei verbis ad Ezechielem [cap. 24. v. 17.] intelligi potest: *Mortuorum luctum non facies: corona tua circumligata sit tibi, & calceamenta tua erunt in pedibus tuis, nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes.* In luctu publico licebat summo Sacerdoti scindere vestes, non quidem illas sacras, quibus induebatur in Sanctuario, sed eas quibus vulgò utebatur. Ergo lex Le-

E vitici pertinet ad causam funebrem; undè videre est in primo Macchabæorum [cap. 11. v. 71.] Jonatham Pontificem maximum scindentem vestimenta sua post acceptam cladem in Cades Galilææ. Narrat Josephus in libro secundo de Bello Primores cum summis Sacerdotibus vestes suas lacerasse, & cinere inspersisse caput, & nudata pectora eorum apparuisse, quia vestes laceraverant. Ergo id solum illicitum Pontifici in funeribus.

12. *Nec egredietur de sanctis, ne polluat Sanctuarium Domini, quia oleum sanctæ unctionis Dei super eum est. Ego Dominus.*

Non egredi debet Sanctuario, funeris nempe causâ: quo pollueretur non solùm juxta legem Moysis,

tis, sed & Gentilium opinionem. Servius observat A moris Romani fuisse, ramum cupressi ante domum funestam poni, ne quis Pontifex per ignorantiam ingressus pollueretur, nec cuiqua n funestato, sive qui funere pollutus esset, fuisse licitum sacrificare.

13. *Virginem ducet uxorem.*

14. *Viduam autem aut repudiatam, & sordidam atque meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo:*

15. *Ne commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suæ: quia ego Dominus qui sanctifico eum.*

Dignitas Sacerdotii redundat in honorem divini cultûs, ita enim comparatum est plebis ingenium, ut si spreverit Sacerdotem, spernat etiam divinum cultum à Sacerdote administratum: quapropter providebat Deus ne ullo degeneri connubio deteretur gloria Sacerdotii. B

Toto eo tempore quo fungerentur muneribus suis Sacerdotes, tenebantur abstinere omni cum uxore commercio. Etenim certis vicibus obibant munia sua, de quibus vicibus, quia ordinatæ sunt tempore Salomonis, non disseram, nisi postquàm exposuero omnem templi structuram. A sabbato ad sabbatum quisque vicem suam implebat, diu noctuque versans in Sanctuario, quod nec licebat mulieribus attingere. Indè B. Hieronymus sumit argumentum pro castimoniâ ad quam astringuntur Sacerdotes in Ecclesiâ Christianâ. Arguit Jovinianum qui hanc castimoniam impugnabat. Sic ille libro primo adversùs hunc Heterodoxum. *Nam in veteri* C *lege, qui pro populo hostias offerebant, non solùm in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus, ab uxoribus separati; & vinum & siceram non bibebant, quæ solent libidinem provocare.* Cùm Deus præcepit Moysi, ut sanctificaret Israëlitas; admonet ut lavent vestimenta sua, & abstineant ab uxoribus. Exodi cap. 19. v. 14. *Cùmque lavissent vestimenta sua, ait ad eos: estote parati in diem tertium, & ne appropinquate uxoribus vestris.* Achimelec 1. Reg. cap. 21. aiebat ad David qui fame urgente postulabat ab eo panem: *Non habeo laïcos panes ad manum, sed tantùm panem sanctum: si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus.* Itaque Sacerdotes qui non poterant offerre nisi sanctificati, D non utebantur conjugio. Quam castimoniæ legem etiam Ethnici servabant, ut admonemur hocce Tibulli disticho ex libro secundo.

Vos quoque abesse procul jubeo, discedat ab aris,
cui tulit hesternâ gaudia nocte Venus.

Ita pura erat vita Sacerdotum ministrantium; quin & abstemia ex præcepto divino. Deus enim id præcepit Aaron & filiis ejus in Levitico (capite 10.)

9. *Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filii tui, quando intratis in Tabernaculum testimonii, ne moriamini, quia præceptum sempiternum est in generationes vestras.*

10. *Et ut habeatis scientiam discernendi inter* E *sanctum & profanum, inter pollutum & mundum.*

11. *Doceatisque filios Israël omnia legitima mea quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysi.*

Hanc legem renovat Ezechiel (cap. 44. v. 21.) *Et vinum non bibet omnis Sacerdos quando ingressurus est atrium interius.* In hocce atrio sacris operabantur Sacerdotes; ideò dicebatur atrium Sacerdotum. Interdicti ratio manifesta est, scilicet ne temulenti Sacerdotes res sacras & profanas, mundas & immundas miscerent. Omnis potus inebrians appellatur ab Hebræis שכר *schechar* sicera. Fiunt factitia vina è pomis, ex hordeo, ex palmis. His insuper Sacerdotes nudis pedibus operabantur in Sanctuario; non sine periculo; indè enim creabantur eis tormina; maximè postquàm templum ædificatum est, cujus pavimentum marmoreum erat, ut suo loco dicemus.

CAPUT X.

Tabernaculi historia perstringitur. De tempore quo perfectum & erectum est: quibus impensis absolutum, qui annui ejus reditus. Moyses illud dedicat. Postea extra illud sacra facere non licuit. De ejus ministerio, de Israëlitarum ad illud concursu, stationibus eorum & epulis sacris.

SECTIO I.

Brevis historia rerum quæ contigerunt cùm Moyses conflare Tabernaculum jussus est.

MOyses, primo Paschate celebrato die, decimâ quintâ mensis Abib, qui primus mensium tunc constitutus est, & postea dictus Nisan, ex Ægypto eduxit populum Dei; & aquis maris rubri iter præbentibus pervenit in desertum Sur, & per tres dies ambulantes filii Israël non invenerunt aquas. Iter pergentes venerunt in Mara, locum sic appellatum ob aquæ amaritudinem; quam cùm non possent bibere, Deus ostendit Moysi certum lignum, quo injecto in has aquas factæ sunt dulces. Indè venerunt filii Israel in Elim, de Elim in desertum Sin, quod est inter Elim & Sinaï, quintodecimo die mensis secundi postquàm egressi sunt de Ægypto. Cùm eos metus invasisset ne fame in deserto perirent, cùm scilicet commeatus deficere inciperet, murmuraverunt contra Moysen & Aaron. Tunc Deus immisit in castra coturnices; quo & die pluit manna de cælo. Illæ coturnices aliæ sunt ab illis, quarum mentio fit in Numeris cap 11. 31. quæ cùm adhuc essent in dentibus eorum, exarsit furor Dei in eos, à quo percussi sunt plagâ magnâ. Ideò locus dictus est *sepulchra concupiscentiæ.* Alias, inquam, coturnices opinor, quia indè profecti venerunt in Haseroth: priùs verò, sive post primas coturnices, venerant in Raphidim, ubi aquis deficientibus Moyses ex petrâ eduxit aquam; & vicit Amalec, & populum ejus qui adversabatur. Eo tempore Jethro socer Moysis uxorem cum filiis reduxit ad eum, & consilium dedit ei de constituendis judicibus, à quibus sublevaretur.

Quoniam hîc mentionem fecimus coturnicum, quæ illas spectant hùc afferam. Omni re expensâ adducor in hanc opinionem, Moysen quidem jure dici posse earum historiam in capite 16. Exodi, attingere occasione murmuris quo Israëlitæ querebantur se in desertum deductos, ut fame morerentur, & recordabantur dierum quibus inquiebant: *sedebamus super ollas carnium & comedebamus panem in saturitate.* Panem illis dedit Deus nempe manna, & diei hujus vespere promisit carnes v. 13. *Vespere & ascendit coturnix & operuit castra.* Nisi potiùs dicendum sit Moysen quod postea factum est, hîc narrare Numerorum 21. 4. *Et tædere cœpit populum itineris ac laboris. Locutusque contra Deum & Moysen, ait: cur eduxisti nos in solitudinem? Deest panis, non sunt aquæ; anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo.* Capite 11. ejusdem libri dixerat idem populus: quis dabit nobis *ad vescendum carnes.* Detulit autem ventus in eorum castra coturnices; quarum *carnes adhuc erant in dentibus eo-*

rum, & percussit eos Deus immittens, ut narratur A cap. 21. 6. in populum ignitos serpentes; ita ut quod concupiscebant non comederint.

Mense tertio egressionis Israël Exod. 19. de terrâ Ægypti in die hac venerunt in solitudinem montis Sinaï, jussit Deus Moysen ascendere, & colloquens cum eo significavit quid facturus esset. Moyses, convocatis majoribus natu populi, sermones quos ei Deus mandaverat, exposuit. Illi responderunt cuncta quæ Deus locutus esset, se facturos. Puto hæc litteris mandata à Moyse, & habenda pro fœdere quod inter Deum & Israëlem initum sit. Priùs voluit constare sibi de obedientiâ populi; antequàm promulgaret leges suas, quod fecit post diem tertium, nempe tertio die mensis tertii cùm populus sanctificatus esset ablutis vestibus Exod. 19. Tunc cœperunt audiri tonitrua, micare fulgura, & tubæ perstrepere. Moyses ædificato altari immolavit victimas quarum sanguine respersit populum, & librum in quo scripserat universos sermones Domini. *Assumensque volumen fœderis* non librum Exodi vel Levitici; nondum enim illi scripti nec promulgati fuerant. In fonte Hebræo est ספר הברית *sepher haberith;* quod quidem de volumine legis licet interpretari, & in libro quarto Regum 23. 2. sic appellatur Deuteronomium; sed & *sepher* accipi potest pro quocumque scripto, pro libello, ut ibi *volumen fœderis* intelligendum sit scriptum, quo, ut diximus, inierant pactum Israëlitæ cum Deo promittentes: *omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes.*

Moyses jussu Dei descendit ex monte Sinaï ad populum, cui declaravit præcepta quem vellet statuere, scilicet decem præcepta, sive Decalogum, & Exod. 20. & alia quæ continentur capitibus 21. 22. 23. 24. Cum Domino Moyses in monte Sinaï 40 diebus permansit: accepit duas tabulas lapideas in quibus scriptus Decalogus. Præmonstratur ei exemplar Tabernaculi 25. & supellectilium 26. 27. & totius ministerii sacri forma 28. 29. 30. Deputantur à Domino Beseleel & Oliab ad extructionem Tabernaculi 31. Interea Israëlitæ cùm Moyses moraretur in monte 32. quasi sibi ereptum putantes, compulerunt Aaronem sibi conflare Deos qui eos præcederent.

Conflavit Aaron vitulum aureum, quem Moyses descendens de monte advertens indignatus tabulas lapideas quas deferebat, confregit ad radicem montis; & imperavit Levitis ut discurrerent per castra, & quemcumque obvium interficerent: *Cecideruntque in die illâ quasi viginti tria millia hominum.* 33. 6. *Deposuerunt ergo filii Israël omnem ornatum à monte Horeb;* id est, longè à monte Horeb quasi se indignos præsentiâ Dei reputantes. Alii interpretantur ultra montem Horeb, alii apud vel juxta montem Horeb consistentes. 7. *Moyses quoque tollens Tabernaculum tetendit extra castra procul, vocavitque nomen ejus Tabernaculum fœderis.* Nondum conflatum erat, quod ejus titulo insignitum est. In fonte Hebræo appellatur illud de quo sermo est; האהל מועד *ohel moghed*, id est, *tentorium conventûs*, ad quod convenire solebant, qui Moysen consulebant. Tabernaculum quod postea perfecit & erexit Moyses, appellatum est etiam Tabernaculum *conventûs*, quia in illud convenire debebant Israëlitæ omnes; sed antea ad Tabernaculum Moysis tenebantur accedere tanquam ad Prætorium. Tetenderat illud extra castra & procul, indignationem Domini eo secessu significans. In hocce Tabernaculo Dominus alloquebatur Moysen facie ad faciem. Placavit iram Dei 34. & reparavit duas tabulas quas fregerat, & ascendit in montem Sinaï, ubi iterum Deus Decalogum scripsit. Fuit Moyses cum Deo in hocce monte quadraginta dies & quadraginta noctes, quibus panem non comedit, nec aquam bibit. Ex hoc Dei consortio discedens *cornutam suam faciem* esse ignorabat. Fons verti potest: *radiare faciem suam.* Verbum קרן *Karan*, undè *Keren*, cornu significat, & *splendere* & *radiare.* Splendorem vultûs Moysis, cùm Israëlitæ non ferrent; posuit velamen super faciem suam quando eos alloquebatur. Omnia quæ sibi fuerant in monte Sinaï à Deo imperata exposuit populo. 35. Deputati sunt Beseleel & Oliab ad conficiendum Tabernaculum. 36. Plura quàm necessitas exigebat cùm ad illius structuram offerrentur, præconis voce significavit pluribus non opus esse. Parantur velamina Tabernaculi. 37. Formatur Arca, mensa,
B candelabrum, altare thymiamatis. 38. Altare holocausti, labrum æneum. 39. Pontificalia & Sacerdotalia fiunt ornamenta, totumque injunctum opus conficitur.

SECTIO II.

Moyses erigit Tabernaculum, inducit in illud Arcam, & cæteram supellectilem. Manifestis signis Deus se in eo præsentem indicat. Quo præcisè tempore Tabernaculum perfectum & erectum sit.

Tempus perfecti Tabernaculi, & locum in quo erectum docet Moyses in ultimo capite Exodi
C jussus à Deo in illud inferre eam omnem supellectilem, quam supra vidimus elaboratam; Arcam, velum quod ante illam extendebatur, mensam panum propositionis, candelabrum cum lucernis suis, altare aureum, in quo adolebatur incensum. In introitu Tabernaculi aliud velum erat oppansum ante altare æreum holocaustorum, & labium æneum inter altare & Tabernaculum Moyses posuit & circumdedit atrium velis. Hæc omnia sancto oleo unxit & consecravit; & Aaronem & filios ejus induit sacris vestimentis, faciens omnia quæ ei Deus præceperat; ut ipse narrat ultimo capite Exodi.

15. *Igitur mense primo anni secundi, primâ die mensis, collocatum est Tabernaculum.*

D Ulterius exitum ab Ægypto ponit in anno mundi 2513. ante Christum 1491. Ita anno mundi 2514. ante Christum 1490. collocatum est Tabernaculum in deserto Sinaï.

16. *Erexitque Moyses illud, & posuit tabulas ac bases & vectes, statuitque columnas,*

17. *& expandit tectum super Tabernaculum, imposito desuper operimento, sicut Dominus imperaverat.*

In fonte non fit mentio tecti. Dicitur quod expanderit Moyses אהל *ohel*, id est, tentorium super משכן *mischan*, id est, habitaculum, Tabernaculum, & supra illud *ohel* imposuerit מכסה *michse*, nempe certum operimentum; pluribus enim velis obtexit Moyses Tabernaculum.

E 18. *Posuit & testimonium in Arcâ, subditis infra vectibus, & Oraculum desuper.*

Illud testimonium sunt duæ tabulæ scriptæ manu Dei, testes fœderis quod Deus pepigerat cum Israëlitis. Oraculum in fonte dicitur כפרת *chaphoreth*, id est Propitiatorium; quod & Oraculum dici potest, quia indè promebat sua oracula Deus; tum & hocce nomen significat *operculum.*

19. *Cùmque intulisset Arcam in Tabernaculum, appendit ante eam velum, ut expleret Domini jussionem.*

Uti mandatum Dei de Tabernaculi structurâ impleret: mandaverat enim Deus ut tale velum expanderetur ante Arcam.

20. *Poſuit & menſam in Tabernaculo teſtimonii ad* A *plagam ſeptentrionalem extra velum.*

Ibi Tabernaculum ponitur pro eâ parte Tabernaculi quæ dicebatur Sancta, ſive Sanctum quod velum diſtinguebat à Sancto Sanctorum,

21. *Ordinatis coram propoſitionis panibus, ſicut præceperat Dominus Moyſi.*

In fonte, ordinavit ſuper eam menſam, ordinationem panis coram Domino. Quæ fuerit illa ordinatio, ſuprà dictum eſt.

22. *Poſuit & candelabrum in Tabernaculo teſtimonii e regione menſæ in parte auſtrali.*

23. *Locatis per ordinem lucernis juxta præceptum Domini.*

24. *Poſuit & altare aureum ſub tecto teſtimonii* B *contra velum.*

Altare aureum, ut habet fons, poſuit Moyſes באהל in Tabernaculo; Vulgatus Interpres vertit ſub tecto, ut illud altare magis diſtingueret ab altari æreo quod erat ſub dio.

25. *Et adolevit ſuper eo incenſum aromatum, ſicut juſſerat Dominus Moyſi.*

Simul incendit thymiamata, hoc eſt, odoramentum compoſitum ex multis aromatibus.

26. *Poſuit & tentorium in introitu Tabernaculi teſtimonii.*

Illud velum dicitur מסך *maſach*; erat tegumentum, ſive velum re ut nomine ab aliis diſtinctum.

27. *Et altare holocauſti in veſtibulo teſtimonii,* C *offerens in eo holocauſtum & ſacrificia, ut Dominus imperaverat.*

Poſuit illud altare ad oſtium משכן habitaculi ſeu Tabernaculi. De loco, ſitu, diſpoſitione horum ſupellectilium diximus.

28. *Labrum quoque ſtatuit inter Tabernaculum teſtimonii, & altare implens illud aqua.*

29. *Laveruntque Moyſes & Aaron ac filii ejus manus ſuas & pedes,*

30 *cùm ingrederentur tectum fœderis & accederent ad altare, ſicut præceperat Dominus Moyſi.*

Quoties in Tabernaculum ingreſſuri erant, vel miniſtraturi altari holocauſtorum, licet toto corpore mundi, tenebantur Sacerdotes manus & pedes abluere aquâ labri.

31. *Erexit & atrium per gyrum Tabernaculi & altaris, ducto in introitu ejus tentorio. Poſtquàm omnia perfecta ſunt.*

Videlicet aream circa Tabernaculum terminavit velis; & in introitu areæ diſpoſuit tentorium velum dictum מסך *meſach*. Poſtquàm autem ſic totum Tabernaculum erectum eſt & perfectum omne ejus opus.

32. *Operuit nubes Tabernaculum teſtimonii, & gloria Domini implevit illud.*

33. *Nec poterat Moyſes ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & majeſtate Domini coruſcante, quia cuncta nubes operuerat.*

Nubes iſta erat ſignum majeſtatis Dei præſentis.

34. *Si quando nubes Tabernaculum deſerebat, proficiſcebantur filii Iſraël per turmas ſuas.*

35. *Si pendebat deſuper, manebant in eodèm loco.*

36. *Nubes quippe Domini incubabat per diem Tabernaculo, & ignis in nocte videntibus cunctis populis Iſraël per cunctas manſiones ſuas.*

Poſt tam conſpicua ſigna nemo dubitaverit Deum præſentem incoluiſſe Tabernaculum, & voluiſſe in eo ſuum ſibi debitum cultum exhiberi; quod expreſſis verbis nec ſemel imperat, ſic loquens Levit. 17.

3. *Homo quilibet de domo Iſrael, ſi occiderit bovem aut ovem, ſive capram in caſtris vel extra caſtra.*

4. *Et non obtulerit ad oſtium Tabernaculi oblationem Domino, ſanguinis reus erit: quaſi ſi ſanguinem fuderit, ſic peribit de medio populi ſui.*

Sequentia oſtendunt, hîc agi de ſacrificiis, non de pecudibus quæ in cibum quotidianum occidebantur; undè LXX. addiderunt, ut faciat holocauſtum, vel ſalutare Domino.

5. *Ideò Sacerdoti offerre debent filii Iſraël hoſtias ſuas, quas occident in agro, ut ſanctificentur Domino ante oſtium Tabernaculi teſtimonii, & immolent hoſtias pacificas Domino.*

Pro *quas occident in agro*, verti poterat fons: quas ſacrificantes ſuper facies agri; nempe quas antea ſacrificabant in quocumque loco, in ipſo agro, B cùm luberet: ubi paſcebat, ſive occurrebat bos, aut ovis. Sed poſt erectum Tabernaculum non ampliùs licuit; quia fundendus hoſtiarum ſanguis ad altaris pedem per manus Sacerdotum.

6. *Fundetque Sacerdos ſanguinem ſuper altare Domini ad oſtium Tabernaculi teſtimonii, & adolebit adipem in odorem ſuavitatis Domino:*

7. *Et nequaquam ultra immolabunt hoſtias ſuas Dæmonibus, cum quibus fornicati ſunt. Legitimum ſempiternum erit illis & poſteris eorum.*

8. *Et ad ipſos dices: Homo quilibet de domo Iſraël & de advenis qui perigrinantur apud vos, qui obtulerit holocauſtum ſive victimam,*

Sive holocauſtum, ſive quodcumque ſacrificium.

C 9. *& ad oſtium Tabernaculi teſtimonii non adduxerit eam ut offeratur Domino, interibit de populo ſuo.*

Ideò omnis Iſraël iratus eſt in filios Gad, & Ruben, & in dimidiam tribum Manaſſe qui extruxerant altare juxta Jordanem, & urbem Silo, ubi tunc erat Tabernaculum. *Quæ eſt iſta tranſgreſſio?* (in capite 22. 16. Joſuë)? *cur reliquiſtis Dominum Deum Iſraël, ædificantes altare ſacrilegum, & à cultu illius recedentes.* Iſraëlitæ verebantur ne Deus ob hoc facinus irâ concitaretur in totam gentem. v. 18. *Et vos hodie reliquiſtis Dominum, & cras in univerſum Iſrael ira ejus deſæviet*. v. 19..... *ædificato altari præter altare Domini Dei noſtri.* Sed conciliati ſunt Iſraëlitæ, ubi conſilium eorum à quibus fuerat ædifi-
D catum altare illud ipſis innotuit, ſcilicet, non mentem fuiſſe eorum ut holocauſta, & ſacrificium, & pacificas hoſtias ſuper eo imponerent. 26. .... *Extruamus*, inquiebant, *nobis altare non in holocauſta neque, ad victimas offerendas,* 27. *Sed in teſtimonium inter nos & vos.....* 28. *Abſit à nobis hoc ſcelus, ut recedamus à Domino & ejus veſtigia relinquamus, extructo altari ad holocauſta & ſacrificia, & victimas offerendas, præter altare Domini Dei noſtri, quod extructum eſt ante tabernaculum ejus.* Altaris nomen indicat quidpiam excelſum. Solebant veteres rerum memoriam conſervare aggeſtis lapidibus, ſive congeſtâ terrâ; ut alibi diximus. Ergo non poterant Iſraëlitæ ſacrificare extra Tabernaculum: ſed
E ipſe Deus non ſe hac lege devinxerat; permiſit enim imò juſſit Gedeoni ſtruere altare in hac petrâ ubi appoſuit carnes & azimos panes coram Angelo qui ibi ei apparuit; Jud. 6. Non ita eſt de altari quod fecit Michas qui Ephod ſibi fecit & idolum; defecerat à vero Dei cultu.

SECTIO III.

Quantum æris, argenti, & auri impensum sit Tabernaculo, & ejus supellectilibus conflandis.

LIcet Tabernaculum tantùm constaret asseribus, pellibus, & velis: latum sexdecim, longum triginta cubitis, non tamen potuit sine miraculo parari in deserto. Quomodo ab Israelitis qui domo servitutis egrediebantur, tam incredibilis auri & argenti copia, inveniri potuit? Huicce exor ando impenderunt plusquàm sex milliones, ut ipse Moyses declarat Exod. 38.

24. *Omne aurum quod expensum est in opere Sanctuarii, & quod oblatum est in donariis, viginti novem talentorum fuit, & septingentorum triginta siclorum ad mensuram Sanctuarii.* B

Pondus auri ex quo factum est opus Tabernaculi, quod aurum dicitur *agitationis* & *elevationis*, videlicet, quod oblatum est more cæterarum oblationum cum agitatione & elevatione, fuit viginti novem talentorum & septingentorum triginta siclorum. Talentum ponderabat ter mille siclos, ita juxta calculos nostros paulò plus quàm 5106 marcas auri; ex quibus, juxta eosdem calculos, saltem conflari potuissent 186733 nummi aurei. Itaque pretium auri quod Tabernaculo impensum est, cùm illud defecatissimum fuit, æstimari potuit non multùm infra tres milliones librarum Turonensium. C

25. *Oblatum est autem ab his qui transierunt ad numerum à viginti annis & suprà, de sexcentis tribus millibus, & quingentis quinquaginta armatorum.*

Ista versio abducet Lectorem à veritate nisi eam quærat in fonte Hebræo. Credet enim ibi mentionem fieri auri oblati, cujus pondus numeratur in versu præcedente. Fons loquitur de argento quod rediit ex annuâ pensione semi-sicli. Sic vertendus ad verbum: *Et argentum* quod repererunt, *qui censuerunt cœtum* Israëlitarum, *fuit centum talenta & mille & septingenti & quinque & septuaginta sicli in siclo Sanctuarii.* Etenim dimidium sicli solutum est ab omni qui viginti annos natus & suprà transiit coram censoribus. Hi censuerunt homines *sexcentum mille quingentos quinquaginta.* Nescio quomodo sic limpidum fontem perturbaverit ibi Vulgatus Interpres. Censi fuerunt homines 603550, ut dicit Moyses & in Numerorum libro cap. 1. v. 46. Quisque Israëlita viginti annos natus & supra solvit dimidium sicli; itaque soluti sunt 301775, qui faciunt centum talenta & 1775 siclos. Ex centum talentis argenti factæ sunt bases, ex reliquis 1775 siclis capita columnarum, ut subjicitur. Centum autem talenta cum 1775 siclis ponderant marcas 17563 ex quibus conflari solent 158067 nummi scutati argentei. D

26. *Fuerunt præterea centum talenta argenti, è quibus conflata sunt bases Sanctuarii, & introitus ubi velum pendet.* E

Impendit Moyses centum talenta argenti fundendis basibus הקדש, id est, sancti & basibus הפרכת, id est, hujus veli quo Sanctum à Sancto Sanctorum separabatur. Intelligi debent bases quæ erant subjectæ tabulis Sancti & tabulis Sancti Sanctorum. Videretur versio Vulgata indicare bases argenteas in ipso introitu Sancti; sed in Exodo capite 36. v. 38. adstruitur bases quinque columnarum, quæ in hoc introitu erant, fuisse æneas; sed velum interius, sive Sancti Sanctorum habebat quatuor columnas, quarum bases erant ex argento.

27. *Centum bases factæ sunt de talentis centum,* A *singulis tabulis per bases singulas supputatis.*

Erant in duobus lateribus Tabernaculi quadraginta tabulæ quibus subjectæ binæ bases argenteæ. Octo erant tabulæ in tergo Tabernaculi, singulæ cum duabus basibus argenteis. Quatuor columnæ, undè pendebat velum interius, habebant bases suas argenteas. Ita centum bases erant argenteæ; quæque pondere unius talenti; quæ juxta calculos nostros ideo ponderabant 174 marcas, uncias quatuor, grossos septem, quod pondus est paulo plus quam 1566 scutatorum argenteorum.

28. *De mille autem septingentis & septuaginta quinque, fecit capita columnarum; quas & ipsas vestivit argento.*

Vidimus persoluta ab Israëlitis qui censi sunt, juxta fontem Hebræum, centum talenta & mille & septingentos & septuaginta quinque siclos argenti. Ex centum talentis conflatæ sunt bases; ex argento quod superfuit nempe 1775, fecit Moyses columnis capitella, quas & vestivit argento. Nec ibi Interpres Latinus pressè sequitur textum Hebræum, juxta quem Moyses fecit columnis ווים *vavim*, id est clavos, sive uncinos, quibus innecterentur vela atrium præcingentia; præterea aliquâ dicti argenti portione, texit capita columnarum, & eas cinxit. Etenim, ut vidimus, columnæ quæ erant intùs ligneæ præter uncinos habebant capitella & cincturas. Nempe vertex earum non erat sine aliquo ornamento, ut vidimus.

29. *Æris quoque oblata sunt talenta septuaginta duo millia, & quadringenti supra sicli.*

Hocce pondus facit libras nostrates 6235449.

30. *Ex quibus fusæ sunt bases in introitu Tabernaculi testimonii, & altare æneum cum craticulâ suâ, omniaque vasa, quæ ad usum ejus pertinent.*

Ibi loquitur Moyses de introitu Tabernaculi האהל *ohel* nempe partis hujus quæ dicebatur Sanctum, ubi erant bases æneæ subjectæ quinque columnis hujus introitûs.

31. *Et bases atrii tam in circuitu, quàm in ingressu ejus, & paxilli Tabernaculi atque atrii per gyrum.*

Quæque columna habebat subjectam basim æneam non mediocris ponderis. Insuper ærei erant paxilli, sive pali, quibus in terram defixis illigabantur funes; qui tum columnas atrii, tum tabulas Tabernaculi confirmabant adversùs vim ventorum; qui alioquin irruentes in oppansa vela & in totum Tabernaculum, omnia abripuissent. Hoc immensum æris pondus non potest justo valore suo à nobis æstimari; cùm enim diversæ sint æris species, quo usus est Moyses, non omninò potest constare. Attamen illud pretiosum fuisse ostendunt specula ex quibus labrum conflavit; quod ideò non potest comparari cum nostro ære, quod exigui pretii est.

SECTIO IV.

De reditibus Tabernaculi. De primitiis & decimis, quas Israelitæ ad illud deferre tenebantur.

TAbernaculum habebat reditus, ex quibus suppeditabatur diurnis, & extraordinariis impensis. Israëlitæ omnes à vigesimo anno & suprà huic pendebant singulis annis semi-siclum ex lege Dei, quam exponit Moyses in Exodo capite trigesimo.

11. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:*

12. *Quando tuleris summam filiorum Israël juxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis, cùm fuerint recensiti.*

Cùm inibis numerum Israëlitarum, in recen-

ſione dabit quiſque כפר *thepher*, id eſt, expiationem, ſive redemptionem animæ ſuæ, ne ſcilicet, ut ſequitur, plagâ percutiatur. Incurrit in odium Dei David plebem numerans, quia id non ex juſſu ejus. Aliqui ſentiunt in talibus recenſionibus quidpiam odioſi fuiſſe; ſed tempore hujuſce recenſionis Deum providiſſe, ne quis Iſraëlita recenſitus moreretur, ut certus eorum numerus poſſet iniri. Liber Numerorum, cujus primum caput continet iſtam recenſionem, ab illâ habet nomen ſuum in verſione Græcâ & Latinâ.

13. *Hoc autem dabit omnis qui tranſit ad nomen, dimidium ſicli juxta menſuram templi. Siclus viginti obolos habet. Media autem pars ſicli offeretur Domino.*

Qui tranſit ad nomen. In f nte qui tranſit ſuper cenſis, hoc eſt, qui inter cenſos, dabit dimidium ſicli, in ſiclo ſancti. Neſciò cur ibi *templi* nomen occurrat in verſione vulgatâ. Ponderabat autem ſiclus noſtro pondere, granis $268\frac{1}{5}$ ita ſemi-ſiclus, ſive dimidium ſicli $134\frac{1}{10}$.

14. *Qui habetur in numero, à viginti annis & ſuprà, dabit pretium.*

Qui vigeſimum annum attigerit, hocce tributum ſolvere incipiet.

15. *Dives non addet ad medium ſicli, & pauper nihil minuet.*

Dives non afferet ſupra dimidium ſicli nomine hujus penſionis; etenim non prohibebatur alia & ampliora donaria offerre.

16. *Suſceptamque pecuniam quæ collata eſt à filiis Iſraël, trades in uſus Tabernaculi teſtimonii, ut ſit monimentum eorum coram Domino, & propitietur animabus eorum.*

Igitur amplus erat Tabernaculi reditus; nam Moſaïcis temporibus cenſa ſunt ſexcenta millia capitum; ita ex hoc tributo conficiebantur ſicli integri tercentum mille, & ideò mille talenta; quæ ponderant 174609 marcas, & ideò quantùm 157148 nummi ſcutati argentei; quorum valor excedit duo milliones librarum Turonenſium. Tantus, inquam, reditus ſufficiebat ad emendas victimas, ad paranda aromata, cæteraque quorum uſus erat in Tabernaculo. Creſcebat ille reditus aliis donariis, quæ vel ex lege Dei, vel ſponte offerebantur Tabernaculo.

Dictum aurum & argentum non impendebantur miniſtris alendis; aliundè enim his victus ſuppetebat. In diviſione terræ acceperant quadraginta octo urbes cum agris ſuis ad paſtum jumentorum, & pecorum, ut Deus præceperat, Numer. cap. 35. Ex his urbibus tredecim aſſignatæ ſunt Sacerdotibus, reliquæ Levitis. Debebantur primitiæ Sacerdotibus; quæ dum Tabernaculum ſtetit erectum, eis ſolvebantur ante omnia ex tritico, hordeo, ficubus, racemis, oleis, malis punicis, dactilis. Ex his ſolis ſpeciebus ſolvebantur primitiæ; & eâ quidem copiâ quâ volebat colonus. *Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo Domini Dei tui;* Sic præcipit Deus in Exodo cap 34. 26. & in Levitico cap. 23. 10. *Cùm ingreſſi fueritis terram, quam ego dabo vobis; & meſſueritis ſegetem, feretis manipulos ſpicarum primitias meſſis veſtræ ad Sacerdotem.* Et in Numeris cap. 15. 18 *Cùm veneritis in terram quam dabo vobis; 19. & comederitis de panibus regionis illius, ſeparabitis primitias Domino: 20. de cibis veſtris: Sicut de areis primitias ſeparatis; 21. ita & de pulmentis dabitis primitiva Domino.* Primæ decimæ ſolvebantur Levitis. Levitæ verò ex his decimis aliam decimam ſolvebant Sacerdotibus; ut illis præcipitur in Numeris cap. 28. v. 28. Sacerdotes enim nullas decimas à colono accipiebant, ſed à Levitis duntaxat; qui, ut dixi, decimam decimæ ſolvebant. De decimis diligentius diſſeremus in ſeptimo libro, cùm de reditibus templi ſermo erit. Primâ decimâ ſolutâ, novem reliquæ partes proventûs cenſebantur prophanæ, id eſt, aptæ uſui communi; ſed nec illis, uti licebat, niſi ex novem illis partibus alia decima excerpta eſſet, cujus mentio eſt in Deuteronomio cap. 26. 12 *Quando compleveris decimam cunctarum frugum tuarum, anno decimarum tertio, dabis Levitæ, & advenæ, & pupillo, & viduæ,* &c. Hujus decimæ ſpecies ipſas per duos priores annos Jeroſolymam deferre oportebat, vel ſi longius foret iter, eam ære æſtimare, ſive ad æris pretium redigere, additâ quintâ parte pretii. Hæc decima abſumebatur ab Iſraëlitis in convivia, quæ agitanda erant ad Tabernaculum. Tertio autem anno iſta decima intra cujuſque oppidi mænia dividebatur pauperibus & Levitis. Tales ergo decimæ non pertinebant ad Tabernaculum. Primitiæ, primogenita, & decimæ offerebantur ex præcepto, in alimoniam eorum qui Tabernaculo deſerviebant. Pleraque verò alia offerebantur ſponte, vel ex voto. Nec inter divitias Tabernaculi cenſeo, quæ cremabantur igne altaris, aut effundebantur in libamenta. Verùm pleraque erant quæ vovebantur, pretio redimenda; undè opes multæ redibant. Qui verbi causâ, ſpoponderant Deo animam ſuam, tenebantur eam redimere pretio quinquaginta ſiclorum argenti, ſi natus eſſet viginti annos & ampliùs uſque ad ſexageſimum. In ultimo capite Levitici præſcribitur pretium hujus redemptionis pro ſexu & pro ætate, ita etiam pro animalibus, quin pro rebus inanimatis, pro domo, pro agris. Iſta legi poſſunt in dicto capite Levitici, quæ expoſitione non indigent.

SECTIO V.

De Tabernaculi dedicatione. In illâ die ſolemni principes obtulerunt munera quæ enumerantur.

UBi abſolutum & perfectum eſt Tabernaculum, conflata omnis ejus ſupellex; tunc conſecratum ipſum cum vaſis ſuis unctione olei ſacri, de quo ſuprà fecimus ſermonem, tum & facta ejus dedicatio ſolemnis. Paucis eam verbis abſolvit Moyſes in capite ſeptimo Numerorum; ſed enumerat munera quæ ſinguli duodecim tribuum principes, diebus duodecim continuis obtulerunt.

1. *Factum eſt autem in die quâ complevit Moyſes Tabernaculum, & erexit illud: unxitque & ſanctificavit cum omnibus vaſis ſuis, altare ſimiliter & omnia vaſa ejus.*

2. *Obtulerunt principes Iſraël, & capita familiarum qui erant per ſingulas tribus, præfectique eorum qui numerati fuerant,*

3. *Munera coram Domino, ſex plauſtra tecta cum duodecim bobus. Unum plauſtrum obtulêre duo duces, & unum bovem ſinguli; obtuleruntque ea in conſpectu Tabernaculi.*

Veſtimenta Sacerdotum plauſtris tectis ſecuriùs portabantur. Ad hæc & ad alia ſufficiebant ſex plauſtra: humeris enim Levitarum pars magna Tabernaculi efferebatur.

4. *Ait autem Dominus ad Moyſen:*

5. *Suſcipe ab eis ut ſerviant in miniſterio Tabernaculi, & trades ea Levitis juxta ordinem miniſterii ſui.*

His plauſtris ſublevabuntur Levitæ onera portantes.

6. *Itaque cùm ſuſcepiſſet Moyſes plauſtra & boves, tradidit eos Levitis.*

7. *Duo plauſtra & quatuor boves dedit filiis Gerſon, juxta id quod habebant neceſſarium.*

8. *Quatuor alia plaustra, & octo boves dedit filiis Merari, secundùm officia & cultum suum sub manu Ithamar: filii Aaron Sacerdotis.*

Pro ratione ministerii plura plaustra dedit; quia onera eorum erant graviora. Hisce præfectus erat Ithamar; ideò dicuntur sub manu ejus.

9 *Filiis autem Caath non dedit plaustra, & boves: quia in Sanctuario serviunt, & onera propriis portant humeris.*

Nempe portare debent, nec hisce possunt humeros exonerare.

Jam enumerabo vasa aurea & argentea, quæ quisque princeps obtulit; valorem illorum æstimabo nostrâ monetâ.

10. *Igitur obtulerunt duces in dedicationem altaris die quâ unctum est, oblationem suam ante altare.*

11. *Dixitque Dominus ad Moysen: singuli duces per singulos dies offerant munera in dedicationem altaris.*

Dedicatio dicitur Hebraicè חנכת *channuchat*. Græcè ἐγκαίνια, id est, initiatio: quando cujuspiam rei usus novi incipit. Itaque dedicatio altaris facta est, cùm cœpit sanguine victimarum madere

12 *Primo die obtulit oblationem suam Naasson filius Aminadab de tribu Juda.*

13 *Fueruntque in eâ acetabulum argenteum pondo centum triginta siclorum, phiala argentea habens septuaginta siclos, juxta pondus Sanctuarii, utrumque plenum similâ conspersâ oleo in sacrificium.*

קערת *Kaharath* LXX. vertunt τρυβλίον. Scutella, sive patella est. Vulgatus vertit acetabulum. Usus, qui indicatur, notionem aliquam formæ ejus dare potest. מזרק *Mizrak* a Latino & Græcis Interpretibus redditur *phiala*. Species vasis est quo sanguis victimarum excipiebatur, & deinde spargebatur ad altaris basim; à verbo זרק, id est, *sparsit, aspersit*. Ista simila oleo mixta spargebatur in igne altaris, ut videre est in capite secundo Levitici. Ex tabulis computi nostri centum triginta sicli ponderant Parisino pondere septem marcas, quatuor uncias quatuor grossos, decem & octo grana. Sexaginta verò sicli tres marcas tres uncias septem grossos, unum denarium, duodecim grana.

14 *Mortariolum ex decem siclis aureis plenum incenso.*

כף *chaph*, quod Latinus Interpres appellat mortariolum, Græci θυΐσκην, est vas concavum, ut vox Hebræa sonat. Decem aurei sicli ponderant 4. uncias unum grossum unum denarium, decem & octo grana; ita angustum erat illud vas, ideò appellatur כף, quo nomine significatur cavitas manus, vola. Omitto quot obtulerint boves & arietes. De hisce enim victimis nihil est quod animadvertendum videatur.

18 *Secundo die obtulit Nathanaël filius Suar, dux de tribu Isachar.*

19 *Acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos.*

Tædet me exscribere, quæ legi possunt in sacro codice; & nulla indigent expositione. Ergo versus sequentes afferre supersedebo; quibus significatur similia dona à tribuum principibus fuisse oblata. Græci, aut Latini Historici sic dixissent, omnes principes similia obtulisse, neque duodecies repetiissent quod semel dici satisfuit; sed, ut Joannes Clericus ibi observat, priscorum temporum simplicitas ab ejusmodi repetitionibus non abhorrebat; ut vel exemplo Homeri constat, apud quem multæ repetitiones occurrunt. Prætermissis autem sequentibus versibus, in quibus eadem repetuntur veniam ad octogesimum quartum, in quo, & in his qui sequuntur, summa argenti & auri, pondusque colliguntur.

84. *Hæc in dedicatione altaris oblata sunt à principibus Israël, in die quâ consecratum est: acetabula argentea duodecim: Phialæ argenteæ duodecim: mortariola autem aurea duodecim.*

85. *Ita ut centum triginta siclos argenti haberet unum acetabulum, & septuaginta siclos haberet una phiala: id est, in commune vasorum omnium ex argento sicli duo millia quadringenti, pondere Sanctuarii.*

Bis mille quadringenti sicli faciunt nostratium ponderum centum sexdecim marcas, tres uncias, & duos grossos

86 *Mortariola aurea duodecim plena incenso, denos siclos appendentia pondere Sanctuarii: id est, simul auri sicli centum viginti.*

Centum viginti sicli ponderant sex marcas, septem uncias, septem grossos. Josephus in Antiquitatibus libro tertio cap. 9. Denos siclos pares facit decem Daricis; qui, ut vidimus libro primo, stateres erant aurei, & ideò ejusdem ponderis ac siclus Hebræorum. Cùm illa mortariola essent aurei, sicut pondus habebant decem siclorum, ita & valorem decem Daricorum, sive decem staterum, sive siclorum aureorum.

Hæc munera adjungenda jam supra enumeratis opibus Tabernaculi, quod confectum fuerat ex aliis donariis. Mirum quomodo & tot holocaustis armenta, & greges sufficere potuerint Israëlitis qui errabant in deserto. Boum & agnorum quos principes obtulêre in dedicatione fuit hicce numerus, qui subjicitur.

87. *Boves de armento in holocaustum duodecim, arietes duodecim, agni anniculi duodecim, & libamina eorum: hirci duodecim pro peccato.*

88. *In hostias pacificorum, boves viginti quatuor: arietes sexaginta, hirci sexaginta, agni anniculi sexaginta. Hæc oblata sunt in dedicatione altaris, quando unctum est.*

89. *Cùmque ingrederetur Moyses Tabernaculum fœderis, ut consuleret oraculum, audiebat vocem loquentem ad se de Propitiatorio, quod erat super Arcam testimonii inter duos Cherubim, undè & loquebatur ei.*

Latinus Interpres sensum sequitur, cùm dicit, *ut consuleret oraculum*. Fons habet, *ut loqueretur cum eo*, nempe Moyses cum Deo; cujus audiebat vocem, quasi exeuntem ex הכפרת *hachaphoreth*, id est, de operculo Arcæ, quod erat inter Cherubim. De hocce Oraculo fecimus sermonem.

SECTIO VI.

Postquàm Tabernaculum dedicatum est, non licuit extra illud sacrificia offerre. An totum ministerium, an pars tantùm ejus in deserto exerceri cœperit.

PRotulimus suprà leges Dei de non sacrificando extra Tabernaculum, cùm absolutum fuisset. Ubi ergo perfectum est, & Moyses illud erexit & dedicavit, ab hac die tenebantur omnes Israëlitæ ad ejus ostium adducere victimas, quæ intra ejus atrium mactabantur: earum sanguine imbuebatur altare æreum, & membra & adipes comburebantur igne, qui semper ardebat in altari. Sunt verò inter Christianos, qui existiment, eo tempore, quo Arca & Tabernaculum in terrâ Israëliticâ ad diversa loca migrarunt, licitum fuisse sacrificare in excelsis. Gedeon, Judicum 6. 26. ex jussu Dei ædificavit altare, in quo obtulit holocaustum. Antequàm Salomon ædificasset templum, *populus immolabat in excelsis*, ut dicitur 3. Reg. cap. 3. 2. quæ tamen templo exstructo prohibita fuerunt. Deus dat illud

mandatum Deuter. 12. 2. *Subvertite omnia loca in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, Deos suos super montes excelsos, & colles, & subter omne lignum frondosum.* Sacrificia ibi fieri imperat Deus in loco quem elegerit, scilicet in Tabernaculo, quanquam elegerit aliquando hunc illumve singularem locum; quod legem generalem non destruit. Stante templo Elias in monte Carmelo sacrificavit 3. Reg. 8. 9. sed jubente, aut probante Deo id fecit. De excelsis Judæi, inquit Adrianus Relandus, ita statuunt, ea licita quidem fuisse ante exstructum Tabernaculum, sed hoc exstructo illicita, donec in Galgal pervenerunt, quando castra Tabernaculum cingere desierunt; deinde cùm in Schilo per annos trecentos sexaginta tres esset Tabernaculum, & quies Israëlitis concessa, excelsa iterum illicita fuisse. Postea cùm Tabernaculum in Nob & Gibeon esset per quinquaginta septem annos licita fuisse, sic ut in Nob & Gibeon excelsum populi totius. 2. Paralip. 1. 2. donec templum Hierosolymitanum usum excelsorum abolevit. Postea id etiam piis Regibus, qui excelsa non subverterint datum vitio est, ut Joæ 4. Reg. 12. 2. *Fecitque Joas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Joiada Sacerdos.* 3. *Verumtamen excelsa non abstulit: adhuc enim populus immolabat & adolebat in excelsis incensum.*

Protinus quærere decet an, sicut ministerium, quod explicatum est, prohibitum erat exercere extra Tabernaculum, pariter & jussum sit illud intra exerceri, statim à die quo erectum & dedicatum est; ita ut in deserto cœperint Sacerdotes & Levitæ protinus omnia sua munera obire. Frustra sacrificia præscripsisset Deus perficienda ab Aarone, qui mortuus in deserto, illa non implevit. Dici quidem posset, neque enim ulla mihi sedet certa satis sententia, Aaronem intelligendum omnem summum Pontificem; ut quæ statuuntur illius munia & jura in posterum, ab alio non possint impleri, quàm ab eo qui pariter legitimus esset summus Pontifex.

Altero loco quantumvis expressis verbis lex exprimatur, & tempus, quo adimplenda, non sequitur semper reipsà statim adimpletam. Etenim lex de circumcisione nullam videretur pati dilationem. Gen. 17 12 *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris.* Et paulo post: *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.* Attamen totis his quadraginta annis, quibus Israëlitæ in deserto peregrinati sunt, nullus ex his, qui post exitum ex Ægypto nati sunt, carnem circumcisam habuêre, & expressè dicit Josue capite 5. 4. *Omnis populus, qui egressus est de Ægypto generis masculini, universi bellatores viri, mortui sunt in deserto per longissimos viæ circuitus.* 5. *Qui omnes circumcisi erant, populus autem qui natus est in deserto*, 6. *per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis incircumcisus fuit.*

Non ergo ex verbis quantumvis expressis legum, quæ spectant ritus, colligi potest illos observatos à filiis Israël tempore peregrinationis suæ, puta legem Paschatis observatam à secundo anno post exitum ex Ægypto, quo celebratum fuisse claré indicat Moyses, Numer. 9. 1. *Locutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai, anno secundo postquàm egressi sunt de terrâ Ægypti, mense tertio, dicens:* 2. *Faciant filii Israël Phase in tempore suo.* 3. *Quartâ decimâ die mensis hujus ad vesperam, juxta omnes ceremonias & justificationes ejus.* Ibidem loquens Deus de secundo Paschate, sive de illo quod secundo mense fiebat ab his qui ob aliquam immunditiem impediti fuerant quominùs facerent primo mense, sic præcipit. *In mense secundo, quartâ decimâ die mensis ad vesperam cum azymis & lactucis agrestibus comedent illud.* Sed non videntur Israëlitæ hunc ritum servasse, comedisse cum azymis panibus, si quidem tunc manna pluebat; nec pane vescebantur. Initio secundi anni peregrinationis suæ nondum deerant agni celebrando Paschati; abduxerant enim secum oves. Præcipuas ergo leges Paschatis servare potuêre; sed non ita fuit de sequentibus annis quibus peregrinati sunt in deserto. Non omnes poterant, si quidem plerique incircumcisi; quibus non licebat gustare de Paschate. Idcircò Josuë circumcidit Israëlitas omnes in Galgalis cap. 9. 10. antequàm Pascha celebraret. *Manseruntque filii Israël in Galgalis, & fecerunt Phase, quartâ decimâ die mensis ad vesperum in campestribus Jericho. Et comederunt de frugibus terræ die altero, azymos panes, & polentam ejusdem anni.*

Nempe altero die Paschatis, sive sequenti die manducaverunt de oblatis novis frugibus, quarum manipulus oblatus fuerat Deo juxta legem; quæ, ut videtur, non absolutè fuerat observata superioribus annis à Paschate montis Sinaï. Ideò cùm in quarto Regum cap. 23. 22. significatur Pascha celebratum secundùm omnes ritus in lege præscriptos, statim subjicitur. *Nec enim factum est Phase tale à diebus Judicum, qui judicaverunt Israël, & omnium dierum Regum Israël, & Regum Juda.* Josuë judicavit Israëlem. Scriptor autem hujus libri non nominans ulteriora tempora relinquit cogitandum singulis annis; quibus erraverunt in deserto, Israëlitas non celebrasse Pascha.

Id vix potuissent singulis annis. Cùm enim tanto numero essent plusquàm sexcenta millia, qui arma ferre possent, & singuli agni per familias mactarentur, non poterant tot victimas reperire. Habebant quidem etiam in deserto pecora; oblati sunt à principibus populi boves qui traherent plaustra, quibus pars supellectilis Tabernaculi portabatur Numer. 7. & dum querebantur se in desertum deductos, in quo non erat aqua ad bibendum: inquiebant Numer. 20. 4. *Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem, ut & nos & nostra jumenta moriantur.* Et in eodem capite mentionem faciunt pecorum suorum. Petiêre à Rege Edom ut sibi liceret transire per terram ejus, dicentes: *per tritam gradiemur viam: & si biberimus aquas tuas nos & pecora nostra, dabimus quod justum est.*

Quidquid sit, in fine quadraginta annorum peregrinationis, cùm jam inducendi essent Israëlitæ in terram promissam; providit Deus agnos Paschati celebrando primo, statim ac ingressi sunt in hanc terram. Antequàm moreretur Moyses, jussus est filios Israël ulcisci de Madianitis. Victoriam de illis retulit, & occidendos præcepit omnes mares, tum & fœminas, si quidem illæ deceperant filios Israël ad suggestionem Balaam. Numer. 31. 32 *Fuit autem præda, quam exercitus ceperat, ovium sexcenta septuaginta quinque millia.* 33. *Boum septuaginta millia.* Sic providit Deus ut greges non deessent ad sacrificia, quæ statim ac pervenerunt in terram promissam, obtulerunt Deo. Pugnavit Israël contra Madianitas paucis diebus ante mortem Moysis duodecimo mense, nempe in fine quadragesimi anni ab exitu ex Ægypto. Sic Israëlitæ ingressi sunt in terram Chanaan initio anni sequentis, decimâ enim quartâ die primi mensis celebraverunt Pascha.

Omnia quæ mandaverat Deus, & in deserto fieri poterant, crederem facta ab Israëlitis: puta, oblatum ab illis juge sacrificium mane & vespere. De panibus propositionis res incerta est; neque enim ex manna videtur hosce panes potuisse confici,

aut cur conficerentur, causam fuisse; hisce enim vescebatur Aaron; *Eruntque Aaron & filiorum ejus, ut comedant eos in loco sancto*, dicit Moyses Levitici 24. Sacerdotes autem sicut laici non alio pane quam manna utebantur. Frustra ergo, inquiet aliquis, dicuntur illi panes pertinuisse ad Aaronem, qui mortuus est in deserto, & nunquam degustavit eos. Per Aaronem intelligi posse summos Sacerdotes, qui illum sequentibus sæculis repræsentaverunt, superiùs innui. Igitur opinari liceret legem de panibus propositionis non executioni mandatam in deserto; quod & sentire licet de ritibus etiam præcipuarum solemnitatum. Scriptura non alterius Paschatis mentionem facit in deserto post illud in monte Sinaï celebratum. Festum Tabernaculorum cur celebraretur, nulla causa erat; quod ideò institutum fuit ut sequentibus sæculis Israëlitæ recordarentur tentoriorum deserti; ita quæ de hoc festo mandat Deus servanda, Levit. 23 pertinent ad tempus cùm obtinuissent sedes quietas, & haberent domos ad habitandum. *Tunc*, inquit Deus 42. *& habitabitis in umbraculis septem diebus, omnis qui de genere est Israel; manebit in tabernaculis*: 43. *Ut discant posteri vestri quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israël, cùm educerem eos de terrâ Ægypti. Ego Dominus Deus vester.* His diebus, quibus peregrinabantur in deserto, & erant sub tentoriis, non opus erat ut ad rei præsentis recordationem aliquâ solemnitate excitarentur.

Quid statuendum sit de sacrificiis docet nos Propheta Amos. Alloquitur Judæos qui confidebant in sacrificiis suis, & ex illis sperabant se fore Deo gratissimos. Hoc argumento confutat, quòd cessaverint sacrificia in deserto, nec illa requisiverit Deus, quem sic loquentem inducit 5. 25. *Numquid hostias & sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis?* Vocantur hîc quadraginta anni, cùm fuerint tantùm triginta octo, & aliquot menses; nam secundo anno ab egressu ex Ægypto erectum est Tabernaculum & dedicatum, in cujus dedicationis die Judæi obtulerunt victimas, deinde verò nullas, vel raras; inquit Cornelius à lapide ad hunc locum. Hi ergo duo anni ex quadraginta substrahendi sunt; sed solet Scriptura integros numeros consignare, etiamsi illis aliquid desit, vel supersit. A diebus dictæ dedicationis, sive post caput 10. Levitici in toto reliquo Levitico, Numeris, & Deuteronomio nusquam legimus, eos sacrificasse, ait idem Cornelius citans varios auctores, qui ita senserint.

Stephanus Protomartyr in Actis 7. 42. allegat huncce locum Prophetæ Amos: *Nunquid victimas & hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israël?* Sunt qui hæc per modum interrogationis dicta accipiunt, quasi dixerit: Non mihi, sed idolis vestris obtulistis. B. Hieronymus opinatur sacrificia, quæ in deserto obtulit Israël, non Deo obtulisse, sed Moloch Regi suo. *Ex eo tempore*, inquit, *quo aurum in caput vituli transformarunt, dicentes: Isti sunt Dei tui, Israël, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti: omnia quæ fecerunt, non Deo, sed idolis fecisse monstrantur.* In confirmationem suæ interpretationis allegat Hieronymus quæ sequuntur in Prophetâ. 26. *Et portastis Tabernaculum Moloch vestro, & imaginem idolorum vestrorum sidus Dei vestri.* Stephanus verò: *Et suscepistis Tabernaculum Moloch, & sidus Dei vestri Rempham, figuras, quas fecistis adorare eas.* Id est, inquiunt qui cum Hieronymo sentiunt: non meum, sed idoli Moloch Tabernaculum, & cultum suscepistis. Jam indè ab initio Synagogæ vos, o Israëlitæ, coluistis idola in deserto, & exinde nunquam ab eorum cultu plane recessistis.

Propheta & Stephanus percurrunt Judaïcam historiam, ex quâ sumunt argumenta adversùs Judæorum perfidiam. Hebræi coluerunt Moloch extra desertum in terrâ sanctâ, uti fecit Salomon 3 Regum 11. 5. *Sed colebat Salomon Astarthen Deam Sidoniorum, & Moloch Deum Ammonitarum.* Quo tempore idolum & cultum Moloch acceperint non hujus est loci investigare. Non id ab illis factum videtur, nisi sub finem peregrinationis in deserto, cùm anno mundi 2553. fornicati sunt cum filiabus Moab, qui Ammonitarum vicini erant. Numer. 25. 1. Falsum est Israëlitas post adorationem vituli non ampliùs obtulisse sacrificia. Eos mox pœnituit, Deoque reconciliati sunt; qui cum eis fœdus iniit, ac Tabernaculum sibi dedicari jussit anno secundo ab exitu ex Ægypto mense primo. In hac autem dedicatione constat multas oblatas victimas, ut videre est, Exod. 40. Levit. 9 Numer 7 credibile est reliquo tempore peregrinationis verùm in deserto, post Tabernaculi dedicationem, & consecrationem Aaronis & filiorum ejus in Sacerdotes nullum fuisse factum solemne sacrificium, sicut non facta circumcisio.

SECTIO VII.

De ministerio Tabernaculi, diurno, septiduo, menstruo, & extraordinario.

Ampla dicendi seges ministerium Tabernaculi, si omnia, quæ illud spectant, congerenda essent; sed cùm majori apparatu & pompâ hocce ministerium in templo perageretur, & quale tunc in illo fieret, codices sacri qui post Davidica tempora scripti sunt frequentiùs loquantur: visum non omnem hîc effundendum esse sermonem de hocce ministerio. Exponam illud quale Moyses in suo Pentateucho præscripsit; & breviter perstringens, quæ satis aperta sunt, initium ducam à ministerio quotidiano; loquar primùm de jugi sacrificio duorum agnorum, quod Deus mandat sibi offerri. Numer. 27. 3. *Hæc sunt sacrificia, quæ offerre debetis: agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum.* 4. *Unum offeretis mane, & alterum ad vesperum.* Cùm in holocaustum comburerentur agni, necessarium erat ut primùm Sacerdotes struerent ignem; quod præcipitur in Levitico, 1. 7. *& subjicient in altari ignem, strue lignorum ante compositâ.* Cura his incumbebat ne deficeret ignis in altari; quod præcavet Deus Levit. 6. 12. *Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet Sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies, & imposito holocausto desuper adolebit adipes pacificorum. Ignis est iste perpetuus qui nunquam deficiet in altari.* Prius Sacerdotes satagebant tollere cineres ex altari & efferre extra castra; cum isto apparatu *Vestietur tunicâ Sacerdos & feminalibus lineis: tolletque cineres quos vorans ignis exussit, & ponens juxta altare, spoliabitur prioribus vestimentis, indutusque aliis; efferet eos extra castra, & in loco mundissimo usque ad favillam consumi faciet.*

Bis die mane vesperique in aureo altari fiebat suffimentum; quâ horâ & lucernæ componebantur: quæ duo ministeria conjungebantur, ut si ex purgamento lucernarum malus odor oriretur, hunc statim dispelleret thymiama. Exod. 30. 36 Deus Moysen compellat *Ponesque altare contra velum, quod ante Arcam pendet testimonii, coram Propitiatorio; quo tegitur testimonium ubi loquar tibi. Et adolebit incensum super eo Aaron, suave fragrans mane. Quando componet lucernas, incendet illud; & quando collocabit eas ad vesperum, uret thymiama sempiternum*

coram

coram Domino in generationes vestras. Ista fiebant singulis diebus

Singula sabbata habebant certum sacrificium. Num 37. 9. *Die autem sabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos, & duas decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio, & liba quæ ritè funduntur per singula sabbata in holocaustum sempiternum.* Ad ministerium sabbati pertinet panum propositionis mutatio. Singulis sabbatis veteres amovendi erant, inferendi novi. Levit 26. v 8. *Per singula sabbata mutabuntur coram Domino suscepti à filiis Israël fœdere sempiterno.*

Initio mensis, quod Latinus Interpres appellat Calendas, Hebræi novum mensem, Græci Neomeniam, offerebatur peculiare sacrificium. Numer. 28.

11. *In Calendis autem offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos septem immaculatos.*

Ut huicce legi parerent Judæi, observabant multâ religione initium mensis, scilicet quâ die & horâ nova luna inciperet apparere. Hancce religionem exponemus ubi deditâ operâ agemus de Kalendario Hebræorum. Diligenter tunc disseremus de festis eorum annuis; quæ nimirum per singulos annos certis diebus mensis recurrerent. Quapropter hîc omittam ministerium annuum; ne bis agam de eodem. Etenim ipsa festorum annuorum institutio proferenda erit ex sacro codice; cujus ergo verba non decet huic loco inserere.

Protinus expediam ministerium extraordinarium; intelligo illud quod fieret in mundatione puerperæ, & lepræ. Supersedebo ista explicare fusioribus verbis. Satis enim explicantur in lege; quæ aperta est circa hæc sacrificia. In Levitico capite duodecimo continetur lex de puerperæ immunditiâ, & mundatione ejus postquàm dies purificationis ejus impleti fuerant; multis enim diebus, quorum numerus præscribitur, abstinebat à sacris locis. Deferebat ad ostium Tabernaculi agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ sive turturem pro peccato. Si non haberet agnum offerebat duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccato. In capitibus Levitici 13. & 14. agitur de leprâ quomodo cognosci possit, sive in homine, sive in vestimento ejus; & sit expianda. Hæc quidem ministerium Tabernaculi spectant, sed duo longiuscula capita non exscribam, quæ quisque habet in Bibliis. Seminiflui viri, & menstruosæ mulieris expiatio est de extraordinario ministerio; quæ legitur in capite 15. Ita de lege Zelotypiæ & de aquis amaris, quibus potabatur uxor suspecta crimine adulterii. Explorabatur coram Domino a Sacerdote ad quem adducta fuerat; ita res transigebatur in Tabernaculo. De istis aquis amaris multa dici possent, & dicuntur a Judæis. Non ista a me, Lector requirit, nec interest illius plura de his scire quàm quæ leguntur in sacro codice. Eâ de causâ prætermittam aquas expiationis quæ fiebant ex cinere vaccæ rufæ; quâ variæ immunditiæ purgabantur. Modus quo fierent proponitur 9. Numerorum.

SECTIO VIII.

De gloriâ Tabernaculi, de Israëlitarum ad illud concursu, de eorum circa illud religione, de eorum in eo stationibus, & solemnibus epulis.

TAbernaculum tot tantisque præfulgebat miraculis, & ex eo gratiæ manabant tam abundantes, ut par sit credere Israëlitas perpetuâ erga illud commotos fuisse admiratione & religione excitatos, ut quàm minimùm ab eo abessent, crebrius ad illud reverterentur, frequentes concurrerent, diutiùs in atriis ejus starent. Videbant per diem, cùm sol dispellit nubes calore suo & omnia adurit, tentorium, sub quo Arca, protegi nube; quæ inter noctis tenebras lucida micabat. Nunquam aliud miraculum fuit magis insigne; certè non aliud diuturnius; duravit enim toto tempore quo Israelitæ per quadraginta annos erraverunt in deserto. Ignis delapsus è cælo ad vorandas holocaustorum carnes, fuit conspicuum miraculum, sed non perpetuum. Etenim, si ignis ille cælestis semper incendisset victimas, non alio perpetuo igne fuisset opus. Res etiam mira commercium Pontificis cum Deo quem consulebat in Tabernaculo de negotiis tum religionis, tum reipublicæ. Compellatus autem Deus respondebat voce, quæ exiens de medio Propitiatorio inter Cherubinos, pulsabat aures Pontificis; cujus & ipsum rationale edebat oracula certa, semper eventu confirmata. Res occultæ, facinora, nulli nisi conscio nota patefiebant Pontifici, ubi applicaverat suum Ephod, cui superadditum rationale. Hæc & alia; aquæ enim Zelotypiæ, quarum modò mentionem faciebamus, adulteræ mulieri nocentes, innocenti innoxiæ; magnum quoque & certum miraculum erat. Neque enim nocebant propter aliquod malum virus, quod illis à Deo [illegible] non inditum esset. Non igitur mirum est maximam fuisse Israëlitarum religionem in Tabernaculum, ut nihil illis esset aut religiosum, aut volupe magis, quàm illud frequentare, in eo lætari, stare, festos dies agere. Tum & id præcipiebat Deus; nam omnes Israelitæ, ubi attigerant ætatem, quæ idonea est itineri carpendo, tenebantur coram Deo apparere, nimirum adire locum ubi erectum esset Tabernaculum; & id ter in anno, in tribus festis solemnibus. Mandatum Dei expressum est Exod. 23. a quo jussu Israëlitas ore Moysis [illegible]

14. *Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis.*

15. *Solemnitatem azymorum custodies. Septem diebus comedes azyma sicut præcepi tibi, tempore mensis novorum, quando egressus es de Ægypto. Non apparebis in conspectu meo vacuus.*

16. *Et solemnitatem mensis primitivorum operis tui; quæcumque seminaveris in agro. Solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro.*

17. *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo.*

Hæc lex iteratur in Exodo 34. 23. & in Deuteron. 16. ubi non nominatur Tabernaculum, sed locus quem electurus erat Dominus. Liber enim Deuteronomii interpretamentum est Mosaicæ legis; ita significabat Deus Tabernaculum non fore perpetuum; & templum condendum in aliquo loco quem erat electurus. Non quidem præcipiebatur mulieribus ut cum masculis concurrerent ad Tabernaculum, sed nec excluduntur. Exempla docent pariter à fœminis, imo & virginibus frequentatum, quæ cum multâ lætitiâ, in choro, in canticis templum adibant; ut faciebant Siluntinæ virgines, quas Benjaminitæ rapuerunt sibi in uxores. Licet enim interpretari has virgines non alias fuisse, quàm Israëlitidas ex omni tribu, quæ ideò Siluntinæ appellantur, quia religionis ergo petebant Siluntem, ubi tunc Tabernaculum, vel ex hoc loco revertebantur domum suam. Harum historia legitur in Judicibus 21. 21. Cùm ferè tota Benjamitica tribus internecione periisset, qui ex hac tribu supererant, petierunt ut ex aliis tribubus sibi darentur

uxores. Non poterant cæteri Israëlitæ annuere postulatis eorum, adstricti juramento & maledictione quâ dixerant: *maledictus qui dederit de filiabus suis uxorem Benjamin.* Quid ergo Benjaminitis responderunt Israëlitæ?

19. *Ecce solemnitas Domini est in Silo anniversaria, quæ sita est ad septentrionem urbis Bethel, & ad orientalem plagam viæ, quæ de Bethel tendit ad Sichimam, & ad meridiem oppidi Lebona.*

Instabat dies festus in quo Israëlitæ veniebant ad Tabernaculum, & ideò plures virgines hùc conveniebant. Per Siluntinas virgines non intelligi possunt solæ quæ incolebant Siluntem, quæ plerisque aliis anni diebus poterant urbe egredi & lætari in agris vicinis de more virginum. Hæc ergo spectant omnes quæ festo tempore religionis ergo Siluntem veniebant.

20. *Præceperuntque filiis Benjamin, atque dixerunt: ite & latitate in vineis.*

In viâ quâ scitis transituras virgines Siluntinas, quæ eunt Siluntem, vel Silunte redeunt.

21. *Cùmque videritis filias Silo ad ducendos choros de more procedere, exite repentè de vineis, & rapite ex eis singuli uxores singulas, & pergite in terram Benjamin.*

Cùm videritis virgines euntes ad choreas agendas in choris. Chori sunt tripudiationes, saltationes cum tibicinibus, cum canticis, quales duxit Maria Prophetissa in Exodo cap. 15. 20. *Sumpsit ergo Maria Prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu suâ: egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris.* Similiter mulieres, cùm David reversus est à pugnâ cum Goliath, 1. Reg. 18. ibant in occursum David & Saül cantantes, chorosque ducentes in tympanis lætitiæ & sistris.

Non dubitandi locus est quin virgines, & totus comitatus Israëlitarum qui adibat Tabernaculum, iter facerent lætantes; sed potior earum lætitia erat, cùm pervenerant ad metam. Etenim in atriis Domini lætandum erat ex ipsâ Dei lege Deuter. 18. 15. *Septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis, in loco quem elegerit Dominus: benedicetque tibi Dominus Deus tuus in cunctis frugibus tuis, & in omni opere manuum tuarum, erisque in lætitiâ.*

16. *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, &c.*

Cùm solemnibus hisce diebus omnes convivia agitarent, Samüel, vel alius Scriptor primi Regum, causam quærit cur Elcana maritus Annæ tristis esset in hoc convivio quod describitur 1. Reg. 1. scilicet Anna una ex uxoribus ejus erat sterilis; & indè illi causa tristitiæ.

3. *Et ascendebat vir ille de civitate suâ statutis diebus, ut adoraret & sacrificaret Domino exercituum in Silo. Erant autem ibi duo filii Heli; Ophni & Phinees, Sacerdotes Domini.*

Ascendebat, id est, ascendere solebat, *de die in dies*, ut habet fons, id est, singulis annis, prout præceperat Deus quemque Israëlitam apparere coram Deo, id est, sistere se ad Tabernaculum, quod tunc temporis erat in Silo.

4 *Venit ergo dies & immolavit Elcana, deditque Phenennæ uxori suæ, & cunctis filiis ejus, & filiabus partes.*

Cùm advenisset dies festus, juxta legem obtulit sacrificium; & mactavit, quod laicus faciebat: sed sanguis victimæ ad pedem altaris effundebatur à Sacerdotibus. Quorumdam sacrificiorum pars cedebat offerentibus, quæ in loco sancto erat comedenda. Non indicat Scriptura de quo festo hîc agatur. Sacræ etiam epulæ fiebant in loco sancto ex secundis decimis; quæ vendi poterant, ut pretium his epulis impenderetur. Deut. cap. 14. cùm scilicet longior erat via, nec omnia portari poterant, vendebantur. 25. *Vendes omnia & in pretium rediges, portabisque manu, & proficiscêris ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus.* 26. *Et emes ex eâdem pecuniâ quidquid tibi placuerit, sive ex armentis, sive ex ovibus, vinum quoque & siceram; & omne quod desiderat anima tua.* 27. *Et comedes coram Domino Deo tuo, & epulaberis tu & domus tua:* 28. *& Levita, &c.*

Quod & iteratur in capite 16. v. 11. *Et epulaberis coram Domino Deo tuo, tu, filius tuus, filia tua, servus tuus, & ancilla tua, & Levites, &c.* De illis epulis sermo est in eo loco in quo versamur. 5. *Annæ autem dedit partem unam tristis, quia Annam diligebat. Dominus autem concluserat vulvam ejus.*

Unam tantùm dabat portionem Annæ, si quidem non habebat sobolem, in quam plures portiones divideret; & hæc erat causa cur Elcana istam portionem tristis daret. Ab his epulis decebat amoveri omnem tristitiam; sed vincebat dolor, quòd Anna dilecta conjux careret prole. In fonte אפים *aphaim*, à voce אף *aph*, quæ idem sonat ac *ira, vultus, facies*, nusquam verò tristitiam. Igitur reddi posset locus iste באפים, *in iris*, sive vultu irato. Alii interpretantur *panem vultûs*, sive facierum, hoc est, partem spectabilem. Junius & Tremellius portionem duplam, sive duarum facierum; quia nunc cum punctis dualis numeri legitur nomen אפים. Clericus in eo loco intelligit מנה אחת אפים *manah ehhath apphaim* partem unam facierum, hoc est, tantam, ut convivæ apponi posset. Ista autem Anna preces suas coram Deo tam ardenter effundebat, ut Sacerdoti magno Heli ebria videretur; quod sequenti capite dicam fusiùs; & versus, quos hîc prætermitto, singulos exponam. Cùm autem Anna obtinuisset prolem, nimirum Samüelem, addixit eum Tabernaculo, his verbis Sacerdotem magnum allocuta.

27. *Pro puero isto oravi, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulavi eum.*

28 *Idcircò & ego commodavi eum Domino, cunctis diebus quibus fuerit commodatus Domino.*

LXX. Κἀγὼ κιχρῶ αὐτὸν τῷ Κυρίῳ πάσας τὰς ἡμέρας ἃς ζῇ αὐτὸς, χρῆσιν τῷ Κυρίῳ. *Et ego commodo eum Domino, omnes dies, quos ipse vivit, commendationem Domino.* Ita Samuel mansit addictus Deo in Tabernaculo. Certè erat è tribu Leviticâ; legitur enim 1. Paralip 6. 33. de filiis Caath, Heman cantor filius Johel, filii Samuel, filii Elcana, filii Joroham; quæ genealogia adstruitur initio capitis in quo versamur. Ergo discrimen Samüelis à cæteris Levitis fuit quòd semper ministraverit, & ante legitimam, sive consuetam ætatem Statim ac ablactatus est, deduxit eum mater ad Tabernaculum, cap 11.

18 *Samüel autem ministrabat ante faciem Domini, puer accinctus Ephod lineo.*

19. *Et tunicam parvam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus, ascendens cum viro suo ut immolaret hostiam solemnem.*

Afferebat tunicam à diebus in dies, id est, quoties revertebatur ad solemnitatem. Non quidem semper tunicam omninò novam, sed quæ mundior facta fuisset. Jam innuimus religiosas aliquas mulieres non discessisse ex Tabernaculo, in quo pia munia videntur exercuisse.

22. *Heli autem erat senex valdè, & audivit omnia quæ faciebant filii sui universo Israëli, & quomodo dormiebant cum mulieribus quæ observabant ad ostium Tabernaculi.*

Mulieres illæ dicuntur צבאות *tsabeoth*, id est, turmatim convenientes, vel militantes, sive more mi-

nuum agentes excubias ad ostium Tabernaculi nocte diuque. Cubabant ergo non quidem in Tabernaculo, sed in atriis, sive atriorum cellis, quibus tunc circumdatum est Tabernaculum, cùm in Silo fixum fuit, ut modò evincemus. Tales cellas in templo Salomon construxit, in quibus degebant pii Israëlitæ, hi potissimùm, qui dicebantur stationarii. Inter viros autem consecratos Deo, numerandi Nazaræi, de quorum consecratione sermo est in Numeris capite 6. Erant & mulieres Nazaræ.

2 *Vir, sive mulier, cùm fecerint votum ut sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare,*

Se separare ut toti sint Deo.

3. *à vino & omni quod inebriare potest abstinebunt. Acetum ex vino, & ex qualibet aliâ potione, & quidquid de uvâ exprimitur, non bibent: uvas recentes siccasque non comedent*

4. *cunctis diebus, quibus ex voto Domino consecrantur; quidquid ex vineâ esse potest, ab uvâ passâ usque ad acinum non comedent.*

5 *Omni tempore separationis suæ novacula non transibit per caput ejus, usque ad completum diem, quo Domino consecratur. Sanctus erit, crescente cæsarie capitis sui.*

Cætera legantur in codice; neque enim omninò ista pertinent ad locum, quem tractamus. Saltem non omnes Nazaræi astricti erant Tabernaculo. Samson, ut videre est in Judicibus 13. 5 Fuit Nazaræus Dei ab infantiâ suâ; & tamen non videtur frequentiùs commoratus in Tabernaculo. Locus disserendi de Nazaræis iterùm erit.

CAPUT XI.

De translatione Tabernaculi per omnes deserti mansiones. Quibus in portentis in terram Chanaan inductum est: Quas dispositiones habuit postquàm ibi fixum est. De benedictione Sacerdotali, quâ dimittebantur qui ad illud convenerant.

SECTIO I.

Israëlitæ non movebant castra, nisi motâ nube quæ incubabat Tabernaculo; quod portaverunt secum per omnes suas in deserto mansiones. Hac autem nube quiescente figebant Tabernaculum; ita ad imperium Dei carpebant iter aut sistebant. Tandem cum Tabernaculo ingrediuntur terram Chanaan.

STatim ac erectum est Tabernaculum incubuit nubes super illud, quæ immota erat usque dum Deus significaret castra esse movenda, aut figenda. Numer. 9.

15 *Igitur die quâ erectum est Tabernaculum, operuit illud nubes. A vespere autem super tentorium erat quasi species ignis usque mane.*

Tabernaculum opertum erat pluribus tapetibus. Super extimum incubabat nubes quæ totâ nocte speciem columnæ igneæ habebat.

16. *Sic fiebat jugiter: per diem operiebat illud nubes, & per noctem quasi species ignis.*

Columna illa semper conspicua erat; ignis enim magis lucet in tenebris, & in luce magnâ obscuratur. Quod obscurum est in loco qui lumine collustratur, facilè advertitur.

17 *Cùmque ablata fuisset nubes, quæ Tabernaculum protegebat, tunc proficiscebantur filii Israël, & in loco ubi stetisset nubes, ibi castra metabantur.*

18. *Ad imperium Domini proficiscebantur & ad imperium illius figebant Tabernaculum. Cunctis diebus, quibus stabat nubes super Tabernaculum, manebant in eodem loco.*

19. *Et si evenisset ut multo tempore maneret super illud, erant filii Israël in excubiis Domini, & non proficiscebantur.*

Quiescebant veluti milites in statione, ex Dei præstituto.

20 *Quot diebus fuisset nubes super Tabernaculum. Ad imperium Domini erigebant tentoria, & ad imperium illius deponebant.*

21. *Si fuisset nubes à vespere usque mane, & statim diluculo Tabernaculum reliquisset, proficiscebantur: & si post diem & noctem recessisset, dissipabant tentoria.*

Tentoria quisque sua privatus Israëlita dissipabat, colligebat tanquam iter facturus.

22 *Si verò biduo, aut uno mense, vel longiori tempore fuisset super Tabernaculum, manebant filii Israël in eodem loco & non proficiscebantur: statim autem ut recessisset, movebant castra.*

23 *Per verbum Domini figebant tentoria, & per verbum illius proficiscebantur: erantque in excubiis Domini juxta imperium ejus per manum Moysi.*

Stabant expectantes signum itineris carpendi tanquam milites jussum Imperatoris, quod nomine Dei Moyses significabat. Post primam erectionem suam, quâ die Tabernaculum fuerit depositum declaratur in capite sequenti Numerorum; quod est decimum.

11. *Anno secundo, mense secundo, vigesimâ die mensis elevata est nubes de Tabernaculo fœderis.*

12. *Profectique sunt filii Israël per turmas suas de deserto Sinai, & recubuit nubes in solitudine Pharan.*

Venerant filii Israël in desertum Sinaï primâ die tertii mensis anni primi ab egressione ex Ægypto. Exod. 19. 1 Itaque mansit ibi Tabernaculum per undecim menses, & viginti dies. Cùm mota est nubes, & pariter moverunt castra Israëlitæ, quasi nube duce; quæ cùm quievisset in solitudine Pharan, & ibi castrametati sunt.

13 *Moveruntque castra primi juxta imperium Domini in manu Moysi.*

Quo ordine progrederentur Israëlitæ ibi Moyses explicat; de quo ordine plura diximus castra Israëlitarum exponentes. In eodem capite narrat Moyses quomodo cognatum suum Madianitem rogaverit se comitem hujusce profectionis adjungere. Postea concludit caput verbis sequentibus.

33 *Profecti sunt ergo de monte Domini viam trium itinerum, arcaque Domini præcedebat eos, per dies tres providens castrorum locum.*

34 *Nubes quoque Domini super eos erat per diem dum incederent.*

35 *Cùmque elevaretur arca dicebat Moyses: surge, Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tuâ.*

36 *Cùm autem deponeretur, aiebat: revertere, Domine, ad multitudinem exercitûs Israël.*

Psalmorum sunt initia, sive prima verba. Non vacat, nec necesse est mansiones Israëlitarum prosequi quas Moyses describit in ultimo capite Numerorum.

SECTIO II.

Tabernaculum inducit Josue in terram Chanaan. Ad Arcæ præsentiam Jordanis aquæ stitêre cursum suum & Israël pedibus illum transivit, & muri Jericho corruerunt. Josüe erexit altare eo in loco quem Moyses in Deuteronomio designaverat.

ISraëlitas in terram Chanaan quam Deus patribus eorum promiserat, induxit Josüe cum portentis, quæ enarrat in capite tertio libri, cui inscriptum est nomen ejus.

1. *Igitur Josue de nocte consurgens movit castra: egredientesque de setim venerunt ad Jordanem ipse & omnes filii Israël, & morati sunt ibi tres dies.*

Summo mane surrexit. Per illos autem tres dies sanctificavit populum, ut purus transiret aquas Jordanis. 2. Quibus evolutis, transierunt præcones per castrorum medium.

3 *Et clamare cœperunt: Quando videritis Arcam fœderis Domini Dei vestri, & Sacerdotes stirpis Leviticæ portantes eam, vos quoque consurgite, & sequimini præcedentes.*

Juxta fontem, *Et sequimini post eam.* Nescio undè irrepserit in Vulgat m illu *præcedentes.*

4. *Eritque inter vos & Arcam spatium cubitorum duorum millium: ut procul videre possitis, & nosse per quam viam ingrediamini, quia priùs non ambulastis per eam; & cavete ne appropinquetis ad Arcam.*

Puto Israelitas, cùm pervenissent ad Jordanem, & tribus diebus quievissent, postea secundùm Jordanem iter fecisse; sæpiùs retorquentes oculos ad Arcam, ut viam cognoscerent per quam ambularent, nempe quo loco transituri essent Jordanem siccis pedibus. Talem viam non prius ambulaverant; nam qui mare transierant omnes mortui fuerant in deserto.

5. *Dixitque Josue ad populum, sanctificamini; cras enim Dominus faciet inter vos mirabilia.*

Sanctificatio illa erat jam cœpta ex quo populus venerat ad Jordanem. Scilicet continuerant se ab uxoribus, & laverant vestimenta sua de more.

6. *Et ait ad Sacerdotes: tollite Arcam fœderis, & præcedite populum, qui jussa complentes, tulerunt & ambulaverunt ante eos.*

Nempe qui Arcam portabant, primi ingressi sunt Jordanem; quod non poterat facere populus nisi priùs fluvius cursum aquarum ad præsentiam Arcæ stitisset.

7. *Dixitque Dominus ad Josue: Hodie incipiam exaltare te coram omni Israël, ut sciant quod sicut cum Moyse fui, ita & tecum sum.*

Id ostendet miraculum quod ego hodie patraturus sum.

8. *Tu autem præcipe Sacerdotibus, qui portant Arcam fœderis, & dic eis: cùm ingressi fueritis, partem aquæ Jordanis, state in eâ.*

Statim ac Sacerdotes ingressi sunt *partem aquæ*, sive, ut in in fonte est, extremum fluminis, alii intelligunt ulteriorem ripam, alii citeriorem קצה *chitze* in genere denotat finem, extremitatem, ita intelligi potest ripa exterior, sive potiùs prima pars alvei, sive Jordanis, *state*; ad præsentiam enim Arcæ fluvius sistet cursum aquarum suarum, ut vos & populus transire possitis pedibus.

9. *Dixitque Josue ad filios Israël, accedite huc & audite verbum Domini Dei vestri.*

Excipite jussa mea. Qui secundùm Jordanem iter faciebant, facilè adverterunt ingressum Sacerdotum in Jordanem.

10. *Et rursum: in hoc, inquit, scietis quod Do-*
A *minus Deus vivens in medio vestri est, & disperdet in conspectu vestro Chananæum & Hethæum, Hevæum & Pherezæum, Gergesæum quoque & Jebusæum & Amorrhæum.*

11. *Ecce Arca fœderis Domini omnis terræ antecedet vos per Jordanem.*

Forsan totâ eâ parte Jordanis, quâ secundùm ejus ripam citeriorem dispositus erat exercitus Israël, aquæ siccatæ sunt; & transitum præbuerunt.

12. *Parate duodecim viros de tribubus Israël singulos per singulas tribus.*

Ad eligendos & portandos duodecim lapides, qui in monumentum essent; de quibus postea loquitur Josue.

Et cùm posuerint vestigia pedum suorum Sacerdotes
B *qui portant Arcam Domini Dei universæ terræ, in aquis Jordanis, aquæ quæ inferiores sunt, decurrent atque deficient; quæ autem desuper veniunt, in unâ mole consistent.*

Conspicuum fuit miraculum.

14. *Igitur egressus est populus de tabernaculis suis, ut transiret Jordanem, & Sacerdotes qui portabant Arcam fœderis, pergebant ante eum.*

Hoc contigit summo mane; itaque egressus est populus ex tabernaculis suis ut transiret Jordanem. Iter ingressi sunt aquas Jordanis, prout solebant, egressi de castris suis.

15. *Ingressisque eis Jordanem & pedibus eorum in parte aquæ tinctis (Jordanis autem ripas alvei sui tem-*
C *pore messis impleverat.)*

Jordanis enim, qui fluit ex Libano nive operto, intumescit cùm nives ejus calore solis æstivi resolvuntur.

16. *Steterunt aquæ descendentes in loco uno, & adinstar montis intumescentes apparebant procul, ab urbe quæ vocatur Adon, usque ad locum Sarthan: quæ autem inferiores erant in mare solitudinis, quod nunc vocatur mortuum, descenderunt, usquequò omninò deficerent.*

Ut miraculum majus esset, elegit Deus tempus illud exundationis. In eum autem cumulum surgebant aquæ, qui ex locis remotis facilè adverti posset.

17. *Populus autem incedebat contra Jericho, & Sa-*
D *cerdotes, qui portabant Arcam fœderis Domini, stabant super siccam humum in medio Jordanis accincti, omnisque populus per arentem alveum transibat.*

Transitus fiebat *contra Jericho*; נגד *neghed*, id est, coram, è regione Jericho. Verbum Hebræum עברו *auru*, in principio hujus versûs Latinus Interpres reddidit *incedebat*, elegantiæ causâ, quia in fine iterùm occurrit. Quid contigerit populo Dei post transitum Jordanis pergit Josue enarrare capite 9.

1. *Quibus transgressis, dixit Dominus ad Josue:*

2. *Elige duodecim viros singulos per singulas tribus:*

3. *& præcipe eis; ut tollant de medio Jordanis alveo, ubi steterunt pedes Sacerdotum, duodecim durissimos lapides, quos ponetis in loco castrorum, ubi fixe-*
E *ritis hac nocte tentoria.*

4. *Vocavitque Josue duodecim viros quos elegerat de filiis Israël, singulos de singulis tribubus,*

5 *& ait ad eos: ite ante Arcam Domini Dei vestri ad Jordanis medium, & portate indè singuli singulos lapides in humeris vestris, & juxta numerum filiorum Israël,*

6. *ut sit signum inter vos: & quando interrogaverint vos filii vestri cras, dicentes: quid sibi volunt isti lapides?*

7 *Respondebitis eis: Defecerunt aquæ Jordanis ante Arcam fœderis Domini, cùm transiret eum: idcirco positi sunt lapides isti in monumentum filiorum Israël usque in æternum.*

8 *Fecerunt ergo filii Israël, sicut præcepit eis Josue,* A
portantes de medio Jordanis alveo duodecim lapides, ut Dominus ei imperaverat, juxta numerum filiorum Israël, usque ad locum in quo castrametati sunt, ibique posuerunt eos.

9. *Alios quoque duodecim lapides posuit Josue in medio Jordanis alveo, ubi steterunt Sacerdotes, qui portabant Arcam fœderis: & sunt ibi usque in præsentem diem.*

Tanto miraculo perterritos incolas urbis Jericho, in quorum conspectu res gerebatur, invasit timor, ita ut nullus ex eâ egredi ausus sit, continentes se muris ejus; qui corruerunt postquàm per septem continuos dies, semel in die circum illos Arcam circumduxerant Sacerdotes; quam populus ar- B
matus præcedebat; & posteà revertebantur in castra sua. 14. *Die autem septimo diluculo consurgentes circuierunt urbem, 15. sicut dispositum erat, septies.* 16. *Cùmque septimo circuitu clangerent buccinis Sacerdotes, dixit Josue ad omnem Israël: Vociferamini; tradidit enim vobis Dominus civitatem.*

Mandavit Josue ut parceretur domui Rahab, quæ absconderat quos miserat ad explorandam terram. *Igitur omni populo vociferante & clangentibus tubis, postquàm in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illicò corruerunt: & ascendit unusquisque per locum, qui contra se erat, ceperuntque civitatem.*

Expugnavit Josue & urbem Haï; & post hanc C
victoriam progressus, ut ipse narrat capite 8. 30. *Tunc ædificavit Josue altare Domino Deo Israël in monte Hebal.* 31. *Sicut præceperat Moyses famulus Domini filiis Israël, & scriptum est in volumine legis Moysi: altare verò de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit, & obtulit super eo holocausta Domino, immolavitque pacificas victimas.* Præceperat Moyses in Deuter. 27. 4. *Quando ergo transieritis Jordanem, erigite lapides quos ego hodie præcipio vobis in monte Hebal, & lævigabis eos calce, & adificabis ibi altare Domino Deo tuo de lapidibus quos ferrum non tetigit.* Juxta illud mandatum, quando Josue pervenit ad montes Hebal & Garisim, scripsit verba legis super lapides. 8. 33. *Omnis autem popu-* D
lus, & majores natu, ducesque ac Judices stabant ex utraque parte Arcæ, in conspectu Sacerdotum qui portabant Arcam fœderis Domini, ut advena, ita & indigena. Media pars eorum juxta montem Garisim, & media juxta montem Hebal, sicut præceperat Moyses famulus Domini. Et primùm quidem benedixit populo Israël. 34. *Post hæc legit omnia verba benedictionis & maledictionis, & cuncta quæ scripta erant in legis volumine.* Scilicet denuntiavit bona quæ Israëlitis obtingerent, si parerent Deo, mala si detrectarent mandata ejus. Montes Hebal & Garisim vicini erant; ita idonei ut coram cœtu magno, inde benedictiones legis ex monte Garisim, ex altero monte Hebal maledictiones audirentur. Itaque secundâ E
vice lex quasi promulgata est, ut ipse loquitur.

35. *Nihil ex his quæ Moyses jusserat, reliquit intactum, sed universa replicavit coram omni multitudine Israël, mulieribus, & parvulis, & advenis qui inter eos morabantur.*

Quoad altare quod struxit Josue, præterquàm quod sic Moyses mandaverat, opinor hùc adductum Tabernaculum; & eum ante illud paraſſe altaria. Vidimus altare holocaustorum, quod æneum erat, ita factum ut transferri posset de loco in locum, & ideo fuisse cavum; ut pote de ligno, quod laminæ æneæ tegerent. Cùm sedes quietas Israëlitæ obtinuerunt, opus fuit altari, quod majus esset; & illud est quod Josue ædificavit ex impolitis lapidibus, sicut lex præcipiebat.

SECTIO III.

Tabernaculum cum Arcâ fuit primùm in Silo; indè postquàm à Philistæis capta, & reddita est, collocata fuit in Cariathiarim, quæ non est alia urbs, quàm Gabaon. Quis locus Masphath, in quo Jephte & Samuel congregaverunt Israëlitas.

Silo proxima erat montibus Hebal & Garisim. Itaque Josue elegit eam, in quâ figeret Tabernaculum cum Arcâ. Locus ille præsentiâ Dei clarus, ubi Deus sub imagine trium Angelorum apparuerat Abraham in quercetis Mambre. Genes. 18. *Et stabat juxta eos sub arbore.* Non definitur quæ sit arbor: in genere עץ *etz*, id est, *lignum*. De Jacob Genes. 35. 4. dicitur quòd defoderit idola comitum *subter terebinthum, quæ est post urbem Sichem.* Sub אלה quæ arbor Hebræis quercus est, Græcis LXX terebinthus. Hujus quercûs fit mentio c. 9. 6. Judic. *Constituerunt Regem Abimelech juxta quercum quæ stabat in Sichem.* אלון *elon* nominatur hæc arbor, quæ Hebræis est quercus. Hæc, inquam, quercus ideò creditur fuisse in ipso loco in Silo, ubi erectum est Tabernaculum. De Josue enim dicitur cap. 24. 26. quod tulerit prægrandem lapidem, posueritque subter quercum: In fonte אלה *quæ erat in Sanctuario Domini.* Ergo quercus illa erat in Silo. An eadem sub quâ Abraham exceperit convivio tres Angelos, non prorsus certum est; nisi quod, ut mox dicetur, Silo sita erat ad Septentrionem urbis Bethel, ubi & Deus visus fuerat Jacob, & ad orientem plagam viæ quæ ex Bethel tendit ad Sichimam; ubi Mambre.

De consilio autem omnium Israëlitarum Josue elegit Silo in quâ Tabernaculum Dei poneretur ut ipse declarat capite 18.

1. *Congregatique sunt omnes filii Israël in Silo, ibique fixerunt Tabernaculum testimonii, & fuit eis terra subjecta.* Judæi in libro quem inscribunt *seder olam*, id est, *Ordo sæculorum*, volunt non in Silo erectum Tabernaculum, nisi anno 14. postquàm ingressi sunt in terram. Nam, inquiunt, septem annis continuis pugnaverunt contra habitatores terræ, & per septem annos diviserunt terram; mansitque interim Tabernaculum in Galgala. Ista Chronologia valdè suspecta est Masio; quam expendere non est de instituto nostro. Situs Silo describitur Jud. 21. 19. *Ecce solemnitas Domini est in Silo anniversaria, quæ sita est ad septentrionem urbis Bethel, & ad orientalem plagam viæ quæ de Bethel tendit ad Sichimam & ad meridiem oppidi Lebona.*

Hæc urbs electa est, ut putat Josephus, quòd locus propter pulchritudinem visus sit idoneus, in quo tantisper maneret Tabernaculum, dum major commoditas ædificandi templi se præberet. Tostatus eam rationem reddit, quòd Josue esset de tribu Ephraïm; ibi ergo figi oporteret Tabernaculum, nempe in loco quem occupaverat ista tribus, ut Josue accuratiùs observari faceret omnia quæ ad sanctitatem Tabernaculi pertinebant. Ubique Josue adstruitur filius Nun de tribu Ephraïm. Num. 13. 9. ibi quidem nominatur הושע *Osee*; sed & hocce nomine eum appellat Moyses in Deuteronomio 32. 44. Conjicit Joannes Clericus honoris causâ postea aucto ejus nomine appellatum יהושע *Josüe*. Verbum הושע significat *serva*, יושע *servabit*. Mutatâ deinde inflexione, dictus est ישוע; undè pronuntiatione eo ævo receptâ, à LXX. Interpretibus Ἰησοῦς appellatus est.

Tabernaculum in Silo erat cùm viri qui supererant de tribu Benjamin, annuentibus cæteris tribu-

bus rapuerunt virgines Siluntinas; nempe virgines quæ de more ascenderant ad Tabernaculum Dei in Silo, aut in se domum revertebantur. Hanc historiam ex capite 21. libri Judicum protulimus supra & exposuimus. Mansit autem Tabernaculum in Silo usque ad tempora Helcanæ patris Samuelis, ut dicitur in primo Regum 1. 3. *Et ascendebat vir ille de civitate suâ statutis diebus, ut adoraret & sacrificaret Domino exercituum in Silo.* Imò in eâ urbe Tabernaculum mansit usque ad annum ultimum Heli Sacerdotis, quo bellum grave inferentibus Palæstinis misit populus in Silo, & tulerunt indè Arcam fœderis, & deduxerunt in locum quo prælium committebatur; sed victis fugatisque Israëlitis Arcam cepêre Philistæi; quod cum rescivisset Heli, sellâ suâ cecidit, & mortuus est. Arcam autem Philistæi duxêre per urbes suas; quibus multa mala per septem menses procreavit. Posuerant eam primùm Azoti in templo Dagon; cujus cùm idolum noctu corruisset; & restitutum in locum suum rursùm manè eversum coram Arcâ Azotii invenissent; & pariter cæteris urbibus fuisset causa morborum, tandem restituendam statuerunt, & novo plaustro impositam quasi commiserunt ducendam duabus vaccis quæ lactabant vitulos. Res miranda fuit, recto itinere eas perrexisse, viâ quæ duxit Bethsames oblitas vitulorum suorum, non declinantes neque ad sinistram, neque ad dextram. Philistæi concluserant domi illarum vitulos, ad quos vaccæ illæ sibi derelictæ procul dubio declinassent.

Cùm Arca reportaretur, incolæ urbis Bethsames, eò quòd eam vidissent, non cum debitâ religione percussi sunt à Deo; neque enim ipsi Levitæ, quorum humeris efferebatur, poterant eam tangere, nisi postquàm involuta esset velo à Sacerdotibus, ut dicitur in Numeris 4. 5. Igitur Bethsamitæ miserunt nuntios ad habitatores Cariath-iarim, ut Arcam ad se adducerent; qui venerunt & intulerunt eam in domum Abinadab. Hæc urbs mihi non alia videtur quàm Gabaa dicta collis Dei, id est, collis magni nominis; ubi tunc temporis residebat Arca. De hoc colle loquebatur cum Saüle Samuel 1. Reg. cap. 10 5. *Post hæc venies in collem Dei* גבעת אל האלהים *El gobeath haelohim, ubi est statio Philistinorum.* Sic Cariathiarim designari à Samuele vero verius est. In eâ urbe tunc temporis erat Arca Dei, & in dicto colle *Statio Philistinorum.* Milites stationarii, nempe præsidium. Nam tunc temporis Israëlitæ erant sub jugo Philistæorum. Ita ut illis neque lancea, neque gladius relinqueretur; neque enim illis licitum ullum opus ferreum conflare. Verisimile ergo est, sicut Romani præsidium imposuerant templo; ita & stationarios milites dispositos in loco, ubi Israëlitæ congregarentur frequentes. *Et cùm ingressus fueris ibi urbem, obvium habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso*, de *bama*, id est, de *vertice collis, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsosque prophetantes.* Qui nempe revertebantur ex aliquo solemni sacrificio ad quod ascenderant in choro, ut consuetum Israëlitis. Prophetæ illi erant viri musices periti, qui poterant pangere diversa cantica, & illa aptare instrumentis musicis.

Id quod dicimus, adstruitur in primo Paralip. 13. 5. *Congregavit ergo David cunctum Israël à Sihor Ægypti usque dum ingrediaris Emath, ut adduceret Arcam Dei de Cariathiarim. 6. Et ascendit David, & omnis vir Israël ad collem Cariathiarim qui est in Juda, ut afferret indè Arcam Domini, &c.* Collis Hebraïcè appellatur *Gabaath*, ita collis Cariathiarim idem est quod *Gabaon.* Nempe David ascendit ad אל גבעת *ad Gobeath*, id est, *ad collem Cariathiarim.* Sic legebat codicem Hebræum Interpres Latinus. Nam hodierna lectio pro גבעת habet בעלתה *baalath*, sine ullo sensu aperto. In fine capitis 18. Josue, numerat quatuordecim urbes, & inter eas Gabaath & Cariath; quæ igitur numeratur cum *colle*, nempe cum Gabaon. Ibi autem in Vulgata Latina deest יערים nomini *Cariath*, quod non aliud est quàm *Cariatharim.* Similitudo vocum יערים *iarim* & ערים *arim* decepit librarium, qui non advertens *iarim* & *arim* esse res diversas, unam prætermisit quasi frustra repetitam, nec scripsit *Cariath-iarim*, sive *Cariatharim*, ut decebat, id est, *urbs sylvarum*, sed *Cariath arim*, id est, urbs civitatis. Cariatharim & Gabaon liquidò hîc conjunguntur, ut fit in primo Samüelis capite 7. 1 *Venerunt ergo viri Cariath-iarim, & reduxerunt Arcam Domini, & intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa.* Nullus ergo videtur locus dubitandi quin Cariathiarim sit ille collis Dei, sive Gabaath, aut Gibaath, aut denique Gabaon, ubi erat temporibus Davidis Tabernaculum.

Arca Dei deducta est in domum Abinadab anno mundi 2888. Tunc temporis Tabernaculum Dei, & altare holocaustorum erat in urbe Silo, ubi & priùs fuerat Arca. De illâ & diversis sedibus ejus loquitur Psaltes Regius Psal 131. *Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis sylvæ:* Audivimus eam olim residisse in Ephrata, in tribu Ephraïm, in quâ Silo est. Nostris verò temporibus invenimus eam *in campis sylvæ.* Urbs Cariathiarim Hebraïcè קרית יערים *Kiriath iarim*, id est, urbs sylvarum. Græci Interpretes ad verbum reddunt *in campis sylvæ.*

Scriptura non significat tempus quo Tabernaculum translatum fuit ex Silo in Gabaa; sed certum, id factum ante annum quo David numeravit populum; & ideò in se concitavit iram Dei. Ad illam placandam erexit altare in areâ Ornam Jebusæi, & ibi immolavit victimas; non enim potuit ire ad altare Dei ut ibi obsecraret Deum, nimio enim fuerat timore perculsus, videns gladium Angeli Domini, ut notat author 1. Paralipomenon capite 21. 29. *Tabernaculum autem Domini, quod fecerat Moyses in deserto, & altare holocaustorum, eâ tempestate erat in excelso Gabaon.* בבמה בגבעין *babama baguibeon.* Ita usque ad Davidem Cariathiarim, sive Gabaon erat locus, in quem Israëlitæ religionis ergo conveniebant.

David anno mundi 2959. adduxit Arcam ad se in domum suam; *in medio Tabernaculi quod tetenderat ei David*, ut dicitur 2. Reg. 6. 17. quod ergo aliud fuit Tabernaculum, quàm Mosaïcum. Nec etiam David movit loco altare holocaustorum, ipse immolans in areâ Ornam in monte Moriâ, ubi postea templum conditum est. Itaque usque ad illud extructum mansit altare holocaustorum, & Tabernaculum Mosaïcum in Gabaon; idcirco cùm Salomon voluit victimas immolare, ut narratur in secundo Paralipomenon capite 1.

3. *Et abiit cum universâ multitudine in excelsum Gabaon, ubi erat Tabernaculum fœderis Dei, quod fecit Moyses famulus Dei in solitudine.*

4. *Arcam autem Dei adduxerat David de Cariatharim in locum quem præparaverat ei, & ubi fixerat illi Tabernaculum, hoc est in Jerusalem.*

5. *Altare quoque æneum, quod fabricatus fuerat Beseleel filius Uri filii Hur, ibi erat coram Tabernaculo Domini, quod & requisivit Salomon & omnis Ecclesia.*

Extra quem locum non licitum putabant sacrificare nisi ex mandato Dei, quale datum est Davidi ut sacrificaret in areâ Ornam.

6. *Ascenditque Salomon ad altare æneum coram Tabernaculo fœderis Domini, & obtulit in eo mille hostias.*

Omnia evincunt Tabernaculum Dei fuisse in Gabaon, à quo tempore Arca Dei fuit in Cariathiarim. Eo autem tempore quo Saülem fugiebat David, dicitur Tabernaculum fuisse in urbe Nobe, 1. Reg. 21.

1 *Venit autem David in Nobe ad Achimelech Sacerdotem:* à quo petiit ut si quid haberet ad manum commodaret. Dedit Abimelech panes propositionis, qui ablati fuerant à facie Domini. Itaque ibi tunc Tabernaculum erat. Subjungitur in sacro codice.

7. *Erat autem ibi vir quidam de servis Saül, in die illâ intus in Tabernaculo Domini, & nomen ejus Doëg Idumæus, potentissimus pastorum Saül.* Pro eo quod dicit Latinus Interpres, *vir de servis Saül erat intus in Tabernaculo*, legimus in fonte נעצר לפני יהוה *neëtzer lipne Jehova*, id est, *detentus coram Domino.* Intellexêre senes Græci Nazaræatum. Voverat scilicet Doëg votum Nazaræatûs, & ideò detinebatur in Tabernaculo; nempe in his cellis, quibus, ut postea dicam, circumdabatur Tabernaculum. Locus ergo dictus *Nobè*, ubi Scriptura tunc fuisse Tabernaculum indicat, non alius videtur quàm Gabaon, ubi ex his, quæ diximus, constat tunc illud fuisse. Necesse ergo est ut Nobe, & Gabaon non sint diversa loca; aut irrepserit נבה *Nobe* pro גבה *Gaba* aut *Gabe*; *Nun* & *Gimel* propter similitudinem facili calamorum lapsu permutantur. Est quidem Nobe urbs, quæ nominatur in fine libri Numerorum, intra quam fuisse Tabernaculum nullus alter Scripturæ locus ostendit. Quin Nobe posset accipi pro suburbio Gabaon in quo, cùm orationis ergo venisset Doëg, non ignorabat quid agere tur in domo magni Sacerdotis.

Pertinet ad huncce locum indagare quis locus fuerit *Masphah*, qui orationis locus à primis temporibus habitus est. Jud. 11. 2. *Locutusque est Jephte omnes sermones suos coram Domino in Masphat.* Samuel 1 Reg. cap. 7. 5. mentionem facit ejusdem loci *Dixit autem Samuel: congregate universum Israël, in Masphat, ut orem pro vobis Dominum.* Hebraicè מצפה *Misphah*.

6 *Et convenerunt in Masphath: hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & jejunaverunt in die illâ atque dixerunt ibi: peccavimus Domino. Judicavitque Samuel filios Israël in Masphath.* Ibi scribitur המצפתה *ha misphatha*; sed sic solent Hebræi scribere nomina urbium ad quas fit motus; ut Jephte & Samuel indicent eundem locum, nempe excelsum, in quo & his diebus non refugiebant sacra facere. צפה *tzapha*, à quo oritur מצפה *Masphah* specula est, nempe locus editus, in quem cùm convenissent filii Israël hauserunt aquam & effuderunt in conspectu Domini. Nempe volebat Samuel consecrare sive parare filios Israël ut adjuraret eos idola abjicere, & Deo servire. Ideò hauserunt aquam & effuderunt coram Deo: puto ut in sufficienti copiâ aquæ lavarent se, simul & jejunaverunt ut mente & corpore puriores facti audirent mandata Dei ex ore Samuëlis; sicut cùm lex promulganda fuit in monte Sinaï sic Moysen compellavit Deus. Exod. 19. 10 *Vade ad populum, & sanctifica illos hodie & cras, laventque vestimenta sua. Et sint parati in diem tertium. In die enim tertiâ descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinaï.* Multi Interpretes solliciti sunt circa hunc locum Samuëlis; *hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini.* Mirabilis & difficilis locus; quem explanatores non satis expediunt, inquit Malvenda. Chaldæus Paraphrastes dicit: *hauserunt aquas è puteo cordis sui, & abundè lacrimati sunt coram Domino resipiscentes.* Alii intelligunt libationes factas, sed non fiebant extra sacrificia, quorum nulla mentio est in hocce loco. Itaque ad se abluendos hauserant aquas Israëlitæ ut novam vitam inirent; situs autem Masphath non longè à Gabaa Benjamin, quâ cùm Cariath conjungitur 3. Reg. cap. 15. 22. Gabaa Benjamin & Maspha.

SECTIO IV.

De dispositione Tabernaculi, postquàm sedes quietas obtinuerunt Israëlitæ. Atrium ejus præcinctum fuit ædificiis. Hùc convenientes diebus solemnibus lætabantur. Historia Annæ matris Samuëlis, quam Heli ebriam putabat, illustratur.

ARca quidem Dei usque ad tempora Salomonis non reposita fuit in domo lapideâ; ut dicebat David alloquens Prophetam Natan 1. Paralip. cap. 17. v. 2. *Ecce ego habito in domo cedrinâ: Arca autem fœderis Domini sub pellibus est.* Attamen opinor ubi Josue deduxit Israëlitas in terram Chanaan, atrium ejus præcinctum fuisse ædificiis. Vix sine illis obire potuissent munia sua Sacerdotes. Cùm exercuit familia Aaronis non pauci numero Sacerdotes induendi fuere pr priis suo ordini vestibus; quæ jam poterant asservari sub Tabernaculi appendicibus. Innumera insuper vasa aurea, argentea, ærea, ut suo loco dicetur, necessaria celebrandis sacrificiis; quæ non depromebantur nisi horâ sacrificii, postea reponenda in suis thecis. Etiam necessariæ apothecæ vini, olei, salis, similæ, & omnium quorum erat usus in altari. Sacerdotes non discedebant è Sanctuario in ordine vicis suæ. Ergo oportebat stratos lectos esse in quibus noctu requiescerent. Vidimus in descriptione castrorum Israël Leviticam tribum tetendisse circa Tabernaculum cui deserviebat. Moyses & Aaron castra metabantur ad orientem ejus: circa latera Levitæ. Igitur ubi Israël sedes habuit quietas, Tabernaculum quidem servatum est in eâ formâ, quam ei indiderat Moyses. Habuit atrium velis distinctum; sed puto adjuncta ei tentoria, sive adjunctas tabernas, sic dispositas ut Sacerdotales proximiores essent Tabernaculo; & has populi tabernæ præcingerent, & complecterentur locum intra quem liceret piis viris & mulieribus commorari.

Temporibus Josue adjuncta Tabernaculo latior sedes; quæ, quia sanctificata, dicebatur המקדש *hamikdasch.* Hoc autem nomine non potest intelligi solum Tabernaculum & atrium ejus. Josue moriturus in illo *hamikdasch*, hoc est, in loco sancto congregavit Israëlitas, cùm novum inter eos & Deum percussit fœdus. Id factum dicitur in Sichem Josue cap. 24. 1. *Congregavitque Josue omnes tribus Israël in Sichem; vocavit majores natu, ac principes, & judices, & magistros: steteruntque in conspectu Domini.* In versione Græcâ LXX. Vaticanæ editionis, & apud Beatum Augustinum pro *Sichem* legitur Silo, fons verò & Chaldaïcæ Paraphrases retinent *Sichem.* Alii dicunt Sichem poni pro Sichimo agro in quo erat Silo. B. Hieronymus asserit Sichem distare à Silo decem milliaribus; sed id acceperat ab incertis traditionibus; montes enim Garisim, Hebal, Sichem, Silo non fuisse loca remota certum est. Potuit Josue congregare Israëlitas in Sichimis, quia locus magis idoneus; sed hos allocutus est coram facie Domini, nempe coram Arcâ, quæ erat in Silo ad quam è Sichem convenerant Israëlitæ. In isto cap. 24. libri Josuë ubi allocutio Josuë narratur v. 26. ista legimus: *Scripsit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini: & tulit lapidem pergrandem, posuitque eum subter quercum, quæ erat in*

circo sæpiùs in assignando vero mensium initio, erratum fuisset ab Israëlitis, nisi multam cautionem adhibuissent, & religionem; nam in mensium initio sacrificium proprium erat peragendum. Ubi constabat de novæ lunæ apparitione, declarabatur à Sacerdotibus cœptum esse mensem. Fiebat sacrificium quod Deus mandaverat faciendum in Neomeniis; & diebus ab eo numeratis festa celebrabantur: ad quæ satis lege ipsâ Israëlitæ convocabantur. Ubi enim innotuerat illis Neomenia, sive initium mensium, censebantur convocati. De tempore cujusque festi non egimus; quia, ut dixi, diligenter expositurus sum Kalendarium Hebraicum, simul & quantùm satis est immoraturus sum festis, de quorum celebratione referam omnia quæ sunt tum in codice sacro, tum in omnibus antiquis monumentis. Vidimus congregationes extraordinarias significatas sonitu tubarum. Nec quidpiam est, quod circa hancce rem nunc observandum sit.

Convocati autem ad Tabernaculum Israëlitæ non poterant abire nisi priùs dimitterentur; quod vulgò fiebat per benedictionem Sacerdotis, ut exemplum occurrit in Levitico capite 9. ubi primitiis sacrificiorum pro Sacerdote, ac plebe Deo redditis, Aaron populo benedixit.

22. *Et extendens manus ad populum, benedixit ei. Sicque completis hostiis pro peccato, & holocaustis, & pacificis, descendit.*

23. *Ingressi autem Moyses & Aaron in Tabernaculum testimonii, & deinceps egressi benedixerunt populo.*

Altare excelsum fuisse, & habuisse clivum, sive collem, quo ascenderetur, probat hoc quod dicitur, *descendit* Aaron, nempe ex altari post completa sacrificia. Ingressi sunt Aaron & Moyses Tabernaculum ut Deum precarentur, & quasi benedictionem ejus conciliarent populo. Hujus dimissionis & benedictionis etiam est exemplum in tertio Regum capite 8. Cùm Salomon introductâ in templum Arcâ dimisit populum ei benedicens.

14 *Convertitque Rex faciem suam, & benedixit omni ecclesiæ Israël; omnis enim ecclesia stabat.*

Indè mos acceptus, qui nunc obtinet in Ecclesiâ ut per benedictionem Sacerdotis mittantur populi post synaxim completam. Indè, inquam, ipsa synaxis nomine *Missæ* appellata est. Sacerdos priùs precatur deosculans altare; post convertitur ad turbas; quod & fecit Salomon.

54. *Factum est autem, cùm complesset Salomon orans Dominum, omnem orationem & deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini; utrumque enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in cælum.*

55. *Stetit ergo & benedixit omni ecclesiæ Israël, voce magnâ dicens:*

56. *Benedictus Dominus, qui, &c.*

Multis verbis expressa est ista benedictio, postquàm *dimisit populos*. Formam ordinariam benedictionis Sacerdotalis præscripserat Dominus. Num. 6.

22. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:*

23. *Loquere Aaron & filiis ejus: sic benedicetis filiis Israël, & dicetis eis;*

24. *Benedicat tibi Dominus & custodiat te,*

25. *ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui.*

26. *Convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.*

27. *Invocabuntque nomen meum super filios Israël, & ego benedicam eis.*

Tribus his locis nomen magnum Dei יהוה occurrit; quod à Græcis redditur Κύριος, à Latinis *Dominus*. Trina ejusdem nominis repetitio convenit Trinitati divinæ personarum; quæ à rerum initio innotuit veris Dei cultoribus, ut demonstraturi sumus, si longior vita suppetat. Nomen illud Hebræum יהוה nunc solet enuntiari Jehova, & quia scribitur quatuor litteris consonantibus, dicitur τετραγράμματον, id est, nomen quatuor litterarum; quarum cùm sonus non definiatur, nisi subjectis punctis vocalibus, quibus diu sacri codices caruerunt, quasi hoc nomen non haberet sonum, dictum est à Græcis ἄρρητον, ἀπόρρητον, ἄφραστον, ἀνεκφώνητον, ἄλεκτον, ἄφθεγκτον. Id est ineffabile, quod exprimi non potest. Non quòd pronuntiari non posset, sed quia non pronuntiaretur nisi à summo Sacerdote, & in templo, ut Hebræi & Christiani doctores testantur. Eusebius in Præparatione dicit ἄλεκτον τοῖς πολλοῖς *ineffabile multis*, id est, vulgo; filium autem à patre traditione accepisse quomodo pronuntiandum esset. Hoc & adstruit Theodoretus quæstione 15. in Exodum. Non ergo pro figmento Rabbinico habendum quod in Tractatu *Sotha*, sive de uxore adulterii suspectâ dicitur. *Quâ ratione peracta est benedictio Sacerdotalis? Extra Sanctuarium tres benedictiones ex eâ conficiebantur, sed in Sanctuario una tantùm. In Sanctuario Tetragrammaton efferebatur secundùm litteras, sed in provinciis substituebatur cognomen.* Id est, pro verâ prolatione pronuntiabatur *Adonai*. Benedictio autem illa, ut modò diximus, constat tribus versibus, qui pronuntiabantur triplici interjectâ pausâ in synagogis, ad quamcumque populo acclamante: *Amen*; sed in Sanctuario una fiebat benedictio. Josephus libro secundo Antiquitatum negat sibi licitum esse propalare veram nominis Dei pronuntiationem. Non tamen ignota esse poterat viro Hebræo qui sacris interfuerat, & audierat eam in templo, cùm Sacerdos benediceret. Itaque ab eo tempore, quo templum eversum est, desiit sanctum nomen pronuntiari. Afferam quod dicit Maimonides de hocce nomine Dei in parte primâ capite 62. More Nevochim. *Preceptum divinum accepimus, ut Sacerdotes populo benedicant, & quidem cum nomine Dei prout scribitur quod est* השם המפורש *schem hammephorasch nomen expositivum: sed nulli homini notum erat, quomodo illud pronuntiarent, quave vocali, vel unicam ejus litteram efferrent. An aliquas dagessarent, vel non, aut an littera aliqua dagesch recipiat,* hoc est, an reciperet duplicationis symbolum. *Verùm sapientes tradebant illud* nomen, *hoc est, modum pronuntiandi illud unus alteri, neque quemquam de eo erudiebant, nisi discipulum dignum ac idoneum, & semel in septimanâ .... Meâ autem sententiâ, illud quod dicunt nomen quatuor litterarum tradebant sapientes filiis & discipulis suis semel in septimanâ, non solùm de prolatione & pronuntiatione ejus intelligendum, sed etiam de rationibus propter quas hoc nomen Deo appropriatum est, & de mysteriis divinis, quæ sub eo latent.* In his eruendis mysteriis occupantur Rabbini. Maimonides observat cùm hocce sancto nomine viri temerarii abuterentur, & dogmata fidei corrumperent, tum cœptum occultari; *neque ampliùs id docebant* sapientes, *nisi modestos & verecundos ex Sacerdotibus, ut eo benedicerent populo in Sanctuario.* Sed, inquit idem Judæus, ex quo mortuus est Simon justus, cessarunt Sacerdotes benedicere cum nomine tetragrammato, sive quatuor litterarum, propter abusum & perversitatem hominum.

Non prætermittere decet quod legimus apud B. Hieronymum in caput 16. Ezechielis ubi loquitur de laminâ pontificiâ in quâ scriptum erat nomen illud. *Signum dominicæ sanctificationis, nomen est omnipotentis Dei: quod quatuor litteris Hebraïcis scribitur: & apud eos vocatur ineffabile, dum nomen*

ejus non potest dici. Indè ergo factum est, cùm non A pronuntiaretur sanctum nomen, & cùm in Bibliis Hebraicis, ubicumque occurrebat, Massoretæ apposuissent consonantibus ejus puncta, sive vocales, quæ propriæ sunt alteri Dei nomini videlicet אדוני *Adonai*, postea ignorata est vera pronuntiatio ejus. Græcis nomen *Adonai* Κύριος sonat, Latinis *Dominus*. Ubicumque inquam, occurrit יהוה, legunt Judæi אדוני *Adonai*; Septuaginta verò Græci Bibliorum Interpretes ponunt Κύριος. Testatur Philo magnum & sanctissimum Dei nomen, nempe יהוה quatuor habens consonantes litteras, non pronuntiatum vero suo sono, nisi in Sanctuario; scilicet, ut diximus, cùm invocarent illud sanctum nomen super populum. *Ὃ μόνοις τοῖς ὦτα καὶ γλῶτταν σοφίᾳ κεκαθαρμένοις θέμις ἀκούειν καὶ λέγειν ἐν ἁγίοις, ἄλλῳ δ' οὐδενὶ τὸ παράπαν οὐδαμοῦ.* *Nomen quod solis habentibus linguam & aures sapientiâ purgatas licet audire & pronuntiare in Sanc- B tuario; nulli alteri & nullibi.* Hæc dicit Philo in libro tertio de vitâ Moysis, occasione hujus viri Ægyptii qui lapidibus obrutus est, quòd nomen Dei nuncupasset; nam Hebræus fons hocce eum crimine arguit in Levitico capite 24.

10. *Ecce autem egressus filius mulieris Israëlitidis, quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Israël, jurgatus est in castris cum viro Israëlitâ.*

11. *Cùmque blasphemasset nomen, & maledixisset ei, adductus est ad Moysen.*

In fonte יקב את השם *ikob haschem* nominavit nomen. יקלל *ikalel*, id est leviter pronuntiavit, non cum reverentiâ. De hoc, inquam, viro loquens Philo dicit capite plectendum eum, qui nomen Dei nominaret *Ὃς δ' ἂν ὀνομάσῃ τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου θνησκέτω.* Maimonides libro quem supra allegavimus, & in eadem parte, sed capite 61. jam observaverat nomen Dei gloriosum non proferri nisi à Sacerdotibus Domini sanctificatis, idque solùm in Sanctuario in benedictione Sacerdotali; insuper adjungens, nec hanc prolationem factam nisi à Sacerdote magno in die jejunii gloriosæ sanctificationis. Si vera dicit, non quove die Israëlitæ dimissi fuissent per Sacerdotalem benedictionem; quod arguit Mischna in tractatu de sacrificio jugi, capite 5. sect. 2. ubi in ministerio quotidiano exhibentur Sacerdotes benedicentes benedictiones tres, & pronuntiantes nomen, nempe Dei, prout scribitur; ad quem locum refert Rabbi de Bartenora dumtaxat in templo nomen יהוה pronuntiatum cum litteris suis, sicuti, inquit, dicitur in Exodo capite 20. 24. In omni loco, in quo nomen meum tibi commemorare facio, veniam, & tibi benedicam. In Vulgatâ: *In omni loco in quo memoria fuerit nominis mei, veniam ad te & benedicam tibi.*


Hæc satis superque de benedictione Sacerdotali. Tandem ut finem imponamus huicce de Tabernaculo sermoni, quæramus quo tempore illud ablatum sit. Proculdubio id factum postquàm Salomon templi ædificium perfecit, & in illud Arcam introduxit. Jam tabulis & pellibus Tabernaculi non opus erat, ubi solido ex marmore parietes ædificati sunt. Ab hoc tempore non ultrà mentio illius quasi existentis facta est; vasa verò ejus cum Arcâ inducta sunt in templum, quod ædificari cœptum est, nempe fundamenta ejus jacta fuêre anno mundi 2993, ante æram Christianam 1011. structura verò ejus absoluta est anno mundi 3000, ante Christum 1004. Tabernaculum erectum fuerat anno mundi 2515. ita stetit annos circiter 478, quo temporis intervallo, quandoque de loco in locum translatum est, sed non prorsùs convolutum, sive ablatum usque ad huncce diem quo Arca in novum templum inducta est.

Finis Libri tertii.



DE TABERNACULO FŒDERIS, DE CIVITATE SANCTA JERUSALEM, ET EJUS TEMPLO

LIBRI SEPTEM.



LIBER QUARTUS.

In hocce quarto libro differitur de ſancta civitate Jeruſalem, in qua poſt diſſolutum Tabernaculum Deus juſſit templum ſibi ædificari.

CAPUT I.

Deus elegit Jeruſalem in caput Judaïcæ gentis & Religionis. Origo hujus urbis, ſitus, nomen, gloria; & de cæteris quæ ad illam pertinent, & præmittenda ſunt deſcriptioni templi.

SECTIO I.

Tabernaculum interim erectum fuerat dum templum excitaretur in urbe quam electurus erat Dominus.



TABERNACULUM quod ſuperiori libro expoſuimus, erectum fuerat, ut in eo Iſraëlitæ cultum Deo perſolverent, dum peregrinabantur in deſerto, uſque ad illud tempus, quo partis ſedibus quietis excitarent jam non portatile, ſed fixum templum. Deus, ut non ſemel obſervavimus, inſtituens Rem-publicam Hebræorum, intuebatur futurum ſuum opus, cæteris ejus operibus creatis tantò præſtantius, quantò ipſe ſuis præſtat creaturis. Proprium enim ſuum filium, ſibi conſubſtantialem miſſurus erat in terras, ut vitam perditam redderet hominibus, ipſe ſubiens mortem probroſam ſimul & crudelem. Tanta res, cujus ſola cogitatio mentem percellit, nec peragi, nec credi po- A terat ſine apparatu ad quem dicta Reſ-publica inſtituta fuit. Ipſe verò Filius Dei, cujus ſanguis debebat piare hominum peccata, in ſe transferendo pœnas, quibus illi meritò ſubjacebant, quamquam nondum in terris præſens eo habitu, quem poſtea induit, quippe Deus, merebatur honores divinos, ceremoniæ, inquam, quibus adventus ejus nuntiabatur, nempe Filius Dei repræſentabatur, meritò reputabantur pars religioſi cultûs, qui debetur Deo. Id autem ut ritè fieret requirebatur certus locus, nempe templum in apto & conſpicuo loco ad quod confluerent: in quo ſtare & commorari poſſent, quos ſpectabat religio erga venturum Salvatorem. Eligenda inſuper urbs, quæ in ſe converteret oculos populorum, & ſecundaret eorum religionem, cùm B templum in eâ condendum frequentarent, & intereſſent omnibus ſolemniis quæ in typum Chriſti venturi celebrarentur.

Mundus etiam cælum & terra anguſtum eſt divinæ majeſtatis templum, quod præſens inhabitat; ſed quæ cameræ, quæ laquearia auro & gemmis exornata conferri poſſunt cum cælo tot ſtellis apto? Quæ candelabra aurea noctem vincere & expellere tenebras poſſunt perinde ac ſol & luna? In montibus ſudant arbores abundanter thura, in templis parcè adolenda. Campi ſuppeditant fruges, paſcua boves & oves in munera Deo offerenda, ut totus mundus jure haberi poſſit pro templo, quod quidem magnificum eſt; ſed infra Dei majeſtatem niſi cogitetur Filius ejus Jeſus Chriſtus, in eo completurus opus inſtaurandæ hominum ſalutis. Cùm

cum Deus verè sit *schaddai*. id est, *sibi sufficiens*, A
non erat ulla causa, fas sit ita loqui, cur manus admoveret operi mundano, nisi huic decus superaddidisset, quo evaderet dignum, nimirum nisi in mundum fuisset missurus Filium suum; a quo perfectè, ut majestatem Dei decet, coleretur. Scilicet cùm solus Deus Deo dignus sit, solus Jesus Christus verè Filius Dei, ejusdem naturæ particeps, poterat patri suo congruum honorem reddere, sed iterùm dicam, nec unquam satis dici potest, Deus factus homo res est tam opposita hominum cogitationibus, ut non decuerit repentè & ex improviso Christum adventare in terras. Priùs fuit prænuntiandus, describendus, ut paulatim homines consuescerent cogitare Deum hominem, Deum factum victimam, proprio suo sanguine lavantem hominum peccata. Ad B
hoc collegit Deus numerosum populum, quem auxit prole fœcundâ; ut coalesceret in Rem-publicam & legibus congruis instruxit, cultûsque religiosi ritibus. Harum autem legum, tum civilium, tum sacrarum, finis erat apparatus Christi venturi; ad quem apparatum eligendus fuit, ut jam dixi locus conspicuus ubi omnia fierent cum decore & majestate.

Dum Israëlitæ errabant in desertis, in vallibus & montibus, nullo consistentes loco, Tabernaculum tantùm parare potuerant ex pellibus, quæ pariter citra negotium diffuebantur, vel consuebantur; & ex asseribus, quos facilè erat dissolvere, vel compingere, prout mutandæ erant sedes, vel alicubi C
morandum. Attamen Tabernaculum illud auro & argento superbum fuit; quod dictu mirabile est, quomodo in desertis regionibus viri hactenus servi in omnium rerum penuriâ, nullâ arte exercitati nisi rei latericiæ, conflare potuerint opus formâ suâ, & supellectili dives & decorum. In desertis autem locis, dum continuâ peregrinatione interpellabantur Israëlitæ, si Tabernaculum in quo Christus dignè annuntiaretur quibusdam typis oportuit tantùm decoris habuisse, æquum erat ut ubi illi ad optatas sedes pervenissent, pararent dignum Dei habitaculum; quod perfecerunt eâ magnificentiâ, quam explicabimus sequentibus libris: Nunc autem de D
loco, qui ad illud inædificandum electus est, disseram. Decebat eum celebrem esse populorum frequentiâ, in quo tum cultui, tum cultoribus suppeterent necessaria, quibus non abundat nisi magna civitas, quæ ex diversis regionibus adiri potest, ad quam commeatus, cibaria, vinum, frumentum, oleum, & cætera quibus vita indiget, facilè perferuntur.

Talis fuit Jerusalem; cujus pars & accessio fuit templum; utriusque ergo sermo conjungendus. In hac urbe opus nostræ salutis perfectum & consummatum est: plerosque ibi sermones habuit J. C. D. N. multa miracula patravit; & diebus solemnibus frequentavit templum ejus. Ab eo tempore quo E
David in Regem inunctus est; & regnavit Saüle mortuo omnes veteris fœderis codices personant nomine urbis Jerusalem; quam memorant libri Regum, Paralipomenon, Esdras, Macchabæi, tum etiam Prophetæ; & passim libri laudum, nimirum Psalmi. Adeò ut qui civitatem Jerusalem luculenter descripserit; omnes videatur illustrasse Scripturas. Primùm ostendemus illam esse electam urbem, extra quam interminatus fuerat Deus ne sacra fierent.

SECTIO II.

Sacrificiis, cæterisque religionis muniis implendis à Deo destinata fuit Jerusalem; ideò dicebatur electa, & sancta civitas.

Communi vinculo conjungendi erant Israëlitæ, ut ex illis unus fieret populus, sepositus à Deo, qui exciperet promissiones de Christo venturo & hunc prænuntiaret. Ne scinderentur in diversa studia præcaverat Deus, unius ejusdemque religionis vinculo eos inter se colligans. Eâ de causâ nulli erat licitum pro lubitu ubi vellet sacrificare. Id vetat Deus in Levitico statim post Tabernaculum erectum, nondum ibi de urbe loquens, quoniam tunc temporis Israëlitæ vitam agebant sub pellibus (cap. 17.)

3. *Homo quilibet de domo Israël, si occiderit bovem, aut ovem, sive capram in castris, vel extra castra;*

4. *Et non obtulerit ad ostium Tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit: quasi si sanguinem fuderit, sic peribit de medio populi sui.*

5. *Ideò Sacerdoti offerre debent filii Israel hostias suas, quas occident in agro, ut sanctificentur Domino ante ostium Tabernaculi testimonii, & immolent eas hostias pacificas Domino.*

In fonte Hebræo; *quas occidentes super faciem agri*, nempe priùs eratis occidentes. Vulgatus secutus est Græcos. In quibusdam exemplaribus Vulgatæ, non occident, sed occidunt, legitur.

6. *Fundetque Sacerdos sanguinem super altare Domini ad ostium Tabernaculi Domini, &c.*

Pars præcipua sacrificii erat illa effusio sanguinis ad altaris pedem, sicut suo loco dictum est. Cùm sub finem vitæ suæ Moyses iteravit legem, sive secundò edixit Dei mandata Israëlitis, cùm ingressuri erant in terram quietis, tunc eos admonuit ne in omni loco sacra facerent, sed in eo quem electurus erat Dominus; non in omni urbe, sed in eâ quæ placeret ei. In Deuter. cap. 12. præcepit dissipare aras falsorum deorum, confringere eorum statuas, lucos igne comburere, & quàm alienos se gerere à moribus Gentilium, qui ubique locorum sacrificabant, subter omni ligno frondoso. 4. *Non facietis ita*, inquit Deus ore Moysis, *Domino Deo vestro:* nimirum sicut fecerunt Gentes; quæ, ubicumque lubebat illis, aras statuebant in montibus excelsis, in omni colle, sub omni arbore virenti.

5. *Sed ad locum quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis.*

Deus ibi non exprimit locum quem electurus erat; sed ut patuit successu temporis, intuebatur Jerusalem & templum in eâ ponendum; de cujus magnitudine & formâ præjudicandum ex iis, quæ ibi Deus præcepit. Etenim ad illud erat confluendum ab omni regione; nec licebat extra illud aras statuere, mactare victimas; ita postquàm disseminati sunt Israëlitæ, templum quo exciperentur, oportuit esse amplissimum. Pro eo autem, quod est in Vulgatâ *venietis*, in fonte est *sciscitatum ibitis* תדרשו verbum דרש propriè sonat idem quod *quærere*; ut sensus sit: quoties cognoscenda erit Dei voluntas, sicut & pax ejus impetranda, hùc venietis. Videlicet ibi Deus constiturus est palatium suum, undè leges suas edicet. Jerusalem appellatur palatium summi Regis, civitas magna Dei.

6. *Et offeretis in loco illo holocausta & victimas vestras, decimas & primitias manuum vestrarum, & vota atque donaria primogenita boum & ovium.*

Tenebantur Israëlitæ solvere ex omni proventu decimam partem; & insuper primitias fructuum, & primogenita pecorum.

7. *Et comedetis ibi in conspectu Domini Dei vestri: ac lætabimini in cunctis, ad quæ miseritis manum vos, & domus vestræ, in quibus benedixerit vobis Dominus Deus vester.*

Inter munia religionis censebantur convivia hilaria, celebranda in ipso templo; in quo ergo & mactanda animalia & coquenda caro eorum. In hunc usum instruendi foci, parandæ culinæ, disponenda pastoforia, triclinia, mensæ. *Comeditis ...... in cunctis ad quæ miseritis manum.* Hoc est, ex vestro epulabimini, postquàm omnia Deo debita solveritis. Non sinebat lex manum injicere in sua, sive suis uti frugibus nisi post decimas persolutas. De istis conviviis in templo agitandis infra disseram. Hîc agitur de uno sacrificiorum loco.

8. *Non facietis ibi, quæ nos hic facimus hodie singuli quod sibi rectum videtur.*

Qui nulla lege constringimur.

9. *Neque enim usque in præsens tempus venistis ad requiem, & possessionem, quam Dominus Deus vester daturus est vobis.*

Ubi fixus vobis erit locus in quo Deum coletis.

10. *Transibitis Jordanem & habitabitis in terra, quam Dominus Deus vester daturus est vobis ut requiescatis à cunctis hostibus per circuitum, & absque ullo timore habitetis.*

11. *In loco quem elegerit Dominus Deus vester, ut sit nomen ejus in eo, illùc omnia, quæ præcipio conferetis, holocausta, & hostias, & decimas, & primitias manuum vestrarum, & quidquid præcipuum est in muneribus, quæ vovebitis Domino.*

12. *Ibi epulamini coram Domino Deo vestro, vos & filii ac filiæ vestræ, famuli & famulæ, atque Levites qui in urbibus vestris commoratur, neque enim habet aliam partem & possessionem inter vos.*

Iterum Moyses agit de illis epulis in templo ipso celebrandis, & postea iterat.

13. *Cave ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris: sed in eo quem elegerit Dominus, in unâ tribuum tuarum offeres hostias, & facies quæcumque præcipio tibi.*

Nondum Moyses definit locum adorationis; sed illum incipit indicare, nimirum in unâ ex Israëliticis tribubus; non in agris, non in vicis, sed in aliquâ urbe; quod claris verbis dicit Moyses ubi agit de Paschate, sive de Paschali sacrificio in ejusdem Deuteronomii capite 16. 5. *Non poteris immolare phase in qualibet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi; sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi.* Deum elegisse Hierosolymam contendebant Judæi adversùs Samaritanos. *Vos Judæi*, inquiebat mulier Samaritana cum Christo colloquens, *dicitis quia Jerosolymis est locus: ubi adorare oportet.* Joan. cap. 4. v. 20. Quæstionem illam, sive litem solvit ille secundùm Judæos. Ubi de fundamentis templi sermo fiet, videbimus illa posita in monte Moriâ, qui accessio factus est Hierosolymorum. Constat multis Scripturarum testimoniis, & manifestis miraculis huncce montem electum ut esset sacrificiorum locus; & ideò Hierosolymam esse urbem electam, siquidem circuitu suo Moriam complectitur, ut modò videbimus. Indè ob Sanctuarium Dei quod haberet hæc civitas, appellata est sancta, ut in illo loco Matthæi cap. 4. ubi de tentatione Jesu-Christi fit sermo. *Tunc assumpsit eum Diabolus in sanctam civitatem, & statuit eum super pinnaculum templi.* Sicli, nummus Judæorum, qui effodiuntur hancce inscriptionem præferunt *Jerusalem sancta.* A quo tempore templum fundatum est, sacri codices personant laudibus hujus sanctæ civitatis. In Psalmo 77.

67. *Et repulit tribum Joseph: & tribum Ephraim non elegit.*

Silo diu locus fuit adorationis, quippe ibi Arca fœderis. Urbs autem erat quæ ad Josephi filium pertinebat, nempe ad Ephraimum, quem postea Psalmista designat. Deus autem non sivit diutiùs Sanctuarium suum residere in illâ Josephi tribu, in sorte Ephraimi in urbe Silo, quam non elegerat, ideò Arcam transtulit Hierosolymam, quam præ reliquis elegerat in habitaculum Arcæ perpetuum.

68. *Sed elegit tribum Juda, montem Sion quem dilexit.*

Repulit tribum Benjamiticam Saülis; qui & regnaverat in Gisgal oppido Ephraim. Elegit verò Deus unam ex urbibus tribûs Judâ, nempe Sionem. Sic & appellabatur Jerusalem, quia collis Sion pars erat hujus civitatis. Dilexit Sionem Dominus, quam posthabitis cæteris Israëliticis civitatibus incoluit, in eâ domum suam collocans.

69. *Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum in terrâ, quam fundavit in sæcula.*

Et ædificavit sanctificium suum, nempe sedem sui cultûs: *sicut unicornium.* Legerunt LXX. Interpretes, quos Vulgata sequitur ראמים *reemim* vel רמים *remim*, id est, ὡς μονοκερώτων *sicut unicornium* in genitivo plurali: in similitudinem unicornium. Hebræi legunt in fonte רמים *ramim*; quæ lectio est apertior. Etenim Aquila vertit ὑψηλῶς. Symmachus ὡς τὰ ὑψηλά. Nempe ædificium templi tam excelsum erat, ut videretur suo vertice nubes pulsare. Eminebat, inquam, & cornu in fronte unicornium, intelligere indè decet Dominum sibi parasse excelsum Sanctuarium sicut viri principes superba palatia tam sapienter potenterque, *sicut orbis terræ* ab eo fundatus est, ut immobilis persistat in sæcula. Psaltes comparat ædificium templi cum ipso opere quod Deus perfecit mundum condens.

SECTIO III.

Jerusalem inædificata erat montibus, regionum quas incolebant Judæi, quasi umbilicus.

Sanctæ civitatis descriptio res ardua est, sed magnæ utilitatis, tum ob clariorem cognitionem templi, quod scopus est operis nostri, tum ad intelligendas utriusque Testamenti paginas ferè omnes; in hac enim urbe pars eorum maxima quæ enarrantur in libris sacris peracta: undè meritò dicebat B. Hieronymus scribens ad Donatianum & Rogatianum: *Quomodo Græcorum historias magis intelligunt, qui Athenas viderint; & tertium Virgilii librum, qui à Troade per Leucatem & Acroceraunia ad Siciliam, & indè ad ostia Tyberis navigaverint; ita sanctam Scripturam lucidiùs intuebitur qui urbem Hierusalem & Judæam saltem in imagine contemplatus fuerit.* Jampridem eversa fuit funditùs à Chaldæis; & quæ excitata fuerat à Nehemiâ, postea diruta est à Tito. Quin ipsa fundamenta turrium, quas Titus reliquerat in præsidium castrorum, effodit Adrianus; cujus jussu civitas sale aspersa est; ita ut qui loca sancta adeunt, in quibus olim fundata Hierusalem, etiam situm vix dignoscant; toties enim dirutis ejus ædificiis ipsa loci facies immutata est, completis ex parte vallibus. Non iisdem fundamentis postea erecta sunt, quæ nunc ædificia in hodiernâ Jerusalem visuntur; sed his pro opinione affinguntur nomina veterum ædificiorum, de quibus in Scripturâ sermo fit; quæ nomina de-

ludunt peregrinorum fidem.

Igitur cùm jam oculis propriis vel oculatorum teſtium teſtimonio non liceat ſcire, quæ fuerit forma ſanctæ civitatis, reſtat ut ex Scripturis, vel ex Joſepho, & aliis antiquis ſcriptoribus diſcamus quæ noſtrâ intereſt non ignorare. Primùm quis ſitus ejus, quæ præcipua ædificia, quæ amplitudo, quæ mœnia, quæ primariæ ejus portæ quæram præeuntem ſequens Villalpandum virum admirandæ diligentiæ & induſtriæ; ita tamen ut hîc & illic liberè ponam veſtigia.

Olim cùm regnaret Salomon, qui jecit fundamenta templi, regionis quam tunc Iſraelitæ tenebant, Jeruſalem umbilicus erat, ſicut & totius mundi, quando Jeſus Chriſtus Dominus noſtram ſalutem in terris operabatur. Sic Propheta Ezechiel nomine Dei in hæc verba potuit erumpere cap. 5. *Iſta eſt Hieruſalem : in medio gentium poſui eam, & in circuitu ejus terras.* Et cap. 38. 12. *Super populum, qui eſt congregatus ex gentibus, qui poſſidere cœpit, & eſſe habitator umbilici terræ.* Jeruſalem in confinio Aſiæ, Europæ, Africæ poſita æquis ferè intervallis diſtabat à remotioribus populis, qui jungebantur aliquo commercio cum Romanis, Græcis, Judæis, Perſis, Ægyptiis, Æthiopibus. Sic providerat Deus, ut quoniam de Sion lex exitura erat, & verbum Domini de Hieruſalem, juxta vaticinium Prophetarum, Iſaiæ cap. 11. 3. Micheæ cap. 4. v. 4. veluti in centro terræ habitabilis collocaretur; undè ad regiones quæ in circuitu ejus erant, lex iſta facilè ex æquo perferretur. Elegerat, inquam, illam Deus, ut adimpleret quod Regius vates prædixerat Pſal. 73. 12. *Operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Geierus & plerique volunt *in medio terræ* idem ſonare, ac in terrâ, id eſt, palam. Sed nulla res obſtat quominùs verba Pſaltæ & aliorum ad litteram interpretemur. Græci nominabant Delphos univerſæ terræ μεσόμφαλον, *medium umbilicum. Hic nimirum Deus* qui in templo Delphico colebatur, ait Plato, *rerum hujuſmodi patrius Interpres, in mediâ terrâ, ipſo umbilico, ſedens, edit oracula.* Pauſanias in Phocicis adſtruit in hocce templo fuiſſe lapidem marmoreum in formâ umbilici, quod totius terræ medium diceretur. Fabulantur, inquit Plutarchus in libello cur oracula edi deſierint, aquilas, ſive olores ab extremis terræ partibus ad medium ejus volatu tendentes conveniſſe ad locum, qui ὀμφαλός, id eſt umbilicus dicebatur. Fabulis non indigemus; ſed animadvertenda ſententia Platonis qui agens de conſtituendâ civitate, laudat Deum qui elegerit huncce Delphicum locum, qui haberi poterat pro terræ umbilico, nempe qui pariter removeretur à Græciæ extremis terminis. Omnes tribus ſaltem ter in anno in tribus feſtis ſolemnibus aſcendebant Jeroſolymam; decebat ergo hanc urbem eum ſitum habere, ut æquis intervallis diſtaret ab illis qui habitabant extrema terræ Iſraël.

Natura loci cui inſidebat ſancta civitas, erat idonea operi, quo Chriſtus mundum perditum reſtaurandum ſuſcipiebat. Erat ædificata in montibus, quos poſtea recenſebo; nunc enim illam quaſi eminùs intueor, de ſitu ejus tantùm agens. A mari remota erat aliquo intervallo; ſed non tanto, ut frui non poſſet ejus commodis. Cujus etiam commercio ad ſtructuram palatiorum ſuorum & templi ex monte Libano maxima cedrorum copia devecta eſt. Ratibus in mari componebantur, & perducebantur uſque ad Joppem, qui Hieroſolymis vicinior portus erat ab urbe ſatis remotus, ut illa non ſubjaceret maris vicinioris incommodis, quæ ejus ſanctitati offeciſſent, quippe revocaſſent incolas ejus à cultu Dei, cui deditos, oportebat abeſſe à loco opportuno exercendæ mercaturæ, & in quem ſolet confluere peſſimorum virorum colluvies. Juvat huc afferre quod initio libri quarti de legibus ſtatuit Plato diſputans de civitatis quam cogitatione formabat, opportuno ſitu. Mediterraneum probat: rejicit maritimum, ut commerciorum verſutiis magis expoſitum. « Profectò mare civitati proximum, inquit ſtylo » Marſilii Ficini, quotidianâ quadam jucunditate » eam afficit. Verumtamen vicinitas ea nimiùm re- » verâ ſalſa eſt atque amara. Nam cùm mercibus & » pecuniis cauponando civitas repleatur, doloſi ani- » mi inſtabiles & infidos mores parit. Undè parùm » & ipſa ad ſeipſam, & ad gentes alias fidem & ami- » citiam colit. « Dignum quoque animadverſione eſt quod ſubjicit Plato de civitatis illius ſitu: « Si eſſet ad omnia ferax atque fœcunda, multum au- » ri atque argenti ex emiſſione rerum colligeret. » Qua unâ re nihil, ut breviter dicam, perniciosius » eſt, ſi unum uni conferas, ad generoſos juſtoſque » mores. « Serranus alter Platonis interpres clariùs loquitur eo in loco de eadem civitate. « Si largo, inquit, proventu exuberaret, multa aliò illi eſſent expor- » tanda, eoque etiam ipſo aureo & argenteo nummo » viciſſim repleretur: quo profectò nullum (ut ſummatim dicam) majus malum civitati contingere » poſſit, ſi unum uni conferatur, & ſingula ex eâ com- » paratione æſtimentur, quantùm quidem attinet ad » generoſos juſtoſque mores comparandos. « Euſebius partem hujus Platonici loci inſeruit capiti 48. libri 12. Præparationis Evangelicæ hæc breviter præfatus. « Regiam Hebræi Metropolim eo loco ſituque jam olim conditam habuerant, ut cùm » procul abeſſet à mari, tum in montium jugis æ- » dificata, rerum omnium feraciſſimo agro uteretur. » Huic perſimilem eam, quam ſuis in legibus Pla- » to condidit, eſſe cupiebat. «

Civitatis ſanctæ ſitum Pſaltes laudat (Pſalmo 45.) videtur quod procul ſit à marinis fluctibus qui horrorem incutiunt.

1. *Deus noſter refugium & virtus : adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis.*

2. *Propterea non timebimus dum turbabitur terra; & transferentur montes in cor maris.*

Si quidpiam ſimile contingeret, non timeremus protecti à Deo. Cor maris eſt medium maris. Eâ verò occaſione dum memorat maris pericula, felicem prædicat civitatem ſanctam, quòd ſit mediterranea.

3. *Sonuerunt & turbatæ ſunt aquæ eorum: conturbati ſunt montes in fortitudine ejus.*

Fons meliùs ſic exprimeretur; ſtrepant, vel eſto tremant immenſis cum fragoribus aquæ ejus, ut exponit Geierus; turbentur ita ut ex imo maris fundo evehatur lutum, contremiſcant ipſi montes propter ſublimitatem ejus, ſive fluctuum elevationes.

4. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei : ſanctificavit Tabernaculum ſuum Altiſſimus.*

Non his tremoribus ſubjacet Jeruſalem remota à mari; ita fluctibus ejus commoveri non poteſt. Amara eſt, ut dicit Plato, vicinia maris. Situs ergo ſanctæ civitatis dulcior; quam lætificabat *fluminis impetus :* nempe ut fons habet *fluminis rivi.* Alii Cedronem torrentem intelligunt; alii fontem Siloë, de quo poſtea plurimus ſermo fiet, qui abundanter per diverſos canales, ſive diverſis rivis influebat in urbem. Hunc fontem Joſephus in libro 6. de Bello Judaïco vocat γλυκεῖαν καὶ πολλήν. *Fontem dulcem ac plurimum.*

SECTIO IV.

Origo urbis Jerusalem. Quæ gens illam primùm incoluit, sive occupavit locum in quo condita est. Quibus nominibus appellata; & horum nominum etymologia.

PRiusquàm ingrediamur sanctam civitatem, origo ejus indaganda, si fortè possimus cognoscere quæ gens locum in quo condita est, primitùs tenuerit. Solymi celebrantur ab Homero non semel. Hos vetus Poëta Cherillus dicit Phœnicum fuisse colonos, & habitasse montes quibus subjectus est lacus. Josephus, qui hunc Poëtam allegat in libro contra Apponem, dicit ab eo intelligi Judæos & lacum Asphaltidem, qui proximus est Hierosolymis. His simile quidpiam dixit Tacitus (in libro quinto Historiarum.) » Sunt, inquit ille, qui tradant, As» syrios convenas, indigum agrorum populum, par» te Ægypti potitos, ac mox proprias urbes, He» bræasque terras, & propiora Syriæ coluisse. Cla» ra alii Judæorum initia; Solymos, carminibus Ho» meri celebratam gentem, conditæ urbi Hieroso» lyma nomen è suo fecisse. » Apud Stephanum in libris de urbibus. » Hierosolyma Judææ metropo» lis, Solyma vocabatur à Solymis montibus. Hæc adstruit Josephus & in Antiquitatibus lib. 7. cap. 3. ubi postquàm dixit urbem Jerosolymam *Solyma* nominari, subdit. *Etiam Homerum aiunt nonnulli, horum Solymorum meminisse.* E montibus Solymorum poëta dicit quod Neptunus prospectaverit Ulyssem ad Phæaces navigantem. Sed ut eruditus Bochartus censet in libro primo suo Chanaan cap. 6. Solymi illi neutiquam sunt Hierosolymitani. Ciliciæ vicina est Pisidia, montana regio, quam occupabant Pisidæ Solymorum soboles, ut scribit Plinius libro 5. cap. 27 *Insident verticem Pisidæ, quondam Solymi appellati.*

Hierosolymorum eam originem adstruit Josephus in libro 7. de Bello cap. 18. *Primus conditor Hierosolymorum fuerat Chananæorum Dynasta, qui patriâ linguâ justus appellatus est rex, erat quippe talis.* Intelligit Regem Melchisedech, *ideòque Sacerdotium Deo primus exhibuit, & fano primùm ædificato, Hierosolymam civitatem vocavit; cùm antè Solyma vocaretur.* De isto Melchisedech Rege Salem sic loquitur Scriptura in Genesi capite 14. cùm occurrit Abrahæ revertenti à cæde Chodorlahomor. *At verò Melchisedech rex Salem proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi, benedixit ei & ait, benedictus Abram Deo, &c.* Scriptura non indicat quæ sit illa urbs Salem, quam aliam esse ab Jerusalem contendit Hieronymus Evagrio scribens. *Considerandum quoque est*, inquit, *quòd Abrahæ à cæde hostium revertenti, quos persecutus est usque Dan, quæ hodie Paneas appellatur, non de viâ Hierusalem sed de oppido metropoleos Sichem, in itinere fuerit*, [obvius, quod nomen omissum crederem. Ab omnibus quidem libris editis abest; sed necessario reponendum est] *de quo in Evangelio quoque legimus. Erat autem Joannes baptisans in Aenon juxta Salim, quia aquæ erant multæ ibi. Nec refert utrum Salem, aut Salim nominetur, cùm vocalibus in medio literis perrarò utantur Hebræi, & pro voluntate lectoris, atque varietate regionum eadem verba diversis sonis, atque accentibus proferantur.* Et in libro de locis Hebraïcis. *Salem civitas Sichimorum, quæ est Sichem, &c. Josephus verò Salem esse affirmat, in quâ regnavit Melchisedech, quæ posteà dicta est Solyma, & ad extremum Hierosolymæ nomen accepit.* Certum au-

A tem est Salem esse unum ex nominibus civitatis sanctæ. In Psalmo 75. Judæa & Jerusalem laudantur quòd ibi Deus posuerit sedem majestatis suæ.

1. *Notus in Judæâ Deus: in Israël magnum nomen ejus.*

2. *Et factus est in pace locus ejus: & habitatio ejus in Sion.*

In fonte Hebræo: *& factus est in Salem locus ejus.* Etsi in montem Sionis David Arcam deduxerat; quæ est scabellum pedum Domini, tamen ob viciniam Psaltes potuit dicere Deum posuisse sedem suam in Salem.

Eo tempore quo Josuë in terram promissam ingressus est, Jebusæi tenebant Hierosolymam, quæ B ab illis dicebatur Jebus; ut dicitur in libro Josuë cap. 15. 63. *Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non potuerunt filii Juda delere: habitavitque Jebusæus cum filiis Juda in Jerusalem usque in præsentem diem.* Intelligo diem, quo hæc scribebantur ab auctore libri Josuë; qui iterùm dicit Jebus & Jerusalem esse eandem urbem. Eadem dicuntur in primo capite libri Judicum. *Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non deleverunt filii Benjamin: habitavitque Jebusæus cum filiis Benjamin in Jerusalem usque in præsentem diem.* Videbimus infrà quando & quomodo Jebus, sive Jerusalem expugnata sit à Davide, qui eam regni sedem, sive metropolim fecit. Sed inter tam varias opiniones quæ ve- C rior esse potest etymologia nominis ejus?

Eusebius libro nono Præparationis Evangelicæ ridiculam affert etymologiam ex quodam Eupolemo; Nimirùm cùm Salomon regiam ædificasset primùm appellatam ejus nomine; undè postea dicta *Hierusalem* aucto nomine quasi ἱερὸν *Hieron* Salomonis, hoc est, ædes, sive templum Salomonis. Hanc etymologiam ut ineptam meritò repudiat Hieronymus scribens ad Evagrium. *Salem autem*, ait, *non ut Josephus, & nostri omnes arbitrantur, esse Hierusalem nomen ex Græco Hebræoque compositum; quod absurdum esse, peregrinæ linguæ mixtura demonstrat: sed oppidum juxta Scythopolim, quod usque hodie appellatur Salem, & ostenditur ibi pala-* D *tium Melchisedech, ex magnitudine ruinarum veteris operis ostendens magnificentiam: de quo in posteriore quoque parte Geneseos scriptum est: venit Jacob in Socoth, id est, in tabernacula, & fecit ibi domos, atque tentoria, & transivit in Salem civitatem regionis Sichem, quæ est in terrâ Chanaan.* Meritò Hieronymus ex parte repudiat etymologiam quæ supponit ineptam diversarum linguarum mixturam; sed evincere non potest, Salem in quâ regnabat Melchisedech non fuisse saltem partem Hierosolymorum. Aliam & ineptiorem etymologiam, quam quidam Lysimachus commentus fuerat, redarguit Josephus in primo libro contra Appionem. Judæi de Ægypto pulsi, inquiebat Lysimachus, in Judæam pervenerant per deserta. Ibi malè tractatis E hominibus & templis expilatis atque incensis, urbem condiderunt; quam ex re ipsâ ἱερόσυλα nominarunt; & aliquantò post, vitandi probri causâ mutaverunt nomen & urbem Hierosolymam & seipsos Hierosolymos vocaverunt, nomine quod compositum est ex duobus nominibus illis Græcis ἱερὸν *templum* & συλάω *prædor, spolio.* Hanc originationem facilè confutat Josephus; quòd non possit derivari ex linguâ Græcâ quæ forsan necdum formata erat, cùm primùm Jerusalem condita fuit. Ex ipsâ verò linguâ conditorum ejus nimirùm Hebræâ decet veram originem accersere. Nomen illud *Jerusalem*, sive *Hierusalem* constat duabus vocibus Hebraïcis שלם *salem* & ירו *jeru.* Prima idem sonat ac *pax* & *securitas.* Ex Salem autem Græci *Solyma* fecerunt.

Alteram

Altera vox ירו *jeru* derivatur à ראה *raa* vidit A in futuro יראה *ierae*; undè ראות *reoth*, quod est visio. Scilicet nomen sanctæ civitatis fuit vaticinium quòd in illâ aliquando videretur Deus, majestate suâ implens templum. Mons Moria adjunctus erat huic urbi. In eo olim Abrahæ se conspicuum fecerat Dominus. *Undè usque hodie dicitur: in monte Dominus videbit.* De Moriâ ille est sermo in Genesi cap. 22. Mons, inquam, ille dictus est *mons visionis;* quia in hoc monte & in totâ urbe Jerusalem videndus erat Deus, quando indutâ carne toties templum frequentaret, & cum hominibus versaretur bibens & manducans, oculos eorum miraculis percellens, sermonibus implens aures. Ita Jerusalem fuit urbs *visionis;* sed & pacis & B securitatis, quatenus typus Ecclesiæ, extra quam nemo tutus esse potest. Aben-Ezra vult Jerusalem, quæ primùm dicta fuerat *Salem*, postea *Jerusalem* terrifico nomine à Jebusæis appellatam, quasi sic secum locuti fuerint יראו שלם, id est, *timete Salem.*

Sulamitis illa quæ inducitur loquens in Cantico Canticorum capite 6. est ipsa Jerusalem. Etenim illa sponsa Salomonis, cujus amores canuntur in hoc Cantico, non erat filia Pharaonis, ut ex nomine colligit Mercerus, sed Jerosolymitana. Ad literam Canticum illud epithalamium nuptiarum Regis cum Jerosolymitanâ sponsâ; quæ ibi dicitur *terribilis velut castrorum acies ordinata.* Nova Jerusalem, sive Ecclesia reipsâ terribilis, & de illâ dici potest quod C Jebusæi de Salem, *timete Ecclesiam.* Hîc exponam dialogum hujus sponsæ. Cùm descendisset ad hortum, inquit, ut videret an floruisset vinea, sive potiùs ut ibi videret sponsum, eâ celeritate, ut non velociores fuerint currus Aminadab: ut loquitur Vulgatus *propter quadrigas Aminadab; non novi*, id est, non sensi, non adverti, *anima mea posuit me:* quasi dicat: me imprudentem reddidit incredibile desiderium adeundi horti ubi erat sponsus meus. Me autem revocabant puellæ & mulieres Jerosolymitanæ his verbis: *revertere, revertere Sulamitis: revertere ut intueamur te.* His respondi: *quid videbitis in Sulamite nisi choros castrorum.* Id est, quid in me spectabitis, vos quæ mihi occurritis velut geminæ acies, ut solet fieri cùm in choris D Regi obviam eunt; vel quid in me spectabitis, aliud quàm terrificam quandam & admirandam majestatem, qualis in castris ad præliandum paratis conspici solet. Illa Jerosolymitana sponsa repræsentabat novam Jerosolymam, quæ, ut dixi, ipsa est Ecclesia, cui verus Salomon nupsit.

Non opus est ut pluribus verbis prosequar alia nomina Jerusalem. Dicitur *civitas sancta*, ut vidimus, & *civitas sancti*, id est, Dei, ut expressè multis in locis. Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei, Psalmo 86. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Psal. 45. Alibi appellatur *civitas munita.* Nec immeritò, ut liquebit cùm descripserimus arces, turres, muros ejus; sicut & *perfecti decoris, gaudium* E *universæ terræ.* Jucunda erat Jerusalem; nam, ut scribit Josephus, horti eam & pomaria præsertim à septentrione per 13. milliaria, sicut ipsum Domini paradisum circundabant. Denique nominatur *filia Sion* à parte ejus præcipua.

SECTIO V.

De gloriâ, sanctitate, miraculis urbis Jerusalem. Omnibus Judæis exteris in illâ patebant ubique libera hospitia, cùm religionis ergo huc veniebant.

Cum descripserimus civitatem sanctam, turres, mœnia, pomeria, suburbia, tunc manifesta erit gloria ejus. Magnum illi decus Deus contulerat, quippe quî statuisset eam in typum alterius Jerusalem, quæ nova descendit de cælo; scilicet Ecclesiæ Christianæ, quæ totum orbem terrarum sic impletura erat splendore nominis sui, ut neminem latere posset. Jerusalem in altis montibus fundata non poterat ignorari: neque enim urbs in montibus posita abscondítur, ut dicit Dominus in Evangelio. Tantam verò gloriam non decet paucis verbis perstringere. Hierosolymæ convenit quod à Tito Livio lib. 1. dictum est de Româ: *Nulla unquam Respublica nec major, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit*, sed magis decet usurpare verba sacra; Regis Psaltis quibus celebratur Psal. 86.

1. *Fundamenta ejus in montibus sanctis: Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.*

Psaltes cujus animo obversabatur Jerusalem, ex abrupto orditur enchomium ejus, quasi secum colloqueretur; ita non nomina eam, quippe rem notam enarrans Laudat primùm à fundamentis ejus quæ non poterant subduci; neque enim supra arenam, sed supra petricosos colles erat. Fundata in montibus, non exposita illidentibus torrentium aquis, nec subjecta ingruentibus hostibus. *In montibus;* non enim in uno monte: circuitus ejus non unum collem complectebatur. *Sanctis* propter Dei apparitionem, & ibi electam suam domum, posthabitis cæteris filiorum Jacob tabernaculis. *Diligit Dominus portas Sion.* Hoc nomine appellabatur civitas sancta, typus erat Ecclesiæ adversùs cujus portas prævalere non possunt portæ inferi.

2. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.*

Possunt de te gloriosa, magnifica prædicari. Tu electa es civitas Dei. Tuis fundamentis, mœnibus, turribus, ædificiis, templo nobilis es; sed potissimùm ob mysteria quæ in te completa sunt; ob viros doctrinâ & virtute claros qui apud te nati sunt.

3. *Memor ero Rahab & Babylonis scientium me.*

Inducitur Deus loquens & pronuntians aliquando populos potentes, adoratum ascensuros Jerosolymam. *Rahab*, id est, Ægyptum. Tunc memorabo inter scientes me, sive cultores meos in templo Jerosolymitano Ægyptios, Babylonios, Chaldæos

4. *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.*

Laudatur Jerusalem, quòd esset velut mater omnium gentium, vera totius orbis metropolis: quatenus typus Ecclesiæ Christianæ, quæ excipit omnes populos, ad quam confluxêre gentes diversæ. In fonte *ecce Palestina.* Philistæi appellantur à LXX. ἀλλόφυλοι alienigenæ *Et Tyrus cum Æthiopiâ ille natus est ibi.* Scilicet pro incolis habent eos qui ibi nati sunt: aut non omnes homines in illis urbibus nati sunt; sed ipsa Sion omnium populorum quasi cunabulum est.

5. *Nunquid Sion dicet: homo & homo natus est in eâ: & ipse fundavit eam Altissimus.*

In fonte: *& ipsi Sion dicetur vir & vir*, id est. quisque homo, sive omnis homo *natus est in eâ.*

Sion verò est quasi omnium patria urbs; quod de A novâ Jerusalem, sive Ecclesiâ verum est. *Et firmavit eam Altissimus*, statuit, fundavit eam, ut orbem terrarum fecit omnibus hominibus communem sedem. Advocaturus enim erat omnes gentes in Ecclesiam, quas ut indigenas exceptura erat sinu suo.

6. *Dominus narrabit in scripturis populorum & principum, horum qui fuerunt in eâ.*

Videtur alludere Psaltes ad morem Regum dum censent subditos suos. In catalogos referunt eorum nomina, ætatem, conditionem. Fons sic reddi potest: *Dominus numerabit in scribendo populos*, id est, referendo in catalogum: *iste natus est ibi*. Nimirùm reperiet omnes populos censeri posse cum Hierosolymitanis, quia adjungent se illis socios; am- B plexabuntur verum Dei cultum. Ibi nomen שרים redditur a Vulgato Interprete *principes*, sed & cantores significat, & in fonte reperitur in versu sequenti.

7. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.*

Epiphonema est, sive exclamatio vatis, qui de gloriâ Sionis agens, simul & prædicat felicitatem. In fonte & *cantorum* & *tibicinum*, sive tripudiantium *omnes fontes mei in te*. LXX. verò legerunt non מעיני *maine fontes mei*, sed מעון *maon* κατοικία idem sonat ac *habitatio*. Itaque sensus esse potest: omnes qui te incolunt semper lætantur in templo cantantes & lætantes; ut præcipit Deus in Deuteronomio cap. 12. 18. agitanda esse convivia in tem- C plo solemnibus diebus: *Et lætaberis & reficieris coram Domino Deo tuo.*

Præcipua gloria urbis erat ipsa sanctitas ejus, quippe domus Dei; quam ergo decebat esse sanctissimam, cujus intra muros resideret majestas Dei. Cùm apparuit Moysi in rubo: *Ne appropies huc*, inquit ad illum Deus: *solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est.* Ideò etiam castra Israëlitarum, quia in illis Tabernaculum Dei erectum fuerat, sancta erant; sanctiora quidem ubi circa Tabernaculum metabantur Levitæ: sanctissimum ipsum Tabernaculum. Tria illa castra nempe populi Israëlitici, Levitarum, & Tabernaculi repræsentabat Hierusalem intra sua pomeria. Nimirùm spatium omne urbis quod à radici- D bus montis, sive à portis montis usque ad atrii portas, interjacebat, habebatur pro castris Israëlitarum; & omnis locus qui erat citra has portas pro castris Dei; ut dicit Maimonides in tractatu *beth hamikdas*, sive de Domo Sanctuarii. Hæ autem erant leges sanctitatis servandæ juxta hunc Rabbinum in Jerusalem. *In eâ ne pernoctare hominem mortuum, neve per illam hominis ossa transferri sinunto: domum in eâ ne locanto: nec proselyto inquilino locum præbento: sepulchrum ne servanto, præter illa gentis Davidicæ, & Oldæ Prophetissæ sepulchra, quæ in eâ fuerant ab primorum usque Prophetarum temporibus: horti nulli, nulla pomeria inseruntor: illam neque seminanto, nec aranto, ne forte fœteat: nullam in* E *eâ arborem servanto præter rosetum; id enim à primorum memoriâ Prophetarum in eâ fuit: sterquilinium in eâ diu ne tenento, propter immundos, quæ ferè gignuntur ex eo, serpentes, animantes: trabes aut podia publicum in locum ne prominento, ne videlicet inquinamenti fiat tentorium.* Omnes qui tentorium hominis mortui ingressi fuerant, immundi censebantur per septem dies; ita qui transirent sub podio, in quo esset cadaver, nescientes potuissent immunditiem contrahere. *Nullæ propter fumum in eâ fornaces fiunto: gallinas in eâ propter sacra ne nutriunto: similiter Sacerdotes, ut se puros conservent, in omni Israeliticâ terrâ gallinas ne nutriunto: domus ne cujusquam propriæ sunto.* Hæc ultima verba infra exponuntur. Quia reptilium tactu res contaminantur, reptilia vero, eorumve minimas particulas gallinacei sæpè è sterquilinio, vel aliundè ex terrâ unguibus fodiendo eruunt; magistris placuerat gallinaceos arceri. Cùm igitur tanta cautio adhiberetur, non mirum si Jerusalem, ut dicit Appianus in libro de Bellis Syriacis, haberetur ἁγιωτάτη *sanctissima*.

Amplissima fuit illa civitas, ad quam saltem ter in anno omnibus Israëlitis ab omni orbis plagâ properandum erat; ubi synedrium magnum, sive consessus supremus, in quo majores causæ dijudicabantur, nempe lites quæ in patriâ urbe non potuerant finiri. Ampla, inquam, erant hujus urbis diversoria his omnibus excipiendis, qui religionis ergo, vel causâ litigii adventarent, & commorarentur toto tempore quo vacabant suis agitandis litibus, & implendis votis. In Xenodochiis, tabernis, cauponis multa fiunt avarè, turpiter, flagitiosè, ut qui illa loca ineunt, vix possint se mundos servare. Ne id fieret Hierosolymis præcaverat Deus. Urbs erat metropolitana, quia imperabat cæteris urbibus; quæ inde emissis legibus regebantur. Sed & verè Judæorum omnium mater; quos liberali excipiebat hospitio; & sine pretio reserabat cænacula, triclinia, ut quisquis advena in illis tanquam in propriis laribus versari posset. Scilicet nulli Hierosolymitano propriæ erant ædes; sed cæteris Judæis in illas jus erat; ita ut quando quis in quaspiam vacuas ingressus esset, per dies solemnes, poterat in illis verbi causâ Pascha suum parare & manducare, cæteraque perficere quorum gratiâ venerat Hierosolymam. Id adstruit Henricus Otho in Lexico Rabbinico ex Talmude: *Non dividebatur Jerosolyma inter tribus, nec proindè mercede conducebantur domus Hierosolymitanæ, quia propriæ non erant; accedentes ad festum proindè gratis hospitia habebant, relinquebant tamen suis hospitibus coria sacrificiorum, & cantharos suos testaceos.* Propterea in tractatu de Patribus Rabbi Nathane auctore dicitur capite 35. *Non dixit quis socio suo, non inveni furnum ad assandum Pascata Hierosolymis à sæculo. Non dixit quis socio suo, non inveni lectum ubi dormirem Hierosolymis à sæculo. Non dixit quis socio suo, angustus nimis est locus mihi, quàm ut Hierosolymis pernoctem.* Mos ille obtinuerat ab eo tempore, quo Jerusalem evasit civitas princeps, & cœpit in eâ religio exerceri. Igitur potiori jure quis diceret de hac sanctâ civitate, quàm de Romanâ urbe Aristides Græcus Rhetor, fuisse velut commune totius terræ oppidum. Omnes gentes quasi vicatim divisas ad hanc suam arcem convenire: quæ nunquam ulli se negat; sic ut terræ solum fert omne, sic hæc omnes homines capit. Hac animadversione accedit lux Psalmo 121.

1. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.*

Inducitur Israëlita proficiscens ad festum, & ideò sibi gratulans: quasi dicat: Gavisus sum admonitus de suscipiendo itinere ad locum quem elegit Dominus ad inhabitandum.

2. *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem.*

Nobis continget ut stemus in portis tuis, ut fons dicit, Græci sensum secuti posuerunt ἐν αὐλαῖς in atriis; ut excipiamur in tuis ædibus, ô Jerusalem.

3. *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas: cujus participatio ejus in idipsum.*

Qui loquitur reddit rationem suæ lætitiæ; nam ibi excipiemur veluti in urbe propriâ, in propriis laribus. Jerusalem ædificata est ut civitas, *cujus participatio ejus in idipsum*, id est *consociationis*. Sic

licet fontem interpretari. Nempe ædificata est ut A commodissimè se in eâ congregarent universi populi. Græca verba perpendenda, quæ fontem latis exprimunt. Verbum Hebræum חבר *chouvar*, id est, *associatus fuit*, cohæsionem designat, sive potiùs participationem; nempe Judæos omnes participes esse ædium Hierosolymitarum, sicut propriarum ædium ἧς ἡ μετοχὴ αὐτῆς ἐπὶ τὸ αὐτό. Ita apud Lucam cap. 22. 11 cùm Dominus voluit facere Pascha Hierosolymis, misit discipulos tanquam in propriam domum, ad cujusdam ædes quas sciebat vacuas cum his verbis: *Dicit tibi Magister, ubi est diversorium, ubi Pascha cum discipulis meis manducem? & ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate.* Id quod dicimus de istâ consuetudine sub- B sequens versus confirmat.

4. *Illic enim ascenderunt tribus tribus Domini: testimonium Israël ad confitendum nomini Domini.*

Necesse erat ut provideret Deus hospitiis Judæorum, cùm Hierosolymam ascenderent; non pauci enim sed *tribus tribus*, nempe singulæ tribus; ita ut hospitum multitudo infinita esset. Tribus Domini sunt ipsi Israëlitæ qui poulus sunt Dei. *Testimonium Israel*; supplendum *juxta*. Videlicet Israëlitæ non temerè ascendunt, non superstitiose, non incerto tempore, sed conformiter divinis testimoniis, sive legibus de trinâ ascensione ad sanctam urbem datis: *ad confitendum* nempe ad celebrandum nomen Domini: ad exhibendum cultum qui C illi debetur.

5. *Quia illic sederunt sedes in judicio: sedes super domum David.*

Extra Jerosolymam majores causæ non poterant dijudicari *Quia ibi sederunt* posita sunt *solia ad judicium*. Sic ad verbum redditur fons, *solia domui David.* Ibi synedrium magnum, consessus supremus, in quo *domus David*, familia Davidica sedet super throno, regens Israëlitas, ita pariter regni & religionis caput est, quo ergo ascendendum, tum causâ religionis, tum causâ litium.

6 *Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem: & abundantia diligentibus te.*

O socii, qui mecum Jerosolymam properatis, conjungamus preces, ut pace, id est, omnibus bo- D nis pacis Deus cumulet sanctam civitatem *Et abundantia diligentibus te* nempe ut sit abundantia In Græco font εὐθηνία ab εὐθύνω *dirigo, corrigo*. Hocce verbo LXX exprimunt Hebræum שלה, quod significat *tranquillum, quietum, fortunatumque*. Qui canunt hunc Psalmum, precemur, inquiunt, ut omnes qui diligunt Deum sint tranquilli & felices.

7. *Fiat pax in virtute tuâ: & abundantia in turribus tuis.*

Sit pax in antemurali tuo, in propugnaculis tuis, in tuo חיל *chel*; quæ vox redditur à LXX. δύναμις *virtus* & *potestas*. Undè Latinus Interpres appellavit virtutem, quod clariùs dixisset antemurale, vel E propugnaculum. Ibi posuit turres pro quibuscumque ædificiis. In fonte legimus ארמנות *armenot* quæ palatia sunt. Sensus est: sit abundantia in palatiis & cæteris ædificiis quæ intra muros tuos continentur.

8. *Propter domum Domini Dei nostri quæsivi bona tibi.*

Ideò chara nobis Jerusalem, quia à Deo electa est in domum; & accolis ejus adprecamur fausta Rabbi Nathan in tractatu de Patribus capite 35. his quæ diximus de Hierosolymorum miraculis, sequentia addit, quod ibi homo non in alium irruit: neque impegit quis: non unquam contigit incendium: non abortivum fuit.

CAPUT II.

David Jebusæos ex urbe Jerusalem, quam tenebant, expulit, primùm expugnatâ superiori parte ejus quæ dicebatur Sion. Hùc Arcam Dei transtulit; ideò Sion dicta est civitas David.

SECTIO I.

David expugnat superiorem partem Jerosolymorum; cui custodiendæ, quia naturâ loci defendebatur, non alios quàm cæcos & claudos Jebusæi apposuerant in contemptum ejus.

PRimordia urbis Jerusalem sicut plurium urbium etiam magnarum obscura sunt & latent; sed ex quo cœpit esse domus Dei, ignorari non potest; quomodo enim expugnatâ Sionis arce Jebusæos, qui Jerusalem tenebant, expulerit David, & hùc Arcam Dei transtulerit; narrat Scriptura in secundo libro Samuelis capite 5. & tempus signat quo ea contigerint; cùm scilicet David, Saüle mortuo, in Regem inunctus est super Israël in Hebron, congregatis ibi omnibus Israëlitis. Statim ille cùm viris qui aderant profectus est adversùs Jebusæos, & his bellum indixit, ni patefacerent portas Jerusalem, & ex illâ cederent. Verisimile est Davidem C jussu Dei id fecisse ut hanc urbem assereret populo suo, qui in eâ liberè munia traditæ religionis exerceret. Igitur David, filius triginta annorum cùm regnare cœpisset in Hebron, in quam urbem omnes Israëlitæ convenerant ut eum ungerent, cum illis ascendit Hierosolymam, quæ potuit appellari Jebus, de nomine suorum incolarum, qui portas urbis suæ referare Davidi noluerunt.

6 *Et abiit Rex, & omnes viri qui erant cum eo, in Jerusalem ad Jebusæum habitatorem terræ, dictumque est David ab eis: non ingredieris hùc, nisi abstuleris cæcos & claudos, dicentes: non ingredietur David hùc.*

Conjectare licet Davidem, antequàm oppugna- D ret Jerusalem, significasse Jebusæis nomine Dei ut hac urbe cederent, quam inhabitationem suam elegerat; qui cùm haud annuissent, confisi præsidio loci, per contemptum Davidis non alios milites quàm cæcos & claudos disposuissent super muros, ita concitavere in se illius iram, maximè hoc dictorio non intrabis in urbem, nisi priùs deturbatis his cæcis & claudis. Rem sic contigisse adstruit Josephus in libro 7. Antiquitatum cap. 3. postquàm mortuo Saüle David electus est in Regem ab omnibus Israëlitis qui in Hebronem confluxerant, cum omnibus copiis suis Hierosolymam profectus est, inquit Josephus, & subdit. « Jebusæi verò qui tum urbem incolebant Chananæorum, & ipsi generis, « E clausis ad ejus adventum portis, & in mœnibus « quotquot erant cæci vel claudi aut alioqui mutili, « in contemptum Regis collocatis, dictitabant « hos ad arcendum hostem sufficere, freti muni- « tionum firmitate. Quo ludibrio ad iram excitatus « oppugnationem aggreditur: & cùm strenuâ mili- « tum operâ uteretur, omnibus adnitentibus, ut u- « nius urbis expugnatione, cæteris si qui similiter « pertinaces essent, metus incuteretur, vi inferio- « rem urbem occupat. « Fontem Hebræum in quo refertur hocce ludibrium Jebusæorum sic Ludovicus de Dieu reddit: « Non intrabis hùc, verùm removebit te quisquis cæcorum & claudorum di- « centium, non intrabit David hùc. «

In Davidis contumeliam, ut dictum est, non a-

nos quàm cæcos & claudos custodes mœnibus apposuerant Jebusæi. Sed quomodo, inquit Clericus, cùm hæc vitia è longinquo spectantibus cerni nequeant, qui poterat David scire hos custodes fuisse cæcos & claudos; muri enim præ alti erant. Rabbini somniant hos cæcos & claudos fuisse duas imagines, quarum una cæca retulerit Isaachum, cujus oculi in senectute caligabant: altera clauda Jacobum, qui uno femore claudicabat. Has imagines in ore gestasse fœdus, quod Abrahamus cum Abimelecho ejusque posteris iniit, de noxâ non inferendâ. Ergo vi hujus juramenti prohibitum Davidem, arcem Sionis, quæ ad posteros Abimelechi, ut aiunt, pertinebat, invadere, donec captis imaginibus, iisque remotis fœdus primum aboleretur. Hanc fabulam conatur Dougtheius defendere in Analectis sacris quem Clericus sequitur in Commentario suo. Opinantur hos cæcos & claudos fuisse deos tutelares Jebusæorum, de quibus Israëlitæ canebant: *Simulacra gentium argentum & aurum, oculos habent & non videbunt, pedes habent & non ambulabunt.* Davidici opinabantur imperium Jebusæorum his Diis stare; quod ergo, nisi illi excederent, cadere non poterat. His missis fabulis oppugnationem urbis Jerusalem prosequamur.

7. *Cepit autem David arcem Sion, hæc est civitas David.*

Quam arcem cùm cepisset, munivit, & elegit eam ad inhabitandum, undè dicta est civitas David.

8. *Proposuerat enim David in die illâ præmium, qui percussisset Jebusæum, & tetigisset domatum fistulas, & abstulisset cæcos & claudos odientes animam David. Idcircò dicitur in proverbio: cæcus & claudus non intrabunt in templum.*

Jerusalem, qualis erat etiam dum incoleretur à Jebusæis, duplici urbe constabat superiori & inferiori. Statim David κατειλήφει *inferiorem urbem* invaserat, ut innuit Josephus. *Resistente autem solâ arce,* vel potiùs superiori urbe, τῆς ἄκρας λειπομένης *decrevit propositis honoribus ac præmiis militem ad rem acriter gerendam excitare, promisitque ei, qui per subjectam vallem in arcem* εἰς τὴν ἄκραν *evasisset, totius exercitûs imperium se commissurum. Et cùm eò certatim omnes eniterentur, cupiditate summa præfecturæ accensi, Sarviæ filius Joabus alios prævenit, & conscensâ arce clamore sublato à Rege promissum copiarum imperium repoposcit.* Expendenda singula verba, quibus Vulgatus Interpres hanc historiam narrat. David promiserat præmium ei *qui percussisset Jebusæum & tetigisset domatum fistulas, & abstulisset cæcos, &c.* Quæ sunt istæ fistulæ? Interpres intellexit tubos, quibus è domatibus, sive ædium tecto defluit imber. Sed quis credat eas fistulas viam & ascensum præbere potuisse armatis militibus? Secundùm Josephum David jussit militibus ingredi in civitatem διὰ τῶν φαράγγων. Interpres Latinus malè vertit *per subjectas valles.* Nomen quidem φάραγξ significat valles, sed & *præcipitium*, sive locum præruptum, cavitatem terræ. Aqua quæ defluit ex montibus solet sibi excavare alveum instar canalis & tubi. In fonte id nominatur צנור *tzinor fistula canalis.* ὁλκὸς τ͂ ὕδατος, id est, tractus, sulcus per quem defluit aqua, Interprete Theodoreto. Tales sulcos cùm David advertisset intra quos tuti esse poterant milites; jussit hac viâ pervadere usque ad summam arcem; quod cùm fecissent, facilè cæcos & claudos deturbaverunt. Sunt qui pro צנור *tzinor* legerunt צנה *tzina*; quæ vox in singulari numero sonat idem quod clypeus; in plurali צנות *tzinoth* aculei, sive hami aculeati. Hocce nomen videntur LXX. legisse, siquidem ab eis sic redditur

A fons ἁπτέσθω ἐν παραξιφίδι *tangat in pugione*; meliùs juxta meam sententiam ab Aquilâ ἁπτόμενος ἐν κρουνῷ *tangens in fistulâ*, sive *in aquæ ductu.* Ubi milites Davidis per hos sulcos pervenerunt ad montis verticem, potuerunt uti scuto suo, & cæcos propellere & dejicere in valles subjectas, simul pugionibus suis confodere; vel hos infigendo in sulcis per quos ascendebant, usi sunt pro scalis; quod & fecisse Alexandri magni milites legimus apud Q. Curtium lib. 7. in obsidione Petræ, quæ rupes altissima erat. Incolæ ejus freti loco superbè respondebant, an Alexander volare posset. Ille milites suos, quos excitavit præmiis similiter ac David jussit ferreos cuneos secum ferre quos inter saxa defigerent. His per locum, quem incolæ, ut pote præruptum negligebant, evaserunt ad cacumen. B

Revertamur ad illud: *idcircò dicitur in proverbio: cæcus & claudus non intrabunt in templum.* Fons habet הבית *el beth*, id est, domum, opinor Vulgatus intellexit templum, quod sæpiùs dicitur *domus*, nempe Dei. Similiter LXX. intellexerunt de domo Dei; sed constat in templum ingredi etiam solitos cæcos & claudos. Claudus in Actis cap. 3. sedebat ad portam templi. Sic verò fons accipi potest ut nullum sit proverbium. *Dicebant* Jebusæi, *cæcus & claudus non intrabunt domum hanc*; nempe quæ in monte prærupto sita esset; ad cujus ergo verticem cæci & claudi pervenire non poterant. Deridebant, cavillabantur Davidem & milites ejus; C quasi tentarent rem arduam quæ superaret vires eorum & industriam: *dicendo non veniet David huc.* Bochartus in Phalec lib. 4. c. 36. sic exprimit. *Non hùc accedes quin te arceant cæci & claudi, id est, ignarissimi quique* quibus David provocatus in hæc verba prorupit: quisquis Jebusæum percusserit primus, erit dux & Imperator. Rursus quisquis percusserit Jebusæos, ut dejiciat in alveum, muro proximum, tam cæcos quàm claudos Davidi maximè exosos. Hæc eadem Historia perstringitur in Paralipomenis lib 1. cap. 11. de more hîc verba quæ eadem sunt ac Regum exscribam.

4. *Abiit quoque David & omnis Israël in Jerusalem: Hæc est Jebus ubi erant Jebusæi habitatores* D *terræ.*

Tunc & Jerusalem poterat appellari Jebus nomine suorum incolarum, ut jam dixi.

5. *Dixeruntque qui habitabant in Jebus ad David, non ingredieris hùc.*

Noluerunt reserare portas urbis suæ, & illam cedere ad inhabitandum.

6. *Porro David cepit arcem Sion, quæ est civitas David: dixitque, omnis qui percusserit Jebusæum in primis, erit Princeps & Dux. Ascendit igitur primus Joab filius Sarviæ, & factus est Princeps.*

Scilicet ascendit Joab per illos sulcos depressos, quos excavaverat aqua imbrium defluens ex vertice collis.

E

SECTIO II.

David muniit Sionem in quâ domum suam posuit; undè Sion dicta civitas David; & domum suam exornavit, ut in illâ Arcam Dei dignè locaret.

Jerusalem, ut dixi, etiam dum tenebatur à Jebusæis in superiorem & inferiorem distinguebatur. Superior dicebatur Sion; inferior Salem; cujus pars erat quæ dicebatur *Acra*, à verbo Hebræo הקרה *hacrah* occurrit. Hanc partem urbis Salem & ἄκρα appellat Josephus; apud quem nomen illud æquivocum est. Græcè ἄκρα significat *arcem*; & ubi sermo est de superiori civitate arx intelligenda

eſt in Sione, ut intelligit Joſephus, dum dicit κάτω-πόλιν à Davide cæptam & ſolam τὴν ἄκραν reſtitiſſe; A
neque enim ibi ſermo erat de eâ parte inferiori urbis quæ & eidem Joſepho ſæpiùs dicitur Ἄκρα, ut poſteà evincam.

9. *Habitavit autem David in arce & vocavit eam civitatem David, & ædificavit per gyrum à Mello & intrinſecùs.*

Senſus hujus loci eſt Davidem elegiſſe Sionem in quâ domum ædificaret, & habitaret. Sion, ut diximus, erat veluti arx reſpectu inferioris urbis. Ita *habitavit in arce*. In fonte במצדה *bemetzudah*. In Græcâ verſione ἐν τῇ περιοχῇ accipiendum de ipsâ Sione; quæ erat *præſidium, arx*. περιοχὴ eſt complexio, ambitus, præſidium. Non ergo diciturà Davide exſ- B
tructam fuiſſe arcem in parte Sionis, ſed ſimpliciter arcem, nempe Sionem, quæ verè arx erat, ab eo munitam. *Et vocavit eam civitatem David;* quia ibi domum ſuam locavit, non in urbe inferiori. *Et ædificavit per gyrum à Mello & intrinſecùs.* Videlicet Sionem cinxit mœnibus; quibus forſan priùs carebat, quod ſatis naturâ loci defenderetur. Cinxit Sionem *à Mello & intrinſecus*. Inter ſuperiorem & inferiorem urbem, vorago quædam erat, quam inſtruxit ædificiis Salomon. Hæc vorago ibi dicitur Mello per anticipationem, ut puto. David autem initium ſumens à Mello circumduxit muros וביתה *vebaietah*, id eſt, intrinſecùs, introrſum, ut amplecteretur mœnibus totam Sionem. LXX. ver- C
tunt καὶ ᾠκοδόμησεν αὐτὴν πόλιν κύκλῳ ἀπὸ τῆς ἄκρας καὶ τὸν οἶκον αὐτοῦ. *Et ædificavit ipſam civitatem in circuitu à ſummo & domum ſuam.* Ibi ἄκρα, vel ſummitas eſt Sionis, vel nomen eſt loci in urbe inferiori, qui eo tempore quo LXX. interpretabantur Scripturam appellabatur Ἄκρα; ita ut ſenſus ſit urbem inferiorem cum ſuperiori conjunctam fuiſſe muro. Quod clarè dicit Joſephus, qui ut modo videbimus, de utraque ſic urbe loquitur libro ſexto de Bello cap. 6. ubi agit de ſitu urbis. *Et ipſa quidem ſuper duos colles erat condita, contrariis frontibus ſemet inſpicientes, interveniente valle diſcretos, in quam creberrimæ domus deſinebant. Collium verò alter, quo ſuperior civitas* ἄνω πόλις *ſedet, multò eſt excelſior, & in pro-* D
lixitate directior; adeò ut quoniam tutus erat, φρούριον *caſtellum à Davide quondam Rege vocaretur... à nobis autem forum ſuperius. Alter autem qui appellatur* Ἄκρα *Acra inferiorem ſuſtinet civitatem & undique declivis eſt.*

Superiorem civitatem muniendam curavit David: *ejectis deinde* ἐκ τῆς ἄκρας *ex arce Jebuſæis & inſtauratis Hieroſolymis, rex eam civitatem Davidis appellavit, ac per omne regni ſui tempus domicilium inibi habuit.* Hæc Joſephus libro tertio Antiq. negligenter, ſi huc non irrepſerit ἄκρας pro ἄκρης, etenim, ut conſtat ex teſtimonio quod modò protulimus, David civitatem ſuperiorem, quæ eſſet φρούριον caſtellum, elegerat ad habitandum. Nomen Ἄκρα, ut E
poſtea evincemus, facit proprium urbi inferiori; quam & per manus Joabi dicit munitam poſtquàm David ab Hiramo accepit fabros: ut ſubjicitur in eodem codice ſacro.

10. *Et ingrediebatur proficiens & ſuccreſcens, & Dominus Deus exercituum erat cum eo.*

Regnum Davidis in dies augebatur, & fama nominis ejus percrebreſcebat, quâ ut videtur excitatus eſt Hiram ut mitteret ad eum legatos, & fabros offerret.

11. *Miſit quoque Hiram Rex Tyri nuntios ad David, & ligna cedrina, & artifices lignorum, artificeſque lapidum ad parietes, & ædificaverunt domum David.*

Videbimus Tyrios fuiſſe præſtantiſſimos artifices; quibus tunc David uſus, ut Jeruſalem inſtauraret; tum ſuperiorem, tum inferiorem. Ipſe Sionem ædificavit, Joab verò inferiorem; quod clarè dicitur in Paralipomenis, ubi eadem hiſtoria narratur lib. 1. cap. 11.

7. *Habitavit autem David in arce & idcircò appellata eſt civitas David.*

Ita non dubitandum quin ibi *arx* ſit ipſa Sion.

8. *Ædificavitque urbem in circuitu à Mello uſque ad gyrum, Joab autem reliqua urbis exſtruxit.*

9. *Proficiebaque David vadens & creſcens, & Dominus exercituum erat cum eo.*

In dies David potentior factus eſt; dum autem ſuperiorem partem urbis Sionem ædificaret, uſus eſt Joabo ut *reliqua urbis*, id eſt, alteram partem urbis muniret, nempe inferiorem quæ Acra dicebatur; quod clarè ſignificat Joſephus in loco quem cœpimus producere. *Cæterùm tempus quo apud Hebronem ſolius tribûs Judæ Rex fuit ſeptem anni fuêre & menſes ſex. Poſtquàm autem Hieroſolymis Regiam ſibi aptavit, in dies magis ac magis res ex voto ſuccedebant, Deo providente, ut ea urbs egregiis acceſſionibus, quàm celeberrima redderetur. Per idem tempus Iramus, legatione in hoc miſſâ, in amicitiam ac ſocietatem Davidis eſt receptus: miſitque ei dono materiam cedrinam, & architectos, ac fabros, qui Regiam ei Hieroſolymis ædificarent. David autem ſuperiorem urbis partem & arcem in eâ conditam in unum corpus redegit, cingendumque eiſdem munitionibus Joabo demandavit.* Poſtrema verba fontis Δαυίδης δὲ τήν τε ἄνω πόλιν περιλαβὼν καὶ τὴν ἄκραν συνάψας ἐν αὐτῇ ἐποίησεν ἓν σῶμα, καὶ περιτειχίσας ἐπιμελητὴν τῶν τειχῶν κατέστησεν Ἰώαβον. Sic interpretor *David autem ſuperiorem urbem* nempe Sionem *& Acram* inferiorem urbem *complexus eſt muro, præficiens muris ducendis Joabum.*

Sollicitus quidem erat David de Jeroſolymâ exornandâ; ſed Arca potior cura ejus hactenus vagabatur fixo ſolo non conſiſtens; Iſraëlitæ enim jugo Philiſtæorum preſſi, & ab exercendis artibus prohibiti, non potuerant exſtruere dignum palatium in quo illa locaretur. Laborabant inopiâ &, liberè dicam, ignorantiâ. Sicut ergo Deus in deſerto, impleverat Beſeleel & Ooliab ſapientiâ, intelligentiâ, ſcientiâ in omni opere, ut Tabernaculum conficerent, ſic quando tempus advenit ut Arca requieſceret certo in loco, effecit ut ſuppeteret materies domui exſtruendæ, nec deeſſent fabri periti in lignis & ſaxis cædendis. Hiramus enim Rex Tyri obtulit cedros, artifices, fabros; quod iterùm adſtruitur in primo libro Paralipomen. capite 14.

1. *Miſit quoque Hiram Rex Tyri nuntios ad David & ligna cedrina, & artifices parietum, lignorumque ut ædificarent ei domum.*

2. *Cognovitque David quod confirmaſſet eum Dominus in Regem ſuper Iſraël, & ſublevatum eſſet regnum ſuum ſuper populum ejus Iſraël.*

Puto id curæ fuiſſe Davidi, ut ſuperba domus exſtrueretur intuitu Arcæ Dei, ut digno tandem loco requieſceret. Liber autem Paralipomenorum narrationibus de Hiram præponit conſilium Davidis de transferendâ Arcâ; quæ poſtponuntur in libro Samuëlis. Videlicet etiam antequàm ſtrueret domum, inierat conſilium David de transferendâ Arcâ; quod non aggreſſus eſt niſi poſt exornatam domum; adjutus fabris quos ad eum Hiram miſerat. Sic Scriptores Samuëlis & Paralipomenon non diſſentiunt. Primus de conſilio non locutus eſt niſi eo tempore, quo executioni mandatum eſt; ſecundus cùm primâ vice initum videtur. Tres tantùm poſt captam Hieroſolymam annos impendit David inſ-

taurandæ urbi, & domui exornandæ; ita necesse est ut multùm urgeret Operas, & his assiduus instaret.

SECTIO III.

David cogitat de transferendâ Arcâ; sed cùm Oza in domum suam fuisset percussus plagâ mortis quòd eam manu tetigisset; deterritus illam relinquit in domo Obede lom.

CUm Israël quodammodo detrectans Dei imperium, postulasset Reges à quibus more cæterarum gentium regeretur, providit eis Davidem Regem qui religionem quam instituerat, promoveret. Protinùs statuenda sancta civitas, quæ tota Deo dicaretur. Tunc temporis non alia magis apta proposito, quàm Jerusalem clara situ suo, opportuno in loco, ad quem ab omni orbis plagâ faciliùs Israëlitæ omnes confluere possent. Hæc urbs hactenus fuerat in potestate Jebusæorum. Hanc David subduxit hostibus Dei, asseruit populo ejus. Oppugnavit, expugnavit; & in eam curam incubuit ut ædificaret non tam palatium sibi proprium, quàm Deo, scilicet domum Arcæ locandæ. Tres anni effluxêre dum vincit Jebusæos, instaurat Hierosolymam, exornat domum; quod ubi perficit init consilium Arcæ transferendæ. Hæc translatio describitur in secundo Samuëlis cap. 6.

1. *Congregavit autem rursùm David omnes electos ex Israel triginta millia.*

Ut translatio fieret cum decore, & tam numeroso comitatu deterriti Philistæi non auderent irruere in Arcam.

2. *Surrexitque David, & abiit, & universus populus, qui erat cum eo de viris Juda, ut adducerent Arcam Dei, super quam invocatum est nomen Domini exercituum, sedentis in Cherubim super eam.*

Viri de tribu Juda, quia res apud eos transigebatur, frequentiores interfuêre translationi Arcæ Sed illud מבעלי יהודה quod Vulgatus reddit de *viris Jehuda*, alii interpretantur *de Baala Juda*, quæ est urbs in Judæâ, scilicet viri de civitate Baala Judæ adduxerunt Arcam, &c. Abinadab autem habitabat in Gabaâ; & apud eum translata fuerat Arca ex Cariathiarim ad quam deduxerant Bethsamitæ, quando plures eorum interfecti sunt à Deo, quòd illam redditam à Philistæis conspexissent, fortè curiosiùs.

3. *Et imposuerunt Arcam Dei super plaustrum novum: tuleruntque eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa: Oza autem & Ahio filii Abinadab, minabant plaustrum novum.*

Arca efferenda erat humeris Levitarum; postquàm Sacerdotes eam involverant velaminibus. Cùm ergo Abinadab esset de tribu Juda, ut colligere est ex 1. Paralip. cap. 11. v. 13. filii ejus non ausi sunt Arcam portare, quod proprium munus erat Levitarum. Igitur plaustro imposuerunt; quod modò factum viderant a Philistæis impunè cùm eam remiserunt; nec id displicuisse Deo ostendebat miraculum vaccarum, quæ non declinaverant, neque ad dexteram neque ad sinistram, pergentes usque Bethsames, licet revocarentur vitulorum amore, quos reliquerunt domi conclusos.

4. *Cùmque tulissent eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa custodiens Arcam Dei, Ahio præcedebat Arcam.*

Abinadab præfectus erat custodiendæ Arcæ, sive apud eum deposita fuerat qui vir esset probitatis notæ. Dum autem transferebatur Arca, præcedebat eam Ahio ut duceret boves, & quasi viam

A currui muniret. Potuit Oza subsequi ut observaret ne Arca caderet ex curru.

5. *David autem & omnis Israël ludebant coram Domino, in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, & sistris, & cymbalis.*

Canebant in omni genere instrumentorum musicorum, de quibus fiet sermo in ultimo hujus operis libro. Simul exultabant motibus compositis; qui sunt signa lætitiæ; qui enim gestiunt vix temperare possunt à motibus. Hi motus sæpiùs incompositi sunt; sed hîc omnia fiebant cum religione. Paraphrastes Chaldæus interpretatur hunc locum quasi verbum שחק *schachach lusit* idem significaret quod שבח *schabach laudavit*; sed quæ sequuntur, declarant verè Davidem lusisse, sive saltasse coram Arcâ;
B non indecora est prorsùs, nec obscæna omnis species saltationis; sed, ut ait Plato libro 3. de Legibus: *duo sunt saltationis honesta genera, unum quidem bellicum quod* πυῤῥίχην; *aliud pacatum, quod* ἐμμέλειαν *appellaverunt.* Talis saltatio est, quales animi motus. Nam benè definitur à Scaligero in libro 1. Poëtices cap. 18. *Motus compositus numerosus cum gestu effingens rem, aut personam, vel quam canit, vel quam tacet.* Saltatio etiam in luctu adhibebatur; proculdubio quæ conveniret.

6. *Postquàm autem venerunt ad aream Nachon, extendit Oza manum ad Arcam Dei, & tenuit eam: quoniam calcitrabant boves, & declinaverunt eam.*

C Calcitrantibus bobus videbatur Arca inclinare; quæ ne caderet, Oza manum opposuit.

7. *Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi juxta Arcam Dei.*

Causa mortis fuit, ut videtur Josepho, quia μὴ ὢν ἱερεὺς non è Sacerdotali familiâ tetigisset Arcam. Abinadab pater Ozæ non confundendus cum Aminadab qui in Paralipom. lib. 1. cap. 15. v. 10 censetur inter Levitas. Alii sentiunt percussum Ozam, quia præter legem curasset Arcam portandam in plaustro. Verùm Ahio & pœnam subiisset mortis, eâ ipsâ horâ quâ Arcam plaustro imposuerunt. Causa aperta est, quam indicat Scriptura, nec Deus vitam
D condonasset etiam viro Levitæ à quo legitimè Arca portabatur, si similiter ac Oza illam manu tetigisset; si quidem ab eo non nisi involuta attingenda.

8. *Contristatus est autem David, eò quòd percussisset Dominus Ozam, & vocatum est nomen loci illius, percussio Ozæ usque in diem hanc.*

Verebatur enim Rex ne & similiter percuteretur, si auderet Arcam transferre in domum suam.

9. *Et extimuit David Dominum in die illâ, dicens: quomodo ingredietur ad me Arca Domini?*

10. *Et noluit divertere ad se Arcam Domini in civitatem David: sed divertit eam in domum Obededom Gethai.*

Ille Obededom, ut adstruit Josephus, & sæpè in
E Paralipomenis declaratur, ex Leviticâ tribu ortum suum ducebat. Hæc quæ modò protulimus iterùm enarrantur in primo Paralipomenon cap. 13.

1. *Init autem consilium David cum tribunis & centurionibus & universis principibus.*

2. *Et ait ad omnem cœtum Israël: si placet vobis: & à Domino Deo nostro egreditur sermo quem loquor: mittamus ad fratres nostros reliquos in universas regiones Israël, & ad Sacerdotes & Levitas, qui habitant in suburbanis urbium ut congregentur ad nos.*

Mittantur nuntii ad Levitas ubicumque habitent, sive in urbibus, sive in suburbiis, quæ multa fuerant concessa Levitis. Advocat populum, Levitas,

Sacerdotes David; ut omnium consensu statueretur de loco Arcæ; ad quem cùm ex lege ter saltem in anno omnes Israëlitæ deberent confluere, ut religio eorum voluntaria esset, priùs convenire debebant inter se de hujus loco, sive agnoscere quis verè à Deo electus fuisset; extra enim locum electum ne sacra fierent interminatus fuerat Deus.

3. *Et reducamus Arcam Dei nostri ad nos: non enim requisivimus eam in diebus Saul.*

Tempore Saülis quia præpediebant continua bella, nec id multùm Saül curabat, non inquisivimus in locum Arcæ locandæ commodum.

4. *Et respondit universa multitudo, ut ita fieret; placuerat enim sermo omni populo.*

5. *Congregavit ergo David cunctum Israël à Sihor Ægypti: usque dum ingrediaris Emath, ut adduceret Arcam Dei de Cariathiarim.*

Ab extremis terræ Israël plagis advocavit populum, ut interessent frequentes translationi Arcæ.

6. *Et ascendit David & omnis vir Israël ad collem Cariathiarim, qui est in Judâ, ut afferret indè Arcam Domini Dei sedentis super Cherubim, ubi invocatum est nomen Domini.*

In 2. Samuëlis cap. 6. 3. dicitur Arca fuisse *in Gabaa.* Nomen illud significat *collem.* Sic his omnibus significatur Arcæ locum fuisse ascensum, sive collem ubi manebat Abinadab juxta Cariathiarim.

7. *Imposueruntque Arcam Dei super plaustrum novum, de domo Abinadab: Oza autem & frater ejus, minabant plaustrum.*

Cùm nec Sacerdotes, nec Levitæ occurrerent ad hoc sanctificati, Oza & Ahio rati sunt id fieri posse.

8. *Porrò David & universus Israël, ludebant coram Deo omni virtute in canticis & in citharis, & psalteriis, & tympanis, & tubis.*

9. *Cùm autem pervenissent ad aream Chidon, tetendit Oza manum suam ut sustentaret Arcam: bos quippe lasciviens paululùm inclinaverat eam.*

Area illa in libro Samuëlis dicitur Nachon.

10. *Iratus est itaque Dominus contra Ozam, & percussit eum, eò quòd tetigisset Arcam: & mortuus est ibi coram Domino.*

11. *Contristatusque est David, eò quòd divisisset Dominus Ozam: vocavitque locum illum Divisio Oza usque in præsentem diem.*

12. *Et timuit Deum tunc temporis, dicens: quomodo possum ad me introducere Arcam Dei.*

Hacce die deterritus est à proposito suo David; timens ne parem sortem experiretur ac Oza si ausus fuisset Arcam adducere in ædes suas.

13. *Et ob hanc causam non adduxit eam ad se, hoc est, in civitatem David, sed avertit in domum Obededom Gethæi.*

14. *Mansit ergo Arca Dei in domo Obededom tribus mensibus: & benedixit Dominus domui ejus, & omnibus quæ habebat.*

Non solùm impunè excepit domo suâ Arcam Obededom; sed toto eo tempore quo eam habuit, omnibus cumulatus est bonis.

SECTIO IV.

Cùm Deus domui Obededom benedixisset propter Arcam, David eam in tabernaculum quod ei in civitate suâ tetenderat, adducit lætabundus & saltans: ideò despicitur ab uxore suâ Michol.

Ergo cùm rescivisset David, Deum benedixisse domui Obededom propter Arcam, repetiit propositum à quo fuerat deterritus cùm Oza percussus est, ut legere est in libro secundo Regum cap. 6.

11. *Et habitavit Arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus: & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum ejus.*

Benedixit Deus ejus gregibus, frugibus, negotiis omnibus.

12. *Nuntiatumque est Regi David, quòd benedixisset Dominus Obededom & omnia ejus propter Arcam Dei. Abiit ergo David, & adduxit Arcam Dei de domo Obededom in civitatem David cum gaudio: & erant cum David septem chori & victima vituli.*

Deposuit metum David, quem intulerat ei percussio Ozæ; & excitavit benedictio Obededom ut ad se Arcam adduceret. Postrema illa verba: *Et erant cum David septem chori & victima vituli* non extant in Hebræo fonte, nec in Græcâ versione, nec in exemplaribus correctis Latinæ versionis, ait Lyra. Videntur ex margine irrepsisse in textum. Nimirum Glossa ad interpretandum, quod subsequitur, septem choros ordinatos ut post sex passus in septimo sacrificium fieret.

13. *Cùmque transcendissent, qui portabant Arcam Domini sex passus, immolabat bovem & arietem.*

Scilicet à loco undè Arcam sumpserant, post sex passus in septimo Sacerdotes immolabant bovem & arietem.

14. *Et David saltabat totis viribus ante Dominum. Porrò David erat accinctus Ephod lineo.*

David induerat quodpiam vestimentum quod persimile erat Ephod Sacerdotum, sed non omninò idem; neque enim laicis licitum.

Et David & omnis domus Israël ducebant Arcam testamenti Domini, in jubilo, & in clangore buccinæ.

16. *Cùmque intrasset Arca Domini in civitatem David, Michol filia Saul prospiciens per fenestram, vidit David Regem subsilientem atque saltantem coram Domino: & despexit eum in corde suo.*

Saltatio est motus corporis; sicut & musicorum modulatio motus est digitorum. Cùm ergo saltatio fit ad gloriam Dei argui non potest, præterquàm saltationis certa species est gravis & austera; alia sanè quàm impudica, quæ fit à ludionibus, histrionibus & similibus impuris viris. Hæc meritò data est vitio Neroni & aliis principibus qui palam saltabant.

17. *Et introduxerunt Arcam Domini, & imposuerunt eam in loco suo, in medio tabernaculi, quod tetenderat ei David: & obtulit David holocausta, & pacifica coram Domino.*

Tentorium erexit David ex pellibus; ut ipse significat undè dicebat, pudet me, *Arcam esse sub pellibus, dum ego habito in domo cedrinâ.* Factum erat illud tentorium ad formam veri Tabernaculi, quod tunc asservabatur in Gabaon. Tentorium autem Davidicum videtur erectum in aliquâ areâ juxta palatium Regis.

Cùmque complesset offerens holocausta & pacifica: benedixit populo in nomine Domini exercituum.

19. *Et partitus est universæ multitudini Israël, tam viro quàm mulieri, singulis collyridam panis unam, & assaturam bubulæ carnis unam, & similam frixam oleo, & abiit omnis populus, unusquisque in domum suam.*

Collyrida est torta panis, vernaculè *un gâteau.* David populum excepit convivio, & omnes coram Deo lætati sunt hac die quâ Arca deducta est in locum suum.

20. *Reversusque est David, ut benediceret domui suæ: & egressa Michol filia Saül in occursum David, ait: Quàm gloriosus fuit hodie, Rex Israël,*

discooperiens se ante ancillas servorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris. A

Michol rem exaggerat; neque enim discooperiebat se David in conspectu ancillarum, sive virginum, quæ in choro Arcam sequebantur, aut præcedebant; sed quædam partes corporis, dum Rex subsiliret & subsilirent vestes ejus, poterant retegi. Nomen רקים *rekim* convenit homini vano, fatuo. David dicitur reversus domum suam, quod indicat tabernaculum Arcæ non fuisse intra ambitum sui palatii.

21. *Dixitque David ad Michol: ante Dominum qui elegit me potiùs quàm patrem tuum, & quàm omnem domum ejus, & præcepit mihi ut essem dux super populum Domini in Israël.* B

22. *Et ludam & vilior fiam plusquàm factus sum: & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis de quibus locuta es, gloriosior apparebo.*

Quò humilior sic gestiendo, inquit David, eò ero gloriosior coram populo. Quidquid fit à principibus, id si religiosè fiat, amorem populorum illis conciliat.

23. *Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius usque in diem mortis suæ.*

Sterilis facta Michol in pœnam; vel indicatur ab hac die non dilectam Davidi, ex quo ergo prolem non ultra suscepit.

Hæc pauló fusiùs narrantur in capite 15. libri primi Paralipomenon; undè tum illustrantur, tum confirmantur quæ dicta sunt; quapropter non me pigebit ea exscribere.

1. *Fecit quoque sibi domos in civitate David: & ædificavit locum Arcæ Dei, tetenditque ei Tabernaculum.*

Palatium sibi struxit David in civitate suâ, nempe in Sione; sed præterea paravit locum in eadem civitate ubi tetendit Tabernaculum, tentorium ex pellibus, sub quo reposuit Arcam.

2. *Tunc dixit David: illicitum est ut à quocumque portetur Arca Dei, nisi à Levitis quos elegit Dominus ad portandum eam, & ad ministrandum sibi usque in æternum.*

Percussio Ozæ hanc legem in animum revocaverat. Oza non illam advertebat; itaque David meliùs consultus, satregit in hacce translatione ut Arca non imponeretur plaustro.

3. *Congregavitque universum Israël in Jerusalem, ut afferretur Arca Dei in locum suum, quem præparaverat ei.*

4. *Nec non & filios Aaron & Levitas.*

Sacerdotes & Levitæ qui congregati sunt, recensentur: legantur illa in codice.

11. *Vocavitque David Sadoc & Abiathar Sacerdotes & Levitas Uriel, Asaiam, Joël, Semeiam, Eliël & Aminadab.*

12. *Et dixit ad eos: vos qui estis principes familiarum Leviticarum, sanctificamini cum patribus vestris & afferte Arcam Domini Dei Israël ad locum qui ei præparatus est;*

13. *Ne ut à principio, quia non eratis præsentes, percussit nos Dominus, sic & nunc fiat, illicitum quid nobis agentibus.*

Ne sicut contigit in primâ translatione compellamur ad committendam Arcam plaustro, quia tunc non eratis præsentes. Quod Oza & Ahio viderant factum impunè à Philistæis, id sibi non illicitum opinati erant sed temerè Vulgatus non omnem vim fontis expressit, dicens: *illicitum quid nobis agentibus*, in fonte, *quia non requisivimus juxta ritum.* Nempe non scrutati sumus quid nobis agendum esset in deportandâ Arcâ, ut non peccaremus contra legem.

14. *Sanctificati sunt ergo Sacerdotes & Levitæ ut portarent Arcam Domini Dei Israël.*

Sanctificati sunt de more, lotione corporis & vestium, abstinentiâ à concubitu: sicut præcipitur in Exodo.

15. *Et tulerunt filii Levi Arcam Dei, sicut præceperat Moyses juxta verbum Domini, humeris suis in vectibus.*

Fecerunt quæ facienda præceperat Deus in portandâ Arcâ. In Numeris cap. 4. Sacerdotes involvebant eam velis; deindè accedebant Levitæ filii Caath ut humeris subirent. Tunc temporis David constituit Cantores qui psallerent coram Arcâ, tum & janitores Tabernaculi. De hisce Cantoribus, eorum canticis, & musicis instrumentis fiet copiosus sermo in libro septimo. Ita hisce in præsens tempus omissis absolvam historiam translationis Arcæ.

25. *Igitur David & omnes majores natu Israël & Tribuni: ierunt ad deportandam Arcam fœderis Domini de domo Obededom, cum lætitiâ.*

Populus & proceres adfuerunt.

26. *Cùmque adjuvisset Deus Levitas qui portabant Arcam fœderis Domini, immolabantur septem tauri & septem arietes.*

Cùm servasset Deus Levitas incolumes.

27. *Porrò David erat indutus stolâ byssinâ, & universi Levitæ, qui portabant Arcam, Cantoresque & Chonnenias Princeps prophetiæ inter Cantores.*
C *David autem etiam indutus erat Ephod lineo.*

Chonnenias pollebat scientiâ canendi. De vestibus Levitarum in tertio libro disseruimus.

28. *Universusque Israël deducebant Arcam fœderis Domini in jubilo, & sonitu buccinæ, & tubis, & cymbalis, & nablis, & citharis concrepantes.*

Describentur hæc instrumenta suo loco.

29. *Cùmque pervenisset Arca fœderis Domini usque ad civitatem David, Michol filia Saül prospiciens per fenestram vidit Regem David saltantem atque ludentem, & despexit eum in corde suo.*

Immeritò, ut vidimus. Historia Arcæ translatæ capite sequenti primi Paralipomenon nempe 16. finitur his verbis.

D 1. *Attulerunt igitur Arcam Dei, & constituerunt eam in medio Tabernaculi quod tetenderat ei David, & obtulerunt holocausta & pacifica coram Deo.*

Omni genere sacrificiorum, quæ convenirent, David Deum coluit.

2. *Cùmque complesset David offerens holocausta & pacifica, benedixit populo in nomine Domini.*

Vidimus populum congregatum non dimitti nisi benedictione Sacerdotali; cui & potuit adjungi Regia. Antequàm autem populum dimitteret David, non sivit abire jejunos.

3. *Et divisit universis per singulos à viro usque ad mulierem, tortam panis, & partem assæ carnis*
E *bubulæ, & frixam oleo similam.*

Non fit sermo de potu, quia si vino uti non licebat ministris, dum obirent munia sua in templo, credo & vini usum interdictum laicis; nec illatum in templum, nisi ut libaretur, sive effunderetur in altari.

SECTIO

SECTIO V.

Ubi David Arcam locavit in Tabernaculo quod paraverat, conſtituit miniſterium ejus: cantores qui coram Arca pſallerent.

PRoſequamur caput 16. primi Paralipomenon.

4. *Conſtituitque coram Arcâ Domini de Levitis, qui miniſtrarent, & recordarentur operum ejus, & glorificarent atque laudarent Dominum Deum Iſraël.*

5. *Aſaph principem & ſecundum ejus Zachariam: porrò Jahiel, & Semiramoth, & Jehiel, & Mathathiam, & Eliab, & Banaiam, & Obededom: Jehiel ſuper organa pſalterii, & lyras: Aſaph autem ut cymbalis perſonaret.*

De hiſce cantoribus ſuo loco fusè diſſeram. Sequitur in hocce loco canticum, quod omnium canticorum forma eſſe poteſt; ſed de illis canticis infra agam; quapropter nunc omiſſis, afferam reliqua ex hoc capite 16. Paralipomenon quæ ad præſentem hiſtoriam ſpectant.

37. *Reliquit itaque ibi coram Arcâ fœderis Domini Aſaph & fratres ejus, ut miniſtrarent in conſpectu Arcæ jugiter per ſingulos dies & vices ſuas.*

Novum tabernaculum tetenderat David in civitate ſuâ: vetus, ſive Moſaïcum adhuc erat cum altari æneo in Gabaon, ubi ergo adhuc ſacra fiebant; quapropter miniſtros partitus David, reliquit Aſaph Hieroſolymis ut miniſtraret in civitate David coram Arcâ.

38. *Porrò Obededom & fratres ejus ſexaginta octo, & Obededom filium Idithun, & Hoſa conſtituit janitores.*

39. *Sadoc autem Sacerdotem & fratres ejus Sacerdotes, coram Tabernaculo Domini in excelſo, quod erat in Gabaon.*

40. *Ut offerrent holocauſta Domino ſuper altare holocautomatis jugiter manè & veſperè, juxta omnia quæ ſcripta ſunt in lege Domini, quàm præcepit Iſraël.*

Scilicet quoniam Deus præceperat ne alibi fierent ſacrificia quàm in altari æneo, quod erat ante Tabernaculum, David diſpoſuit Sacerdotes, Sadoc & fratres ejus nimirum alios Sacerdotes, qui in excelſo Gabaon, ubi adhuc erat vetus Tabernaculum & altare æneum, conſueta ſacrificia facerent; quæ & offerre non licebat Jeroſolymis; uſque dum declaratus fuiſſet locus ad hæc deſtinatus. Itaque relicti quidem Levitæ qui coram Arcâ pſallerent, ſed non ut ſacrificarent; neque enim id erat muneris eorum. Attamen in hacce hiſtoriâ tranſlatæ Arcæ dicitur David obtuliſſe holocauſta, & pacifica coram Arcâ. Forſan non fuêre vera ſacrificia, & immolatæ quidem pecudes coram Arcâ, ſed igne non combuſtæ; neque enim erat ibi altare, ſine quo ſacrificium non abſolvitur. Etiam dici poteſt id hac ſolemni die tranſlationis Arcæ licitum fuiſſe, quod poſtea non licuit. Certè ab hac die ſacrificia non fuêre oblata coram Arcâ, uſque dum Deus electa eſſe à ſe Hieroſolyma ſignificavit. Hîc dicitur & in capite 6. 18 lib 2. Samuëlis: *cùmque compleſſet offerens holocauſta & pacifica, benedixit populo.* In Chaldæâ Paraphraſi; *Et finivit David offerre holocauſtum & libationem Sanctorum.* Non ultra voluit ibi offerri ſacrificia, ſed ut ſubjicitur: *conſtituit... coram Arcâ Domini de Levitis, qui miniſtrarent & recordarentur operum ejus, & glorificarent atque laudarent Dominum Deum Iſraël.* Scilicet Levitæ tantummodò decantabant laudes Dei coram Arcâ, ſed nulli Sacerdotes ſacrificabant. Quæ factæ ſunt animalium mactationes, non tam in vera ſacrificia factas opinarer, quàm ad reficiendum eſcâ populum cui, ut dicitur, *data pars aſſæ carnis bubulæ*; & ut loquitur Joſephus, *μερὶς θύματος*. Aſſabantur animalia mactata, quorum nidor, ſive fumus aſcendebat coram Deo ad inſtar holocauſtorum; carnes autem, ut ſolet fieri in pacificis victimis, diſtribuebantur populo ut comederent coram Domino, nempe coram Arcâ.

SECTIO VI.

David occaſione tranſlationis Arcæ compoſuit Pſalmum 131. qui exponitur.

OPinor Pſalmum 131. cùm domum ædificaret, & præpararet locum Arcæ, à Davide fuiſſe compoſitum. Dum inſtaret operi, ſe voto aſtrinxerat, non in eam domum ſe ingreſſurum nec paſſurum ſibi in eâ lectum ſterni, quin priùs Arcam adduxiſſet, & ſub tabernaculo quod tendebat, repoſuiſſet. Plurima concurrunt quibus hanc conjecturam faciam. Juxta diligentiores calculos David unctus eſt ſuper totum Iſraël anno mundi conditi 2956. Deinde oppugnavit & expugnavit Hieroſolyma. Anno autem 2959 adduxit Arcam in civitatem ſuam. Non autem ſtatim cœpit ædificare. Conſilium iniit, quod cùm innotuiſſet Regi Tyriorum, accepit ab eo ligna cedrina & fabros qui norant cædere ligna & ſaxa. Dum creſcunt muri, duo aut tres anni abire potuerunt; ita ut non niſi poſt hocce tempus adducta ſit Arca; ſcilicet poſtquàm domus perfecta eſt & locus huic excipiendæ paratus. Paulò ante votum conceptum fuerat à Davide de Arcâ excipiendâ in ſuâ domo, antequàm in illâ cubaret. Senſus Pſalmi 131. apertus eſt cùm refertur ad hocce votum.

1. *Memento, Domine, David, & omnis manſuetudinis ejus.*

Rem magnam David moliebatur, Arcæ tranſlationem ex loco ſuo; quam damno ſuo aggreſſus fuiſſet, niſi Deus cæptis annuiſſet. Favorem autem ejus non ſibi defuturum ſperare poterat toties expertus benignum. Sic ergo orditur Pſalmum quem puto ab eo compoſitum decantandum in tranſlatione Arcæ. *Memento, Domine, David*: ſcilicet quod hactenus te benignum geſſiſti erga Davidem; *& omnis manſuetudinis ejus.* In fonte כל-ענותו *Kol-nnoto.* Nomen ענות ſonat idem quod afflictio, paupertas; ex eadem origine quod עני *ani* pauper. Redditur nomen Hebræum à Græcis *πένης* pauper, *ταπεινὸς* humilis. Parùm differt ab עני *ani*, nomen ענו *anu*, Græcis *πραῢς* *manſuetus.* Afflicti & pauperes ſolent eſſe manſuetiores. Itaque ſententia Davidis Deum alloquentis hæc videtur eſſe: licet ego ſim vilis, humili ex loco, oppreſſus toties ab inimicis, me tuo favore proſecutus es: *de poſt fœtantes accepiſti me*, & quaſi de ſtercore evexiſti me uſque ad Regium thronum.

2. *Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob.*

Memento David *qui juravit.* Particula אשר fontis reddi poteſt *qui*; ſed conjunctivè ſumi poteſt pro *quia*, vel etiam *ſicut. Deo Jacob*, in fonte *Abir Jacob*, id eſt, forti vel magnifico Jacob, Deo quem coluit Jacob.

3. *Si introiero in tabernaculum domûs meæ, ſi aſcendero in lectum ſtrati mei.*

4 *Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem.*

5. *Et requiem temporibus meis: donec inveniam locum Domino tabernaculum Deo Jacob.*

Hoc eſt votum quod David conceperat, dum inciperet ædificare domum ſuam, & voverat, ſive juraverat quod non illam habitaret, niſi poſtquàm adduxiſſet Arcam: quin nec ſineret in eâ lectum ſi-

bi iteni ut daret in eo somnum oculis & palpebris; A
& requiem temporibus meis κροτάφοις, id est, parti capitis quæ est circa oculos; quod additum est à LXX. ad augendam vim voti. Illud *inveniam* idem est ac donec paravero locum aptum Arcæ.

6 *Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis sylvæ.*

Quasi vaga usque in hanc diem fuit Arca tua, Domine. Modò audiebamus esse *in Ephrata*, pro *in Ephraim* ubi Silo, qui diu fuit locus Arcæ. *Invenimus eam in campis sylvæ.* Ut nomen *Ephraim* mutat appellans Ephrata, ita & pro *Cariathiarim*, ubi tunc temporis erat Arca, dicit David בשדי יער *in campis sylvæ*, in genitivo. *Cariathiarim* est *civitas sylvarum.* Quare autem sic David immutat hæc no- B
mina? An decore aliquo poëtico? aut quòd vellet horum locorum memoriam abolere, in alia Arcam translaturus?

7. *Introibimus in Tabernaculum ejus: adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.*

David sibi videtur jam jam subiturus Tabernaculum Arcæ, ex quo illa transferenda erat; quæ erat scabellum pedum Dei, ut sæpius appellatur.

8 *Surge, Domine, in requiem tuam, tu & Arca sanctificationis tuæ.*

Translaturus Arcam, orat Deum ut id fieri annuat. Surge, inquit, in requiem tuam, in locum in quo perseverabit Arca jam non movenda. *Arca sanctificationis*, in fonte *Arca fortitudinis tuæ*; id est, tua Arca, ô fortis Deus, sancte Deus.

9. *Sacerdotes tui induantur justitiam, & sancti tui exultent.*

Omnia decore fiant; Sacerdotes induant vestimenta, quæ congruant ordini suo, sed præsertim justi sint & sancti, populusque purus & castus, deducant Arcam lætantes, in tympanis & choris

10 *Propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui.*

Ne obliviscaris quod toties mihi pollicitus es, te daturum aliquando Messiam, cujus typus fuit postea Davidica proles: Quam promissionem etiam juramento confirmasti.

11. *Juravit Dominus veritatem & non frustrabitur eam, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.*

Promisisti, ô Deus, juramento regnum Davidis fore perpetuum, sed eâ conditione.

12. *Si custodierint filii tui testamentum meum, & testimonia mea hæc quæ docebo eos.*

Ibi testamentum est fœdus, & testimonia, leges.

13 *Et filii eorum usque in sæculum, sedebunt super sedem tuam.*

Hæc promittebat Deus; quoniam statuerat ut non ampliùs transferretur a Jerosolymis Arca; donec scilicet complerentur typi Ecclesiæ Christianæ, quæ fundanda erat.

13. *Quoniam elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem sibi.*

14. *Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo quoniam elegi eam.* E

Volo, loquitur Deus, ut ubi sedes est regni, ibi & sit sedes Arcæ meæ; ita in Sione perpetuò regnet proles Davidis, quoniam elegi eam in habitationem Arcæ meæ. Hæc manifestè attinent ad tempus quo Arca translata est in civitatem David, qui mortuus est antequàm conderetur templum, & in eo poneretur Arca.

15 *Viduam ejus benedicens benedicam: pauperes ejus saturabo panibus.*

Ex loco i io habitationis meæ exaudiam preces pauperum, & eos cumulabo bonis. Vidimus Davidem hoc solemni festo translatæ Arcæ benedixisse populo.

16. *Sacerdotes ejus induam salutari, & sancti ejus exultatione exultabunt.*

Non solam plebem augebo bonis, sed & Sacerdotes, & omnes sanctos ministros. Simul ipsi Regi promittitur benedictio.

17. *Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo.*

In fonte: *Ibi germinare faciam cornu David.* Nempe efficiam ut regnum Davidis sit validum, exaltetur, & fulgeat splendore. Lucerna potest significare filium, quem suscepturus erat David regni sui successorem.

18. *Inimicos ejus induam confusione; super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.*

In fonte efflorebit נזרו *nizro*, id est, *corona ejus.* LXX. legerunt *nizri* corona mea, sive potestas mea. Potissimùm regnabo Jerosolymis; quam urbem elegi in locum habitationis meæ.

CAPUT III.

Montibus Sion & Salem adjuncti sunt Moria & Bezetha. Horum collium quos complectebatur Jerusalem, situs.

SECTIO I.

C *Protinùs volebat David templum condere; sed Deus non permisit, locum designans in quo postea conderetur, nempe Moriam. Situs Moriæ.*

ARdebat vehementiori desiderio David Arcam locandi in dignâ sede, quàm ægrè ferebat residere sub pellibus. Tabernaculum in palatio tetendit ad horam, cogitans & dignum Deo palatium struere; sed priùs munienda Sion, ne ipsa urbs pateret Philistæorum incursionibus. Cùm Arcam adduxit, vix munimenta Sionis perfecerat; solum enim ante tres annos eam expugnaverat; sed quod nondum struebat manibus, cogitatione formabat. Consilium suum patefecit Nathan Prophetæ à quo laudatus; sed revocatus à proposito, ut narratur in
D secundo Regum capite 7. & primo Paralipomenon cap. 17. Duo loca illa unius, & alterius è regione ponam.

2. Reg. cap. 7.	1. Paralipomenon cap 17.
1. *Factum est autem cùm sedisset Rex in domo suâ, & Dominus dedisset ei requiem undique ab universis inimicis suis.* Cùm tranquillus esset, qui status exprimitur verbo *sedisset.*	1. *Cùm autem habitaret David in domo suâ, dixit ad Nathan Prophetam: Ecce ego habito in domo cedrinâ: Arca autem fœderis Domini sub pellibus est.*
2. *Dixit ad Nathan Prophetam: videsne; quòd ego habitem in domo cedrinâ, & Arca Dei posita sit in medio pellium.* E	2. *Et ait Nathan ad David: omnia quæ in corde tuo sunt, fac: Deus enim tecum est.*

Ecce vides me habitare in Regiâ quam exornant tabulæ cedrinæ; ipsa verò Arca est in tentorio facto ex pellibus

3. *Dixitque Nathan ad Regem: omne quod est in corde tuo, vade fac.*

Favet tibi Deus, quascumque res suscipias gerendas. Hæc dicebat Nathan, ut homo prudens sensu humano, non prophetico; Prophetæ enim interdum suis ducuntur consiliis; sed Nathan eâdem ipsâ nocte jussu Dei ad Davidem reversus est, &

revocavit à proposito.

4. Factum est autem in illâ nocte, & ecce sermo Domini ad Nathan, dicens:

2. Igitur nocte illâ factus est sermo Dei ad Nathan, dicens:

5 Vade, & loquere ad servum meum David: Hæc dicit Dominus: Numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?

4 Vade & loquere David servo meo: Hæc dicit Dominus: Non ædificabis tu mihi domum ad habitandum.

6. Neque enim habitavi in domo ex die illâ, quâ eduxi filios Israel de terrâ Ægypti usque in diem hanc, sed ambulabam in tabernaculo & tentorio.

5. Neque enim mansi in domo, ex eo tempore quo eduxi Israël usque ad diem hanc; sed fui semper mutans loca Tabernaculi & in tentorio.

Arca quæ sedes est Dei, scabellum pedum ejus in tentorio portatili habitavit. Deferebatur ex loco in locum, prout sedes mutabant Israelitæ.

7. Per cuncta loca, quæ transivi cum omnibus filiis Israël, numquid loquens locutus sum ad unam de tribubus Israël, cui præcepi, ut pasceret populum meum Israël, dicens: Quare non ædificasti mihi domum cedrinam?

6. Manens cum omni Israël. Numquid locutus sum saltem uni Judicum Israël, quibus præceperam ut pascerent populum meum, & dixi: Quare non ædificastis mihi domum cedrinam?

Ex comparatione Regum & Paralipomenorum liquet in Regibus שבטי *schibthe*, id est, *tribus* positum pro שפטי *shophte*, id est, *Judices*. Neque enim tribus alicujus fuit pascere populum. Ita ibi præferenda lectio Paralipomenorum. Deus significat sibi non esse molestum caruisse templo; quod nunquam conquestus sit non erectum fuisse.

8 Et nunc hæc dices servo meo David: Hæc dicit Dominus exercituum: Ego tuli te de pascuis sequentem greges, ut esses dux super populum meum Israel.

7. Nunc itaque sic loqueris ad servum meum David: Hæc dicit Dominus exercituum: Ego tuli te, cùm in pascuis sequereris gregem, ut esses dux populi mei Israël.

9 Et fui tecum in omnibus ubicumque ambulasti, & interfeci universos inimicos tuos à facie tuâ: fecique tibi nomen grande juxta nomen magnorum qui sunt in terrâ.

8. Et fui tecum quocumque perrexisti, & interfeci omnes inimicos tuos coram te, fecique tibi nomen quasi unius magnorum qui celebrantur in terrâ.

10 Et ponam locum populo meo Israel, & plantabo eum & habitabit sub eo, & non turbabitur ampliùs: nec addent filii iniquitatis ut affligant eum sicut priùs.

9 Et dedi locum populo meo Israël: plantabitur & habitabit in eo, & ultra non commovebitur: nec filii iniquitatis atterent eos sicut à principio.

11. Ex die quâ constitui Judices super populum meum Israël: & requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis. Prædicitque tibi Dominus, quòd domum faciat tibi Dominus.

10 Ex diebus quibus dedi Judices populo meo Israël, & humiliavi universos inimicos tuos. Annuntio ego tibi, quod ædificaturus sit tibi Dominus domum.

Nathan commemorat beneficia quæ Deus in Davidem contulerat; & significat se nolle ut ab eo templum ædificaretur; quià plurima bella bellasset, & multùm sanguinis effudisset: sed, inquit Propheta, id reservatum tuo filio quem suscepturus es; tibi enim Deus ædificavit domum, id est, prolem dabit

A

1. Cùmque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus.

11. Cùmque impleveris dies tuos ut vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis: & stabiliam regnum ejus.

13. Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni ejus.

12. Ipse ædificabit mihi domum, & firmabo solium ejus usque in æternum.

Ab hac die cœpit David omne studium conferre in templum, excogitans aptam illi formam, quâ nimirum fieret, ut in eo exhiberetur cultus divinæ majestati debitus, juxta leges à Moyse traditas, cum decore, ordine, & religione. Tantum opus non excogitatum est nisi à viro cujus summa sapientia esset, & opes infinitæ, id liquebit ubi templum fue-
B rit descriptum. Nathan adiit Davidem ut revocaret eum ab inchoando ædificio templi, ut creditur, anno mundi conditi 2960. Mortuus autem est David anno 2990. Ita triginta annos impendit formans in cogitatione suâ templum, tum congerens omnia, quæ ad ejus structuram necessaria erant. De isto apparatu fiet copiosus sermo, in libri sequentis exordio; sed ad hunc librum, quem in manibus habemus, pertinet electio montis Moriæ in locum templi, quem Deus in portentis & miraculis demonstravit.

Deus succensus Davidi eò quòd non ritè numerasset Israëlitas, immiserat Angelum qui hujus peccati pœnas sumeret. Ille cùm jam interemisset sep-
C tuaginta mille ex populo, apparuit in monte Moria, in areâ Areuna, sive Ornan viri Jebusæi. Dum hac visione David commovebatur, accessit Propheta Gad, qui eum admonuit nomine Dei ut altare exstrueret in hacce areâ ubi apparebat Angelus, & offerret holocaustum, quod Deum placare posset, ne Angelus ultra sæviret in Israëlitas. David paruit, & facto sacrificio, plaga cessavit. His Deus manifestè declarabat hunc à se locum electum, ubi coli vellet. Sic enim repudiabat altare quod tunc temporis erat ante ostium Tabernaculi in Gabaon; ubi hactenus fuerat solus sacrificiorum legitimus locus. David agnovit voluntatem Dei, cui videret suum sacrificium acceptum, quod ignis de cælo delapsus in cinerem vertit. David comparavit aream Areu-
D na, sive Ornan numeratâ pecuniâ. 1. Paralipomen. 21.

26. Et ædificavit ibi altare Domino: obtulitque holocausta, & pacifica & invocavit Dominum, & exaudivit eum in igne de cælo super altare holocausti.

Signum erat accepti sacrificii, simul & Dei præsentis; quo signo Elias demonstravit Deum, quem colerent Israëlitæ, verè esse Dominum cæli.

27. Præcepitque Dominus Angelo: & convertit suum gladium in vaginam.

Septuaginta mille hominum interitus convertebat cujusque animos in Angelum qui apparebat stricto gladio in monte Moria; qui locus erat per se conspicuus Itaque neminem latuit portentum. Om-
E nium oculis patuit holocaustum Davidis acceptum Deo, cùm ignem de cælo adverterunt, & Angelus recondidit gladium quo prius utebatur.

28 Protinùs ergo David, videns quòd exaudisset eum Dominus in areâ Ornan Jebusæi, immolavit ibi victimas.

Non dubitavit quin in eo loco jam licitum esset sacrificare.

29. Tabernaculum autem Domini quod fecerat Moyses in deserto, & altare holocaustorum, eâ tempestate erat in excelso Gabaon.

30 Et non prævaluit David ire ad altare, ut ibi obsecraret Deum: nimio enim fuerat in timore perterritus videns gladium Angeli Domini.

Videlicet non prava u. rat David antequàm mo- A nere:ur à Ga l de areâ Ornan ire in Gabaon ad sacrificandum, quia timore correptus fuerat. Post hæc autem certus fuit David de loco in quo coli volebat Deus, repudiato omni alio loco; ut dicitur in capite sequenti nempe 22.

1. *Dixitque David: Hoc est domus Dei, & hoc altare in holocaustum Israël.*

Agnovit montem Moria esse locum electum à Deo in domum suam; in quâ ei sacrificaretur; quod significavit Salomoni filio suo; qui ideò in hocce monte Moriâ posuit templi fundamenta, ut dicitur in secundo Para'ip. cap. 3.

Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in Jerusalem in monte Moriâ, qui demonstratus fuerat David patri ejus, in loco quem paraverat David in areâ Ornan Jebusæi. B

Quando Dominus tentavit Abraham, & exegit ab eo ut filium suum Isaac mactaret, his eum compellavit verbis, in Genesi cap. 22. 2. *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis; atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium quem monstravero tibi.* Juxta fontem אל הרץ המריה *el eretz hamoriah in terram Hamoria.* Interpres Latinus non accepit pro loco. Moria idem quidem sonat quod *visio.* Sed & mons Moria de quo nunc sermo, in fonte appellatur הר המריה *har hamoria*, id est, mons Moria. Hunc montem Abrahæ à Deo demonstratum, in quo mactaret Isaac, non pauci scriptores asseruerunt. Testimo- C nia depromemus, cùm in libro sequenti evincemus montem Moriam electum à Deo. Interea decet mirari quâ Dei sapientiâ omnia ordinata sint in veteri fœdere. Isaac à patre suo cujus erat deliciæ, oblatus in sacrificium, fuit typus Christi, qui & deliciæ Dei patris sui, damnatus est in templo à Sacerdotibus, in eodem loco, ubi Abraham jussus fuerat sacrificare filium suum. Nec mysteriis caret etymum hujusce nominis *moria.* Interpres Latinus deducens à ראה *raah*, id est, *vidit*, interpretatus est, terram *visionis.* Verè templum visionis, in quo toties se Deus præsentem fecit signis; sed & se videndum præbuit filius ejus. Chaldæus Interpres posuit: *vade ad terram divini cultûs;* potest enim derivari D *moriah* à ירא *jara* quod est *metuit.* Deus quem Patriarchæ co uerunt, vocatur eorum *pavor;* vel denique à ירה *jara* quod idem est ac *docuit.* Undè quacumque accersatur nominis *Moria* origo, illud pro vaticinio haberi potest, Deum videlicet aliquando in hoc monte conspicuum fore; quod completum fuit cùm electus est in locum templi; maximè cùm Jesus-Christus quotidiè erat in templo, ut in Evangelio dicitur.

Moria erat collis petricosus, in cujus vertice cùm non esset spatium sufficiens exstruendo magno ædificio, nimirùm capiendis omnibus areis & conclavibus, ad ministerium templi necessariis, jacti sunt aggeres, ut vertex montis latior fieret. Valles un- E dequaque præsertim versus orientem & meridiem subjiciebantur; à quibus surgebant mœnia miræ altitudinis, simul & roboris; quoniam illa fulciebantur latis erismatibus. Templum autem, quod occupabat totum Moriam, conjungebatur cum civitate David, sive cum Sione Pons utrumque montem committebat. Moria ergo erat pars Hierosolymorum, quibus veluti arx imponebatur templum. Is ergo fuit situs templi sive Moriæ. Ab oriente spectabat montem Olivarum à quo separabatur profunda valle quam torrens Cedron interfluebat. A meridie & profundæ valles erant, & in angulo qui erat in meridionali latere respiciebat inferiorem urbem, quæ respectu templi erat veluti theatrum, ut loquitur Josephus, θεατροειδὴς ἐστι; si quidem utrinque ἀμφικύρτος incurva. A septentrione ductæ in profundum fossæ templum separabant à quarto colle, qui dicebatur Bezetha, postquàm urbi adjunctus est. Ita amænus templi prospectus; si quidem liber & omnia circum se loca quasi despectaret. Pars Salem eminebat; sed depressa est ab Assamonæis, ut videbimus, ne templo extaret.

Ligfootius facit Sionem templo septentrionalem. In argumentum adducit quæ Josephus in Antiquitatibus libro 14. cap. 8. narrat, Pompeium cùm sibi tradita esset Regia, quæ erat in civitate David, castra posuisse à parte templi aquilonari. Verùm non dicit Josephus plagam aquilonarem templi respexisse Sionem; sed huic aquilonari plagæ ideò Pompeium milites suos admovisse, quòd maximè erat hac parte oppugnationi obnoxium templum; nam addit auctor: *versùs urbem abrupta erant omnia sublato ponte.* Sic pons Sionem & templum committens; & ideò urbs Sion non erat ad tractum aquilonarem templi. Latus, inquam, templi urbem respiciens cùm Pompeius non impugnaverit, statuendum est aliud fuisse quàm aquilonare. Hæc de Moriâ prælibamus, plura dicturi cùm templum describemus.

SECTIO II.

Postquàm in monte Moriâ templum ædificatum est, collis dictus Bezetha cœpit incoli; sic quarto colle Jerusalem aucta est.

Ubi Salomon cœpit jacere fundamenta templi, & excitavit muros ejus, adhibitâ artificum multitudine innumerâ; fieri non potuit, quin hos artifices juvaret proxima loca habitare. Non intra paucos annos ædificium absolutum est. Septennium quidem Salomon impendit ut idoneum dedicaretur, sive inciperet peragi ministerium sacrum; sed à die quo jacta ejus fundamenta usque ad eversionem suam, semper aliquid ei defuit, quod adderetur in dies. Quapropter inter ejus inchoamenta & finem ingens operariorum numerus in sartis tectis templi, vel in aliquo novo opere, vel in exornandis factis operibus occupati sunt; quod verisimile est quantùm fieri poterat, loca incoluisse, quæ ab officinis suis non multùm distarent. Civitas Regia, nempe Sion plena erat palatiis & basilicis. Salem tenebatur ab antiquis civibus. Ab oriente erat profundior vallis, quam Cedron torrens inundabat. A meridie erat etiam vallis quam habitabant Nathinæi & plebecula. Restabat ergo à Septentrione locus in quem extenderentur Jerosolymorum pomœria; nempe collis Bezetha, quem Jerusalem suo circuitu complexa est.

Situm Bezethæ ponit Josephus in viciniâ turris Antoniæ, de quâ & sermo fiet non brevis, quando enumeranda erunt publica & privata urbis ædificia. Turris autem Antonia sita erat ad angulum occidentalem borealem templi; ut dicit Josephus in libro 6. de Bello cap. 6. ubi describit urbem Jerusalem. *Quin & quartus collis incolebatur, cui nomen est Bezetha, situs quidem ex adverso Antoniæ, fossis autem altissimis separatus; quæ de industriâ ductæ sunt, ne Antoniæ fundamentis colli cohærentibus, & accessui facilis sit & minùs edita: undè etiam fossæ altitudo plurimùm turribus celsitudinis adjiciebat: nominata est autem pars addita civitati voce indigenâ Bezeta, quæ à viro Graecè loquenti appellaretur καινὴ πόλις, id est, canopolis nova civitas.* An ibi sciens errat Josephus? An peccat ignorantia? Quidquid sit, falsa est illa originatio; nisi dicatur eam fuisse sententiam

Josephi, Hebræos suâ linguâ appellasse Bezetham, quæ Judæis Græcè loquentibus diceretur καινόπολις *cænopolis*, sive nova urbs. Videtur ille parum peritus linguæ Hebraïcæ; & id non mirum est, desierat enim esse vernacula. Forsan linguæ Græcæ assuetus dedicerat linguam quâ vulgus utebatur, aut prorsus neglexerat. Certum est hujus scientem non se perhibere; quod ex aliis quas profert originationibus evinci potest. In Antiquitatibus libro 3. cap 10. agens de festo Pentecostes dicit ab Hebræis appellatum ἀσαρθὰ, quod nomen, inquit ille, Hebræis idem sonat ac Græcis πεντηκοστή. Qui autem linguam Hebræam degustarunt vel primis labris, discere possunt ex lexicis עצרת *atzarath* significare *prohibitionem, conclusionem.* Pentecostes erat conclusio festi Paschatis, & in eo prohibebatur omne opus servile.

Vera etymologia *Bezetha* juxta quosdam derivatur à בית *Beth domus* & יסדה *jasdah, fundamentum;* ex quibus factum sit *bethzetha* pro *bethjasdah*: quasi locus ille nomen acceperit, quia erat prope fundamenta templi. Puto veram originem petendam a בית *beth domus*, sive *locus* & הצאן *hatson*, id est *domus gregis;* quia ibi erat forum pecuarium, in quo nempe emebantur pecudes in sacrificia, vel in alios usus Hierosolymitanorum. Infra demonstrabimus in parte urbis fuisse portam, quæ diceretur *gregis* ob viciniam sanè macelli in quo oves vendebantur. In eâdem parte & locabimus piscinam probaticam, sive piscinam ovium, sive potiùs piscinam quæ erat in foro ovium.

SECTIO III.

In parte inferiori urbis erat Salem; urbs Melchisedech in qua occurrit ille Abrahæ; unde dicta est Acra.

JErusalem circuitu suo amplectebatur quatuor colles Salem, Sion, Moriam, & Bezetha, sed non in primâ suâ origine. Ante jacta à Salomone fundamenta templi totus Moria extra urbem erat. Bezetha non cœpit incoli nisi ubi Jerusalem exuberavit multitudine, & viri religiosi frequentantes domum Dei, ædes in viciniâ ejus requisierunt. Nec Bezetha muro circumdatus est, nisi paulò ante eversionem templi, sub Claudio Imperatore, ut narrat Josephus libro 6. de Bello cap. 6. Primitùs Jerusalem occupabat tantummodò eam partem, quæ vetus nomen servavit, & semper Salem dicta est, cujus Melchisedech Rex fuit. Hieronymus illam quidem Salem habet pro Salim ubi Joannes Præcursor baptisabat; qui locus videtur alius; nempe remotior ab eo loco in quo Rex ille dicitur occurrisse Abrahæ, non longè à Sodomis, ut innuitur in Genesi cap. 14 17. *Egressus autem Rex Sodomorum in occursum ejus, postquàm reversus est à cæde Chodorlahomor: & Regum qui cum eo erant in valle Save, qua est vallis Regis.*

18. *At verò Melchisedech Rex Salem proferens panem & vinum: erat enim Sacerdos Dei altissimi,*

19. *Benedixit ei, & ait benedictus Abram Deo excelso, qui creavit cælum & terram.*

Hic Geneseos locus ostendit Salem non fuisse multùm remotam Sodomis; Jerusalem autem non longè distat à lacu Asphalitæ, ubi olim Sodoma & Gomorra. Itaque Jerusalem antiquitùs erat Salem, cujus nomen crevit cum gloriâ ejus. Auctum, inquam, nomen illud, sive mutatum in Jerusalem; quasi Salem dicta fuerit urbs *visionis*, id est, conspicua.

Vallis de quâ sequenti articulo dicemus, separabat Salem à Sione, quæ postquàm munita est à David,

A respectu Salem fuit veluti arx, sive præsidium huic impositum. Certè Sion eminebat. Ad vertices montium non perveniunt aquarum rivuli, id ò quia erat locus aridus, nomen Sionis acceperat: ציון *tzion* enim *aridus est locus.* Verùm & ista vox *Sion* pariter significat speculam; neque enim multùm differt à ציים *tsionim* quod apud Jeremiam cap. 31. 21. denotat speculam. Sion respectu collis Salem erat veluti specula; quapropter ubique Josephus Sionem appellat ἄνω πόλιν urbem superiorem, & Salem κάτω πόλιν urbem inferiorem. *Urbs ipsa*, loquitur de Jerusalem Josephus libro 6. de Bello cap. 6. *condita erat adversis frontibus seipsam respiciens super duos colles intercurrente valle discretos; in quam domus creberrimæ desinebant. Collium verò alter, quo superior civitas sedet, multò est excelsior, & in prolixitate directior: adeò ut quoniam tutus erat,* φρούριον castellum *à David quondam Rege vocaretur, (is pater Salomonis fuerat, qui primus templum ædificavit) à nobis autem forum superius. Alter autem qui appellatur Acra, inferiorem sustinet civitatem, & undique declivis est.*

B Locus ille Josephi eget aliquâ luce; & in eo mihi videtur ipse cæcutire. Græce Ἄκρα substantivum nomen est *summitas, culmen, fastigium.* Ἄκρος & ἄκρη adjectivum, idem sonat quod *summus* & *summa.* Protulimus loca Josephi, in quibus ab illo Sion appellatur ἄκρη, & ἄκρα, cùm narrat quomodo David Jerosolymam oppugnans, statim expugnaverit inferiorem urbem, & solâ resistente arce, nempe Sione, proposuerit præmium iis qui primi εἰς τὴν ἄκραν in arcem evaderent. C Quomodo ergo eidem scriptori Sion est ἄκρα, & hocce nomen ἄκρα facit proprium urbi inferiori, sive Salem; nec id semel. Sic enim loquitur in libro primo de Bello cap. 1. agens de vastatione Hierosolymæ ab Antiocho. *Adhuc autem fervente victoriâ* ἐπὶ τὴν ἐν τῇ πόλει φρουρὰν in præsidia civitatis *impetum fecit: necdum enim excisa fuerant: habitoque conflictu, milites de superiori civitate, ad inferiorem compellit qua pars urbis Acra dicitur.* Græcus textus proferendus hujus postremæ partis. Ἐκβαλὼν ἀπὸ τῆς ἄνω πόλεως, συνωθεῖ τοὺς στρατιώτας εἰς τὴν κάτω. τοῦτο δὲ τῆς ἄστεως τὸ μέρος ἄκρα κέκληται. Interpres vetus Josephi sic vertit. D *Habitoque conflictu milites de superiori civitate, qua pars Acra dicitur, ad inferiorem compellit.* Tribuit ille Interpres superiori urbi, quod ex auctore pertinet ad inferiorem. Scilicet deceptus, quia alibi Sion à Josepho dicitur Ἄκρα. Forsan dicat quis & Salem potuisse dici ἄκραν, sive summam, excelsam; quam compulsi sunt Asamonæi humiliorem facere, ne emineret magis quam templum, ut narrat Josephus libro 6. de Bello cap. 6. Ubi dixit describens Jerosolymam & adstruens Sionem fuisse sublimiorem collem subjungit: *alter autem collis qui appellatur Acra, inferiorem sustinet civitatem & undique declivis est. Contra hunc autem tertius collis erat naturâ humilior quàm Acra, & aliâ altâ valle antè divisus. Verùm postea, quâ tem-* E *pestate Asamonæi regnabant, & vallem aggeribus repleverunt, ut templo conjungerent civitatem, & Acræ altitudinem cæsam humiliorem fecerunt, ut ex eâ quoque fanum supereminens cerneretur.*

Tertius collis ille est Moria; cui postea Josephus adnumerat quartum collem Bezetha. Ex eo autem quod Salem excelsior esset monte Moriâ, non sequitur non fuisse depressiorem, quod adstruit Josephus, monte Sionis. Itaque secum cohæret. Sed quomodo collis Salem comparatus cum colle Sionis qui erat magis editus, potuisset dici ἄκρος summus, sive Ἄκρα summitas, culmen, fastigium; sic habere nomen ab excelsiori vertice? Hunc nodum non solvit Josephus; qui fortè non deprehendit dis-

nomen inter nomen Græcum, quo propter summitatem suam Sion appellari poterat ἄκρη sive ἄκρα, summitas; & nomen Hebræum *Acra*, quo Salem cujus situs respectu Sionis, erat depressior, sic nominari contigit. Villalpandus putat hocce nomen scribendum his literis Hebraïcis הקרה *hierah*, quod sonat *occurrit*, & venire potest, ex *h erah*. Veteres Hebræi Salem vocaverant *Acra* ab occursu aliquo celebri. Modò dicebamus Melchisedech Rex Salem occurrisse Abrahæ, cùm reverteretur à cæde Chodorlahomor. Potuit ille occursus fieri in ipsâ urbe Salem, per quam cùm transiret Abraham, panem ei & vinum obtulit Rex urbis; ad quem forsan & Abraham se contulerat ut ad Sacerdotem, cui dedit decimas ex omnibus quæ sibi comparaverat vincens hostes. Ex eventu celebri Salem potuit nomen accipere. Novissimis temporibus arcem Græcè ἄκραν, in eâ parte Rex Antiochus dictus Epiphanes ædificavit. Ingressus sanctam urbem, ut Josephus narrat in Antiquitatibus lib. 12. cap. 7. *Incendit etiam ædificiorum ejus quidquid erat pulcherrimum, & demolitus mœnia in inferiore urbe arcem condidit.* Τὴν ἐν τῇ κάτω πόλει ἀκροδόμησεν ἄκραν, *erat enim in editiore loco sita, ipsi templo imminens; quapropter bene priùs firmatæ mœnibus ac turribus Macedonicum præsidium imposuit.* De hac Antiochi arce loquemur alio loco. Dijudicet Lector de originatione nominis *Acra*. Ambiguitas hujus incertos facit Lectores, ubi in Machabæicis libris fit sermo περὶ τῆς Ἄκρας, de quâ arce fiat sermo; an de illâ quæ erat ipsa civitas David, in arcem sive præsidium munita; an de aliâ arce quæ constituta fuerit in urbe inferiori; aut simpliciter de ipsâ urbe inferiori, quæ si vera est allata originatio, appellabatur *Acra* non appellatione Græca, sed Hebraïcâ.

SECTIO IV.

De situ Sionis respectu cæterorum collium Jerusalem. De valle quæ eam separabat à Salem & Moriâ. In illâ valle aut juxta illam, erat Ophel.

Sion in suo proprio situ erat collis præruptus, & ideò naturâ suâ tutissimus. Situm Sionis & Salem exponit Josephus describens urbem Jerusalem libro 6. de bello cap. 6. *Ipsa quidem super duos colles erat condita, contrariis frontibus semet inspicientes, interveniente valle discretos, in quam domus creberrimæ desinebant. Collium verò alter, quo superior civitas sedet,* nempe Sion, *multò est excelsior, & in prolixitate directior: adeò ut quoniam tutus erat, castellum à David quondam Rege vocaretur (is pater Salomonis fuerat, qui primus templum ædificaverat) à nobis autem forum superius. Alter autem qui appellatur Acra, qui inferiorem sustinet civitatem.* ἀμφίκυρτος, id est, utrinque incurvus *est.* Videlicet ut alibi dicit Josephus, theatri formam habet. Iterùm protuli huncce locum Josephi, ut situs Sionis notior esset. Erat τὸ μῆκος ἰθύτερος in prolixitate directior. Ab oriente in occidentem extendebatur; cùm collis Salem esset ἀμφίκυρτος, sive, ut loquitur in Antiquitatibus libro 15. cap. 14. θεατροειδής. Sion meridionalis erat respectu Moriæ & urbis inferioris. Templi forma erat quadrata cujus singula latera spectabant directè unam ex quatuor plagis mundi. Lateri orientali opponebatur mons Olivarum, urbi orientalis ex Josepho, qui lateri boreali templi opponit Bezetham; & occidentali urbem inferiorem. Quæ cùm ita sint, meridionale latus respiciebat Sionem. Hanc dispositionem confirmat illud Zachariæ vaticinium de Christo Jesu cap. 14. 4. *Et stabunt pedes ejus in die illâ supra montem Olivarum, qui est contra Jerusalem ad orientem.* Sunt tamen qui contendunt montem Sionis spectasse septem Triones ob illud Psalmi 47. *Mons Sion latera aquilonis civitas Regis magni.* Sic enim interpretantur hunc locum, quasi per appositionem dictum fuisset, montem Sionis fuisse latus urbis aquilonare. Sensus verò planior est ad latera aquilonaria montis Sionis sitam fuisse civitatem magni Regis, id est Regiam Salomonis, cujus is erat situs, ut evincemus. Vel ibi intelligendum templum civitas Dei; quod erat Septentrionale Sioni, siquidem Sion huic meridionalis. Alii putant in hocce Psalmo innui duas præcipuas partes Hierosolymorum scilicet Sionem & Salem, quæ sita erat ad latus boreale Sionis. Quasi dicat Psaltes, Sion, & quod situm est ad aquilonem ejus, sunt civitas magni Regis; præcipuæ sunt partes urbis Jerusalem; quas vallis ab oriente in occidentem tendens, ut modò dicemus, separabat in meridionalem & septentrionalem plagam.

Vallis illa quæ dirimebat urbem superiorem ab inferiori appellatur à Josepho lib. 6. de Bello cap. 6. Tyropoeum ἡ τῶν τυροποιῶν, quasi dicat *vallis casceariorum*, hoc est, eorum qui caseos premerent. Hæc vallis protensa usque ad fontem Siloan, in occidentali plaga urbis, incipiebat ad radices montis Olivarum; quam ergo Zacharias forsan intuebatur in eo loco quem allegavimus, ubi pergit dicere: *Et scindetur mons Olivarum ex mediâ parte sui ad orientem & occidentem prærupto grandi valdè, & separabitur medium montis ad aquilonem, & medium ejus ad meridiem.* Nempe vallis Tyropoeum, quæ pertinuit ad radices montis Olivarum, hoc scisso ultra producetur. Hæc vallis est illa vorago civitatis David, cujus mentio fit in tertiò Regum cap. 11. v. 27. & de qua disseram in articulo sequenti.

In hac valle, aut propè, locus fuit, qui dicebatur Ophel, sive Ophla. Ibi urbs inferior desinebat. Josephus in libro 7. de Bello cap. 13. conjungit Ophlam cum locis urbis inferioris; de cujus incendio sic loquitur. Post captam urbem, Titus permiserat illam diripi atque inflammari. *Illi autem ipso quidem die nihil egerunt. Postero autem die Archivum, Acram, & curiam, & qui vocatur Ophla, succendêre.* Ex Villalpando subjacebat lateri orientali montis Moriæ, ubi sunt radicibus hujus montis habitabant Nathinæi. Discimus à Nehemia cap. 3. 26. Nathinæorum sedem fuisse עפל *Ophel*; quod nomen, ut notat Conradus Kircherus in suis concordantiis, locus est intra scopulos seu montes angustus, seu meatus arctus, per quem contendere oportet. Ex quo ut excluderentur hostes, turres, arces exstruebantur, ubi ponebantur præsidia. Græci ejusmodi loca πύλας, id est, *portas*, Latini *fauces* nominabant. Sæpiùs occurrit in sacro codice, & variè redditur ab Interpretibus Græcis: In quarto Regum cap. 5. v. 24. σκοτεινὸν *tenebrosum*: In secundo Paralipomenon cap. 33. 14. Ἄδυτον, id est, *locus inaccessus.* Ex iis deduco Ophlam fuisse locum inter Moriam & Sionem, qui occupabat fauces illas quas illi montes faciebant; & productum usque in eam partem Acræ, quæ subdita erat lateri occidentali templi, tum etiam in vallem in qua Cedron fluebat. Sic Ophla amplectebatur ex parte radices templi. His fidem adstruit Josephi locus ille lib. 6. de Bello cap. 7. ubi agens de partibus Hierosolymorum, quas tenebat Simon unus ex ducibus inter quos scindebantur Hierosolymitani, sic loquitur. *Tenebat autem Simon quidem superiorem civitatem, murumque majorem usque ad Cedronem.... Joannes autem templum aliquatenus itemque Ophlam, & vallem qua Cedron appellatur.* Ita interea, cedo Sionis & templi densis umbris necessariò opplebatur ob an-

gustias loci, ob altos montes, tum ob excelsa ædificia quæ Sioni & Moriæ imponebantur. Nec multam, saltem non diutinam lucem sol immittebat in hunc locum, qui idcirco erat verè σκοτεινὸς, id est, tenebricosus. Quapropter non mirum est si cederet Nathinæis, id est, hominibus obscuris; & Manahemus, referente Josepho libro secundo de Bello cap. 18. in Ophlam confugiens delituerit; & fefellerit eos à quibus quærebatur ad necem.

SECTIO V.

Vallem quâ Sion separabatur à Salem & Moriâ, munivit Salomon substructionibus; quæ in sacro codice nomine Mello appellantur. Moriam & Sionem ponte junxit.

VAllem Tyropœum ea parte qua extenderetur versùs orientem, verisimile est fuisse profundiorem; ab occidente enim aquæ per illam fluentes, & crescentes cursu suo magis excavabant alveum suum, donec exonerarent se in Cedrone. Magna ita erat vorago in orientali plaga dictæ vallis. David jam Sionem cinxerat mœnibus; quæ longinquitate temporis, ut fieri solet, cùm corruissent subductis fundamentis, in imas valles ex verticibus collis, terra sublabente. Salomon admovit aggeres; qui ex profunda valle verticem collis attingebant. Hos oportuit esse miræ altitudinis; omnes enim, ut ita dicam, radices Sionis muniendæ fuêre; obducendæ muro, firmandæ substructionibus. Et hæc est structura; quæ, ut puto, in sacro codice *Mello* appellatur in libro tertio Regum capite 9. 15. ubi sermo est de ædificiis Salomonis *Hæc est summa expensarum, quam obtulit Rex Salomon ad ædificandam domum Domini & domum suam, & Mello, & murum Jerusalem*, Vocem מליא *millo*, ibi Chaldæi Paraphrastæ interpretantur מליתא *meletha*; quod nomen, ut videre est in Lexicis Chaldaicis, significat *aggerem, vallum, obstructionem.*

Conjungitur Mello cum domo Salomonis & domo Domini, propter pares ferè impensas operis. Pronomen demonstrativum ה *he* quod præponitur nomini המלא *hamillo* indicat illud opus fuisse eximium. In secundo Regum cap. 5. 9. dicitur David Sionem munivisse per gyrum à Mello. Si Mello opus est Salomonis, tempore Davidis non extabat. Verùm ille à quo post Davidem mortuum scriptus est liber secundus Regum, potuit nomine suo novo designare veterem locum in quo scilicet à Salomone congesti aggeres & factum opus Mello; quod perfici non potuit nisi impensis, quæ hujus Regis quamquam ditissimi videntur exhausisse opes. Certè ob illud subditos suos gravibus tributis oneravit; quo nomine sibi & filio suo Roboam gravius odium conciliavit; ut dicitur in tertio Regum cap. 11. cùm afferuntur causæ cur Israëlitæ relicto Roboam secuti sint partes Jeroboam. *Et hæc est causa rebellionis adversùs eum, quia Salomon ædificavit Mello, & coæquavit voraginem civitatis David patris sui.* In Chaldæa Paraphrasi dicitur quia Salomon ædificavit aggerem.

Sub fine hujus articuli ostendemus à Salomone junctum Moriam cum Sione interjecto ponte; & hoc est quod dicit Scriptura: *Et coæquavit voraginem civitatis David.* In fonte: *& clausit disruptionem civitatis David.* Nempe aliquomodo removit illam rupturam quæ erat inter Sionem & Moriam, conjungens utrumque collem, ut nulla interesset ruptura. Græca editio habet. ὁ βασιλεὺς Σαλωμὼν ᾠκοδόμησε τὴν ἄκραν, καὶ συνέκλεισε τὸν φραγμὸν τῆς πόλεως Δαβὶδ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. Rex Salomon munivit ædificiis Sionem quæ dicebatur ἄκρα, id est, *arx*, & conclusit munimentum, sæpimentum hujus urbis, quæ nomine patris sui appellabatur. Ubi agetur de templi substructionibus, videbimus illas significari nomine ἀνάλημμα; ita per illud ᾠκοδόμησε intelligere possumus Sionem munitam, ut diximus, à Salomone substructionibus, erismis; ne inædificatæ arces Sionis subverterentur subductis fundamentis.

Inter ea memoranda quæ Ezechias Rex patrasse dicitur, hæc legimus in Paralipomenis libro 2. cap. 32. 5. *Ædificavit quoque agens industriè omnem murum, qui fuerat dissipatus; & exstruxit turres desuper, & forinsecùs alterum murum; instauravit Mello in civitate David.* In fonte: *& roboravit Mello*; nam aggeres, erismata subruebant. Nullum est ædificium, quod diu ferre possit injurias hiemis & imbrium, nisi damna resarciantur. Itaque cùm vetustas corrupisset dictos aggeres, Ezechias hos instauraverat ob Regias in illud impensas laudatus. Animus advertendus ad verba Græcæ versionis ᾠκοδόμησε τὸ ἀνάλημμα τῆς πόλεως Δαυίδ. De hac voce ἀνάλημμα copiosè differam in libro quinto; cùm enarrandæ erunt templi substructiones. A Suida & Hesychio exponitur ὕψωμα, id est, edita structura; a Suida & στήριγμα, id est, firmamentum, vel munimentum, nempe aggeres, erismæ, & omne illud ædificii genus quod substruitur ad confirmanda edita ædificia. Ergo nullus dubitandi locus est, quin Mello verè fuerit aliquod ἀνάλημμα, sive excelsa structura; qua observatione illustratur locus quarti Regum capite 12. 20. ubi narratur mors Regis Joas. *Surrexerunt autem servi ejus, & conjuraverunt inter se, percusseruntque Joas in domo Mello in descensu Sella.* Ibi *domus* ponitur pro loco. Nempe locus ubi percussus est Joab fuit Mello in descensu סלא *silla*. Conjicio in illis aggeribus Mello fuisse dispositos gradus per quos via compendiosa à superiori urbe descenderetur in inferiorem & in vallem Tyropœum. Nomen סלא *silla*, sive *sella* videtur denotare dispositos gradus quos hac via compendiosa haberet. Non adeò differunt סלא & מסלה *mesilla, aggesta, strata, trita, via.* Verbum סלל *salah* idem sonat quod *stravit.* Aptus erat locus conjuratis in quo deprehenderent pluribus satellitibus desertum; via enim arcta erat.

Mello ter nominatur in libro Judicum; sed non idem indicatur locus. Capite 9. 6. legimus. *Congregati sunt autem omnes viri Sichem, & universa familia urbis Mello, abieruntque, & constituerunt Regem Abimelech.* In fonte est בית מלוא *beth millo.* Græci accipiunt pro loco, & reddunt Βηθμααλλὼ, Latinus pro urbe. Verùm quoniam בית *beth*, significat & domum & locum; nomen autem מליא derivetur à מלא *male*, id est, plenum esse, beth millo intelligi potest *domus plenitudinis* & ideò congregationis. Sic ergo interpretor hunc locum: *omnes viri Sichem & omnis congregatio abierunt & constituerunt Regem Abimelech.* Huic interpretationi favet Josephus, ubi rem eandem narrat in Antiquitatibus libro 7. cap. 9 Ποτὲ δημοτελεῖ ζυλμοῖς οὔσης ἑορτῆς, καὶ τὸ πλῆθος παντὸς ἐκεῖ συνειλεγμένου. *Dum quodam tempore publica in Sichimis festivitas celebraretur, ad quam plebs universa convenerat, &c.* Græci Interpretes primùm habuerunt Mello pro nomine proprio alicujus loci. Hos Latinus Interpres sequens, etiam pro oppido habuit Mello altera vice & tertia in eodem capite ubi narratur hæc historia electi Abimelech in Regem. Joathan frater Abimelech inducitur loquens.

19 *Si ergo rectè & absque vitio egistis cum Jerobaal & domo ejus, hodie lætamini in Abimelech, & ille lætetur in vobis.*

20. *Sin autem perversè: Egrediatur ignis ex eo,*

& consumat habitatores Sichem, & oppidum Mello: A *egrediaturque ignis de viris Sichem, & de oppido Mello, & devoret Abimelech.* Ibi beth mello in fonte non aliud est, quàm domus Mello; hoc est, locus, non necessariò oppidum, sed locus in genere, in quo populus frequens congregaretur, locus plenitudinis. Tum Sichimitæ omnes congregati erant ad eligendum Abimelech in Regem, ut Josephus ibi interpretatur sacrum codicem, τ̃ πλήθους παντὸς ἐκεῖ συνειλεγμένου. Alibi non fit mentio urbis quæ appellaretur Mello.

Quidquid sit de illo Mello Judicum, sive sit urbs, sive congregatio universalis, Mello cujus fit mentio in libris Regum & Paralipomenis sunt substructiones, sine quibus Salomon non potuisset committere B Moriam cum Sione, superstruendo pontem, qui interciperet voraginem civitatis David, sive vallem Tyropœum. Moriam junctum cum urbe superiori constat; & ut dixi, ideò dicitur Salomon *coequavisse voraginem civitatis David*, quia ex æquo ibatur hujus pontis beneficio, ex templo quod Moriæ inædificatum fuit, in Regiam quæ in Davidis civitate erat, ut multis Scripturæ locis constabit, quæ depromemus in libro sequenti. Non semel hujus pontis Josephus mentionem facit. In Antiquitatibus libro 14 cap. 8. cùm Pompeius urbem oppugnaret, Judæi qui templum occupaverant, *pontem*, inquit, *in urbem ducentem præciderunt*; quo sublato, ut paulò post observat, versùs urbem abrupta C erant omnia; voragine enim immensâ separabatur. Libro secundo de Bello capite 16. notat templum fuisse cum Xisto conjunctum, cui imminebat Asamonæorum domus Γέφυρα τῷ ξυστῷ τὸ ἱερὸν συνῆπτεν. *Pons templum cum Xisto committebat*; quod & adstruit in libro septimo de Bello capite 13. ubi liquidò dicit ponte templum cum urbe superiori, eâ in parte ubi erat Xistus, fuisse conjunctum. Ταύτῃ γὰρ ὑπὲρ τὸν ξυστὸν ἦσαν πύλαι καὶ γέφυρα συνάπτουσα τῷ ἱερῷ τὴν ἄνω πόλιν. *Hic enim super Xistum erant portæ, ac pons qui civitatem superiorem templo jungebat.* Pons ille & substructiones tum urbis tum templi, quas conjungebat, opus erant miræ artis & incredibilium impensarum. Ibi enim, ut diximus, multùm dehiscebat vorago; quod li- D quet, si quidem extima mœnia templi quæ à solo descendebant usque ad radices montis, plus quàm essent trecentorum cubitorum, hoc est, quingentorum pedum Parisinorum. In miram ergo altitudinem ascendebant pilæ, sive stantes columnæ hujus pontis.

CAPUT IV.

De portis, turribus, muris urbis Jerusalem, circuitu, amplitudine. Muros ejus quos everterant Chaldæi restaurat Nahemias. E

SECTIO I.

Nomina portarum Jerusalem, situs, numerus.

Eminùs conspectis quos Jerusalem insidebat montibus, nunc propiùs accedamus ipsam circum lustrari, nempe muros ejus, quorum flexuras non possumus explicare, undè inchoarent, qua ducerent, ubi desinerent, nisi priùs definiamus loca per quæ constat fuisse ductos. Ideò primùm numerandæ portæ; quærendum ad quas plagas paterent: & in quibus ex his quatuor montibus, quos urbs complectebatur, sitæ essent. Notum est portas hisce locis

A disponi, per quæ urbs adiri potest; Sionem autem circumdabat vorago: circumquaque prærupta erat, veluti arx. Igitur non plures pro amplo ejus circuitu portæ ad illam referebantur. Ne quis judicet de veteri Jerusalem ex hodiernâ, dicam quæ circa antiquam profundæ fuerant valles; ruinis ejus cum expugnata est, completas: quæ cælo surgebant turres eversas: altos muros suffossos. Sic contigit valles æquatas fuisse planis locis, & loci in quo urbs condita, totam faciem immutatam. Hoc experire est. Vetus Roma in novâ quasi sepelitur; ita ut, cùm putei fodiuntur, antiquæ opes, signa aurea, argentea, marmorea, eruantur, quæ ab eversione urbis usque ad hanc diem delituerant. Templa ve- B tusta, quorum ad limina olim non nisi multis ascendebatur gradibus, nunc multùm infra terram depressa sunt.

Portas ordine recensens, initium ducam ab illâ quæ primùm se subjicit tibi, Lector, dum præ manibus tenes delineationem Hierosolymorum; quæ non multum dissimilis est huic quam adornavit Villalpandus, sed non eadem est. Etsi tunc temporis alia sit facies soli in quo erat vetus Jerusalem, tamen prodest exploratum habere hodiernum ejus situm. Quondam mons Moria magis ad orientem procurrebat, quàm mons Sion, sive Sion paulò retrocedebat. Quare cogito, ubi murus urbis ad muros templi proximè pervenerat, productum fuisse C ad orientem, ut amplecteretur radicem Moriæ. Ibi in angulo, ad finem vallis Tyropœon, certò erat porta quæ equorum dicitur; quâ exibatur in Cedronis vallem. Situm hunc probant hæc verba Jeremiæ, quæ non semel expendam capite 31. 39. *Et exibit norma mensuræ in conspectu ejus super collem Gareb & circuibit Goatha. Et omnem vallem cadaverum & cineris, & universam regionem mortis usque ad torrentem Cedron, & usque ad angulum portæ equorum Orientalis, sanctum Domini, non evelletur, & non destruetur ultra in perpetuum.* De locis quæ ibi Jeremias nominat, infra agemus. Significat omnia quæ everterant Chaldæi, restauranda à parte occiduâ usque ad orientalem plagam, nempe D ad angulum portæ equorum, quæ erat in angulo orientali.

Hac, ut dictum est, portâ exibatur ad Cedronem in quem fimeta, sordes templi, & aliorum locorum confluebant. Quâ de causâ cùm Athalia ejecta est ex templo, ut interficeretur, jusserat Joiada Pontifex educi eam ad portam equorum, ut narratur in quarto Regum cap. 23. 14. *Educite illam extra septa templi, & interficiatur foris gladio; præcepitque Sacerdos ne occidatur in domo Domini. Et imposuerunt cervicibus ejus manus, & impegerunt eam per viam introitûs equorum juxta palatium, & interfecta est ibi.* Non longè à torrente Cedronis; quod dicit Josephus eadem narrans in Antiquitatibus libro 9 cap 7. *Joiadas accitis centurionibus, ju-* E *bet mulierem arripi, ducique in torrentem Cedronis, atque illic pœnas luere; neque enim fas esse templum venefica supplicio pollui. Mandavit etiam, si quis ei conetur ferre suppetias, & ipsum pariter interimi. Illi igitur, quibus hoc demandatum est, eductam extra portam mulorum Regis illic interficiunt.* Hac portâ puto eductos vel admissos in urbem equos & mulos Regios. In vicinia enim ejus sita erat Regia domus, ut hicce locus Scripturæ nos docet. Ex hac parte vallis Tyropœon faciliorem viam equis & mulis præbebat.

A portâ equorum ad meridiem flectentibus & lustrantibus muros occurrebat porta aquarum; qua, ut puto, ibant haustum aquas ex fontibus, qui tunc temporis fluebant a pede montis Sionis in vallem

Cedronis



Litterâ S. synagogæ notantur in hac veteris urbis Hierusalem descriptione

Tab. VIII

Back of
Foldout
Not Imaged

Cedronis. Sitam fuisse in latere orientali probamus ex eo quod dicitur in secundo Esdræ cap 8. 1. *Congregatusque est omnis populus quasi vir unus ad plateam, quæ est ante portam aquarum.* Celebris erat illa platea, nec alia, ut puto, quàm ista secundi Paralipomenon cap. 29. 4 in quam Ezechias *adduxit Sacerdotes atque Levitas, & congregavit eos in plateam orientalem.* Sed liquidò hæc porta statuitur ad Orientem in descriptione murorum urbis quam facit Nehemias.

In delineatione Villalpandæâ supra portam aquarum, ponitur porta fictilis, quam omninò fictitiam reputo; sive non aliam, quam quæ modò dicta est porta aquarum. Cur autem fictilis esset appellata, quærendum est. De illâ fit sermo apud Jeremiam capite 19 *Hæc dicit Dominus: vade & accipe lagunculam figuli testeam à Senioribus populi & à Senioribus Sacerdotum.* Mentio hujus lagunculæ auctoritatem dedit oscitationi Scribæ, qui, ut mihi videtur, corrupit textum sequentem; sive negligentiâ, sive deceptione, ut liquebit. 2. *Et egredere ad vallem filii Ennon, quæ est juxta introitum portæ fictilis: & prædicabis ibi verba, quæ ego loquar ad te.* Legebat Interpres in suo codice, quo utebatur, ut puto, ibi corrupto החרשות à radice חרש *cheresch testa.* Nunc verò legitur & olim lectum est החרסות *hacharsuth* vel *hacharseth* à חרס *sol.* In editione Romanâ Græci codicis legimus ἐπὶ τῶν προθύρων πύλης τῆς χαρσιθ. Porta solis, appellatur quæ orientalis est; porta autem aquarum erat orientalis; & juxta illam erat platea, quæ respiciebat Orientem, & idonea erat excipiendo frequenti cœtui. In illâ Ezechias Sacerdotes & Levitas omnes congregavit; & in eâ Nehemias legit legem coram populo: ita apta in quo Jeremias jussu Dei compellaret Judæos. In recensione portarum Jerusalem nullam portæ fictilis mentionem facit Nehemias; nec est cur illam prætermisisset silentio. Frustra Villalpandus & alii dicunt hac fictili portâ patuisse viam ad agrum figuli, ubi peregrini sepulturæ mandabantur.

Totum meridionale latus Sionis non erat ullâ portâ pervium. Progrediendo & flectendo iter in occiduum latus, occurrebat porta quæ dicebatur *fontis;* quia per illam aquæ fontis Siloë influebant in urbem. Diversa autem illa porta est à porta quæ dicitur מים *maiim*, id est, *aquarum;* hæc enim dicebatur עין *ghain* nempe oculi, sive fontis. Præterea porta aquarum erat ad Orientem civitatis Davidicæ, porta verò fontis ad Occidentem, ubi erant aquarum scaturigines; & inprimis celeberrimus fons Siloë, de quo plurimus fiet sermo.

Sequitur porta stercoris אשפות *asphoth;* quâ scilicet emittebantur sordes extra urbem in vallem vicinam, quæ à Jeremia appellatur vallis cadaverum. Josephus non aliam videtur portam innuere, quàm illam stercorariam, cùm sic loquitur describens primum murum Jerusalem, in sexto de Bello cap. 6. *Hac autem parte incipiens à turri, cui nomen est Hippico, ad Xistum pertinens: deindè curiæ conjunctus, in occiduam templi porticum desinebat. Parte autem alterâ ad Occidentem ex eo loco ductus, per eum qui vocatur Betiso descendens in Essenorum portam: deindè supra fontem Siloam in meridiem flexus, &c.* Porta, inquam, illa ἐσσηνῶν ipsa est stercoraria. Sed undè dicta Essenorum? Villalpandus dicit Essenos qui agriculturæ dediti essent, curam habuisse fimetorum, quoniam omnis agrorum ubertas ab stercoratione nascitur; ideò sedem posuerant juxta dictam portam. Ego verò putarem vocem אשפות *asphoth* cùm tereretur ore vulgi corruptam in istud vocabulum Asphenorum, sive Esphenorum, quod ipse Josephus non intellexit, aut quod verisimilius

A est, Græcè scripsit ἐσσηφῶν, ex quo librarii fecerunt vocem τῶν ἐσσηνῶν. Sic Græci literis scripsit βηθισὼ *Betiso;* quod Hebraicè dicebatur בת צאה *beth Zohe*, id est, domus, sive locus excrementi, stercoris, sordium. Sic nomen Hebræum portæ stercorariæ evasit in ἐσσηνῶν Essenorum:

Pervenimus ad portam Vallis; quâ, ut puto, descendebatur in vallem, quæ erat ad plagam occidentalem urbis. Græci appellant hanc portam γαὶ, nimirum his literis exprimentes nomen Hebræum גיא *gai*; id est, vallis. Hùc propendet animus ut credat portam Γενὰθ *Genath* ipsam esse portam vallis; cujus nomen ore vulgi, vel ab his qui exscripserunt Josephum, corruptum sit. Villalpandus contendit portam *Genath* Josephi non distinguendam à
B porta gregis, quæ, ut modò videbimus, erat proxima Cedroni, & deducebat ad montem Oliveti, in cujus radicibus frequentes erant horti. Si *Genath* deducitur à גנ *gan* vel *ginnah* hortus. Cogitari posset, huic portæ fuisse proximos hortos; quos videbimus in septentrionali tractu fuisse plurimos. Audiamus ipsum Josephum, qui loco supra allegato pergit muros urbis describere *Secundus autem murus à portâ quidem habebat initium, quam Genath appellabant, hæc autem fuerat muri prioris. Septentrionalem verò tractum ambiens, usque ad Antoniam descendebat.* Ita Antonia turris erat finis muri, cujus initium porta Genath, quod convenit portæ vallis. Sic describitur ille secundus murus, ut præcingeret urbem in-
C feriorem. Ex iis quæ subjungemus, liquebit portam Josephi Genath multùm diversam esse à porta gregis; quas portas confundit Villalpandus.

Supra portam vallis notanda porta anguli. Altera alterius in viciniâ erat, ut colligere est ex eo quod dicitur in Paralipomenis libro 2. cap. 26. 9. *Ædificavitque Ozias turres in Jerusalem super portam anguli & super portam vallis, & reliquas in eodem latere firmavit.* Hæc porta anguli à Zachariâ cap. 14. 10. nominatur *porta angulorum.* Undè illi hocce nomen? Portas locari in angulo muri ratio structuræ prohibet. Forsan eo nomine appellata est, quia murus ubi posita sic flectebatur ut illa spectaret tum ad Occidentem, tum ad Septentrionem. פנה *pinna* an-
D gulus pro radice habet פנן. Sed & פנה cum aliis vocalibus scriptum, sonat idem quod *facies, prospectus.* Porta ergo hæc dici potuit faciei propter elegantem faciem, quia scilicet grata apparebat.

Portâ Ephraim iter erat in tribum Ephraim; ideò statuenda ad septentrionalem Hierosolymorum plagam. Fuisse conterminam portæ anguli locus ille Regum ostendit libro 4. cap. 14. 3 *Amasiam verò Regem Juda filium Joas, filii Ochosiæ cepit Joas Rex Israël in Betsames, & adduxit eum in Jerusalem; & interrupit murum Jerusalem à portâ Ephraim usque ad portam anguli quadringentis cubitis.* Idemque totidem ferè verbis habetur in secundo Paralipomenon capite 25. 23. Porta Ephraim nominatur in vaticiniis Jeremiæ & Zachariæ
E
Porta vetus, sive antiqua erat supra portam Ephraim respectu Orientis. Forsan sic dicta, quòd vestigia ejus apparerent a tempore Jebusæorum, & Melchisedech. ישנה *jesanah* Hebræis est *vetus.* Septuaginta Interpretes hanc vocem intactam reliquerunt, & quasi proprium portæ nomen protulerunt scribentes ἰεσανά. In hodiernis Hierosolymis porta quâ creditur Dominus eductus in Calvariam nominatur *vetus:* indè Adrichomius & alii, quos ubique egregiè confutat Villalpandus, opinati sunt veterem portam de quâ fit sermo, fuisse in occidentali latere.

In ordine quo enumeravimus portas Jerusalem, sequitur quæ piscium dicebatur. Erat in septentrionali latere versùs Orientem, quem situm videbimus

à Nehemiâ continuari, ubi agemus de restauratione murorum Jerusalem. Contra allegatur locus secundi Paralipomenon in capite 33. 14 ubi acta Manasse narrantur. *Post hæc ædificavit murum extra civitatem David, ad Occidentem Gihon in convalle, ab introitu portæ piscium per circuitum usque ad Ophel, & exaltavit illum vehementer.* B. Hieronymus in traditionibus Hebraïcis ad hunc locum, in eâ esse sententiâ videtur portam piscium fuisse ad Occidentem. *Ad occidentem Geon, id est, à torrente Geon ædificare cœpit usque ad portam piscium, quæ est porta de parte Joppes.* Proximius maris portus Joppe; nomine autem maris significatur Occidens in Scriptura. Sed non ideò minùs astruo portam piscium fuisse in septentrionali latere urbis. Sic fons optimè B redditur. *Post hæc ædificavit murum exteriorem civitati David;* huic enim erat interior quo hæc civitas pro egebatur adversùs urbem inferiorem. *Ad Occidentem Ghihon in torrente.* Nimirum Manasses ædificavit murum circa civitatem David in eâ parte quæ respicit vallem, sive torrentem Gihon versùs Occidentem. Postea subjungitur. *Et ad intrandum in portâ piscium & circuivit ad locum altum.* In fonte עפל *ophel* quod nomen sumi potest pro re aliquâ excelsâ, & pro nomine loci. Rem eandem tractans Josephus in Antiquitatibus libro 10. cap. 4. ita loquitur. *Restitutis in veterem statum religionis ritibus, ad munienda Hierosolyma curam transtulit, ita ut reparatis antiquis mœnibus nova illis circumdaret, &* C *turres excitaret altissimas, suburbanasque arces cum aliis necessariis, tum in primis commeatibus muniret.* Cùm autem Manasses reformidaret Babylonios à quibus antea fuerat captus, curam potissimam impendit muniendæ portæ piscium, quæ Babyloniis irruentibus objecta erat; ab Aquilone enim veniebant. Undè Jeremias cùm vaticinaretur Jerosolymam à Babyloniis evertendam dicebat Dei nomine cap. 1. 14 *Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ.* Dum simile vaticinium ederet Sophonias, nominavit ipsam portam piscium cap. 1. 10. *Et erit in die illâ, dicit Dominus; vox clamoris à portâ piscium, & ululatus à secundâ, & contritio magna à collibus.* Septuaginta Interpretes non legebant הדגים *hadaghim piscium*, sed הדקרים *hadekarim* D τῶν ἀποκεντούντων *pungentium* à דקר *transfixit*; quæ lectio meritò improbatur. Quid autem illud à *secundâ*, in fonte מן המשנה *min hamischne*, in Græcâ versione ἀπὸ τῆς δευτέρας? Intuebatur Propheta Babylonios, Chaldæos jam irruentes. Quasi diceret: mihi videor videre illos jam imminere. Clamor auditur à collibus, undè advenientes prospiciuntur. Porta piscium quæ illis objicitur, personat clamore. Dixi illam potiori curâ munitam à Manasse; ideò potuit illam facere duplicem. Ita illud מן המשנה *hamischne* à secundâ ἀπὸ τῆς δευτέρας, indicat secundam portam, sive aliquod præsidium quod occurreret post portam. In Paraphrasi Chaldaicâ nunc legimus מן עופא *min opha*, id est, ab avibus; undè nunc Judæi agnoscunt portam ab avibus dictam. Sed E Kimchius sentiebat legendum in hac Paraphrasi מן עופלא *min ophla*. Vidimus modò Manassem munisse portam piscium in ingressu & in circuitu לעפל *la ophel*; nempe circum hanc portam ædificaverat Manasses arcem, turrim, præsidium, munimentum. Quæ omnia nomen *ophel* significare potest. Locus quidam erat Hierosolymis, quod Hebraïcè vocabatur משנה *mischna*, id est, secunda; sed de hoc loco neutiquam sermo fit à Sophoniâ.

Porta Benjamin has portas præcedebat versùs Orientem. Hanc Zacharias nominat cap. 14 10. *Et revertetur omnis terra usque ad desertum, de colle Remmon ad Austrum Jerusalem: & exaltabitur &* A *habitabit in loco suo: à portâ Beniamin usque ad locum portæ prioris, & usque ad portam angulorum; & à turre Hananeël usque ad torcularia Regis.* Mentio fit hujus portæ apud Jeremiam capite 37. 10 *Ergo cùm recessisset exercitus Chaldæorum ab Jerusalem propter exercitum Pharaonis egressus est Jeremias de Jerusalem ut iret in terram Benjamin, & divideret ibi possessionem in conspectu civium. Cùmque pervenisset ad portam Benjamin, erat ibi custos portæ per vices, nomine Jerias, filius Selemiæ filii Hananiæ, & apprehendit Jeremiam Prophetam, dicens: ad Chaldæos profugis.* Cur porta hujus lateris borealis dicta sit Benjamin causa patet. Pars illa urbis vicina erat tribui Benjamin; quin totus tractus urbis borealis ad hanc tri- B bum attinebat; ut juxta Judæos etiam pars altaris in illa reputaretur esse; quod suo loco observaturi sumus. Hæc porta Benjamin iterùm memoratur capite sequenti, nempe 38 7 apud eundem Prophetam. *Audivit Abdemelech Æthiops vir Eunuchus, qui erat in domo Regis, quod misissent Jeremiam in lacum, porrò Rex sedebat in portâ Benjamin.*

Dicerem & hanc portam nominatam ab eodem Jeremiâ in capite 20. 2. nisi subodorarer ibi subesse mendam. Locus proferendus. *Et percussit Phassur Jeremiam Prophetam, & misit eum in nervum, quod erat in portâ Benjamin superiori, in domo Domini.* In totius templi ædificio, ut videbimus, nulla erat porta Benjamin. Villalpandus & alii distinguunt duas portas Benjamin, unam superiorem & alteram in- C feriorem. Si ista de qua Jeremias facit mentionem cap. 20. sit superior, ergo prior de quâ loquitur capite 37. & 28. erat porta inferiòr quod vix cogitari potest. Conjectarem ergo בנימן *Benjamin* scriptum pro בנין *benjan*. Sic dicebatur pars templi, sive ædificium quoddam, quod Ezechiel in capite 41. 2. metitur, destinatum Sacerdotibus; qui ergo ibi potuêre vinctum tenere Jeremiam nempe in aliquo cœnaculo עליון in supremo loco. Id temerè non dico. Versio enim Græca clarè indicat olim בנין *binjan* lectum, habet enim Ὃς ἦν ἐν πύλῃ οἴκου ἀποτεταγμένου τοῦ ὑπερῴου ὃς ἦν ἐν οἴκῳ Κυρίου. Apud Ezechielem הניך redditur προτείχισμα *propugnaculum*, διορίζον *separans*, στοὰ *porticus*. Ibi οἶκος ἀποτεταγμένος nihil aliud est, quàm separatum ædificium templi, de quo multus fiet sermo. D Nominatur ὑπερῷον quod cœnaculum erat. Jeremias missus est על מהפכת *al mehapecheth*, in subversionem. Nomen illud redditur in Græcâ versione καταῤῥάκτης *carcer*, & ἀπόκλεισμα. Jeremias conclusus est, sive subversa ejus libertas, & vinctus in portâ ædificii quod binjam dicebatur, in cœnaculo. Portas Jerusalem numerantes desinimus in portâ Gregis; de quâ solus Nehemias sermonem facit: ubi agit de restauratione murorum Jerusalem. Hisce portis quidam adnumerant portam judicii. Videbimus infra, hanc quæ in fonte Hebræo nominatur משפט *mischepat*, id est, *judicii*, non fuisse in muro urbis, & ideo non accensendam ejus portis.

SECTIO II.

E *De turribus Jerusalem, quæ erant in circuitu ejus, nominibus, situ, numero. De earum celsitudine, firmitate.*

OLim cùm alia esset oppugnandi ratio, usque in Cœlum educebantur turres; ut his pares scalæ admoveri vix possent, & ad earum verticem non pervenirent quæcumque missilia. Nunc verò plus obstaret quam prodesset turribus enormis celsitudo; nam cùm vi tormentorum concutitur pes cujusque turris, quo celsior vertex ejus, eò magis illa contremiscit; ita ruina ejus certior. Veterum turrium, quibus Jerusalem vallabatur, fundamen-

tæ non ſuperſunt; & earum caſu, ut diximus, ſic coæquatæ valles planis locis, ut quæ poſtea urbs excitata eſt ejuſdem nominis non ſolùm diverſa ſit, ſed & alius fere locus cenſeri poſſit. Tota, inquam, vetus Jeruſalem eruenda ex vetuſtis monumentis, maximè ex ſacris Bibliis, & ex Joſepho; quem nemo jure dicat fictitiis turribus adornaſſe veterem Hieroſolymam. Has turres, pariter magnas facit Tacitus in libro quinto Hiſtoriarum; qui cum dixiſſet Hieroſolymam conditam ſupra colles, addit: *Extrema rupis abrupta: & turres ubi mons juviſſet, in ſexaginta pedes; inter devexa, in centenos vicenoſque attollebantur: mirâ ſpecie, ac procul intuentibus pares.* Tacitus ibi Romano more loquitur, metiens has turres pedibus; quarum altitudo tot cubitis Hebraïcis altæ cogitari poſſunt. In ſecundo libro Eſdræ capite 3. 1. memoratur turris centum cubitorum; hoc eſt, juxta calculos noſtros pluſquàm centum ſexaginta ſex pedum Pariſienſium; & Romanorum centum octoginta & unius. Iſta turris memorata in capite tertio Eſdræ, non alia eſt quàm quæ ab eo memoratur cap. 12. 38. & appellatur *Emath* in verſione Vulgatâ Scilicet Vulgatus Interpres ex numero מאה *meah*, id eſt, *centum*, commutatis literis fecit nomen *Emath*; quam nominaverat turrim *centum cubitorum*, poſtea appellans turrim *Emath*. Mira erat harum turrium ſpecies. Pſaltes meritò excitabat viros religioſos quibus cara erat Jeruſalem, ut ad illas animum adverterent, ad munimenta, ad muros quibus circumdabatur, ita canens in Pſalmo 47. qui totus pertinet ad huncce ſermonem noſtrum de Jeruſalem.

1. *Magnus Dominus & laudabilis nimis in civitate Dei noſtri in monte ſancto ejus.*

Deus laudari poteſt ab operibus Cæli & terræ, ſed etiam à conditâ ſuâ civitate Jeruſalem & à templo quod in illâ eſt.

2. *Fundatur exultatione univerſæ terræ mons Sion, latera aquilonis civitas Regis magni.*

Ipſa Sion Regia urbs eſt Davidis, gaudium univerſæ terræ; adeò decora eſt. Quod autem magis animadvertendum ipſum eſt artificium templi, ad latera aquilonaria non Davidis, ſed Dei Regis magni civitas.

3. *Deus in domibus ejus cognoſcetur, cùm ſuſcipiet eam.*

Deus ſe præſentem faciet in hujus civitatis palatiis, *cùm ſuſcipiet eam*: in fonte: *ad elevationem* למשגב *miſchgab*. Nomen illud denotat locum tutiſſimum; qualis eſſe poteſt altiſſimus præruptæ rupis vertex.

4. *Quoniam ecce Reges terræ congregati ſunt: convenerunt in unum.*

Initâ ſocietate conjuraverunt adversùs hanc civitatem; convenerunt ſimul bellum illaturi.

5 *Ipſi videntes admirati ſunt, conturbati ſunt, commoti ſunt: tremor apprehendit eos.*

Statim ac intuiti ſunt muros, turres, munimenta Hieroſolymorum, & ſub tuo, ô Deus, præſidio eſſe, illicò, ut habet fons, feſtinaverunt nempe abire; correpti tremore, quo ſimili corripitur mulier prægnans, cùm partus advenit

6. *Ibi dolores ut parturientis: in ſpiritu vehementi conteres naves Tharſis.*

Contremuerunt ſubitò, ut mulier quæ parturit; & tu, Domine, diſſipas conſilia eorum, ut magno vento ſoles disjicere & confringere naves Tharſis, id eſt, maris.

7. *Sicut audivimus, ſic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei noſtri: Deus fundavit eam in æternum.*

Quæ ex relatione patrum audieramus de miraculis quæ olim patraverat Deus, eadem experti ſumus Hieroſolymis, quæ Deus fundavit, ut ibi da-

A ret ſigna potentiæ ſuæ.

8. *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui.*

Enarravimus miſericordiam tuam in tuo templo, offerentes preces & ſacrificia.

9. *Secundùm nomen tuum, Deus, ſic & laus tua in fines terræ: juſtitia plena eſt dextera tua.*

Quantùm laude dignum eſt nomen tuum, laudetur; tu cujus dextera eſt plena juſtitiâ, nempe qui omninò juſtus es

10. *Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Judæ propter judicia tua, Domine.*

Ipſe mons Sion gaudio ſubſiliat qui habet tam æquum & potentem Deum. Gaudeant omnes filiæ

B Judæ, quibus Deus notus eſt, & data Dei judicia, nempe lex.

11. *Circumdate Sion & complectimini eam: narrate in turribus ejus.*

Luſtrate diligenter arces, munimenta urbis, & ornamenta: *circumdate* circumambulate; *complectimini eam*, id eſt, quod verbum fontis ſignificat, circumcingite eam. *Narrate in* turribus ספרו מגדליה *ſipheru migdaleah*, numerate turres ejus. Nimirùm ut numeretis & recenſeatis magnificas turres urbis, circuite eam.

19. *Ponite corda veſtra in virtute ejus; & diſtribuite domos ejus ut enarretis in progenie alterâ.*

Nec obiter id facite, circumeuntes urbem; ſed

C ponite cor, & animum adjicite לחילה *le chailath* ad murum ejus. Nomen חיל id quidem ſonat quod δύναμις *virtus, robur, exercitus*. Sed & ſæpiùs ſignificat antemurale προτείχισμα περίτειχος propugnaculum. Sic Septuaginta interpretantur hanc vocem. Intelligo pinnacula, coronas murorum; quæ protegunt cives, dum pugnant adversùs eos qui urbem oppugnant. Antemuralia Hieroſolymorum erant elegantia, quæ ſuo loco deſcripturi ſumus. פסגו *piſegu*. Verbum illud non alibi occurrit. LXX. reddunt καταδιέλεσθε, diſtribuite, dividite *domos* ejus. In fonte *palatia*. Pſaltes hortatur ad diligentem luſtrationem, numerationem, contemplationem, ut pulchritudo urbis commendetur memoriæ omnium ſæculorum.

D 13. *Quoniam hic eſt Deus, Deus noſter in æternum & in ſæculum ſæculi: ipſe reget nos in ſæcula.*

Fundamentum lætitiæ noſtræ, quia αὐτός ἐστιν ὁ Θεὸς ἡμῶν Ipſe Deus qui protegit Jeruſalem, ipſe eſt Deus noſter, qui reget nos; in Græcâ verſione *paſcet nos*, deducet nos, vel ductabit nos; in fonte עלמות, quod nomen ſi dividitur על-מות *al-maveth* redditur *ad mortem*. Nimirùm Deus paſcet, ducet ut paſtor oves; uſque *ad mortem*, id eſt, ſemper. Si conjunctim legatur עלמות *almuth*, ſignificat *juventutem*. Pſaltes voluit oſtendere paternam Dei curam, qui ducet nos, ut pater juvenem prolem.

Si quidem illæ turres Hieroſolymorum ſunt deletæ è ſolo Hieroſolymitano, intueamur illas in deſcriptione, quæ ſola extat in ſcriptis Joſephi, li-

E bro 6. de Bello cap. 6. *Murum autem ſupereminebant turres, viginti quidem cubitis in latitudinem, viginti verò in altitudinem, quadratis angulis ſtructæ, & ſicut ipſe murus plenæ, ac ſolidæ. Præterea ſtructura ac pulchritudo ſaxorum nihil erat templo deterior.* Nempe ſaxa erant viginti cubitis longa, lata decem, alta quinque. *Poſt altitudinem verò turris ſolidam, viginti cubitis elatam, cellæ deſuper, ac cœnacula erant, aquarumque pluviatilium receptacula & lati ſingularum aſcenſus.* Sic concipiendæ ſunt illæ turres, ut pars inferior viginti cubitorum tota ſolida eſſet perindè ac muri; nimirum pars illa quæ poterat pulſari arietibus, ſi fortè urbs oppugnaretur. In parte ſuperiori, quæ poterat ſurgere in magnam altitudinem erant cœnacula, cellæ.

Harum turrium numerum ſubjicit Joſephus. *Ejuſmodi quidem turres nonaginta tertius murus habebat: earum autem intervalla cubitos ducentenos. Medius verò murus in quatuordecim turres, & antiquus in ſexaginta diviſi erant.* Ergo hæ omnes turres, dignæ quæ cum admiratione ſuſpicerentur, erant centum ſexaginta quatuor. Sed inter illas Joſephus tres diſtinguit præ cæteris præclaras; quas in eodem loco deſcribit. A

Cùm autem, inquit, *totus admirabilis eſſet tertius murus*, triplici muro circumdata erat Jeruſalem, ut dicemus ſequenti articulo, *admirabilior Pſephina turris ad Septentrionem, Occidentemque ſurgebat in angulo, quâ parte Titus caſtra poſuerat. Ex eâ namque per ſeptuaginta cubitos editâ, ſole orto, Arabia* B *proſpici poterat, & uſque ad mare, itemque ad ultima finium Hebræorum. Erat autem octo angulis. Contra verò eam turris Hippicos; & juxta duæ, quas Herodes Rex in antiquo muro ædificaverat; quæque magnitudine, ſive pulchritudine ac firmitate, univerſis quæ toto orbe eſſent, præſtabant. Nam præter naturalem animi liberalitatem, Rex pro amore civitatis, operum excellentium propriis affectibus indulgebat, perſoniſque tribus cariſſimis, quarum nominibus turres appellavit; fratri & amico, conjugi memoriam dedicando: huic quidem, ut dixi, amoris causâ peremptæ, iis autem bello amiſſis, cùm fortiter decertaſſent.*

De his tribus turribus deinde ſeparatim agit Joſephus. C *Hippicos quidem turris amici vocabulo dicta quadrata erat, latitudo & longitudo ejus viginti quinque cubitorum, alta triginta, & ad hanc uſque altitudinem haud inanis. Supra ſoliditatem verò, ſaxiſque adunatam compaginem puteus viginti cubitis altus erat imbribus excipiendis. Supra erat iterùm domus habens duo tabulata, viginti quinque cubitis alta, inque varia membra diviſa; & deſuper coronæ* τύρσεις *binis, propugnacula verò tribus cubitis alta; ita ut omnis altitudo eſſet octoginta cubitorum.*

Secunda verò turris, quam fratris nomine Phaſelon appellaverat, æquè lata fuerat ac longa cubitis quadragenis: per totidem autem cubitos in pilæ modum facta & ſolida ejus altitudo ſurgebat: & ſupra hanc D *decem cubitis edita porticus erat, inſtructa brachiis,* θωρακίοις, id eſt, certo propugnaculorum genere, quod Græci appellant θωράκια; *itemque propugnaculis ſepta. In mediâ verò porticu ſupereminens alia turris ſtabat in membra magnifica & balneas diviſa, ne quid ei regalis uſûs videretur deeſſe. In ſummo autem propugnaculis miniſque erat ornata, cùm omnis ejus celſitudo propè ad nonaginta cubitos tolleretur. Et ſpecie quidem videbatur aſſimilis Phari turri, quæ Alexandriam navigantibus ignem procul oſtendit: ambitu verò ampliore dilatabatur.*

Tertia verò turris Mariamnes (ſic enim Regina vocabatur) uſque ad viginti cubitos ſolida, & totidem cubitis longa & lata. Magnificentiora cæteriſque ornatiora diverſoria ſuſtinebat. Cùm id proprium ſeque E *dignum eſſe Rex putaviſſet ut uxoris nomine appellata turris, plus haberet pulchritudinis, quàm quæ virorum nominibus vocitatæ ſunt: ſicut illa hac munitiores, cui fœmina nomen dederat; & cujus omnis altitudo per quinquaginta cubitos erigebatur.*

Sed quamquam tres turres tantæ magnitudinis erant, ex loco tamen, quo erant ſitæ, multò videbantur eſſe majores. Nam & ipſe antiquus murus, in quo erant, excelſo loco fuerat conditus, & ipſius collis velut quidam vertex altus propè ad triginta cubitos eminebat, ſupra quem turres poſitæ, multùm ſublimitatis aſſumpſerant. Mirabilis etiam fuit lapidum magnitudo. Nec enim ex vulgaribus ſaxis, aut quæ homines ferre poſſent, verùm ſecto marmore candido, & ſingulis per viginti cubitos longis latiſque decem, ac per quinque altis erant ædificatæ; quæ ita inter ſe copulatæ erant, ut ſingulæ turres, ſingula viderentur; ſic autem manibus artificum quadratæ, ut nuſquam junctura compaginis appareret.

SECTIO III.

Jeruſalem triplici muro circumdata erat. De ſaxis, ſtructurâ, de minis & propugnaculis murorum ejus.

DE murorum ductu, flexurâ, turrium poſitu ſic præcipit Vegetius, in libro quarto de Re militari capite ſecundo, docens non directos, ſed anguloſos muros faciendos eſſe. B *Ambitum muri directum veteres duci noluerunt, ne ad ictus arietum eſſet diſpoſitus, ſed ſinuoſis anfractibus, jactis fundamentis, clausêre urbes; crebrioreſque turres in ipſis angulis ediderunt, propterea quia ſi quis ad murum tali ordinatione conſtructum, vel ſcalas, vel machinas voluerit admovere, non ſolùm à fronte, ſed etiam à lateribus, & propè à tergo, veluti in ſinum circumcluſus opprimitur.* Ante Vegetium eadem tradiderat præcepta Vitruvius in libro 1. cap. 5. *Collocanda oppida ſunt non quadrata, nec procurrentibus angulis, ſed circuitionibus, uti hoſtis ex pluribus locis conſpiciatur.* Viri qui Hieroſolymam muris circumdederant, antecellentes ſapientiâ Græcis & Romanis id obſervaverant. C Scilicet non fecerant directos muros hujus urbis ſed anguloſos, ut his teſtimonium perhibet Tacitus, ubi Hieroſolymam deſcribit *Duo colles immenſum editos claudebant muri per artem obliqui, aut introrſus ſinuati: ut latera oppugnantium ad ictus pateſcerent.*

Non uno muro ſimplici vallata erat Jeruſalem, ſi fidem facimus Joſepho, qui teſtis eſt oculatus. *Civitas autem*, inquit deſcribens Jeroſolymam libro 6. de Bello cap. 6. *trino muro circumdata erat, niſi quâ vallibus inviis cingebatur; ex eâ namque parte unius muri habebat ambitum.* Ipſe quaſi manu nos deducit per hos tres muros. Inſiſtendum ejus veſtigiis, ſimul anim advertenda ejus mens, ne ab illâ D aberremus. Ambiguus enim ille triplex murus; utrum certis in locis triplici muro muniretur civitas; ita ut alter altero includeretur. An verò triplici muro cenſenda ſit circumdata Jeruſalem, quia habebat triplicem ambitum; ſive in illâ tres eſſent regiones, alia extra aliam, quæ proprio ambitu continerentur, ita ut tres illi muri ſint tres cincturæ, tres ambitus. Etenim Hieroſolyma præter templum habebat quaſi tres urbes. Quæque autem cincta erat proprio muro, urbs ſuperior ſuo, Salem altero, & Bezetha proprio. Eo ſenſu Joſeph, triplicem murum adſtruit quòd qui oppugnarent Hieroſolymam à Bezetha quâ præruptæ rupes non erant triplex murus occurreret; cum unus tantùm E exſuperandus fuiſſet, ſi fuiſſent aggreſſi Sionem à plagâ meridionali vel occiduâ; verum his ſatis obſtitiſſent rupes.

Mentem ſuam patefacit Joſephus, ſubjiciens: *Trium verò murorum vetuſtiſſimus quidem, propter valles, imminentemque his deſuper collem, quo erat conditus, facilè capi non poterat. Ad hoc enim quòd loco præſtabat, etiam fortiſſimè ſtructus erat, Davidis & Salomonis, aliorumque interea Regum largiſſimis impenſis operi inſumptis.* Vetuſtiſſimus murus in Joſephi ſententia eſt ambitus Sionis. Pergit deſcribere hunc ambitum. *Boreali autem parte incipiens à turri Hippicos ad eam quæ dicitur Xiſtus*, ſic Interpres loquitur, malè. In Græco fonte ἐπὶ τὸν ξυστὸν ad Xiſtum, qui non erat turris, ut videbimus: *dein-*

de curiæ conjunctus, in occiduam templi porticum desinebat. Turris Hippicos erat in parte occidua Sionis: Xistus proximus ponti, quo superior civitas jungebatur cum occiduâ templi porticu. Curia βουλὴ erat circa pontis initium; sive occurrebat ingressuris per pontem in templum. Prosequitur Josephus eundem ambitum, reversus ad turrim Hippicos undè cœperat. *Parte autem alterâ ad occidentem ab eadem turri incipiens* ἐπὶ δ' αὐτοῦ μὲν ἀρξάμενον πύργου. Hippicos ergo ad plagam occidentalem, *per locum qui vocatur Betiso descendens in Essenorum portam*, ibi pars occidentalis declaratur. *Deindè supra fontem Siloan in meridiem flexus.* Sic à fonte Siloan in meridiem flectebatur, ut ille fons situs fuerit versùs angulum occidentalem & meridionalem Sionis, ubi mons Gihon qui fontibus scatebat. *Atque indè rursùs* a plagâ meridionali *in Orientem* versùs, *quâ stagnum Salomonis est.* Tunc etiam temporis in parte Orientali Sionis sub radicibus ejus manant fontes. *Et usque ad locum pertinens, quem Ophlam vocant* nempe ad loca illa depressiora versùs fauces vallis Tyropœi, *cum Orientali porticu templi conjungitur.*

Tertius murus hac descriptione fit manifestus Ut duo alii cognoscantur, revocandum in memoriam quòd cùm Jerusalem exuberaret multitudine, incolis cœperit loca adjacentia, quæ & muris circumvallata sunt. Sic Jerusalem dilatavit, qua potuit, sua prima pomeria. A Meridie enim Sionis præruptæ rupes, ab Oriente templum & vallis profunda, in quâ fluebat Cedron, ab Occidente vallis cadaverum obstabant. Verùm versùs Septentrionem erant horti; ita ex hac parte facilè poterat propagare suos limites. Ibi plurimos fuisse hortos discimus ex Josepho, qui in Libro 6. de Bello capite 2. narrat Titum periculum adivisse dum exploraret urbem Jerusalem à parte boreali. *Sexcentis propè lectis equitibus comitatus, pervexit ad civitatem, quàm tuta esset, Judæorumque animos exploraturus, si fortè se conspecto, priusquàm ad manus veniretur, metu cederent. Audierat enim quod erat verum, à seditiosis & latronibus oppressum populum desiderare quidem pacem; sed quòd rebellantibus infirmior esset, nihil conari. Quamdiu quidem per viam, quæ ad murum duceret equitabat, nemo ante portas apparuit: ubi verò ad turrim Psephinam itinere declinato, transversum agmen equitum duxit, infiniti subitò prosiliunt, quà sunt turres dictæ mulierbes, & per eam quæ contra monumentum Helenæ porta est, egressi, equitatum intercidunt, atque alios quidem etiam tunc viâ currentes, ne cum his qui divertebant sese jungerent, à fronte oppositi, prohibuerunt. Titum verò cum paucis separant. Ille autem ultra quidem minùs progredi poterat. A muro enim cuncta fossis plena erant, & transversi horti multisque maceriis impediti.* Ergo in boreali latere, ubi turris Psephina, plures erant horti. Quapropter nullus est dubitandi locus quin murus quem Scriptura dicit adjectum urbi ab Ezechiâ, fuerit excitatus in dicto latere; præsertim cùm vellet urbem munire adversùs Babylonios, quibus, ut observatum est, latus boreale oppositum erat. Hæc de operibus hujusce Regis leguntur in secundo Paralipomenon cap 31. 5. *Ædificavitque agens industriè omnem murum, qui fuerat dissipatus, & extruxit turres desuper, & forinsecus alterum murum; instauravitque Mello in civitate David, & fecit universi generis armaturam & clypeos.*

Quis ille alius murus, nisi novus qui eam regionem complectebatur, in quam proruperant cives, quos vetus Salem non ampliùs capiebat? Sic nova facta est civitas; & Jerusalem præter Sionem quæ suum murum habebat, & Salem cui & suus erat mu-

A rus, illa regio borealis extra muros, tertio muro munita est. Breviter Josephus describit secundum murum, sive secundum ambitum, quo videlicet continebatur urbs interior Salem. *Secundus autem murus à portâ quidem habebat initium, quam Genath appellabant. Hæc autem fuerat muri primi* τοῦ πρώτου τείχους. Primus murus ille est quem exposuerat, nimirum, equo circumdabatur Sion. Porta illa non alia est, quam vallis, quàm innuit insertam primo muro, qui Sioni erat pr prius. *Septentrionalem verò tantummodò tractum ambiens: usque ad Antoniam turrim ascendebat.* Scilicet secundus ille murus ambiebat Salem. Diximus portam Genath haberi à Villalpando pro porta Gregis: sic secundus murus Josephi comple-
B xùs fuisset Bezatham, sive macellum ovium, nec attingeret primum murum, qui ipse est murus Sionis; quod astruit Josephus.

Ut adhuc clariora sint quæ dicit de tertio muro, admadvertendus situs turris Psephinos. Ponit eam ad angulum aquilonarem & occidentalem in sexto de Bello cap. 5. *Ipse quidem Titus cùm propè duobus stadiis abesset à muro, ad anguli ejus partem contra turrim quæ appellatur Psephinos, castra ponit: ad quam muri ambitus ex aquilone pertinens flectitur ad occidentem.*

Nota, Lector, hunc situm, deinde lege quæ de tertio muro idem scriptor dicit. *Tertio muro turris Hippicos principium dabat: undè ad borealem tractum pertinens; deinde ad Psephinam turrim veniens, contra monumentum Helenæ, quæ Adiabenorum Regina fuerat, Izatæ Regis mater, & per speluncas Regias in longum ductus, à turri quidem in angulo positâ flectebatur contra Fullonis quod dicitur monumentum. Cùm vetere autem ambitu junctus in Cedron vallem, quæ sic dicitur, desinebat.* Τῷ δ' ἀρχαίῳ περιβόλῳ συνάπτον εἰς τὴν κεδρῶνα καλουμένην φάραγγα κατέληγεν. Quis autem ille ἀρχαῖος περίβολος, nempe murus, quo vallabatur Sion, de quo hujus descriptionis initio dixerat. *Trium verò murorum vetustissimus quidem propter valles, imminentemque his desuper collem quo erat conditus, facilè capi non poterat;* qui murus vetus conjungebatur cum orientali porticu templi perductus usque ad Ophlam.

D Itaque tertius murus complectebatur totum borealem tractum, & in eo includebatur Bezetha; qui cùm longus esset, non potuit facilè perfici; quod ibidem clarè innuit Josephus. *Hoc muro eam partem civitatis, quàm ipse addiderat, Agrippa cinxerat, cùm esset antè omnis nuda. Exuberans enim multitudine, paulatim extra mœnia serpebat, templique septentrionali regione colli proxima civitati adjuncta non paululùm processerat; quin & quartus collis incolebatur, cui nomen est Bezetha.... Ejus autem partes incolis protegi desiderantibus, pater hujus Regis eodem nomine Agrippa, murum quidem ita ut prædiximus inchoaverat, veritus autem Claudium
E Cæsarem, ne magnificentiam constructionis ad novarum rerum ac discordiæ suspicionem traheret, fundamentis tantummodò actis ab opere destitit.*

Pergit loqui Josephus, & juvat proferre quæ dicit, quoniam magnificentia murorum quibus circumdabatur Jerusalem, pertinet ad huncce locum. *Nec enim expugnabilis fuisset civitas, si perfecisset muros, ut cœperat. Saxa enim 20 cubitis longa & decem lata contexebantur; quæ neque ferro facilè suffodi possent, neque machinis dimoveri: hisque murus dilatabatur; profectò autem altitudinis quoque plus habuisset, si ejus magnificentia, qui ædificium aggressus erat, minimè fuisset inhibita. Rursus autem id muri murus, etiam Judæorum studio fabricatus ad decem cubitos crevit, & minas quidem binis cubitis, propugnacula verò trinis habebat: totaque altitudo ad 25*

cubitos erigebatur. Minæ illæ ἐπάλξεις, propugnacula προμαχῶνες sunt, ut jam significavimus, id quod Psaltes Regius appellat חיל *chel*, in Vulgatâ *antemurale*. Scilicet ipsum erat muri coronamentum, quod extra murum paulò projiciebatur; in quo stabant qui defendebant urbem oppugnatam. Minæ verò erant illæ fenestræ ex quibus defensores minas & tela intentabant hostibus, indè dictæ minæ; altæ usque ad duos cubitos in muris Jerosolymorum. Duo cubiti Hebræi perveniunt usque ad hominis umbilicum; ita media pars corporis non patebat telis hostium.

Ex observato illo triplici ambitu, lux magna affulget pluribus Josephi locis; sed advertendum est tertium murum non perfectum nisi paulo ante eversionem Hierosolymorum. Non memorat nisi duos in Antiquitatibus libro 14. cap. 28. describens oppugnationem & expugnationem urbis factam ab Herode magno: *Captus est enim primus murus die quadragesimâ, secundus verò quintâ decimâ* nempe oppugnationis. Postea Agrippa laxiori ambitu complexus est urbem; sed, ut ostendimus, jam ultra veterem Salem extensa fuerant Jerosolymorum pomeria. Satis agnoscit Josephus post hos duos muros tertium murum; dicit enim ibi Judæos, captâ exteriore parte templi & imâ urbe, ad interiora templi refugisse & ad superiorem urbem. Libro 6. de Bello cap. 8. agens de Tito, qui primum murum statim aggressus erat, dicit Judæos supervacuum duxisse in hoc diutiùs defendendo operam perdere, quoniam duo supererant, & recessisse intra secundum; quo & Titus potitus, oppugnavit tertium, nempe urbem superiorem. Primus autem murus, id est, qui primus occurrebat, ad septentrionem erat; undè hoc capto muro dicit Josephus vastatam fuisse à militibus Romanis partem septentrionalem civitatis.

De duplici muro sermo fit in quarto Regum cap. 25. ubi narratur quomodo Nabuchodonosor ceperit Jerusalem. 4. *Et interrupta est civitas: & omnes viri bellatores nocte fugerunt per viam portæ, quæ est inter duplicem murum ad hortum Regis (porrò Chaldæi obsidebant in circuitu civitatem) fugit itaque Sedecias per viam quæ ducit ad campestria solitudinis.* His similia dicit Jeremias cap. 52. 7. *Et dirupta est civitas, & omnes viri bellatores ejus fugerunt, exieruntque de civitate nocte per viam portæ, quæ est inter duos muros, & ducit ad hortum Regis.*

Ea cogitatio primùm mentem subierat, hîc fieri mentionem duorum ex tribus muris Jerusalem; sed fontem scrutans adverti החמתים *hachomothaim* esse duale, qui numerus non tam duas res, quàm rem sive naturâ, sive arte geminam, & ideò duos illos muros interpretandos de secretâ viâ quæ muro gemino protegeretur, per quam Rex tutus & ignotus ierit ad hortum suum; & cæteri viri bellatores fugere potuerunt. Via illa secreta deducebat ad portam, quæ respondebat hortis Regis.

SECTIO IV.

De amplitudine & circuitu urbis Jerusalem.

JAm ineamus mensuras descriptorum murorum urbis Jerusalem, ut constet quis & quantus fuerit circuitus ejus; magnus ille, qui tot indigenas, tot advenas caperet. Hæc urbs non dico Judææ, sed aliquo modo totius urbis caput erat; pervaserant enim Judæi in omnes orbis plagas; hùc autem frequenter religio revocabat eos; qui singulis annis quot ad id viribus pollebant, tenebantur ad apparendum coram Deo, Hierosolymis ut adorarent in templo ejus, & offerrent, & mactarent sacrificia. His igitur diebus solemnibus incredibilis Judæorum numerus in urbem sanctam confluebat. Ex illâ quidem plerique sub noctem egressi decumbebant in proximis vicis, & ad templum mane rediebant. Sic videmus Jesum Christum post cœnam Hierosolymis factam egressus trans torrentem Cedron, cùm secederet in montem Olivarum de more; undè, ut notant Evangelistæ, manè revertebatur ad templum. Attamen ampla esse debuit Jerusalem, in quâ per diem homines numero infiniti deprehenderentur. Josephus in libro 7. de Bello cap. 17. numerum init eorum, qui vel captivi abducti sunt, vel interfecti toto hocce bello, quo expugnata est Jerusalem & eversum templum. « Captivorum quidem omnium, qui toto bello comprehensi sunt, nonaginta & septem millium comprehensus est numerus, mortuorum vero per omne tempus obsidionis undecies centum millia. Horum plerique gentiles fuêre, sed non indigenæ. Ab omnibus enim regionibus ad azymorum diem festum congregati, bello subito circumfusi sunt: ubi primo quidem illis pestifera lues ex loci angustiâ nasceretur, deinde citiùs fames. « Hæc ut certiora faciat, protinus subjicit.

« Quod autem caperet tantam hominum multitudinem civitas, certum erat ex his qui sub Cestio fuerant enumerati. Is enim tunc vires civitatis ac florem Neroni significare cupiens, contemnenti nationem, à Pontificibus petiit, ut si quo modo possent, multitudinem numerarent. Illi autem cùm dies festus adesset, qui Pascha vocatur, quando à nonâ quidem horâ usque ad undecimam hostias cædunt, per singula verò contubernia non pauciorum quàm decem virorum fiunt: solum enim epulari non licet, multi etiam viceni conveniunt: hostiarum quidem ducenta & quinquaginta sex millia & quingentas numeravêre. Fiunt autem, ut denos epulatores per singulas imputemus, vicies centena ac septingenta millia, sancti omnes ac puri: nec enim leprosis sive vitiliginosis, aut semine fluentibus, quos gonoroicos vocant, neque mulieribus menstruo cruore pollutis, neque aliis inquinatis, participare sacrificia permittebatur; sed nec alienigenis quidem, nisi qui religionis causâ venissent. « Si 256500 hostiæ cæsæ fuerint in die Paschatis, horum qui epulati sunt numerus saltem decies major fuit. Saltem, inquam, duo hominum milliones & quinquaginta sex millia & quingenti participes fuerunt Paschatis. Nam hocce numero 256500 multiplicato per 10 exsurgit hic numerus 2565000. Quot autem, ut innuit Josephus, tunc & aderant viri immundi expectantes alterius mensis Pascha ob aliquam immunditiem? Quot pueri recens nati, necdum circumcisi? Quot gentiles quibus non licebat Pascha comedere? Itaque plusquàm ter milliones, sive indigenarum, sive advenarum capiebat Jerusalem.

Fatentur exotici scriptores, ubi Hierosolymorum mentionem faciunt, fuisse urbem maximam, ut Appianus in libro tertio belli Syriaci. Eusebius in libro nono Præparationis Evangelicæ cap. 35 profert testimonium Timocharis qui in rerum ab Antiocho gestarum historiâ, *Hierosolyma ambitum quadraginta stadiorum esse docet.* Alium allegat Eusebius; qui tradit *urbis ambitum stadia septem ac viginti obtinere.* Ex Hecatæo Josephus in libro primo contra Appionem adducit sequens testimonium. *Una verò munita in primis civitas Hierusalem, cujus ambitus non pauciorum, quàm quingenta stadio-*

rum eſt. Hanc circiter viginti ſupra centum incolunt hominum millia. Ariſtæus in hiſtoriâ 72. Interpretum, ſic de eodem circuitu loquitur. *Civitatis verò amplitudo eſt mediocritate quadam temperatâ; qua quantùm colligere potuimus, in circuitu quadraginta ſtadia habet.* Ipſe vero Joſephus in libro 6 de Bello capite 6. ſtatuit hunc circuitum fuiſſe tantùm triginta ſtadiorum. *Omne autem*, inquit, *civitatis in gyro ſpatium triginta tribus ſtadiis finiebatur.* Itaque inter ſe non conveniunt ſcriptores de circuitu Jeruſalem. Nullus ex eis adhibitâ diligentiâ rem exploraverat. Forſan & librarii, quod ſæpiùs contigit, corrupêre notas numerorum, quibus hunc circuitum expreſſerant. Conſtat maximum fuiſſe, qui tot homines capere potuerit.

Inter turres quibus muniebatur Jeruſalem ſtatuit Joſephus intervallum ducentorum cubitorum libro 6. de Bello cap. 6. *τὰ δὲ μεταπύργια τούτων, ἀνὰ πήχεις διακοσίους.* Ducenti cubiti ſecundùm calculos noſtros faciunt paulò plus quàm 333 pedes Pariſinos, ſive 55 expedas cum tribus pedibus; quod intervallum non excedebat jactum ſagittæ. Etenim, ut Vitruvius præcipit in libro primo de Architecturâ cap. 5. *Intervalla autem turrium ita facienda, ut ne longiùs ſit alia ab aliâ ſagitta emiſſione; uti ſi qua oppugnetur, tum à turribus quæ erunt dextrâ & ſiniſtrâ, ſcorpionibus reliquiſque telorum miſſionibus hoſtes rejiciantur.* Ergo ex numero turrium urbis Jeruſalem colligi poteſt circuitus ejus. Sed in his calculis ſubducendis peccant, qui non mentem advertunt ad diſpoſitionem triplicis muri quo Joſephus urbem ſcribit cinctam. In primo numerat nonaginta turres, in ſecundo quatuordecim, in tertio ſexaginta. Qui opinantur hoſce muros interceptos fuiſſe minores in majoribus, ut circulus major minorem comprehendit, rationem tantùm habent nonaginta turrium, quæ erant in primo muro, quaſi ille intra ſe duos alios contineret. Turres ſaltem latæ erant viginti cubitorum; quos quidam adjungunt ducentis cubitis, quo intervallo à ſe invicem diſtabant. Sed veriſimile eſt illud ſpatium metiendum à centro turrium. Numerus autem ille 200 multiplicans nonaginta turres producit 18000. Ex Joſepho quadringentis cubitis par erat ſtadium. Dividamus ergo 18000 per 400 colligetur hac diviſione circuitum Jeruſalem fuiſſe quadraginta quinque ſtadiorum. Sed in hoc circuitu erant plus quàm nonaginta turres. Primus enim ille murus incipiebat à turri Hippicos, & ambiens totam Septentrionalem regionem conjungebatur cum tertio muro, in quo erant ſexaginta turres. Sed ad circuitum urbis non attinebant turres urbis ſuperioris, quæ vergebant versùs inferiorem urbem. Ita non ſexaginta, ſed triginta turres tantùm adnumeremus dictis nonaginta turribus; ut in toto & vero circuitu urbis numerentur centum viginti turres. Ducamus ducentos cubitos in centum viginti orietur 24000; qui numerus diviſus per 400 cubitos dabit ſexaginta ſtadia.

SECTIO V.

Everſos à Chaldæis urbis Jeruſalem muros, Nehemias reſtaurandos ſuſcipit.

EXperiamur an his quæ de reſtauratione Hieroſolymorum narrat Nehemias, lux oboriatur ex iis quæ hactenus dicta ſunt. Reſtaurandæ hujus urbis, cujus murus diſſipatus fuerat & portæ combuſtæ igne, cùm ille poteſtatem accepiſſet à Rege Perſarum, in Judæam venit. Statim urbem circumeundo exploravit, undè reſtaurationis initium ducendum eſſet, & in quos dividendum opus ut accele-

A raretur. Sumamus codicem Nehemiæ, ſive librum ſecundum Eſdræ, & de more expendamus ſingula verba, quibus reſtauratio urbis enarratur. Loquitur Nehemias in capite ſecundo dicti libri.

11. *Et veni Jeruſalem, & eram ibi tribus diebus.*

Quos ſcilicet quieti, ut fit, & ſalutationibus dediſſe videtur, & explorandis civium animis, partimque otio ſabbati.

12. *Et ſurrexi nocte ego, & viri pauci mecum, & non indicavi cuiquam, quid Deus dediſſet in corde meo ut facerem in Jeruſalem, & jumentum non erat mecum, niſi animal cui ſedebam.*

B Propoſitum meum de reſtaurandâ Jeruſalem non patefeci. Ego ſolus equitabam: ſocii numero pauci, erant pedites, ne equorum ſtrepitus ſecreto officeret. Jumento uſus eſt Nehemias, quia magnus urbis circuitus.

13. *Et egreſſus ſum per portam vallis nocte, & ante fontem draconis, & ad portam ſtercoris, & conſiderabam murum Jeruſalem diſſipatum, & portas ejus conſumptas igni.*

Ubi ſita ſit porta vallis indicat noſtra delineatio. Ut muros urbis & rupturas eorum meliùs contemplaretur, imam vallem petiit Nehemias; ideò egreſſus eſt per portam vallis, quæ ducebat in voraginem, quâ urbs circumdabatur. Iter autem pergendo venit ante fontem draconis. Nunc fons Hebræus habet התנין *hathanim*, id eſt, *draconis*. Olim
C quædam exemplaria habuiſſe התאנים *hatheunim*, id eſt, *ficuum* probat verſio Græca, quæ eſt in Sextiano codice. Iſtam vallem fontibus ſcaturiiſſe, qui tunc temporis non apparent haud mirum eſt; obruti ſunt enim completâ valle. In itinere quo pergebat Nehemias poſt portam vallis, occurrebat quæ ſtercoris dicebatur. Ambulans autem in voragine facilè advertebat rupturas murorum.

14. *Et tranſivi ad portam fontis & ad aquæ ductum Regis, & non erat locus jumento, cui ſedebam ut tranſiret.*

Porta fontis erat juxta aquæ ductum Regium; quo fornicibus mons Gihon ex quo aquæ manabant,
D committebatur cum urbe, & aquas fontium indè manantium inferebat in eam. Cùm omnia plena eſſent ruderibus, jumento in quo ſedebat Nehemias, non erat locus quo tranſiret. In fonte *locus jumento qui ſub me*, idcirco Nehemias ſæpiùs pedes ibat.

15. *Et aſcendi per torrentem nocte, & conſiderabam murum, & reverſus veni ad portam vallis, & redii.*

Circuibat urbem Nehemias. Portâ vallis egreſſus, exploraverat latus occidentale, deinde meridionale. Nunc flectit curſum, ut orientalem plagam urbis luſtraret, ambulans ſecundùm Cedronis torrentem, qui fluit ab Aquilone ad Meridiem. Vox quidem נחל *nachal* ſignificat tum torrentem, tum
E voraginem; ſed ibi veriſimilius eſt deſignari emphaticè Cedronem; cujus nomen ſatis intelligebatur Hieroſolymis, cùm torrens nominabatur. Non ſolam voraginem civitatis David emenſus eſt, ſed utramque urbem ſuperiorem & inferiorem circumluſtravit; utriuſque enim muros excitandos curavit. Dicit, *aſcendi*, quia vallis Cedronis depreſſior. Aſcendit ex valle reverſurus ad portam vallis, ut ibi dicit. Rediit ad initium curſûs ſui. Quo facto, tum aperuit ſuum propoſitum, verbis ſuis commovens populares ſuos, ut quiſque ſeſe ad opus accingeret. Juſſi magiſtratus dimetiri mœnia, & operas, artiri in populum, attributâ certâ menſurâ in ſingulos vicos & in ſingula oppida, *κατὰ κώμας καὶ πόλεις.* Verba ſunt Joſephi in Antiquitatibus libro 11. cap. 5. Quæ ſic interpretor ut incolæ vicorum, & oppidorum

Judææ ad abſolvendum partem operis ſibi aſſignatam tenerentur.

Antequàm autem ultra progrediamur, animadvertendum, & pro certo tenendum non ita portarum ordinem à Nehemiâ perturbari, ut cenſendus ſit agere deſultoriè, non ullam rationem habens harum portarum; quod ſtatuunt, qui ex obſcuris & incertis traditionibus diſcere malunt, quæ & qualis olim fuerit ſancta urbs, quàm ex ipſis Scripturarum fontibus, & ex Joſepho oculato teſte. Tranſeamus ad alterum Nehemiæ caput, quod tertium eſt in quo opus cœpit promoveri.

1. *Et ſurrexit Eliaſib Sacerdos magnus, & fratres ejus Sacerdotes, & ædificaverunt portam gregis: ipſi ſanctificaverunt eam, & ſtatuerunt valvas ejus, & uſque ad turrim centum cubitorum ſanctificaverunt eam, uſque ad turrim Hananeel.*

Manum admovêre operi Sacerdotes. Commiſſum illis portam ædificare; quæ templo erat proximior. *Ipſi ſacrificaverunt eam* aliquâ benedictione, ſicut mos eſt Judæis, omnia ſua opera proſequi benedictionibus. *Et ſtatuerunt valvas ejus.* Nempe perfecerunt omninò opus; *& uſque ad turrim centum cubitorum ſanctificaverunt eam.* Erat turris hujuſce nominis, ut vidimus; quapropter hujus loci non eſt ſenſus, partem muri ad cubitos centum exſtructam à Sacerdotibus. Juxta erat turris Hananeel, ad quam Eliaſib perduxit opus. Sic impletum eſt vaticinium Jeremiæ, qui prædicens reſtaurationem urbis, memorat hanc Hananeelis turrim capite 31. 38. *Et ecce dies veniunt, dicit Dominus: & ædificabitur civitas Domino à turre Hananeel uſque ad portam anguli.* Pars hæc urbis primùm objecta fuerat Chaldæis qui veniebant ab aquilone; ideò cùm ibi major eſſet ruina, magis ſolabatur Judæos Propheta, prænuntians hanc ruinam reparandam; quod ſimiliter facit Zacharias cap. 14. 10. *Et revertetur omnis terra uſque ad deſertum de colle Remmon ad Auſtrum Jeruſalem: & exaltabitur, & habitabit in loco ſuo à portâ Benjamin uſque ad locum portæ prioris, & uſque ad portam angulorum, & à turre Hananeel uſque ad torcularia Regis.* Revertamur ad Nehemiam, cujus hæc verba ſunt.

2. *Et juxta eum ædificaverunt viri Jericho: & juxta eum ædificavit Zachur filius Amri.*

Juxta Eliaſib viri Jericho ædificaverunt ad portam Benjamin, quæ ex eo nomen habebat, quod deduceret Jericho, quæ erat ex tribu Benjamin.

3. *Portam autem piſcium ædificaverunt filii Aſnaa: ipſi texerunt eam, & ſtatuerunt valvas ejus, & ſeras, & vectes.*

Illi tigna & trabes poſuerunt in portâ piſcium, ſive trabibus & tignis texerunt portam.

4. *Et juxta eos ædificavit Marimuth filius Uriæ, filii Accus. Et juxta eum ædificavit Moſollam filius Barachiæ, filii Meſebezel, & juxta eum ædificavit Sadoch filius Baana.*

5. *Et juxta eum ædificaverunt Thecueni. Optimates autem eorum non ſuppoſuerunt colla ſua in opere Domini ſui.*

Viri inter Thecuenos ditiores dedignati ſunt manus admovere operi, & parere magiſtratibus.

6. *Et portam veterem ædificaverunt Joiada filius Phaſea, & Moſollam filius Beſodia, Ipſi texerunt eam, & ſtatuerunt valvas ejus, & ſeras, & vectes.*

7. *Et juxta eos ædificaverunt Melchias Gabaonites, & Jaſon Meronathites viri de Gabaon, & Maſpha, pro duce qui erat in regione trans flumen.*

A In fonte Hebræo & in Græcâ verſione: *uſque ad ſolium ducis trans flumen.* Nempe uſque ad locum in quo erat tribunal gubernatoris Perſici. Fortè ſe ipſe Nehemias deſignat, qui populi ſui dux erat ſub imperio Regis qui erat trans flumen, videlicet Regis Perſarum.

8. *Et juxta eum ædificavit Ezihel filius Araiæ aurifex. Et juxta eum ædificavit Ananias filius pigmentarii: & dimiſerunt Jeruſalem uſque ad murum plateæ latioris.*

Illi *reliquerunt Jeruſalem* ad verbum, intermiſerunt opus, quod ea pars ſtaret, nec indigeret inſtauratione, quia à Chaldæis non diruta. Ibi latior platea, propè portam Ephraim, quam idem Nehe-
B mias memorat cap. 8. 16. *Feceruntque ſibi tabernacula unuſquiſque in domate ſuo & in atriis ſuis, & in atriis domûs Dei, & in ipſâ plateâ portæ aquarum, & in ipſâ plateâ portæ Ephraim.* Et capite 12. 38. ſimul indicat portam Ephraim fuiſſe conterminam portæ antiquæ, & juxta murum latiſſimum. *Et chorus ſecundus gratias referentium ibat ex adverſo, & ego poſt eum, & media pars populi ſuper murum & ſuper turrim furnorum, & uſque ad murum latiſſimum, & ſuper portam Ephraim, & ſuper portam antiquam.* Porta antiqua & vetus & prior ſunt una & eadem porta. Murum latiſſimum Chaldæi non potuerant evertere.

9 *Et juxta eum ædificavit Raphaia filius Hur*
C *princeps vici Jeruſalem.* In fonte *princeps medii vici.* In certas regiones diſtributa erat Jeruſalem, ut & Roma, in commodiorem adminiſtrationem. Hur autem præerat dimidiæ parti alicujus ex hiſce regionibus. Cuique mandabatur hos muros inſtaurare, qui ſuo vico atque regioni eſſent proximiores.

10. *Et juxta eum ædificavit Jedaia filius Aromath contra domum ſuam. Et juxta eum ædificavit Atthus filius Haſebonia.*

11. *Et mediam partem vici ædificavit Melchias filius Erem. Et Haſub filius Phahath Moab, & turrim furnorum.* In fonte *menſuram ſecundam*, id eſt, partem alteram ædificavit Melchias, vel duplum menſuræ prioris; aut cùm muros certo intervallo
D diſpoſitæ turres diſtinguerent, Melchias duo intervalla perfecit. Iſta turris furnorum nomen habebat vel à furnis panificorum, vel à furnis calcariis.

12. *Et juxta eos ædificavit Sellum filius Aloës, princeps mediæ partis vici Hieruſalem, ipſe & filii ejus.*

13. *Et portam vallis ædificavit Hanun & habitatores Zanoë, ipſi ædificaverunt eam, & ſtatuerunt valvas ejus & ſeras, & vectes, & mille cubitos in muro uſque ad portam ſterquilinii.*

De omnibus hiſce portis egimus ſatis fusè.

14. *Et portam ſterquilinii ædificavit Melchias filius Rechab, princeps vici Bethacharam: ipſe ædificavit eam, & ſtatuit valvas ejus & ſeras & vectes.*

Bethacharem nomen erat unius ex illis vicis, in
E quos diximus diſtributam fuiſſe urbem. Malchias perfecit omne ædificium hujus portæ.

15. *Et portam fontis ædificavit Sellum filius Cholhoza, princeps pagi Malpha. Ipſe ædificavit eam & texit, & ſtatuit valvas ejus, & ſeras & vectes & muros piſcinæ Siloë in hortum Regis, & uſque ad gradus qui deſcendunt de civitate David.*

Nempe inſtauravit fornicem aquæ ductûs, quo aqua è fonte Siloë deferebatur *in hortum Regis*; in hortum aliquem Regium. Sellum, inquam, perduxit opus, *& uſque ad gradus qui deſcendunt de civitate David*, id eſt, de monte Sionis.

16. *Poſt eum ædificavit Nehemias filius, princeps dimidiæ partis vici Bethſur, uſque contra ſepulchrum David*

David, & usque ad piscinam, quæ grandi opere constructa est, & usque ad domum fortium.

Modò agemus de sepulchro Davidis; quod urbs Sion servabat. In textu Hebræo hæc piscina dicitur grandi opere facta. Sic interpretamur textum, ut non indicet fontem perennem, sed opus artis ad aquas pluviales excipiendas. *Et usque ad domum fortium.* Nomen loci sic dicti; quòd ibi præsidiarii milites Davidis stationem haberent.

17. *Post eum ædificaverunt Levitæ, Rehum filius Benni; post eum ædificavit Hasebias princeps dimidiæ partis vici Ceilæ in vico suo.*

18. *Post eum ædificaverunt fratres eorum Banaï filius Enebad princeps dimidiæ partis Ceilæ.*

Nempe vici dicti Ceilæ.

B 19. *Et ædificavit juxta eum Azer filius Josuë, princeps Maspha mensuram secundam contra ascensum firmissimi anguli.*

Vel alteram, vel duplam mensuram perfecit Azer; vel cùm altitudo muri excitata esset ad primam mensuram, Azer complevit secundam. Illud autem *contra ascensum firmissimi anguli* patitur diversas interpretationes. Junius & Tremellius sic vertunt: *è regione ascensûs ad armamentarium miktsoum.* Alii *è regione ascensûs armaturæ anguli.* Potuit ibi flecti murus, qui eâ parte firmior erat, structus in editiori loco. Pergit Nehemias enarrare restaurationem murorum ex ordine.

C 20. *Post eum ædificavit in monte Baruch filius Zachaï mensuram secundam ab angulo usque ad portam domûs Eliasib Sacerdotis magni.*

Græcus & Latinus Interpres legerunt ההרה *heharah*, id est, *ad montem.* Lectio hodierna est החרה *hecherah*, id est, *ardenter.* Ita vertendum: Baruch ædificavit ardenter, sive flagranti animo mensuram secundam ab angulo firmissimo usque ad locum ubi est porta domûs Eliasib.

21. *Post eum ædificavit Merimuth filius Uriæ filii Haccus, mensuram secundam à portâ domûs Eliasib, donec extenderetur domus Eliasib.*

Ædificavit murum qui è regione erat totius palatii Eliasib.

D 22. *Et post eum ædificaverunt Sacerdotes, viri de campestribus Jordanis.*

Illud Jordanis nunc abest à codice Hebræo. Nominantur *viri planities*, puta quæ erat juxta Jordanem; vel, ut loquitur Nehemias cap. 12. v. 28. *de campestribus circa Jerusalem.*

23. *Post eos ædificavit Benjamin & Asub contra domum suam. Et post eos ædificavit Azarias filius Maasiæ filii Ananiæ contra domum suam*

24. *Post eum ædificavit Bennui filius Ennada mensuram secundam, à domo Azariæ usque ad flexuram & usque ad angulum.*

E In fonte usque ad המקצוע *miktsohum*; quod alii credunt nomen proprium loci, aliis est flexura, angulus, sive pars muri incurva. Non semel flectebat se murus Sionem ambiens. Vox הפנה *hapina* pariter est angulus, sed, ut putant, exterior.

25. *Phalet filius Ozi contra flexuram & turrim, quæ eminet de domo Regis excelsa, id est, in atrio carceris: post eum Phadaia filius Pharos.*

Iterùm tibi occurrit vox *miktsohum*: ita non videtur nomen loci; potiùs flexuram indicat, nimirùm angulum interiorem, vernaculè *un angle rentrant*, sicut angulus exterior dicitur *angle faillant.* Pervenimus ad montis Sionis terminos orientales. Ita ibi flectebatur murus, ut complecteretur loca quæ erant sub templo. Regia domus erat in hoc tractu orientali. Eminebat ibi turris domûs Regiæ, ubi carcer; de quo, ut videtur, Jeremias loquebatur capite 32. 2. *Et Jeremias Propheta erat clausus*

A *in atrio carceris, qui erat in domo Regis.* Ubique enim eadem locutio חצר המטרה *chatsar hamatharah*, id est in aulâ custodiæ.

26. *Nathinæi autem habitabant in Ophel usque contra portam aquarum ad Orientem, & turrim quæ prominebat.*

Delineatio nostra oculis exhibet hanc sedem Nathinæorum in Ophel versùs portam aquarum. Viri erant dedititii, quales Gabaonitæ qui serviebant. Idcircò habitabant in parte urbis haud amæniori, qualis erat Ophel, fauces vallis Tyropæi.

27. *Post eum ædificaverunt Thecueni mensuram secundam è regione, à turre magnâ & eminente usque ad murum templi.*

In fonte ad murum Ophel. Nimirùm murus templi, quo scilicet cingebatur Moria mons, descendebat in Ophel, in fauces vallis Tyropæi. Mens advertenda ad id quod dicitur in Paralipomenis libro 2. cap. 27. 3. de Joathan, ubi commendatur ejus pietas. *Ipse ædificavit portam domûs Domini excelsam, & in muro Ophel multa construxit.* Ibi murus Ophel attinere videtur ad templum.

28. *Sursùm autem à portâ equorum ædificaverunt Sacerdotes, unusquisque contra domum suam.*

Observavimus montem Moriam magis procurrere versùs Orientem, paulò plus Sionem recedere ad Occasum; ita porta aquarum & porta equorum accedebant ad muros templi, sed hæc in parte magis orientali. Circa hæc autem loca, quæ vicina essent templo, non mirum est quosdam Sacerdotes habitasse; qui præessent sartis tectis substructionibus templi. Ibi, ut ostendemus, erant gradus quibus ascendebatur in templum.

29. *Post eos ædificavit Sadoc filius Emmer contra domum suam. Et post eum ædificavit Semaia filius Secheniæ, custos portæ orientalis.*

Ibi sermo est de illâ orientali regione quæ subjiciebatur templo; cujus in substructionibus, & ex hac parte erant gradus; & in ingressu eorum porta, cujus Sechenias erat custos.

30. *Post eum ædificavit Hanania filius Selemiæ, & Hanun filius Seleph sextus, mensuram secundam: post eum ædificavit Mosollam filius Barachiæ, contra Gazophylacium suum.*

נשכתו *nischato*, *cubiculum suum.* Nomen idem ac לשכה *lischa*; quod solet reddi à Græcis γαζοφυλάκιον *gazophylacium*; sed, ut videbimus, hocce nomine cellæ, conclavia templi appellabantur; ut ibi accipiendum sit simpliciter pro domo; aut pro conclavi hujus Sacerdotis, qui in hac parte custos esset.

30. *Post eum ædificavit Melchias filius aurificis usque ad domum Nathinæorum & scruta vendentium, contra portam judicialem & usque ad cœnaculum anguli.*

Loca illa depressa, quæ templo subjacebant, non multùm grata erant; ideò ut fit, occupabantur ab artificibus, & tenuioribus mercatoribus, quales sunt qui scruta vendunt. Villalpandus portam judicialem illam statuit in muro urbis, & adnumerat cæteris portis. Sed murus non dicitur ædificatus à *portâ* aut *usque ad portam judicialem*, sed è regione portæ, quemadmodum dicitur Sacerdotes ædificasse contra domum suam. Porta judicialis appellatur in fonte המפקד *hamiphkad* ἐπισκέψεως, ut Græci vertunt, hoc est, *visitationis.* Nempe hac portâ intrabant Sacerdotes, quibus assignatæ erant stationes circa mœnia templi, ut his instaurandis invigilarent. Verbum פקד id significat. *Et usque ad cœnaculum anguli:* In fonte עלית *aliath.* Græci meliùs, ut mihi videtur, ἕως ἀναβάσεως τῆς καμπῆς usque ad locum quo murus flectebatur, ut rediret ad portam gregis, & ambiret latus septentrionale templi.

31. *Et inter cœnaculum anguli in portâ gregis ædificaverunt aurifices & negotiatores.* A

Nempe circa illam flexuram supra dictam anguli ædificaverunt negotiatores, aurifices usque ad portam gregis, à quo opus quod Nehemias enarravit, cœperat.

SECTIO VI.

Novos muros Jerusalem dedicat Nehemias cum magnâ lætitiâ. Levitæ circuierunt muros cantando Dei laudes.

POstquàm opus restaurationis murorum sic completum est, Nehemias statuit duos choros ad B gratias Deo agendas, & ad hosce muros dedicandos. Scilicet cùm novi facti sunt, eos Deo sacravit, & ob ædificatos gratias egit. Verbum חנך quod ibi usurpatur, propriè significat re aliquâ de novo uti, undè à LXX redditur ἐγκαινίζω *innovo*. Ubi de religione sermo est, cùm fit novus usus alicujus ædis, quæ ita destinatur Deo & cultui ejus, ut hanc non ampliùs liceat in alios usus convertere. Verbum חנך rectè à Latinis vertitur *dedico* & חנכה *dedicatio* Muri constituunt urbem; ergo ubi Hierosolymorum muri perfecti sunt, urbem illam sanctam, quæ propria Dei esset, postquàm de novo condita est, decuit dedicare. Quâ pompâ, quo ritu narrat Nehemias in capite duodecimo.

27. *In dedicatione autem muri Jerusalem requisierunt Levitas de omnibus locis suis, ut adducerent eos in Jerusalem, & facerent dedicationem & lætitiam in actione gratiarum, & cantico & in cymbalis, psalteriis, & cytharis.*

Requisiti sunt Levitæ, quia horum erat canere & pulsare instrumenta hacce die solemni.

28. *Congregati sunt autem filii Cantorum de campestribus circa Jerusalem & de villis Netuphati.*

In Græcâ versione ἀπὸ ἐπαύλεων καὶ ἀπὸ ἀγρῶν: in fonte ab atriis Netuphati. חצר sonat idem quod atrium; & propriè locus est subdialis, in quo posset fœnum crescere. Videntur Græci non accepisse nomen נטפתי *nethuphati* pro aliquo loco, sed pro specie alicujus villæ Attamen sequuntur nomina quibusdam locis D propria, ubi Levitæ cantores frequentiores habitabant.

29. *Et de domo Galgal, & de regionibus Geba & Azmaveth: quoniam villas ædificaverunt sibi Cantores in circuitu Jerusalem.*

30. *Et mundati sunt Sacerdotes & Levitæ, & mundaverunt populum & portas & murum.*

Juxta ritum quo mundantur res & personæ, qui præcipitur in Numeris cap. 19. 20.

31. *Ascendere autem fecit principes Juda super murum, & statuit duos magnos choros laudantium, & ierunt ad dexteram super murum ad portam sterquilinii.* E

Statuit duos choros, quorum alterum jussit procedere ad dexteram, alterum ad sinistram. Ascenderunt muros, qui lati erant; ita plures in eo simul incedere poterant. Primus chorus cœpit circumire muros Sionis à portâ sterquilinii usque ad portas aquarum, ut postea significatur. Ibi chorus dicitur Hebraïcè תודה *thodah* à verbo ידה *jadah*, id est, *confiteor, laudo*. Chorus Græcis & Latinis significat cœtum canentium, tripudiantium. Nominat autem Nehemias eos quibus ille chorus constabat.

35, ... *In vasis cantici David viri Dei: & Esdras scriba ante eos in portâ fontis.*

Nempe omnes cantabant Psalmos Davidicos. Huic choro præerat Esdras; iter pergens à portâ sterquilinii pervenit ad portam fontis.

36. *Et contra eos ascenderunt in gradibus civitatis David in ascensu muri super domum David, & usque ad portam aquarum ad Orientem.*

Chorus ille ascendit in civitatem David, & circuivit usque ad portam aquarum, quæ ad Orientem est.

37. *Et chorus secundus gratias referentium ibat ex adverso, & ego post eum, & media pars populi super murum, & super turrim furnorum, & usque ad murum latissimum.*

Secundus chorus, ibat ad sinistram. Media pars populi sequebatur hunc secundum chorum. Iter ejus describitur; in Græcâ autem versione non apparet illud fontis Hebræi, & vulgatæ nostræ; *super murum & super turrim furnorum, & usque ad murum latissimum*; forsan quia ille locus visus est Græcis Interpretibus æger. A portâ vallis ad portam gregis chorus ille procedebat. Ordine suo recensentur portæ.

38. *Et super portam Ephraim, & super portam antiquam, & super portam piscium & turrim Hananeel, & turrim Emath, & usque ad portam gregis: & steterunt in portâ custodiæ.*

Turris illa Emath ea est quæ nominatur in fonte *centum cubitorum*, quomodo alibi appellatur à Vulgato Interprete. Ibi Græci etiam mentionem non faciunt hujus portæ, quæ dicitur custodiæ. Opinor fuisse illam quâ fiebat ascensus in templum, C sive patebat via ad gradus templi, cui apponebantur custodes. Duo enim chori eo in loco conjuncti sunt, & ascenderunt in templum.

39. *Steteruntque duo chori laudantium in domo Dei, & ego, & dimidia pars magistratuum mecum.*

Duo pariter chori cum viris quibus constabant, ingressi domum Dei, immolaverunt victimas. Observandum in hisce choris Sacerdotes tubis cecinisse, quod instrumentum proprium erat Sacerdotibus. Cætera quæ sequuntur, non pertinent ad argumentum capitis in quo versamur.

CAPUT V.

De privatis & publicis ædibus urbis Jerusalem: de ejus piscinis, fontibus, & sepulchris.

SECTIO I.

De formâ, dispositione ædium apud Hebræos, Græcos, & Romanos.

INgrediamur tandem urbem Jerusalem, penetraturi in omnia ejus loca sacra & prophana, in ædes publicas & privatas. Ædes Magnatum non fuisse dissimiles Monachorum perystiliis, sive claustris E certa sunt argumenta. Occurrebat vestibulum, deinde aula locus subdialis, quem cingebant porticus. Postea offerebat se domus, in qua Herus habitabat, ubi cellæ, conclavia, cubicula, triclinia, cœnacula, gynecæum. Huic dispositioni consentanea sunt verba Philonis Alexandrini in secundo libro Allegoriarum legis. Græca allegabo; quæ expendisse juvabit. Ὥσπερ γὰρ ἐν ταῖς οἰκίαις τῆς γυναικωνίτιδος ἐκτὸς μέν ἐστιν ὁ ἀνδρὼν, ἐκτὸς δὲ ὁ αὐλών. καὶ ἡ αὔλειος ἐκ τῶν μὲν τῆς αὐλῆς, εἴσω δὲ τοῦ πυλῶνος. *Sicut enim in ædibus intimo conclavi matronali exterior est ea pars in quâ viri versantur, item hac exterius atrium, indè vestibulum, mox janua.* Reipsâ αὐλὼν est atrium, locus patens subdialis; sed ut innuit Philo huic subdiali loco, præerat αὔλειος, nempe πύλη, porta quâ in atrium intraretur, ubi erat ves-

t..uium, quod & haberet suam portam. Latinus Interpres postrema verba non expressit. Non aliter Homerus indicat veteres ædes dispositas. Testem consuetudinum gentium antiquiorem non possumus adducere. Has consuetudines Everardus Feithius collegit in suo libello de Antiquitatibus Homericis. Sic Poëta describit Magnatum ædes, quas δώματα καὶ μέγαρα vocat ut eas extrinsecus murus ambiret ἕρκος, Eustathio τὸ περὶ αὐλὴν τεῖχος; μεθ' ὃ πύλαι, post quod portæ. Ibi canes de more soliti cubare. Quin & factitii canes ad fores collocati; quales illi, quos ex auro & argento fabricaverat Vulcanus. Siquidem ars solet naturam imitari, signa canum artifices apponebant foribus, quia canibus domus custodienda committitur.

Sequebatur αὐλὴ πάντως ὑπαίθριος. *Aula locus subdialis* ait Athenæus libro 5. apertus & vacuus; Romanis *Atrium*; cujus varias mensuras proponit Vitruvius in libro 6. cap. 4. Quod autem ille dicit capite decimo, Græcos non uti atriis, sic decet intelligere, ut aulæ Græcorum angustiores fuerint. Romæ atria parem habebant interdum cum longitudine latitudinem. Græci verò » Ab januâ introeuntibus » itinera faciunt latitudinibus non spatiosis, & ex » unâ parte equilia, & ex alterâ ostiariis cellas, sta» timque januæ interiores finiuntur. Hic autem lo» cus inter duas januas Græcè θυρωρεῖον appellatur. » Deinde est introitus in peristylion. Revertamur ad Homericas antiquitates. Aulæ, ut videre est in hoc poëtâ, juncta erat αἴθουσα, quæ Scholiastæ in nonum librum Iliados dicitur περίστυλον, τοῦτ' ἐστι πρὸς ἥλιον τετραμμένη στοὰ *ad solem conversa porticus* παρὰ τὸ αἴθεσθαι, quia in illo peristylio calefiebant. Ibi erat & πρόδομος ubi hospitibus lecti sternebantur. In Iliade 24. Achilles jubet δέμνι' ὑπ' αἰθούσῃ θέμεναι. Posteaque ἐν προδόμῳ δόμου αὐτόθι κοιμήσαντο Κῆρυξ καὶ Πρίαμος.

Veniebat deinde ipsa princeps domus, cujus frontispicium variis ornamentis erat insigne; unde ἐνώπια παμφανόωντα dixit Homerus. Odyss. 4 Itaque putat Feithius, non de primâ portâ, sive de primo vestibulo loqui Homerum, sed de portâ domûs interioris. ἐνώπια Hesychio sunt τὰ κατὰ πρόσωπον τοῦ πυλῶνος φαινόμενα μέρη ἃ καὶ διακόσμουσιν ἕνεκα τῶν παριόντων. Primis temporibus cum nondum nata esset ars cælandi marmora, auro & argento exornabantur frontispicia. Regiam Menelai Odyss. 4 Poëta celebrat ob æris, auri, argenti, electri, eborisque splendorem. Scilicet cùm parietes lapidei nondum haberent illa ornamenta, quæ serius ab Architectis inventa sunt, inducebantur tabulis vel æris splendentis, vel auri, vel argenti, vel secti eboris; undè aliquando domus appellantur æreæ, vel aureæ, vel argenteæ, etiam eburneæ. Nominatur in tertio Regum cap. 22. 39. *Domus eburnea Achab.*

Quæcumque fuerit antiqua dispositio ædium, veterum certè non diversa erat à Caiphæ ædibus. Ex Evangelio ubi narrat trinam Petri negationem intelligimus fuisse vestibulum quod obvium erat. In fonte Evangelii nominatur πυλὼν; quam vocem Vulgatus Interpres Matthæi reddit *janua*. Post vestibulum erat locus subdialis, nempe aula. Undè Marcus id quod dicitur à Matthæo πυλὼν, vocat προαύλιον. Milites stiterant Dominum in vestibulo; Petrus verò qui eum secutus fuerat, ultra progressus perrexit usque in aulam, ubi erat ignis accensus; cujus lumine agnitus negavit se unquam fuisse Jesu Nazareni discipulum. Timens verò ne à militibus injuriâ lacesseretur, rediit in vestibulum, in quo Jesus, qui interrogabatur à Pontificibus, respexit eum, cùm bis & iterùm negasset. Tunc Petrum puduit & pœnituit; quæ fusius exposuimus in Commentariis nostris in Harmoniam Evangelicam, ubi

A & oculis subjecimus dispositionem ædium quam sermone hîc explicamus. Quòd autem ignis fuerit accensus in aulâ Caiphæ, non mirum videri debet. Statim non innotuit caminorum nostrorum usus, per quos nunc fumus sursum fertur & evanescit; ita non implet ædes, quod olim fiebat; cùm nullus in hunc usum canalis pararetur. Tunc vetus omnis supellex denigrabatur fumo; undè sæpiùs *fumosum* usurpatur pro vetusto. *Fumosæ imagines*, sunt antiquæ imagines. Apud Homerum Ulysses & Telemachus in Odyss. 19. arma fumo nigra dicunt, quia à multò tempore reposita erant in ædibus. Caminorum nostrorum nullam Vitruvius mentionem facit. Olim vasa erant in quibus strueretur focus;
B & portaretur è cubiculo in cubiculum. Ad hoc tripodes inserviebant; quare horum usus tam frequenter celebratur. Tripodes propriè erant portatiles foci. Sed interdum focum veteres instruebant in loco subdiali, in media aula, quod factum vidimus in historia passionis Dominicæ in aula Pontificis. Ista consuetudo vigebat ætate Homeri. In Iliade libro nono videre est accensum ignem in porticu, in vestibulo.

Οὐδέποτ' ἔσβη
Πῦρ' ἕτερον μὲν ὑπ' αἰθούσῃ εὐερκέος αὐλῆς
Ἄλλο δ' ἐνὶ προδόμῳ, πρόσθεν θαλάμοιο θυράων.

Neque unquam extinguebatur ignis, alter quidem in porticu benè munitæ aulæ: alter autem in vestibulo ante thalami fores.

C Sed Telemachus invenit procos in ædibus excoriantes capras, & porcos assantes in aulâ.

Εὗρε δ' ἄρα μνηστῆρας ἀγήνορας ἐν μεγάροισιν
Αἶγας ἀνιεμένους, σιάλους θ' εὕοντας ἐν αὐλῇ.

Non mirabimur igitur in locis subdialibus templi, in atriolis, sive parvis aulis, ibi culinas dispositas fuisse; quod Servius ad versum 730. primi libri Æneidos astruit. *Ibi & culina erat: undè & atrium dictum est, quod atrum erat ex fumo.*

D Partes ædium erant triclinia, œci, exhedræ, pynacothecæ, bibliothecæ. Triclinia nomen sumpsere à specie Lectorum, in quibus accumbentes antiqui epulari solebant. Hunc veterum accumbendi morem ostendunt vetusta marmora. Pransuri, aut cœnaturi lectos accubitorios sternebant, diversos scilicet ab eis in quibus dormirent; accumbentes enim mensis edebant & potabant; quæ consuetudo servabatur à Judæis. Dominus non semel exhibetur recumbens in illis conviviis, quæ Evangelium memorat. Oeci conclavia erant ubi fiebant virilia convivia. Et in illis matres familiæ habebant lanificia. Quid sit exhedra non omnino certum est. Aliis est cella ad colloquendum aut ad dormiendum tempore meridiano, aut ad studendum. Sed convenit inter omnes in exhedris disposita sedilia, primùm sex numero, unde nomen habuêre.

Superior domûs pars ὑπερῷον dicebatur Homero, ut observat ejus Interpres Eustathius. Τὰ μετέωρα τῶν
E οἰκημάτων ὤα καλοῦσιν οἱ Λακεδαιμόνιοι, ἔθεν ὑπερῷον, τὸ οἷον εἰπεῖν ὑπερύψηλον. Hanc vocem Latini interpretantur *cœnaculum*. Cœnacula, inquit Budæus, sunt altiora domûs loca ad quæ scalis, sive cochleis ascenditur. Homerus in his superioribus ædium partibus collocat mulieres. Ibi exhibet commorantem Penelopem. Apud priscos Græcos, mulieres, præsertim virgines conclusæ degebant vitam, usque dum nuberent. Locus his destinatus dicebatur thalamus. In genere mansio mulierum γυναικωνῖτις erat distincta ab eo loco in quo viri agebant, qui dicebatur ἀνδρῶν. Erant & thalami in quibus viri cum conjugibus cubabant. In ædibus Regis Priami, quinquaginta celebrantur thalami ex lapide polito junctim structi, ubi filii ejus cum uxoribus cubabant; & alii totidem ex ad-

verso, ubi cum filiabus generi. Etenim thalamorum multiplex & diversus erat usus. In illis, ut in promptuariis variæ res reponebantur; unde ἔσχατος θάλαμος postremus thalamus in Ulyssis æde recensetur. Odyss. 21. ex quo Melanthius arma depromsit. sed & ex thalamo Hectoris arma depromuntur. In Ulyssis thalamis ponitur aurum, argentum, vestis, vinum, oleum. A

Non statim multis tabulatis ædes exaltatæ sunt: tempus, quo id Romæ factum est docet, Vitruvius libro 2. cap 8. *Cùm recipere non posset*, inquit, *area plana tantam multitudinem ad habitandum in urbe, ad auxilium altitudinis ædificiorum res ipsa coëgit devenire.* Sed Romanorum non est proprium inventum; nam Diodorus Siculus lib. 1. testatur Theben Ægypti urbem antiquissimam habuisse ædes etiam privatas, ἃς μὲν τετρωρόφους, ἃς δὲ πεντωρόφους, nempe ad quartam, quintamve contignationem eductas. Vitruvius loco citato notat Romanos habuisse egregias habitationes beneficio Menianorum. Meniana autem ab inventore Menio sic dicta, erant podia, pergulæve, cujusmodi, inquit Philander, sunt ea quæ hodie projicere assuevimus, ut mutulis (corvos Galli appellant, Itali *modigliones*) firmissimis quiescant. Talia opera Mæniana, aut aliquid non omninò dissimile animadvertemus in templo Salomonico. Illa autem Meniana opera apud Hebræos, juxta vias publicas prohibebantur, nempe pergulæ & projecturæ supra vias; ne quis contaminaretur sub illis inscius transiens, si fortè ibi fuisset cadaver. Aristæas verò scribit in libello de historiâ LXX. Interpretum, vias alias aliis impositas in urbe Jerusalem, ut mundi ab immundis non tangerentur. Εἰσὶ δὲ διαβάσεις πρὸς τὰς διόδους, οἱ μὲν μετέωροι τῶν ὁδειῶν, οἱ δὲ ὑπ' αὐτὰς πειθόντων, καὶ μάλιστα διατηρήσεις τῆς ὁδείας, διὰ τοὺς ἐν ταῖς ἁγνείαις ὄντας ὅπως μηδενὸς πελάζωσιν, ὧν οὐ δέον ἐστίν. B C

Non hic prætermittenda forma tectorum, quæ, ut diximus, in libro secundo non multum fastigiata, erant; adeò ut super iis degerent, cubarent; quod constat etiam de Græcorum tectis. κατ' ἀντικρὺ τέγεος πέσεν, *è regione tecti cecidit*; in quod ascenderat ut refrigerium captaret, ut dicitur in Odisseâ * sive libro 10. Id moris fuisse in Oriente observat B. Hieronymus. *Δῶμα in orientalibus provinciis ipsum dicitur, quod apud Latinos tectum. In Palæstinæ enim & Ægypto, vel ubi scripti sunt divini libri, vel interpretati, non habent in tectis culmina, sed domata, quæ Romæ, vel solaria, vel meniana vocant, id est, plana tecta, quæ transversis trabibus sustentantur.* Romanos antiquitus usos tectis planis docet Vitruvius lib. 2. cap. 1. *Ædes tegebant arundinibus & fronde: postea quoniam per hybernas tempestates tecta non poterant imbres sustinere, fastigia facientes luto inducto proclinatis tectis stillicidia deducebant.* In Judæâ ubi imbres non sunt frequentes, tecta planiora erant, ut liquet multis Scripturæ locis; in quibus illi exhibentur agentes ἐπὶ δωμάτων, lavantes se & ambulantes; ut de Davide narratur 2. Regum cap. 11. 2. *Dum hæc agerentur, accidit ut surgeret David de strato suo post meridiem: & deambularet in solario domus Regiæ: viditque mulierem se lavantem ex adverso super solarium suum.* Et ex tectis concio haberi poterat, ad quod alludebat Dominus, cùm denuntiabat discipulis suis ut etiam super tecta prædicarent. Ne autem qui in tectis versabantur, caderent imprudentes, lege Dei *Deuteron.* 22. Hebræi tecta ædium circumdabant loricâ; qualem Homerus in ædibus Alcinoi describit. Hæc lorica dici potest pinnaculum, quod ab illo Poëtâ dictum cæruleum censet Eustathius, quia propter altitudinem evanescit, & fit ejusdem coloris ac aër, qui cæruleus est. περὶ δὲ θριγκὸς κυάνοιο. *Circa autem pinnaculum ex cyano.* D E

Sæpè Homerus mentionem facit graduum quibus ascenderetur in loca superiora. Nominatur ab eo Κλίμαξ ὑψηλή. *Scala alta*; sed formam non exprimit; nec ubi sita esset dicit. Ex eo quod contigit Elpenori, de quo modò loquebamur, colligere est horum temporum scalas etiam in Magnatum ædibus non alias fuisse, quàm quibus utuntur nostri opifices dum ædificant, rustici in tuguriis suis, retrogradè in illis descendentes. Attamen videre est in turri Babyloniâ, quam Herodotus describit, gradus cochleatim dispositos extrinsecus. Non dissimili invento videbimus excogitatum à Salomone in superiorem templi contignationem ascensum. Constat in Hebræorum ædificiis scalas exteriores fuisse; idcircò in historiâ Paralytici, cùm multa turba obsideret fores domûs in quâ erat Christus, qui ad eum deferebant Paralyticum sanandum, dicuntur per scalas ascendisse in tectum, & remotis tegulis demisisse ægrum funibus ante Dominum; quod inutile fuisset, nec possibile, scalis dispositis intra domum, in quam admitti non potuerant ob turbam quæ obsidebat fores. Potuêre autem per tegulas demittere Paralyticum, quia in tecto ferè plano facile illis erat versari, operari, removere tegulas. Marcus dicit ἀπεστέγασαν τὴν στέγην *nudaverunt tectum*; καὶ ἐξορύξαντες & effodientes; nempe ubi removerunt tegulas, tectum nempe trabes & asseres tecti perfoderunt. Cùm sic tegulæ testaceæ solerent superponi tectis; Pollux in libro septimo; notat στέγη & κέραμος pariter tectum significare; undè Lucas eandem historiam Paralytici narrans dicit quòd διὰ τῶν κεράμων per tegulas illum summiserunt, id est, per tectum, quod perfoderunt.

Publicæ ædes sunt piscinæ, balneæ. Vitruvius explicat in libro 5. cap. 4. dispositionem balnearum; in quibus thermæ; nempe ubi aqua calefieret, quâ tepidâ corpus ablueretur. Romæ patebant omnibus thermæ magno sumptu ab Imperatoribus ædificatæ. Palæstræ, sive Xysti parabantur ad luctam; Græci enim athletam appellant παλαιστήν. luctam verò πάλην Palæstra ergo locus erat ad varias corporis exercitationes. Xystus & Xystum, inquit Philander post Budæum, cùm apud Græcos idem significent, apud Latinos non nihil habent discriminis. Nam Xystos vocant porticus tectas, ubi athletæ per hiemem exercebantur; Xysta autem subdiales ambulationes, ubi sudo cælo suas exercebant palæstras. Cùm Græci cœperunt Hierosolymis dominari, in illam urbem induxêre mores suos.

SECTIO II.

De aquis, & aquæ-ductibus, piscinis, balneis, fontibus Hierosolymorum.

FOntes, balneæ, piscinæ, aquæ-ductus non solùm urbibus decorem afferunt, sed multa commoda. Prosunt enim aquæ ad restinguendam sitim, ad sordes corporis abluendas, & omnem abstergendam immunditiem, ad refrigerium, ad panificium, ad coquendos cibos. Denique in tot usus necessarios adhibentur, ut non magis vita egeat aëre, quàm aquæ elemento. Quapropter Ædiles, hi nempe magistratus, penes quos est potestas curandorum ædificiorum publicorum, quibus sartis tectis urbes magis florent, & suis incolis sunt ad habitandum commodiores. Ædiles, inquam, præ cæteris sategerunt, ut aquæ si deficerent, novæ inducerentur in urbem, aut repararentur antiqui canales. Collegit Lipsius in libro tertio de Magnitudine Romanâ cap 11. quæ scriptores narrant de Aquæ-ductibus Romanis. Inf-

tar sit omnium, quod protulit ex Plinio sic loquen- A te. » Si quis diligentiùs æstimaverit aquarum abun- » dantiam in publico, in balneis, piscinis, domibus, » euripis, hortis, suburbanis villis, spatioque adve- » nientium exstructos arcus, montes perfossos, con- » valles æquatas, fatebitur nihil magis mirandum » fuisse in toto orbe terrarum. Hierosolymis fontes magis quàm in ullâ aliâ urbe necessarii erant. Civitas enim sancta non debebat admittere, retinere nisi qui munditiem colerent; quam tunc Judæi credebant pendere ex crebrâ manuum lotione, & totius corporis ablutione. Fontes, inquam, necessarii in tali urbe, in quâ semper hominum multitudo confertissima, & ter in anno infinita; inter quos plerique egebant ablutione aquarum. Immersiones, inquit, conspersiones βαπτισμοὶ, ῥαντισμοὶ, requirebantur. B Aquatio urbis inter miracula fere potest recenseri, scilicet urbem tantam, in solo arido, & petroso sitam, aquis non caruisse. In ipsâ arce Sion scaturire non poterant fontes, qui in vallibus reperiri solent; suo enim naturali pondere aquæ ad depressiora loca defluunt. Sion erat naturâ suâ rupes siticulosa, & indè, ut vidimus, nomen accepit. Ipsa tamen Jerusalem celebratur aquis abundans. Hisce verbis de illâ loquitur Strabo in libro 16. suæ Geographiæ Ἔστι γὰρ πετρῶδες, αὐτὸ μὲν ἔνυδρον, τὴν δὲ κύκλῳ χώραν ἔχον λυπρὰν καὶ ἄνυδρον, τὴν δ' ἐντὸς ἑξήκοντα σταδίων καὶ ὑπόπετρον. *Est enim locus saxosus, aquis ipse quidem abundans, cùm regio circumsterilis ac sicca sit; & intra sexaginta stadia, etiam solum habeat lapidosum infernè.* C Nec multò post. ἐντὸς μὲν ἔνυδρον, ἐκτὸς δὲ παντελῶς διψηρόν. *Interiùs aquis abundans, exteriùs omninò sicca.* Eadem observat de Hierosolymis Timochares quem allegat Eusebius in libro 9. de Præparatione capite 35. Ὅλην δὲ τὴν πόλιν ὕδασι καταρρεῖσθαι, ὥστε καὶ τοὺς κήπους ἐκ τῶν ἀπορρεόντων ὑδάτων ἐκ τῆς πόλεως ἀρδεύεσθαι. *Urbem universam aquis perlui, quarum defluxu horti passim omnes irrigentur.* Idem agnoscit πηγὴν ἐν τῷ χωρίῳ ὕδωρ δαψιλὲς ἀναβλύζουσαν. *Eodem ex loco fontem in g. â aqua vi scaturientem existere.* Illud autem quod dicunt intùs fuisse aquarum scaturiginem, benignè interpretari decet, videlicet aquas plurimas deductas intra urbem.

Ab Occidente, ut ex viatoribus didicimus, sunt D montes excelsiores Hierosolymis; ex quorum ergo, ut ita dicam, alvo manarent aquæ, quæ in hanc urbem potuêre induci. Pilatus, ut Josephus narrat in secundo de Bello cap. 8, ab stadiis trecentis aquas induxit, hùc impendens sacrum thesaurum quem Judæi corban appellant. Eusebius in libro nono de Præparatione cap 37. quemdam Philonem allegat, non Judæum, sed alium qui Græcus esset, qui in illis quos de Hierosolymâ conscripserat libris, loquens de scaturigine aquarum ejus, afferebat illas hieme arescere, ac rursum æstate ubertim fluere. Nimirùm hieme omnis imber qui decidit in montes, cogitur in nivem, quæ non liquescit nisi æstatis initio; quo ergo tempore fontes uberiores sunt. Attamen Philo ille videtur id miraculo tribuere. E

Desuper allabens nova tum miracula vidi.

. . . . . qua fons uberrimus undas
Egerit, atque sinus implet, ductusque profundos.

Et postea subjungit:

Scilicet ex alto decurrens vertice fluxus,
Et pluviis crescens nivibus, sub turribus altis
Volvitur, & sicco languentia pulvere circum
Arva rigans, viridis miracula pandit amictûs

Græca videri possunt apud Eusebium.

Quando David invasit arcem Sionis, puto quidem nullas ibi fuisse aquas, nisi quæ ex imbribus colligerentur in cisternis. Sed ex quo David Regiam sibi ædificavit domum, & Salomon Deo templum, aquæ ex montibus vicinis in urbem derivatæ sunt; quod ab Ezechiâ factum Scriptura memorat in quarto Regum cap. 20.

20. *Reliqua autem sermonum Ezechiæ & omnis fortitudinis ejus, & quomodo fecerit piscinam, & aquæ-ductum, & introduxerit aquas in civitatem, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum Regum Juda?*

Perpendamus ibi vim nominum quibus ibi Scriptura utitur. In fonte est הַבְּרֵכָה *habbracha*, quam vocem Vulgatus reddit *piscinam*: Græcus τὴν κρήνην fontem. Intelligere possumus aquarum receptaculum, in quo congregarentur aquæ. Nomen התעלה *hataala* quod subsequitur, Græci reddunt ὑδραγωγὸς, id est, canalis per quem aquæ ascendebant in urbem. Mons Gihon erat ad Occasum Sionis, scatens fontibus. Indè manabat fons Siloë; quem Josephus passim locat ad plagam occiduam urbis. Tertius Regum cap. 3. 33. in monte Gihon: *Ducite Salomonem in Gihon* ubi Paraphrastes habet: *ducite Salomonem ad fontem Siloam.* Rabbini Gihon & Siloam dicunt esse nomen ejusdem fontis. In secundo Paralipomenon cap. 32. 30. dicitur: *ipse est Ezechias, qui obturavit superiorem fontem aquarum Gihon, & avertit eas subter ad Occidentem urbis David.* Duo fontes erant in monte; unus superior, alter inferior. Superiorem obturavit, ne aqua per illum efflueret, sed intra reflueret ad inferiorem fontem, ex quâ aquas per canales deduxit ad occiduam plagam Sionis, quæ cùm valle separaretur à monte, necessariò aquæ-ductus struendus fuit; sive pons excelsus; cujus beneficio aqua in urbem inducta totam irrigabat urbem & templum.

Solum quidem templi, præsertim atriorum Israëlis & Sacerdotum, ut suo loco dicetur, erat excelsius Sione; sed aqua potuit deferri in puteos, sive in receptacula, è quibus in superiora attollebatur machinis. Canalium & receptaculorum miram fuisse structuram dicit Aristæas. Totum locum exscribam, licet in eo pleraque spectent templum, de quo nondum sermonem facimus. *Pavimentum* templi, inquit, *totum est lapide constratum, tractusque habet aquæ immittendæ ad loca certa, quæ immittitur ad abluendum sanguinem hostiarum, quia in solemnibus festis multa millia jumentorum offeruntur. Aquæ verò confluxus nunquam deficit. Et quia fons intrinsecùs magnus naturalem, & eam perennem scaturiginem habet, & quia subtùs terram sunt mirâ & inenarrabili arte aquarum receptacula, confecta per quinque stadia, quemadmodum apparebat undequaquè circum templum, quorum singula habent fistulas infinitas, utrinque in se invicem emittentes fluxus: atque hæc omnia in imo & à lateribus plumbo sunt obducta, & multâ terrâ accuratè cooperta. Sunt præterea multa ostia in fundo & basi, quæ nemo cernere potest, præter illos quibus ministerium est commissum: per hæc impetu & effluxu supermissæ aquæ, sanguis quantumvis copiosus à victimis collectus, abluitur & expurgatur.* Veritatem ferè in miracula corrumpit Aristæas, quisquis fuerit. Tamen liquidò significat naturalem & perennem aquarum scaturiginem, quæ erat in templo, habere ortum extra civitatem, videlicet quod diximus per aquæ-ductum ex monte Gihon. *Exponam etiam,* pergit loqui Aristæas, *quomodo ipse istorum receptaculo molem & structuram ex singulari benevolentiâ monstratam cognovi. Nam abduxerunt me ex civitate ultra quatuor stadia, & jussit me unus capite ad locum quemdam inclinato auscultare sonum, quem aquarum cursus ederet. Hinc ergo apertè cognovi*

magnitudinem vasorum illorum de quibus dixi. Hæc A perindè ac si omninò falsa essent, non possunt repudiari; nam, ut docet Lipsius agens de Romanis aquæ-ductibus, eâ latitudine ac simul altitudine erant ædificati *ut vir eques commodè per eos posset incedere.*

Quidquid sit, certum est sanctam urbem & templum abundasse aquis, quæ effluerent ex monte Gihon. Quia verò multa cura impendenda canalibus quos atterit vetustas, aut vis aquarum perfringit his reficiendis, inter quindecim Præfectos templi, quibus cura rerum demandata ad cultum publicum facientium, erat Præfectus aquis. Hujus munus erat fontes & puteos effodere, fontes publicos curare, ut suppeteret aqua habitantibus Hierosolymam, at- B que iis qui ascenderent ad festa, ut dicit Maimonides in Kele Mikdash cap. 7. Huc forsan allusum putat Ligthfootus in titulo isto Apocalypseos cap. 16. 5. *Ἄγγελος ὑδάτων. Angelus aquarum*; qui Dei justitiam laudat, quòd aquas in sanguinem mutavisset, & propinasset bibendum his qui effuderant sanguinem Prophetarum. Id dicere pertinebat ad Angelum qui præerat aquis; nempe cujus curæ demandatum erat, ut aqua suppeteret ad bibendum.

Plures fuisse in urbe piscinas constat. Salomon innuit multas à se exstructas. *Et exstruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem sylvam lignorum germinantium.* Sic loquitur in Ecclesiaste cap. 11. 6. Quare non dubitandum quin Salomon aquas induxerit in urbem. In quarto Regum cap. 18. mentio C fit piscinæ superioris. 17. *Misit autem Rex Assyriorum Tharthan & Rabsaris, & Rabsacem de Lachis ad Regem Ezechiam cum manu validâ, Jerusalem: qui cùm ascendissent, venerunt Jerusalem, & steterunt juxta aquæ-ductum piscinæ superioris, quæ est in viâ agri fullonis,* Piscinas ab eodem Rege Ezechiâ factas adstruitur in ejusdem libri capite 20. 20. *Reliqua autem sermonum Ezechiæ, & omnis fortitudo ejus, & quomodo fecerit piscinam & aquæ-ductum, & introduxerit aquas in civitatem, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum Regum Juda?*

Hanc superiorem piscinam memorat Isaias capite 7. 3. *Et dixit Dominus ad Isaiam. Egredere in occursum Achaz tu & qui derelictus est Jasub filius* D *tuus, ad extremum aquæ-ductûs piscinæ superioris in viâ Agri fullonis.* Et capite 36. 3. rem eandem narrat, quam protulimus ex quarto Regum cap. 18. 17. Lighfootius dicit nullam celebriorem fuisse cisternam in totâ urbe, quàm quæ diceretur Jehu; de quâ sic traditionum patres: *Cisterna Jehu erat Hierosolymis, excavataque erat in congregatione aquarum. Omnesque purificationes, quæ erant Hierosolymis, factæ sunt ad eam.* Cisterna ibi est piscina. An illa cisterna, sive piscina fuerit superior, vel inferior statuere non possum. Puto receptacula aquarum superiora esse, ex quibus aquæ fluerent in inferiora. Isaias querens quòd Hierosolymitani occupati in reficiendis publicis ædificiis & muniendis adversùs Assyrios, non confugerent ad Deum, E hisce verbis compellat eos cap. 22.

9. *Et congregastis aquas piscinæ inferioris,*

10. *& domos Jerusalem numerastis, & destruxistis domos ad muniendum murum.*

11. *Et lacum fecistis inter duos muros ad aquam piscinæ veteris: & non suspexistis ad eum, qui fecerat eam.*

Opera sunt in quibus tunc occupati fuerant Hierosolymitani. Vidimus supra fuisse viam in hortos Regios, inter duos muros. Ibi poterat esse aquæductus ad hortos Regios; de quibus postea dicetur.

SECTIO III.

De Regiis sepulchris & aliis. De loco eorum; tum & de funeribus. Qui fuêre mores Hebræorum condiendi corpora.

STatim ac vitales auras carpere, ratione uti, & serias animo cogitationes versare incipimus, non de ædificandis ædibus satagere, sed sepulchrum parare deberemus. Etenim angusti sunt vitæ limites. Punctum est quod vivimus, aiebat Seneca; degimus autem in sepulchro per complura sæcula; donec placuerit supremo judici omnes homines è tumulis excitare, vocare, & sistere ante se judicandos. In illam sepulchri curam propendet ipsa natura. Nulli facilis est ejus jactura. Illud ipsi decorant, & satagunt ut post mortem suam decoretur, nempe ab iis, quos ideò cumulant donis; quorum memores saltem ex aliquâ parte accepta beneficia impendant sumptui, qui faciendus est. Tali propensione prodit se animus cupidum æternitatis; sive agnoscit se factum, ut in æternum vivat; neque enim eum cura sepulchri sollicitum teneret, si non intelligeret pertinere ad se hujus decus; quòd quàm magnum esse studuerunt viri principes. Indè tantâ ambitione extructæ pyramides, quæ latitudine suâ & altitudine in se omnium oculos converterent; tam solidis fundamentis innixæ, tam duris marmoribus constructæ, ut oblivionem & alias temporis injurias superantes, aliquo modo vetarent mori suos auctores, nimirùm nomen eorum ab interitu vindicarent. Uno verbo factum est, ne longiùs excurram à cœpto itinere, ut in urbibus & in suburbiis, quando de publicis monumentis agitur, spectanda sint inprimis sepulchra. Dixi in urbibus & suburbiis; nam apud Græcos & Romanos lege erat cautum, ne quis in urbe sepeliri posset, præter eos tantùm, qui egregiâ virtute, rebusque clarissimè gestis, meriti hoc essent; ut observat Petrus Crinitus in libro vigesimo primo cap. 12. de honestâ disciplinâ. Hanc legem sicut & cætera videntur illi populi accepisse a populo Dei, sive ab antiquis Hebræorum Patriarchis. Apud Judæos sepulchra ponebantur extra urbes; sed privilegium erat Regum Judâ, ut intra ipsam Davidicam civitatem, in ipsâ Sione sepelirentur. Idcircò etiam ante palatia & basilicas considerabo sepulchra.

Primùm de re ipsâ agam; de fine qui intenderetur ab illis, qui superba sepulchrorum monumenta excitarent. Neque enim apud omnes gentes eadem fuit funerum & tumulorum ratio. Alii humo mandabant cadavera: alii igni, sic comburentes in rogo, ut ea sola in loculis sepulchralibus reponi possent, quibus flamma pepercerat, sive quæ supererant post flammas. Alii mortuos condiebant aromatibus adversùm putredinem, ut aliquo modo in æternum viverent, non erosi à vermibus, non consumpti putredine, non resoluti in pulverem, & quasi in cineres, quod tandem contingit cadaveribus, si igne non comburantur, nisi condiantur. Juvat ad illustranda ea quæ sumus dicturi de funeribus & sepulchris Hebræorum, perstringere quæ viri periti fusiùs disseruêre de gentium funeribus. *Condiunt Ægyptii mortuos, & domi servant*, inquit Cicero, 1. Tuscul. De Ægyptiis sic loquitur Pomponius Mela lib. 1. cap. 9. *Mortuos nec cremare nec fodere fas putant: verùm arte medicatos intra penetralia collocant.* Potissimùm sale condiunt, cujus natura est corpora astringere, siccare, alligare: defuncta etiam à putrescendo vindicant, ut durent ita per sæcula. Hunc Ægyptium morem describit Herodotus in

Euterpe. *Apud Ægyptios*, inquit, *homines certi ſunt ad hoc ipſum conſtituti, qui illis (qui optimè & ſumptuosè condiri voluerunt) ferro incurvo per nares cerebrum educunt, ejuſque locum medicamentis & odoribus implent.* Hæc fieri poſſe Herodotus temerè credidit. Solus qui anatomiæ prorſus eſt imperitus, ignorat niſi cranium perfringatur, haud patere in illud huic-ce incurvo ferro aditum. *Dein acutiſſimo lapide Æthiopico circa illa conſcindunt, atque illac omnem alvum protrahunt; quam ubi repurgarunt, ac vino palmeo eluerunt, rurſus odoribus contuſis refarciunt, tum omenta complent confusâ myrrhâ purâ & caſiâ & cæteris (excepto thure) odoribus, iterùmque conſuunt. Ubi hæc fecère, ſaliunt nitro abditum 70 dies; nam diutiùs ſalire non licet. Exactis 70 diebus cadaver ubi abluerunt, ſindone byſſinâ inciſis loris totum involvunt, gummi illinentes, quo Ægyptii, glutinis loco, plerumque utuntur. Eo denique recepto, propinqui ligneam hominis effigiem faciunt, in quâ mox inferunt mortuum, incluſumque ita reponunt.* Eo more conditus eſt Patriarcha Jacob curâ filii ſui Joſeph, qui, ut dicitur in Geneſi 50. 2. *Præcepit ſervis ſuis medicis ut aromatibus condirent patrem.*

Græci & Romani humaverunt, aut combuſſerunt corpora. *Ipſum cremare*, inquit Plinius lib. 7. cap. 54. *apud antiquos non fuit veteris inſtituti, terrâ condebantur. At poſtquàm longinquis bellis obrutos erui cognovêre, tunc inſtitutum.* At Kirchmannus in ſuo eleganti opere de Funeribus Romanorum evincit à primis temporibus invaluiſſe conſuetudinem comburendorum corporum. Non omnem perſequar rationem funerum Gentilium, quam dictus Auctor diligenter expoſuit Græci & Romani, ubi incipiebat extingui rogus, colligebant oſſa quæ ſupererant, & qui his adhærebant cineres; quem morem expreſſit Poëta in quinto Æneidos.

Poſtquàm collapſi cineres ac flamma quievit,
Relliquias vino ac bibulam lavêre favillam.

Reliquiæ illæ erant exiles; cætera enim abſumpſerat rogus; quapropter parvâ urnâ ſæpè teſtaceâ, aliquando argenteâ, etiam aureâ facilè condebantur; quæ poterat & in ſinu portari; quod fecit Agrippina, ut Tacitus narrat in libro ſecundo de funere Germanici. *Agrippina aſcendit claſſem cum cineribus Germanici & liberis: miſerantibus cunctis, quòd femina nobilitate Princeps, pulcherrimo modò matrimonio inter venerantes gratanteſque aſpici ſolita, tunc ferales reliquias ſinu ferret.* Quod animadverto ad quæſtionem illam ſolvendam: quomodò cineres & oſſa quibus honorem habitum volebant, dignoſcerent à cineribus ex ligno natis. Sunt, ut refert Kirchmannus, qui exiſtimant tunicas factas è lino quodam Indico, quod exuri minimè potuerit, atque iis operta cremandorum corpora, ut illorum favilla ac oſſa à reliquis cineribus ſepararentur. Ad quam opinionem ſtabiliendam abutuntur auctoritate Plinii qui libro 19. cap. 1. de hoc lino ſic loquitur. *Inventum eſt etiam, quod ignibus non abſumeretur. Vivum id vocant, ardenteſque in focis conviviorum ex eo vidimus mappas ſordibus exuſtis ſplendentes magis quàm poſſent aquis. Regum indè funebres tunicæ corporis favillam ab reliquo ſeparant cinere.* Sed hos raritas hujus lini & pretium facilè refutaverit; & idipſum quod afferunt ex Plinio, quo teſte, harum tunicarum linearum ſolus erat uſus in Regum funeribus. Rem tam dignam animadverſione, ſi fuiſſet pervulgata, non prætermiſiſſent Poëtæ & Hiſtorici, ubi funera explicant. Sed cùm totos cineres ſeparare & colligere non ſtuderent Romani, oſſa pauca poterant colligere, quæ in exiguâ urnâ ſervarent; quod tunc optabatur, ut diſcimus ex illo diſtico Ovidiano lib 3. Triſtium Eleg. 3.

Oſſa tamen facito parvâ referantur in urnâ.
Sic ego non etiam mortuus exul ero.

In rogo, inquam, cadaveris oſſa quæ ſupererant, poſtquàm vis ignis deferbuerat, colligebantur, & quidquid cineris indè decuti poterat, in urnâ condebatur. Hunc morem adſtruunt pleraque veterum teſtimonia.

Alii erant Hebræorum mores circa funera; quos Geierus explicat in ſuo libello de Hebræorum luctu. Ungebant corpora & condiebant aromatibus, faſciiſque involvebant perinde ac Ægyptii. Hoc diſcimus ex Evangelio, in quo Lazarus excitatus à Domino prodiit faſciis involutus, ligatus pedes manuſque; ita ut niſi ſolutus ab Apóſtolis non potuiſſet ambulare. Ubi autem corpus Domini condendum fuit tumulo, Nicodemus ad hoc adhibuit centum libras myrrhæ & aloës Joannis capite 19. 39. Quæ à nobis ſunt obſervata in Commentariis noſtris ad Harmoniam Evangelicam. Non pertinet ad huncce locum fuſiùs proſequi Hebræorum funera; ſed qui nunc quærimus quid in ſepulchris conderetur, hæc funera decet animadvertere multùm diverſa à Romanis, Græciſve; neque enim Hebræi comburebant corpora, ſed illa aromatibus, ut diximus, condita, integra reponebant in tumulis. Attamen obſtare videntur pleraque Scripturarum loca. Primùm quod dicitur de incolis Jabes Galaad, in fine libri primi Regum; ab illis ſublata cadavera filiorum Saülis de muro Bethſan, & aſportata in urbem ſuam; qui *& combuſſerunt ea ibi: & tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt in nemore Jabes, & jejunaverunt ſeptem diebus.* Dici poſſet peculiarem fuiſſe morem Jabeſitarum, qui ideò cadavera igni diſſolvere conſuluiſſent, ne Philiſtæi, re compertâ, effoſſis denuò cadaveribus injuriam inferrent. Sed ſi reipsâ combuſſiſſent, non tuliſſent oſſa & ſepeliiſſent in nemore; quæ poſtea nobiliori tumulo recondidit David, ut narratur in ſequenti libro Regum cap. 21. 12. *Et abiit David, & tulit oſſa Saül & oſſa Jonathæ filii ejus*, &c. Sed ſi Jabeſitæ non combuſſerant dicta cadavera, quâ ratione id factum facer codex adſtruit? Hujus verum ſenſum nobis patefecit Paraphraſtes Chaldæus. *Acceperunt* Jabeſitæ *corpus Saül & corpora filiorum ejus ex muro Bethſan & venerunt ad Jabes, & cremaverunt ſuper illos ſicut cremant ſuper Reges ibi. Et acceperunt oſſa eorum, & ſepelierunt ſub arbore in Jabes.* Ita combuſtio corporum interpretanda ex more noto; nempe dicebantur combuſta, quando magna aromatum ſuper illa fiebat combuſtio. Oſſium autem Saülis & filiorum ejus fit tantùm mentio, non quòd ſola ex rogo ſuperfuiſſent; ſed quia à plurimis diebus expoſita corpora contabuiſſent, diffluxiſſent carnes. Nec prætermittendum aliter forſan legiſſe Paraphraſtem. In fonte Hebræo legimus וישרפו אתם שם; quæ lectio non multùm differt ab illa וישרפו אתם בשם; cujus ſenſus eſt: *& combuſſerunt cum eis aroma.* Unâ ſolâ literâ ב differunt hæ duæ lectiones.

Huic loco videtur parallelus ille ſecundi Paralipomenon cap. 17. 14. ubi de morte Aſa ſermo eſt. *Et ſepelierunt eum in ſepulchro ſuo, quod foderat ſibi in civitate David: poſuerunt eum ſuper lectum ſuum, plenum aromatibus & unguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combuſſerunt ſuper eum ambitione multâ.* Locus ille colluſtrat ſuperiorem. In fonte hodie legitur וישרפו לו *& combuſſerunt ei.* Videtur B. Hieronymus le-

gisse עלו *super eum*. Nunc זונים, id est, ut interpretantur Græci, εἴδη genera, species. Hieronymus verò legebat זונה *meretrix*; undè pro *variis speciebus unguenti*, ponit *unguenta meretricia*. Combustionem autem de quâ his in locis sermo factus est, interpretari decet ex more consueto, ut alter locus Paralipomenon declarat cap. 21. Ubi agitur de impii Joram sepulturâ: *mortuusque est in infirmitate pessimâ, & non fecit ei populus secundùm morem combustionis exequias, sicut fecerat majoribus ejus.* His illustratur quod Jeremias capite 34. nomine Dei denuntiavit Sedechiæ Regi: *Non morieris in gladio: sed in pace morieris, & secundùm combustiones patrum tuorum Regum priorum qui fuerunt ante te, sic comburent te.* In fonte שרפו לך, id est, *comburent tibi.* Nimirùm facient magnam aromatum combustionem in tuum honorem. Tacitus in quinto Historiarum cap. 5. testatur Judæos alienos fuisse à comburendis mortuis. *Corpora condere, quàm cremare è more Ægyptio*, amant, vel solent.

Etiamsi autem urna exigua posset continere reliquias corporis, quod flammis commissum fuerat, attamen Gentiles, quantùm poterant, faciebant sua sepulchra magna. Apud majores, inquit Servius ad librum 11. Æneidos, *Nobiles aut sub montibus altis; aut in ipsis montibus sepeliebantur. Undè natum est, ut super cadavera aut pyramides fierent, aut ingentes collocarentur columnæ.* Hebræis mos erat condere corpora in speluncis, quæ in Judæâ frequentiores sunt. Illorum tumuli excisi erant in rupibus. Undè Abraham sepulturus Saram dicebat Hethæis in Genesi cap. 23. 8. & 9. *Si placet animæ vestræ ut sepeliam mortuum meum, audite me, & intercedite pro me apud Ephron filium Seor, ut det mihi speluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui: pecuniâ dignâ tradat eam mihi coram vobis in possessionem sepulchri.* Josue in cujus capite decimo narratur quinque Reges ab eo interfectos, jussit de cruce depositos sepeliri in speluncâ, cujus os clausit admotis saxis ingentibus *Percussitque Josue & interfecit eos, atque suspendit super quinque stipites, fueruntque suspensi usque ad vesperum. Cùmque occumberet sol, præcepit sociis ut deponerent eos de patibulis. Qui depositos projecerunt in speluncam in qua latuerant, & posuerunt super os ejus saxa ingentia, quæ permanent usque in præsentem diem.*

SECTIO IV.

De sepulchrorum forma, ornamentis. De sepulchro Machabæorum & Davidis. De reconditis intra Davidicum opibus.

De formâ & ornamentis sepulchrorum quidpiam dicturus, afferam descriptionem tumuli, quem Simon excitavit patri suo & fratribus ex quâ liquebit sepulchris exornandis curam & opes Judæos impendisse quod in Evangelio Dominus exprobrat Pharisæis, nimirum Prophetarum sepulchra exornare, Prophetas ipsos odio prosequi & morti tradere. Monumenti quod extruxit Simon, mentio fit libro primo Machabæorum cap 13.

27. *Et ædificavit Simon super sepulchrum patris sui & fratrum suorum ædificium altum visu, lapide polito retro & ante.* Ὠκοδόμησεν ἐπὶ τὸν τάφον, nempe supra locum, ubi pater & fratres sepulti, excitavit magnum ædificium, monumentum, quod altum fecit, ut esset conspicuum ab omni parte *ante & retro*; sed intelligi potest quòd illud monumentum Simon extruxerit ex lapide polito, tum in anteriori parte, tum & posteriori.

28. *Et statuit septem pyramidas unam contra unam, patri & matri & quatuor fratribus.*

More Ægyptio has pyramidas excitavit recto ordine, id est, ordinavit, ut & suo situ placerent.

29. *Et his circumposuit columnas magnas; & super columnas arma, ad memoriam æternam; & juxta arma naves sculptas, quæ viderentur ab omnibus navigantibus mare.*

Nempe porticum circumposuit ex columnis μονολίθοις singulas ex uno lapide, ut adstruit, Josephus in Antiquitatibus libro 13. cap. 11. ubi illud monumentum describit. *Simon autem à Basca oppido fratris ossa in Modin & paternum sepulchrum transtulit, publico luctu honoravit, ubi amplissimum monumentum exstruxit patri simul & fratribus suis è marmore polito & candido. Excitato enim in latè conspicuam celsitudinem.* Εἰς πολὺ δ᾽ αὐτὸ καὶ περίοπτον ἀναγων ὕψος στοὰς περὶ αὐτὸ βάλλεται καὶ στύλους μονολίθους. *Porticus circumdedit & columnas singulas è singulis lapidibus opus admiratione dignissimum. Ad hæc pyramidas septem, parentibus & fratribus, cuique unam erexit, mira tam magnitudine, quàm pulchritudine, quæ durant usque ad nostra tempora.* Hæc Josephus. In hocce monumento cum insignibus & armis Simonis apparebant naves, quòd Simon imperium maris habuisset; constitutus enim fuerat Dux à terminis Tyri usque ad fines Ægypti, ut legimus in eodem Machabæorum libro cap. 11. v. 59.

Sepulchrum Davidis non occurrit descriptum in sacro codice, sed constat fuisse gloriosum. Speciali privilegio Regum Juda sepulchra locabantur in ipsâ sanctâ civitate. *Non permittunt*, inquit Maimonides in tractatu de Domo electâ, *in eâ sepulchrum, exceptis sepulchris domûs Davidis & sepulchro Huldæ Prophetissæ, quæ illic fuerunt à diebus usque Prophetarum priorum.* Davidem in ipsâ suâ civitate sepultum Scriptura dicit 3. Reg. cap. 11. 10. *Dormivit igitur David cum patribus suis, & sepultus est in civitate suâ.* Nempe in Sione, quam ædificaverat & fecerat civitatem suam; ut adstruit Josephus Antiq. 7. cap. 3. *Ejectis deinde ex arce Jebusæis, & instauratis Hierosolymis, Rex eam urbem Davidis appellavit, ac per omne regni sui tempus domicilium inibi habuit.* Ut Regiam superbam, sic & magnificum sepulchrum parare potuit; quod, qualecumque fuerit, Hierosolymis extabat tempore Apostolorum; undè Petrus in Actis cap. 11. v. 29. compellans Judæos dicebat. *Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarchâ David, quoniam defunctus est & sepultus; & sepulchrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem.* Pariter certum est hosce Reges Hierosolymis sepultos Salomonem, Roboamum, Abiam, Asam, & Josaphat. In sepulchrum Davidis illatus est Joiada Pontifex, ut legimus in Paralipomenis libro 2. cap. 24. 15. *Senuit autem Joiada plenus dierum, & mortuus est cùm esset centum triginta annorum.* 16 *Sepelieruntque eum in civitate David cum Regibus, eò quòd fecisset bonum cum Israël & cum domo ejus.* Reges verò impios non dignati sunt hocce honore, ut dicitur de Joa in eodem capite 5. quem interfecerunt servi sui: *sepelieruntque eum in civitate David, sed non in sepulchris Regum.* Et de Achaz in cap. 28. 27. *Dormivitque Achaz cum patribus suis & sepelierunt in civitate Jerusalem: neque enim receperunt eum in sepulchra Regum Israël.* Undè colligi potest alia quoque fuisse sepulchra in civitate David præter Davidicum; quod cùm spatiosum fuisset, potuit diu proli ejus sufficere. Deinde aliæ etiam excisæ sunt speluncæ in rupe, quâ Sion videtur tota constitisse. Proprium sibi excidit sepulchrum Asa in secundo Paralipomenon cap. 16. 14. *Et sepelierunt*

lierunt eum in ſepulchro ſuo quod foderat ſibi in civitate David. Quidam Reges ſepulti ſunt etiam extra urbem, ut Ozias, ſive Azarias, qui cùm leproſus habitaſſet in domo ſeparatâ, poſt mortem ſepultus eſt *in agro Regalium ſepulchrorum.* 21. Paralip. cap. 26. 23. quod & dicitur de Manaſſe qui *ſepultus eſt in ſepulchro ſuo in horto Ozæ.* 4. Reg. cap. 21. 26. Pleraque quæ de veteribus ſepulchris & eorum ornamentis narrantur, valdè ſuſpecta ſunt. Benjaminus qui adiit Orientales plagas & potiſſimùm Judæam, ſcrutans omnia gentis ſuæ vetuſta monumenta, ſi Davidici ſepulchri quidpiam adhuc fuiſſet Hieroſolymis, non fugiſſet oculos ejus, & ipſe non prætermiſiſſet ſilentio. Itaque ſi in aliis quibuſdam Itinerariis Davidici monumenti mentio fit, habenda eſt pro commento. Utrum idem judicium faciendum ſit de theſauris, quibus Joſephus dicit hocce monumentum fuiſſe refertum, ſtatuant alii. Incredibiles divitias in illud ingeſtas aſſerit. Quo fine? Res non eſt ſine exemplo. Kirchmannus in libro de Funeribus, & Joannes Nicolaüs in tractatu de Luctu Græcorum, colligunt exempla & teſtimonia, quibus conſtat olim veſtes pretioſas combuſtas in rogo cum iis quæ fuerant majori in pretio apud mortuum: mulieres quandoque ſepultas cum mundo muliebri, gemmis, lapillis pretioſis. Non ergo adverſatur hominum moribus narratio Joſephi in Antiquitatibus ſuis libro 7. cap. 12. ubi loquitur de morte Davidis. *Sepelivit autem eum filius Salomon Hieroſolymis magnificè, præter ſolemnia illa in Regum funeribus, illatis etiam in monumentum ejus maximis divitiis, quarum magnitudinem facile ſit conjectare ex hoc quod dicemus. Nam poſt annos mille trecentos Hircanus Pontifex oppugnatus ab Antiocho, cognomine pio, Demetrii filio, volens ei pecuniam dare, ut abducto exercitu obſidionem ſolveret; nec valens aliundè ſumere, apertâ cellâ monumenti Davidis, & prolatis indè tribus talentorum millibus, eorumque parte Antiocho numeratâ, oppugnationis periculo ſe exemit, ſicut & alibi indicavimus. Ac rurſum poſt multos annos elapſos Herodes Rex aliâ cellâ apertâ magnam pecuniam ſuſtulit. Ad loculos tamen, qui Regum cineres continent, neuter eorum pervenit. Singulari enim arte ita erant ſub terra conditi, ut ab ingredientibus monumentum inveniri nequirent.* Scilicet monumenta illa in cellas plures numero diviſa erant. Sic perſimilia labyrintis illis, qui itinerum ambages, occurſus ac recurſus inexplicabiles continebant, crebris foribus ad fallendos exitus, redeundumque in errores eoſdem, qualis fuit Creticus, quem Poëta deſcribit in quinto Æneidos.

Ut quondam Creta fertur labyrinthus in alta
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemque
Mille viis habuiſſe dolum, quâ ſigna videndi
Frangeret indeprehenſus & irremeabilis error.

Potuerat Salomon conſulere theſauris ſuis, quos infinitos collegerat, ne ſubriperentur, ſed ſervarentur integri, ad belli, etiam religionis uſus neceſſarios. Ideo recondendi erant locis occultis & tutis; quale videbatur ſepulchrum paternum: magna enim ſemper habita eſt religio erga ſepulchra. Speciali nomine τυμβωρύχοι appellabantur qui ſepulchra effodiebant, ut ſpoliarent cadavera ſuis pretioſis veſtibus, & auferrent divitias, quæ in illis recondebantur. Scelus illud vindicabatur non ſolùm humanis legibus, ſed & divinis; quarum timorem conatur Phædrus injicere ſequenti fabulâ.

Humana effodiens oſſa, theſaurum canis
Invenit, & violavit quia Manes Deos,
Injecta eſt illi divitiarum cupiditas,
Pœnas ut ſanctæ religioni penderet.

Et pœnas datas ab his qui violaverunt tumulum Davidis ſcribit Joſephus lib. 16 cap. 11. Antiquit. Scilicet Herodem, cùm ad loculos Davidis & Salomonis pervenire tentaſſet, amiſiſſe duos ſatellites, *erumpente, ut fertur, ex adytis flamma contra progreſſos temerè.* Xiphilinus dum enumerat ſtrages Judæorum, cùm Jeruſalem à Tito capta eſt & everſa, obſervat hujus everſionis, paulò antequàm contingeret, ſignum fuiſſe, ſepulchrum Salomonis, quod apud Judæos in ſummo honore erat, ex ſe corruiſſe. Ruptum ſepulchrum Gentilibus erat omen ferale. Sic viſum Annibali in decade tertiâ Titi Livii libro 10. Sed quid hæc ad nos? Proſequamur deſcriptionem ædificiorum quæ erant in civitate David.

CAPUT VI.

Regiæ Salomonis deſcriptio. Sacri codicis, ubi de illâ ſermonem habet, expoſitio. Tum de aliis publicis & regiis ædificiis, quæ erant in urbe ſuperiori.

SECTIO I.

Prævia Regiæ Salomonis notio ſubjicitur.

Regia Salomonis deſcribitur libro tertio Regum cap. 7. ſed omnibus ſuis lineis non exprimitur: tota ferè relinquitur nobis animo efformanda. Libri author ſcribebat iis qui viderant oculis, aut auribus acceperant formam hujus Regiæ, vel colligere poterant ex ædificiorum quæ ſibi nota erant formis; quæ quidem inferiora eſſe poterant, ſed non omninò diſſimilia. Tunc ergo temporis paucioribus verbis deſcriptio dictæ Regiæ ſine obſcuritate abſolvebatur. Forſan nec uberiorem deſcriptionem repererat auctor in monumentis, ex quibus ſuam Regum hiſtoriam compoſuit. Denique, ut liquebit, ſolam partem Regiæ Salomonicæ videtur attingere, quâ ea Regia præſtabat cæteris ædificiis. Quidquid ſit, quoniam cum utilitate exercetur animi ſagacitas in illuſtrandis ſacrarum litterarum paginis obſcuris, vires contendam, Deus adjuvet conantem, ut effingam Regiam, quæ ſi prorſus non ſimilis ſit Salomonicæ, ſaltem ejus diſſimilitudo argui non poſſit verbis Scripturæ.

Regia illa ſita erat in urbe Sionis, ut probabile eſt, in ſeptentrionali ejus plagâ, qualis fuerat ſitus Davidicæ Regiæ; ita ut ſubjiceretur ei urbs inferior, cujus ergo amœniſſimo proſpectu fruebatur. Habebat magnum atrium, quod Vulgatus Interpres appellat rotundum, eo ſenſu quia hocce atrio circumdabatur: ita latera ejus non ideò minùs recta, in quibus erant ædificia neceſſaria, tum miniſterio Regiæ, tum miniſtris ejus, quæ cùm nec verbo attingat ſacer Hiſtoricus, illa enumerare, ne dum explicare poſſumus. Quædam licuit fingere, quæ ichnographia exponit. Eâ parte majoris atrii quâ occurrebat Regiæ dignior aditus, patebat veſtibulum ſpatioſum: in illo enim thronus Regius, in quo Rex ſedens ſolebat lites dijudicare. Mos erat antiquus ut in portis urbium & palatiorum Reges jus dicerent coram omni populo, qui ipſe teſtis eſſet judiciorum juxta leges expenſorum. Veſtibulum illud longum erat quinquaginta cubitis, latum triginta.

Poſt veſtibulum occurrebat aula magna, quam ſcriptor tertii libri Regum videtur ſolam attingere,

cùm aggreditur exhibere Salomonicam Regiam. Hæc aula longa erat centum cubitis, lata quinquaginta, alta triginta, habens quadruplicem seriem columnarum, quæ concludebant quinque ambulacra. Muris ejus tribuo hinc inde quinque cubitos; quæ crassitudo erat erisinatum & anteridum loco, ne columnæ ligneæ, ut ita dicam, vacillarent, sed erectæ permanerent intra tam crassos muros. Præterea tanta crassitudo requirebatur, quia Salomon in animo habuerat parare locum refrigerii, quod conciliant crassiores muri, ut experiri est. Tot columnis aula exornata apparebat quasi saltus consitus arboribus, unde insigniebatur nomine saltûs, sive appellabatur domus saltûs Libani, quia similis videbatur monti Libano, ex quo adductæ omnes illius ligneæ columnæ. Tyrii artifices noverant cædere ligna eleganter. Plurimos Rex Tyri miserat ad Salomonem, quorum operâ usus est in ædificio templi & Regiæ suæ. Igitur puto columnas illas habuisse capitulum & bases, cum cæteris ornamentis suis, forsan non aliis, vel certè non multùm dissimilibus eorum quæ postea perfecta sunt à Græcis. Jungebantur capita columnarum epistyliis, sive trabibus transversis, quibus fiebat tecti trabeatio, & in laqueari profundæ lacunæ, omnes inter se æquales; nam omnes columnæ eodem à se invicem spatio distabant. Aula illa igitur verè Basilica, sive Regia erat.

De adjunctis huicce Basilicæ ædificiis nihil habemus certò dicendum; altum enim de illis in Scripturâ silentium. Scimus tamen conjuncta fuisse palatia Regis & Reginæ; quæ sic lubet cogitare, ut dicta aula media esset. Duo, inquam, palatia in magno atrio constructa, similia prorsus, adhærebant dictæ Basilicæ; quæ cum suo vestibulo longa erat 130 cubitis. Palatium Salomonis habebat atrium quadratum, cum porticu circumquaque, & ædificia in quibus possumus cogitare complures cellas, thalamos, conclavia spatiosa & necessaria, ubi multus erat aulicorum, satellitum, servorum concursus. In istis magnis conclavibus alia contineri poterant minora. Thalami sæpiùs erant intra alios thalamos. In tertio libro Regum cap. 30. Benadab *fugit in cubiculum quod erat intra cubiculum.* Multa erant in hoc palatio ædificia, culinæ ad parandos cibos, cœnacula ad cœnandum, cubicula ad cubandum.

Atrium magnum, quo circumdabatur Regia Salomonis, multùm extendebatur; idcirco complura in eo ædificia licet cogitare; ita multa præsepia, ubi equi, quadrigæ, currus. 3. Reg. cap. 9. 19. Salomon *munivit civitates curruum, & civitates equitum, & quodcumque ei placuit ut ædificaret in Jerusalem, & in Libano, & in omni terra potestatis suæ.* Pro *in Libano* fons habet, *in domo saltûs Libani.* In aulâ quam videbimus appellatam domum saltûs Libani; cujus structura egregia & ditissima. Mira autem horum omnium ædificiorum distributio, & ministeriorum quæ in illis fierent. Unde Scriptura 3. Reg. cap. 10. 4. loquens de Reginâ Saba: *Videns autem Regina Saba omnem sapientiam Salomonis, & domum quam ædificaverat, & cibos mensæ ejus, & habitacula servorum, & ordines ministrantium, vestesque eorum, & pincernas, & holocausta quæ offerebat in domo Domini: non habebat ultra spiritum.* Eadem iterantur 2. Paralip. cap. 9. 3. quando hæc vidit Regina *domum quam ædificaverat* Salomon, *nec non & cibaria mensæ ejus & habitacula servorum, & officia ministrorum ejus, & vestimenta eorum, pincernas quoque, & vestes eorum, & victimas quas immolabat in domo Domini: non erat præ stupore ultra in eâ spiritus.*

A Atrio magno, circa quod erant disposita omnia illa ædificia, commeabant servi Regis in diversas officinas aromatarias, panificas, cellas vini & olei, in apothecas, in penora, in horrea, in pistrinas. Lata via erat. Josephus in Antiquitatibus lib. 8. cap. 2. adstruit gentes quas devicerat Salomon contulisse *in quotidianos Regiæ mensæ sumptus similæ coros triginta, farinæ sexaginta, saginatos boves decem, & pascuales viginti, & saginatos agnos centum. Præter capturas venationum, quæ constabant cervis ac bubalis, præterque aves & pisces. Tantum etiam currrum multitudinem habebat, ut quadraginta millia præsepium numerarentur, in quibus equi jugales alebantur: & absque his equitatus ei fuit*

B *duodecim millium, quorum media pars Hierosolymis circa Regem versabatur, reliqui verò sparsim per villas Regias degebant; & qui regiis impensis præerat, idem etiam equis necessaria suppeditabat, eò convehendo ubicumque Rex habitaret.* Non hæc fingit Josephus, sed exscribit sacrum codicem. 2. Paralip. cap. 9. 24. Omnes Reges terrarum *deferebant ei munera, vasa argentea & aurea, & vestes, & arma, & aromata, equos & mulos per singulos annos. 25. Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in stabulis, & curruum, equitumque duodecim millia, constituitque eos in urbibus quadrigarum, & ubi erat Rex in Jerusalem.*

C His omnibus capiendis jumentis innumera necessaria erant præsepia, & eorum pabulis; sed sufficiebant longa ædificia quibus præcingebatur atrium magnum. Præterea infra autoritate Scripturæ adstruemus hæc omnia ædificia habuisse superiora tabulata, in quibus plures apothecæ. Hocce palatium Regis & Reginæ pluribus verbis describere non opus est; cætera enim, quibus carere non poterant hæc palatia, satis ostendit eorum ichnographia, portas quibus patebat aditus ad interiora Regis & Reginæ conclavia, & egressûs in diversas urbis partes. Portæ habebant ampla vestibula, multis columnis exornata cedrinis: quapropter non mirum est intercolumnia majora esse quàm quæ hodie præscribuntur à peritis Architectis. Epistylia nunc saxea frequentioribus columnis indigent: tem-


D poribus Salomonis trabes plures sibi invicem impositæ efficiebant epistylia. Palatia, templa quadratis tantùm lapidibus struebantur, sine cælaturis, quæ primùm propriæ fuerunt ligneæ structuræ, & postea saxis ab arte adaptatæ. Sed parietes metallo vel tabulis ligneis superinducebantur. Tunc cancellis cum sipariis, sive aulæis fenestræ occludebantur: nondum enim in hosce usus vitrum inventum.

Antequam dimittam hanc descriptionem Regiæ Salomonicæ, quæso Lector, adverte in ichnographiâ omnia atria, tum & porticus quibus circumdabantur. Facile erat ministris Salomonis huc illuc commeare ex Regiâ Regis in Reginæ Regiam. Scalæ, gradus notantur, quibus licebat ascendere

E ex inferioribus ædificiis ad superiora: tum per porticuum tecta plana circuire cœnacula, in illa intrare, in his versari, comedere, cubare; ut licet ministrorum esset infinitus numerus, nulli locus deesset. Addam huic descriptioni Regiæ Salomonicæ alteram alterius formæ, quam Josephus proponit, sive potiùs fingit; neque enim similis Regiæ verba sacri codicis induunt notionem.


Septem annis templum ædificatum fuerat, decem verò & tres annos Salomon impendit domui suæ, cujus ædificium inferius erat. Hanc rationem Josephus reddit; quòd scilicet materia ejus tanto ante tempore non fuerat præparata. *Et hæc tamen*, inquit, *pro dignitate fortunarum Regis ac gentis est ædificata. Operæ autem pretium fuerit totum ejus*

ographia seu Vestigiū Regiæ Saltûs Libani à Salomone edificatæ. Col. 629. et Seq;




Scenographia seu conspectus interior, aulæ seu basilicæ saltûs ibani, pendentibus hastis et scutis aureis, decoræ. II Paral. 9. 15.

Solium Salomonis, de quo. Col. 965.



Ortographia seu prospectus Regiæ saltûs Libani quæ describitur Reg. III. Cap. VII.



nce del.

Tab. IV.

ordinem ac dispositionem indicasse, ut ex ejus descriptione totam amplitudinem Lector colligere ac considerare possit. Basilica erat magna & pulchra, multis columnis suffulta, quam ad causas forenses agitandas & lites decernendas condidit, capacem multitudinis, quæ eò jus peteret, longam cubitos centum, latam quinquaginta, altam triginta. Hanc sexdecim columnæ quandrangulæ sustinebant, tectam opere Corinthiaco, additis parilibus postibus cum valvis cælatis, ad ornamentum loci simul & munimentum. In ejus medio fuit ædes alia quadrata, lata triginta cubitos, columnis validis suffulta; & in eâ tribunal magnificum, ubi Rex solebat jura reddere.

In fonte Græco Josephi hæc ædes habebat ex adverso templum validis columnis suffultum. Quid sit illud templum non dicit auctor: forsan nesciebat, cujus in animo non erat nisi confusa notio Regiæ quam describebat. Nomen הכל *hekal* sæpiùs redditur à LXX. Interpretibus ναὸς, templum Latinis. Hebraicè autem hekal templum & palatium est, domus Regia, basilica; quod cùm non animadverteret Latinus Josephi Interpres, non expressit ista illius verba ἀντικρυς ἔχων ναὸν. In eodem fonte, locus ubi erat tribunal Salomonis à Josepho dicitur ἐξέδρα διαπρέπης. *exhedra decora.* Quæque fuerit forma ædificii quod hîc descripsit Josephus, *huic ædificio conjuncta erat*, ait ille, *domus in usum Reginæ facta, & aliæ aulæ, quò negotiis peractis animi causâ Rex & Regina sese conferrent, omnes tabulis constratæ, partim saxo quadrato decem-cubitali constructæ, partim ita ut solent Regiæ vel templa, incrustatæ pretioso marmore, quod è locis eo nomine celebribus apportatur. Et tribus quidem ordinibus aulæis Babylonicis prætexebantur; quartus verò ordo Sculptorum admirabile ostentabat artificium, in quo efficta erant varia arborum & plantarum species, frondibus & foliis tantâ subtilitate expressis, ut agitari quodammodo viderentur: quod autem supererat usque ad lacunar, opere albario tectum & discoloribus picturis erat variegatum.*

Non picta, non expressa in hocce palatio forma animalium; neque enim per legem licebat. Pergit Josephus. *Præter hæc erant & alia cubicula ad voluptatem facta, & porticus ad ornatum Regiæ, in quibus splendidissima triclinia, referta auro, ut quæ supellectili aureâ ad omne Regii convivii ministerium erant instructissima. Difficile autem est enuntiare amplitudinem ac varietatem Regiorum conclavium tam majorum quàm mediocrium, tum quæ sub terrâ latebant, quæve in aërem elegantissimè attollebantur.* Græcus fons memorat sylvas, quarum aspectus gratissimus esset, utiles ad captandum frigus, & quarum umbris tegerentur corpora. *In summâ*, dicit Josephus, *totum ædificium è marmore candido, & cedro, & auro atque argento constabat. Dispositis per parietes & laquearia variis lapillis auro inclusis, quemadmodum in ornatu templi factum fuerat.* Supponit Josephus quod falsum est, templum habuisse in parietibus suis lapides pretiosos, nempe gemmas inclusas auro. Nullibi in Scripturâ ædes Dei memoratur sic exornata; sed ut suo loco observaturi sumus, lapides pretiosi, quos Scriptura memorat, non alii sunt quam raræ magnitudinis.

SECTIO II.

Exponuntur duodecim primi versus capitis septimi tertii Regum, quibus Regia Salomonis describitur.

HActenus de Regiâ Salomonis quasi hariolando locutus sum. Clara quidem est notio hujus quam proposui: an huic congruat veritas Hebraica videndum est. Hanc veritatem nec Paraphrases Chaldaicæ, nec versio Græca, nec Latina Vulgata satis expresserunt; sive quod significandum erat ædificium, non satis clarè concipiebat scriptor, & ideò non clarè poterat exprimere. E regione Vulgatæ Latinæ pono quam ipse feci versionem.

1. *Domum autem suam ædificavit Salomon tredecim annis, & ad perfectum usque perduxit.*	*Postea domum suam ædificavit Salomon tredecim annis, quibus absolvit totum domum suam.*

Perfectâ templi fabricâ intra septem annos, tredecim sequentibus annis Salomon domum suam ædificavit; quæ non erat tanti operis; sed materiam paratam non invenerat, neque tot operas, neque tantam diligentiam & alacritatem adhibuit. Omnia quæ necessaria erant ad structuram templi, diu antequàm fundamenta locarentur, David congesserat. Ad illud extruendum non sic urgebat præceptum Dei & patris. Insuper Deus ipse favore suo ædificium templi magis prosequebatur: populi etiam majus fuit in opus studium. Attamen hujus Regiæ ædificium decet censere magnificum, quod susceptum & perfectum est a Rege potente; cui incredibilis opificum numerus, templi opere completo, suppetebat; & abundantia cedrorum, quas illi mittebat Rex Tyrius. Quæ cùm ita sint, de Regiâ Salomonicâ non licet sentire quid parvum aut mediocre. Paucis quidem verbis describitur in Scripturâ; sed plura & magnifica, quæ non dicit, de isto ædificio cogitare non vetat.

2. *Ædificavit quoque domum saltus Libani.*	*Et ædificavit domum sylvæ Libani.*

Ista domus Libani videretur alia à domo quam Salomon annis tredecim ædificavit; sed re una & eadem est, habens easdem mensuras. Sensus ergo Scripturæ est: & ista domus, quam ædificavit Salomon, dicta est saltus Libani. Vel ista basilica aulæ majoris, postremùm ædificata, insignita est nomine saltûs Libani, non quòd in monte Libano sita esset, quippe in monte Sion, sed ob copiam cedrinæ materiæ, ut in urbem Sion Libanus mons quasi translatus dici posset; vel quòd ista basilica, & alia Regia conclavia, propter proceras & innumeras columnas suas, imitabantur montes Libani consitos cedris. Chaldæus Paraphrastes Regiam illam vocat *domum refrigerii*, ubi scilicet umbra & aura captaretur, ut in nemoribus Libani.

De istâ domo Libani interpretor quod narratur 2. Paralip. cap. 9. ubi fit sermo de operibus Salomonis, quæ Regina Saba admirata est, cùm venit Hierosolymam 15 *Fecit igitur Rex Salomon ducentas hastas aureas de summâ sexcentorum aureorum, qui in singulis hastis expendebantur.* Illas hastas disposuit in armamentario, aut in loco qui instar esset armamentarii. Illæ hastæ in fonte Hebræo appellantur צנה *tsinah*, quo nomine lexica Hebræa significatam volunt speciem clypei, scuti, umbonis. Cuspides hastarum ex auro parum prodessent; sed illæ potuerunt aureæ appellari propter addita ornamenta ex auro. Præterea nomen Hebræum quod protulimus congruentiam habet significatione cum verbo שנן *schannan*, id est, *acuere*; unde צנה *tsina* quidquid est præacutum & perforat, seu penetrat,

sive sit spadı, sive pelta præacuminata, sive quid A aliud θυρεὸς *scutum*, sæpiùs vertitur in Biblis Græcis, aut in genere ὅπλον, sed & quandoque δόρυ; ita ut hac voce intelligenda sit species armaturæ, quam nemo nisi qui vates sit liquidò explicare possit.

Fecit Salomon 16 *trecenta quoque scuta aurea trecentorum aureorum quibus tegebantur singula scuta: posuitque ea Rex in armamentario, quod erat consitum nemore*, in fonte *posuitque ea Rex in domo saltûs Libani*. Nempe in istâ magnâ aulâ, cujus descriptio subjicitur; quæ cùm longa esset centum cubitis, & fulta pluribus columnis, adhuc exornari potuit tot scutis, quæ affixa erant portis, parietibus, columnis: magnum ornamentum, quod postea Architecti, saxis & marmore imitari studuerunt. B

Centum cubitorum longitudinis, & quinquaginta cubitorum latitudinis, & triginta cubitorum altitudinis.	*Centum cubitorum longitudine, & quinquaginta cubitorum latitudine, & triginta cubitorum altitudine.*

Hæ sunt dimensiones hujus basilicæ, quæ erat quasi in centro majoris aulæ

Et quatuor deambulacra inter columnas cedrinas: ligna quippe cedrina exciderat in columnas.	*Super quatuor ordines columnarum cedrinarum: & excisa nempe trabes cedrina super columnas.*

Vulgatus Interpres aberrat eo in loco à veritate Hebraicâ. Illa non dicit fuisse quatuor deambulacra, sed quatuor טורים *thurim*, id est, series columnarum, טור *thur* sonat Hebræis idem quod ordo Latinis. Quatuor autem ordines columnarum cum parietibus aulæ, ut videre est in ichnographiâ, faciunt non quatuor sed quinque deambulacra. In ichnographiâ præter columnas integras appositæ sunt parietibus dimidiatæ columnæ; an tunc temporis his uterentur Architecti incertum est. Trabes quidem portari poterant ab adjunctis parietibus; sed quoniam trabes intra parietes conclusæ putrefiunt, utile est his subjici semi-columnas, tanquam parastadas; quæ postea non utilitatis causa, sed decoris, adhibitæ sunt. Super columnas erant excisæ trabes, nempe affabrè factæ, quæ imponebantur capitibus columnarum, & illa jungebant: scilicet erant epistylia, & architravia quæ ferebant tabulata & laquearia. C D

3. *Et tabulatis cedrinis vestivit totam cameram, quæ quadraginta quinque columnis sustentabatur. Unus autem ordo habebat columnas quindecim.*	3. *Et texit* nempe *fecit tectum, sive laquear supra columnas quadraginta & super muros hinc inde, quorum latitudo erat quinque cubitorum, & quæque series constabat decem columnis, ita omnes quadraginta numero.*

Contignatio erat cedrina, quam tum ordo quadruplex columnarum, tum parietes Basilicæ sustentabant. Vox Hebræa הצלעות *hatzelaoth*, quæ ibi occurrit, & accipitur à Vulgato pro tabulatis & pro trabibus, sæpiùs idem sonat quod *latus* & *costa*. Sensus apertus est: columnæ quadruplici ordine erectæ fulciebant contignationem; qui sensus si verus est, ibi necessariò Scriba censendus errasse. Putarem post numerum ארבעים *arbaim*, quod est, *quadraginta* legendum non וחמשה *chamischa*, id est, *quinque*, sed חומה *chomah*, id est, *murus*. Nempe supra quadraginta columnas & murum tectum ferebatur; & ideò omissum *chomah*, quia sequeretur bis non dissimile nomen חמשה חמשה *chamischa chamischa*, id est, *quinque & quinque*, quâ repetitione innuitur aliqua distributio. Scilicet murum, qui E

A ferebat contignationem, fuisse hinc indè latum quinque cubitis. Sequitur in fonte עשר הטור *aschar hathur*; quo, ut puto, indicatur quamque seriem habuisse intercolumnia.

4. *Contra se invicem positas.*	
5. *Et è regione se respicientes æquali spatio inter columnas.*	4. *Et trabes triplicem prospectum, sive triplicem faciem habebant.*

Vulgatus Interpres de columnis iterum ibi agi credidit; de parietibus verò Chaldæus, sive lateribus Basilicæ; juxta quem in his parietibus tres erant vectium ordines. Ex Josepho triplici ordine hi parietes aulæis prætexebantur ob altitudinem suam. B Similiter autem oppositi parietes sic dividebantur in tres partes, ut sibi quæque pars parti oppositæ responderet. In versione senum Græcorum: *& trabes tres & regio contra regionem tripliciter.* Hæc versio videretur alterius esse codicis, quàm quem sequitur Vulgatus Interpres. Ambiguitas oritur ex voce שקפים *schekupim*. Verbum שקף *schakaph* sonat Hebræis *prospexit*, indè *prospectus*; tod etiam sonat idem quod *facies*. Ex interpretatione LXX. ibi de trabibus, & de epistyliis columnarum sermo est: καὶ μέλαθρα τρία, καὶ χώρα ἐπὶ χώραν: *& trabes tres & regio in regionem.* Ibi, inquam, sermo fit de trabibus contignationis; cujus præcipuæ trabes appellantur μέλαθρον, quia nigræ sunt à fumo μέλας *niger, ater.* C Theodoretus in quæstionibus in tertium Regum 24. vocem Græcam μέλαθρον exponit ἐπίστυλιον *epistylium.* Quid autem in trabibus intelligendum per tres prospectus? Nihil aliud puto quàm triplicem faciem earum, quæ apparent in laqueari; nam quarta facies trabis quadratæ non apparet.

Hæ sunt facies quæ in fonte dicuntur מחזה אל מחזה *mechatze el mechatze* ad verbum *è visione in visionem.* Interpretes Græci reddiderunt χώρα ἐπὶ χώραν. Apud Græcos χώρα *locus est, spatium* quo aliquid capitur; ita in trabibus facies sunt spatium illud in quo describi & locari possunt imagines. Longa est facies trabium magnifici laquearis, quæ dici possit χώρα regio *un pais.* De similibus laquearibus loquitur Josephus in libro sexto de Bello, ubi describit turres Psephinam, Hippicos, & Mariamnes. D Θαυμαστοὶ δ' ὀροφαὶ, μήκει τε δοκῶν καὶ λαμπρότητι προκοσμημάτων. *Tecta, laquearia simul proceritate trabium & ornamentorum claritudine mirabilia.* In epistyliis, sive in architraviis tres fasciæ distinguntur. Quidpiam simile ornamentum forsan advertebatur in laquearibus Regiæ Salomonicæ.

Et super columnas quadrangulata ligna in cunctis æqualia.	5. *Et omnes portæ & postes quadruplices aspectu. Et prospectus ad aspectum tribus vicibus.*

Locum hunc sic intelligo. In omnibus aperturis, in januis, in fenestris, postes erant quadruplices, E nempe facti erant ex quatuor conjunctis trabibus. Vidimus primis temporibus, etiam in ædificiis è saxo, superliminaria fuisse haud dissimilia his quæ videmus in agrorum villis. Fores, fenestræ ligneis quadraturis includuntur. Quadruplicabantur autem postes, maximè superliminaria, ut essent pares ferendo oneri imposito. Græci hîc habent: καὶ πάντα θυρώματα, καὶ χῶραι τετράγωνοι, μεμελαθρωμέναι, ἀπὸ θύρας ἐπὶ θύραν τρισσῶς. *Et omnes portæ & regiones quadrangulata trabibus connexa, à januâ ad januam tripliciter.* Illud μεμελαθρωμέναι vim aliquam habet, quam non intellexerit Interpres. Aliquod genus erat ornamenti in laqueari, quod fiebat certâ trabium dispositione.

6. *Et porticum columnarum fecit quinquaginta cubitorum longitudinis &*	6. Et *ulam*, id est, vestibulum, *porticum columnatam fecit quinquaginta*

triginta cubitorum latitudinis. Et alteram porticum in facie majoris porticûs: & columnas & epiſtylia.

cubitorum longitudine & triginta cubitorum latitudine. Et porticum in facie, ſive ante, & columnas, & denſam trabem ſuper eas.

Nomen Hebræum אולם *ulam* ſignificat veſtibulum; quod intelligendum factum ante hanc Baſilicam quam deſcripſimus; quod alterum vocat, quia ſtructura ejus non multùm diſſimilis erat. Habebat in longitudine quinquaginta cubitos, quæ erat latitudo baſilicæ. Latitudo ejus triginta cubitorum erat. Totum patebat. Supra columnas pro epiſtylio erat denſa trabs.

7. Porticum quoque ſolii, in quâ tribunal eſt, fecit.

7 Et ulam, ſive *porticum ſolii, in quâ judicaret, fecit.*

Hæc porticus non alia eſt à præcedente; ſed hîc dicitur deſtinata juri dicendo. Non claudebantur pariete, ſed liberum conſpectum & acceſſum permittebat. Conveniebat locus judiciis; nam ut in portis urbium, ſic in portâ palatiorum jus dicebant Reges, in locis patentibus, in conſpectu plurimorum teſtium.

8. Et texit lignis cedrinis à pavimento uſque ad ſummitatem.

8. Et texit lignis cedrinis à pavimento ad pavimentum.

Scilicet, ut puto, totum pavimentum, à ſolo uſque ad ſolum, id eſt, ab unâ parte ſoli uſque ad alteram, ut intelligit Kimchius, texit Salomon lignis cedrinis.

Et domuncula, in quâ ſedebatur ad judicandum, erat in mediâ porticu, ſimili opere.

Et domui quam inhabitabat fecit aliud atrium interius, ſive intra ulam ſimili opere.

Dixi ad dexteram & ad lævam Baſilicæ fuiſſe domum Salomõnis quam inhabitabat, interiorem per reſpectum ad ulam, ſive exteriorem porticum. Hæc domus interior habebat atrium cum porticibus columnatis, qualia erant ædificia de quibus diximus. Non ergo dubito quin de iſtis palatiis hîc agatur, quæ videre eſt in ichnographiâ. Hîc habitabat Salomon, illic Regina. Conjuncta erant illa duo palatia; quæ etiam ſacer codex ſermone conjunxit.

Domum quoque fecit filiæ Pharaonis, quam uxorem duxerat Salomon, tali opere, quali & hanc porticum.

Domum quoque filiæ Pharaonis fecit, quam duxerat Salomon, ſimilem porticui iſti.

Conjuncta erat domus Reginæ huic quam ædificaverat Rex; ideò dicitur ſimilis porticui, quia ſimili opere, iiſdem ornamentis erat exornata. Quidam opinantur iſtam domum fuiſſe extra urbem ſuperiorem, ſive extra Sionem, quia Reg. 3. cap 9. 24. dicitur. *Filia autem Pharaonis aſcendit de civitate David in domum ſuam, quam ædificaverat ei Salomon.* Sed decet intelligere filiam illam Regis Gentilis tranſlatam non ex urbe Sionis, ſed ex domo David, in aliam domum, quæ eſſet in eâdem urbe, ut colligimus ex illo loco ſecundi Paralipomenon cap. 8. 11. *Filiam verò Pharaonis tranſtulit de civitate David, quam ædificaverat ei. Dixit enim Rex: non habitabit uxor mea in domo David Regis Iſraël, eò quòd ſanctificata ſit: quia ingreſſa eſt in eam Arca Domini.* Poteſt etiam dici domum quam ædificaverat David & inhabitaverat, locans in eâ Arcam Domini, appellatam civitatem David.

9. Omnia lapidibus pretioſis, qui ad normam quandam atque menſuram tam intrinſecus quam extrinſecus ſerrati erant, à fundamento uſque ad ſummitatem parietum, & extrinſecus uſque ad atrium majus.

9 Omnia hæc erant è lapidibus raræ magnitudinis, ſectis ſerrâ intrinſecus & extrinſecus: idque à fundamento uſque ad ſummitatem parietum, etiam quâ parte exteriori ædificium reſpiciebat atrium majus.

Hæc quæ commemorantur ædificia, facta erant ex lapidibus optimis, magni pretii, vel raris; qui erant ſerrâ ſerrati, ſive ſecti ad normam ab omni parte, perfectè quadrati; quos Hebræi appellabant גזית *gazith.* Tali lapidum genere ædificium conſtabat tam extrinſecus quàm intrinſecus, id eſt, omni parte, tam ea quæ tabulis cedrinis operiebatur, quam illa quæ in conſpectu proſtabat extrinſecus, à fundamento ad verticem parietum עד הטפחות *ad thaphachot.* Nomen illud denotat certam menſuram, nempe *palmam:* ideò licet intelligere illas projecturas, quæ ſolent eſſe unius palmi, & quibus tectum incumbit: quod & ſenes Græci intellexerunt: reddunt enim ἕως τῶν γείσων *uſque ad loricationem tecti.* Videbimus hac voce ſontos loricam affabrè factam denotare.

10. Fundamenta autem de lapidibus pretioſis, lapidibus magnis decem, ſive octo cubitorum.

10 Fundatio erat è lapidibus pretioſis, lapidibus magnis: lapidibus denûm cubitorum, & lapidibus octonûm cubitorum.

Omnes hi lapides ſecti habebant in dimenſionibus decem, vel ſaltem octo cubitos.

11. Et deſuper lapides pretioſi æqualis menſuræ ſecti erant, ſimiliterque de cedro.

11. Et deſuper erant lapides pretioſi, ſecundùm menſuram lapidum dolatorum, & cedrus.

Supra illos lapides fundationis, qui ſuperſtruebantur & pretioſi erant, ſecti & dolati ſicut lapides quos videbimus appellatos גזית *gazith* à גזז *gazzaz* ſecare, ferro polire. Attamen Joſephus hos lapides, quos Scriptura appellat pretioſos, habuit pro gemmis, quæ ſolent auro includi. Deceptus decepit plurimos, qui parietes templi cum illo Scriptore cogitant gemmis exornatos.

12. Et atrium majus rotundum trium ordinum de lapidibus ſectis, & unius ordinis de dolatâ cedro.

12 Et atrium magnum in circuitu. Tres ordines illi erant lapidis gazith, & unus ordo trabium cedrinarum elaboratarum.

Dicta ædificia ambiebat magnum atrium, quod Vulgatus appellat rotundum; ſed dicere oportuit fuiſſe in circuitu. In fonte הגדולה סביב *haghedola ſabib*, id eſt, *magnum in circuitu.* Murus autem, ſive muri ædificiorum quibus terminabatur illud atrium, conſtabant triplici ordine lapidum dolatorum ad normam, & inſuper quarto ordine trabium cedrinarum, quæ erant exciſæ, nempe elaboratæ. Lapides gazith erant quandoque octo cubitorum: murus ergo ille, licet tantùm triplici ordine talium lapidum, potuit excelſus eſſe; cui altitudini adjungendæ cedrinæ trabes; ut non liceat cogitare ſimplex ſæpimentum, ſed ædificia plurium tabulatorum quorum ſuprema eſſent lignea, ex cedro. Veriſimile eſt & ſæpimenti loco fuiſſe ædificia, quæ præcingerent illud atrium magnum, & pars eſſent Regiæ domus.

Nec non & in atrio domûs Domini interiori, & in porticu domûs.

Quo ad ſtructuram, domus Dei magni interior & porticus domûs Salomonis, omnia ſimilia.

Eadem ſtructura erat Regiæ Salomonicæ, quoad materiam, ac domûs Dei, ſive templi, & porticûs ejuſdem domûs. Ubique veſtibula, porticus, quod videre eſt in ichnographiâ. Atria circumdabantur porticibus, quæ aliquomodo ſimiles erant veſtibulo templi. Hîc deſcribendum eſſet ſolium, in quo Salomon ſedens jus dicebat; quæ deſcriptio

occurrit in libro tertio Regum cap. 10. Sed visum est hanc descriptionem in præsens omittere, quam proferam, ubi sermo erit de throno Regio, quem videbimus in atriis ipsius domûs Dei positum. Thronus Salomonis quem erexerat in suâ Regiâ, & quem in templo idem Rex posuerat, à se invicem lucem mutuantur.

SECTIO III.

De Xysto, Hippodromo, & curiâ; quæ ædificia erant in urbe superiori.

Hierosolymorum civitas subdita fuit variis mutationibus; quas dum experitur, nunquam, ut ita dicam, eadem fuit, præsertim quoad Regia ædificia. Dum res Judæorum floruêre, novis semper decorata est ædificiis. Singuli Reges aut eam auxerunt, aut exornaverunt, amplificantes veteres Regias & struentes novas. Postquàm à Chaldæis eversa & incensa fuit, Nehemias illam excitavit ferè è pulvere. Postquàm decorem recuperavit, statim Græcorum imperio subjecta hunc amisit. Macchabæi fratres vindicaverunt illam ab hac servitute asserentes in libertatem. Horum successores dicti sunt Assamonæi; penes quos fuit regnum; & ideò Regias domos ædificaverunt. Assamonæis imperium subripuit Herodes; cujus familia si usque ad eversionem urbis regnum non tenuit nomine, re potens fuit; & habuit Hierosolymis magnifica palatia. Pontifices, quorum suprema erat auctoritas, & ædes Regiis non multùm dispares habuerunt. Nominantur in sacro codice, & in Josepho; & indicantur regiones urbis, in quibus erant palatia. Verbi causâ palatium Regis Agrippæ erat juxta Xystum, ut dicit Josephus. Huicce autem palatio proxima Ananiæ Pontificis domus. lib. 2. de Bello cap. 17. Regia notatur ad septentrionalem plagam Sionis, versùs Occidentem. An hæc Regia eadem sit ac Salomonica, vel eundem occupaverit locum ambigi potest. Villalpandus Salomonicam collocat in Orientali regione. Aliam fuisse Regiam Davidis, aliam Salomonis colligimus ex illis apertis verbis quæ legimus in Paralipomenis libro 2. cap. 8. 11. *Filiam verò Pharaonis transtulit Rex Salomon de civitate David in domum quam ædificaverat ei; dixit enim Rex, non habitabit uxor mea in domo David Regis Israel, eò quòd sanctificata sit: quia ingressa est in eam Arca Domini.*

Ex illo loco videretur Regiam illam Salomonicam alibi quàm in superiori civitate sitam fuisse; quæ Davidica appellabatur; ex quâ ergo non transtulisset sponsam suam Salomon, si domus in quam deduxit sponsam, fuisset intra eandem civitatem. Sed animadvertendum *civitatem David & domum David* idem sonare. A LXX Græcis Interpretibus vox Hebræa עיר *ir* redditur, sæpiùs quidem urbs, sed & quandoque *συναγωγὴ Synagoga*, & *οἶκος domus*, & *κώμη vicus*, & *χώρα regio*, & *ὁρισμός finitimus locus*, & *γῆ terra*, & *τεῖχος murus*, *ὄρος mons*, & alia, ut videre est in concordantiis. Itaque sic accipiendus locus circa quem versamur, ut extra Regiam, quam inhabitaverat David; quamque sanctificaverat inductâ Arcâ, Salomon deduxerit illam alienigenam uxorem in aliam Regiam. Multas sibi domos ædificaverat. Non itaque necesse Regiam Salomonicam alibi quàm in superiori urbe collocare. Dictarum Regiarum & ædium insignium situm ostendit vicinia in quâ erant. Cùm scilicet certum sit fuisse in alicujus vicinia loci de quo non ambigitur: verbi causâ Regia illa quam propè Xystum, Josephus locat in urbe superiori necessario locanda est juxta pontem, quo illa committebatur cum monte Moria. Ibi Xystus cui vicinam facit Assamonæorum domum idem Josephus. Xystus autem erat ubi Græci exercebantur variis agonibus, sive certaminibus. Apud eos usum Xystorum fuisse frequentem docet Vitruvius, palæstras Græcorum describens libro 5. cap. 11. *Hæc autem porticus ξυστὸς apud Græcos vocitatur, quòd Athletæ per hiberna tempora in tectis stadiis exercerentur. Faciunda autem Xysta sic videntur, ut sint inter duas porticus sylvæ aut platanones*, id est, loci platanis consiti, &c, ut alii dicunt, platanеta, *& in his perficiantur inter arbores ambulationes, ibique ex opere signino*, hoc est, testis tusis addita calce, *stationes. Proximè autem Xystum & duplicem porticum designentur hypætræ ambulationes, quas Græci παραδρομίδας, nostri Xysta appellant, in quas per hiemem ex Xysto sereno cælo athletæ prodeuntes, exercentur. Post Xystum autem stadium ita figuratum, ut possint hominum copiæ cum laxamento athletas certantes spectare.* Inter palæstrarum partes Vitruvius ponit Ephebeum, in quo scilicet Ephebi, sive puberes exercebantur. Et quia in illis exercitiis nudi, ideò locus appellabatur *Gymnasium*. Mercurialis in libro primo de arte Gymnasticâ describit illa Gymnasia cap. 6. verbis Galeni. *Erat locus publicus in separatâ urbis regione exstructus in quo ungebantur, fricabantur, luctabantur, discum jactabant, aut tale quidpiam factitabant.* Loca illa ita fuêre nuncupata, quoniam exercitatores ibi ut plurimùm denudabantur. γυμνάζεσθαι antiquissima vox etiam denudari significat. Gymnasium usurpatum est pro loco cujuscumque exercitationis, quæ fieret in juvenili ætate. Ubi Antiochus Epiphanes potitus est Hierosolymis, Xystum & Græcanicum Gymnasium ædificandum curavit; & verè Gymnasium, in quo scilicet nudi juvenes exercerentur luctâ & aliis ludicris Græcorum. Antiochus ille Græcus erat Syriam tenens; quod Regnum tunc dicebatur Macedonum. Ergo ubi sibi subdidit Judæos Antiochus, coëgit mores induere Græcorum. Res narratur in primo libro Machabæorum capite primo; cui plurimam lucem inferunt hæc quæ nunc dicimus de Gymnasiis.

12. *In diebus illis exierunt ex Israël filii iniqui, & suaserunt multis dicentes: eamus & disponamus testamentum cum gentibus quæ circa nos sunt: quia ex quo recessimus ab eis, invenerunt nos multa mala.*

Josephus in libro 12. Antiquitatum cap. 6. rem fusiùs narrat. Nimirùm cùm populus in duas partes scissus esset nempe inter duos fratres Pontifices, Jesu, sive Jasonem, & Oniam, sive Menelaum, Tobiæ filii steterunt à Menelai partibus: major autem populi pars factionem Jasonis sequebatur; quorum vim non sustinentes Menelaüs & Tobiæ filii secesserunt ad Antiochum dicentes se velle relictis patriis institutis ac legibus, religionem Regis, & Græcanicos ritus assumere; quod sic codex sacer exprimit.

13 *Et bonus visus est sermo in oculis eorum.* Nimirùm hocce consilium bonum visum est iis qui adhærebant Menelao.

14 *Et destinaverunt aliqui de populo, & abierunt ad Regem: & dedit illis potestatem, ut facerent justitiam gentium.* In fonte Græco προεθυμήθησάν τινες, id est, aliqui præcogitaverunt, statuerunt apud se, hæc facere. Abierunt ad Regem Antiochum, qui dedit illis potestatem sequendi *justitiam gentium* τὰ δικαιώματα τῶν ἐθνῶν, id est, utendi jure gentium & sequendi consuetudines eorum, & faciendi omnia quæ pro justis probarent, ut loquitur Josephus, τὴν κατ' αὐτοὺς πολιτείαν ἐπεσθαι τοῖς βασιλικοῖς καὶ τὴν ἑλληνικὴν πολιτείαν ἔχειν. Similiter se gerere ac Græcos, parere Regiis insti-

tuiis, & Græcanicos ritus assumere.

15. *Et ædificaverunt Gymnasium in Jerosolymis secundùm leges nationum.*

Juxta Josephum illi iniqui Judæi rogaverunt Antiochum ut sibi permitteret Gymnasium Hierosolymis extruere; quod castis moribus adversabatur; ut ipse Martialis Poëta Ethnicus agnoscit in libro 3. Epigrammate 68. à Gymnasiis non secùs ac à thermis & stadiis ubi occurrebant viri nudi, abigens pudicam matronam.

Gymnasium, thermæ, stadium est, hac parte recede.
Exuimur, nudos parce videre viros.

16. *Et fecerunt sibi præputia, & recesserunt à testamento sancto, & juncti sunt nationibus, & venundati sunt ut facerent malum.*

Scilicet pudebat Judæos retegere genitalia circumcisa, & sic Græcis contemptui esse. Satagebant ergo delere omnia circumcisionis vestigia, ut hocce signo non distinguerentur à nationibus, quibus ambiebant videri similes. Græcis solis ex merâ & antiquâ Græciâ oriundis patebat aditus ad agonem olympicum decertandi quidem gratiâ & præmia consequendi. Ergo illi Judæi ut viderentur Græci, arte adducebant amputata sibi præputia, ut dicit Josephus. Τὴν τῶν αἰδοίων περιτομὴν ἐκάλυψαν, ὡς ἂν εἶεν καὶ τὰ περὶ τὴν ἀπόδυσιν Ἕλληνες. *Et circumcisionem pudendorum absconditerunt, ut nudi quoque non essent Græcis dissimiles.*

Huicce loco attexendus est alter ex secundo Machabæorum capite 4. quæ duo loca sese invicem collustrant. Ibi narratur quomodo Jason frater Oniæ ambiens summum Sacerdotium adierit Antiochum nobilem qui itidem Rex nominatur Epiphanes, & illustris, promittens ei argenti talenta trecenta sexaginta, & ex reditibus aliis talenta octingenta, si compotem eum faceret summi Sacerdotii. Quod autem spectat argumentum nostrum.

9. *Super hæc promittebat & alia centum quinquaginta, si potestati ejus concederetur gymnasium & ephebiam sibi constituere, & eos qui in Jerosolymis erant Antiochenos scribere.*

Impius Jason etiam argento emercatus est ut Antiochus sineret ædificari *gymnasium & ephebiam.* ἐφηβία quod nomen in fonte Græco legitur, accipitur vel pro cœtu juvenum qui exercentur, vel pro loco in quem juvenes convenirent exercitationis causâ. Grotius autem conjicit legendum ἐφηβεῖον, quomodo Vitruvius vocat locum in quo exercebantur Ephebi. Insuper Jason rogabat ut liceret *eos qui in Jerosolymis erant Antiochenos scribere*, id est, ut Hierosolymitani in posterum appellarentur Antiocheni; vel ut Hierosolymitani donarentur civitate Antiochena, & omnes concives essent.

10. *Quod cùm Rex annuisset, & obtinuisset principatum, statim ad gentilem ritum contribulos suos transferre cœpit.*

Ubi Jason obtinuit summum Sacerdotium quod ambiebat, coëgit Hierosolymitanos uti Græcorum moribus.

11. *Et amotis his, quæ humanitatis causâ Judæis à Regibus fuerant constituta, per Joannem patrem Eupolemi, qui apud Romanos de amicitiâ & societate functus est legatione legitimâ, civium jura destituens, prava instituta sanciebat.*

Multa benignè concessa fuerant à Regibus, puta ut suis moribus ritibusque viverent, ut sumptus ad sacrificia fierent à Regibus, ut alienigenæ templi liminibus arcerentur. Quin multa privilegia à Romanis inducta. Impius verò Jason, dabat potiùs operam ut Judæi discederent à moribus suis & sequerentur alienos.

12. *Etenim ausus est sub ipsâ arce gymnasium constituere, & optimos quosque Epheborum in lupanaribus ponere.*

Locavit Jason gymnasium ὑπ' αὐτὴν τὴν ἀκρόπολιν; quod non vertendum *sub arce*, sed in ipsâ superiori urbe; ubi constat fuisse Xystum. ἀκρόπολις idem sonat ac ἄνω πόλις urbs superior. In Græco fonte legitur καὶ τοὺς κρατίστους τῶν ἐφήβων ὑποτάσσων, ὑπὸ πέτασον ἦγε. Quod Vulgatus reddit *& optimos quosque epheborum in lupanaribus ponere.* Huicce voci πέτασος *petasus* malam notionem affingit Vulgatus ille Interpres; sed *petasus* nihil aliud erat, quàm tegmen capitis latum & expansum ἐφήβων φόρημα quod ex Polluce & Hesychio gestabant puberes. Ergo si accipiendus ille locus, ut Jason puberes Judæorum, quos advertebat optimos, sive validiores, subjiceret legibus ephebei tradens eos artem gymnasticam edocendos, ac sub petaso ductans, cultu Græcanico ornatos. Sic pugiles pileati exhibentur in vetustis imaginibus. Verùm Interpres Vulgatus rem ipsam videtur expressisse; Jason enim elegit κρατίστους τῶν ἐφήβων, id est, viribus præstantes simul & egregiâ formâ. Idcircò plerique in gymnasia conveniebant libidinis causâ; non tantùm ut viderent exercitationes epheborum, sed ut pascerent oculos, sive satiarent aspectum; ad quod respicit Seneca in libro de Brevitate vitæ sic loquens de viro otioso cap. 12. *Qui in ceromate (nam proh facinus, ne Romanis quidem vitiis laboramus) nimirùm & Græcis inficimur, spectator puerorum rixantium sedet.* Ceroma κήρωμα oleum est quo se se Athletæ perungere solebant adhibito quodam terræ genere. Et ceroma locus erat gymnasii ubi se unguento linebant Athletæ luctaturi, ut dicit Plinius. Otiosi & impuri oculis plenis libidine intuebantur ephebos qui nudi luctabantur. Itaque cùm plerique ex illis ephebis essent prostituti, ephebia erant vera lupanaria. In hanc rem multa congeri possent testimonia ex vetustis libris; sed decet potiùs mentem avocare à tam turpi re.

Revertamur ad Xystum, quem Josephus locat in urbe superiori, cujus & locum designat loquens de oppugnatione urbis per Titum libro 7. de Bello cap. 15. Quatuor quidem, ait, legionum opus in « occidentali parte civitatis contra aulam Regiam « erigitur; auxiliarium verò manus, & cætera multitudo Xystum versùs ac pontem & Simonis turrim. « Et libro 5. cap. 9. agens de turribus quas excitaverant Zelotæ ad defensionem templi. « Et quamvis loco plus possent, illi Zelotæ, turres tamen qua- « tuor maximas sibi fabricaverant, ut ex alto videli- « cet missilia torquerent, unam ad orientalem & bo- « realem angulum, alteram super Xystum, tertiam « ad angulum alium ex adverso urbis inferioris, « quartam verò suprà verticem pastophoriorum » Ita Xystus erat in urbe superiori, ubi illum repræsentamus in delineatione Hierosolymorum. Idem Scriptor in libro secundo de Bello cap. 26. (in Græco fonte κη numeri Latini capitum in editione quâ utor, turbati sunt.) Xysti mentionem faciens satis declarat ejus locum. « Advocatâ igitur concione in Xystum, & in suggesto constituens Agrippa germanam suam Berniceen in Assamonæorum domo, « ea si quidem Xysto imminebat contra superiorem « partem urbis « Αὕτη γὰρ ἦν ἐπάνω τοῦ ξυστοῦ πρὸς τὸ πέραν τῆς ἄνω πόλεως. Ego ultrò lege cum πρὸς ἑσπέραν τῆς ἄνω πόλεως *ad vesperam, sive ad Occidentem superioris urbis*, versus Occidentem. De Xysto addit *Nam Xysto templum erat ponte conjunctum, hujusmodi orationem habuit.*

Aliud autem fuit Xystus, aliud Hippodromus, sive circus. Hic erat ad cursum equorum; ille ad pugilatum. Fuisse Hierosolymis Hippodromum testatur Josephus referens in libro primo de Bello cap.

21. crudele mandatum Herodis; qui atrâ bili correptus facinus nefarium excogitavit. « Collectos enim, ait Joſephus, cujuſque vici ex omni Judæâ nobiles, in locum cui nomen eſt Hippodromus, concludi præcepit. Deinde Salome ſorore & Alexâ marito ejus ad ſe vocatis; ſcio, inquit, mortem meam feſtis gaudiis celebraturos eſſe Judæos. Verùm per alios lugeri potero, & præclariſſimos honores ſepulturæ aſſequi, ſi quæ præcipio feceritis. Hos viros qui habentur in cuſtodiâ, cùm animam efflavero, ſtatim militibus circumdatos occidite, ut etiam invita omnis mihi Judæa, omniſque domus illacrymet. »

Non fit veriſimile ab hoc ſcriptore dici Hippodromum eundem locum, quem toties appellaverit Xyſtum. Videtur autem innuere locum hujus Hippodromi fuiſſe ad plagam meridionalem templi, & ideò in ſuperiori urbe. Etenim ubi agit de ſeditione motâ in Sabinum Cæſaris Procuratorem in Antiquitatibus libro 17. cap. 12. cùm dixiſſet populum confluxiſſe ut oppugnaret Romanos, ſubdit: Partitique trifariam hoc modo caſtra faciunt. « Pars una Hippodromum occupat. Reliquarum duarum altera templum à ſeptentrionali & orientali regione circumſidet. Ab occidentali altera quâ ſita erat domus Regia. Ita incluſos undique Romanos oppugnare etiam parabant. » Verſio illa eſt Gelenii, qui potuit uti meliore codice, quàm quem nunc habemus in manibus; in quo legimus: οἱ μὲν τῷ βορείῳ τοῦ ἱεροῦ πρὸς μεσημβρίαν τετραμμένοι, οἱ δὲ τὴν ἕω μοῖραν εἶχον. *Illi enim ad ſeptentrionale latus versùs meridiem converſi: illi orientalem partem habebant.* Locus ille manifeſtè corruptus eſt; neque enim ulla conjunctio lateris borealis cum meridionali; opponuntur enim; connectitur autem cum orientali. Idem ſcriptor eandem hiſtoriam exponens in libro ſecundo de Bello cap. 2. rem clariùs exponit mentionem non faciens lateris orientalis; ex quâ parte ſitus templi non ſinebat ut pars oppugnantium ſtaret. « Tripartitâ manu terna caſtra collocaverunt, una in ſeptentrionali regione templi, altera in meridionali, Hippodromum versùs. Tertia in occiduo propè Regiam tractu, circumſeſſoſque Romanos undique obſidebant. »

In hiſce teſtimoniis quæ ex Joſepho protulimus patet Regiam fuiſſe ad plagam occiduam Sionis. Addam quod narrat in libro 2. de Bello cap. 24. de Ceſtio qui oppugnavit Hieroſolymam à parte occiduâ Sionis. « Ceſtius verò tranſgreſſus Bezethan, quæ ſic vocatur & cænopolim & forum quod appellatur materiarum incendit. Deinde cùm ad ſuperiorem civitatem veniſſet, propè aulam Regiam caſtra poſuit. » πρὸς τὴν ἄνω πόλιν ἐλθὼν, ἀντικρὺ τῆς βασιλικῆς αὐλῆς ἐστρατοπεδεύετο. Puto illam Regiam à Joſepho deſcribi in libro 6. de Bello, ubi cùm ſermonem feciſſet de turribus Hippico, de Mariamne & Pſephinâ, quas excitarat Herodes in ſeptentrionali latere Sionis versùs Occidentem, his Regiam conjunctam dicit libro 6. cap. 6. « His autem turribus in ſeptentrionali parte poſitis, intus aula Regia conjungebatur, narratione omni præſtantior. Nec enim magnificentia, vel ſtructura operis, aliquâ ex parte ſuperari poterat: ſed tota quidem muro per triginta cubitos edito cincta erat. Æqualis autem diſtantiæ turribus ornatiſſimis ambiebatur, ornata. ἀνδρῶσί τε μεγίστοις [id eſt, locis aptis in quibus virilia convivia celebrabantur, quo mulieres non accedebant. Ideò dicebantur ἀνδρῶνες) & εἰς ξενῶνας ἑκατοντακλίνους (id eſt, cœnaculis Lectorum centum capacibus, ad excipiendos hoſpites.) « Inenarrabilis autem fuit marmorum varietas in eâ, collectis ibi plurimis, quæ ubique rara videbantur. Faſtigia ſimul proceritate trabium & ornamentorum claritudine mirabilia. Membrorum etiam multitudo, & innumeræ ſpecies ædificii, plena omnia ſupellectili. Cùm plerique in ſingulis ex auro eſſent, atque argento. Ad hæc multæ porticus, aliam per aliam in circulum flexæ; columnæque in ſingulis; & quæ inter eas ſub dio patebant ſpatia, cùm eſſent utique viridariis ſylviſque variata, tum prolixas ambulationes habebant, altis euripis cinctas, ciſternas ubique ſignorum æneorum plenas, quibus aqua effundebatur, multaſque turres manſuetarum columbarum circa latices. »

Regiam Aſſamonæorum excitatam propè Xyſtum luculenter ſignificat Joſephus in Antiquitatibus libro 20. cap. 7. « Agrippa Rex, inquit, exſtruxit inſigni amplitudine domum Hieroſolymis in Regia, quæ Aſſamonæorum fuerat, propè Xyſtum in edito loco, undè amœniſſimus proſpectus patebat contemplari urbem volentibus, inferiorem maximè, quæ ſubjecta erat. Cujus voluptatis Rex cupidus è cubiculo ſpectabat quidquid circa templum κατὰ τὸ ἱερὸν fieret. Id ubi viderunt Hieroſolymitani proceres, tulerunt indigniſſimè; neque enim leges noſtræ concedunt ſpectari, quid agatur in templo præſertim, τὰς ἱερουργίας, operationes circa ſacra. Quamobrem altum parietem excitaverunt ſupra exhedram, quæ erat in interiore templo ἐν τῷ ἔνδοθεν ἱερῷ verſa ad ſolem occiduum. Hæc non ſolùm Regii triclinii proſpectum arcebat oppoſita, verùm etiam occidentalis in interiori templo ſitæ porticus, ubi feſtis diebus Romani ſtationes habebant ad templi cuſtodiam. » Hæc clarè intelligi non poſſunt niſi poſtquàm templum deſcriptum fuerit. Non prætermittendum quod Joſephus dicit libro 7. de Bello cap. 13. quo illuſtrantur quæ hactenus dicta ſunt, referens quomodo Titus venerit in colloquium cum Judæis, quos tyrannos vocat qui templum occupaverant. Ille nempe Titus in parte occidua templi interioris conſtitit. *Hic enim*, inquit Joſephus, *ſuper Xyſtum erant portæ ac pons qui civitatem ſuperiorem templo jungebat, iſque tunc inter tyrannos ac Titum interveniebat.* Noſtra delineatio exhibet illum pontem pertingentem ad latus templi occiduum. Ad caput hujus pontis in ea delineatione occurrit curia βουλή, quam eo in loco ſtatuit Joſephus in libro ſexto de Bello cap. 6. deſcribens enim vetuſtum murum, quo Sion à boreali latere muniebatur; *hac autem parte*, ait, *incipiens à turri, cui nomen eſt Hippicos, pertingens uſque ad Xyſtum deinde curiæ conjunctus, in occiduam templi porticum deſinebat.* Itaque certum in eo ipſo loco, quem ei aſſignavimus fuiſſe curiam, ſed Hieroſolymis non erat una curia.

CAPUT VII.

De cæteris ædificiis Hieroſolymorum, ſed præſertim de illis quæ erant in urbe inferiori & in Bezetha; tum de ſuburbiis, ſive adjacentibus locis.

SECTIO I.

De domo doctrinæ, ſive de publicâ ſcholâ quæ erat Hieroſolymis. In hac domo habitabat Holda Propheteſſa.

In delineationibus civitatis ſanctæ nominantur plura loca & ædificia de quibus nullum faciemus ſermonem, ſi quidem poſita ſine ullo fundamento, qualia

qualia Prætorium Pilati, domus Annæ Pontificis, A palatium Herodis Tetrarchæ, cœnaculum in quo Dominus celebravit postremum suum convivium, & corpus suum in cibum tradidit suis discipulis. Hujus nominis loca quidem extitêre intra Hierosolyma; sed nullus, nisi temerè designaverit. Quæ circa illa afferuntur traditiones omnes incertæ sunt. Ergo recensebo ea sola ædificia, quorum locus definitur in sacro codice*, aut apud Josephum. Priùs animum attendam ad domum doctrinæ, sive ad publicam scholam. A primis temporibus, etiam à tempore Samuëlis & supra, tales erant in terrâ Israël *domus doctrinæ*; qualis fuit illa, in quâ congregabatur collegium Prophetarum, quibus præerat Samuel. Hoc collegium clarè notatur his verbis, quibus hic Propheta in primo libro Regum cap. 10. significat B Saüli à Deo electum in Regem. *Et hoc tibi signum quia unxit te Deus in principem*; certior fies de hac electione cum experieris, hæc quæ tibi denuntio futura: 2. *Cùm abieris hodie à me invenies duos viros juxta sepulchrum Rachel in finibus Benjamin in meridie, &c.* 3. *Cùmque abieris indè, & ultra transieris & veneris ad quercum Thabor invenient te ibi tres viri, &c.* 4. *Cùmque te salutaverint, dabunt tibi duos panes.* 5. *Post hac venies in collem Dei ubi est statio Philistinorum: & cùm ingressus fueris ibi urbem: obvium habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos Psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsosque prophetantes.*

In hoc colle, juxta Paraphrastem Chaldæum tunc C erat Arca Dei, & ideò Præsides Duces Philistæorum stabant: quippe tunc Israëlitæ erant sub jugo eorum; quapropter ne ad locum Arcæ quidpiam novi moverent Israëlitæ congregati, apposita erat custodia. Cùm ad hunc, inquit Samuel, collem veneris, occurret tibi grex Prophetarum descendentium מהבמה *me ha bama*. Illud ה præfixum denotat locum conspicuum, in quo illi Prophetæ sederent. Hunc Paraphrastes Chaldæus appellat *domum consessûs*; quæ appellatio convenit scholæ in quâ sedebant magistri, & ad eorum pedes erant discipuli.

6. *Et insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alterum.*

Adjunctus Prophetis & ipse prophetabis. Sic in D collegio primorum Christianorum in quospiam insiliebat spiritus Dei & prophetabant. Igitur hæc omnia quæ obtigerunt Saüli pro ut illi prædixerat Samuel, inprimis cuneus Prophetarum in dicto colle manentium qui illi occurrerunt, eum certiorem fecerunt de promissis Samuëlis, ac ea obtigerunt Saül adeptus est regnum, Samuel verò in Ramatha patriam suam se recepit, privatam vitam deinceps acturus. Ne tamen nihil in Rempublicam, quam pluribus annis administraverat, conferret, ait Altingius in historiâ scholarum Hebræarum, Gymnasium ibidem publicum, sive Academiam aperuit, eamque ipsemet summâ curâ moderatus est. In capite 19. 18. ejusdem libri primi Samuëlis illa legimus: *David autem fugiens salvatus est: & ve-* E *nit ad Samuel in Ramatha, & nuntiavit ei omnia quæ fecerat sibi Saül: & abierunt ipse & Samuel & morati sunt in Najoth.* נוית *Najoth*, idem sonat ac *habitatio*. Nimirùm in hoc loco considebant Prophetæ cum Samuële; ita ut eruditio & pietas viderentur hanc sibi sedem delegisse; undè Chaldæus periphrasi reddere maluit בית אולפנא *bet ulpena* ab אלף *alaph*, id est, *didicit*.

Hæc quanquam scitu digna, non animadverterem; nisi indè deducerem quis ille locus sit, de quo mentio fit in quarto Regum cap. 22. quando Josias misit viros qui consulerent Holdam Prophetidem, quæ habitabat in Jerusalem *in secundâ*. Propria in locum integrum. Inventus fuerat liber Deuteronomii cùm Josias instauraret templum. De hoc libro Rex sollicitus elegit viros, quos misit dicens.

13. *Ite & consulite Dominum super me & super populo, & super omni Juda, de verbis voluminis istius, quod inventum est, magna enim ira Domini succensa est contra nos: quia non audierunt patres nostri verba libri hujus, ut facerent omne quod scriptum est nobis.*

14. *Ierunt itaque Helcias Sacerdos & Ahican, & Achobor, & Saphan, & Asaia, ad Holdam Prophetidem, uxorem Sellum, filii Thecuæ, filii Araas custodis vestium, quæ habitabat in Jerusalem in secundâ: locutique sunt ad eam.* Ergo locus erat Hierosolymis, qui dicebatur *secunda*. In fonte במשנה. Græci habentes pro nomine proprio expresserunt Græcis caracteribus ἐν τῇ Μασενᾷ. *in Masena*. Nomen Hebræum venit à שנה iteravit. Ita משנה sonat idem quod *secunda*. Sed nomen illud, nimirùm *mischna*, ut solet efferri, potius significat secundam legem ore traditam; ut schola, sive domus ideò sic appellaretur, quod in eo aggregarentur Prophetæ viri sapientes, qui satagebant legem oralem tradere populis, & eam incontaminatam servare. Scilicet respondebant de jure, de legibus; & difficultates solvebant. Non id dico gratis. In Paraphrasi Chaldaicâ domus illa appellatur בית אולפנא *beth ulpena*, id est, *domus doctrinæ*. Domus Mischnæ, in quâ scilicet exponerentur traditiones. Volunt plerique *in Gabaath Phinees* גבעת פינהס tempore Josue fuisse collegium, sive domum doctrinæ. Hujus *Gabaath Phinees* fit mentio in extremo commate libri Josue; & capite 7. Judicum mentio fit גבעת המורה *Gabaat thammoreh*. Vulgatus Interpres *collis excelsus*. Græci scribunt suis caracteribus γαβααθὰ μωρά. Verbum ירה idem quandoque sonat, quod *docuit*; ita מורה *moreh* idem quod doctor. Quare cum ה emphatico hoc usurpatur pro doctore eximio; ut ille locus *Gabaath Phinees*, sive collis Phinees appellaretur de nomine sui doctoris, cujus doctrina quasi per manus à magistris ad discipulos traderetur, successione non interruptâ. Holdam autem prophetissam ab hoc doctore ortum suum trahere hinc conjicio; quia certum est, vestium custodiam in templo commissam filiis Phinees; undè conclave vestiarii, sive custodis vestium Sacerdotum, appellabatur פנחס, id est, *Phinees*; quod dicemus cùm de conclavibus templi sermonem faciemus. Igitur Holda quæ erat filia *Araas custodis vestium* oriebatur ex doctore Phineas, ac proinde ex semine Prophetarum, sive Doctorum.

SECTIO II.

De ædificiis urbis inferioris. De Arce Antiochi.

BReviter enumeremus ædificia quæ occurrebant in inferiori urbe, apud Josephum; neque enim illa in sacro codice nominantur. Ille Historicus in septimo libro de Bello cap. 13. narrat quomodo Titus, qui nondum potiebatur superiori urbe, permiserit militibus suis diripere inferiorem atque inflammare. *Illi autem ipso quidem die nihil egerunt. Postero autem die Archivum & Acram & Curiam, & qui vocatur Ophla succendêre: & progrediebatur ignis usque ad Helenæ Regiam, quæ in mediâ erat Acrâ.* Illa, inquam, loca erant in inferiori urbe; siquidem tunc temporis Titus oppugnabat superiorem. Quid autem erat illud ἀρχεῖον *archivum*? Archiva sacra erant in templo; at civilia in urbe, ubi reponebantur schedulæ & monumenta coemptionum, contractuum, donationum atque actuum pu-

publicorum. Hæc omnia in Archivo reponebantur; quod, ut nomen ἀρχεῖον notat, repositorium est antiquorum actuum. Josephus ejusdem Archivi mentionem facit in libro secundo de Bello cap. 13. memo ans prava facinora seditiosorum, qui urbem vastabant ferro, incendio. *Cùm illi protinus irruentes, Ananiæ Pontificis domum & Agrippæ ac Berenices palatium inflammaverunt: post quod ignem Archivo intulerunt*; ibi quidem non ἀρχεῖον appellat, sed γραμματοφυλακεῖον *volentes omnia creditorum documenta disperdere, ne esset undè ratio creditæ pecuniæ pateret, utque omnem sibi debitorum adjungerent multitudinem, & adversùm locupletes egenis præberent insurgendi facultatem liberam. Fugientibus verò chartarum publicarum custodibus, ignem ædibus injecerunt, atque ita incensis civitatis nervis, in hostes irruebant.*

Iterùm mentionem facit Josephus Curiæ; sed ibi appellat βουλευτήριον. Curia autem cujus meminit in superiori civitate, ab eo dicitur βουλὴ Ita diversa erant tribunalia. Quid sit βουλευτήριον non explicat. Ex libris Machabæorum scimus fuisse consessum plurium Judicum (lib 1. cap. 8 v. 15. & 19.) Ibi enim Romana curia constans trecentis viginti Senatoribus appellatur βουλευτήριον. A Marco (cap. 15 v. 43 & à Lucâ cap 23. v. 50.) Josephus ab Arimathiâ appellatur βουλευτὴς, *Senator*. Itaque nullus est dubitandi locus quin illa Curia, quæ in Acrâ erat, fuerit tribunal in quo dijudicarentur lites civium, qui hanc partem Hierosolymorum incolerent; sicut in tribunali quod à Josepho appellatur βουλὴ dirimebantur lites incolarum Sionis. Etenim par est credere in tanta multitudine civium fuisse plurima tribunalia.

Helenæ Regiam in inferiori civitate fuisse Josephus luculenter declarat in sexto de Bello cap. 7. *Tenebat autem Simon quidem superiorem civitatem, murumque majorem usque ad Cedronem & antiquioris muri, quantùm à Siloa flectitur ad Orientem, & usque ad aulam Monobasi descendit. Is erat Adiabenæ gentis ultra Euphratem habitantis. Tenebat etiam montem Acra, quæ inferior est civitas, usque ad Helenæ Regiam, quæ Monobasi fuerat mater.* In fonte Græ. κατεῖχε δὲ τὴν πηγὴν καὶ τὴν ἄκραν, αὕτη δ' ἦν ἡ κάτω πόλις. *Tenebat fontem & Acram quæ est urbs inferior.* Fontem Siloan cujus hic fit mentio. Narrat Josephus in Antiquitatibus libro 20 cap. 11. quomodo illa Helena Adiabenorum Regina cum Izate filio suo Judæorum religionem amplexata sit; & venerit Hierosolymam hujus religionis ergo. Indè fiebat ut multis palatiis exornaretur sancta civitas; cùm enim etiam viri principes qui se legibus Mosaïcis mancipaverant, tenerentur ad apparendum certis temporibus coram Domino, Regias ædificabant Hierosolymis, ut dum fungerentur muniis religionis, commodè & splendide habitarent. Sic Herodes Tetrarcha, cui nulla erat in sanctâ urbe potestas, habebat tamen suam Regiam ad quam à Pilato remissus est Jesus Christus Dominus noster. Josephus libro 6. de Bello cap. 7. mentionem facit aulæ Monobasi *Is Rex erat Adiabenæ gentis, ultra Euphratem habitantis.* In libro 5. cap. 9. meminit Graptes; quæ cognata Izatæ Regis Adiabenorum, & ipsa aulam Regiam ædificaverat Hierosolymis.

Arx in inferiori urbe à Macedonibus fuerat ædificata; nempe ab illis ducibus & principibus qui militaverant sub Alexandro Magno Macedonum Rege. Ille moriens partitus fuerat imperium quod suis armis pepererat, inter suos primarios duces. Cesserat Syria Seleucidis; ex quorum prosapia Antiochus Epiphanes bellum intulit Judæis, & subactis imposuit præsidium; quod in inferiori urbe collocavit. Id apertè dicit Josephus in libro 12. Antiquit. cap. 7. ubi narrat quomodo Antiochus Epiphanes ingressus sit sanctam urbem, cujus portæ illi à seditiosis apertæ sunt. *Incendit etiam ædificiorum ejus quicquid erat pulcherrimum, & demolitus mœnia in inferiori urbe arcem condidit.* τὴν ἐν τῇ κάτω πόλει ᾠκοδόμησεν ἄκραν. *Erat enim editiore loco sita, ipsi templo imminens; quapropter benè priùs firmatæ mœnibus ac turribus Macedonicum præsidium imposuit.* Ex historiâ Machabæorum lib. 1 cap. 1. 35. videtur primò arcem positam in Sione, sive potiùs instar arcis Sionem munitam ab Antiocho. *Et ædificaverunt civitatem David muro magno & firmo, & turribus firmis & facta est illis in arcem.* εἰς ἄκραν quod sic decet intelligere, ut statim Antiochus insederit montem Sionis; cujus postea mœnibus destructis, arcem in inferiori urbe collocaverit; quod & Machabæis consentaneum est, nam, ut dicitur cap. 4. 37. Judas pulso Lysiâ invasit montem Sionis. *Et congregatus est omnis exercitus* Judæ, *& ascenderunt in montem Sion.* Judas templum repurgavit. Interea tamen adhuc Macedones arcem tenebant. Alia ergo illa arx, quàm mons Sion. Hanc arcem Macedonum non statim Judas aggressus est; nec obtinuit ut expugnaret. Id solum affecutus est Simon aliquot post annos excitato muro inter urbem & illam arcem, ut arctiori obsidione premerentur Macedones. Hanc historiam narrat Josephus in Antiquitatibus libro 13. cap. 9. *His igitur ad hunc modum dispositis, Jonathas & Simon reversi sunt Hierosolyma. Ibi Pontifex advocatâ in templum concione populi, suasit ut reficerent urbis mœnia, & murum quo templum septum fuerat; rursùm reficerent, turribus altis additis munitiorem redderent, utque alium murum excitarent in ipsâ urbe, quo ipsam urbem sepirent, atque hoc pacto excluderent eos qui arcem custodiebant, & ad commeatuum inopiam adducerent.* Cum his consentiunt quæ leguntur in Scripturâ in primo Machabæorum cap 13 49. *Qui autem erant in arce Hierusalem, prohibebantur regredi & ingredi regionem, & emere ac vendere: & esurierunt valdè, & multi ex eis perierunt.*

50 *Et clamaverunt ad Simonem, ut dextras acciperent. E. dedit illis, & ejecit eos indè, & mundavit arcem à contaminationibus.*

51. *Et intraverunt in eam tertiâ & vigesimâ die secundi mensis, anno centesimo septuagesimo primo cum laude & ramis palmarum, & cinyris, & cymbalis, & nablis, & canticis, quia contritus est inimicus magnus ex Israël.*

52 *Et constituit ut omnibus annis agerentur dies hi cum lætitiâ.*

Eo tempore quo Antiochus struxit arcem in Salem, mons ille eminebat; postea humilior factus est à Simone, arce expugnatâ, quam & æquavit solo, inquit Josephus libro 13. Antiquitatum cap. 11. « ne posthac esse posset hostibus receptaculum, neve indè urbi aliquod inferretur incommodum. « Quo facto visum est ei operæ pretium, si mons « quoque, in quo sita fuerat complanaretur, ut so- « lum templum emineret; effecitque id comme- « moratis pro concione malis, quæ ὑπὸ τῶν φρουρῶν « à præsidiariis in eam diem Judæi passi fuerant, « quæque etiam in posterum ferre cogerentur, si « externus aliquis Princeps loco imponeret præsi- « dium. Adeòque permotus est ejus exhortatione « populus, ut non intermisso per triennium neque « die neque noctu opere, tandem ad planitiem eum « locum indefesso labore, per vices sibi succedentes « redegerint, atque ita nihil obstaret, quominùs « templum ipsâ arce & monte in quo sita erat τῆς ἄκρας « καὶ τοῦ ὄρους ἐφ' οὗ ἦν longè celsius esset. « Paucis id ver-

bis adstruit in libro 6. de Bello cap. 6. » Acræ altitudinem cæsam humiliorem fecerunt Assamonæi, ut ex eâ quoque fanum supereminens cerneretur. Itaque, iterùm dicam, non alius prospectus amœnior esse poterat, quàm templi; cujus omnia ædificia interiora, magis surgebant cælo; celsiora circum vicinis montibus. Totum ædificium circumdatum erat profundis vallibus; ex quibus tanquam procera arbor videbatur cælum petere. Ipsa autem urbs Salem, ut vidimus, ἀμφίκυρτος theatrali formâ erat; undè tam gratum spectaculum conspiciebatur.

SECTIO III.

De ædificiis Bezetha. De theatro & amphitheatro. Edebantur musica certamina in theatris. Horum certaminum occasione illustratur historia Herodis Agrippæ, quæ in Actibus enarratur.

De Bezetha sermonem fecimus differentes de collibus urbis Jerusalem. Etymum hujus nominis indagavimus; idem videtur sonare quod καινὴ πόλις, *cœnopolis* nempe nova urbs; sed, ut advertimus, incertum est an nomine novæ urbis tantùm Bezetha appellaretur; cum enim diversis temporibus extensa sint urbis pomœria; etiam antequàm Bezetha incoleretur & cingeretur mœnibus, fieri potuit, ut pro novâ urbe haberentur partes Hierusalem, quibus illa jam olim aucta fuisset. Limites autem utriusque novæ urbis statuere non opis est humanæ. In Bezethâ forum erat pecuarium. In cœnopoli, ubicumque illa fuerit, eadem ac Bezetha, vel alia; duplicem enim videtur distinguere Josephus in libris de Bello libro 6 cap. 13. memorans τὴν κατωτέραν καινόπολιν *inferiorem cœnopolim*, ut esset alia superior. In cœnopoli, inquam, ex Josepho in libro 6. de Bello cap. 9. *erant lanæ venditores, fabrique ærarii, vestiumque mercatores.* Et in libro 2. de bello cap. 24. nominat forum materiarum. *Cestius verò*, inquit, *transgressus Bezetham, quæ sic vocatur & cœnopolim, & forum quod appellatur materiarum.* Forum materiarum, locus erat ubi ligna, trabes vendebantur. Alioquin Cestius in forum, frustra ignem immisisset.

In his partibus Hierusalem, circa Bezetham opinor fuisse theatrum & amphitheatrum; quod contra leges patrias exstruxit Herodes. Josephus in Antiquitatibus libro 15. cap. 11. cùm dixisset ab hocce principe sublatos omnes viros bonos qui ei obstabant quominùs omnia gereret arbitratu suo, subdit. » Quo factum est ut magis ac magis discederet à patriis ritibus, & peregrinis studiis veterum instituta corrumperet inviolabilia: quo tempore permagna facta est bonorum morum in deterius inclinatio labante disciplinâ, quâ antehac populus solebat contineri in officio. Ac primùm athletica certamina quinto quoque anno in honorem Cæsaris instituit, theatro Hierosolymis exstructo, deinde amphitheatrum in campo. Utrumque opus fuit opere conspicuum, sed alienum à Judaicis moribus; apud quos nullus est horum usus, nulla spectaculorum ostentatio. In typo urbis sanctæ in quo cudendo secutus sum Villalpandum, theatrum est in Acrâ; & quoniam nulla ratio me aliò vocabat, intra mœnia collocavi amphitheatrum, quod quidem in loco campestri ædificaverat Herodes; sed cùm probabile sit, non illud removisse longo ab urbe intervallo credidi posse locari in cœnopoli, quæ, nondum, ut opinor, fuerat mœnibus circumdata.

Theatra & amphitheatra scribit Josephus facta

A ab Herode contra leges patrias. « Ille tamen celebritatem hanc nobilissimam esse voluit, denunciatam circum vicinis atque etiam longinquis gentibus; propositisque præmiis magnus undique athletarum, cæterorumque certatorum concursus factus est, confluxeruntque exercitatissimi quique in hoc genere. Evocabantur enim magnis præmiis, non hi tantùm, qui gymnicis certaminibus dant operam, sed musici etiam præstantes, & qui vocantur thymelici: nec non quadrigarii ac trigarii, & qui singulis equis celetizontes cursum peragunt: magna contentione Regis, ne quid desideraretur, quod usquam in hoc genere sit spectabile. Theatrum ipsum per circuitum titulis erat ornatum Cæsaris

B & trophæis devictarum ab illo gentium, auro atque argento collucentibus. Quod verò ad instrumentum & apparatum attinet, non vestes pretiosissimæ, non gemmæ raritate insignes deerant in his spectaculis: conquisitis etiam feris plurimis, leonibus, cæterisque vel robore spectandis, vel aliquo naturæ miraculo. Hæ modò inter se, modò cum damnatis hominibus committebantur; quæ peregrinis quidem spectatoribus plurimùm admirationis simul atque delectationis afferebant, indigenis verò prorsus ad dissolutionem patriæ disciplinæ tendere videbantur. Nihil enim magis impium existimabant, quàm ex spectandis hominibus cum bestiis comparatis voluptatem crudelem

C captare homines: absurdum æquè peregrinis artibus mutare instituta domestica. Sed nihil tam molestum fuit quàm trophæa; quæ cùm putarent armis contectas imagines, quarum usus interdictus est nostris legibus, indignissimè eas ferebant; » quod cùm advertisset Herodes ornatum appostitium ab his trophæis removit, & ostendit nudos stipites. Trophæa enim sunt stipites qui induuntur armis hostium devictorum. Attamen non pauci Judæi sic indignati sunt patrios mores corrumpi ut decreverint vitam Herodi eripere, sed irritus fuit conatus eorum.

Tandiu in theatro Herodis moror, ut illustrem historiam alterius Herodis quæ refertur in cap. 12. Actuum; ubi qui appellatur Herodes Rex non a-

D lius est quàm Agrippa, cujus vita & mors descripta reperitur apud Josephum in Antiquitatibus libro 19 cap. 8. Theatra non solis histrionibus parata erant ut agerent fabulas, comœdias, tragædias; sed & musicis, ut cantu recrearent populos. Histriones appellantur *scenici*; quia sine scenis, id est, umbraculis non aguntur dramata, sive activa poëmata; pleraque enim in illis, oculorum conspectui sunt subducenda. In comœdiis, in tragædiis, prout necesse est, personæ à quibus aguntur, modò prodeunt, modò post scenam, sive umbracula recedunt. Qui in theatra prodibant de cantu certaturi appellabantur *thymelici*. Ratio nominis petitur ἀπὸ τῆς θυμέλης, *à Thymele*, quæ primùm sumitur pro

E altari à θύω *sacrifico, macto*. In theatris verò erat βῆμα & βωμὸς nempe pulpitum altum pedes quinque, in quo chorus tragædiarum, cæterique personam non habentes, sive non personati fabulæ subserviebant, ut dicit Henricus Stephanus in thesauro Græco. Allegat hæc Vitruvii ubi de Græcorum theatris agit: *ideòque apud eos tragici & comici actores in scenâ peragunt, reliqui autem artifices suas per orchestram præstant actiones. Itaque ex eo scenici & thymelici Græcè separatim nominantur.* Nomine, inquam, thymelicorum intelligendi sunt citharœdi, citharistæ, & tibicines, atque id genus symphoniacorum ἀπὸ τῆς θυμέλης; à *Thymele*, sive arâ, sive pulpito, in quo stabat *Thymelicus*.

Animadvertendum autem exhibita, ut dixi, in

theatris musices certamina. Scilicet in illis contendebatur de cantu, sive voce sive de citharæ pulsatione; inde ab Aristotele distinguitur θεατρικὴ μουσικὴ *theatralis musica*. Plato memorat τοὺς μουσικῆς ἀγῶνας, *musices certamina*. Illa in honore erant apud Græcos; sed omnem artem ludricam probro ducebant Romani; scenicosque omnes & thymelicos non modò honore civium reliquorum carere, sed etiam tribu moveri notatione censoriâ voluerunt. Primus Romanorum Nero ausus est in theatrum prodire decertaturus de cantu; sed alii erant Græcorum mores; apud quos viros primarios non pudebat has ludicras artes in theatris exercere in omnium conspectu.

Mores Græcos in Syriam & Judæam statim induxêre Macedones, nempe Græci illi Reges de quibus locuti sumus. In spectaculis autem quæ in Judæâ & in Syriâ edebantur, puto adhibitos potissimùm thymeliacos, quia Græca lingua non tam nota erat, ut indigenæ delectarentur Græcâ poësi. Tibia, cithara omnium demulcet aures. Quidquid sit Herodes Agrippa, de quo nunc sermonem faciam, delectabatur musicâ & theatro. Theatrum pulcherrimum & amphitheatrum ædificavit in civitate Berytiâ. In ejus dedicatione exhibuit spectaculorum musicorum omne genus. Ille est de quo agitur in capite 12. Actuum. Nominatur quidem tantùm Herodes, sed, ut dixi, non alius quàm Agrippa Rex. Herodes miserat Petrum in carcerem; quo cùm liberatus esset ab Angelo, custodes addixit supplicio, in eos conferens hanc liberationem.

19. *Herodes autem cùm requisivisset eum & non invenisset, inquisitione factâ de custodibus, jussit eos duci: descendensque à Judæâ in Cæsaream, ibi commoratus est.* Nempe quæstione de custodibus habitâ, tanquam reos jussit ἀπαχθῆναι abduci, rapi ad supplicium. Romano more loquitur Vulgatus. *Jussit duci* idem est ac jussit supplicio affici. Sic loquitur Seneca de Irâ cap. 1. 16 *Confundit tribunal Piso, ac jubet duci utrumque.* B Lucas narrat iter Regis Cæsaream, ut ostendat quomodo statim pœnas dederit furoris sui in Christianos.

20. *Erat autem iratus Tyriis & Sidoniis. At illi unanimes venerunt ad eum, & persuaso Blasto qui erat super cubiculum Regis, postulabant pacem, eò quòd alerentur regiones eorum ab illo*

Erat ille Herodes Agrippa θυμομαχῶν, id est, animo pugnans, etsi nondum armis, nempe parans bellum adversùs Tyrios & Sidonios, quibus cùm noxia esset Regis inimicitia, omnes ad eum venerunt Cæsaream quasi supplices; quod visum Beato Lucæ non præterire silentio; ut significaret quomodo in solemni conventu ille percussus à Deo.

21. *Statuto autem die Herodes vestitus veste regiâ, sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos.*

Quæ prætermittenda duxit Evangelista, credo huic historiæ supplenda ex Josepho: à verâ mente Evangelistæ aberrabit quisquis putabit hîc agi de concione aliquâ, quam Herodes habuerit ex throno Regio, vel ex tribunali judicis. Audiamus Josephum. « Jamque tertium Judææ totius regni annum exegerat Agrippa, cùm pervenit in Cæsaream, quæ priùs turris Stratonis dicta est; ubi solemnes ludos celebravit pro salute Cæsaris, ad quam festivitatem magna multitudo nobilium ac procerum convenerat ex totâ provinciâ. Secundâ autem die hujus celebritatis, processit manè in theatrum, amictus veste totâ ex argento mirabili opere contextâ, quæ radiis exorientis solis percussa, & divinum quemdam fulgorem emittens, venerationem cum honore incutiebat spectantibus. Moxque adulatores perniciosi aliundè acclamantes, Deum consultabant, rogantes ut faveret propitius. Hactenus enim ut hominem veritos, nunc agnoscere & fateri in eo quiddam mortali naturâ excellentius. » Et supplendum ex Beato Lucâ quæ desunt Josepho; qui quidem dicit Agrippam processisse manè in theatrum, sed prætermittit ibi cecinisse, quod indicat. Illud Lucæ *sedit pro tribunali* καθίσας ἐπὶ τοῦ βήματος. Etenim βῆμα, ut docet nos Julius Pollux Onomastico, erat pars Orchestræ eadem ac θυμέλη. In Orchestrâ, inquit Pollux, est ἡ θυμέλη, εἴτε βῆμά τι οὖσα, εἴτε βωμός, id est, *thymele, aut tribunal, aut ara.* Ne quis autem hîc de oratione, & non de cantu quis agi putet, advertendum verbum δημηγόρει. Significare quidem *ad populum verba facere in concione*; sed, ut videre est in thesauro Græco, verbum illud notat artem oblectandi populum; quod faciebat Agrippa voce cantans, ut constat ex sequenti versu. Quin & citharam forsan pulsabat. Non processerat in theatrum, ut de more Regis concionem haberet; neque enim theatrum concionis locus erat; sed in eo oblectandi erant populi.

22. *Populus autem acclamabat Dei voces & non hominis.*

In fonte Græco Θεοῦ φωνή. *Vox Dei.* Illa acclamatio indicat cantum; concionatoris enim non laudatur vox, sed facundia. Videbatur his ethnicis Agrippa quasi alter Apollo; vel aliquis alius Deus; cui ultrò illi adulatores supplicabant.

Hancce historiam illustrat quod de Nerone referunt scriptores Græci & Latini; & confirmatur sensus quem verbis sacri codicis indimus. Hactenus viri proceres erubuerant, ut diximus, prodire in scenam; quod honestum erat in Græciâ. Mores autem Romanos exuens Nero. « Postremò ipse scenam inscendit, multâ curâ tentans citharam & præmeditans, assistentibus familiaribus...... Hi dies ac noctes plausibus personare formam principis vocemque, Deum vocabulis appellantes. » Hæc Tacitus in decimo quarto Annalium cap. 15. Suetonius eadem narrans capite 21. cùm priùs dixisset electos juvenes qui arte compositâ Neroni cantanti plauderent, subdit. « Cùm magni æstimaret cantare, etiam Romæ Neroneum agona ante præstitutam diem revocavit. Flagitantibus cunctis cælestem vocem, respondit quidem, in hortis se copiam volentibus facturum: sed adjuvante vulgi preces etiam statione militum, quæ tunc excubabat, repræsentaturum se pollicitus est libens: ac sine morâ nomen suum in albo profitentium citharædorum jussit adscribi. » Hæc observo, ut liqueat quid sit illa Θεοῦ φωνή. Certè acclamatio erat virorum adulantium, sive spe, sive timore. Thraseas enim Pætus reus habitus est, quia nunquam pro salute principis, aut cælesti voce immolaret, ut dicit Tacitus; & juxta Philostratum in libro tertio, si quisquis eum audiens fuisset pigrior, non exultasset, non fuisset commotus, judicabatur impius & inimicus τῆς θείας φωνῆς. In Dionis Cassii Epitome, cujus auctor Xiphilinus, eadem adstruuntur, Neroni canenti acclamabatur ut Apollini, ut Deo, qui solus esset ab æterno tempore. Omnes exclamabant ἱερὰ φωνή, *sacra vox: Beati qui te audiunt.* Igitur Herodi Agrippæ sic acclamatum est dum in theatro caneret cum citharædis. Θεοῦ φωνή, *Dei vox*; non de concione accipi potest, sed de cantu; ob quem laudatus cùm vanâ gloriâ tumuisset, nec adulationes repudiasset, qui sibi Deus videbatur veri Dei iram expertus est, & ab Angelo ejus percussus.

23. *Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem Deo, & consumptus à vermibus expiravit.*

Divinam illam vindictam Joſephus paulò fuſiùs deſcribit. Cùm, inquit, Agrippa impiam adulationem nec caſtigaſſet, nec repuliſſet, paulò poſt ſupra caput ſuum ſuſpexit bubonem, & ſecuta ſunt ventris tormina à principio vehementia; dolore autem creſcente diſcruciatus, & cruciatu per continuos quinque dies nihil ſe remittente confectus vitam finivit.

SECTIO IV.

De turri Antonia, de ſitu ejus, firmitate & ornamentis.

EX quo Machabæi fratres in libertatem aſſeruêre Judæos, proles eorum Aſſamonæi Regiam poteſtatem ſibi adjunxêre cum Pontificiâ; quæ cùm exerceretur in templo, ut illud ſub poteſtate eorum contineretur, turrim ædificaverunt ad angulum borealem occidentalem ejus. Hanc munitiorem & ornatiorem effecit Herodes magnus, & de nomine Antonii amici ſui appellavit Antoniam. Ibi ſtola pontificia aſſervabatur; ut dicit Joſephus 19. Antiquitatum cap. 6. » Hircanus Pontifex ejus nominis primus exſtructâ prope templum turri, degebat in eâ majorem temporis partem: & quoniam hanc ſtolam habebat in ſuâ cuſtodiâ, quâ nemo præter illum utebatur, recepturus privatum habitum, eò loci eam deponebat. Idem mos fuit etiam ſucceſſoribus illorum poſteris Herodes autem regnum adeptus, turrim hanc opportuno loco ſitam magno ſumptu exædificatam denominavit ab amico Antonio, & ſtolam, ita ut ibi reperta eſt, detinuit, ratus eò magis obnoxium ſe habiturum populum.

Quæ de hac ſtolâ adjungit Joſephus, hùc non pertinent; ad Bezetham autem attinet ſermo de turri Antoniâ quæ huicce urbis regioni contermina erat tum ex ante dictis, tum ex eo quod dicit Joſephus libro 2. de Bello cap. 15. ubi refert impreſſionem quam Florus fecit in Hieroſolymitanos. » Irruebant etiam pariter milites immoderatè, eos quos comprehendiſſent cædentes: & per ingreſſum qui Bezetha vocatur, detrudebant multitudinem, tranſire cupientes, ut Antoniam & templum obtinerent. Porticu jungebatur cum templo, ut clarè declarat Joſephus, hæc ſubjiciens. » Seditioſi autem verentes, ne ſuperveniens denuò Florus templum occuparet, per Antoniam protinus aſcendentes, porticus ejus cum templo conjunctas interciderunt. Alibi lib. 6 de Bello cap. 6. adſtruit eadem, nempe Antoniam junctam templo à Septentrione, è regione Bezethæ à quâ foſſis ſeparabatur; propiorem autem fuiſſe angulo, quo latera templi occidentale & boreale jungebantur. » Sita erat, inquit, in angulo quidem duarum porticuum primi ambitûs templi, quæ ad Occidentem Septentrionemque ſpectarent.

Ut diximus poſt Joſephum, qui dicta iterat, hæc turris de qua loquimur, *baris antea*, (βάρις Græcè eſt turris) *dicebatur*, *poſtea verò Antonia cognominata eſt imperante Antonio*. Hæc in primo de Bello cap. 4. ſcilicet gratiam hujus inire voluit. Illam fusè deſcribit 6. de Bello cap. 6. » In ſaxo autem fuerat exſtructa, quinquaginta cubitis alto, & undique prærupto: quod opus Herodis Regis fuit, ubi maximè ingenii ſui magnificentiam demonſtravit. Primùm enim à radicibus ſaxum ipſum lævibus cruſtis obtegebatur, quo & decus adderet operi, & facilè dilaberentur, qui vel aſcendere vel deſcendere tentaviſſent. Deinde ante turris ædificium murus erat cubitorum trium. Intra hunc omne ſpatium Antoniæ in quadraginta cubitos erigebatur. Intus autem Regiæ latitudinem ac deſcriptionem habebat, diviſam in omnem uſum habitationum, & ſpeciem, id eſt, porticus, balnea, & aulas caſtris aptiſſimas: ut quantùm ad uſum neceſſarium pertinet, civitas videretur, magnificentiâ vero palatium. Inſtar verò turris toto habitu formata, quatuor aliis per angulos turribus cingebatur: quarum cæteræ quinquaginta cubitis erant altæ; quæ verò a 1 meridianum orientalemque angulum ſita erat ſeptuaginta cubitis eminebat ut ex eâ totum templum videri poſſet. Quâ verò porticibus jungebatur, utrinque deſcenſus habebat, undè cuſtodes commeabant. Semper namque in eâ Romani milites reſidebant, & cum armis appoſiti cuſtodes circa porticus, ne quid populus feſtis diebus novi committeret, obſervabant. Templum enim velut caſtellum impoſitum erat urbi, templo vero Antonia. « Hanc turrim magnis impenſis exornavit Herodes; ut regiâ domo non minùs ſplendida eſſet; & proponit illam Joſephus in primo de Bello cap. 16. in magnificentiæ ejus argumentum.

SECTIO V.

De piſcinis urbis inferioris, cœnopolæos, Bezetha. De piſcinâ probaticâ, ſitu ejus, miraculis.

TOta Jeruſalem abundabat aquis, ut vidimus. Ubique in illâ nominantur piſcinæ, aquæ-ductus; non ſolùm in civitate David, ſive ſuperiori urbe, ſed & in inferiori. Duas piſcinas agnoſcit Joſephus, in eâ regione urbis circa quam verſamur versùs plagam ſeptentrionalem templi, quâ parte Romani expugnaturi templum aggeres jecerant. Duarum, inquam, piſcinarum mentionem facit libro 6. de Bello cap. 13. indicans horum aggerum locum. « A Romanis enim duodecimo die menſis Maii aggeres inchoati, vix nono & vigeſimo perfecti ſunt, cùm totos dies ſeptem & decem laboraſſent: ingentes enim quatuor jacti ſunt, & unus quidem, qui erat ad Antoniam, & à quintâ legione fuerat exſtructus, contra medium ſtagnum quod ſtruthium vocatur: alter verò à duodecimâ viginti cubitis diſtans. Decima verò legio quæ ſupra memoratis præſtat; in ſeptentrionali parte opus erexerat, ubi ſtagnum eſt quod appellatur Amygdalon. Ab hoc autem quintadecima legio triginta diſcedentem cubitis aggerem fecit ad Pontificis monumentum. Jam verò admotis aggeribus, Joannes ſubfoſſâ intùs terrâ uſque ad aggeres, Antoniam versùs diſpoſitis per cuniculum ſudibus opera ſuſpendit, &c. » Hæc animadverto ut liqueat ſtagna illa fuiſſe in viciniâ Antoniæ, in ſeptentrionali regione templi & ideò in Bezethâ, ſive cœnopoli. Quodlibet ex illis duobus ſtagnis appellatur Græcè κολυμβήθρα, *piſcina*, *ſtagnum*, *natatoria*, locus ad natandum à κολυμβάω *nato*. Prima piſcina dicebatur *ſtruthium*, Græcè τὸ στρουθίον, id eſt, *paſſerculi*, ſive potiùs Avis. Altera piſcina vocabatur κολυμβήθρα ἀμύγδαλον *amygdalon*. Opinor cum Villalpando illud *amygdalon* eſſe vocem Hebraïcam Græcè ſcriptam. Nimirùm hæc piſcina Hebraïcè appellatur המגדלה, id eſt, magna, excellens, magnifica, à verbo גדל magnum eſſe, indè מגדלה *meghudala*, id eſt, *magnificata*, & cum ה quod vocant emphaticum, nempe quod vim auget, *hameghudalah*, à quo non multùm recedit ἀμύγδαλον, *amygdalon*. Itaque iſta piſcina cæteris piſcinis propter excellentiam dicebatur magna, ſive magnifica.

Facilè animum adduco ut exiſtimem iſtam piſcinam non aliam eſſe quàm probaticam, de quâ ſer-

mo fit in Evangelio apud Joannem cap. 5. *Est au-* A *tem* Hierosolymis probatica προβατικὴ κολυμβήθρα, Græcis πρόβατον idem sonat quod Latinis ovis; ut hæc piscina appellaretur ovina προβάτων, sicut alia τῶν στρουθίων *avis*. Ex Evangelio certum est piscinam probaticam fuisse miraculis inclytam; quare vix fieri potuisset ut Josephus illam prætermiserit silentio; quod non fecit, si illa probatica piscina sit verè *amygdalon*, videlicet *piscina magna*. Non autem mirum si ejus miracula non recenseat; nam ut ipse monet in libro 6. cap. 6. habebat in mente de Hierosolymis & muris ejus pleniùs scribere.

Antequàm ultra progrediar, animadvertam codices Græcos Evangelii ibi variare. Ἦν δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις προβατικὴ κολυμβήθρα. *Erat autem Hierosolymis* B *probatica piscina*; quam lectionem Vulgatus Interpres secutus est; quæ si magis probetur, hæc piscina, ut dixi, appellata est τῶν προβάτων *ovium*, ut alia *avium*. Sequens lectio reperitur in optimis codicibus: ἐπὶ τῇ προβατικῇ ἡ κολυμβήθρα, quod Latinè reddi potest *piscina* quæ erat ἐπὶ τῇ προβατικῇ; id est, in eâ parte urbis quæ dicebatur προβατικὴ, ubi nempe erat forum pecuarium, versùs portam gregis; ubi piscina amygdalon, sive piscina magna, cujus nominis originatio nostra, si non falsa est, mirum in modum hîc omnia conveniunt, quomodocumque legatur codex sacer. Vidimus vocem Bezetham ducendam à בית הצאן *beth hatson*, quod sonat *domus gregis*. Ut hæc magna piscina appellata sit προβατικὴ, quia in foro pecuario, aut juxta forum pecuarium. In Evan- C gelio appellatur *Hebraicè Bethsaida*, in Græco fonte βηθεσδὰ, quod non multùm diversum est à βιζεθὰ, nempe à nomine loci in quo situm amygdalon, sive sita piscina magna. Ex voce autem βιζεθὰ à librariis potuit conflari βηθεσδὰ; undè & factum a Latinis Bethsaida. Sunt qui legant κολυμβήθρᾳ in dativo cum iota subscripto; sed quæ sequuntur admonent potiùs in nominativo legendum; etenim ad illud refertur πέντε στοὰς ἔχουσα *quinque porticus habens*. Vulgò βηθεσδὰ derivatur à Syriacâ linguâ; quasi hæc piscina appellaretur בית חסדא *beth esda*, id est domus misericordiæ, qui ibi ægri sanabantur. Sunt qui deducunt à בית אשדא *bethesseda*, id est, *domus effusionis*, videlicet à sanguine victimarum ibi effuso, D qui, ut opinantur, in hanc piscinam è templo efflueret. Sed falluntur; videbimus enim in libris sequentibus, per canales omnem sanguinem victimarum deductum in torrentem Cedronis. Tanta copia sanguinis qui manabat è cæsis victimis non idoneam fecisset lavacro piscinam, quæ potiùs fuisset fimetum quàm lavacrum.

Qui loca sancta adierunt, hujus piscinæ mentionem faciunt; veluti adhuc extantis. Benjaminus in Itinerario loquens de Jerosolymis, non aliam piscinam intuebatur cùm dicit. *Etiam nunc canalis conspicitur ubi veteres victimas suas mactabant; omnesque Judæi hic nomina sua pariete inscribunt.* Canalis ille à Rabbino citato dicitur הבריכה *habereca* E quod nomen accipi potest pro piscinâ. Constantinus Lempereur contendit hunc canalem habendum pro eo, qui sanguinem victimarum deferebat in Cedronem; qui hac ætate adhuc observari poterat.

De piscinâ probaticâ fusiùs loquitur Brocardus. *In areâ templi, inquit, contra Aquilonem est porta vallis ducens in vallem Josaphat, & hæc etiam vocatur gregis, quòd per eam introducebantur greges immolandi in templo. Intrantibus porrò portam gregis ad sinistram occurrit piscina probatica, in quâ Nathinæi lavabant hostias, quas tradebant Sacerdotibus in templo offerendas.* Hieronymus, Theodoretus, & plerique alii crediderunt ibi quidem ablutas oves offerendas; sed sine ullo fundamento. Etenim locus erat in templo destinatus huicce ministerio; nec ad id piscina apta erat; nam statim ac etiam una ovis mersa fuisset & deposuisset sordes; tunc reliqua aqua quippe immunda non ampliùs potuisset puras facere oves. Lavabantur victimæ in pelvibus, & nova infundebatur aqua, ad lavacrum cujusque victimæ. Igitur verisimilius est piscinam, de quâ sermo est, dictam à loco pecuariam, quia erat juxta portam gregis, vel in foro pecuario. De more exponamus totum huncce locum Joannis ad quem devenimus.

2. *Est autem Jerosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida, quinque porticus habens.*

Sæpiùs contingit dum ignotæ voces, scribuntur, notas mentem subire, quæ pro veris exarantur. Ita factum ut pro βιζεθὰ *Bezetha*, vel pro βηθεσδὰ *Bethesda* scriptum fuerit *Bethsaida*, nomen notæ urbis ad ripam lacûs Genesareth, quæ sic appellabatur, quia domus, sive locus piscationis erat; nulli verò in probaticâ piscinâ pisces erant. *Quinque porticus habens.* Harum porticuum ea esse potuit dispositio, ut ad quinque latera piscinæ quæ pentagona fuerit, extenderentur porticus quinque numero. In Romanis balneis sic ædificabantur porticuum concamerationes, ut Lampridius adstruit de balneis Antonini. Sub illis concamerationibus in longum & in latum extensis jacebat multitudo languentium. Verùm quæ hodie pro probatica piscina habetur, quadrangula est, quatuor comprehensa rectis lateribus. Ergo si forma sua referat antiquam piscinam, dicendum in ejus vicinia, sive in margine fuisse porticum quintuplicem; in qua scilicet erant quinque deambulacra. διπλῆ στοὰ *duplex porticus* dicitur duo habens deambulacra, quæ duplex columnarum series distinguit; in quibus scilicet ambularent homines, vel morarentur non obnoxii inclementiæ aëris.

3. *In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum.*

Puto his morbis comprehendi omne morborum genus; undè subjicit Evangelista, omnes qui descendebant in piscinam sanos fieri à quacumque detinerentur infirmitate. Hammondus in Paraphrasi sua novi Testamenti non alios morbos vult sanatos quàm qui enumerantur; & naturali quadam virtute sanguinis, qui è templo, ut supponit, manabat in piscinam. Eadem sentit Thomas Bartholinus in libello quem scripsit de paralyticis Evangelii. Multa verba facit ut probet probaticam piscinam habuisse vim à natura morbos sanandi, ad hoc corradens quidquid dictum est de virtutibus quorumdam fontium. Nos cum sanctis Patribus motui supernaturali tribuimus virtutem probaticæ piscinæ. Scilicet superferebatur quodammodo spiritus Dei super illius aquas, & salvificas reddebat, ut ipsis Evangelii verbis evincemus.

4. *Angelus autem Domini descendebat secundùm tempus in piscinam & movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate.*

Deus utitur Angelorum ministerio, tum ad homines sanandos, tum ad puniendos. Vidimus supra ab Angelo Dei percussum Herodem Agrippam, quod non repulisset adulationes populi. Angelus autem ille qui hîc memoratur, si credimus Hamondo in suâ Paraphrasi, non erat cœlestis spiritus, sed quispiam nuntius, sive servus missus à Sacerdotibus ad turbandam aquam tempore opportuno, qui & ægros admonebat ut descenderent in piscinam. Verùm ille Angelus non dicitur Sacerdotum sed Do-

mini. Quâ circonſtantiâ confutantur qui Angelum illum habent pro virtute quidem Dei, quoniam ab eo omnia ſunt, ſed conſuetâ & naturali; ita ut quod in pleriſque fontibus deprehenditur, certis anni temporibus efferveſceret aqua, perturbaretur, & luto ſuo quaſi fermento permiſceretur; undè ei ſua virtus, quam plerique fontes habent. Sed ſi res ita eſt; ſi piſcinæ vis inerat à ſolâ motione aquæ; an qui primus deſcendebat, ſic omnem ejus virtutem exhauriebat, ut ſecundus & tertius ſanari non poſſent. Id in nullo alio fonte obſervatum. Dicunt quidem ſolo tempore motionis fuiſſe aquas ſalvificas, ut nulli prodeſſent, niſi qui ſtatim deſcendiſſet; ibi autem *primus*, inquiunt, ponitur pro *ſtatim*, & allegant exempla. Verùm alium eſſe ſenſum Evangeliſtæ oſtendunt illa paralytici verba, quibus reſpondet Chriſto à quo interrogabatur an ſanus vellet fieri: *Domine, hominem non habeo ut cùm turbata fuerit aqua mittat me in piſcinam: dum venio enim ego, alius ante me deſcendit.* Ita proderant aquæ huic qui non ſolùm ſtatim, ſed qui primus deſcendiſſet. Virtus itaque piſcinæ in Deum referenda, qui hac re, tanquam ſymbolo eruditos voluit Judæos, ut ſine morâ uterentur beneficio Chriſti ſervatoris, quem à tanto tempore expectabant, nec ſinerent alios priores ad eum accedere, & frui divinâ ejus gratiâ. Ergo in probaticâ piſcinâ virtus Dei extraordinaria agnoſcenda eſt. Nec mirum eſt à nullo ſcriptore Judæo celebratum miraculum. Unum habemus Joſephum, qui ut innuimus, non omnino illam piſcinam prætermiſit ſilentio; ſed cùm ſcriberet Græcis & Romanis, veritus ne non apud illos fidem inveniret, multa gentis ſuæ miracula obruit ſilentio. Tum & animadverſione dignum eſt, quod ipſe dicit, fore ut fuſiùs de Hieroſolymis diſſereret; ita enarraret miracula hujus urbis inter quæ piſcina probatica maximè ſpectanda erat. Quoad Angelum qui dicitur in noſtris codicibus Græcis & Latinis deſcendiſſe ſecundùm tempus in piſcinam, fatendum viris orthodoxis videri è margine in textum irrepſiſſe totam illam particulam: *Angelus enim Domini deſcendebat ſecundùm tempus in piſcinam & movebatur aqua.* Abeſt à multis antiquis codicibus, ut ſignificavi in Commentariis in Harmoniam Evangeliſtarum. Eruditus Boivinus Profeſſor Regius linguæ Græcæ & unus ex Præfectis Regius linguæ Græcæ & unus ex Præfectis Regiæ Bibliothecæ profert faſciculum teſtimoniorum, quibus evinci poteſt hodiernam lectionem non prorſus indubitatam eſſe. Sed res ipſa extra eſt omnem dubitationem; ſcilicet cum certis temporibus aqua piſcinæ probaticæ turbaretur, tunc eum qui prior deſcendiſſet fuiſſe ſanatum; cujus miraculi cùm non alia cauſa haberetur quàm Angelus Domini: id ſciretur & crederetur; primùm appoſita eſt margini de eâ re traditio, & deinde gloſſema textui permixtum eſt. Cætera quæ ſequuntur, nimirùm ſanatio paralytici hùc non pertinent.

SECTIO VI.

De ſuburbiis Hieroſolymorum, locis adjacentibus, montibus, vallibus, fontibus, hortis.

Suburbia ſanctæ civitatis & adjacentia ei loca hîc prætermittere non decet. Horum ſæpè fit mentio; quibus ergo deſcribendis opera quæ impenditur, non inanis eſt. Sumamus initium ab orientali parte. In illâ obverſabatur urbi mons Olivarum; & indè vallis Tyro cum procurrebat ad Occidentem, ſeparans montes Sionis & Moriæ. Separabatur mons Olivarum & profundâ valle ab urbe; ut dicit Joſephus de Bello 6. cap. 3. *Mons Olivarum contra civitatem ab Oriente ſitus eſt, altâque interjacente valle diſcernitur, cui nomen eſt Cedron.* Nempe in illâ fluebat torrens Cedron, quotîes cæli imbres ingruebant; verè enim torrens, non fluvius. Falluntur qui ſentiunt nomen ſuum habere à cedris ibi creſcentibus; contra teſtimonium oculorum, qui ibi nullas deprehendunt cedros. Torrens ille dictus eſt *Cedron* ob nigrorem, aquis ejus fimo & cœno atratis; nam reverâ potiùs urbis & templi cloaca eſt quàm fluvius. קדר idem ſonat quod atrari & obſcurari. Conveniunt Judæi templi ſordes, fimum pecudum, & omnem victimarum ſanguinem qui ad pedem altaris fundebatur, per canales effluxiſſe in hunc torrentem, qui ideo niger apparebat ob atrorem hujus ſanguinis; qui ſemel in uſum ſacrum dicatus, non poterat, ut opinantur Judæi, in uſum communem adhiberi ſine tranſgreſſione; pro quâ eluendâ, hortulani quibus vendebantur fimeta ad ſtercorandos hortos, pecuniam ſolvebant, quâ coemebantur victimæ in ſacrificium pro tranſgreſſione.

In iſtâ valle in quâ fluebat Cedron, ad pedem montis Sionis erat fons, ideò dictus *Rogel*; etenim רגל *regel* Hebræis eſt *pes*. Alii putant dictum quidem à *regel* quod pedem ſignificat, ſed non propter ſitum; potiùs quia ibi veſtimenta purgabantur pedibus calcata, ut ſolet fieri à fullonibus. Hujus fontis mentio fit in tertio Reg cap. 1 9. & ſtatuitur in viciniâ lapidis Zohelet. *Immolatis ergo Adonias arietibus, & vitulis, & univerſis pinguibus juxta lapidem Zoheleth, qui erat vicinus fonti Rogel* &c.

Ultra Cedronem ad montem Oliveti pergentibus occurrebat *Gethſemani*; locus torcularium oleaceorum, ſi Græcum nomen γεθσημανὶ hiſce literis Hebraicis exprimendum ſit גת שמני Nam גת *geth* eſt *torcular*, & שמני *olea*. Alii vero ſcribunt גיא שמני, id eſt, *vallis cum oleitate*. Quidquid ſit, huicce loco in quo erant oleæ, & idcircò olearum torcularia, proximus erat ille hortus, in quo Chriſtus oravit, cùm poſt cœnam in pervigilio paſſionis ſuæ reverteretur in montem Oliveti. Ita ſtatui debet in recto itinere, quo ex templo eundum erat ad hunc montem. Villalpandus exiſtimat viam compendioſiorem fuiſſe per portam gregis. Rabbini verò, ut oſtendit Ligfootius, volunt per portam aquarum ex monte templi fuiſſe viam rectam.

Mons Oliveti ex Joſepho in Antiquitatibus libro 20. cap. 6. diſtabat ab urbe quinque ſtadiis, quod & adſtruitur ex Beato Luca in Actis cap. 1. v. 12. hiſce verbis. *Tunc reverſi ſunt Jeroſolymam, è monte qui vocatur Oliveti, qui eſt juxta Jeruſalem, ſabbati habens iter.* Etenim illud iter erat ſecundùm Judæos, duorum mille cubitorum; qui quinque ſtadia faciunt, ſingula quadringentorum cubitorum ex Joſepho, ut dictum eſt in libro de menſuris. Ab oleis nomen huic monti inditum; intra cujus terminos mortuos eſſe ſuſcitandos aſſerit Paraphraſtes Chaldæus ad primum verſum capitis 8. Canticorum. *Cùm*, inquit, *reviviſcent mortui dirumpendus eſt mons Olivetus, atque omnes mortui Iſraëlis indè exituri. Etiam juſti iſti, qui mortui ſunt in captivitate, convolventur in terrâ & exituri ſunt ſub monte Oliveti.*

In hoc monte non longè ab urbe erat locus dictus *Bethphage*, quod nomen interpretantur, *locum groſſorum, ſive ficuum non maturarum.* בית *beth* domus eſt, ſive locus; פגי *phage* groſſus, ſive ficus immatura. Vicus ille tam proximus erat urbi, ut pro Hieroſolymis reputaretur, ſi Rabbinis credendum eſt. Veriſimile eſt ibi fuiſſe ficum cui maledixit Dominus, in quâ veniens è monte Oliveti ad templum non invenit fructus. In vertice montis

erat Bethania, vicus sic dictus à dactylis palmarum, quibus ferax est. Bethania est בית *beth*, sive domus, sive locus היני *hene* à voce אהיני quæ *dactylos palma um* significat ad maturitatem non perductos. Indè factum ut progrediente Christo à Bethaniâ in promptu fuerint rami palmarum.

Bethania longiorî intervallo distabat ab urbe quam Bethphage, quindecim enim stadiis removebatur juxta Joannis Evangelium cap. 11. v. 18. Itaque non in Bethaniâ Dominus ascendit in cælum, sed in loco magis vicino urbi, qui quinque stadiis, sive itinere sabbati tantùm distaret. Non dubito quin vici frequentes fuerint in monte Oliveti ob viciniam urbis: ita cùm Dominus in aliquo ex illis noctes transigeret, attamen dici potest quod to- B tâ die commoraretur in templo, videlicet sub noctem exibat ex urbe, pernoctaturus in monte Oliveti, & manè ad templum revertebatur.

Revertamur in vallem Cedronis, cujus pars erat vallis, quæ dicebatur filiorum Hinnonis ני בן הנם *Ge ben Hinnom;* de quâ multus est sermo in Scripturis & in libris Judæorum Memoratur in libro Josue cap. 15. 8. In eâ locus excelsus fuit cui תפת *Topheth* nomen, in quo sacrificuli idololatræ immolabant pueros idolo Moloch, traducendo eos per ignem, sive comburendo eos. Mali Dæmones ubi omnem arrogabant cultum qui Deo exhibitus fuisset. Abraham obtulerat Deo Isaac unigenitum filium suum, paratus & perficere de illo sacrificium. C Ethnici nec parcebant propriæ proli, cùm id placebat Dæmoni, qui nomine *Moloch* colebatur in Topheth. Josias, pius Rex hunc locum polluit projiciendo in illum cadavera, fimum, stercora, & omnes res immundas; ne ampliùs horrendæ isti idololatriæ consecratus esset, aut religiosus haberetur. Cur dictus sit Topheth, hanc rationem reddunt Rabbini, ut videre est in Lexico Talmudico Buxtorfii. Molech habebat faciem vituli, manus expansas instar hominis, ut ab alio aliquid accipiat, intrinsecùs excavatas. Igne supposito succendebatur donec ignitus fieret instar lucis Tunc sacrificuli acceptum infantem candentibus Molechi manibus indebant; ac ne parens ejulatum & clamorem pueri audiret, tympana pulsabant. Indè locus iste dictus fuit תפת *Topheth*, nempe à תפים *tympanis*. Vallis D verò *Hinnom*, quia vox parvuli erat נחם *nochem*, id est, *rugiens*, aut quòd astantes sacrificuli dicerent יהנה לך *ihene lec*, id est, *utile erit tibi*. Præterea dicunt Judæi in hac valle fuisse perpetuò accensum ignem ad comburendum cadavera, ossa ac reliquas sordes. Indè cum ab horrendis cruciatibus infantum qui sacrificabantur idolo Moloch, tum ab hoc igne perpetuo, judicium impiorum, sive locum in quo impii dabunt pœnas æternas, Judæi appellabant *gehinnam*, sive *gehennam*. Eo tendunt hæc verba Christi apud Matthæum cap. 5. v. 22. *Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.*

Post aliquod spatium, vallis dicta versùs Occidentem sese flectebat secundùm meridionalem pla- E gam Sionis. Vallis ista nunc Josaphat appellatur à scriptoribus nostris, qui de illâ interpretantur hocce Joëlis vaticinium cap. 3. 2. *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Josaphat; & disceptabo cum eis ibi super populo meo.* Non alibi in sacris Scripturis mentio fit loci qui sic appelletur. Præterea vox illa יהושפט *Josaphath* ambigua est. Hujus quidem nominis fuit Rex; sed accipi potest appellativè, pro Dei judicio maximo; ut maxima quæque Dei nomine veniunt apud Hebræos הושפט *Josaphath* dicitur pro יהוה שפט *Jehova shophath*, id est *Dominus judicavit;* quo in sensu cùm accipitur dicta vox, locus Joëlis reddi potest: *in vallem ubi*

A *judicabit Dominus.* Attamen Propheta poterat alludere ad insigne illud Dei judicium & cladem hostium, quæ sub Josaphat facta est in valle benedictionis; quam enarrat liber secundus Paralipomenon cap. 20. 26. Insuper, ut opinatur Kimchi, vallis quam diximus subjici meridionali lateri Sionis, potuit appellari Josaphath de nomine Regis à quo in illâ erectum aliquod insigne opus: non dico sepulchrum; nam cum patribus suis sepultus est in civitate David. Tum Judæi tum Christiani multa dicunt de istâ valle Josaphat, in quâ putant omnes pariter congregandos in postremo & universali judicio. Hæc multùm incerta sunt. Sensus apertus Prophetæ est gentes, quæ sub jugo tenuerunt Judæos, judicandas esse à Deo, cujus judicia sunt profunda.

In istâ valle progrediendo versùs Occidentem, pervenitur ad occidentale latus urbis; in quo porta stercorea, & porta vallis. Eâ in parte locus est qui Josepho dicitur βηθσῶ *Bethso.* Hujus vocis originem deducit Villalpandus a בית *beth domus*, sive locus & סור *sur* recessit; & censet fuisse publicam custodiam, in quam sontes veluti stercus extra urbem ejecti, conjiciebantur. Locus tenebricosus erat, quippe qui esset in profundâ valle; præterquam carceres in Scripturis appellantur tenebræ, ut in Psalmo 106. *Sedentes in tenebris & in umbrâ mortis, vinctos in mendicitate & ferro.* Plurimæ erant Hierosolymis custodiæ publicæ; carcer autem de quo loquimur, quia esset extra civitatem, dicebatur exterior. Ego deduco βηθσῶ *Bethso*, primùm quidem a *Beth domus*, & à צא *tse*, quod idem est Hebræis ac Latinis sordes & excrementum. Radix est verbum יצא *exivit, expulit.* Tenebræ exteriores Evangelii, meo judicio, sunt ipsæ noctis tenebræ, quibus premebantur quotquot projiciebantur, sive non admittebantur intra aulam convivii. Noctem in conviviis plurima funalia vincebant. A quacumque autem origine deducatur *Bethso*, locus erat proximus portæ Essenorum, quam vidimus non distinguendam à stercorariâ. Ibi Josephus statuit Bethso. Libro 6. de Bello cap. 6. Igitur Bethso sumi posset pro valle cadaverum, in quam & sordes urbis projiciebantur.

Vallis cadaverum erat inter montem Calvariæ & montem Ghion. Mons Calvariæ observandus inprimis, qui Dominico sanguine aspersus est. Ille à Jeremiâ cap. 31. 39. appellatur *Goatha*, à Joanne Evangelistâ *Golgotha*, hoc est, *Calvariæ locus*, ut ipse interpretatur; nimirùm ubi erant plures calvariæ, plura ossa, sed sub terrâ; mandabantur enim terræ. Hinc displicet conjectura Bocharti, qui ubi agit de corvis, putat collem corvorum qui nominatur in fonte Hebræo Isaiæ cap. 15. 7. habendum pro valle cadaverum, cujus meminit Jeremias cap. 31. 40. Utroque nomine vocata est vallis eadem, ait Bochartus, eò quòd damnatorum in illam conjecta cadavera corvi undequaque confluentes absumerent. In viciniâ suâ non sivisset Jerusalem cadavera etiam damnatorum insepulta jacere. Hodierna Jerusalem montem Calvariæ complectitur muris suis, extra quos nunc est mons Sion

Mons Ghion ideò celebris, quia ex eo tunc scaturiebant aquæ, quibus irrigabatur Jerusalem. Indè fluebat fons Siloë. Sic opinantur Judæi, idcircò ubi in textu Hebræo primi capitis tertii Regum dicitur vers. 33. & 38. *Deducite Salomonem ad Gihon; & deduxerunt eum ad Gihon;* in Paraphrasi Chaldaicâ est: *deducite eum ad Siloam; & deduxerunt eum ad Siloam;* ubi apud Ligtootium sic Kimchius. *Gihon est Siloam, & vocatur duplici nomine. Et præcepit David ut Salomonem ungerent ad*

ad Gihon, in bonum omen, ut sit nempe regnum e- A *jus pro ut aquæ fontis sunt perennes.* Typum regni Davidici exhibuerunt aquæ Siloë; unde Isaias dicebat cap. 8. 6. *Pro eo quod abjecit populus ille aquas Siloë quæ vadunt cum silentio.* Ubi sic Chaldæus Paraphrastes. *Quia tædet hunc populum regni domûs Davidicæ, quæ leviter eum tractat, sicut leniter labuntur aquæ Siloam.* Cùm è Ghion flueret Siloë, ideò, ut puto, Sirach, sive Ecclesiasticus cap. 48. 19. dicit in Græco fonte Ezechiam induxisse in urbem Gog. εἰσήγαγεν εἰς μέσον αὐτῶν τὸν γώγ, ὤρυξε σιδήρῳ ἀκρότομον, καὶ ᾠκοδόμησε κρήνας εἰς ὕδατα. *Induxit in medio eorum* Gog. *Fodit ferro rupem, & ædificavit puteos ad aquas.* Ibi scriptum γώγ pro γειῶν, ut liquet ex eo quod legimus in 2. Paralip cap. 48. B *Ipse Ezechias obstruxit exitum aquæ Ghion supra & direxit eas deorsum ad Africum civitatis David.* Ibi induco Græcos sic Latinè loquentes. Exposuimus hunc locum differentes de aquis Jerusalem. Vulgatus autem Interpres in loco Ecclesiastici non nominat Ghion, sed dat intelligendum. *Ezechias munivit civitatem suam, & induxit in medium ipsius aquam, & fodit ferro rupem & ædificavit ad aquam puteum.* Ezechias foderat; ut videtur, ferro rupem, ut in illam penetrans, puteum pararet, in quem obstructis aliis exitibus omnes aquæ montis Ghion congregarentur, & ex hoc puteo, sive receptaculo aquæ omnes in urbem inducerentur. Hoc est quod dicebatur fons Siloë; quem constat C fuisse ad Occidentem urbis, ut declarat Josephus non uno loco. Describens vallem Tyropœum, quæ ab Oriente ad Occidentem extendebatur, ait pervenisse usque ad fontem Siloë. Potuit autem fons ille habere diversa in urbe receptacula, piscinas in quas suas aquas effunderet; ita fieri potest ut etiam in valle Cedronis fuerit natatoria Siloë; quâ exciperentur aquæ Regiarum domuum, & subservirent irrigandis Regiis hortis.

Restat ut cursim circumlustremus loca quæ erant in viciniâ urbis versùs septentrionalem plagam. Torcularia Regis nominat Zacharias, & indicat situm eorum; capite 14. 10. prædicens Judæos captivos reversuros Jerosolymam. *Et revertetur* D *omnis terra usque ad desertum, de colle Remmon ad Austrum Jerusalem, & exaltabitur, & habitabit in loco suo à portâ Benjamin usque ad locum portæ prioris, & usque ad portam angulorum: & à turre Hananeel usque ad torcularia Regis.* Quasi dicat Propheta pars illa Jerusalem cujus muri eversi sunt à Chaldæis, iterùm exstruentur, & his protecti cives ejus vitam tranquillam agent. Procedit ille à portâ Benjamin percurrens plagam borealem; ita necesse est ut Regis torcularia fuerint versùs portam anguli inter Boream & Occidentem.

Versûs eam regionem terra in montem extumescebat, qui locus à Josepho σκοπὸς appellatur; à Judæis צופים *zophim*, id est, *speculantes* à צפה *zaphah* E *speculatus est*, sicut σκοπὸς à verbo σκοπέω *speculor*. Indè erat urbis & templi liberrimus prospectus; quapropter in eo Titus primùm castra posuit oppugnaturus Jerosolymam; quod discimus ex Josepho; cujus hæc sunt in libro sexto de Bello cap. 3. *Cæsar autem postquàm ex Ammaonte legio sibi conjuncta est nocte, de luce indè digressus ad locum qui scopos dicebatur accedit, undè jam & civitas & clara templi magnitudo conspici poterat: quâ parte septentrionalem regionem civitatis contingens locus humilior, propriè scopos nominatus est, distans à civitate stadiis septem.* Capite secundo innuit Josephus proximum fuisse monumentum Helenæ Reginæ Adiabenorum. In imagine veteris Jerusalem, quam Villalpandus curavit delineandam, observare est in eo- dem boreali tractu versùs Orientem castra Assyriorum, monumentum Herodis, stagnum serpentum, & agrum regalium sepulchrorum.

CAPUT VIII.

De synagogis urbis Jerusalem, de numero earum. In genere explicatur synagogarum forma, ministerium.

SECTIO I.

Quid essent synagogæ. Nomina illis propria.

Ædificia quæ Deo sacra sunt, dum cujuspiam urbis descriptio fit, præ cæteris animadversione digna sunt, tum propter religionem, tum propter decorem, quo solent exornari à religiosis populis. Si quæ ergo præter templum, cui describendo totum nostrum opus destinatum, erant Hierosolymis ædes divino cultui addictæ, non decet ea prætermittere silentio. Numerabantur intra ejus pomeria plures numero synagogæ; quarum qualiscumque fuerit forma & usus, certè loca sacra erant, si quidem in illis Deo fundebantur publicæ preces, & sacer codex legebatur & exponebatur populis. Non solùm autem Hierosolymis, sed & in cæteris urbibus Judaïcis; quin in toto orbe, quocumque pervaserat religio Judæorum, synagogæ frequentes erant, undè sæpiùs fit de illis sermo in Actis Apostolorum. In his Dominus dum versabatur in terris oravit; legit Scripturam, docuit populos; quod & fecêre discipuli ejus. Quibuscumque enim locis deprehenderentur, hùc festinabant ubi videbatur esse synagoga, annunciaturi Evangelium Judæis quos reperiebant religionis ergo congregatos.

Igitur dum Hierosolyma describimus, præterquàm quòd synagogæ hujusce urbis, pertinent ad præsentem descriptionem, de instituto est illas sermone attingere, quia, ut habeatur perfecta templi notio, interest amovere opinionem, parvo illud discrimine differre à synagogis; quarum idcircò interest formam, ministerium & ministros non ignorare. Hîc consarcinabo plurima quæ synagogas spectant, jam collecta à viris literarum Hebraicarum peritissimis; inter quos præter Buxtorfios, & Ligfootium nominandus Campegius Vitringa, qui tribus voluminibus disseruit de synagogis tum & Jacobus Rhenferdius, qui Campegio adversatus, etiam plurima circa synagogas observatu digna inseruit scripto suo.

Hocce nomen συναγωγὴ respondet Hebræo כניסה, vel כנסת à verbo כנס συνάγειν, *congregare*. Ædificia illa in quibus olim Judæi congregabantur, vulgò synagogæ dicebantur; postea a Christianis libentius dicta ἐκκλησία, id est, locus *cœtûs*. Dominus (Joan. cap. 18. v. 20) dicebat, *Ego semper docui* ἐν τῇ συναγωγῇ καὶ ἐν τῷ ἱερῷ *in synagogâ & in templo, quò omnes Judæi conveniunt.* Synagogæ possunt designari vocibus Hebraïcis עדה & קהל quæ passim in Pentateucho & alibi redduntur à Græcis Interpretibus συναγωγή. Voces συναγωγὴ & כנסת propriæ factæ sunt ædificiis minoribus, de quibus agitur; ἐκκλησία & קהל videntur majorem cœtum designasse; quo sensu dicebat Dominus apud Matthæum cap. 18. v. 17. *Si non audierit eos: dic Ecclesiæ.* Christiani vindicaverunt sibi nomen Ecclesiæ; quod & Judæi usurpant. Sicut nomine כנסת *synagoga* intelligunt ædificium, sive locum synagogæ, ita dictâ voce קהל *Ecclesia* significant ipsum cœtum totius populi Ju-

nis. Si autem mille numero synagogæ μυρία δίδωκα· πῦα occurrerent in urbe Alexandriâ non mirum est fuisse quadringenta, & octoginta Hierosolymis, ut dicunt Talmudistæ. Ad templum, ascensus non facilis erat; ita plurima requirebantur in diversis regionibus urbis oratoria ubi congregati Judæi solitas preces funderent.

Quinam essent *Libertini* illi, qui Hierosolymis habebant propriam synagogam, quærunt Interpretes. Alii intelligunt gentem aliquam, quod credidisse videtur Suidas, apud quem Λιβερτῖνοι ὄνομα ἔθνους, *Libertini nomen gentis*. Verùm potiùs intelligendi sunt Judæi dites & conspicui, qui olim bello capti, postea manu-missi fuerant, Romanâ libertate donati. Tacitus (Annalium 2.) ait: *Actum & de sacris Ægyptiis Judaicisque pellendis, factumque Patrum consultum ut quatuor millia libertini generis, eâ superstitione infecta, queis idonea ætas, in insulam Sardiniam veherentur, coercendis illic latrociniis, & si ob gravitatem cæli interiissent, vile damnum. Cæteri cederent Italia, nisi certam ante diem profanos ritus exuissent.* Josephus quidem tradit, *quatuor hæc hominum millia* fuisse Judæos; Suetonius pariter dicit. Acta hæc sub Tiberio aliquot annis ante publicum Christi ministerium. A Philone discimus, in libro de Legatione ad Caium, hos Judæos, quorum habitationi *Trans-Tiberina regio* ab Augusto assignata est, fuisse *Judæos Libertinos*, captos variis bellis, tam civilibus quàm externis, quæ Romani in Oriente gesserant. *Romani erant maximam partem*, inquit Philo, *Libertini. Captivi enim abducti in Italiam à dominis suis libertate donati erant.* Hi Judæi Libertini *trans-Tiberianæ regionis* habebant, ut verisimile est, Jerosolymis synagogam ad quam se recipiebant, cùm religionis ergo veniebant in sanctam civitatem, quæ ergo synagoga dicebatur Libertinorum. Non opus est ut admoneam, λιβερτῖνος esse vocem Latinam, quales pleræque usurpabantur à Græcis, & ab ipsis Judæis. Qui à Romanis appellantur *Libertini*, à Græcis Græcè loquentibus, ut à Philone dicuntur ἀπελευθερωθέντες, id est, manumissi, libertate donati. Ita nullus dubitandi locus est, quin in Actis nomen illud intelligi possit de viris hujus conditionis. Non solùm in urbe, sed & in ipso templo erant particulares domus precibus, prælectioni Scripturarum, & expositioni consecratæ. Traditur in codicibus *Joma* & *Sota* summum Pontificem finitis sacris *diei Expiationis* legem populo in templo prælegisse, eâque cæremoniâ peractâ varias recitasse benedictiones. Verba Mischnæ sunt. *Ibat eò Pontifex maximus ad legendum*. Ad quæ Jarchi: *Synagoga proxima erat atrio in monte domûs.* Hanc vero lectionem Maimonides scribit factam in atrio mulierum, sic loquens ad eundem locum Mischnæ: *Hæc verò lectio* [loquitur de eâdem hac lectione Pontificis maximi] *facta est in atrio mulierum, ubi alicui licitum est sedere.* Cùm econtra in atrio Israëlis nulli esset permissum sedere. Itaque illæ domus haberi possunt pro synagogis. Videbimus, dum de templi partibus disseremus, complura fuisse in eo conclavia, quorum quædam ideo appellata sunt *exhedræ*, quia Judæis eumdem usum præbebant, quem exhedræ Græcis. Propriæ, inquam, cellæ erant precibus & lectioni Scripturarum consecratæ: etiam scholæ; undè Dominus dicebat apud Matthæum cap. 26. v. 55. Quotidie apud vos sedebam docens in templo. ἐν τῷ ἱερῷ. Non in ipsâ quidem æde sacrâ, ubi Arca, altare aureum; nec in atrio Sacerdotum, ubi sacrificia fiebant. Quippe qui Sacerdotale munus non posset obire, nisi qui esset de tribu Leviticâ. Ergo Christus in exhedris docebat, ubi lex prælegebatur & exponebatur. Id poterat; quoniam legem prælegere & exponere cuique licitum esset, ut infrà dicturi sumus.

Si liceat ex hodiernis consuetudinibus Judæorum de antiquis statuere, synagogæ in altissimo civitatis loco ædificabantur; nunc enim loca excelsiora eligunt ad ea ædificia, ut docet Buxtorfius, ea sic exaltantes, ut cætera superent; rem enim indecoram putant, privatorum ædes altiores esse. Huic consuetudini testimonium perhibet Maimonides (Hilcoth Tephilæ cap. 11. §. 11.) *Quando*, inquit, *synagogam exstruunt, non exstruunt eam, nisi in alto civitatis; prouti dicitur: in summo celebrium urbis locorum clamat. Perducunt autem ædificium ad illam altitudinem, ut altius sit omnibus istius urbis conclavibus, secundùm id, quod dicitur: & ad exaltandum domum Dei nostri.* In codice sabbath dicitur: *omnis civitas, cujus tecta altiora sunt ædibus synagogæ, finis illius est vastatio, ut in Schulchan Aruch* dicitur: *qui domum suam altiorem condidit synagogâ, hic, ex quorumdam sententiâ, cogi debet, ut illam depressiorem reddat.*

Jam observavimus synagogas ædificatas etiam fuisse extra urbes, juxta flumina. In tractatu Talmudis Berachoth mentio fit synagogarum quæ in agris essent, ubi periculum erat morari propter latrones; in quibus ergo breviores preces fundere liceret. Judæi quippe invisi & exosi omnibus, cùm extra Judæam versabantur, forsan eligebant semota loca condendis synagogis. Flumina & fontibus loca irrigua præferebant Judæi, quia ante preces sese lavare consueverant. Hùc referri potest, quod de se in Actis cap. 16. v. 13. Paulus narrat: *die autem sabbatorum egressi sumus foras portam juxta flumen, ubi videbatur προσευχὴ esse*, nempe ex recepto more erat *proseucha*, sive synagoga juxta flumen. Ex Juvenale discimus Judæos habuisse synagogam extra portam urbis Romæ, quæ *Capena* vocatur, apud quam copiosæ fuerunt aquæ, undè *porta madida* dicebatur & à Festo *fontinalis*. Hanc intuebatur Juvenalis cùm caneret.

Substitit ad veteres arcus, madidamque capenam
Hic ubi nocturnæ Numa constituebat amicæ;
Nunc sacri fontis nemus, & delubra locantur
Judæis.

Illa consuetudo, ut videtur, Ludovico de Dieu, nata ex eo quòd in Genesi (cap. 24. v. 62.) narratur, Isaacum egressum esse in agrum ad puteum precum fundendarum causâ.

SECTIO III.

De origine & antiquitate synagogarum. Dei aliquo mandato non instituta sunt; nec earum ministri electi.

Synagogarum originem, esse antiquissimam patet ex illâ oratione Jacobi in Concilio Hierosolymitano (Act. cap. 15. v. 21.) *Moses enim à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in synagogis: ubi per omne sabbatum legitur.* Ante ipsum Moysem non potuit legi Scriptura cujus scriptor est; ergo ad ejus tempora istam consuetudinem refert Josephus. [libro 2. contra Appionem.] *Non semel legem audire, neque iterùm aut sæpiùs, sed singulis hebdomadis, operibus abstinere, atque ad audiendam legis expositionem in unum convenire* Moyses *jussit, eamque perfectè addiscere.* Eadem dicit Philo loquens de Moysis ætate. (lib. de vitâ Mos.) *Mos enim erat semper quidem, quando id occasio ferebat, præcipuè autem septimis diebus, quemadmodum in antecedenti-*

bus declaravi, operam dare studio sapientiæ, principe praeunte docenteque quæ dicere conveniat & facere, aliis autem honestatis virtutisque studio incumbentibus, vitamque & mores suos corrigentibus. A quo usque tempore etiamnum Judæi diebus septimis se dant studio patriæ philosophiæ, illud tempus collocantes in cognoscendis, & contemplandis rebus naturalibus.

Adstipulantur Josepho & Philoni Rabbini omnes; inter eos Maimonides, qui sic loquitur: (Hilcoth tephilla capite 12. §. 1.) *Moses magister noster ordinavit Israëlitis ut publicè legem prælegerent sabbato, nec non diebus hebdomadæ secundo & quinto horis matutinis, ne tres dies cunctarentur absque auditu legis divinæ. Esdras autem ordinavit, ut quoque legerent in die sabbati tempore vespertino propter negotiatores tabernarios; atque ipse etiam ordinavit, ut secundo & quinto diebus hebdomadæ tres legerent lectores, nec minùs quàm decem versus.* Vitringa observat Maimonidem hîc ad tempora Mosis referre consuetudinem lectionis legis, quæ secundo & quinto diebus hebdomadæ fiebat; quam consuetudinem authores passim deducunt ab Esdrâ. Plurima in hanc rem congerit Judæorum testimonia. Tamen cum illis conciliat Maimonidem, hujus consuetudinis non primum authorem, sed restauratorem faciens Esdram; niciturque hoc aperto Gemaræ testimonio. *Quòd autem legant diebus secundo & quinto hebdomadæ instituit Esdras: imò verò id jam* (ἀπ᾽ ἀρχῆς) *antiquitùs ita statutum erat ex traditione*, nempè ex traditâ interpretatione horum verborum sacræ Scripturæ.) Exod. cap. 15. v. 22.) *Et iverunt per tres dies in deserto & non invenerunt aquam. Interpretes Scripturæ mystici aquas exponunt per legem, secundùm id quod dicitur: Hei omnes sitientes venite ad aquas. Postquàm itaque per tres dies iverunt absque lege, defatigati sunt: steteruntque Prophetæ, qui inter ipsos erant, & ordinaverunt ipsis, ut sabbato prælegerent in lege, in sequenti autem primo die hebdomadæ cessarent;* (legere) *rursus verò lectionem legis repeterent die secundo, & pausam facerent tertio & quarto; rursus legerent die quinto, & vesperâ sabbati quiescerent; ne tres dies noctesque absque lectione divinæ legis transigerent. A principio ita statutum erat, ut unus homo tres legeret versus, aut etiam tres viri tres versus, respectu Sacerdotum, Levitarum & Israëlitarum. Venit ipse Ezras, & ordinavit ut tres viri decem legerent versus respectu decem otiosorum.*

Sabbatorum dies solemnes fuere, & illis congregabantur Judæi ad ostium Tabernaculi. Præceperat Moyses, ut lex prælegeretur populo. Alibi observatum fuisse scholas propheticas, sive celebriores Prophetas habuisse gregem discipulorum. Hos adibant populi requirentes ab eis legem Dei, quæ requirenda erat ab ore Sacerdotum. Levitas & Sacerdotes defunctos hocce munere ut populos docerent legimus in secundo Chronicorum. [cap. 17. v. 8. 9.] ubi Josaphat tertio anno regni sui dicitur misisse *Levitas & cum eis Elisama & Joram Sacerdotes: docebantque populum in Judâ habentes librum legis Domini, & circuibant cunctas urbes Juda atque erudiebant populum.* Hæc tamen non probant institutas & ordinatas synagogas diu ante Esdram; & id speciali aliquo Dei mandato; nempe ipso mediatore Moyse, vel aliquo viro Dei, qui jussa Dei ad hoc deferret.

Verùm post Esdræ tempora, ubique synagogæ ædificatæ sunt; quod sufficit ut earum usum antiquum esse dixerit Jacobus Apostolus: *Moses enim à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum prædicent in synagogis ubi per omne sabbatum le-*

A *gitur.* Ideò autem, ut videtur, cœptum est ædificari synagogas ob locorum *intercapedinem* à templo, vel quia templum non capiebat populum omnem. Israëlitæ qui erant in extremis finibus Judææ, aut extra illam detinebantur, cùm templum adire non possent, congregabantur simul aliquo in loco ubi, unà preces Deo fundebant, legebant legem, & expositionem ejus accipiebant ab iis qui scientiâ pollebant. Eadem studia conjunctos faciunt homines, eadem religio pariter arctæ societatis vinculo constringit. Factum itaque est ut quisque Israëlita impulsus religione sua adhæserit ejusdem religionis participibus. Initæ sunt, inquam, piæ societates, quæ legibus quibusdam adstrictæ sunt. Ut meliorem formam B haberent; loca consecrata sunt, in quibus socii aggregarent se. Quod autem aliquibus, & his maximè bonis placuerat, ab omnibus probatum est, & obtinuit vim legis, ut ubique fieret. Ita cœperunt ædificari synagogæ, non ex aliquo Dei mandato quod scriptum sit; quapropter, quo cœperint tempore vix definiri potest.

Etiam ante Esdram memorantur quædam ædificia Hierosolymis, quæ Rabbini habent pro synagogis. Illud enim quod narratur & in libris Regum (lib. 4. cap. 25. v. 9.) *Et succendit* Nabuzardan *domum Domini, & domum Regis, & domum Jerusalem omnemque domum* in fonte majorem, *combussit igne*, Talmudistæ interpretantur omnes istas domos majores fuisse synagogas. *Dissentiunt quidem hic leviter R. Juchanam & R. Josua ben levi* (hæc C ex Gemara Megill. ad cap. 4. profert Vitringa.) *Alter ait, intelligendum esse locum, in quo magnificant legem* (Academiam) *Alter verò intelligi vult locum, in quo magnificant preces* (synagogam) Sed nullo satis efficaci argumento probari potest has majores domos, alias fuisse, quàm ædes Magnatum excellentiores, splendidasque procerum structuras. Illud proverbiorum: Beatus vir qui audit me, & vigilat ad portas meas, interpretatur Jarchi de synagogis: *ut primus*, inquit ille, *ingrediatur academiam & synagogam, & egrediatur ultimus.*

Restat ergo ut synagogarum institutum assignetur temporibus Esdræ, sive hisce diebus per quos D Judæi vixere captivi extra terram Israël, sive cùm primùm reduces facti sunt, & Esdras instauravit cultum Dei. In libris Machabæorum nulla fit satis expressa mentio synagogarum. Quidquid ergo dicatur de tempore quo primùm synagogæ ædificari cœperunt, ortum suum debent piæ consuetudini, non expresso Dei mandato. Id unum caverat summus Legislator ne extra Tabernaculum, & extra templum quod postea ædificatum, altaria struerentur in quibus fierent sacrificia, & obirent Levitæ & Sacerdotes præcipua religionis mysteria. Hac cautione providebat ne fierent schismata; aut saltem ne incertum esset quis esset verus populus Dei; nempe qui veri essent adoratores ejus. Qui extra E Hierosolyma adorabant, structo alio altari, Jesu Christo judice, non adorabant Deum ubi oportebat. Præterea hac lege de unico altari efficiebat Deus ut Judæi templo everso, intelligerent legem Moysis evanuisse sine ulla spe restaurationis: sive repudiatos omnes antiquos ritus, & hos ideò tantùm institutos, ut essent symbola mortis Christi, quam ubi passus esset jam debebant censeri inutiles.

Institutum synagogarum optimum erat; sed cùm non haberet Deum authorem, sive, ut diximus, non præcepisset Deus aliquo speciali mandato ut exstruerentur, quisquis vir privatus, cujuscumque tribûs & conditionis esset, poterat omne in illis ministerium exercere; neque enim illud certis personis vindicaverat Deus. Quidquid, inquam, fiebat in

synagogis, erat de genere eorum, quæ ab omnibus A Israëlitis sine ullo discrimine adimplenda præcipiebantur. Cui enim non licitum, imò non præceptum preces ad Deum fundere, legere Scripturam, & docere filios suos legem Dei, & omnes quos filiorum loco habere poterat, nempe imperitos? Omnia quæ postea in synagogis placuit Judæis facere, ubique ex lege fuêre licita. Neque enim ulli loco sic astrinxerat Deus Israëlitas, ut extra illum non possent orare & legere Scripturas, administrare circumcisionem; & cætera quæ non præcipiebantur facienda in templo.

Verùm non omni errore vacat, quod vir alioquin eruditus passim in annotationibus suis ad novum Testamentum dicit: *Totum regimen Ecclesiarum Christi co formatum fuisse ad synagogarum exemplar.* Christus nec Apostoli ejus statuerunt penes arbitrium populi administrationem hujus religionis quam prædicabant, ita ut in Ecclesiâ Christianâ, nullum sit necessarium discrimen personarum: Nullæ sint sacræ, à quibus solis administrari possint Sacramenta. Contrarium docet omnis pagina sacra. Elegit Dominus Apostolos; quibus pascendas suas oves commisit: Non cuilibet potestatem contulit ligandi & solvendi, & potestatem conficiendi Eucharistiam. Posuit Deus in Ecclesiâ suâ Doctores & Pastores. Non omnes sunt Apostoli; cùm omnes in synagogis qui eâ facultate valebant, præire cæteris poterant precando, prælegendo, exponendo Scripturam. Hac promiscuâ potestate factum, ut locus Apostolis datus sit ubique Evangelium prædicandi. Nulla erant in synagogis penetralia, & harum aditus cuique patebat, & sine discrimine familiæ Leviticæ, & Aaronicæ quisque poterat in his habere sermonem. Quod & facere si quis videbatur peritior, rogabatur. Mos ille occasionem præbuit Apostolis Evangelium liberrimè prædicandi; rogati enim de lege disserere, demonstrabant omnia quæ lex & Prophetæ docebant de Christo venturo, hæc convenire in Jesum, quem patres eorum cruci affixerant.

Ecclesia discrepat ministerio suo & suis Sacramentis à synagogâ; ad cujus exemplar regimen Ecclesiasticum non potest conformatum dici: sed non ideò minùs verum est multa è synagogis fuisse mutuatos Apostolos, dum Ecclesiam formarunt; & ejus statuerunt disciplinam. Loquor de iis quæ Jesus Christus D. N. eorum arbitrio quasi statuenda reliquerat. Non decebat eos tam aversam à Judaïsmo mentem gerere; ut quæ in eo utilia erant & omnibus congrua, fastidirent. Igitur nec abstinuerunt nomine synagogæ, quo & Ecclesiam Christianam appellaverunt. Nomen illud usurpavit Jacobus in Epistolâ Catholicâ loquens (cap. 2. v. 2.) de cœtibus Christianis *si introierit* εἰς τὴν συναγωγὴν ὑμῶν *vir aureum annulum habens,* Vulgatus Interpres reddit *in conventum vestrum;* poterat dicere *synagogam;* quoniam vox illa Latinè usurpatur. Plerosque synagogarum ritus, quos modò exponemus, videbimus olim fuisse observatos in primorum Christianorum conventibus. Diebus sabbati Moysis quinque volumina, ut apud Judæos judaizantes, apud Christianos legebantur quod statuit Synodus Laodicena prima. Non mediocre pretium est huic operæ, quâ veteres ritus Judæorum proferuntur in lucem; indè enim ritibus Christianis assèretur sua antiquitas, simul & authoritas adversùs novatores qui illos fastidiunt & damnant.

SECTIO IV.

De synagogarum structurâ, partibus, supellectili, instrumentis & ornamentis.

NUnc propiùs accedendum ad synagogas; cum oculis non subjiciant aliquam structuram dignam animadversione, non ultra morati tectum earum subeamus. Ex Buxtorfio ut plurimùm muros & parietes habent candidos, vel gypso, vel tabulis obductos; quibus Judæi inscribunt versus scripturæ, quibus se excitant ad ardorem in precando. Instructæ sunt sedilibus & scamnis, quandoque etiam armariis pro asservandis libris & palliis quibus amicti
B orant & aliis utensilibus. Lampades & candelabra illic passim sunt suspensa, cum candelis vel cereis ardentibus, ad locum illustrandum. Ad januam sunt arcæ, in quas quisquis pro lubitu nummos conjicit in eleemosynam pauperum. Versùs partem ejus orientalem est sacellum, quod היכל *Hekal*, id est, templum appellant, per quod alii intelligunt, *armarium* in quo liber legis reponitur; quin etiam *tabula* supra quam liber ille collocatur, nempe pluteus. Judæi etiam appellant תבה *Theba*, arcam Librariam; item & pluteum cui illa imponitur; circa harum vocum propriam significationem disputant, qui delectantur lectione Rabbinorum. Quin & armarium legis nominant ארין *Aron*, id est, *arcam,*
C quia repræsentat Arcam fœderis, quæ in templo fuit. In eâ repositus est liber legis, ex quo suas lectiones in synagogâ peragunt: & quandoque plura ejus continet exemplaria. In medio vel potiore parte synagogæ est במה *bama*, id est, ambo, vel quasi altare ligneum, cui imponunt librum legis, quando fit de illo lectio.

Portam synagogæ faciunt ex opposito illius loci, in quo orant in quaque urbe. Veluti si orent versùs Occidentem, porta facienda est in parte orientali; ut jam ab ipsâ portâ se incurvent versùs arcam, quæ est in latere versùs quod orant. Quia hodie orant versùs Orientem, obvertendo se scilicet versùs terram Israëlis, non faciunt portam sy-
D nagogæ in orientali plagâ. Olim cuique in synagogâ locus assignabatur, pro suæ dignitatis & honoris gradu; nunc verò magno pretio quisque locum redimit; & quò est ditior, eo commodiorem. Sedilia verò disponunt ita ut inter suggestum qui est in medio synagogæ & inter arcam; nemo sedens facie sedeat obversâ ad suggestum & tergum vertat Arcæ. Magnam se synagogis debere reverentiam intelligunt Judæi; idcirco si duas portas habeant, per illas compendii viæ causâ non transeunt; nec licitum putant de lucernâ synagogæ aliud lumen accendere, ne quidem ad scribendum & ad studendum.

Pars synagogæ ubi reponitur volumen legis, sanctior reputatur; & ideo eam Judæi appellant היכל,
E quod nomen erat templi. Armarium Hebraïcè appellant תיבה *Thebah*; quo nomine appellata est, arca in qua Noë servatus est à diluvio. Ut synagogæ referrent similitudinem templi, armarium, sive arcam voluminis legis Judæi appellant ארון perinde ac Arcam fœderis, cui volunt arcam suam librariam similem videri, quòd pariter contineat legem Dei, sed frustra, ut dicit B. Chrysostomus in suis contra Judæos orationibus. *Ne verò mihi dicas* in defensionem synagogarum, *legem ibi & Prophetarum libros repositos esse. Id non sufficit ad locum aliquem sanctum efficiendum ..... mihi quidem Judæorum, quam nunc habent, κιβωτὸς Arca nihil meliùs habere videtur iis, quæ veneunt in foro, imò pejus habet.*

Arcam ſuam nunc Judæi locant in plaga orientali. Olim templum obvertebatur Orienti; ut qui in eo orarent, faciem verterent ad Occidentem; ſed ex quo everſum eſt, convertunt vultum ad terram Iſraël; & de hoc canon eſt apud illos. *Quando quis conſiſtit ad precandum, ſi ſtet extra terram Iſraël, convertat faciem ſuam versùs terram Iſraël, & dirigat etiam animum versùs Hieroſolymam & Sanctuarium & Sanctum Sanctorum. Si conſiſtat in terrâ Iſraël, vertat faciem ſuam versùs Hieroſolymam; & attendat quoque ad Sanctuarium & Sanctum Sanctorum. Si conſiſtat Hieroſolymæ, reſpiciat Sanctuarium, & ſimul animum ſuum intendat ad Sanctum Sanctorum. Si conſiſtat poſt* ἱλαστήριον *Propitiatorium, vertat faciem ſuam ad* ἱλαστήριον. In his ergo occidentalibus oris Judæi diſponunt Arcam, ut versùs illam precantes, ſimul ot verſi ſint versùs terram Iſraël.

Iterùm animadvertam ſuggeſtum & in eo pulpitum è regione Arcæ exſtrui in ſynagogis, undè legis divinæ lectio & oratio fit ad populum. Suggeſtum locus eſt excelſior בימה *Bema*; de quo ſic Maimonides (Hilcot Tephilla cap. 11. §. 3.) *Et conſtituunt ſuggeſtum* בימה *Bemah in medio ædium ſynagogæ, ut in illud aſcendat qui prælecturus eſt legem divinam, aut ſeriam ad populum habiturus orationem, ut illius verba ab omnibus percipi poſſint. Quando autem conſtituunt Arcam, in quâ liber legis aſſervari ſolet, collocant eam in medio, ita ut poſteriora Arcæ illius ſint versùs templum* Hieroſolymitanum, vel versùs hanc partem ſynagogæ quam appellant היכל *hekal priora verò versùs populum.* Vox בימה videtur Græca, nec alia quàm vel βωμὸς *altare* vel βῆμα, nempe locus editus in quo judices jus dicebant; qua voce utitur Joſephus in Antiquitatibus lib. 4. v. 8. *Septimo quoque anno quando per ſcenopegiæ feſta apud ſanctam urbem ſacrorum causâ convenitur, Pontifex è ſublimi ſuggeſtu* ἐπὶ βήματος ὑψηλοῦ, *undè à toto populo exaudiri poſſit, legem pro concione legat, & neque mulieres, neque pueri ab auſcultando arceantur, imò ne ſervi quidem.* Pulpitum in quo liber legis reponebatur, appellatur à Maimonide מגדל *turris*; quo forſan nomine totum ſuggeſtum cum pulpito comprehenditur. Attamen aliud ſentit R. Joſeph Karo; cujus verba Vitringa interpretatur lib. 1. de Structura ſynagogarum. part. 1. cap. 8. & inſerit libris ſuis quos hîc exſcribimus. *Scripſit* autem R. Meir ſuper verbis Maimonidis *Arca* ארון *eſt theca libraria, de qua verba fiunt in Gemara ut & de* γλωσσοκόμοις *librorum, quæ interpretantur per capſam, qua librum legis recondunt. Turris verò* מגדל *eſt pulpitum* (ſubſellium) *altum, quod inædificatum eſt* βήματι, *in quo miniſter ſynagogæ, librum legis, de quo prælecturus, reponit. Petita eſt autem locutio ex hiſtoria Eſdræ, de quo dicitur: Et ſtetit ſuper turri lignea. Thronus verò* כסא *idem eſt* quod כרסיא *careſea memoratum in Gemara. Nimirùm ſunt loca, in quibus thronum quemdam* (pulpitum) *conſtituunt ad librum legis in eo deponendum, quo tempore duo legis volumina de Arcâ depromuntur.*

Non omnino conſtat quæ fuerit forma ſuggeſti de quo loquimur; quæ partes ejus, & partium forma: quid thronus, quid turris; nec iſta clariùs noſcere tanti eſt. Primos Eccleſiæ patres in multis reſpexiſſe ad ſynagogarum formam, in quibus quaſi nata erat Eccleſia, videre eſt in illa deſcriptione ſynagogarum. Nam in ædibus ſacris Chriſtianorum certum eſt fuiſſe ambonem, videlicet pulpitum & tribunal, in media templi nave, eundem in uſum, nempe lectionis & explicationis verbi divini extructum. Ἄμβων Græcè eſt quidquid eminet ac protuberat formâ rotundâ, ἀπὸ τοῦ ἀμβαίνειν, ſive ἀναβαίνειν *aſcendere.* Apud Heſychium ἄμβωνες ſunt acclivitates & faſtigia montium. In Scriptoribus Eccleſiaſticis ſæpiſſimè mentio fit *ambonis* qui in medio Eccleſiæ ſtatuebatur. Adducam tantùm quam hujuſce ambonis facit mentionem Socrates [Hiſt. Eccl. lib. 6. cap. 5] loquens de B. Chryſoſtomo. *Epiſcopus igitur, dum Eutropius ſub menſa altaris jaceret, metu perculſus, ſedens in ambone* ἐπὶ τοῦ ἄμβωνος *unde etiam antea concionari ſolebat, quò faciliùs ab omnibus exaudiretur, objurgatoriam in eum habuit orationem.*

Subſelliis inſtructæ erant ſynagogæ; quorum diſpoſitionem deſcribit Maimonides (Hilcoth Tephilla cap. 11. §. 4.) *Quomodo ſedet populus in æde ſynagogæ? Seniores* (paſtores populi) *ſic ſedent ut facies eorum ſit obverſa populo, & poſteriora illorum ſint obverſa templo, ſive Arcæ librariæ; univerſus verò populus conſidet ſerie ante ſeriem, ita ut anteriora ſeriei unius poſterioribus ſeriei alterius, quæ ante eam eſt, obverſa ſint. Adeò ut facies univerſi populi ſit versùs Sanctuarium & ſeniores & capſam librariam.* Sedilia ſeniorum erant procul dubio αἱ πρωτοκαθεδρίαι τῶν ſυναγωγῶν; de quibus Chriſtus loquitur apud Matthæum cap. 23. v. 6. *Amant*, ait de Phariſæis, τὰς πρωτοκαθεδρίας *primos recubitus in ſynagogis.* Non prætermittendus Philonis locus, ubi agit de ſapientibus ſuæ gentis. *Septimo vero die conveniunt in cœtum communem, & juxta ætatis ordinem conſident, decenti habitu, manus continentes ſub pallio, dexteram inter pectus barbamque, ſiniſtram applicatam lateri.* Diſtinctis autem ſubſelliis mulieres a viris ſeparatas fuiſſe ibidem Philo dicit. *Id commune* ſεμνεῖον *ſacrarium, in quod ſeptimo quoque die conveniunt, ſepto clauditur duplici, ſeparatis virorum & mulierum cœtibus. Nam mulieres quoque ſimul auſcultant ex more, duntaxat quæ inſtitutum idem ſectantur. Medius autem paries à ſolo ſurgit tribus quatuorve cubitis, in modum loriculæ, ſuperiora uſque ad tectum patent: indè gemina provenit commoditas, & quòd pudori fœminei ſexûs conſulitur, & quod verba doctoris exaudiuntur facilè abſque ullis obſtaculis, quæ ejus vocem intercipiant.*

Videre eſt in omnibus Judæorum ſynagogis lampades majori aut minori artificio conflatas, ſuſpenſas aut parietibus affixas. Mos ille Judæis antiquus eſt, primùm à neceſſitate ortus, deinde continuatus in ornamentum. Voluerunt illi quàm ſimillimas templo ſuas ſynagogas reddere; in quo decem candelabra, an perpetuò illa arderent diu noctuque non hîc quærimus Sacra ædes certè non colluſtrabatur multâ luce ſolis; neque enim huic parietes feneſtris pervii erant. Præterea lucernas de die accendere fuit in more apud Judæos; quibus cum non liceret novum ignem ſabbato excitare, ideò feriâ ſextâ, antequàm ſol occideret, accendebant lucernas. Hunc Judæorum morem intuebatur Seneca, [Epiſt. 95.] *Accendere aliquem lucernam ſabbatis prohibeamus, quoniam nec lumine Dii egent, & ne homines quidem delectantur fuligine.* Feſtum celebrabant Judæi quod Joſephus (Antiquit. lib. 12. cap. 11.) appellat φῶτα *lumina.* Cadebat hæc feſtivitas in octo illos Encæniorum dies, quibus Judæi recolere ſolent memoriam cultûs templi, quem poſt expulſum Antiochum Epiphanem Judas Macchabæus reſtauravit.

Etiam apud alias pleraſque gentes conſtat in ſignum lætitiæ faces accenſas fuiſſe interdiu ſine ullâ neceſſitate & ſuſpicione ſuperſtitionis; quâ in re Chriſtiani Judæos imitati ſunt, ſimiliter in quibus congregabantur, oratoria, Eccleſias multis lucernis

exornantes. *Erant autem lapides copiosæ*, inquit Paulus in Actis (cap. 20. v. 8.) *in cœnaculo ubi eramus congregati.* Cur tot luminaria fuiss'ent accensa, nisi ad ornatum parata fuissent? Hac, inquam, imitatione Judæorum, sive potiùs ex antiquâ Apostolorum consuetudine, luminaria in veteri Ecclesiâ accendebantur ad lætitiam & honorem Martyrum. Quod cùm Vigilantius improbaret, adversùs eum scripsit B. Hieronymus, non tam quidem ut adstrueret usum lucernarum clarâ die, quàm ut defenderet usurpatum à piis fœminis. Ex hoc enim loco B. Hieronymi liquet hancce consuetudinem fuisse perantiquam. *Cereos autem*, loquitur B. Hieronymus, *non clarâ luce accendimus, sicut frustra calumniaris; sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus: & vigilemus ad lumen, ne cœci tecum dormiamus in tenebris. Quod si aliqui propter imperitiam & simplicitatem sæcularium hominum, vel certè religiosarum fœminarum, de quibus vere possumus dicere: confiteor zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam: hoc pro honore Martyrum faciunt, quid indè perdis? Causabantur quondam & Apostoli quod periret unguentum, sed Domini voce correpti sunt. Neque enim Christus indigebat unguento, nec Martyres lumine cereorum: & tamen illa mulier in honore Christi hoc fecit, devotioque mentis ejus recipitur. Et quicumque accendunt cereos, secundùm fidem suam habent mercedem.* Morem illum Ecclesiæ B. Hieronymus non reprobat qui insectatur Vigilantium repudiantem consuetudines Ecclesiasticas, quia & priùs fuissent idololatrarum. *Et quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne simili eum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, & idcircò detestandum est: hoc fit Martyribus, & idcircò recipiendum est. Nam & absque Martyrum reliquiis per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria, jam sole rutilante: non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.*

Inter utensilia, sive instrumenta synagogæ quæ hîc enumeramus, primum locum merentur libri sacri. Volumina sunt constantia ex membranis vitulinis in longitudinem ad aliquot ulnarum spatia consutis. Quæ conscriptæ sunt charactere polito quodam, sed crassiore; ab utraque verò extremitate suâ annexæ duobus lignis tornatis quibus tolli & ferri possit volumen. Vix toto hocce capite complecti possemus quæ dicunt Judæorum doctores circa hujusmodi membranarum speciem, præparationem, futuram, longitudinem, scribendi leges sollicitè observandas, & denique circa reverentiam, quæ volumini, sic ritè instructo debetur. *Viginti res esse accepimus*, inquit Maimonides, [*Hilcoth Tephillin* cap. 10. §. 1.] *quarum singulæ librum legis profanum reddunt: quarum si aliqua in eum incidat, fit instar quintanæ partis Pentateuchi*, nempe partis hujus ex quâ pueri erudiebantur; ideò carebat sanctitate libri legis.

Liber legis prophanus censebatur, qui scriptus fuisset 1. in pelle animalis immundi: 2. in pelle animalis mundi non ritè præparatâ: 3. in pelle non præparatâ hoc nomine, quò inscriptioni libri legis esset inservitura: 4. in eâ parte pellis qua scribi non debet. Non vacat enumerare cæteras conditiones libro legis necessarias ut sanctus sit, sive ut in eo publicè legi possit. Sacer ille codex eâ curâ & anxietate descriptus involvebatur linteaminibus, quæ fasciarum instar in longum magis porrecta erant, quàm extensa in latum. Lignis tornatis apponuntur poma argentea vel aurea. Ubi autem semel volumen legis evolutum erat, non licebat

A cuiquam egredi è synagogâ usquequo reconditum esset.

Inter utensilia & instrumenta cultûs divini in synagogis celebrati Vitringa numerat *tubas & buccinas.* Tubæ חצצרות *chatzorereth* erant rectæ & ex metallo. Buccinæ verò שופרות curvæ ex cornu arietino. Buccinam habuisse usum in excommunicationibus probat vir doctus quem sæpiùs allego in his quæ de synagogis refero. Profert testimonia in quibus etiam fit mentio trecentarum & quadringentarum buccinarum in unâ excommunicatione adhibitarum. Buccinæ usus ordinarius erat in proclamando novo anno. *Præceptum affirmativum est audire clangorem buccinæ anni novi principio*, ait Maimonides. (*Hilcoth schopar* cap. 1. §. 1.) *secundùm*
B *id quod dicitur, dies clangoris erit vobis. Buccinam autem quæ inflatur, sive his ipsis novi anni principiis, sive in festo jubilæo, esse oportet cornu arietinum incurvatum.*

Tubarum erat insignis usus ad nunciandum sabbati introitum, quando sex clangoribus, distinctis temporis articulis, admonebantur Israëlitæ, ut se ad illud decorè præpararent, assignato cuique sono tubæ quodam officio. Etiam in jejuniis usus erat tubarum, ut videre est in his verbis Maimonidis [Hilcoth Taanith cap. 1. §. 1.] *Præceptum affirmativum legis est clamare & clangere tubis si per omni angustiâ, quæ Ecclesiam p esserit, secundùm id quod dicitur; super hoste, vos angustiante, barritum exci-*
C *tabitis tubis.* Denique inter ornamenta & supellectilia synagogæ censetur velum splendidissimum quod Arcæ librariæ appendi solet. Haud dubium quin hoc velum sic appenderent Judæi ante Arcam, in eâ parte quam appellant היכל *hechal*, ut imitarentur templum, ante cujus partem sanctiorem velum erat oppansum.

Ad supellectilia synagogæ quodammodo pertinet, amictus ille capitis, sive palliolum quo Judæi amiciunt caput dum orant. Vestis est quadrangula; ad cujus quatuor angulos annectuntur fimbriæ seu peniculamentum, quod vocant ציצית *zizith.* Id præceperat Deus in Numeris cap 15. 37. & in Deuteronomio cap. 22. v. 12. Saltem dum orant
D in synagogis hac veste carere nolunt; quam ii si appellant *Taled;* quod dupl cis generis est unum parvum quod occultant sub veste ordinaria, a iud magnum quod capiti suo imponunt in synagogis suis. Deus præcipit in Deuteronomio cap. 6. ut alligentur verba legis ante oculos, in manu. Judæi illa scribunt in loris, quæ philacteria nominant, quia servant illa verba. De his phylacteriis sermonem fecimus in apparatu biblico. Hæc palliola, hæc phylacteria parata occurrebant in synagogis, si quis vellet uti, ideo numeravimus inter earum utensilia.

SECTIO V.

E *De synagogæ regimine, de præpositis ejus; & horum promotione & ordinatione.*

Diximus non aliquo speciali præcepto Deum constituisse synagogæ ministros: quomodo ergo regerentur, sive penes quos esset ejus regimen videndum est; quæ essent in illâ dignitates, sive qui harum dignitatum tituli. Qui eligebantur in synagogæ Judaicæ præpositos, viri erant spectatæ probitatis. Vocabantur Chaldaïco vocabulo פרנסים *parnasim*, id est, *pastores.* Etiam dicebantur רבים *Rabim*, sive Rabbini. רב aut רבא apud Chaldæos significat *ducem, dominum*, magistrum, in genere *excellentem, superiorem.* Hellenistæ, sive Judæi Græcè loquentes hos vocant Ἀρχισυνάγωγοι *Archisinagogos*, ut

ut docemur in Actis [cap. 13. v. 15.] ubi plurium Archisynagogorum unius ejusdemque cœtûs fit mentio. Sed inter eos unus eminebat, eruditionis nomine prælatus cæteris, cujus proprium erat legem interpretari, & preces concipere. Is Hebræis vocatur ממנה *mamone*, id est, *præpositus*, aut etiam ראש הקהל *resch hachaal*, id est, *caput Ecclesiæ*, cœtûs, Syriacè רוש כנושתא. Græcè ἄρχων τῆς συναγωγῆς & κατ' ἐξοχὴν ὁ ἀρχισυνάγωγος. Philoni ὁ πρόεδρος *præses*. Interdum etiam ὁ πρεσβύτατος *senior*, cui tribuit Philo ea edocere quæ in Bibliis non erant omnibus nota: item, τὸ διαλέγεσθαι καὶ τὸν ὕμνον ᾄδειν, *disceptare & hymnum pracinere*.

Verbum פרנס *parnas* significat apud Chaldæos *regere*, *gubernare*, *pascere*; undè *parnasim*, quæ vox veteribus & recentioribus Syris & Talmudicis idem sonat quod Græcis ποιμένες, Latinis *pastores*. Ex hoc verbo venit פרנסה *parnasah*, quæ in Chaldaïcâ Paraphrasi significat *cibum* & *alimentum*. Ideò Ligthfootius titulum *parnasim* censet, potissimùm referendum esse ad *collectores eleemosynarum*, sive *curandorum pauperum præfectos*; qui scilicet pauperes pascebant & nutriebant eleemosynis; distribuentes cibos, alimenta. Sed Vitringa evincit non posse *parnasim* sumi pro collectoribus eleemosynarum, qui alio nomine designantur. Nomen *parnas* ubique designat *ducem*, *præfectum*, *rectorem & gubernatorem* quemcumque. Undè illa plerorumque Magnatum nomina in Oriente: *Pharnobasus*, *Pharnaspes*, *Pharnarathres*, *Oropbernes*, *Olophernes*. Nihil autem tam consuetum est sacris & prophanis Scriptoribus, quàm Reges pastorum nomine designare. Qui Chaldæis, Syris, & Talmudistis dicuntur *parnasim*, sunt Judæis Græcisantibus ἀρχισυνάγωγοι, *Archisynagogi*. Vidimus plures fuisse in singulis synagogis; de quo non sinit dubitare ille Actuum locus. (cap 13. v. 15.) *Post lectionem autem legis & Prophetarum miserunt* ἀρχισυνάγωγοι Archisynagogi principes synagogæ ad eos, dicentes, &c. Synagogarum præpositos, sive præfectos opinor innui à Domino nomine τῶν ἀρχόντων τῶν ἐθνῶν, apud Matthæum (cap. 20 v. 27.) cùm dicit discipulis suis: *& qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus*.

Dignitates synagogarum, & gradus dignitatum distinguit canon ille juxta quem digniores incipiebant Scripturam sacram prælegere in synagogis *Sacerdos*, inquiunt Judæi, *primus legit; post hunc Levita*. Israëlitæ autem hoc ordine. *In sabbato, festo & die Expiationis post Levitas legunt viri docti*, discipuli חכמים sapientum, *qui præfecti sunt synagogæ; post hos viri docti qui digni sunt synagogæ præfici gubernatores: tum filii doctorum, quorum patres synagogæ præsunt, & demum principes cœtûs & universus populus*. Ibi mentio fit חכמים *chochamim sapientum*, nempe eorum qui præ cæteris pollebant doctrinâ; & alios erudire poterant. Hos intuebatur Paulus scribens Corinthiis (1. Ep. cap. 6. v. 5.) *Sic non est inter vos sapiens* σοφὸς *quisquam qui possit judicare inter fratrem suum*, sive judicium ferre. Per *sapientem* Paulus in hoc loco non intelligit prudentem quemvis & probati judicii virum, sed doctorem aliquem, vel doctori supparem interpretem verbi divini, quos in casibus conscientiæ & quæstionibus juris adibant Judæi. Alio nomine hi sapientes dicti sunt חברים *chabirim*, id est, *socii*. Quivis sapientum discipulus, vir literatus, inprimis qui ad Doctoris gradum nuper elevatus erat, & cui proin plena nondum aderat in exprimendis sententiis juris potestas aut authoritas, superstite adhuc inter vivos *Magistro* Promotore ejus dicebatur חבר, id est, socius, nempe huic associatus qui magnus Doctor audiret.

Imperatores Romani, in legibus suis & rescriptis ad Judæos, nomina dignitatum illius gentis, &

A administrationis synagogicæ usurpant Nominant *Patriarchas*. Olim qui Judæis captivis præerant, dum scilicet non habebant Reges, principes, dicebantur ראשי גליות *capita captivorum* Aixhmalotarchæ. Ubi verò de synagogis fit sermo, illi Patriarchæ sunt censendi, qui dicebantur *patres synagogarum*. In synedrio post principem synedrii, secundus ab eo, videlicet vicarius ejus dicebatur *pater synedrii*. In quibusdam ergo synagogis qui erat Archisynagogi vicarius, potuit & pariter appellari *pater synagogæ*. In codice Theodosiano mentio fit *Archiperechitarum*; quod nomen componitur ex duabus his vocibus primùm Græcâ ἀρχή, & alterâ Hebræâ פרק, id est, *capitulum*, *sectio*, *textus*, parsque sa-
B cri libri vel Talmudis, cujus capita dicuntur פרקים *perachim*. Potest autem τὸ פרקה hîc significare non modò ipsum textum exponendum, sed ipsam lectionem & expositionem contextûs, quæ à præstantissimis doctoribus in synagogis & scholis instituta esset. Ita per *Archiperechitas* intelligere licet eos qui cæteris præerant docendo. Philo loquens de Essenorum conventu in sabbato, indicat virum qui esset πρεσβύτατος καὶ τῶν δογμάτων ἐμπειρότατος natu maximus, & scientiâ excellentissimus disseruisse & exposuisse Scripturam, qui ergo verè dici poterat *archiperochita*.

Post Archisynagogum & Presbyteros erant in synagogâ ὑπηρέται qui minora munia ex eorum decreto obibant. Joannes dicitur in Actis (cap. 13. v. 5.) ὑπηρέτης fuisse Pauli & Barnabæ. Hebræis ὑπηρέται
C vocantur חזנים *Azanim*, ut videre est in Talmudico, titulo de sabbato, tum & alibi. Horum munus inter cætera erat librum legis custodire & ex eo legere, quod in Ecclesiâ Christianâ faciebant ἀναγνῶσται lectores, quæ erat species διακόνων. Nam olim cùm exigua esset multitudo, iidem Diaconi omnia ea obibant, quæ Presbyteris obire non vacabat. Hæc Grotius, quæ expendere non vacat; & sub hisce verbis errorem latentem confutare. Immoremur iis solis quæ institutum nostrum spectant. Allegat Grotius quod de munere *Azanim*, sive *Azanitarum* legitur *in Masseca succa. Et minister Azan, sive* ὑπηρέτης *stat ut recitet de lege*. Procul dubio hujus ministri fit mentio in Evangelio, ubi cùm in synagogâ Naza-
D reth Dominus librum legisset legis & plicuisset, hunc *reddidit ministro* τῷ ὑπηρέτῃ [Luc. cap 4. v. 20.] Epiphanius, titulo de Ebionæis, agens de Josepho Judæorum Apostolo, apertè ait eos qui Hebræis dicebantur חזנים *azanim*, ἀζανῖται Græcè dictos aut διακόνους aut ὑπηρέτας. Nam hæ voces idem valent.

Nominis *azan*, sive, ut alii pronuntiant, *chazzan* ordinariam significationem esse, ut accipiatur pro synagogæ ministro, multis testimoniis prolatis probat Vitringa. *Huic incumbit onus omnia synagogæ negotia curandi, librum legis in Arcam inferendi & ex eâ producendi, Arcam nudandi, & omnia in synagogâ rectè disponendi*. inquit R. Jarchius. Quin & reos punire, ut dicitur in codice Maccoth. *Quomodo fit flagellatio? Astringit* (quis) *ambas ejus ma-*
E *nus ad columnam: tum azan vestem ejus apprehendit, sive rumpatur, sive diffuatur usque dum denudet pectus. Lapis ponè illum collocatus est, in quo consistit Azan*. Ita Azanitam intelligebat Dominus, dum apud Matthæum [cap. 5. v. 25.] *ne fortè tradat te adversarius judici, & judex tradat te ministro* τῷ ὑπηρέτῃ.

Ubicumque nomen illud usurpetur in Talmude, eam habet notionem. Aliqui illud deducunt à verbo חזה *vidit*, undè volunt sonare *inspectorem*, *Episcopum*; quia, inquiunt, incumbit ministro synagogæ videre quænam sint necessitates synagogæ, ut faciat quod ipsi impositum est. Alii censent insolens esse à verbis quiescentibus tertiâ radicali ה, dedu-

cere nomen officii in ן terminatum. Verbum חזה neque apud Hebræos neque apud Chaldæos notat inspectionem cum curâ conjunctam, sed tantùm simplicem visionem, ut videre est in lexicis. Ita malè *azanitæ* redduntur *Episcopi*, id est, inspectores.

Præter *azanitas*, sive *chazzanitas* erant alii ministri qui appellabantur שליחי צבור, id est, *legati Ecclesiæ*, sive nuntii ἄγγελοι *Angeli Ecclesiæ*; ad quos videtur Joannes alludere in Apocalypsi sæpiùs nominans *Angelos Ecclesiæ*; ἄγγελος enim Græcis est quod Latinis nuntius, Hebræis שליח *scheliach* à verbo שלח misit. Ideo etiam suos discipulos præcipuos Dominus vocavit ἀποστόλους *Apostolos*, id est, *missos*. Quasi admonuisset hocce nomine eos a se eligi ut ministrarent, non ut iis ministraretur. Nomen Ἀπόστολος sumitur pro *ministro* in Epistolâ ad Philippenses (cap. II. v. 25.) *Necessarium autem existimavi, Epaphroditum fratrem & cooperatorem & commilitonem meum*, ὑμῶν δὲ ἀπόστολον, καὶ λειτουργὸν τῆς χρείας μου. *Vestrum autem Apostolum & ministrum necessitatis meæ, mittere ad vos.*

Officium *scheliach*, id est, *legati* erat quasdam recitare benedictiones, & defungi hoc officio pro omnibus, nempe pro totâ Ecclesiâ, cujus erat legatus. Hoc videre est in fine codicis *Rosch Hasschana: quemadmodum legatus Ecclesiæ tenetur* (recitare benedictiones Festi novi anni) *sic quique privati. R. Gamaliel dicit: legatus Ecclesiæ fungitur officio pro omnibus, & officio hoc ritè perfunctus omnes ab obligatione liberat.* Verba illa fusiùs exponit Vitringa juxta sensum, quem satis claré præferunt; & indè colligit quod legatus Ecclesiæ preces in publico recitans, censeretur pro omnibus hoc officium peragere, maximè pro illis qui precum recitandarum incapaces sunt. Festis autem novi anni & Expiationis omnes in universum ab officio illos liberos præstabat ille legatus, quia paucissimi Israëlitæ illarum benedictionum gnari erant. Ita ad recitandas preces sic deputatus plurium personarum in precando sustinebat personam, & duobus illis illustrioribus diebus omnium officium implebat, instar communis Ecclesiæ legati ad Deum.

Jam de electione & ordinatione eorum qui in synagogis tum præerant, tum ministrabant agendum est. De istâ electione communis regula habetur in codice *Beracoth* R. Isaac ait, *non constituunt* (ordinant) *parnas*, id est, pastorem *super Ecclesiâ, nisi priùs eam consulant, prout dicitur: videte vocavit Dominus Bezaleelem nomine. Deus S. & B. dixit Mosi; Mose, an Bezaleel, si tibi videatur idoneus; respondit Moses, Domine mundi, si tibi videatur idoneus, nonne multò magis mihi? Dixit Deus; tu nihilominùs abi ad populum, eademque iis repete verba. Abiit ad Israëlem, dixitque; num sat idoneus vobis videtur Bezaleel; responderunt ipsi; si Deo sancto & B. tibique talis esse videatur, an non multò magis nobis.*

Qui in dignitate constituebantur, ubicumque id fieret in terrâ Israël, à synedrio magno eos electos & constitutos dicit Maimonides. [*Hilcoth sanhed.* cap. 2.] *Sapientes sic tradiderunt, quod è synedrio maximo miserint in totam terram Israëlis, & exploraverint, & quem invenerint sapientem & timentem peccati & mansuetum, synedrum suæ civitatis fecerint.* Philo Judæus, libro de judice, duplicem proponit modum eligendorum judicum cum respectu, ut videtur ad electiones Judicum gentis suæ: *Mosis leges*, inquit, *volunt omnes instituta ejus sequentes ab omni cœco affectu & malitiâ immunes esse.* Διαφερόντως δὲ τοὺς οἷς ἄλλοις λαχόντας ἢ χειροτονηθέντας δικάζειν, *tum præcipuè hos, quibus judicandi functio, sive per electionem* (quæ fit extensis manibus) *sive per sortem obvenit.*

A Ex vetustis traditionibus hæc accepta doctrina vigebat circa ætatem Jesu Christi; videlicet non conferri ullam legitimam potestatem, nisi per impositionem manuum factam ab iis quibus olim & manus rite impositæ fuerant, ab iis penes quos erat munus. Synedrium aut synedrii Principes omnesque Doctores, quibus illa facultas a principe synedrii concessa erat, aliis divinæ sapientiæ studiosis & in jure Judaïco probè exercitatis viris conferebant facultatem docendi aut judicandi per סמיכת ידים *impositionem manuum.* Nomen Hebræum סמך *samac*, id est, *nixus*, *innixus* fuit, *incubuit*, *imposuit*, indicat hos qui manus imponerent, valdè innixos capiti. *Quomodo autem facta est ordinatio ab omnibus sæculis?* B *Non* (hoc est; non tantùm) *ut imponant manus promovendo, sed etiam, ut illum editâ voce Doctorem declarent, & ei dicant; ecce tu es promotus, & est tibi potestas judicandi*, ait Maimonides. (*Hilcoth sanhed.* cap. 4. §. 2.) Interprete Vitringâ, qui adversùs Ligfootium contendit non eam fuisse mentem hujus Rabbini Doctores fuisse promotos sine manuum impositione per nudam declarationem. Interpretationem suam Vitringa confirmat hoc aperto Zacuthii testimonio. Ordinatio non tantùm fit manu, ut Moses fecit Josue, sed etiam sermone, dicendo; ego te promoveo. Nisi qui legitimè ordinatus esset, illum non potuisse ordinare alios colligitur ex his verbis Maimonidis. [Sanhed. cap. 4. § 11.] *Si* C *fortè eveniret, ut in terrâ Israël non superesset nisi unicus aliquis promotor* [ipse videlicet legitime promotus.] *is duobus suo lateri adjunctis ordinare posset septuaginta alios, sive simul, sive seorsim, alterum post alterum; quibus peractis ipse cum illis septuaginta efficeret synedrium magnum, quod dein ordinaret synedria minora alia.* Hæc omnia quæ de ordinatione & manuum impositione diximus, spectant judices. Sacerdotes & Levitæ jure originis, ubi aptam ætatem attigerant, implebant munia sua.

SECTIO VI.

De ministerio synagogarum. Primùm de ritibus quibus publicæ preces peragebantur.

D ORationis causâ conveniebant Judæi in synagogas; undè illæ dictæ *oratoria*, *proseuchæ*. Sæpiùs dicunt Judæi preces publicas potiores esse privatis; adeòque unumquemque id studiosè agere debere, ut semper in synagogâ cum cœtu publico oret, eam frequentans quotidie mane & vespere. Hoc claré docet Maimonides (Hilch Teph. cap 8. § 1.) *Preces Ecclesiæ semper exaudiuntur: & licet in eâ peccatores sint, D. O. M. tamen preces publicas non spernit: Adeòque unusquisque id studiosè agere debet, ut semper in synagogâ cum cœtu publico oret. Propterea unusquisque sese debet Ecclesiæ socium addere, neque privatus orare, quandocumque potest cum Eccle-* E *siâ, sive publico cœtu. Adeòque quotidie mane & vespere synagogam frequentabit, quia preces ejus quovis tempore alibi non æquè exaudiuntur, atque quidem in synagogâ. Et quicumque habet in urbe suâ synagogam, neque tamen in eâ cum cœtu orat; is vocatur vicinus malus.* Eadem docentur in *schulch Aruc*, verbis quæ lectu digna sunt. *Debet unusquisque operam dare, ut in synagogâ cum cœtu oret: si verò impediatur quominùs ipsi ad synagogam ire liceat, tum id aget, ut eodem momento, quo cœtus publicus, preces suas fundat.*

A legis publicâ lectione abstinere per triduum Judæi nefas esse ducebant. Ideo viri religiosi frequentabant synagogas non solum sabbato, sed et secundo & quinto die cujusque septimanæ. Institutionem illam diei secundi & quinti ad Esdram refe-

sunt. *Esdras*, inquiunt, *decrevit decreta decem. Instituit publicam legis lectionem diebus hebdomadis secundo & quinto, itemque sabbato ad Mincha*, id est, ad horam sacrificii vespertini. *Instituit ille ablutionem Gonorrhaeorum. Instituit ille sessionem judicum in civitatibus, diebus hebdomadis secundo & quinto, &c.* (Talm. Hier. *Megillah*) Sic & Maimonides loquitur (Tephillim cap. 12. n. 1.) *Moses magister noster injunxit Israëlitis, ut publicè legem recitarent die sabbati, nec non secundo ac quinto septimanæ horis matutinis, ut ne scilicet integrum triduum subsisterent absque auditu legis. At Esras etiam instituit ut unoquoque sabbato etiam legerent post meridiem in gratiam tabernariorum*; qui cùm totam hebdomadam mercaturæ operam dent, die secundo & quinto lectioni vacare non poterant.

Judæi, referente Buxtorfio, mane ubi compositi sunt, loti, & purgati, fimbriis dependentibus nempe amicti *taled*, cuneatim synagogas adeunt. Prohibitum est eis, quicquam vel edere, vel bibere, vel negotiari ante preces peractas. Neque etiam quemquam vel visitare, vel salutare. Josephus in libro de vitâ suâ scribit Judæos non consuevisse in diebus sabbati edere nisi sextâ horâ, nempe ubi reversi sunt à synagogâ. Hanc autem ingredientes debent tremere & horrere; & priusquam descendant in preces, silentio aliquantisper facto, reputant ipsi secum qualis quantusque sit, quem precantes allocuturi sunt. Singuli ad gazophylacium immittere debent obolum ad minimum. Qui legere non didicit, attentè cæteros precantes auscultat, & ad omnia *amen* regerit. Omnes viri orant tecto capite; nec licitum sibi putant nomen aliquod Dei capite nudo proferre. Retrorsum autem cancri in morem incedentes portâ egredi debent, ne tergum Arcæ in quâ liber legis reponitur, obvertant.

Preces publicæ fieri non poterant, nisi adessent saltem decem majores & ingenui. *Publicæ preces quomodo peragebantur*, inquit Maimonides, [Teph. cap. 8. n. 4.] *unus ex omnibus elatâ voce preces recitat, cæteris omnibus attendentibus. Id autem non faciunt nisi ad minimùm decem majores & ingenui convenerint. Et legatus* שליח *scheliach unus ex illis* (decem vel decimus) *esse potest.* Preces verò suo quæque tempore, seu statis de die horis recitandæ erant; neque tamen certum aliquod tempus precibus lege definitum erat, sed ex Magistrorum instituto, ut Maimonides declarat. [Hilc. Teph. cap. §. 1.] Tempora precum quotidianarum à Judæis tria observantur stata, שחרית *schechorith matutinum*, מנחה *mincha pomeridianum* quo nempe sacrificium vespertinum *mincha*, offerebatur. Tertium tempus est ערבית *erebit serotinum.* Nunc loco sacrificiorum habent preces; & illud Malachiæ (cap. 1. v. 11.) *in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda*, implere putant, cùm preces ubique Deo offerunt. Sic enim hunc locum Malachiæ interpretatur Jonathan Chaldæus Paraphrastes. *Omni verò tempore, quo vos præstiteritis voluntatem meam, recipiam preces vestras, & nomen meum magnum sanctificabitur per vos, & preces vestræ instar puri sacrificii coram me reputandæ erunt.* Judæi appellant preces *sacrificia labiorum.*

Igitur ordinarunt Esdras & collegæ ejus, viri synagogæ magnæ, loquentem induco Maimonidem, (Hilcoth Teph. cap. 1. § 5.) *ut numerus precum quotidianarum responderet numero sacrificiorum: nimirùm ut singulis diebus binæ essent pro numero sacrificiorum, quæ quotidie offerebantur. Quo die autem statis sacrificiis aliud addi solebat, eo die etiam tertias preces ordinarunt, quæ responderent sacrificio quod superaddebatur. Precatio quæ respondet sacrificio quotidiano matutino, illa ipsa est, quæ vocatur matutina. Quæ verò respicit sacrificium pomeridianum, ea est quæ vocatur precatio* Minchæ, *vel oblationis; & quæ respicit addita sacrificia, illa est quæ vocatur* Tephillat Musaphin, *sive precatio additamentorum.* § 6. *Porrò verò etiam instituerunt, ut quivis etiam noctu semel preces fundat, quoniam membra sacrificii quotidiani pomeridiani consumuntur per totam noctem, quod scilicet est holocaustum, &c. quemadmodum dicitur Psal. 55. v. 18. Vespere & mane & meridie meditabar & fremebam, & exaudivit vocem meam. Ad precationem autem vespertinam non æquè tenemur, atque ad matutinam & pomeridianam. Nihilominùs tamen omnes ubique Israëlitæ solent vespertino tempore orare, illasque preces tanquam necessarias in se susceperunt* §. 8. *sunt itaque preces quotidie ternæ*, vespertinæ, matutinæ & pomeridianæ. *Diebus autem sabbaticis, festisque & neomeniis, quaternæ; ternæ ordinariæ, & quæ tum fit accessio.*

De præciso tempore, horarumque momentis, quibus singulæ preces sint recitandæ Maimonides fusè & diligenter agit [Hilch. Teph. cap. 3.] primùm [§. 1.] *De precibus matutinis institutum est à* sapientibus nostris, *ut illæ recitentur indè à primo solis ortu, usque ad finem horæ quartæ, quæ est triens diei.* De pomeridianis verò sic loquitur [§. 2.] *Jam suprà diximus tempus orationis pomeridianæ constitutum esse ut respondeat sacrificio quotidiano, quod* (offertur) *inter duas vesperas. Quoniam igitur hoc quotidie horâ nonâ & dimidiâ offerebatur, sapientes nostri etiam precationis tempus constituerunt in horam nonam & dimidiam, & hæc est quæ vocatur* Mincha parva. *Quia verò, si quando vespera Paschatis incidebat in vesperam sabbati, sacrificium quotidianum mactabatur horâ sextâ & dimidiâ: sanxerunt ut qui indè ab horâ sextâ & dimidiâ orat, officio suo ritè functus censeatur. Et simul atque ille temporis articulus adest, adest etiam legitimum illius orationis tempus. Et hæc est, quæ vocatur Mincha magna.*

Singula hæc precum, sive potiùs orationum genera suis nominibus distincta sunt *Benedictio*, sive *celebratio Dei* ברכה *Beracha* & *precatio*, תפלה *Thephila.* Distinguitur *beracha benedictio*, in duas partes: quæ sunt שבח, id est, δοξασμὸς *glorificatio* & הודיה *hodica*, id est, ἐξομολόγησις. Et hoc juxta Maimonidem qui sic loquitur [Hilcoth Tephil. cap. 1. §. 1.] describens precationem quæ dicitur *schemon Esre. Tres priores illius formulæ* [nempe hujus precationis] *benedictiones complectuntur* שבח *laudes Deo dictas*, id est, celebrationem divinarum perfectionum. *Tres posteriores continent* הודיה ἐξομολόγησιν *confessionem*, sive deprecationem Dei cum receptu ad exercitium beneficentiæ ejus. *Et mediæ benedictiones complectuntur* שאלות *petitiones omnium necessariorum.*

Apud hunce R. bonum non raro הודיה ἐξομολόγησις *confessio* sumitur pro genere mixto ex gratiarum actione & celebratione divinarum Virtutum; undè ille dividit *berachoth* benedictiones in tres species. [cap. 1. §. 1.] *Omnes benedictiones in tres dispescuntur species: prima species concernit res, undè homo aliquod commodum percipit* (ut sunt cibus, &c. pro quibus Deus pariter laudandus.) *Secunda respicit præcepta*, ob quorum editionem Deus pariter laudandus. *Tertia est* ἐξομολογήσεως *quâ Deus celebratur per modum* שבח *laudationis* & הודיה *confessionis* & נקשה *petitionis ad ipsum directæ ut Creatoris semper recordemur, eumque revereamur.*

Non ita facilè est distinguere omnia illa precationum genera, & species. Certum est diversa illorum nomina olim usitata fuisse; & usurpata à D. Paulo. Voces Græcas his nominibus Hebraicis respondentes adhibet in Epist. ad Philippenses, ubi precum

exercitium commendans distinguit προσευχὰς, δεήσεις & εὐχαριστίας (Philip. cap. 4. v. 6.) *Nihil solliciti sitis*, ait Ἀλλ' ἐν παντὶ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ δεήσει μετὰ εὐχαριστίας τὰ αἰτήματα ὑμῶν γνωριζέσθω πρὸς τὸν Θεόν. *Sed in omni oratione & obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Similiter Paulus in primâ Epistolâ ad Timotheum. (cap. 1. v. 1.) diversas precationum species nominat. *Obsecro* igitur primùm omnium fieri δεήσεις *obsecrationes*, προσευχὰς *orationes*, ἐντεύξεις *postulationes*, εὐχαριστίας *gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* Quærunt viri docti quibus nominibus Hebraïcis respondeant voces omnes illæ Græcæ. Difficile est, ut dixi, sensus varios horum omnium nominum secernere. *Beracoth*, id est, *benedictiones* appellantur precationes in quas ingreditur formula solemnis illa: *benedictus sit Dominus.* Maimonides dicit: *omnis benedictio, in quâ mentio non occurrit Dei & regni ejus non habetur pro benedictione, nisi forte cum præcedente in quâ hæc memorantur, arctè connexa sit.*

Preces omnes & benedictiones, cujusque generis, vel privatæ, vel publicæ erant. Quædam publicæ à privatis personis domi recitari non poterant, nec etiam in synagogâ, nisi tunc adesset cœtus decem Israëlitarum majorennium. Ad illas in publico recitandas, ab Archisynagogo deputabatur vir doctus & sacrorum peritus qui dicebatur, ut vidimus, *legatus Ecclesiæ.* Ritus autem ille publicas in synagogâ preces recitandi passim apud Judæos designatur phrasi *descendendi coram Arcâ, prodeundi ante Arcam.* Apud eos descendere, vel prodire ante Arcam, idem est ac preces in publico recitare. Legatus, sive Angelus Ecclesiæ a toto cœtu delegatus ad recitandas preces, prodibat paulisper extra cœtum, Arcam versùs; indè dictus descendere, prodire, transire ante Arcam.

Preces debent continere, ut Maimonides docet, enarrationem laudis, quâ divinæ virtutes & perfectiones celebrantur; supplicationes & petitiones rerum necessariarum, & gratiarum actiones pro beneficiis à Deo acceptis. Formulam octodecim benedictionum dicunt datam ab Esdrâ. Decima nona addita est à Gamaliele adversùs hæreticos. Has formulas inseruit libris suis de synagogâ doctus Vitringa, cujus labore fruimur. Inter illas locum duodecimum obtinet quæ Gamalielis est; hæc nempe. *Apostatis à religione nulla sit expectatio, & omnes hæretici quotquot sunt, subitò pereant Et regnum superbiæ eradicetur, & confringatur citò in diebus nostris. Benedictus tu sis Domine Deus, destruens impios & humilians superbos.*

His formulas ad tria capita revocat Maimonides, ut jam innui. Scilicet tres priores formulæ complectuntur laudes Dei benedicti: posteriores tres confessionem, quod genus diximus constare celebratione divinarum virtutum cum respectu ad beneficia à Deo accepta, vel accipienda. Mediæ verò benedictiones tredecim continent petitiones omnium necessariorum. Præter illas decem & octo benedictiones tenentur Israëlitæ masculi & ingenui ad bis recitandum quotidie, mane & vespere *schemah*; videlicet tres pericopas, sive textus Biblicos, quorum primus & præcipuus ex Deuteronomio cap. 6. v. 4 incipit verbo שמע *schemah*, id est, *audi Israël, &c.* Ad illas preces Josephus alludebat cùm scriberet (lib. 8. Antiq. cap. 6.) *His autem per singulos dies, incipiente die, & cùm cubitum itur; testificanda sunt dona Dei, quæ liberatis de terrâ Ægyptiacâ præstitit. Æquum enim est gratias agere, quæ pro acceptis rependuntur, & in futurum tempus favorem conciliant.*

Has precationes exponit Vitringa, & integras libris suis inseruit. Hùc afferam quæ proderit viro Christiano nota habere; cætera sint usui Judæis quos non curamus. Plures alias preces fundebant Judæi per diem, etiam centenas, puta cùm se induunt *Taled*, cùm ligant phylacteria fronti & manui sinistræ, cùm accumbunt mensæ, aut surgunt; cùm lavant manus. *Preces publicæ*, ait Maimonides (Hilcoth Toph. cap 9. § 1.) *Hoc modo & ordine recitantur. Horis matutinis & toto cœtu synagogico considente, legatus Ecclesiæ procedit ante Arcam & stat in medio populi, & incipit liturgiam dicendo; Kaddisch.* (precatio est quæ sic incipit: magnificetur & sanctificetur nomen ejus magnum) *& totus populus respondet amen: sit nomen ejus magnum, benedictum in sæculum & sæculorum sæcula. Iterùmque respondet Amen ad finem Kaddisch à legato recitati. Post quæ dicit* Barechu, &c. id est, Benedicite Domino benedicto: *cœtu synagogico succinente:* benedictus sit Dominus, benedictus in sæculum & sempiternum. *Incipitque dehinc recitare schemam* nempe precationem illam quæ *schema* nominatur. *Cum eulogiis, sive benedictionibus ejus voce altâ; cœtu synagogico Amen respondente ad quamque eulogiam. Et mox omnes surgunt & precantur tacitè; & qui precari non novit, pedibus suis consistit & silet, usquequò legatus Ecclesiæ precationem suam, quam tacitus cum toto cœtu synagogico fundit, absolverit. Qui autem precationem suam finivit; cum cœtu synagogico retrorsum recedat per tres passus, & consistat in illo loco, ad quem tres illos passus retrorsum cedendo pervenit.*

Orationes recitatæ a legato Ecclesiæ à plebe synagogicâ non tantùm excipiebantur cum debitâ reverentiâ & attentione, sed & cum antiphonis & acclamationibus, cuique precationi convenientibus. *Et respondent amen;* quæ vox denotat fidem & assensum cum certâ per suasione, quòd Deus preces esset exauditus. Hujus consuetudinis exerta mentio occurrit in primo libro Paralipomenorum (cap. 16. v. 36.) ubi populus ad orationem Davidis *Amen* clamavisse dicitur. Sicut apud Nehemiam (cap. 8. v. 6.) Præter vocem *Amen* aliis subinde vocibus longioribus ad preces quasdam a synagogâ acclamatum est: *ut sit nomen ejus magnum benedictum in sæculum & sæculorum sæcula*, vel *regnet Dominus in sæculum.* In recitatione precationis tertiæ *schemon Esre*, id est, octodecim benedictionum, quæ complectitur declarationem sanctitatis Dei, ubi minister synagogæ pervenit ad verba: *& clamat hic ad illum dicitque, cœtus synagogicus acclamat; sanctus, sanctus, sanctus, &c.*

In majoribus autem synagogis Minister synagogæ sudario quod agitabat, admonebat populum quoties *Amen* respondendum erat, ut dicitur in Talmude (cod. succ.) *in suggestu synagogæ Alexandrinæ minister stabat cum sudario in manu suâ; & ubi eò perventum erat, ut populo respondendum fuerit Amen, agitabat sudarium.* Hæc de ritualibus Judæorum lubenter profero quia in illis deprehenditur origo, & antiquitas rituum quos primi Christiani acceptos à Judæis servaverunt & hactenus Catholici servant. Certum habeo, ait Vitringa, quanquam nobis eterodoxus Ecclesiam primævam in suo precandi ritu imitatam fuisse receptas synagogarum consuetudines Ad imitamentum vocis ברכות *benedictiones* Paulus in Epistolis preces Christianorum vocat εὐλογίας *benedictiones.* Quod scribens ad Corinthios, priùs vocaverat προσεύχεσθαι τῷ πνεύματι *precari spiritu*, dein vocat εὐλογεῖν *benedicere*, & sequente versu εὐχαριστεῖν gratias agere. (1. Cor. cap. 14. v. 16.) *Cæterùm si benedixerit spiritu* ἐπεὶ ἐὰν εὐλογήσῃς τῷ πνεύματι, id est, si oraveris, precatus fueris, *qui supplet locum idiotæ*, id est, qui tenet locúm viri privati, *quomodo respondebit amen super tuam benedictionem?* ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ ad

tuam gratiarum actionem: hoc est, ad preces tuas

Quod in synagogis ministri agitantes sudarium, faciebat Diaconus in Ecclesiâ cùm admonendus erat populus, ut responderet *Amen*, & concordaret cum ministris Ecclesiæ: *Diaconus stat clarâ voce, dicitque; attendamus;* inquit B. Chrysostomus. Homil. 19 in Acta.) Quin per *oraria*, hoc est, *sudaria* quibus instructi erant Diaconi qui in ambone, sive suggestu stabant, plebi signum dabant quando cantus & similia officia incipere deberent, ut observatum est à Balsamone (ad Can. 22 Concil Laod.) *Orarium ferre est solorum Diaconorum. Hi enim iis, qui sacra celebrant assistentes, & sanctarum orationum mysteria & Presbyterorum prolationes observantes, iis qui sunt in suggestu Diaconis per orarium significant quando debeat fieri pronuntiatio, seu prolatio petitionum Cathecumenorum & reliquorum.* Orarium idem est quod sudarium, videlicet linteum, quo os extergebatur.

Post certas preces totus cœtus in synagogâ se incurvabat, aliquando in faciem incidens, procidens, & voce parùm elatâ supplicans. Sed id non pariter omnibus diebus. Etenim Maimonides (Hilcoth Tephil. cap. 4. & 5.) docet nos *humi prostrationem, sive gestum procedendi in faciem non adhiberi sabbatis, festisque solemnibus, aut etiam festo novi anni, & noviluniis, aut festo Encaniorum, & purim, neque etiam precibus pomeridianis vesperarum sabbati & festorum; neque in vespertinis quotidianis.* Harum prostrationum & stationum ritus pariter Ecclesia à synagogis accepit. Diebus Dominicis Christiano sicut Judæo in sabbatis non erat licitum genua flectere, ut liquet ex hisce Tertulliani verbis (de coron. Milit cap. 3) *Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paschæ in Pentecostem usque gaudemus.* Sicut & illa Cypriani: *Quando autem stamus ad orationem, Fratres dilectissimi, vigilare & incumbere ad preces toto corpore debemus.* Sicut ergo Judæi surgebant & stabant ad precandum, ut vidimus, pariter & surgebant Christiani ut orarent. *Postea omnes consurgimus & oramus*, inquit Justinus Martyr. Pariter etiam in certis supplicationibus geniculabantur Christiani, ut Judæi in suis orationibus procidebant in faciem. Sed in precationibus ordinariis primi Christiani more Judæorum veterum stabant, orantes; in quam rem dignum animadversione, quod dicit Clemens Alexandrinus (strom. lib. 7.) *Eâ* (collocutione cum Deo) *caput & manus in cælum extendimus, & pedes excitamus in ultimâ acclamatione orationis, &c.* Denique, ut concludamus hunce articulum, dicamus Christianos in plagis occidentalibus sese convertisse ad Orientem, orantes ex more Judaico; & statas orationes fuisse imprimis tertiam, sextam, & nonam; qui mos fuit consuetus synagogarum.

SECTIO VII.

Si quis sit actus quem Judæi sacrum censeant ab illis fit in synagogâ, ita ibi peragitur circumcisio. Unus actus religionis illis ferè restat lectio sacri codicis: quo ritu.

Inter actus sacros in synagogis peragi solitos, quamvis à quibusdam Judæis, in privatis ædibus fiat, est circumcisio, cujus omissio mortem mereri sentiunt Judæi, graviorque putatur, quàm si quis celebrationem Paschatis, aut festi Tabernaculorum neglexisset. Hanc exequitur, quisque qui ejus artis gnarus; neque enim vindicatur ex instituto Deitribui Leviticæ. Peragitur coram armario, in quo liber legis reponitur, in puero octavo die post nativitatem ejus, sive sabbatum sit, sive non: auferens ei novaculâ partem præputii, quæ actio propriè מילה *milah* appellatur, & discerpens unguibus partem reliquam donec glans planè nudetur, quod פריעה *perigha* dicitur. Si quis hanc *perigha* omisisset censetur tota circumcisio nulla. Ita in individuo nexu junguntur. Hunc ritum alia comitari solent, uti formulæ acclamandi, accensio facis, sanguinis è vulnere exsuctio, ejusque immissio in calicem vini, impositio nominis, nec omittenda sedes Eliæ, in quâ nempe supponitur Elias præsens circumcisioni pueri, ut ritè fiat.

Siquidem sacrificia extra templum prohibita sunt, orationi solùm & lectioni sacri codicis vacant Judæi in synagogis suis, nec ullâ aliâ re suam erga Deum religionem exhibent. Ideò rituales libri eorum spectant potissimùm preces, & modum quo lectio sacra fieret. Omnes huic idonei erant, & nulli personæ astringebatur; sed nemo nisi vocatus ab Archisynagogo id munus obire poterat. Sunt autem in Scripturâ quæ legebantur, & vernaculè exponebantur: denique quæ legerentur, nec vernaculè exponerentur. Lex & tota Scriptura non prælegebatur nisi idiomate illo, quo omnium primò edita est, hoc est Hebraico, & quidem textu Hebræo literis Assyriis quas vocant, hoc est, quadratis exarato. *A diebus Esræ*, inquit Maimonides (Hilcoth Thephil. cap. 12. §. 10.) *obtinuit jam consuetudo ut adesset legenti Interpres, qui populo interpretaretur, quod lector in lege prælegebat.* Attamen constat fuisse Judæos Hellenistas, id est, qui uterentur linguâ Græcâ, quorum in synagogis Græca versio veteris Testamenti lecta est. Imperante Justiniano lis mota est inter Judæos de versione Græcâ ad librorum sacrorum publicam lectionem assumendâ; sed tandem repudiata est communi suffragio & ubique terrarum à Judæis solus Hebræus codex legitur in synagogis; & hocce ordine fit lectio quem explicat Maimonides. (Hilcoth Tephil. cap. 12 §. 12. 20 21. 22.) *Quo ordine, sive serie venit actus legis cum precationibus? omni die, quo preces additiliæ ordinariis adjungendæ sunt, postquàm legatus Ecclesiæ absolvit preces matutinas, recitat Kaddisch, id est, preces sic dictas, & producit librum legis & lectores unum post alium de cœtu vocat ad legendum; qui illicò suggestum conscendunt, & lectionem peragunt.*

Volumen legis inter acclamationes & jubila populi producitur; nulli autem post illud explicitum licet in lege prælegere, nisi præmittat solemnes benedictiones, id est, preces: verbi causâ: *Benedictus sis Domine Deus noster, hujus universi rector, qui sanctificasti nos præceptis tuis, & præcepisti nobis lectionem sanctarum Scripturarum.* Cui succinit populus: benedictus sis Domine, &c. Cùm Jesus Christus Dominus noster in synagogâ Nazarethanâ surrexit ad legendum ἀνέπτυξε τὸ βιβλίον evolvit librum, aperuit sibi traditum ἀπέδωκε τῷ ὑπηρέτῃ ministro synagogæ. Lex divina divisa est in lectiones quasdam majores, quarum singulæ lectioni uni sabbaticæ destinatæ sunt. Has sectiones appellant Judæi פרשות *paraschoth*. *Apud omnes Israëlitas*, ait Maimonides (Hilcoth. Teph. cap 13 § 1) *hæc passim recepta est consuetudo, ut legis lectionem unius spatio anni absolvant, initium illius facientes sabbato, quod sequitur festum Tabernaculorum. Primo itaque illo sabbato legunt sectionem:* in principio creavit, &c. *Secundo:* Hæc sunt generationes, &c. *Tertio:* Et dixit Deus Abrahamo *& hoc ordine deinceps in lectione legis procedunt usquequò totius legis lectionem absolvant ipso festo Tabernaculorum. Dantur equidem synagogæ, in quibus totius legis lectio absolvitur spatio triennii. Sed illa consuetudo apud paucissimas recepta est.* Interpellabatur ista se-

nus diebus festis solemnibus; ut idem Maimonides A nos docet. *Pausam faciunt diebus festis & die expiationis publica, leguntque materiam, festivitati illi quadrantem, non verò paraschам illius hebdomadæ.*

Post lectionem liber convolvitur & sequitur doxologia, sive laus Dei à lectoribus singulis iteranda. Recitatio fit Kaddisch post lectionem ultimam, & tandem volumen complicatur, & in Arcam reponitur. *Postquàm sic legit* (Lector vo ams) *usquequò lectionem absolverit, librumque convolvit, & benedicit: benedictus sis Domine, mundi rector, qui dedisti nobis legem, &c.* Interea dum novus Lector lectionem institutam continuaret, liber sudario obtegebatur, qui tandem complicatur, sive totus convolvitur ab eo qui ultimus legit. Pretio honorem illum B comparant. Etenim *honoratissimus eorum qui de lege prælegerunt, librum convolvit; & ferè soliti sunt illud munus caro pretio sibi comparare, ut suum erga legem divinam studium demonstrent*, inquit R. Karo. Videtur Dominus sic postremus legisse in synagogâ Nazarethanâ Luc. cap. 4. v. 20. Καὶ πτύξας τὸ βιβλίον, ἀποδοὺς τῷ ὑπηρέτῃ, *& cùm plicuisset librum reddidit ministro.*

Omnes autem Israëlitæ admittebantur ad lectionem exceptis servis, mulieribus, cœcis, inhonestè vestitis. Sed non licebat cuiquam in lege prælecturo hoc in se suscipere operis, usquequò spectatus aliquis vir in cœtu ad legendum evocasset. Quin neque minister, neque etiam ipse synagogæ princeps suâ id suscipiebant sponte; sed expectabant usque quò Ecclesia aut spectatum aliquod illius membrum illos ad legendum invitasset. Hæc Maimonides. Lector stans legebat; idcircò de Domino dicitur quod *surrexit legere.* Plures legebant; præibant qui dignitate magis erant conspicui *Et prælegunt unoquoque sabbato in Prophetâ textum similis argumenti ac qui prælegitur de lege*, inquit Maimonides. Hæc lectio ex Prophetarum libris, הפטרה *Haphtara;* quia post lectionem Prophetarum cœtus synagogicus dimittebatur; est enim הפטיר *liberum, missum, immunem facere.* Eam fuisse originem hujus lectionis Propheticæ scribit Elias Levita in suo lexico. *Et ecce scribam quæ sit Haphtararum origo juxta id quod literis consignatum inveni. Antiochus impius, Græciæ rex, interdixerat Israëlitis publicâ legis divinæ prælectione.* D *Quid igitur consilii Israëlitis? Desumpserunt sectionem aliquam ex Prophetis, cujus argumentum conveniebat cum argumento sectionis legalis, illo cæteroquin sabbato prælegendæ. Ut v. g. sabbato, quo prælegenda erat sectio;* in principio, &c. *legerunt verba Isaiæ;* sic ait Deus ille. Jehova creans cælos, &c. *loco secundæ paraschæ legit de diluvio, legerunt textum Isaiæ;* quippe hoc mihi est instar aquarum Noë, &c. *Et ita se res habet in cæteris. Nunc verò etiamsi interdictum illud Antiochi Regis dudum vim suam amiserit, hæc tamen consuetudo etiamnum durat.* Antiochus ille est qui Epiphanes vocabatur, de cujus ministris sic loquitur scriptor libri primi Macchabæorum. (cap. 1. v. 59.) *Et libros legis Dei combusserunt igni, scindentes eos: & apud quemcumque inveniebantur libri* E *Testamenti Domini, & quicumque observabat legem Domini, secundùm edictum Regis trucidabant eum.*

Codex Scripturæ ipse prælegitur, id est, in synagogis sine punctis vocalibus, singulis autem sabbatis matutino tempore, sectio quædam prælegitur, sive *parascha* quales in Pentateucho 53. ut Masorethæ, 54. ut alii dicunt, ita ut spatio annuo, cujus initium ducitur à sabbato primo post festum Tabernaculorum tota lex Mosaïca absolvatur: pro ratione enim anni unam vel duas paraschas uno sabbato prælegebant. Singulæ paraschæ in septem partes erant divisæ pro numero Lectorum, inquit Relandus. Hi erant vel Sacerdotes, vel Levitæ aut Israëlitæ, deinde qui hoc munere erant digni, tum filii quorum patres mammonim, postea principes synagogæ, denique quivis è populo.

A quo Hebræa lingua Judæo populo vernacula esse desiit; quod haud dubiè factum post tempora Antiochi Epiphanis, lectio legis & Prophetarum in cœtibus publicis institui non potuit cum fructu, nisi adesset qui Scripturam prælectam in vernaculum idioma transferret; exceptis tamen quibusdam sacri codicis partibus. Nam, ut dicitur in fine codicis Talmudici Megillæ: *Historia Rubenis legitur quidem, sed in vernaculam non convertitur. Historia Thamaris tamen legitur & vernaculè redditur. Historiæ vituli prior pars legitur, & transfertur in vernaculam; sed posterior legitur quidem, at non transponitur benedictio Sacerdotalis; ut & Historia Davidis & Amnonis nec leguntur, nec redduntur vernaculè.*

Hancce consuetudinem adhibendi Interpretis repetit ab ipsis Esdræ temporibus Maimonides (Hilcoth Tephil cap. 12. §. 10.) *A diebus Esræ moris fuit ut legenti in lege adesset Interpres, qui populo interpretaretur, quod lector in lege prælegerat, ut sensum verborum ritè intelligerent.* Ille Interpres vocatur *Targumista* nomine ejusdem significationis. Quandoque ille exspatiabatur in Paraphrasim adjungens lectioni conciones, quales multas habuit Christus in synagogis ubi docebat; quales & Paulus qui in Actis (cap. 13. v. 14.) cùm Antiochiam Pisidiæ venisset cum suis comitibus: *ingressi synagogam die sabbatorum, sederunt. Post lectionem autem legis & Prophetarum miserunt principes synagogæ ad eos, dicentes: viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite. Surgens autem Paulus, &c.*

SECTIO VIII.

De pœnis quas Archisynagogi repetebant à malis; simul de benedictione Sacerdotali quacum dimittebatur cœtus synagogicus.

Perstringam breviter quod spectat jus coërcendi & puniendi, quod erat penes præcipuos synagogæ ministros. Excommunicabant, hoc est, ejiciebant extra synagogam rebelles, qui nolebant pravos mores mutare. *Quando autem aliquem excommunicant*, ut nos docet Leo de Modena, *id publicè significant: post quod tempus non licet ulli Judæo sermones miscere cum excommunicato, neque ipsi appropinquare ad quatuor cubitos. Ingressus in synagogam ipsi est prohibitus, & obligatus est ad sedendum nudis in terrâ pedibus, ac si affinis aliquis ejus mortuus esset, usquequò ab uno vel pluribus Rabbinis fuerit absolutus, & per benedictionem pristino statui restitutus.* Hinc videre est Judæos cum Apostolis & his qui confitebantur Jesum esse Christum, consortium non habuisse. Hoc prædixerat Dominus discipulis; scilicet quòd eos Judæi facturi essent ἀποσυναγώγους, id est, ejecturi essent synagogis. Tubas adhibebant Judæi in excommunicationibus. Allegat Vitringa testimonia non obscura, quæ hunc tubarum usum indicant.

Sed & Archisynagogi, quos judicabant reos, flagellis castigabant; quod & Dominus denuntiaverat suis discipulis: Vos Judæi flagellaturi sunt ἐν ταῖς συναγωγαῖς in synagogis suis. Quærunt viri docti an ibi satius sit conventum aliquem judicum intelligere quàm synagogam in quâ flagellatio non poterat fieri decenter. Verùm quos Judæi reos judicabant, flagellasse ipse Paulus testatur in Actis. (cap. 22. v. 19.) *Et ego dixi: Domine, ipsi sciunt quia ego eram concludens in carcerem & cædens* δέρων *verberibus afficiens per synagogas eos qui credebant in te...* (cap. 26. v.

11.) *Et per synagogas frequenter puniens eos compellebam blasphemare.*

Maimonides flagellis in ipsâ synagogâ reos exercitos apertè testatur. (Hilcoth Talmud tor. cap. 7. §. 1.) *In Occidente condemnant eum qui est de domo Raf ad flagellationem & non ad excommunicationem.* Ecclesiasticas excommunicationes a Judaicis ortum habuisse, etiam me tacente, nemo non advertit. Abscindebant à fidelium consortio Apostoli, quorum mores cæteris Christianis noxios judicabant.

Restat ut sermonem faciamus de benedictione Sacerdotali, quâ populus dimittebatur. His qui creduntur orti è familiâ Aaronis, tanquam e Sacerdotibus honor defertur, ut Israëlitas prosequantur hac benedictione, cujus scilicet mentio fit in Numeris (capite 6. v. 22.) B *Locutusque est Dominus ad Moysem dicens: loquere Aaron & filiis ejus: sic benedicetis filiis Israël, & dicetis eis benedicat tibi Dominus & custodiat te, &c.* Ritum hujus benedictionis quæ fit manuum elatione, his verbis describit Maimonides [Hilcoth. Tephil. cap 14 § 3.] *Quomodo peragitur ritus elationis manuum in provinciis?* Hoc est, extra Hierosolymam. *Quando legatus Ecclesiæ pervenit ad precationem, quæ in octodenis precibus est decima septima, omnes Sacerdotes, quotquot in synagogâ stant, se locis suis movent, euntque & conscendunt suggestum, & stant ibi faciebus suis conversis ad Sanctuarium, & tergo obverso cœtui synagogico, digitisque in volam incurvatis, usquequò legatus absolverit confessionem; quando mox fa-* C *cies suas convertunt ad plebem synagogicam, & extendunt digitos suos, & elevant manus suas ad humeros suos, & incipiunt enuntiare;* benedicat tibi, &c. *Et legatus Ecclesiæ præit illis verba benedictionis de verbo ad verbum, illis repetentibus, secundùm id quod dicitur;* & dicendo illis, &c. *Quando versum primum absolverunt, totus cœtus synagogicus respondet:* Amen;

A *quo facto mox redit ad officium suum legatus Ecclesiæ, præitque iis versum secundum de verbo ad verbum, illis repetentibus usquequò absolverint versum secundum, quando totus cœtus iterùm* Amen *respondet; quomodo pariter instituunt in recitatione versus tertii.*


Sacerdotes benedicendo, ait Maimonides, digitos suos ante in volam manûs conversos extendebant, in hunc modum dicit Vegenseilius ut manus manui per pollicum & indicum extremitates jungatur. Buxtorfius aliter hunc ritum describit. *Exindè*, inquit, *manus expandunt, digitos divaricant, ut quinque inter eos spatia seu intervalla faciant; nempe quatuor inter singulos digitos; & quintum inter duos pollices, ut majestas divina in iis resideat & locum habeat:* Modus ille confirmari potest verbis quæ leguntur in *Orach chajim.* Si nullus Sacerdos in synagogâ adesset, legatus tamen Ecclesiæ hunc ritum benedictionis Sacerdotalis imitabatur, ne synagogicus cœtus absque benedictione dimitteretur. *An verò Ecclesia Christiana*, inquit Vitringa, *ut ferè in cæteris, ita hoc etiam in ritu synagogam æmulata sit, quis dicet? Justinus Martyr & Tertullianus, sacra publica Christianorum describentes nullam hujus benedictionis mentionem faciunt.* An indè concludi potest ritum illum quo populi post Missæ solemnia cum benedictione dimittuntur in Ecclesiâ Catholicâ, omninò ignotum fuisse primis Christianis; quos verisimilius est servasse laudabilem morem Judæorum? An Tertullianus & Justinus Martyr omnes & singulos ritus Christianorum enumerandos susceperant; ut innovatum credi possit quidquid illi non memoraverunt factum? Quarto sæculo post Christum natum Vitringa agnoscit solemnem benedictionem Sacerdotalem usurpatam fuisse, cùm dimitterentur catechumeni, paulò antequàm celebraretur cœna Dominica. Quæ nunc datur benedictio cùm post Missam dimittitur populus, antiquus est Ecclesiæ Catholicæ ritus.

Finis Libri quarti.



DE TABERNACULO FŒDERIS, DE CIVITATE SANCTA JERUSALEM, ET EJUS TEMPLO.

LIBRI SEPTEM.



LIBER QUINTUS.

DE TEMPLO HIEROSOLYMITANO.

Qui descriptionis ejus primus est.

CAPUT I.

Scripturis intelligendis utilem operam navant, qui templum Hierosolymitanum describendum suscipiunt; sed opus arduum est & difficultatibus plenum.

SECTIO I.

Ex descriptione templi Hierosolymitani, lux accersitur compluribus locis Scripturæ; quæ ubique ad illud alludit. Sine prævio autem superiorum librorum apparatu non potest ista descriptio perfici.



PRIMA operis nostri pagina proximam promittebat descriptionem B templi Hierosolymitani. Hâc conspectâ, Lector sibi videbatur statim sistendus intra limen ejus; ad quod totis quatuor libris qui præmissi sunt, nec accessimus. Nemo tamen id nobis vitio vertat: libri enim illi priores ita necessariam afferunt lucem, ut sine prævii rebus, quas hactenus exposuimus, frustrà tentassemus in penetralia templi perrumpere; hoc est, illius claram imaginem oculis subjicere: quod quantùm intersit, ad intelligendas sacras Scripturas, solus ignorat, cui illæ prorsus ignotæ sunt. Etenim ab eo tempore, quo Respublica Israëlis constituta est & instructa legibus sacris, omnia quæ religionis munia sunt, primùm in Tabernaculo, postea in tem- A plo fiebant. Non alibi licebat mactare sacrificia, nec extra comedi poterant quæ præcipiebantur comedenda in loco sancto. Hùc ab omni plagâ mundi confluebant Judæi, deferebant munera, decimas. Ibi fundebant preces suas, & vota persolvebant. Quocumque loco deprehenderentur, ad illud convertebant faciem suam orantes, sicut & omne animi studium. Fieri ergo non poterat ut de templo non esset multus sermo tum in sacris, tum in cæteris colloquiis. Sæpiùs, inquam, hujus ædificii mentio fit, sive cum expressè describitur; sive cùm enarrantur in eo peragenda sacrificia, dies festi celebrandi, & cætera quæ religionem Judaïcam spectant. Quorum omnium liquet non posse claram notionem animo obversari, nisi priùs locus qui his subjiciebatur, notus & perspectus sit. Quotidie in scholarum subselliis, & in pulpitis sacrarum ædium, videmus peritiores turpiter errare res Judaïcas enarrando & explicando, quia templum Hierosolymitanum æstimant ex hodiernis nostratibus templis. Immani autem intervallo his discrepat. Nunc sub uno tecto omnes tum ministri, tum populi excipiuntur. Nulla sunt penetralia à quibus promiscuum vulgus prorsus arceatur, jussum consistere in atriis quibusdam exterioribus. Sacramentorum nostrorum administratio non requirit tantam ministrorum turbam. Tota res peragitur aliquibus conceptis verbis cum Sacerdotali benedictione. Corpus Christi ore accipiunt fideles; nullâ aliâ re occupati intra Ecclesiarum ambitum, quàm fundendis precibus, & decantandis hymnis. Ita munia ista, quæ facili negotio fiunt, non exigunt patentia atria, complura conclavia. His adjunge quod templum unum erat Hierosolymis,

rosolymis, & unicum in mundo. Nostra verò religio non unius loci angustis finibus constringitur: ubique licet sacras ædes struere. Non itaque perinde est ac olim, cùm omnes Judæi ab omni plagâ orbis tenebantur apparere coram Deo Hierosolymis; & uno festo die Paschatis, plusquàm ducenta quinquaginta agnorum millia mactabantur; præter cætera taurorum plurimorum sacrificia. Plusquàm viginti mille Sacerdotes, Levitarum major numerus, Cantores, Janitores omnes simul congregati in festo Paschatis fungebantur muneribus suis. Tot pecora in sacrificia, tot ministros sacrificiis peragendis, tot populos qui interesse debebant, locus, nisi ille amplissimus fuerit, capere non poterat. Præterea complures cellæ necessariæ rebus servandis quæ usui erant, gazophylacia in quæ congerebantur opes; conclavia ubi manerent Sacerdotes, qui toto tempore muniorum suorum non abscedebant è templo. Quæ postea fusiùs dicenda nunc tantùm indico, ut significem aliâ ratione ædificatum templum, aliis distinctum atriis & conclavibus, quam hodierna templa nunc disposita sunt. Id tibi, Lector, constabit, ubi semel intra sacros cancellos admissus fueris; cùm cœperis quasi manu à nobis deduci per singulas partes ædificii, quod pro viribus excitaturi sumus. Tunc fateberis huicce tam proprias esse suas lineas, ut in nullo altero spectari possit; & præviam ejus notionem tam necessariam, ut qui sine illâ ingreditur Scripturas, in illis velut cœcus offendat. Non ea autem sola illarum loca perlustraturi sumus in quibus expressa fit de templo mentio, nempe caput 6. & 7. libri tertii Regum, ubi narratur inchoatum & perfectum à Salomone; & Ezechielis capita 40. 41. 42. quando post eversionem ejus prædicitur excitandum. Quotiescumque vel in veteri vel in novo fœdere quæpiam res innuitur acta in templo; aut uspiam ad illud fit allusio, protinus locus integer affertur & exponitur; quod non fit raro. Etenim multa sunt etiam in Evangelicâ historiâ quæ ad templum attinent. Ad illud quadragesimo post partum die Jesum parentes ejus detulerunt, ut offerretur Deo, quippe qui primogenitus esset; & ut mater, licet virgo, purgaret se juxta legem. Duodennis factus in eodem templo repertus est cum legis peritis disserens. Dum vixit, interfuit celebritatibus. Plurimos in sacris atriis habuit sermones: denique iniquo judicio damnatus est reus mortis in synedrio, in ipso templo, ut evincemus.

Iter agenti per paginas, quas tibi pandimus, Lector, occurret in singulis, ut ita dicam, passibus locus aliquis Scripturæ, tum ex veteri fœdere, tum ex novo, cujus sensus priùs non obvius, protinùs se apertum dabit; lucem mutuans ab aliquâ circa templum observatione. Nemo ergo jure dicat, à me meliùs horas collocari potuisse; quasi in hocce opere de templo non aliud satagam quàm exponere symmetrias veteris ædificii, quod ante plura sæcula dirutum est, sequentibus autem non excitabitur; & quod cùm non sit lapis super lapidem relictus, non potest repræsentari nisi ab eo qui vates sit: sive ab eo qui videat quæ ampliùs non sunt. Fateor nullum illius extare vestigium, ex quo, ut fieri solet de ædificiis Græcis & Romanis, certò colligi possit quæ fuerit architecturæ ejus ratio. Attamen non inanis erit opera nostra, etsi enim non possemus imaginem templi suis omnibus veris lineis perfectam exprimere, cùm in confesso sit illam utilem esse, si haberi possit, certè præstat habere aliquam quàm nullam; ut illud Ovidianum carmen de me allegari possit.

Quod si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.
Juvat ergo rem saltem tentare.

SECTIO II.

Templum Hierosolymitanum ideò cognitu difficile est; quia nullibi reperitur descriptum suis omnibus lineis; & codices undè quæpiam ejus notio petitur ambigui sunt diversitate tum versionum, tum lectionum.

Non perindè facile est delineare templum Hierosolymitanum, ac Tabernaculum Mosaïcum. Neque enim, quod de Tabernaculo fecimus, totam templi fabricam licet exscribere ex sacro codice. Nullibi in eo suis omnibus lineis, quantùm satis erat, expressum est templum; vel quia author librorum quibus acta Salomonis continentur, putavit supervacaneum fusè & minutatim describere, quod omnium oculis tunc subjiciebatur; vel quod verisimilius est, scripsit ille auctor jam everso templo; cùm ejus imago evanuisset ex Judæorum memoriâ: Undè ubi fuit instaurandum, postquàm è Chaldæâ in patrium solum reversi sunt, necesse fuit ut specimen ejus, quale fuerat ante eversionem, exhiberetur Ezechieli Prophetæ, ex cujus vaticiniis discerent quâ formâ excitandum esset. Tertii libri Regum scriptor, si idem est ac quarti, multos annos ab eversis & incensis Hierosolymis scripsit. Ita non mirum est quem de re non visâ habet, non esse perspicuum sermonem: si non omnes partes templi recenseat, multas prætermittat, singulas non effingat stylo. Neque enim fieri potest, ut quis clarè & perfectè subjiciat aliorum oculis, quod suis nunquam ipse vidit. Potest quidem Deus vatibus suis ut futura ostendere, ita rei præteritæ & non extantis revocare imaginem. Verùm sinit plerumque Scriptores sacros ut hominum stilo, ita & more loqui. Certè fabrica templi in libris Regum & Paralipomenorum breviori sermone enarratur, quàm ut vera ejus forma percipi possit. Quin horum librorum scriptores, etiamsi opus Salomonis stans vidissent, haud exponere valuissent sine ambiguitate, non priùs à Deo imbuti arte architectonicâ. Ipsi scriptores Græci & Latini, quorum in patriâ artes excolebantur, non id præstant, si quodlibet ædificium describunt mole suâ & symmetriâ magnificum, ut imago ejus Lectoris cogitationem statim subeat. Pleraſque partes quidem memorant, sed sine eo ordine, quo vir Architectus vestigium & fundamenta primùm quasi fodiens, deinde excitat muros, & totum ædificium perficit. Longo opus est sermone, qui obscurus & tædiosus est, nisi etiam adjungantur manu Pictoris delineationes; quod si fuisset observatum in sacris codicibus, ad eos exscribendos non solùm librarii, sed & Pictores necessarii fuissent.

Ezechiel Propheta descripsit templum, quod menti ejus in visione objectum est. Dimetitur præcipuas ejus partes; sed quia deest delineatio necessaria, ista ejus descriptio nobis obscura est. Potuit esse aperta Israëlitis quos alloquebatur; nam qui tunc senes, viderant illud, antequàm incenderetur; juvenes verò ex majorum suorum traditione didicerant pleraque, quæ illustrabant sermonem Prophetæ, coætaneis suis notiorem. Sed nec omninò planum; quippe disserens de ædificio, non aliis verbis uti poterat, quàm ædificatoriæ artis propriis, quæ sunt à communi usu pænè semota. Queritur Vitruvius in præfatione libri quinti quòd sibi ex lingua Latina voces non suppeterent ad artem explicandam, comparans sua studia cum historiæ aut poëmatum scribendorum facilitate, legendorumque suavitate; *Id autem*, inquit, *in Architectura conscrip-*

tion bus non potest 'eri, quòd vocabula ex artis propriá necessitate concepta inconsueto sermone objiciunt sensibus obscuritatem. Cùm ea ergo per se non sint aperta, nec pateant eorum inconsuetudine nomina, tum etiam præceptorum latè vagantes scripturæ, si non contrahantur, & paucis & pellucidis sententiis explicentur, frequentiâ multitudineque sermonis impediente, incertas legentium efficient cogitationes.

His adjungendum pleraque Scripturarum loca, in quibus agitur de ædificio templi, multis modis vexata esse ab Interpretibus & librariis; nec mirum est id contigisse. Etenim rem quam ignoramus, non solùm difficile est claram facere; sed & exscribere absque mendis: indè in locis obscuris tanta lectionum diversitas, & interpretationum; de quâ olim B. Hieronymus querebatur, commentans illa Ezechielis verba cap. 42. *Et eduxit me in gazophylacium, quod erat contra separatum ædificium, & contra ædem vergentem ad Aquilonem.* Pro illis verbis, inquit Hieronymus: habetur in LXX. *Et eduxit me: & ecce exhedræ quinque de re iquo ædificio, & juxta separatum ad Aquilonem. Pro separato, quod Aquila & Symmachus transtulerunt, secunda Aquilæ editio.* Puto ibi nomen Aquilæ irrepsisse; delerem ergo ibi Aquilæ; erat editio Græca, quæ dicebatur secunda) *& Theodotio ipsum verbum posuêre, gazera: in omnibus locis similiter exprimentes: multaque alia, quæ in præsenti loco posita sunt inter Hebraicum & LXX. non solùm ordine, sed & numero & verborum interpretatione discordant: Ut si voluerimus hærere in singulis, & diversitatis eorum quærere, & explanare rationem, multùm aberremus à proposito: Volueramque desperatione & magnitudine rei præsens testimonium silentio præterire; sed melius arbitratus sum quodcumque dicere, quàm omninò nihil dicere, Socraticum illud assumens, scio quia nescio.*

Interpretationum diversitas non tam perturbat nos, quàm librariorum socordia. Ut viator faciliùs labitur in viâ asperâ & ignotâ; ita & librarii, exscribentes ea quæ sibi incomperta sunt. Ægrum enim id omne putant, quod non intelligunt; ita corrumpunt quod sanum est. In plerisque locis Scripturarum quæ templum spectant hæc contigisse B. Hieronymus monet explanans versum quintum capitis 40. Ezechielis. *Et diligentem & studiosum Lectorem admonendum puto: si tamen scientiâ Scripturarum, & non vanis Oratorum declamationibus ducitur, ut sciat omnia propè verba Hebraica & omnia quæ in Græcâ & Latinâ translatione sunt posita, nimiâ vetustate corrupta, scriptorumque vitio depravata, & dum de inemendatis scribuntur inemendatiora, de verbis Hebraïcis facta esse sarmatica; imò nullius gentis, dum & esse Hebræa desierint, & aliena esse non cœperint.* Quæ in Ezechiele occurrunt voces propriæ rebus quas describit; cùm vim earum non assequerentur Interpretes, ipsum verbum Hebræum ponebant; quod & ipsi librarii pro suo arbitrio deinde permutabant. Hinc versiones adeò recesserunt ab Hebraïcâ veritate, ut idem B. Hieronymus observat ad versum decimum sextum ejusdem capitis 40. *Hæc fastidioso Lectori scio molesta fore: sed volui breviter ostendere, quantùm temporis longitudine, imò scriptorum vitio, & ut apertiùs loquar, imperitiâ, ab Hebraicâ veritate discrepet antiqua translatio; præcipuè in Hebraicis nominibus: quæ nos de aliorum editionibus in Latinum serm nem expressimus: non tam explanationem dictionum, quàm suspicionem nostram simpliciter indicantes.* Scilicet agnoscit ille Doctor obscurum Ezechielem, tum à rebus ipsis, tum ab interpretationum diversitate, & corruptelis Librariorum.

SECTIO III.

Quæ in sacro codice desunt necessaria describendo templo, supplent Josephus & codex Talmudicus middoth; sed non quantùm satis est.

EX libris Paralipomenorum lib. 1. cap. 28. v. 7. David dederat Salomoni filio suo descriptionem templi ædificandi; sed illa integra non reperitur neque in libris Regum, nec in Paralipomenis. Innuitur potiùs quàm explicatur. Pleraque occurrunt de templo apud Josephum; qui illud frequentaverat, interfuerat celebritatibus ejus: ita potuit de eo copiosiùs loqui, & ea referre, quæ non ideò sunt repudianda, quia non leguntur in libris sacris; neque enim horum Scriptores arbitrati sunt paris esse momenti res singulas enarrare. In his autem quæ erant conspicua omnibus Israëlitis, Josephus non potuit decipi, nec voluit alios decipere, sese propinans deridendum coætaneis Judæis & Græcis Gentilibus, qui ipsi sæpiùs ingressi erant in templum. Sed nec ex ejus scriptis potest effingi delineatio perfecta quam inquirimus. Illa vindicasset sibi proprium opus; Josephus verò quasi præteriens templum vidisset, non prosequitur omnes ejus mensuras; nec distinguit quæ ei propria fuêre pro diversitate temporum, nempe cum ædificatum est à Salomone, cùm illud excitavit Zorababel postquàm eversum est à Chaldæis, & labentibus annis corruens instauravit & exornavit Herodes, novis enim subinde adauctum est ædificiis, usque ad diem quo funditùs eversum fuit. Quare non mirum, si, ubi dictus Scriptor loquitur de illo quale tunc suo tempore stabat, dissentire videatur Ezechieli & libris Regum. Præterea viri docti queruntur incuriâ & imperitiâ Librariorum corruptos ejus libros, præsertim in numeris; quod non diffiteor simul animadvertens, quos abnormes numeros plerique petant, verè ab eo tributos certis partibus templi, dum studet illud quàm magnificum facere, de more suo conatus augere gloriam gentis suæ. Præterea non adhibuerat eam diligentiam, ut veras mensuras templi exprimeret, historicorum more de illis liberè differens. Quæ cùm ita sint, ex Josepho notio perfecta templi non suppetit; sed quemadmodum ex illo, & ex aliorum Judæorum libris licet mutuare quæ sacer codex non suppeditat, ita ex sacro codice nonnulla habemus quæ ipse Josephus & Judæi prætermisêre; ex quibus notionem templi conflandam suscipimus, quæ congruat verbis sacris, quantùm fieri potest, & ipsi Josepho. Eum dico Josephum qui Græcè scripsit de Bello Judaïco & Judaicis antiquitatibus; liber enim Hebraïcus qui nomine Josephi Gorionidis inscribitur, supposititius est & plenus mendaciis; quorum eum arguit Josephus Scaliger in Ele cho Trihæresii Nicolai Serarii. Ostendit luculenter hunc pseudo-Gorionidem fuisse Gallum Judæum ex agro Turonensi. Recentem a. modum fuisse, inquit Scaliger, arguunt verba locorum recentia, quibus utitur, *Tours, Amboise, Chinon.* Inscitiam plusquàm Judaïcam produnt infinita in illius libris sparsa; quod David in agro Neapolitano fuerit; quod multi veteres Patriarchæ, aut Judices Hebræorum in Europâ bellum gesserint: Franci interfuerint exequiis Herodis, quos γαλάτας verus Josephus vocavit; ex quo opus suum pseudo-Josephus excerpsit, sed ex Latinâ versione Græci codicis; in quâ cùm legisset apud Rufinum ejus auctorem lib. 2. de excidio Hierosolym. cap. 25. Josephum filium Garionis (γωρίονα Græcus codex vocat) unà cum Anano Pontifice

præpoſitum fuiſſe mœnium ſartis tectis, & Joſephum filium Matthathiæ, Galilææ Præfectum: ipſe duos illos Joſephos unum Joſephum Gorionis filium eſſe ſuſpicatus eſt, eumdemque Sacerdotem & excidii Jeroſolymitani ſcriptorem. Hinc ſplendido mendacio perſuaſit genti ſuæ, ſe eum ipſum eſſe Scriptorem Belli Judaici, Joſephum filium Gorionis Sacerdotem. Hæc Joſephus Scaliger, doctè & eruditè, ut ſolet. Pſeudo-Gorionidem Munſterus latinitate donavit; ſed mutilum: plura enim leguntur in editione Hebraicâ Cracovienſi, quæ non apparent in editione Munſteri Hebræo-Latinâ.

Judæi veteres, eos dico qui ſecundo vel tertio ſæculo poſt everſum templum ſcripſêre, multa de illo referunt accepta ex traditione patrum ſuorum. In collectione traditionum omnium paternarum, nempe in eorum Talmude tractatus eſt de menſuris templi, quem collegit Rabbi Judas. Vixit ille circa annum æræ Chriſtianæ centeſimum & trigeſimum tempore Antonini Imperatoris, cujus familiaris fuiſſe dicitur. Tractatus ille appellatur *Middoth*, hoc eſt, *de menſuris*. Non omninò licet; eum flocci facere; tunc enim aliqua templi memoria ſupererat vel in animis, vel in ſchedis Judæorum. Rabbinus ille quem Judæi omnes laudibus efferunt ob mores ſanctos & doctrinam, omnia quæ ſpectarent conſuetudines Judæorum in templo obſervatas, ædificia ejus, miniſterium, munia ſacra & civilia, ex dictis ſchedis & ex ſenum memoriâ conſarcinavit, complexus illa omnia exiguæ molis volumine, quod inſcripſit *Miſna*; quia continet legem oralem; quam Judæi appellant *ſecundam*. *Miſna* autem idem ſonat ac *duplum, ſecundum, iteratum*. In hocce volumine reperitur tractatus *Middoth*. Totum volumen *Miſna* non multarum paginarum eſt; ſed illud gloſſis ſuis & commentariis poſteà auxerunt Judæi Talmudiſtæ, conciliantes ei odium & contemptum ob aniles fabulas quibus turget Talmud, nempe collectio tum Miſnæ, tum in eam commentariorum & gloſſarum, quas Rabbini diverſis temporibus ſcripſerunt, multo poſt Rabbi Judam qui Miſnæ ſcriptor eſt.

Soli qui nunquam Miſnam perlegerunt, illam aſpernantur; multo enim ordine exaratus eſt liber ille & ſermone brevi; ideò nunc obſcuro, quia voces in eo ſunt inſuetæ nobis, & ipſis Judæis poſteriorum ſæculorum vix notæ. Quoad tractatum *Middoth*, ipſe Judas aut ſaltem pater ejus videre poterat ædem ſacram ſtantem cum ipsâ urbe Jeroſolymorum. Certò vixerat cum pluribus, qui hanc ædem frequentaverant; & ſæpè ſæpiùs memoriâ eam recolentes, ſparſerant de illâ multos ſermones; forſan & quædam ſcripto mandaverant; ut fieri non poſſit quin ad aures Judæ multa de templo perveniſſent, quæ & reperiebantur in ſchedis, quas diligenter collegerat.

Tractatum Middoth Latinè reddidit Conſtantinus Lempereur, & annotationibus multâ doctrinâ refertis illuſtravit anno 1630. Rabbi Moſes filius Maimonidæ tractatum illum Miſnæ, ſicut & alios omnes, clariori ſermone expoſuit in commentariis ſuis in Miſnaioth, hoc eſt, in leges orales, ſive ſecundas leges; quo nomine Judæi complectuntur omnes ritus & conſuetudines ſuas; quas volunt ſibi traditas à Deo, non ſcripto ſed ore. Præterea idem Maimonides in alio opere quod appellat *Jad hakazacha*, id eſt, *manum fortem*, explicat ea omnia quæ ſunt in Miſna: ita non prætermiſit *Middoth*, ſive templi menſuras; quem tractatum, exponit proprio tractatu quem nominat *Bethabechira*, hoc eſt, *domus electa*; & quem Latinè interpretatus eſt Ludovicus de Compiegne de Veil; & inſcripſit *de Ædificio templi*.

Tum codicem Middoth, tum tractatum Maimonidæ, ad examen ſæpiùs revocans, reperi Rabbi Jehudam, ſive quem alium, qui collector ſit Miſnaioth, nonnulla quidem collegiſſe pretio digna, ſed ſi quidem ex ore & ſchedis virorum, qui architecturæ imperiti eſſent, de ædificio templi jejunè & exiliter loquuntur; adeò ut niſi aliunde conſtaret etiam ex Scriptoribus Ethnicis templum Hieroſolymitanum fuiſſe magnæ opulentiæ, jure parvi fieret. Id oculis patet in illâ ichnographiâ quam Conſtantinus Lempereur præpoſuit ſuis annotationibus in codicem Middoth; tum in tabulis quas Ludovicus de Veil inſeruit verſioni ſuæ libri de Ædificio templi; quæ licet peritâ manu exaratæ, videlicet ab eodem ut audio, qui Vitruvium Gallice interpretatus eſt & aliis libris inclaruit, attamen nullam dignam templo opinionem ingerunt. Omnis ille ſermo quem de illo habent Judæi, deterit gloriam ejus. Quippe expertes artis non potuerunt animo ſuo efformare niſi imperfectam notionem. Ipſi non diffitentur; quod animadvertit B. Hieronymus ad caput primum Ezechielis commentans hæc verba. *Et vidi viſiones Dei, &c.* ſic loquitur: *In conſolationem populi tranſmigrantis & revelationem ſcientiæ Dei, Propheta videt maximam viſionem; in cujus interpretatione omnes Synagogæ Judæorum mutæ ſunt, ultra hominem eſſe dicentium, & de hac & de ædificatione templi, quod in ultimo Prophetiæ hujus ſcribitur, aliquid velle conari.* In præfatione horum commentariorum in Ezechielem dixerat idem Doctor. *Aggrediar Ezechiel Prophetam, cujus difficultatem probat Hebræorum traditio. Nam niſi quis apud eos ætatem Sacerdotalis miniſterii, id eſt, triceſimum annum impleverit, nec principia Geneſeos nec Canticum Canticorum, nec hujus voluminis exordium & finem legere permittitur.*

SECTIO IV.

Sancti Patres à deſcriptione templi Hieroſolymitani, penè deterriti ſunt. Qui de illo loqui ſuſcipiunt, excurrunt in ſenſus myſticos.

NOn ſoli Judæi, ſed & Eccleſiæ Doctores agnoſcunt plenum opus eſſe aleæ tractare, de templo Hieroſolymitano. Audiamus iterum B. Hieronymum, qui Ezechielem commentans, ubi pervenit ad caput 40. expoſiturus initium deſcriptionis templi ſic præfatur. *Dum eſſem Romæ puer, & liberalibus ſtudiis erudirer, ſolebam cum cæteris ejuſdem ætatis & propoſiti diebus dominicis ſepulchra Apoſtolorum & Martyrum circuire: crebroque cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defoſſæ, ex utrâque parte ingredientium per parietes habent corpora ſepultorum: & ita obſcura ſunt omnia, ut propemodùm illud propheticum compleatur, deſcendant ad infernum viventes: & rarò deſuper lumen admiſſum, horrorem temperet tenebrarum; ut non tam feneſtram, quàm foramen demiſſi luminis putes. Rursùmque pedetentim acceditur, & cœcâ nocte circumdatis, illud Virgilianum proponitur.*

Horror ubique animos, ſimul ipſa ſilentia terrent.

Hoc mihi dictum ſit, ut prudens Lector intelligat quam habeam ſententiam ſuper explanatione templi Dei in Ezechiel; de quo ſcriptum eſt: nubes & caligo ſub pedibus ejus. Hæc Hieronymus; qui in fine ſuperioris capitis, nempe capitis 39. antequàm aggrediatur 40. liquidò declarat ſibi obſcura & ignota eſſe quæ ſequuntur in Prophetâ. *Huc uſque in Ezechiel Prophetam, Deo, ut optamus & credi-*

mus, auxiliante & aperiente os nostrum, locuti sumus: A *non aliorum, si qui scripserunt, vel deinceps si scripturi sunt, sententiam destruentes; sed asserentes qualiacumque sunt nostra. In ædificatione autem templi, & ordine Sacerdotum, terræque sanctæ divisione, & flumine egrediente de templo, & de arboribus ex utraque ripâ semper virentibus, & per singulos menses afferentibus fructum, & reliquis quæ usque ad finem prophetico volumine continentur, apertè imperitiam confitemur: meliùs arbitrantes interim nihil quàm parùm dicere.* Prosequitur tamen suis commentariis sermonem Prophetæ de templo Hieronymus; sed non semel fatetur de incompertis se disserere, & potiùs Vatem quàm Interpretem agere. *Hæc*, inquit, *breviter, divinantis magis quàm explanantis animo,* B *diximus, volentes juxta litteram obscuram & pœne non apparentem adumbrare obscuram picturam.*

Ibi quærebat quæ esset portarum mensura juxtà Prophetam. Si quidem verò nova semper quæpiam difficultas progredienti obstaret, veniam rogat suum Lectorem Hieronymus, si interpretationes ejus desiderium explere non possint. *Ignosce difficultati locorum: aut si meliùs quid invenire potes, doce: libenter discimus quod nescimus.* Paulò ante dixerat: *Hæc non frivola videantur esse Lectori, licet & mihi ipsi qui dico displiceant, sentiens me clausam pulsare januam; sed legenda cum veniâ sunt: alioquin potui simpliciter ignorantiam confiteri, & omne studiosorum amputare desiderium. Sicut enim à perfectâ scientiâ procul sumus;* C *levioris culpæ arbitramur saltem parùm quàm omninò nihil dicere.* Alibi: *Ignosce, Lector, difficultati, & veniam tribue pauperis intelligentiæ.* Animum ferè despondisse dicit exordiens commentarium in caput 41 *Volueramque desperatione & magnitudine rei præsens testimonium silentio præterire: sed meliùs arbitratus sum quodcumque dicere quàm omnino nihil dicere.* Denique in Proemio decimi quarti voluminis in Ezechielem ista dicit. *Quod in principio templi Ezechielis debui dicere, nunc præpostero ordine in fine dicturus sum, illius versiculi memor.*

Hic labor ille domus, & inextricabilis error.

Gregorius magnus explanavit Ezechielem duo- D bus Homiliarum libris; in quibus cùm ad descriptionem templi venit, nempe ad visionem in quâ templum objectum est menti Prophetæ; quantâ in carybdi laboraret, perinde ac B. Hieronymus declarat. *Hæc eadem visio*, inquit in Præfatione secundi libri, *tantæ obscuritatis nebulis tegitur, ut vix in eâ aliquid, intellectu interlucente, videatur.* In fine hujus Præfationis addit: *obscurum quidem valdè est opus, quod aggredimur; sed ponamus in animo, quia nocturnum iter agimus. Restet ergo, ut hoc palpando carpamus.* Admonet intentatum opus à se tractari. Homil. 14. *Ne*, inquit, *quidam me fortasse tacitâ cogitatione reprehendant, qui Ezechielis Prophetæ tam profunda mysteria à magnis ex-* E *positoribus intentata discutere præsumo. Quâ mente id faciam, agnoscant. Non enim hoc temeritate aggredior, sed humilitate. Scio enim quia plerumque multa in sacro eloquio quæ solus intelligere non potui, coram fratribus meis positus intellexi.* Sentiebat hæc quæ habentur in Ezechiele de templo, haud posse juxta litteram accipi; quam sententiam patefacit, explanaturus prima illa verba visionis: *Adduxit me in terram Israël: & dimisit me super montem excelsum nimis, super quem erat quasi ædificium civitatis vergentis ad Austrum, &c.* subjungit ille: *cujus videlicet civitatis ædificium accipi juxta literam nullatenus potest. Nam paulò post subdit; hoc ipsum ædificium calamo sex cubitorum & palmo: portam verò ejusdem civitatis quatuordecim cubitis mensuratam; cujus portæ frontes esse perhibet sexaginta cubitorum. Quæ cuncta stare juxta literam nullatenus valent. Quomodo enim totum simul ædificium calamo, id est, sex cubitis & palmo mensuratur; & portæ ædificii in quatuordecim cubitis, frontes verò portarum in sexaginta cubitis extenduntur? Porta enim in civitate est, frontes verò in portis. Et nulla recipi ratio permittit, quia minus est hoc quod continetur ab eo quod continet.* Quomodo hæc stare possint, infrà videbimus.

Ergo Gregorius Magnus, sicut alii Doctores, solos sensus mysticos sectantur. Alii verò cursim & leviter nimium perstringunt Prophetam; & cùm non possint veram ejus mentem aperire, suos Lectores aliò abducunt, ubi pascunt non illo cibo ex Ezechiele quem Lectores cuperent, sed diverso; qui itaque non verus est, licet jucundus. Ipso autem judice Hieronymo, deceret veritatem ipsam indagare, & eruere ex verbis ipsis Scripturæ; non quamlibet, sed quam Scriptores ipsi indicant verbis propriis, quibus usi sunt. Aliter enim Scriptoribus sacris affinguntur vel falsæ, vel ineptæ sententiæ. Quæ dico non quasi contemnam mysticos omnes sensus. Scio sub verbis sacris latere mysteria; & omnia quæ attinent ad templum, subservire Christo adumbrando; ad cujus gloriam & totius Ecclesiæ ædificatum est. Verùm sensus verè mysticus deducendus est ex ipsis verbis Scripturarum, quibus subesse debet; ita ut habeat in literali sensu fundamentum. Id innuit Gregorius Magnus eo in loco quem modò allegabamus. *In Scripturâ autem sacrâ*, inquit, *& ea quæ accipi secundùm historiam possunt, plerumque spiritaliter accipienda sunt: ut fides habeatur in veritate historiæ & spiritalis intelligentia capiatur de mysteriis allegoriæ.* B. Hieronymus ad caput 40. Ezechielis scribit Christum, sive potiùs Antichristum à Judæis expectari, qui templum restauret à fundamentis; & illud est, inquiunt, de quo secundùm literam Ezechiel loquitur. Vanam esse eorum expectationem evincemus; quin imò sic factum templum Hierosolymitanum, ut statim ac verus Christus exoriretur in terris, abiturum esset in ventos cum totâ religione Judaïcâ.

SECTIO V.

Posterioribus sæculis plures manum admoverunt templo; sed nemo dignam huic operam impenderat ante Joannem Baptistam Villalpandum; qui nec alteri operæ materiem præripuit.

NOvissimis temporibus, plures excitati præstantiâ operis, manus admoverunt templo, venerabilis Beda, Richardus à sancto Victore, & plerique alii; qui scripserunt quando mira erat bonarum artium & linguarum ignorantia. Vix iniri posset numerus eorum qui interpretati sunt Ezechielem, libros Regum, sicut & cæteras partes Scripturæ, in quibus de templo mentio fit. Verùm illi non intuendum ponunt ob oculos quod dicit Scriptura, aliò, ut dixi, abducentes mentem. Nullum operæ pretium esset enumerare hosce Interpretes; sed non tacendi sunt qui deditâ operâ de templo scripserunt. Ex quo nata est Typographia, & Typographi figuris libros exornare cœperunt, præsertim sacros, sæpiùs figuris æneis & buxeis templum expressum est simul & sermone. Descriptio quam Robertus Stephanus inseruit editioni Bibliorum anni 1540. habuit auctorem Vatablum; quem linguæ Hebraïcæ callentissimum fuisse nemo ignorat. Ab eo tempore tractatus plerique de templo editi sunt. Arias

Montanus in ſuo Biblico apparatu, qui editus eſt Antuerpiæ anno 1572. paucis verbis de templo, & de iis quæ ad illud pertinebant, agit; ſed adjungit tabulas elegantes in ære inciſas. Poſt eum Franciſcus Ribera Societatis Jeſu, clarus Scripturarum Interpres, fuſiùs de illo diſſeruit quinque libris. Ille verò, ſicut plerique alii, loca Scripturarum in quibus fit mentio templi, tantùm congerit, non enucleat. Nullam ſubjicit oculis ædificii quod deſcribit imaginem; quâ tamen non decebat opus carere. Riberam excipit Villalpandus, de quo poſtea multus ſermo fiet. Prodiit in Germaniâ anno 1613. opus in folio de templo, ſolâ mole ſuâ grande; quid enim aliud demonſtravit auctor operis Matthias Haffenreferus, quàm perfectè à ſe ignoratum templum? Velocibus oculis perluſtravi illud opus; neque enim feſtinantem morabatur res ulla, quæ pretio videretur digna. Parùm abeſt quin eadem dicam de opere adhuc majoris molis, ſed ſimilis pretii, quod Karamuel edidit de templo. Notum quâ negligentiâ ille ſcribere ſolitus fuerit. Vidi, legi; & ex eo intellexi eum non actum agere, qui poſt eum de templo explicando cogitaret.

Ex quo viri Chriſtiani non dedignati ſunt Talmudicas pandectas evolvere, & in obſcurum ſermonem quo ſunt ſcriptæ penetraverunt, patuit quæ circa ſtructuram templi & dimenſiones ejus eſſet Judæorum Talmudicorum ſententia: quæ nempe collecta haberent ex colloquiis vel ex ſchedis majorum. Conſtantinus Lempereur, ut ſuprà jam dixi, Latinè reddidit tractatum Talmudicum *Middoth*; & exornavit annotationibus, ex quibus uberem, ut puto, fructum percepi. Conſtantino adjungam Joannem Ligfootium, qui ante plures annos ſcripſerat Anglico ſermone de templo. Scriptum ejus editum eſt Latinè cum aliis ejuſdem auctoris ſcriptis anno 1686. Vir ille Talmudicæ doctrinæ diligentiſſimus ſcrutator fuit; cui etiam multa debeo.

Et ipſi Judæi hiſce annis circa quos verſamur, expoſuerunt quid ſentirent de templo. Neſcio quis Jehuda Leo, gente Hiſpanus, religione Judæus exhibuerat multis in locis effigiem templi in ligneo typo; tum & librum ſcripſerat primùm Hiſpano idiomate, deinde Hebræo, Amſtelodami anno 1650. quem librum lingua Latina donavit Joannes Saubertus, Helmæſtadii in Germania anno 1663. Qui ligneum typum viderant, in Hollandia illum efferebant laudibus; ſed ex figuris quas inſeruit libro ſuo, colligi poteſt eum non habuiſſe aliam ideam templi, quam quæ eſt omnium Judæorum, quam videlicet habuêre Conſtantinus Lempereur, Ligfootius, Ludovicus de Compiegne de Veil, & alii complures, in quorum ſcriptis videre eſt delineationes juxta Talmudicos factas. Nec ab illis differt delineatio quæ ante paucos annos ad me Venetiis allata eſt ex libro Hebraïco, quem de templo vir Judæus ſcripſiſſe dicebatur. Leonardus Chriſtophorus Sturmius Lipſiæ edidit libellum in quo proponit hujus templi ſciagraphiam.

Non vacat bibliothecarum ſcrinia ſcrutari, conſulere bibliographos; ut omnes enumerem qui aliquem ſermonem fecerunt de templo. Uno excepto Joanne Baptiſta Villalpando, nemo præconceptam notionem habuit dignam templo Hieroſolymitano; quod ex verbis Scripturæ, ex antiquis monumentis, ex ipſis Græcorum & Romanorum teſtimoniis conſtat fuiſſe admirandæ opulentiæ. Vulgares autem illæ delineationes non exhibent ſuſpiciendum; ut queritur Villalpandus; & ex eo probat hactenus fuiſſe ignotum. » At verò hujus templi, inquit, alloquens Lectorem ſuum in fronte ſecundi tomi: æquè partes erant obſcuræ, ignotæque per ſe ſingulæ, atque res tota; imò verò nihil erat ex omnibus quæ ſunt apud nos, aut nobis aliqua ratione perſpectæ; cujus veſtigiis inſiſtentes, ullam omnino templi ſimilitudinem aſſequeremur. Teſtes libri tam multi nunc de hoc argumento conſcripti; teſtes ejuſdem templi deſcriptiones plurimæ, atque imagines Bibliis aliiſque libris inſertæ; quæ vel in ære diligenter inciſæ, & elaboratæ illæ quidem, meliùs tamen agreſtium paſtorumve humiles caſas atque mapalia referant, quàm ædem exprimant auguſtiſſimam Regis Regum. Etenim nihil in hujuſmodi libris ac deſcriptionibus planè reperies, quod non ſit exile, tenue, mutilum, jejunum: nihil quod non ſit ipſi architectandi ſcientiæ, artificioque contrarium: nihil quod ab immenſa illa propemodùm templi magnificentia, majeſtate, amplitudine quàm longiſſimè non recedat: nihil denique quod non iis propè rebus omnibus adverſetur, quas res tum ſacræ tum prophanæ hiſtoriæ huic templo apud omnes gentes celeberrimo tribuerunt, quaſque verbis ampliſſimis extulerunt. «

Euſebius præter chronographiam Judææ, & diſtinctas tribuum ſortes, urbis Jeruſalem & templi picturam cum breviſſima expoſitione ſubjecerat, ut adſtruit B. Hieronymus in Proëmio libri de Situ & nominibus locorum Hebraïcorum. Evanuit illa pictura. Quapropter hæc propria laus eſt Villalpandi, quòd primus digna de templo ſcripſerit. Certè opus, quod abſolvit tribus tomis, qui unus poſt alterum diverſis temporibus in lucem prodiêre multa laude dignum eſt. Horum primus tomus continet explanationes in priora capita Ezechielis. Secundus explicat poſteriorem viſionem hujus Prophetæ. In eo tomo Villalpandus diſſerit de templo; & delineat partes ejus. Tertius tomus continet ea omnia quæ totius operis ſunt apparatus, ſcilicet in eo expendit auctor veteres Hebræorum menſuras, pondera, vaſa, & deſcribit veterem Hieroſolymam. Cùm hæc volumina multo pretio compararentur, Ludovicus Capellus, ut ipſe teſtatur, mutuans illa ab amico, in compendium miſit in propriam utilitatem, excerpens quæ ſibi magis præſtantia & utilia videbantur. Hoc compendium poſtea in publicum exire paſſus eſt, & propriâ induſtriâ elaboratam delineationem templi adjunxit, ad mentem ut ipſe putat Joſephi.

Tempore Villalpandi, nempe initio ſuperioris ſæculi, codex Middoth linguâ Latinâ non donatus fuerat: nec tractatus Maimonidæ, de Domo electa; unde & aliquis dies templo illuceſcit. Villalpandus autem adduxerat animum ut crederet templum Hieroſolymitanum eam omninò habuiſſe formam, quæ Græcis Architectis judicibus poſſet cenſeri elegantior. Hac opinione, ut liquidò loquar, mens ejus ſic tranſverſa acta eſt, ut formam templi non propriam & antiquam ſatageret repræſentare, ſed novam quam ei indere poſſet vir Græcanicæ & Romanæ architecturæ non imperitus. Ergo, ut ita loquar, exhibet templum ferè commentitium: egregium quidem; quale conſtat fuiſſe Salomonicum. *Nihil enim abſque ratione & menſura in templo Dei, & maximè in Sancto Sanctorùm à Deo factum eſt.* Ait B. Hieronymus ad caput 41. Ezechielis. Verùm Villalpandus ambitioſè auget quæ in ſacris codicibus referuntur de magnitudine & de ornamentis hujus ædificii. Omnia in miraculum corrumpit, arte & vi torquens verba Scripturæ, ut templo quod deſcribit conveniant, quæ propria ſunt hujuſce rationis, quâ Græci & Romani Deorum templa, palatia Regum, & alia ſuperba ædificia ſtruebant. Nollem tamen quidquam detractum gloriæ

tanti viri, qui ſi rem non perfecit, huic perficiendæ viam aperuit.

SECTIO II.

De templo opus ſuſceptum perfici non poteſt, niſi adjutricibus omnibus ſcientiis, arte criticâ & architectonicâ, cæteriſque artibus.

AN deſpondebimus deterriti caſu præſtantium virorum, quibus non feliciter ceſſit ſuſceptus idem labor? Imo quo difficilius eſt opus, ſi quidem plurimum eſt pretium operæ, eò alacriùs nos decet illud aggredi. Primùm horum induſtriâ adjuvamur. Etſi enim non omninò opus perfecerunt, multùm promoverunt. Age igitur, videamus in quo poſita ſit difficultas operis, & quomodo illa ſuperari poſſit. Ædificium magnificum mente noſtrâ architectari, ſive cogitatione fingere, nobis non propoſitum eſt; ſed ſi fas eſt ita loqui, eruere ex ruderibus Scripturarum; quas ergo hic potiſſimum ſcrutabimur: quæ cùm in hac parte difficiles ſint, adhuc obſcuriores difficilioreſque effecerunt verſiones, in quas ex fonte Hebræo verſæ ſunt. Nam, ut modò obſervabamus, quia Interpretes rem parùm noverant, facilè aberraverunt hi in illam, alii in alteram ſententiam. Quin etſi interpretantur ſacros codices ſuâ linguâ ſcriptos obvium fuit errare; etenim de ædificiis ſermo erat. De quolibet autem artis opere ſolis artificibus rectè loqui datum eſt; qui plerumque uſurpant voces ſibi ſolis notas; neque enim quia Galli ſumus, ideò percallemus illas voces quibus in Galliâ noſtri fabri ferrarii & lignarii in ſuis officinis utuntur. Inde videre eſt in antiquis verſionibus Græcis non redditas Græcè pleraſque Hebraïcas voces, ſed tantùm Græcis caracteribus ſcriptas. Scilicet harum auctores propriam ſignificationem non noverant, aut de eâ incerti erant.

Vir impiger omnia antiquarum verſionum fragmenta inter ſe comparat, ubi agitur de ſignificatione cujuſpiam vocis obſcuræ. Notum præter verſionem Græcam, quæ dicitur LXX. Interpretum, plures alias eſſe, nempe Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis; præter quas aliæ duæ verſiones reperiebantur in Octaplis Origenis. Harum omnium ſuperſunt fragmenta in libris ſanctorum Patrum; nempe teſtimonia quæ ex illis allegabant, cùm ex verſionum diverſitate lucem ſacris codicibus accerſere volebant. Paraphraſis Chaldaïca haberi poteſt pro verſione. Certè ab illâ multam lucem accipiunt ſacri codices. Non ideò minùs inhærendum Hebræo textui, ejuſque teſtimonio ſtandum, quoties conſtat limpidum eſſe, ſive non perturbatum à librariis. Videlicet quicquid certò reperitur in veritate Hebraicâ, pro veritate habendum eſt. Itaque cognitio Hebraïcæ linguæ inprimis neceſſaria eſt & Græcæ; ſi quidem à verſionibus Græcis ipſi fonti Hebræo plurima lux accedit. Sed advertendum quod ille fons non ſemper fluat illimis, ſcribarum vitio. Non, inquam, ſemper conſtat de verâ Scripturâ Hebræi codicis. Nam, ut jam diximus, faciliùs labitur calamus ſcribæ, ubi exſcribitur res obſcura & difficilis. Inde etiam inter ſe diſſentiunt Græci Interpretes, non quia in varios ſenſus rapiunt eadem verba, ſed quia diverſa legerunt. Hoc animadvertere eſt, hodiernos Judæorum codices comparando cum antiquis, quibus uſi ſunt Græci Interpretes, Paraphraſtæ Chaldæi, & B. Hieronymus. Quoquo modo permutatio fieri potuerit, certè facta eſt; & in his locis ubi templi mentio fit, miris modis variant codices, vel Librariorum oſcitantiâ, vel audacia ſciolorum, qui quod non intelligunt, putant corruptum. Plurima ex elementis linguæ Hebraïcæ non inter ſe diſtinguntur, niſi exiguis apicibus, qui fallunt oculos; ut pronum ſit unum pro alio ponere. Plura ſunt ſono vicina, hoc uno diſcrimine remota, quia in diverſis oris organis ſonant; illa in gutture, alia in palato. Ita fit ut is qui dictantis ex ore excipit quod exarat, aut memoriæ commendat, unum pro alio elemento ſcribat. Multa & ſunt apud Hebræos nomina, quæ iiſdem literis conſtant, ſolùm diverſa quia illarum non idem eſt poſitus, ſive collocatio. Indè ob iſtas & alias cauſas plurima eſt varietas lectionum.

Hæc expendere artis eſt, quam criticam vocant. Interdum audaciores ſunt Critici; ſed aliquo certo filo, in his omnibus poſſumus cœca veſtigia regere. Primùm enim omnis locus, qui juxta elementa quæ in eo exarata ſunt, aut nullum ſenſum aut falſum præfert, meritò ſuſpectus eſt. Sanus autem fieri non poteſt, nempe non poſſunt illi reſtitui ſua antiqua elementa, niſi adjuvante criticâ, quæ ope manuſcriptorum codicum, vel è veſtigiis antiquarum verſionum, odoretur quid olim in primario codice ſcriptum fuerit. Hoc etiam fit expendendo verba Interpretum; videre enim eſt an diverſo uterentur codice; & conjectare ex eorum verbis quod verbum legerint in fonte. Deſunt primarii codices Hebræi; ſed cùm à diverſis Interpretibus redditi ſint Græcè, Chaldaïcè, Latinè, ex harum interpretationum diverſitate colligere licet nunc & olim lectionum varietatibus eos ſubjacuiſſe. Optima ratio ſanandi codices qui mendis non vacant, ipſa eſt clara notio rei, quæ ſubeſt ſermoni, de cujus correctione agitur. Cui enim res iſta perſpecta eſt, is facilè ſupplet quod ſubſtraxit, aut prætermiſit Scriba; & quæ ab eo intruſa ſunt, delet. Scilicet rem quam legit ſcriptam, ſed quaſi deformatam, habet ante oculos mentis ſuæ conſpicuam; ita Scribæ errores facilè deprehendit & corrigit. Locus autem eò ſanior habendus, quò ſenſum clariorem præfert; & qui cohæret cum his qui præcedunt & ſubſequuntur. De reſtitutâ autem ſuâ integritate huicce loco nullus dubitaverit, cujus correctioni ſuffragetur vetuſta aliqua verſio.

Pars Scripturarum quas tractaturi ſumus, ſpectat ædificium templi, & artis opera, quibus tum decoratum, tum inſtructum eſt, pro ut requirebat miniſterium ejus. Ars quibus hæc omnia parari poſſunt, architectura ſolet dici, quæ pendet ex matheſi. Architecti indigent ſcientiâ numerorum; alioquin non poſſunt càlculo ſubducere menſuras cuique parti ædificii convenientes, delineare formas, figuras ſingularum partium; quod quidem munus eſt Pictoris: ſed & hæc poſtulant virum in geometriâ exercitatum. Architecti eſt propriè mente diſponere futurum opus, & licet nondum inſiſtat ſolo, tamen perluſtrare & explorare quaſi ob oculos poſitum, ut de futuro ejus decore judicet; quod non cuilibet datum eſt; cùm nemo ſit, qui ubi ædificium perductum eſt ad ſummam lineam, non facilè advertat ſi quid minùs aptè ſit diſpoſitum, minùs eleganter exornatum, ut dicit Vitruvius in calce libri ſexti. « Namque omnes homines, non ſolùm Architecti, quod eſt bonum poſſunt probare; ſed « inter idiotas & eos hoc eſt diſcrimen, quod idiota « niſi factum viderit, non poteſt ſcire quid futurum « ſit: Architectus autem, ſimul animo conſtituerit, « antequàm incœperit, & venuſtate & uſu & deco- « re, quale ſit futurum, habet definitum. « Hæc verò perſpicaciâ indiget qui conatur exponere templum Hieroſolymitanum; quod non videt factum, ſi quidem evanuit. Totum eſt mente & verbis excitandum, quaſi re & opere abſolvendum eſſet;

qu. d sine arte architectonicâ & sine mathesi frustra A tentaretur. Conatus, inquam, fortunatus esse non poterit, nisi postquàm diversas hujus templi formas animus ejus apud se versaverit, tandem illum quæpiam lubeat, quæ tam ab omni parte congruat verbis sacris, ut si non vera, saltem vero proxima censeri debeat. Id vir Architectus potest, mente suâ formare tum integrum ædificium, tum partes ejus, quidpiam addere, vel substrahere, & cogitationes suas exprimere ductis in cartâ lineis. Ergo si & linguam percalleret quâ scripti sunt codices sacri, & haberet collecta vetustarum omnium versionum fragmenta, posset tandem notionem templi conflare verisimilem, hoc est, convenientem verbis sacri codicis, pro ut ille scriptus est, aut si depravatus B forte sit, eum corrigere.

In huncce scopum intuemur: hùc tendimus, vestigia relegentes, cùm nos deprehendimus extra viam projectos. Etiam propriis manibus discerpsimus cartas eleganter & non exiguo sumptu depictas. Etenim nobis non propositum fuit ad nostras cogitationes adducere verba Scripturæ. Verùm postremæ cogitationes & delineationes novissimæ displicere non debent, si his faveat sermo sacer acceptus in propriâ suâ significatione. Ratio, inquam, quâ disponimus ea quæ templi sunt, non debet reprobari, si sit idonea ut in eo peragi possent, quorum usui fuerat destinatum. Necesse autem ut, qualecumque efformabitur templum Hierosolymita- C num sit decorum, & dignum supremo opifice, qui sicut scientiâ repleverat Beseleelem ut ornaret Tabernaculum, & Salomonem imbuerat sapientiâ ut tantum ædificium inchoaret & absolveret. De illo autem sermonem facere exordiemur non omninò imparati. Quæ hactenus præmisimus, facem præferunt mox dicendis. Templum enim referebat similitudine, quod olim pellibus constabat Tabernaculum; ut ipse dicit Salomon Deum compellans in capite nono Sapientiæ versu octavo: Εἶπας οἰκοδομῆσαι ναὸν ἐν τῷ ὄρει ἁγίῳ σου, καὶ ἐν πόλει κατασκηνώσεώς σου θυσιαστήριον, μίμημα σκηνῆς ἁγίας ἣν προητοίμασας ἀπ᾽ ἀρχῆς. *Dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo, & in civitate habitationis tuæ altare, similitudinem Tabernaculi tui, quod præparasti ab initio.* Opus D non semel ad incudem revocavi, dum lectio frequens, meditatio assidua novas cogitationes suggerunt; & ex novis curis nova lux exoritur. Luctandum enim mihi fuit cum incuriâ Interpretum, qui, ut innui, non studuerunt, rerum quas expositur erant notiones claras animo præconcipere; sed id unum satagunt ut verbum verbo reddant. Præterea à negligentiâ Librariorum nullus codex immunis est; undè veritas mihi fuit indaganda conjectando, diversas ineundo rationes, permutando calculos, comparando diversas templi partes inter se, & cum diversis Scripturarum locis in quibus nominabantur. Non pigeat me hujus operæ, modò descriptio quam tibi, Lector, subjecturus sum, si E non veram imaginem, saltem veræ non absimilem ob oculos ponat, in quâ quæ transigebantur in templo, quasi his præsens interesses, claré & distinctè intuearis.

CAPUT II.

Templum Hierosolymitanum fuisse magnificum demonstrant veterum de illo testimonia, tum & apparatus, impensæ, operarii quibus olim inchoatum est & perfectum, & postea restauratum.

SECTIO I.

Meritò præconcipitur magna opinio de templo Hierosolymitano, quod jussu Dei ædificatum est incredibilibus impensis.

NOstrâ refert qui incumbimus describendo templo Hierosolymitano, magnam hujus ædificii præconcipere opinionem: sic enim excitabimus studium tum nostrum, tum aliorum. Sunt qui opinantur illud non fuisse nisi plane agreste, cœptum eo tempore, quo nondum homines exuerant imperitiem; & quando Græci nondum invenerant artes, saltem non excoluerant. Opinio illa protinùs amovenda est; quam quis citò deponet, animadvertens quanto apparatu, quibus impensis, quo incredibili operariorum numero ædificium templi sit olim inchoatum, & perfectum; & postquàm illud Chaldæi incenderunt, restauratum à Judæis reducibus ex Babylonicâ servitute, exornatum per plures annos curâ Assamonæorum Principum; denuò instauratum ab Herode: quod denique perfectionem suam assequi non potuerit, nisi paucis mensibus, antequàm huic præscriptus à Deo finis advenerit. Quod suspectum esse non potest, expendamus de eo judicium exoticorum scriptorum. Tacitus, qui alioqui parùm æquum se præbet Judæis, non ergo ut gentem commendaret, paucis illis verbis magnificentiam templi eorum celebrat. *Hierosolyma genti caput. Illis immensæ opulentiæ templum.* (lib. 5. Histor.) Quis ergo jure illud templum pro ædificiolo habeat? Dio Cassius (lib. 37.) agens de expugnatis Hierosolymis à Pompeio Magno, attestatur quòd sacra ædes hujus urbis fuerit magnæ molis, & pulcherrimum opus. Νεὼς μέγιστος καὶ περικαλλέστατος. *Templum magnum & pulcherrimum.* Quid plura adderem de templi laudibus; sufficiat enim dicere Davidem jussu Dei cogitasse de eo ædificando & apparatum rerum omnium incredibilem collegisse, ut Salomon opus inchoaret & perficeret.

Ergo non potuit esse nisi præstantissimum ædificium imperio Dei susceptum, & sapientiâ ejus dispositum, secutus est enim Salomon exemplar præmonstratum à Davide, qui Dei monitu omnia fecerat. Dignum, inquam, fuit templum in quo ederentur typi mortis Christi; cui annunciandæ cùm destinatum esset, debuit surgere mole & ornamentis spectandum. Ab hac morte decus suum vindicat; ad quam quæ in illo fierent referebantur, mactabantur animalia, & eorum effunderetur sanguis. Etenim cur tanto sumptu carnificina ædificanda fuisset, & huic decorandæ dilapidanda tanta auri & argenti copia, nisi vetera sacrificia quæ ibi offerenda erant, typi fuissent mortis pretiosæ, quam subiturus erat filius Dei, ipse Deus; cujus dignitatem cùm semel quis perpenderit, facilè intelligit locum parari non potuisse quibusve impensis, qui etiam non fuerit infra illam. De Tarquinio dicitur qui condidit Capitolium in honorem Jovis, quòd præconceperit animo eam magnitudinem quæ Deûm hominumque Rege, quæ Romano Imperio, quæ digna esset ipsius etiam loci majestate. Quantò ma-

jor Tarquinio Salomon; summus Deus idolo; & A mons Moria in quo se Deus videndum præbuerat Patriarchis, sanctior Tarpeia rupe, ubi Capitolium conditum est! Qui non ignorabant victimarum sanguinem non omninò posse Deo placere; & ideò illas pro sanctioris sacrificii figurâ habendas, advertebant rem magnam portendi magnificentiâ templi Hierosolymitani; intra quod cultus Dei, qui omnium Dominus est, non debuisset cohiberi, nisi locus fuisset significandus in quo fore erat, ut filius ejus mortem oppeteret. Non Judæi veteres, non hodierni negaverint præceptum Dei de construendâ sibi domo occultare magna mysteria. Profert eorum testimonia Constantinus Lempereur in Paraphrasi suâ capitis noni Danielis v. 27. Allegat Abra- B banielem, qui sub finem commentariorum in sectorem *Truma*, admonet *in opere Tabernaculi* eadem est ratio de templo, *& cæteris præcipuam intentionem esse ut sint tanquam liber sapientiæ altioris & rei gloriosæ, ad quam ipsa diriguntur.* Supersedeo congerere Judæorum testimonia quæ apud Christianos non multi fiunt.

Qui in dubium revocant opulentiam templi, attendant velim ad immensas quas impendit opes Salomon, & ad incredibilem operariorum numerum, quorum operâ usus est. Nemo dicat tunc temporis, cùm artes nondum essent inventæ, non multùm industrios fuisse hos Salomonis operarios. Tunc quidem Græci rudes artium erant: nec artifices, nec C Architectos habebant. Scilicet nondum ut merces suas ita & doctrinam in Græciam invexerant Tyrii, apud quos prima artis tectonicæ cunabula constat fuisse. Illi in suâ patriâ exercebant artes ante Salomonis ætatem; de illis enim dicit Scriptura, quod non essent alibi viri, qui tam peritè ligna secarent. Allegavimus locum Scripturæ in libro secundo, ubi fundamenta & originem architecturæ reteximus, & ostendimus illam ligneis ædificiis sua debere decora. Ergo, quia Græci feros mores non deposuerant, non ideò carebat Phœnicia peritis opificibus; & hoc confert gloriam Judæis, quòd, cùm Græci qui immeritò inventores artium jactantur, non haberent nisi humiles casas & agrestia templa, templum Hierosoly- D mitanum magnitudine suâ & opibus in stuporem omnes adduceret.

Tunc loquor de Salomonico templo; sed & illud quod post captivitatem Babylonicam instauratum est, ipsum est quod immensæ opulentiæ fuisse Tacitus testatur, quod evertêre Romani cùm à paucis annis assecutum esset suum decus. Incredibilibus impensis & laboribus Assamonæi, nec per centum viginti quinque annos perficere potuerant, ut dicit Herodes apud Josephum lib. 17. cap. 8. Antiquit. *Herodes novem annis cum sex mensibus, reliquum ædificium, sacram verò ædem sesquianno instauravit.* Post mortem autem ejus, reliquis septuaginta annis per quos templum stetit; multis orna- E mentis illud auxêre Judæi. Ab obitu Herodis circiter quadraginta & sex anni elapsi erant, quando Jesus Christus D. N. prædicare cœpit; orsus ab ejiciendis ex templo qui illud mercimoniis polluebant. Tunc, ut loquentes populos inducit Joannes cap. 2. v. 20. *Quadraginta & sex annis, ædificatum est templum hoc.* Numerum hunc, ut videtur, inibant ab anno quo Herodes novum opus inchoaverat; & licet diem suum obiisset, adhuc eâ ipsâ die quâ hæc dicebant opus fervebat; quod nec interpellatum per septuaginta annos, qui tot effluxêre usque ad eversionem templi. Josepho teste in Antiquitatibus lib. 20. cap. 8. octodecim artificum millia huic perficiendo operam navaverunt. Imperante Claudio narrat hicce scriptor, porticus orientalis restabat instauranda, quam instaurationem curavit Agrippa; ita ad perfectam suam formam perductum est templum, cùm proximus fuit finis ejus. Ex his æstimari potest quanta fuerit hujus ædificii amplitudo tum primis tum posterioribus seculis, Salomone regnante, & cum jugo Romanorum Judæi subditi sunt. Quocumque tempore Judæos qui per totum orbem sparsi videbant decoram structuram templorum, quæ ubique erecta erant idolis, puduisset domum summo Deo sacram deteriorem fuisse cæteris ædificiis quæ celebrabantur ob elegantiam. Igitur ultrò conferebant munera ad sarta tecta ejus. Primùm agam de templo Salomonico, cùm nulla alibi ædificia ob elegantiam suspiciebantur; & quo apparatu fuerit susceptum, dicam protinus.

SECTIO II.

David, cui Deus non permiserat ædificare templum, paravit futuro operi necessaria. Qualis & quantus iste apparatus fuit.

IN deserto peregrinantes Israëlitæ, aut in terram promissam ingressi, sed nondum devictis gentibus, quarum agros & urbes occupaverant, non potuêre cogitare de templo stativo. Priùs debuerunt altâ pace res suas componere, quod non contigit nisi sub Davide annis confecto. Pius ille Rex domum Dei, quod expetebat, ædificare non potuit, cùm hostes suos sub vestigium pedum ejus nondum Dominus dedisset. Id ubi tandem factum est, tunc in eam curam convertit animum suum; sed à Deo prohibitus est ne operi manus admoveret quas sanguine polluerat, tot bella gerens; & id reservatum Salomoni filio suo ore Prophetæ Nathan declaravit. Cùm ergo de solo apparatu cogitasset, moriturus advocavit filium suum, & his verbis compellavit quæ sunt in Paralipomenis lib. 1. cap. 22.

6. *Vocavitque Salomonem filium suum, & præcepit ei ut ædificaret domum Domino Deo Israël.*

7. *Dixitque David ad Salomonem, fili mi, voluntatis meæ fuit, ut ædificarem domum nomini Dei mei.*

8. *Sed factus est sermo Domini ad me dicens ore Prophetæ Nathan: multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti: non poteris ædificare domum nomini meo tanto effuso sanguine coram me.* Non permisit Davidi Deus ædificare templum, quia hominum sanguine se polluerat, quamquam hostium. φόνῳ τῶν ἐχθρῶν μεμιασμένον; ut ait Josephus in hac historiâ; quâ etiam religione tenebantur Gentiles; undè Æneas aiebat ad patrem.

Tu, genitor, cape sacra manu, patriosque penates.
Me bello è tanto digressum & cæde recenti
Attrectare nefas.

B. Hieronymus hoc refert ad sanguinem Uriæ; sed hoc dictum erat capite septimo Samuëlis, sive secundi Regum, ante cædem Uriæ.

9. *Filius, qui nascetur tibi, erit vir quietissimus: faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum, & ob hanc causam pacificus vocabitur, & pacem & otium dabo in Israël cunctis diebus ejus.* Nondum Salomon natus erat cùm prohibitus est David à Prophetâ ædificium templi inchoare.

10. *Ipse ædificabit domum nomini meo, & ipse erit mihi in filium & ego ero illi in patrem: firmaboque solium regni ejus super Israël in æternum.* Quasi dicat Nathan: Deus cumulabit filium tuum bonis, qui & summâ perfruetur pace; ut opibus abundans, & ab omni alio negotio vacuus totus incumbat in curam ædificandæ domûs Domino Deo Israël.

Israël. Quæ sequuntur, narrantur ut dicta à Da- A
vide, Salomoni postquàm natus est & adolevit.

11. *Nunc ergo, fili mi, sit Dominus tecum, & prosperare, & ædifica domum Domino Deo tuo sicut locutus est de te.* Initio autem hujus capitis ex quo præcedentes versus protulimus, sermo fit de apparatu templi; de quo serio cogitare cœpit David; ut ibi declaratur. Hujusce capitis nempe 22. lib. 1. Paralip. initium hîc proponendum est.

1. *Dixitque David: hæc est domus Dei, & hoc altare in holocaustum Israël.* Modo fecerat David sacrificium in monte Moria, in areâ Ornam Jebusæi, juxta mandatum Dei, quod ei significaverat Propheta Gad. Cùm advertisset Deum esse placatum; nunc demùm, inquit, video hunc locum à Deo cultui suo destinatum esse: *hæc est domus Dei,* B
id est, hic erit domus Dei. De isto loco modo fusè loquemur.

2. *Et præcepit ut congregarentur omnes proselyti de terrâ Israël, & constituit ex eis latomos ad cædendos lapides & poliendos, ut ædificaretur domus Dei.* Proselyti, nempe advenæ qui in hac terrâ habitatum venerant, & erant in infimo ordine apud Israëlitas, constituti sunt in isto viliori munere, ut eruerent è lapicidinis lapides, qui postea cæderentur & polirentur.

3. *Ferrum quoque plurimum ad clavos januarum & ad commissuras atque juncturas præparavit David, & æris pondus innumerabile.* Clavos ad nectendos inter se asseres. Intelligit etiam omnia fer- C
rea instrumenta, quibus lapides invicem junguntur infuso plumbo, ut divelli ampliùs nequeant. In hunc usum & æs adhibetur; nam, ut observatum est in secundo libro, pleraque instrumenta quæ nunc ferrea sunt, olim ex ære conflabantur.

4. *Ligna quoque cedrina non poterant æstimari, quæ Sidonii & Tyrii deportaverant ad David.* Etenim si fidem adhibemus Eupolemo, cujus fragmentum Eusebius inseruit libro nono Præparationis Evangelicæ, David devicerat Tyrios & coegerat pendere vectigal. Scribit enim Eupolemus Davidem
» adversùs Idumæos, Ammonitas, Moabitas, Itu-
» ræos, Nabatæos & Nabdæos, itemque contra
» Suronem Tyri, Phœniciæque Regem movisse, D
» quos ille omnes Judæis in posterum tributa pen-
» dere coegerit. At cum Vaphre Ægyptiorum Re-
» ge fœdus percussisse. Porrò cùm Deo templum
» excitare perciperet, vehementiùs à Deo conten-
» disse, uti sibi eximio statuendo altari locum indi-
» caret, simulque repentè oblatum ei Angelum fuis-
» se, qui supra locum eum, ubi Hierosolymæ ara
» posita est, consisteret; à quo tamen ejusmodi tem-
» plum ædificari prohibitus fuerit, quod se se hu-
» mano sanguine polluisset, annosque plurimos bel-
» lis gerendis occupatus fuisset. Angeli nomen Dia-
» nathanum esse refert; jussumque ab eo Davidem,
» relictâ filio ædificationis movendæ curâ, quæ fu-
» turi operis substructio postularet, aurum, argen-
» tum, æs, lapides, ligna tam cupressina, quàm ce- E
» drina diligenter ante comparare. Ergo Davidem,
» his auditis, navibusque apud Achana Arabiæ ci-
» vitatem ædificatis, effodiendi metalli artifices Ur-
» phen rubri maris insulam aurifodinis abundantem
» misisse, qui auri plurimùm in Judæam indè retu-
» lerint. Davidem autem, postquàm annos quadra-
» draginta regnasset, imperium Salomoni filio an-
» nos duodecim nato, coram Heli Sacerdotum Prin-
cipe ac duodecim Phylarchis, sive tribuum Principi-
» bus, cum auro, argento, ære, lapidibus, lignis-
» que omnibus cupressinis ac cedrinis tradidisse.
Hoc ex Eupolemo allegat Eusebius. Non mirum est scriptorem Gentilem errare in nominibus Hebræis; & quæ dicta sunt Davidi a viro Prophetâ, eâ tribuisse Angelo, qui indicavit locum aræ ædificandæ.

5. *Et dixit David: Salomon filius meus puer parvulus est & delicatus: domus autem quam ædificari volo Domino, talis esse debet, ut in cunctis regionibus nominetur: præparabo ergo ei necessaria. Et ob hanc causam ante mortem suam omnes præparavit impensas.* Ergo non de vulgari ædificio struendo cogitabat David; cujus ædificii magnitudo æstimari potest ex apparatu. Nam ex quo in mentem ejus inciderat cogitatio de templo condendo, usque ad mortem ejus, effluxerunt triginta anni. Magnus ergo fuit ille apparatus cui per tot annos allaboraverunt, præter proselytos innumeros, etiam vicinæ gentes Tyrii, Sidonii, Ægyptii, Arabes?

David paulò ante mortem allocutus est Salomonem verbis quæ sequuntur in eodem capite, & quæ supra protulimus. *Vocavitque Salomonem filium suum, &c.* Subtexam reliqua verba ejusdem capitis, quibus David hortatur filium ut opus aggrediatur, & spem facit quod perficiet, si quidem ei suppetit materia.

14. *Ecce ego*, aiebat David, *in paupertate meâ,* id est, quantum licuit per bella quibus graviter vexatus & exhaustus fui, *præparavi impensas domûs Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum. Æris verò & ferri non est pondus; vincitur enim numerus magnitudine: ligna & lapides præparavi ad universa impendia.* Juxta calculos nostros talentum Hebræum ponderat 174 marcas, sive selibras cum quatuor unciis & 7 grossis; ita centum mille talenta faciunt 14750000 marcas auri. Ex marcâ auri cuduntur 36 Ludovicei aurei, & restant auri 72 grana. Ita summa immensa est. Eisenschmidius illam dicit ponderasse 1222 milliones Ducatorum seu Hungaricorum; argentum verò 1500 milliones uncialium seu Vallensium Imperialium argenteorum. Pretium, itaque ille, in universum æstimat 11832 milliones librarum Turonensium. Juxta nostras tabulas centum mille talenta aureorum faciunt Ludoviceos aureos nostros 638571428. Centum autem millia talentorum argenteorum valent argenteos scutatos 1571484372.

15. *Habes quoque plurimos artifices, latomos, & cæmentarios, artificesque lignorum, & omnium artium ad faciendum opus prudentissimos,*

16. *in auro & argento, & ære, & ferro, cujus non est numerus. Surge igitur & fac, & erit Dominus tecum.*

17. *Præcepit quoque David cunctis principibus Israël; ut adjuvarent Salomonem filium suum.*

18. *Cernitis*, inquiens, *quod Dominus Deus vester vobiscum sit, & dederit vobis requiem per circuitum, & tradiderit omnes inimicos vestros in manus vestras, & subjecta sit terra coram Domino & coram populo ejus.* Deus peculiari curâ gubernabat Israëlitas, ac si Rex illorum esset; hostes ergo eorum sentiebant Deum sibi infensum ita ut non ampliùs auderent illos bello lacessere.

19 *Præbete igitur corda vestra & animas vestras, ut quæratis Dominum Deum vestrum: & consurgite & ædificate Sanctuarium Domino Deo, ut introducatur Arca fœderis Domini, & vasa Domino consecrata in domum, quæ ædificatur nomini Domini.*

Non semel David accendit studium Israëlitarum in ædificationem templi. Iterùm enim allocutus est viros principes, ut divitias, consiliâ, omnia sua conferrent in illud opus; ut videre est in eodem primo libro Paralipomenon capite 29

1. *Locutusque est David Rex ad omnem Ecclesiam; Salomonem filium meum unum elegit Deus, adhuc puerum & tenellum: opus namque grande est, ne-*

que enim homini præparatur habitatio, sed Deo.

2. *Ego autem totis meis viribus præparavi impensas domûs Dei mei, aurum ad vasa aurea, & argentum in argentea, æs in ænea, ligna ad lignea & lapides Onychinos, & quasi stibinos, & diversorum colorum, omnemque pretiosum lapidem, & marmor Parium abundantissimè.* De hisce pretiosis lapidibus infrà agemus. Marmor quod Interpres Latinus appellat *Parium* non credere est adductum ex Paros insulâ; sed sic illud appellat, quia simile crederet Pario marmori, quod posterioribus temporibus in Græciâ celebrabatur.

3. *Et super hæc, quæ obtuli in domum Dei de peculio meo aurum & argentum;* quod in proprios usus reposueram, *do in templum Dei mei, exceptis his quæ præparavi in ædem sanctam.* Nempe præter jam paratas & destinatas opes ædificio templi.

4. *Tria millia talenta auri de Ophir: & septem millia talentorum argenti probatissimi ad deaurandos parietes templi;* ad obducendum parietes laminis ex auro. Tria millia talentorum aureorum faciunt juxta tabulas plusquàm 19157142. Ludoviceos aureos; & septem millia talentorum argenteorum plusquàm 10050390 argenteorum scutatorum Et hæc summa immensa est, de quâ sententiam meam modò depromam.

5 *Et ubicumque opus est aurum de auro, & ubicumque opus est argentum de argento, opera fiant per manus artificum: & si quis sponte offert, impleat manum suam hodie, & offerat quod voluerit Domino.*

6. *Polliciti sunt itaque principes familiarum, & proceres tribuum Israël, tribuni quoque & centuriones & principes possessionum Regis;* nempe Chiliarchi, Centuriones, & qui Regiis negotiis præfecti erant.

7 *Dederuntque in opera domûs Dei auri talenta quinque millia, & solidos decem millia:* in fonte אדרכונים *adrachonim.* Vox hîc tantùm & Esdræ cap. 8. v. 27. legitur. Putant exoticam esse, sive à vicinis gentibus mutuatam; cujus ergo propria significatio ignoretur. *Argenti talenta decem & octo millia: ferri quoque centum millia talentorum.*

8. *Et apud quemcumque inventi sunt lapides, dederunt in thesauros domûs Domini per manum Jahiel Gersonitis.* Dederunt lapides pretiosos in thesauros templi; neque enim, ut diximus, horum usus fuit in templi ædificio; sed ut olim cùm Tabernaculum factum est, ita & nunc quæ penes essent pretiosa, quisque Israëlita obtulit. Ex capite 26. primi Paralipomenorum v. 22. filii Jahielis erant super thesauros domûs Domini.

9. *Lætatusque est populus, cùm vota sponte promitterent: quia corde toto offerebant ea Domino: sed & David Rex lætatus est gaudio magno.*

Brerevvod differens de ponderibus & pretiis nummorum veterum, expendit illas summas auri & argenti, quæ hic dicuntur collectæ ad ædificium templi. Has dicit superare fidem, si ibi talenta intelligenda sint majora Hebraïca; nempe quæ æquabant ter mille siclos. » Centum millia talia talenta nec » omnes Monarchæ, inquit, possident. Et unde » nam habuerat David tantos thesauros? Et quomo» do hæc ex paupertate se dedisse dicit? Neque e» nim profectò tantam auri argentique immensita» tem opus illud postulabat. Eam enim auri atque » argenti molem in solidam massam conflatam, di» mensiones templi, (quas diligentissimè considera» vi,) multùm superasse reperi Proindè necessariò » dicendum, aut aliud hic ככר chicar denotare quam » talentum; aut aliud esse talentum, quàm Mosaï» cum. Et quidem ככר significat planitiem, indèque » massam aliquam planam & pressam instar placen» tæ, quâ formâ aurum & argentum servari in principum thesauris consuevit. «

Sunt, qui distinguentes duplex talentum, accipiunt de minori illa quæ numerantur collecta à Davide; sed, ut vidimus in libro hujus operis primo, vanæ sunt illæ distinctiones majorum & minorum mensurarum. Hîc Scriptura loquitur de iisdem talentis, quorum numerum recenset, quæ ad Salomonem afferebantur ex Ophir per singulos annos, nempe sexcenta sexaginta sex auri talenta; (3. Reg. cap. 10. v. 14.) Quorum pondus quantumcumque elevetur, conflat summam auri quæ incredibilis est; & arguit, ut puto, mendam irrepsisse in sacros codices; quod circa numerorum notas contingere evicimus in primo libro cap. 10. §. 5. Sed priusquam statuamus an numerum talentorum Librarius mutaverit, an speciem numerorum, scribens talenta pro siclis; expendamus quis sit valor mille siclorum. Siclus pendet 268 granis & ampliùs; Ludoviceus aureus 126 granis: ita quisque siclus ponderosior est duobus Ludoviceis aureis, nimirùm pondere sexdecim granorum: sic centum mille sicli aurei faciunt plusquàm ducentum mille Ludoviceos aureos. Collegerat David mille millies talenta argenti; id est, decies centum mille siclos argenteos si quidem auri ad argentum tunc ratio habebatur decupla, mille millies sicli argentei, sive decies ducentum mille sicli æquabant ducentum mille. Ita si siclos aureos pro talentis ponamus, thesaurus Davidis constabat quatuor centum mille & ampliùs Ludoviceis aureis, hoc est, plusquàm quinque millionibus nostris Turonensibus; quâ in summâ non complector neque aurum de Ophir tria millia talenta, juxta hodiernum codicem; neque cæteram pecuniam, quam populus & viri principes obtulerunt. Præterea ligna, ferrum, lapides collegerat David: ut, licet talenta in hocce loco Scripturæ non alios denotarent nummos quàm siclos, attamen opes illas, quas congesserat David in ædificium templi, deceret reputare immensas; præterquàm quod his infinitas alias postea adjunxerat Salomon. Dicti quinque milliones Turonenses; si reipsâ nominata in sacro codice talenta, habeantur pro talentis, ter millies multiplicandi sunt pro ratione sicli ad talentum. Ita David collegisset 150000 milliones, nempe centum quinquaginta mille milliones Turonenses. Dicam audacter tam numerosâ pecuniâ haud fuisse opus. Etenim præter maximam auri & argenti copiam, quam Salomon contulit in ædificium templi, suppeditabatur operariis ejus ex publicis & privatis apothecis vinum, oleum, frumentum.

Ergo suspicio in animum incidit notas numericas eo in quo versamur Scripturarum loco, permutatas à Librariis, sive potiùs insertam ab illis vocem talenta in quosdam codices, quæ deinde irrepserit in omnes. Constat in sacrâ Scripturâ (protulimus exempla in libro primo cap. 9. §. 4.) quandoque non nominari nummos, sive non definiri speciem nummorum; qui tunc non alii sunt intelligendi, quàm ordinarii, nempe sicli. Ita mille aurei habendi pro siclis aureis, mille argentei pro siclis argenteis. Cùm huncce morem ignorarent, seu potiùs animum non adverterent, qui sacros codices primi exscripserunt, legentes centum mille aureos, & mille millies argenteos collectos à Davide, quam putabant prætermissam nummorum speciem, non aliam rati sunt quàm talenta. Postea Lectoribus qui non cogitaverunt quæ esset auri & argenti summa tot talentorum, non suboluit calamum scribæ errasse, sive ipsum scribam errore abductum; dum temerè infarsit, quod deesse putabat. Cur verò ipse qui historiam Davidicam contexuit, voce talenti in aliâ significatione quàm Moyses usus fuisset

non video; nec etiam cur voluisset has Davidicas opes usque in portentum augere. Satiùs est mendam adscribere incuriæ Librariorum. David non solùm opes congessit in impensas suscipiendi operis; sed & de illius formâ curam habuit: nam ut narratur in eorumdem Paralipomenorum capite vigesimo octavo.

11. *Dedit autem Salomoni filio suo descriptionem porticûs & templi, & cellariorum, & cœnaculi, & cubiculorum in adytis & domûs propitiationis.*

12. *Necnon & omnium quæ cogitaverat atriorum & exhedrarum per circuitum in thesauros Sanctorum.*

Quænam illæ essent partes, infrà declarabitur. Has singulas animo suo David disposuerat, formam totius operis præscribens filio suo sequendam, sive potiùs à Deo sibi præscriptam relinquens. In hocce capite 28. enumerare pergit sacer Historicus quæ David paraverat & disposuerat, tum ad ædificium templi, tum ad ministerium ejus; postea subjicit hæc verba ipsius Davidis loquentis. 19. *Omnia*, inquit, *venerunt scripta manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris.* Si Paralipomenorum Scriptor hocce exemplar, quod propositum fuisse Davidi dicit ob oculos posuisset saltem verbis descriptum; toties ars conjectandi non fuisset adhibenda, ut ejus assequeremur formam.

SECTIO III.

Undè Davidi & Salomoni tot tantæque opes suppetebant? Salomoni afferebantur aurum, argentum ex Ophir. Quâ in plagâ situs ille locus?

PRæter illas opes Davidicas, certum est multas alias à Salomone impensas fuisse; quas hîc considerare decet, ut magis magisque liqueat, opus quod tantis impensis susceptum est, fuisse magnificum. Neque enim ad eam summam auri & argenti perveniunt opes, quas scriptores Græci memorant congestas ad quædam templa Deorum construenda, & quæcumque alia ædificia. Regum quidem Ægyptiorum, ut cum Plinio loquar, pecuniæ otiosa ac stulta ostentatio fuit in exstruendis pyramidibus. Circa illas multa fuit vanitas eorum. Trecenta 66. hominum millia annis 20 pyramidem quæ amplissima est, & ex Arabicis lapidicinis constat, construxisse produntur. Sed ista & similia ædificia non tam opes istorum Regum quam sævitiem ostendunt; qui non solùm olim Hebræos, verùm posteà & populares suos inutilibus laboribus conterebant. Plinius in libro 36. enumerat opera, quæ pro miraculis habebantur; de quibus & nos aliquem sermonem fecimus in libro 2. Sufficiat nunc dicere, quod si expenderetur pondus auri, consumptum in his orbis miraculis, reperiretur multo levius hac summâ auri, quæ à Davide solo collecta fuerat; qui tot tantisque abundabat divitiis, ut in ejus sepulchrum, si credimus Josepho illata sit & quasi in eo sepulta ingens auri copia. » Tantas præterea, inquit ille (Antiq. lib. 7. cap. 12.) divitias hæredi reliquit, quantas nullus alius Rex, vel Hebræorum, vel aliarum gentium. Sepelivit autem eum filius Salomon Hierosolymis magnificè, præter solemnia illa in Regum funeribus, illatis etiam in monumentum ejus maximis divitiis, quarum magnitudinem facile sit conjectare ex his quæ dicemus. Nam post annos 1300. Hyrcanus Pontifex oppugnatus ab Antiocho cognomine Pio, Demetrii filio, volens pecuniam ei dare, ut abducto exercitu obsidionem solveret, nec valens aliunde sumere, apertâ cellâ monumenti Davidis & prolatis inde tribus talentorum millibus, eorumque parte Antiocho numeratâ, oppugnationis periculo se exemit, sicut & alibi indicavimus. Ac rursùm post multos annos elapsos Herodes Rex aliâ cellâ apertâ magnam pecuniam sustulit. Ad loculos tamen, ubi Regum corpora, neuter eorum pervenit. Singulari enim arte ita erant sub terram conditi, ut ab ingredientibus monumentum inveniri nequirent «

Ex quo penu tot tantasque divitias David potuisset expromere? Vicinas quidem gentes ille devicerat, & sibi vectigalia pendere coegerat; sed tanta auri & argenti copia non potuit nisi ex auri-fodinis erui; quod factum discimus ex Eupolemo referente, loco quem jam allegavimus, Davidem, postquàm jussus est filio, & curam moliendi templi relinquere & parare ea quæ necessaria erant, πλοῖα ναυπηγήσαντα ἐν Ἀχάνοις πόλει τῆς Ἀραβίας καὶ πέμψαι μεταλλευτὰς εἰς τὴν οὐρφῆ νῆσον, κειμένην ἐν τῇ Ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ, μέταλλα χρυσικὰ ἔχουσαν καὶ τὸ χρυσίον ἐκεῖθεν μετακομίσαι τοὺς μεταλλευτὰς εἰς τὴν Ἰουδαίαν *Navibus apud Achana Arabiæ civitatem ædificatis, effodiendi metalli artifices Ourphen rubri maris insulam, auri-fodinis abundantem misisse, qui auri plurimùm in Judæam indè retulerint.* Ego facilè animum adduco, ut credam illam Eupolemi insulam οὐρφῆ non alium locum esse quàm Ophir. Græci solebant quandoque voces Hebræas invertere, permutare ordinem elementorum, & quorumdam sonum. David cum Arabibus sæpiùs conseruerat prælia; & multos ex illis fecerat captivos. Fando igitur potuerat quæ jam audire de fodinis Arabicis, sive quæ Arabibus primùm innotuerant; & missis navibus Urphen, sive Ophir, indè deducere tantas opes; quarum, ut ita dicam, fontes indicaverit Salomoni filio.

Revertamur ad sacrum codicem, qui sic retegit undè tanta copia auri Salomoni suppeteret. (3. Reg. cap. 9. v. 26.) *Classem quoque fecit Rex Salomon in Asion-Gaber, quæ est juxta Ailath in littore maris rubri, in terrâ Idumeæ.* Sunt qui velint locum Asion-Gaber, sic dictum, quia Salomon ibi naves fabricandas curavit. אני עשה *oni ascha*, id est, ναῦς ποιεῖν, ut dicit Josephus. *Ailath* autem non videtur differre ab Elana, de quo loco & Elanitico sinu loquuntur veteres Geographi. Loca illa sunt circa mare rubrum, quod nomen suum accepit ab Idumæis vicinis. *Edom* sonat apud Hebræos idem ac Græcis Erythræum, Latinis rubrum. Idumæos sibi subdiderat David; à quibus, ut dixi, aliquid audire potuerat de fodinis quæ per mare rubrum adirentur. Job mentionem facit אופיר *Ophir* cap. 22. v. 24. *Dabit pro terrâ silicem & pro silice torrentes aureos.* Ibi in fonte Hebræo nominatur *Ophir*; quam vocem non expressit Latinus Interpres. Job inter Idumæos aut in viciniâ eorum habitabat. Ergo jam notum Idumæis afferi ex Ophir aurum. Postea quæremus ubi hæc regio statuenda sit. Quæcumque fuerit, illuc *misit Hiram in classe illâ servos suos viros nauticos & gnaros maris cum servis Salomonis.* Strabo libro 16. agnoscit in sinu Persico Tyrum, cujus accolæ haberent templa Phæniciis similia. Verisimile ergo hæc loca fuisse habitata à Tyriis, sive hanc Arabicam Tyrum de quâ loquitur Strabo, fuisse Tyri Phœniciæ coloniam; ad quam itinere pedestri Tyrii Phœnices poterant ire. Hi utpote accolæ maris, in arte nauticâ omni ævo fuerunt celebres; artis etiam habentur inventores.

Prima vatem ventis credere docta Tyrus.

dicit Catullus. Plinius lib. 5. cap. 12. sic de Tyriis loquitur *Gens Phœnicum in gloriâ magnâ literarum inventionis & syderum, navaliumque ac bellicarum artium.* Sive ergo Tyrii Phœnices, sive illi Tyrii

qui Arabiam incolebant, potuerant navigando cog- A noſcere auri-fodinas, quarum cognitionem Hiram Rex Tyri poſtea Salomoni ut amico communicavit. Servi autem Salomonis & Hiram *cùm veniſſent in Ophir, ſumptum indè aurum quadringentorum viginti talentorum, detulerunt ad Regem Salomonem*, nimirum juxta tabulas 2682000 Ludoviceos aureos.

Bochartus putat *Ophir* non aliud indicare, quam locum divitem. *Auphar*, inquit, Arabibus ſignificat *abundans & opulentum.* De ſitu Ophir judicari poteſt ex mercibus, quæ indè cum auro adducebantur. (3. Reg. cap. 10.) *Sed & claſſis Hiram quæ portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna thyina multa nimis, & gemmas pretioſas.* Dicuntur illa ligna in Paralipomenis *Almugim*, odorifera; quip- B pe quæ incenderentur ad ſuave ſuffimentum. Ex illis inſuper inſtrumenta fiebant, ut ſubjungitur. *Fecitque Rex de lignis thyinis fulcra domûs Domini & domûs Regiæ.* Intelligenda ſunt omnia ſupellectilia lignea, ſive inſtrumenta, vaſa quæ ſolent fieri è ligno, *& citharas, lyraſque Cantoribus: non ſunt allata hujuſmodi ligna, neque viſa in præſentem diem.* Etenim poſt Salomonem ignota fuit vel inuſitata Judæis navigatio in Ophir; quæ in Paralipomenis lib. 2. cap. 9. paulò fuſiùs narratur. *Sed & ſervi Hiram cum ſervis Salomonis attulerunt aurum de Ophir & ligna thyina. & gemmas pretioſiſſimas: de quibus fecit Rex, de lignis ſcilicet thyinis, gradus* in fonte *meſiloth*; quod nomen ſignificat elevationes, aſcen- C ſum, loricas, ſed & id quod ſternitur: nempe pavimenta cellarum templi & domûs Regiæ ſtrata erant hiſce lignis, *in domo Domini & in domo Regiâ; citharas quoque & pſalteria Cantoribus: nunquam viſa ſunt in terrâ Juda ligna talia.* Etenim ultra non adducta fuêre.

Summa igitur auri quod ex Ophir Salomon accipiebat. *Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per ſingulos annos ſexcenta ſexaginta ſex talenta auri*, juxta tabulas, 4152885 Ludoviceı aurei, *exceptâ eâ ſummâ, quam legati diverſarum gentium, & negotiatores afferre conſueverant; omneſque Reges Arabiæ, & Satrapæ terrarum, qui comportabant aurum & argentum Regi Salomoni.* D

Sequentibus verſibus enumerantur ſcuta aurea, & alia quæ ex ſimili metallo fecit Salomon, ſicut vaſa, & omnis ſupellex. *Omnia quoque vaſa convivii Regis erant aurea, & vaſa domûs ſaltûs Libani ex auro puriſſimo. Argentum enim in diebus illis pro nihilo reputabatur. Si quidem naves Regis ibant in Tharſis*, id eſt, ad mare *cum ſervis Hiram, ſemel in annis tribus: & deferebant indè aurum & argentum, & ebur & ſimias & pavos.* Hæc omnia indicant quis locus poſſit eſſe Ophir. *Magnificatus eſt igitur Salomon ſuper omnes Reges terræ præ divitiis & gloriâ.* Nec omittendum quod in hocce Scripturæ loco dicitur de Salomone: *Tantamque copiam præbuit argenti in Jeruſalem quaſi lapidum; & cedrorum tan-* E *tam multitudinem velut ſycomorûm quæ gignuntur in campeſtribus.* His divitiis adnumerandæ opes quas Hiram & Regina Saba in munus Salomoni obtulerunt. Fama ſapientiæ ejus pervenerat ad hancce Reginam; quæ ideò venit Jeroſolymam ut oculis videret quod auribus audierat. Secum autem adduxit munera, ut narratur in tertio Regum (cap. 10. v. 10.) *Dedit ergo Regi centùm viginti talenta auri*, quæ faciunt 7662857 aureos nummos; *& non ſunt allata ultrà aromata tam multa, quàm ea quæ dedit Regina Saba Regi Salomoni* Hæ omnes merces quæ ex Ophir adducebantur quâ in parte mundi Ophira regio ſit clarè indicant. Diverſæ tamen circa illam ſunt ſententiæ, alii enim eam habent pro totâ orâ orientali Africæ, in partibus extremis maris rubri, quod juxta veteres longè extendebatur. *Tharſis* autem illis videtur regio ejuſdem Africæ occidentalis. Sed hocce nomen *Tharſis* non regionem aliquam indicat, ſed mare in genere, ut liquet ex hiſce verbis (3. Reg. 22. v. 49.) *Rex verò Joſaphat fecerat claſſes in mari*, in fonte תרשיש Tharſis, *quæ navigarent in Ophir propter aurum, & ire non potuerunt, quia confractæ ſunt in Aſion-gaber.* Joſaphat non curaſſet fabricandas naves in littoribus Africæ occiduis, quæ ultra fretum Herculeum ſunt, ut his navigaretur in mare rubrum. Ophyra certe fuit regio remotiſſima, quæ per mare rubrum adiretur; ideò non poteſt haberi pro ullâ plagâ Americanâ, ad quam navigare compendioſius fuiſſet Phœnicibus è portu Tyri ſolventibus. Attamen ſunt qui vocem Ophir confundunt cum nomine *Perou*, quæ eſt regio Americana auri feraciſſima; & indè conjectant ex iſtâ Peruanâ regione advectam Salomoni tantam auri copiam. Vana eſt iſta conjectura; ſi quidem nomen illud *Perou* exteri ſecum intulerunt, priùs ignotum incolis, ut obſervat Garcillaſſo de la Vega qui hujus regionis hiſtoriam ſcripſit.

Veriſimilius ergo eſt Ophyram fuiſſe circa extremas oras Æthiopiæ, quæ pars Aſiæ erat, & India appellatur à vetuſtis Scriptoribus. Ibi abundant merces quæ ab Ophir advehebantur. Plures fluvii Africæ ſecum devehunt aurea grana; qui ergo oriuntur ex auri-fodinis. Dictæ merces occurrunt in inſulis circa extremas plagas meridionalis Africæ tum ad Orientem tum ad Occidentem. Non intra aliquem arctum tractum velim concluſam illam regionem ſic abundantem auro. Jure autem nemo illam ſtatuat remotiorem his oris Africæ & Aſiæ, quia navigatio Salomonica non conficiebatur niſi ſpatio trium annorum; quaſi illud tempus demonſtraret longioris intervalli terminos. Etenim cùm his diebus nondum tanta eſſet artis nauticæ peritia, & tunc temporis pyxis nautica ignota eſſet, ſolùm interdiu navigabatur, noctu verò in anchoris lux expectabatur. Tum etiam quoad fieri poterat, ora maritima legebatur, ſecundis duntaxat flatibus; eò quòd nautæ aliis ventis vela dare, ad uſumque & utilitatem navigandi trahere non noverant; quod fuit poſteriorum temporum inventum. Præterea, ut notat Gaſpardus Varrerius Luſitanus, alia tam tardæ navigationis cauſa erat; quòd ob maris & locorum maritimorum inſolentiam, Naucleri pro diverſitate regionum mutabantur; his enim opus erat qui vicinarum navigationum ſcientiſſimi eſſent. Addit Varrerius mare Indicum hieme, quæ apud Indos à Kalendis Aprilibus circiter Kalendas Octobris protenditur, adeò procelloſis & immodicis tempeſtatibus agitari, ut infeſtum & invium hoc tempore efficiatur. Denique ſunt in illo cælo ſtati ventorum flatus, quibus exceptis idoneæ ad navigandum tempeſtates multæ ſunt. Ut non mirum ſit ſi Phœnices & Judæi ante triennium nequiverint conficere curſum ſuum. Tum & partem hujus temporis fórſan impendebant colligendis, etiam effodiendis metallis.

Concludam ergo Ophir fuiſſe alicubi harum plagarum, quæ nomine Indiarum olim ſignificabantur. Aliis Οὔπαρα *Oupara*, aliis *Cherſoneſus*, id eſt, *aurea inſula*: Taprobana, de quâ ſic loquitur Strabo lib 2. « Pro certo creditum eſt hanc magnam inſulam in alto versùs Meridiem ante Indiam jacere, porrigi versùs Æthiopiam ampliùs IↃC ſta- « diis, ex eâque in Indorum emporia importari mul- « tùm eboris, teſtudinum, aliaſque merces. « De navigationibus autem in mari Arabico idem Strabo dicit (lib. 17.) « Superiore tempore ne viginti qui-

» dem navigia in Arabicum sinum transire aude- A » bant..... nunc maximæ classes usque in Indiam » & extrema Æthiopiæ transmittunt; unde pretio- » sissimæ merces in Ægyptum advehuntur.

Ista cogitatio forsan alicujus animum subeat, templum quod ædificavit Salomon, cui tot & tantæ opes suppetebant, magnificum fuisse; sed postquàm illud destructum est, non aliud excitari potuisse, nisi mediocre, quia aurum & argentum deficerent. Verùm etiam si auri-fodinas non haberent Judæi, facilè potest demonstrari thesauros templi fuisse divitiis refertos; neque enim de alio templo, quàm quod eversum est à Tito, loquebatur Tacitus, dicens fuisse Jerosolymis immensæ opulentiæ templum. Notum est quemque Judæum olim pen- B disse templo dimidium sicli, decimam cujusvis proventûs, primitias fructuum, frugum omnium, & pecorum. His adjungendum pretium quoddam pro primogenitis filiorum, nec prætermittenda voluntaria munera, quæ viri pii ad sarta tecta templi & sacrificia offerebant. Sacer thesaurus dicebatur Hebraïcè *corban*, quod nomen statim ac quis protulisset, dicens, *bonum meum sit corban*, hoc est, id quod penès me est, volo ut conferatur in thesauros templi, tenebatur totum quod voverat conferre, nec etiam huic licebat partem detrahere in alimoniam parentum. Itaque templum abundabat divitiis; forsan non minùs ex ista Judæorum religione, quàm olim ex aurifodinis. De annuis templi reditibus, C immensis divitiis, de thesauris & thesaurorum custodibus in septimo libro datâ operâ disseremus.

SECTIO IV.

Templum Hierosolymitanum fuisse magnificum ostendit numerus operariorum, à quibus ædificatum, maximè Tyriorum, qui primi architectonicam exercuerunt.

Fieri non poterat, quin ad vicinas gentes perveniret fama futuri ædificii, pro quo tantus erat apparatus. David bello & pace clarus, qui aut ferro aut amicitiæ vinculo sibi devinxerat terræ Israël vicinos Reges, concitaverat magnam expec- D tationem operis. Per totos triginta annos coacervaverat aurum & argentum in impensas; ferrum, ligna, lapides in materiem. Innumeros collegerat operarios, qui & ante fundatum templum cœperunt ligna cædere, & quadrare lapides. Innotuerat omnibus à filio successore ejus suscipiendum opus. Itaque qui olim amicitiam cum Davide coluerant, ubi audierunt eum vita functum, Salomoni polliciti sunt operam & navaverunt. Inter illos enituit benevolentia Hirami, qui tunc Tyri Rex erat; ut declaratur in tertio Regum cap. 5.

1. *Misit quoque Hiram Rex Tyri servos suos ad Salomonem; audivit enim quòd ipsum unxissent Regem pro patre ejus: quia amicus fuerat Hiram David* E *omni tempore.* Misit legatos Hiram qui Salomoni gratularentur. Forsan statim post mortuum Davidem legati missi sunt, sed Scriptura mentionem horum non facit, nisi per occasionem, cùm Salomon operarios petiit ab Hiram.

2. *Misit autem Salomon ad Hiram, dicens: eo tempore quo de inchoando opere cogitavit.*

3. *Tu scis voluntatem David patris mei;* innotuerat enim ejus propositum, ut dixi, de ædificio templi, *& quia non potuerit ædificare domum nomini Dei sui propter bella imminentia per circuitum, donec daret Dominus eos sub vestigium pedum ejus.* Nempe disturbatus non potuit vacare tanto operi. Nunc in codice Hebræo scribitur רגלו *pedum ejus:* sed Judæi seu sunt legi debere רגלי, id est *pedum meorum;* quod apponunt in margine Bibliorum suorum. David senex pace regnum composuerat; sed Salomonis regnum pacificum fuit omnibus diebus ejus.

4 *Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum; & non est satan, neque occursus malus.* Non est adversarius qui conatibus meis obsistere aut possit, aut velit

5 *Quamobrem cogito ædificare templum nomini Domini Dei mei, sicut locutus est Dominus David patri meo, dicens: filius tuus,* quem dabo pro te super solium tuum ipse ædificabit domum nomini meo.* Illud *nomini Domini Dei mei*, idem est ac in honorem Dei quem colo. Literarum quas ad se invicem miserunt Salomon & Hiram, hodie durant exemplaria tam in nostris quàm in Tyriorum annalibus, ait Josephus Antiq. lib 8 cap. 2. has & legere est in veterum historiarum fragmentis, quæ libro nono de Præparatione Evang licâ expromit Eusebius.

6. *Præcipe igitur ut præcidant mihi servi tui cedros de Libano, & servi mei sint cum servis tuis: mercedem autem servorum tuorum dabo tibi quamcumque petieris: scis enim quomodo non est in populo meo vir qui noverit ligna cædere sicut Sidonii.* Jam materiem paraverat David: curaverat ut ligna cæderentur. Sed in ædificio templi multâ cedrorum copiâ opus erat; in pavimentum porticuum, cellariorum, in tabulas quibus parietes obtegebantur; tum in tabulata; tum in structuram murorum qui lignis & lapidibus constructi erant si omnis fides adhibeatur Eupolemo, quem Eusebius loco citato allegat. Οἰκοδομεῖν δὲ ἐναλλὰξ δόμον λίθινον, καὶ ἔνδεσμον κυπαρίσσινον, πελέκεσι χαλκοῖς ταλαντιαίοις καταλαμβάνοντας τοὺς Β. δόμους· οὕτω δὲ αὐτὸν οἰκοδομήσαντα ξυλῶσαι ἔξωθεν κεδρίνοις, καὶ κυπαρισσίνοις, ὥστε τὴν λιθίνην οἰκοδομὴν μὴ φαίνεσθαι. Hunc locum sic Vigerius Latinè exponit. « Ac structuram quidem universam ita compingi voluit Salomon ut alterni sese lapi- « dum & cupressinarum trabium ordines excipe- « rent; quod utrumque corium æneis quibusdam, « iisque talenti pondo, securium instar, vinculis as- « tringeretur. Jam stante universi ædificii mole, ce « drinis, cupressinisque tabulis exteriorum lapidum « faciem, ne oculum offenderet, undequaque vesti « vit. » Cedrus autem non curvatur sub pondere, sed retinet vigorem suum. Lignum est odoratum, speciosum, quo abundabat Libanus mons intra limites terræ Israël; sed qui, ut videtur, pertineret ad Sidonios & Tyrios. Sidon distabat Tyro ducentis stadiis, ut scribit Strabo. Sidon erat urbs antiquior; undè Homerus qui celebrat Sidonios, nec Tyrum nominat. De utraque urbe juvat audire Strabonem loquentem lib. 16. « Post Sidonem maxima & antiquissima Phœnicum est Tyrus, cum Sidone « magnitudine, & formâ, & antiquitate comparan « da, multis fabulis celebrata. Poëtæ quidem ma- « gis Sidonem celebrant, atque adeò Homerus Ty- « ri non meminit: Coloniæ tamen in Africam & « Hispaniam usque ad loca ultra extra columnas de- « ductæ, Tyrum plurimùm celebraverunt. Ergo « ambæ & nunc & antiquitùs claræ illustresque « sunt: controversumque manet utra earum Phœni- « cum metropolis dici debeat. Sidon jacet in ele- « gante continentis portu. Tyrus tota insula est.... « Sidonii cùm multarum tum optimarum artium « magistri perhibentur, quod etiam Homerus in- « nuit. «

Homerus Sidonios vocat πολυδαιδάλους *multi scios, ingeniosos.* Si quid concinnum in vestibus, aut in vasis affabrè factum, aut ludicrum in crepundiis, ut observat Bochartus, Poëta Sidoniorum industriæ tribuit. Ergo quod dicit Scriptura, neminem esse qui ligna noverit cædere sicut Sidonios, non

decet interpretari de robore in evertendo cedros, A
bipenni incusâ; sed de opere ligneo eleganti. Primis temporibus, cùm omnia essent ædificia lignea, ut vidimus, differentes de primâ Architectonices origine, artem peritì ostentabant tantùm in lignis affabrè cædendis.

7. *Cùm ergo audiisset Hiram verba Salomonis, lætatus est valdè, & ait: Benedictus Dominus Deus hodie, qui dedit David filium sapientissimum super populum hunc plurimum.* Jam prædicabatur sapientia Salomonis. Hiram etiam Deum Israëlis forsan probabat pro vero & summo Deo; plerique enim Gentiles suos patrios Deos ita colebant, ut etiam alienos non contemnerent.

8. *Et misit Hiram ad Salomonem, dicens: Audi-* B
vi quæcumque mandasti mihi: ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis & abiegnis. Pro *abiegnis*, alii vertunt *pineis* vel *cupressinis*. In fonte ברשים *Berochim*. Abies ad ædificia arbor apta est, quia rigiditatem habet, nec curvatur, & insuper levis est. Attamen teredines & tineas gignit, & ignes facilè concipit; quapropter non durat.

9. *Servi mei deponent ea de Libano, ad mare*, in monte Libano præcident ea ligna & adducent ad portum: *& ego componam ea in ratibus*; id est, ipsa ligna in modum ratis curabo disponenda & inter se colliganda, ut per mare quasi rates trahantur & impellantur. Nomen enim דוברות *doberoth* significat fasces magnarum trabium, quæ per aquas ab C
unâ regione ad aliam transmittuntur. *Usque ad locum, quem significaveris mihi: & applicabo ea ibi.* In fonte *Et dissolvam*, sive *dispergam* ligna quæ in modum ratium connexa erant; *& tu tolles ea.* A portu ad quem servi appulerint rates, deducenda curabis Jerosolymam *præbebisque necessaria mihi ut detur cibus domui meæ.* Scilicet alimoniam præbebis servis meis, quos tibi in operarios dabo. Tyrii enim & Sidonii colebant insulas ferè steriles, quæ annonâ destituebantur.

10. *Itaque Hiram dabat Salomoni ligna cedrina, & ligna abiegna juxta omnem voluntatem ejus. Quotquot his indigebat.*

11. *Salomon autem præbebat Hiram coros tritici* D
viginti millia in cibum domui ejus, & viginti coros purissimi olei: hæc tribuebat Salomon Hiram per singulos annos. Juxta calculos quos in libro primo subduximus, cori viginti millia, faciunt paulò plus quam Parisinos modios 2203 & 4 sextarios. Hæc mensura sufficiebat ut singulis diebus suppeditarentur duæ libræ panis cuique operario. Eupolemus apud Eusebium (lib. 9. de Præparat. cap. 3.) loquitur de alimoniâ menstruâ, sed non concors est cum sacro codice; quæ discordia non movet nos. Scriptor enim exoticus potuit ignorare quæ verè scripta erant in sacris codicibus. Non ita est de discordia quæ apparet inter Scriptores Regum & Paralipomenorum. In hoc loco Regum Salomon tribuebat E
viginti coros purissimi olei; nempe quatuordecim vinarios modios Parisinos, sive vasa his paria cum sexdecim sextariis & tribus quartis. In Paralipomenis verò, dabat Salomon viginti mille batos; corus autem unus par est decem batis; ita viginti cori æquales sunt non viginti mille batis, sed tantùm ducentis; ita necesse est ut quis ex Scribis erraverit; neque enim inter Scriptores Regum & Paralipomenorum discordia est, sed inter eorum exscriptores.

12. *Dedit quoque Dominus sapientiam Salomoni: sicut locutus est ei: & erat pax inter Hiram & Salomonem, & percusserunt ambo fœdus.* Sapientia in amicitiis & societatibus deligendis & retinendis maximè elucet.

13. *Elegitque Rex Salomon operarios de omni Israël, & erat indictio triginta millia virorum.* Fons sic verti potest *& imposuit* Rex tributum מס *mas*, nempe præcepit ut per modum tributi darentur ei ex Israële triginta millia virorum. Factus est delectus, ut fieri solet, cùm eliguntur ad bellum milites.

14. *Mittebatque eos in Libanum, decem millia per menses singulos vicissim, ita ut duobus mensibus essent in domibus suis, & Adoniran erat super hujusmodi indictione.* In isto Israëlitarum delectu, qui abfuerant domo, in monte Libano urgentes opus, mense completo revertebantur, & per duos menses vacabant à suo munere. Huic autem delectui præerat Adoniran. Proselyti graviora subibant onera, Israëlitæ ipsi non premebantur laboribus: præpositi erant operum; alii in Libano; alii Hierosolymis, aut in vicinia.

15. *Fueruntque Salomoni septuaginta millia eorum, qui onera portabant; & octoginta latomorum in monte.* An tantùm per vices incumberent labori, Scriptura non declarat. Tot autem operarii non sibi poterant esse impedimento; nam occupabantur in diversis lapidicinis. Vix autem concipitur quomodo lapides tantæ molis devehi poterant ex montibus; sicut & proceræ cedri advehi ex mari in Jerosolymorum montem.

16. *Absque præpositis qui præerant singulis operibus, numero trium millium, & trecentorum præcipientium populo & his qui faciebant opus.* In Paralipomenis tales præpositi, sive præfecti numerantur *ter mille sexcenti.* Alii aliter concordiam ineunt inter utrumque locum. Nempe ter mille & trecenti erant ordinarii; quibus alii trecenti in casu necessitatis addebantur. Alii nodum solvunt aut eludunt, non refugientes dicere ibi & notas numericas corruptas. Pluribus in locis Regum & Paralipomenorum occurrunt plures discrepantiæ, quæ Librariis necessariò tribuendæ sunt. Huicce autem loco, quem ex Regibus protulimus, parallelum est caput secundum secundi Paralipomenorum quod ergo proponam, breviter perstringens ea quæ non occurrunt in libris Regum.

1. *Decrevit autem Salomon ædificare domum nomini Domini, & palatium sibi.* Scriptor indicat à se hîc fieri sermonem de ædificiis Salomonis, templi Dei, & palatii.

2. *Et numeravit septuaginta millia virorum portantium humeris, & octoginta millia qui cæderent lapides in montibus, præpositosque eorum tria millia sexcentos.* Liber Regum, ut diximus, numerat tantùm ter mille & trecentos præpositos.

3. *Misit quoque ad Hiram Regem Tyri, dicens: Sicut egisti cum David patre meo, & misisti ei ligna cedrina ut ædificaret sibi domum in quâ & habitavit.* Ista est domus, in quâ habitare pudebat Davidem, dum Arca Dei esset sub pellibus.

4. *Sic fac mecum ut ædificem domum nomini Domini Dei mei, ut consecrem eam ad adolendum incensum coram illo, & fumiganda aromata, & ad propositionem panum sempiternam, & ad holocautomata mane & vespere, sabbatis quoque & Neomeniis, & solemnitatibus Domini Dei nostri in sempiternum, quæ mandata sunt Israëli.* Enumerantur præcipua templi munia, quibus implendis parabatur illud.

5. *Domus enim quam ædificare cupio, magna est: magnus enim Deus noster super omnes Deos.* Idcirco tanto operi perficiendo quæro adjutorem.

6. *Quis ergo poterit prævalere, eâ pollere potestate, ut ædificet ei dignam domum? Si cælum & cæli cælorum capere eum nequeunt: quantus ego sum, ut possim ædificare domum? Sed ad hoc tantum, ut*

adoleatur incensum coram illo. Id est, statui domum ædificare, non ut ea capi posset Deus, sed ut incensum adoleam, sive ut sit locus in quo eum colam; eo modo quo ipse coli vult.

7 *Mitte ergo mihi virum eruditum, qui noverit operari in auro & argento, ære & ferro, purpurâ, coccino & hyacintho, & qui sciat sculpere cælaturas, cum his artificibus, quos mecum habeo in Judæâ & Jerusalem, quos præparavit David pater meus.* Vidimus Sidonios fuisse præclaros artifices. Non dubitandum est quin David curaverit plerosque Israëlitas erudiendos, quorum operâ Salomon uti posset.

8. *Sed & ligna cedrina mitte mihi & arceuthina* ברושים. Sunt qui has arbores habeant pro junipero *& pinea* אלגימים ligna videntur thyina, *de Libano*, qui mons ferax est arboribus aptis ad ædificia. *Scio enim quod servi tui noverint cædere ligna de Libano;* nempe his lignis de Libano indere elegantes formas. *Et erunt servi mei cum servis tuis.* Conferent operas.

9. *Ut parentur mihi ligna plurima. Domus enim quam cupio ædificare, magna est nimis & inclyta.* Dignum opus majestate Dei meditor.

10 *Præterea operariis qui cæsuri sunt ligna, servis tuis dabo in cibaria tritici coros viginti millia, & hordei coros totidem, & vini viginti millia metretas, olei quoque sata viginti millia.* In fonte viginti mille batos vini, & viginti mille batos olei; hoc est, vini modios Parisinos 1446, cum 27 sextariis, & paulò plus; & totidem olei.

11. *Dixit autem Hiram Rex Tyri per literas quas miserat Solomoni, quia dilexit Dominus populum suum, idcirco te regnare fecit super eum.* Felices populos prædicat Hiram qui Salomoni pareant, & regantur à Rege sapientissimo.

12. *Et addidit dicens: Benedictus Dominus Deus Israel, qui fecit cælum & terram, qui dedit David Regi filium sapientem, & eruditum, & sensatum, atque prudentem, ut ædificaret domum Domino & palatium sibi.* Præparaverat sibi ipse Deus Regem prudentem & potentem, qui tantum opus suscepturus esset, & dignè perficeret.

13. *Misi ergo tibi virum prudentem & scientissimum Hiram patrem meum*, ætate, vel quem ob peritiam in patris loco habeo. In fonte אבי pro quo infrà cap. 4. v. 16. legitur אביו *abiu*; ita nomen esset Hiram; ut locus verti possit, *misi Hiram Abiu.*

14. *Filium mulieris de filiabus Dan, cujus pater fuit Tyrius, qui novit operari in auro & argento, & ære, & ferro, & marmore, & lignis, in purpurâ quoque, & hyacintho, & bysso, & coccino: & qui scit cælare omnem sculpturam, & adinvenire prudenter quodcumque in opere necessarium est, cum artificibus tuis, & cum artificibus Domini mei David patris tui.* Experiêris hunc artificem in omnibus artibus solertem esse. Natus erat matre Israëlitide. Licebat enim feminis Hebræis nubere marito extraneo, salvâ religione suâ. Sed primo Reg. cap. 7. v. 14. Hiram dicitur fuisse de tribu Nepthalim. Ut dissentio inter hæc duo loca nulla sit, quidam fingunt Hiram fuisse Tyrium non natione sed habitatione, natum patre ex tribu Nepthalim, matre ex tribu Dan. Uterque locus non videtur mendis carere.

15. *Triticum ergo & hordeum, & oleum, & vinum quæ pollicitus es, Domine mi, mitte servis tuis.* Nempe servis meis quorum operam promitto.

16. *Nos autem cædemus ligna de Libano quot necessaria habueris, & applicabimus ea ratibus per mare in Joppe: tuum autem erit transferre ea in Jerusalem.* Joppe erat portus proximior.

17. *Numeravit igitur Salomon omnes viros proselytos, qui erant in terrâ Israel post dinumerationem, quam dinumeravit David pater eius, & inventi sunt centum quinquaginta millia, & tria millia sexcenti.* Hi proselyti, sive advenæ legi se non subjecerant, sed præcepta Noe data tantum servabant; qui enim legem Mosaicam observabant pari jure cum civibus agebant.

18. *Fecitque ex eis septuaginta millia, qui humeris onera portarent, & octoginta millia qui lapides in montibus cæderent; tria autem millia & sexcentos præpositos operum populi.* De discrepantiâ hujus loci cum loco parallelo in libris Regum suprà egimus. Non memorat Scriptura missas à Salomone ad Vaphren Regem Ægypti literas, quas legere est in Præparatione Eusebii ex Eupolemo; tum responsum Vaphris qui ad Salomonem misit innumeros operarios « ex Sebrithide præfecturâ decem millia, ex Mendesiâ & Sebennitide, viginti millia, « ex Busiritide, Leontopolitide, & Bathrihitide « circiter triginta tria millia. » Litteræ Salomonis ad Suronem Regem Tyri & Sidonis, quas ex Eupolemo affert Eusebius, illustrant sacrum codicem qui videtur contraxisse has literas. Postulat Salomon ut Rex Tyri ad eum mittat homines fabros qui tamdiu illi operam navent, *donec*, inquit, *divinum illud opus, prout jussus ego sum, accuratè perfecero. Cæterùm in Galilæam, Samariam, Moabitidem, Amanitidem, & Galaditidem scripsi, uti ex regionibus illis quæcumque opus fuerint, iis affatim suppetant; nempe in singulos menses coros tritici decem millia qui singuli Artabas sex continent: Itemque cororum vini decem millia, qui singuli decem metra efficiunt. Oleum autem ac cætera ex Judæâ, hostias verò quarum ipsi carnibus vescantur, ex Arabiâ suppeditari jussi.* Ibi hostiæ sunt oves & boves, aliaque animalia, quæ mactarentur in cibum.

SECTIO V.

Templum ædificatum est lapidibus verè pretiosis. De apparatu cæterorum lapidum & lignorum. Omnia foris præparabantur; ita in templo non auditus est malleus.

SErò lapidibus ædificari cœptum est; ut structura templi Salomonica constans grandibus saxis jure mira videatur eo tempore quo illa è visceribus montium eruere & quadrare nondum solitum erat. Hoc Romani non tentaverunt nisi sub Tarquinio Prisco, nempe plusquàm quadringentis annis post jacta templi Hierosolymitani fundamenta. Id attestatur Dionysius Halycarnassensis in Antiquitatibus Romanis lib. 3. « Forum etiam, inquit ille, ubi jus redditur, concionesque fiunt, & cætera civilia negotia peraguntur, ab illo Rege ornatum est, « officinis circumdatum, & cæteris ornamentis pu- « blicis. Urbis quoque mœnia, quæ ante ex temporali ac frivolo opere condita fuerant, primus « sectis ad regulam lapidibus prægrandibus, quorum singuli justum plaustri onus conficerent, exstruere instituit. « καὶ τὰ τείχη τῆς πόλεως αὐτοσχέδια, καὶ φαῦλα ταῖς ἐργασίαις ὄντα, πρῶτος ἐδοκίμασε λίθοις ἁμαξιαίοις εἰργασμένοις πρὸς κανόνα ξυστὰ κατασκευάζειν. Plinius in Proœmio libri trigesimi sexti invehitur in illud institutum; quod postea usque ad insaniam auctum est. « Hùc inùcque portantur juga montium. . . . secum quisque « cogitet quæ pretia horum audiat, quas vehi tra- « hique moles videat. Sed & quàm sine his multo- « rum fuerit beatior vita, ad quàmque multorum « neces sit necesse ista facere. » Itaque temporibus Sa-

lomonis nondum lapidibus politis, sive ad regulam sectis ædes struebantur. Tunc decora architecturæ: ut alibi diximus, fiebant in ædificiis ligneis; ita satis laudat Homerus palatium Circes, cùm ex lapidibus politis structum dicit Odys. K, sive libro decimo. A

Εὗρον δ' ἐν βήσσησι τετυγμένα δώματα Κίρκης
Ξεστοῖσιν λάεσσι περισκέπτῳ ἐνὶ χώρῳ.

„ Inveniebant autem in convalle ædificatas ædes Cir-
„ ces politis lapidibus conspicuo in loco. Lapis ξεστὸς dicitur Hebræis גזית, id est, cæsus & politus; quorum usus frequentior fuit post tempora Salomonica. Undè illud apud Isaiam [cap. v. 10.] *Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus.* In B fonte lapidibus *Gazith*, hoc est, non lateribus, sed quadratis lapidibus. In Græcâ versione λαξεύσωμεν λίθους. Jam videamus quæ de lapidibus templi dicit codex sacer 3. Reg. cap. 5.

17. *Præcepitque Rex* Salomon his qui onera portabant; *ut tollerent lapides grandes, lapides pretiosos, in fundamentum templi & quadrarent eos.* Raritas rebus pretium addit. Etiam grandiora saxa quadrata, quia rara erant, meritò dicuntur pretiosa.

18. *Quos dolaverunt cæmentarii Salomonis, & cæmentarii Hiram: porrò Giblii præparaverunt ligna & lapides ad ædificandum domum.* Nimirùm condebant opus ἐκ λίθου μεγάλου τε καὶ τετραγώνου ex lapide magno & quadrato, ut loquitur Appianus describens C muros Pyræi. [In historiâ Belli Mithridatici.] Tale opus temporibus Salomonis erat pretiosum; licet lapides illi non pro gemmis habendi sint; quibus Josephus ornatum dicit templum; Regis enim palatium non his carebat, ut adstruit in Antiquitatibus lib. 8. cap. 2. ubi describit Regiam Salomonis. „ In summâ, inquit, totum ædificium è mar-
„ more candido & cedro, & auro, atque argento
„ constabat: dispositis per parietes & laquearia va-
„ riis lapillis auro inclusis, quemadmodum & in or-
„ natu templi factum fuerat. θρησκείας Σοὰμ τοὺς ὀρόφους καὶ τοὺς τοίχους τοῖς ἐγκλειομένοις χρυσῷ λίθοις διανθίσας τὸν αὐτὸν τρόπον ὡς καὶ τὸν τοῦ Θεοῦ ναὸν τούτοις κατηγλάισεν. In Vulgata Latina Salomon 1 Paralipomenorum cap 29. v. 2. dicit inter alia præparasse *lapidos onychinos & quasi stibinos* D *& diversorum colorum, omnemque pretiosum lapidem.* Lapides illi onychini in fonte appellantur שהם, in versione Græca Σοὰμ, quæ gemma in Exodo numeratur inter lapides pretiosos. Ibi in fonte adduntur *lapides impletionum* מלואים, id est, lapides insiti, quibus pala annuli impletur, ut videre est in Exodo cap. 25. v. 7. Adduntur & lapides פוך, id est, *fuci* & רקמה *variegationis*, similiter ac in operibus Phrygianis. Itaque nullus esset dubitandi locus quin pretiosis lapillis templum splenduerit, quos cum auro & argento cæterisque pretiosis mercibus classis missa à Salomone per mare advehebat.

Attamen in hocce loco Regum in quo Salomon præcipiebat ut tollerentur grandes lapides & pretiosi, non puto intelligendas gemmas, sive pretiosos E lapides; qui non effodiebantur è montibus vicinis urbi Jerusalem. Sed grandia saxa quæ excidebantur è rupibus saxa vocat pretiosa, quia erant raræ magnitudinis, quam definit Scriptura tertio Regum capite septimo ubi Regia Salomonis describitur. Etenim non verisimile est minoribus saxis, sive vilioridus ædificatum templum.

9. *Omnia lapidibus pretiosis, qui ad normam quamdam atque mensuram tam intrinsecus quàm extrinsecus serrati erant: à fundamento usque ad summitatem parietis, & extrinsecus usque ad atrium majus.* Omnes parietes constabant optimis lapidibus qui hisce diebus erant in pretio, quadrati serrâ, expoliti, & omnes, ut videtur, unius mensuræ, aut unius & alterius mensuræ, quæ modò definietur. Omnes, inquam, parietes facti erant, ex similibus lapidibus tam intrinsecus quàm extrinsecus, versùs atrium majus, sive aulam majorem, ab ipsis fundamentis usque ad projecturas, sive summitatem parietum.

10. *Fundamenta autem de lapidibus pretiosis, lapidibus magnis decem, sive octo cubitorum.* Nimirùm, ut dixi, lapides illi locati in fundamento erant duplicis mensuræ, omnes vel decem, aut ad minimùm octo cubitorum. Sunt qui velint illos octo cubitos intelligendos de tota soliditate; ita ut continerent octo cubitos solidos; & qui erant quadrati, non ultra duos cubitos protenderentur; saxum enim, inquiunt, quadratum cujus latera omnia essent decem cubitorum, habet mille cubitos cubicos; quorum ergo enorme esset pondus. Decem cubiti Hebræi faciunt sexdecim pedes Parisinos cum octo pollicibus, quibus pollicibus neglectis, lapides dicti habuissent 4096 pedes Parisinos. Josephus dicit marmor ex quo templum constructum est, fuisse candidum. Qui rem experti sunt, testantur pedem cubicum talis marmoris ponderare 188 libras Parisinas cum duodecim unciis; ergo, etiam his neglectis unciis, pondus quod quærimus lapidum fuisset 77.048 librarum. Si verò decem cubiti non sint mensura laterum, sed summa totius molis; lapides illi decem cubitorum, sive 16 pedum cum 8 pollicibus, quos negligimus, ponderassent 3008 libras.

Verùm saxa duorum cubitorum in longitudine, aut paulò majoris longitudinis, haberi non possunt pro lapidibus pretiosis, id est, magni pretii, sive raræ magnitudinis. Præterea non necesse est, ut saxa essent prorsus quadrata. Longitudinem eorum exprimit Scriptura; sed non dicit quæ fuerit eorum latitudo & altitudo, ex quibus dimensionibus sicut moles eorum ita & pondus pendet. Constat ex Josepho, ut infrà observaturi sumus, miræ magnitudinis fuisse ista saxa.

11. *Et desuper lapides pretiosi æqualis mensuræ secti.* lapides qui erant in fundamentis & supra fundamenta, erant ejusdem mensuræ; & ideò omnes pretiosi. Latomi autem Salomonici, & Giblii, nempe Phœnices illi qui Gabala tenent, præparaverant ligna & lapides quadraverant. Sunt qui velint Giblios fuisse artifices, qui sic dicebantur, quia præerant terminandis, hoc est, dolandis lignis & lapidibus. Domus autem Dei lapidibus dolatis atque perfectis ædificabatur. *Artificibus mandatum fuerat,* inquit Josephus, lib. 8. Antiq. cap. 2. *ut saxa prægrandia exciderent in usum fundamentorum templi, eaque in monte priùs in quadrum dedolata, ita demum in urbem conveherent.* Pariter ligna advehebantur dolata & perfecta. Hùc adduci potest monitum Salomonis in Proverbiis cap. 24. v. 27. *Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum,* fons reddi potest, & para illud in agro tuo *ut postea ædifices domum tuam.* Juxta fontem: & postea ædifica domum, id est, postea ædificare poteris. Aliter vulgò sentiunt Interpretes. Sensus juxta illos est: cole agros tuos, ut ex proventu domum ædifices. Rustici operis, agriculturæ, pecuariæ primùm habe rationem, postea construe domum. Ego vero puto Salomonem respexisse ad id quod factum erat in ædificio templi; & quod omni sapienti Architecto faciendum est, ut scilicet omnia, ligna, saxa quantùm fieri potest, foris præparentur; ne artifices sint sibi invicem impedimento. Igitur miro ordine, sine confusione & sine tumultu omnia fiebant eo in loco ubi ædificabatur templum, ut innuitur in tertio Regum cap. 6. v. 7.

Et

Et malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo, cùm ædificaretur. Scilicet dum ædificaretur templum, non auditi mallei illi quibus lapides cædebantur, non auditæ secures quibus ligna dolabantur; id enim fiebat foris. Idcirco eo quo diximus sensu ferramenta non audita fuêre; nam & aliquis fuit malleorum usus, puta cùm laminæ aureæ affigebantur tabulis cedrinis, & clavi adigendi erant, quibus annecterentur.

Anilis vero & inepta prorsus fabula est Talmudistarum qui comminiscuntur scissos lapides à vermiculo quem nominant שמיר *schamir;* magnitudine grani hordeacei, cujus tamen virtute potuerint scindi lapides durissimi. Eodem vermiculo, ut notat Buxtorfius in suo Talmudico lexico, Moses juxta Talmudicas fabulas, usus fuerat ad aptandos lapides B pretiosos Ephodi. Quis dederat Salomoni vermiculum quærit Rabbi David? Aquila adduxit eum è Paradiso, respondet ille: & addit. Dicitur quod *locutus est Salomon ad jumenta & ad aves*, 3. Reg. cap. 4. v. 33. Quid locutus est ad aves? pergit loqui Rabbinus. Quæsivit ex eis, ubinam esset schamir vermiculus. Confestim advolavit aquila & attulit eum, adduxitque ad Salomonem ex Paradiso. Sic anilibus fabulis Judæi obscurant veritatem, quæ per se aperta est. Cùm innumeram artificum turbam capere non posset locus ubi templum ædificabatur, decebat sapientiam Salomonis ut quantùm fieri poterat, omnia adducerentur apta locis, quibus destinabantur, & protinus in his collocabantur. Quod C tam aptè fiebat, ut referente Josepho in Antiquitatibus lib. 8. cap. 2. » Tota vero structura ex lapidibus politissimis constabat, ita ad unguem inter » se quadrantibus, & commissuris oculos fallentibus, ut intuentibus nullam usquam mallei, aut » cujuslibet fabrilis instrumenti vestigium appare» ret, sed connata potiùs omnia, quàm arte congesta viderentur.

CAPUT III.

Ipse Deus templi Hierosolymitani, quod unicum sibi ædificari permiserat, locum designavit D sicut & tempus quo conderetur; restauraretur incensum; denique everteretur nunquam postea excitandum.

SECTIO I.

Deus unicum templum sibi voluit ædificari in unâ urbe Jerusalem quam electurus erat; non sinens ut sibi cultus quem præcipiebat, extra illam exhiberetur.

AD gloriam templi Hierosolymitani pertinet non inchoatum fuisse, nec ullo modo constitutum nisi Dei jussu. Omnia, inquam, quæ spec- E tant formam, locum & tempus structuræ illius facta sunt ex voluntate Dei. A rerum initio, cùm ipse daret Moysi suas leges, prospiciebat templum in quo volebat coli; & cavebat ne locaretur extra locum quem electurus erat. Dum in deserto peregrinati sunt Israëlitæ, portatile templum, nempe Tabernaculum pellibus consutum necessariò habuêre. Ubi in terram sibi promissam devenerunt, siquidem bello lacessiti sunt, non potuerunt vacare ædificio cujuscumque templi. Id facere expetebat David; sed, ut vidimus, gloria domûs Dei ædificandæ reservabatur Salomoni potentissimo Regi & pacifico. Interea Tabernaculum locus fuit sacrificiorum

A usque ad tempus quo Deus indicaret Davidi urbem nimirum Jerusalem; intra quam ergo locanda erant templi fundamenta, si quando de illis jaciendis cogitatio in animum incideret. Leges illæ de loco templi connexæ sunt cum instituto nostro, sed eas memoriâ tantùm recolam; de illis enim sermonem fecimus, cùm demonstravimus urbem Hierosolyrum esse electum à Domino locum, intra quem adorare oporteret. Hîc autem agitur de solâ eâ parte urbis ubi sacrificia erant offerenda. Olim præceperat Deus victimas ad ostium Tabernaculi esse adducendas, nec ritè posse offerri cæteris castrorum partibus. Jerusalem repræsentabat castra Israël; vetitumque erat sacrificare extra illam; sed præterea in illâ locus designatus fuit sacrificiis, ne singuli quod si- B bi rectum videretur facerent pro lubitu statuendo aras, & sacrificia immolando; quod cùm fit, scinditur in contraria studia populus; & indè oriuntur religionis dissidia, & diversæ superstitiones, ut Plato ostendit, in fine libri 10. de Legibus. Nascuntur, inquam, superstitiones ἐκ ἐθελοθρησκείας, cùm sibi unusquisque pro libidine confingit cultum religionis. Locum Platonis integrum proferam ex editione Serrani. » Sacella nemo in privatis ædibus habeat. Sit, inquit, hujusmodi lex omnibus posita. Deinde sic pergit. « Quum alicujus animum sacrificandi studium incesserit, ad publica sacrificaturus accedito, & Sa- « cerdotibus hostias, quibus sancta harum rerum cu- « ra demandata est, præbeto. Hæc verò idcirco fiant, « quia sacella & Deos instituere non est facile. Est « enim maximi ingenii hæc rectè constituere. « Hinc repetit supestitionum originem. « Mos est enim, inquit, mulieribus potissimùm & qui insigni aliquâ « imbecillitate tenentur, vel in aliquo periculo ver- « santur, vel gravi aliquâ penuriâ laborant, vel contra, quando rei alicujus ubertas affluit, quod ades- « se videtur semper consecrare, hostiasque vovere, « & statuas Diis atque Dæmonibus, Deorumque filiis « polliceri. Tum ubi spectra vigilantibus apparent « propter pavores, tum etiam in ipsis insomniis se « vidisse multa recordati, ubi remedia singulis affer- « re conantur, aris & sacellis omnes domos, omnes « vicos repleverunt, & his ritibus loca quasi pura « dedicarunt. «

Iterùm legem statuit Plato adversùs hanc superstitionum causam. « Quorum omnium gratiâ, ait, lex ista ponenda est, ne quis pro libidine religio- « sos ritus confingat: & ad impiorum quoque ho- « minum nefariam audaciam coercendam, ut ne ista « clandestinis artibus facientes, & sacella arasque in « privatis ædibus collocantes, putent clam votis & « sacrificiis Deos placare: ac proinde injustitiam in « infinitum adaugeant, & in sua ipsorum capita « justam Deorum iram derivent, qui ipsos sinunt « esse meliores. Atque ita profligatorum hominum « supplicia in universam civitatem quodammodo jus- « tè redundent. « Usus sum versione Serrani, quæ cùm ibi sit obscurior, adducam Marsilii Ficini versionem, quam cùm vellet Serranus meliorem facere, detrivit. « Undè tam ad se quàm ad eos qui ista ipsis permittunt; quamvis illis meliores sint, « indignationem Deorum provocent; quo pacto « tota civitas jure quodammodo impietatis crimine « teneatur. Non deponam manibus Marsilium, & egregium locum Platonis verbis ejus expressum pergam exscribere. « Legum quidem latori Deus minimè irascetur. Lex enim sit, sacella Deorum ne- « minem in privatis ædibus possidere. Si verò quis- « piam habuisse, sacrificasseque alibi, quàm in pu- « blicis deprehendatur, qui sensit, ad legum custo- « des deferat. Ipsi autem si nihil magni sceleris à fe- « minâ, sive à viro factum sit, ad publica templa «

» jubeant privata sacra deferri : & si non illicò de-
» lata fuerint, mulctent donec deferantur. Si quis
» autem non puerilem, sed nefariam impietatem
» commiserit, sive in suis privatim, sive in publico
» Deorum cultu sacrificando deliquerit, morte, ut
» impurè sacrificans, condemnetur. Puerile verò
» esse vel non, custodes legum judicent, tractosque
» ita impios in judicium, impietatis reos esse decla-
» rent.

Hisce patet cujusque libidini non permittendum sacra instituere; sed non ideò minùs passim, vel in pluribus locis templa condi posse, modo id fiat jussu aut permissu Dei. Cur ergo unum sibi Deus voluit ædificari, & in solâ urbe Jerusalem? Templum B sicut & Tabernaculum non solam Ecclesiam quæ in Cælo est, sive cœtum Beatorum, sed & Ecclesiam Christi quæ in terris futura erat, adumbrabat. Una est ista Christi Ecclesia; unum corpus sub uno capite, quod ipse Christus est; ut Apostolus passim in Epistolis suis inculcat. *Multi unum corpus sumus in Christo*, Rom. cap. 12. 4. *singuli autem alter alterius membra.* Undè sequitur, decere Christianos sic charitatis vinculo constringi, ut vix alia strictior unio cogitari possit; si quidem hujus exemplar nobis proponitur ipsa unio quæ est inter Deum Patrem & Filium ejus unigenitum Joan. 17. 22. quam Christus exorat Patrem pro discipulis suis. *Ut sint unum sicut & nos unum sumus.* Simili unioni non obstant locorum intervalla, & distinctæ re- C giones. *Neque enim*, ut aiebat Augustinus, defendens unitatem Ecclesiæ adversùs Donatistas, *quia & in orbe terrarum plerumque regna dividuntur, ideò & unitas Christiana dividitur; cùm in utraque parte Catholicâ inveniatur Ecclesia.* Ut, inquam, daret Deus illam unitatem intelligendam, præmiserat manifestum symbolum; præcipiens ne plura in toto mundo, per quem disseminati erant Israëlitæ, templa erigerentur, sed unicum Jerosolymis; quo tota religio Judaica velut uno annulo constringebatur. Si quis extra hunc annulum versabatur, statim habebatur pro alieno; sed dictæ unitatis alia ratio erat; quam velim, Lector animadvertat; ut scilicet liqueat legem Mosaïcam abolitam, cùm jam ampliùs non posset exerceri, everso templo; cui D præcipua legis Mosaicæ munia illigabantur. Dominus interminatus erat, ne alibi sacrificia fierent: Hùc deferri decimas primitias, primogenita jussetat. Hoc in loco solemnitates celebrari voluit. Hùc approperare omnes Israëlitæ, & ter in anno apparere coram Domino tenebantur. Ergo, si quandoque contingeret ut post aliquod tempus Israëlitarum respectu nulla esset Jerusalem, quippe ab illâ prorsùs expellerentur, & ut Hierosolymitanum templum evanesceret, argumentum erat quod Deus ab æterno statuerat, ut præteritis quibusdam annis nullus ampliùs locus huic legi esset. Ab hisce diebus quibus templum Romani evertêre, Judæi sunt sine Sacerdotio, sine templo, sine aris, sine sacrificio. Non ampliùs Pascha sacrificant. Occidunt qui- E dem agnum die Paschatis, & carnibus ejus vescuntur; sed illas non assant ne habeantur pro vero Paschate, quod ex lege assandum erat. Triphon Judæus sciscitanti Justino Martyri in colloquio quod cum illo habuit, an liceret adhuc legem Moysis in omnibus implere, respondet non id licitum Judæis de Paschate, quia lex ipsa vetat illud fieri ἔξω *foris*, nempe extra Jerusalem. Quo argumento pugnat contra Judæos B. Chrysostomus in secundâ adversùs illos Oratione. Evincit Deum abolevisse eorum legem; & repudiare ea omnia quibus se Deo placere opinabantur. *Quemadmodum igitur medicus fracto vase ægrotum cohibet ab intempestivo frigidi potûs appetitu; sic & Deus, eversâ civitate ipsâ, adeòque funditùs dirutâ, ut omnibus facta sit inaccessa, Judæos à sacrificiis abduxit. Nam si hoc non agebat, cur religionem illam in unum locum conclusit, qui nusquam non est præsens, qui implet universa? Cur igitur cultum redegit ad victimas, victimas ad certum locum, locum ad tempus, tempus ad unam civitatem contraxit, ac rursus hanc civitatem subvertit? Adde quod mirum est & incredibile, totus terrarum orbis conceditur Judæis ad sacrificandum, ubi fas non est sacrificari; solam Hierosolymam illis adire non licet, in quâ solâ licet immolare. An non igitur vehementer etiam tardis clarum perspicuumque est, quam ob causam ea civitas fuerit subversa? Nam quemadmodum faber jactis fundamentis, erectis parietibus, concameratâ testudine, ipsâque concameratione in unum lapidem in medio positum connexâ, si eum tollat, totam ædificii compagem solverit: similiter Deus cùm eam civitatem fecerit quasi nodum totius religionis Judaïcæ, mox eam subverterit, nonne pariter & universum ejus civitatis statum dissolvit.*

Significavimus urbem fuisse à Deo electam Jerusalem. Cur huic astrinxisset omnem Mosaïcam liturgiam; nisi ut hanc citò & facilè dissolveret, cùm novæ legis condendæ tempus advenisset, solâ hujus urbis eversione; quod contigit, statim ac Ecclesiæ Christianæ jacta sunt fundamenta. Decebat in eâ excitare permagnificum templum ubi fierent quæ Christum prænunciabant. Oportebat illum pati, & ideo carere insignibus, quibus ab injiciendâ in eum manu Judæi deterriti fuissent; sed & probandus erat missus à Deo, ut nemo jure dubitaret legem quam afferebat, esse divinam. Promulgata est à viris quos nec generis nobilitas, nec doctrinæ fama commendabat, nempe à piscatoribus; necesse ergo erat ut aliquo apparatu ad fidem disponerentur homines; ad quod inserviebat immensæ opulentiæ templum; quod causâ Christi fundatum, significabat summam ejus dignitatem. Sicut ergo tota lex quæ eum adumbrabat, exercebatur Jerosolymis in templo, voluit Deus ut in hocce loco ederetur complementum veterum typorum. Jesus Jerosolymis passus est, & indè misit in orbem terrarum discipulos suos. Ab hac morte primarium suum decus accipit Jerusalem. Etenim non quia sedes erat legis Judaïcæ; sed quia Christus in eâ docuit, & ab eâ in orbem terræ exorta lux Evangelii, conveniunt elogia, quibus ornatur in sacro codice.

Dum hic mentionem facimus legis divinæ, quâ cautum erat ne extra Hierosolyma ullum excitaretur altare, solvenda est difficultas, quæ occurrit in tertio Regum cap. 18. ubi nominatur ab Eliâ altare Domini in monte Carmelo. Locus ille expositione indiget. Post abreptas à regno Judæ decem tribus, Jeroboam, ne illæ tribus religionis ergo redirent ad templum & adhærerent Regibus Juda, erexerat altare, vero quidem Deo, cujus religionem statim neglexit aut corrupit: idola coluit, & aras statuit; conjungens veram & falsam religionem. Idcirco Eliab in eo loco in quo versamur, exprobrabat Israëlitis quòd claudicarent in duas partes, scilicet propenderent in veri Dei & falsorum numinum cultum; altaria proxima unum vero Deo dicaverat Jeroboamus, quod neglexerat: alterum idolis. Jussit Elias primum reparari, ad sacrificandum in eo, dum in altero idololatræ offerrent; ut quorum sacrificium igne cælesti incenderetur, constaret hunc veri Dei esse cultorem. Legenda historia in ipso codice; in quo liquet non à Propheta probari hoc altare extra Jerusalem licet Deo dicatum, sed Deum demonstrari potentiorem idolis.

SECTIO II.

In monte Moriâ qui Jerusalem adhæret, voluit Deus ut templum poneretur; ubi jam ante contigerant mysteria typi salvificæ passionis Christi.

TAm manifestis signis Deus demonstravit à se montem Moriam electum, in quo suum templum poneretur, ut mirum sit quemquam de re dubitare potuisse. Samaritani qui hanc gloriam volebant præripere Hierosolymitanis, causabantur patres suos in monte Ephraim, cujus ipsi accolæ, Deum coluisse. In viciniâ Ephraim est Silo, ubi Arca diu quieverat. *Patres nostri in monte hoc adoraverunt*, dicebat Samaritana mulier cum Jesu colloquens. (Joan. cap. 4 v. 20. *& vos dicitis quia Jerosolymis est locus*, nempe templum *ubi adorare oportet*. Attamen Jesus Dominus litem dirimens secundùm Judæos, sic huic respondit, *vos adoratis quod nescitis*; temerè enim colitis Deum non eo cultu quem præscripsit. *Nos adoramus quod scimus*, eo in loco quem certo scimus à Deo monstratum a primis temporibus. Etenim Davidi Angelus Domini visibili formâ conspicuus indicaverat locum altaris, in quo grata sibi fierent sacrificia. Res narratur in libris Regum & in Paralipomenis; quæ loca cum parallela sint, unum ex alterius regione proponam.

Deus Davidi ob numeratum populum succensens, unum ex tribus flagellis quibus peccatum ejus statuerat castigare, eligendum reliquerat. Maluit ille triduanâ peste affligi, cui perindè ac populus obnoxius esset. Hac in omnes sæviente, cùm de mane usque ad tempus constitutum mortui essent septuaginta millia virorum, Dominum oravit David ut iram tandem remitteret. Exoratus Dominus imperavit Angelo, qui stricto gladio apparebat juxta aream Areuna Jebusæi, ut manum contineret. Is ille locus, in quo Angeli apparitio facta est, designatus est Davidi per Prophetam Gad, in quo altare poneret.

Lib. 2. Regum cap. 24.	Lib. 1. Paralip cap. 21.
18. *Venit autem Gad ad David in die illâ, & dixit ei: ascende & constitue altare Domino in areâ Areuna Jebusæi.*	18. *Angelus autem Domini præcepit Gad, ut diceret Davidi ut ascenderet, extrueretque altare Domino Deo in areâ Ornan Jebusæi.*

Hac ipsâ die quâ David Deum exoraverat, ne Angelus ultra sæviret in populum jussus est per Prophetam Gad ascendere in aream Areuna, & ibi statuere altare. Vir qui in libro Regum dicitur ארונה *Areuna*, in Paralipomenis nominatur ארנן *Ornan*, à Josepho Ὀρόννα *Oronna*. Vir ille origine & gente erat Jebusæus; nomina autem peregrina diversimodè pronuntiantur. *Erat quidem*, ut ait Josephus, *genere Jebusæus, sed inter præcipuos amicos David; quæ causa fuit ut captâ urbe nihil illi molestum acciderit.* Jubetur David ascendere, quia ista area Ornan erat in monte Moriâ, ut dicitur tertio capite libri 2. Paralip. *Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in Jerusalem in monte Moriâ qui demonstratus fuerat David patri ejus, in loco quem paraverat David in areâ Ornam Jebusæi.* Nullus ergo dubitandi locus quin mons ille habendus esset pro loco electo.

19. *Et ascendit David juxta sermonem Gad, quem præceperat ei Dominus.*	19. *Ascendit ergo David juxta sermonem Gad, quem locutus ei fuerat ex nomine Domini.*

Paruit David, & ascendit in montem Moriam.

	20. *Porro Ornan cùm suspexisset & vidisset Angelum, quatuorque filii ejus cum eo absconderunt se: nam eo tempore terebat in areâ triticum.*

Ornan cum filiis suis Angelum advertens stantem timore correptus est; qui enim viderant Angelum Domini, credebant statim se morituros. In sequenti versu, in libro Regum, Græci Interpretes legerunt non *hameleach*, id est, Angelum, sed *hamelech*, id est, Regem; sed in Paralipomenis plenior est historia. Ornan vidit & Angelum & Regem.

20. *Conspiciensque Areuna animadvertit Regem & servos ejus transire ad se.* 21. *Et egressus adoravit Regem prono vultu in terram.*	21. *Igitur cùm veniret David ad Ornan, conspexit eum Ornan, & processit ei obviam de areâ, & adoravit eum pronus in terrâ.*

Jam sese ex pavore suo receperat Ornan; ita reversus è latebris in aream, potuit animadvertere Regem cùm ascenderet.

Et ait quid causæ est ut veniat Dominus meus Rex ad servum suum? cui David ait: ut emam à te aream, & ædificem altare Domino, & cesset interfectio quæ grassatur in populo.	22 *Dixitque ei David: da mihi locum areæ tuæ, ut ædificem in eâ altare Domino, ut quantùm valet, argenti recipias, & cesset plaga à populo.*

Licet tunc Angelus contineret manum, gladius ejus nondum vaginâ conditus, ut liquet ex sequentibus, metum incutiebat. Nec dum sanati quos infecerat pestis.

22. *Et ait Areuna ad David: Accipiat & offerat Dominus meus Rex sicut placet ei: habes boves in holocaustum, & plaustrum & juga boum in usum lignorum.* 23. *Omnia dedit Areuna Rex Regi: dixitque Areuna ad Regem: Dominus Deus tuus suscipiat votum tuum.*	23. *Dixit autem Ornan ad David tolle, & faciat Dominus meus Rex quodcumque ei placet: sed & boves do in holocaustum, & tribulas in ligna & triticum in sacrificium. Omnia libens præbebo.*

Ille Areuna, sive Ornan nominatur Rex, quia erat de Regio sanguine Jebusæorum, vel quispiam regulus inter eos, antequàm David potitus esset Hierosolymis. Sunt exemplaria à quibus illud nomen *Rex* abest. Tunc temporis erat subditus Davidi; cui offert non solùm aream, ut ibi faceret holocaustum, & in victimas, boves ipsos quibus triturabat, & in ignem altaris, ipsa lignea instrumenta quibus agros colebat; insuper quod conjungebatur cum sacrificio triticum מנחה *Mincha*; quod in genere est munus, oblatio, donum; sed hîc significat munus frumentaceum, quod adjungebatur sacrificiis.

24 *Cui respondens Rex, ait: nequaquam ut vis, sed emam pretio à te, & non offeram Domino Deo meo holocausta gratuita.*	24. *Dixitque ei Rex David: nequaquam ita fiet, sed argentum dabo quantùm valet; neque enim tibi auferre debeo, & sic offerre Domino holocausta gratuita.*

Observabat David quod posteà Salomon filius ejus dixit observanda: *honora Deum de tuâ substantiâ.* Qui enim offert Deo rapta aliis, quasi in partem prædæ eum videtur vocare.

Emit ergo David a-	25. *Dedit ergo David*

ream & boves, argenti siclis quinquaginta. | *Ornan pro loco siclos auri justissimi ponderis sexcentos.* A

Magnum discrimen inter quinquaginta siclos argenteos, & sexcentos aureos siclos. Pondus quinquaginta argenteorum par est viginti sex scutatis argenteis nostratibus, & ferè dimidiato scutato; sexcenti verò sicli aurei, Ludoviceis aureis mille ducentis septuaginta sex. Nodum citò solvunt qui censent errorem irrepsisse negligentiâ Librariorum; sed qui refugiunt fateri errorem, à quocumque admittatur, posse in sacro codice reperiri, dicunt Davidem primùm dedisse quinquaginta siclos argenteos & postea jex regiâ munificentiâ sexcentos aureos siclos. Alii dicunt argenteos fuisse boum pretium, B aureos areæ. Alii argenteos numeratos pro loco areæ ubi erigeretur altare, & aureos pro toto ambitu & prædio hujus loci; pro hortis, domibus, ædificiis. Constat Davidem ex dictis non emisse nisi portionem areæ, in quâ ædificaret altare Domino. Quinquaginta sicli argentei pretium justum erat; neque enim patentem locum occupabat altare. Salomon verò cùm & templum voluit ædificare juxta hocce altare, totum montem Moriam operi destinavit, & ab eo, ut puto, expulit Ornan, & sine pretio prædium ejus sibi, sive potiùs Deo vindicavit: quod non dico gratis; nam Jebusæos, & ideò Ornan & filios ejus tributarios fecit; ut in tertio Regum narratur (cap. 9. v. 20.) *Universum populum, qui remanserat de Amorrhæis, & Hethæis, & Pheresæis, & Hevæis, & Jebusæis, qui non sunt de filiis Israël, horum filios qui remanserant in terrâ, quos scilicet non potuerant filii Israël exterminare, fecit Salomon tributarios usque in diem hunc.* C Qui igitur exscribebat Paralipomena, falsò opinatus totius Moriæ ambitum à Davide pretio comparatum, numericas notas siclorum, tum & materiem permutavit.

25. *Et ædificavit ibi David altare Domino, & obtulit holocausta & propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israël.* | 26. *Et ædificavit ibi altare Domino; obtulitque holocausta & pacifica, & invocavit Dominum, & exaudivit eum in igne de cælo super altare holocausti.* D

Scilicet ignis, signum divinæ acceptionis, Cælo delapsus est in holocaustum & illud incendit. Tanto miraculo ostendebat Deus se placatum, & locum hunc elegisse.

27. *Præcepitque Dominus Angelo; & convertit gladium suum in vaginam.*

Hactenus ergo minas intentabat, strictum gladium habens.

28. *Protinus ergo David, videns quod exaudisset eum Dominus in* E *areâ Ornan Jebusæi, immolavit ibi victimas.*

Nimirùm quia David intellexerat holocaustum quod in eâ areâ obtulerat, fuisse Deo gratum, perrexit ibidem sacrificare. Tunc obtulit שלמים *schelamim*, id est, sacrificia pacifica, seu Eucharistica pro pace & incolumitate impetratâ.

29 *Tabernaculum autem Domini quod fecerat Moyses in deserto, & altare holocaustorum eâ tempestate erat in excelso Gabaon.*

30. *Et non prævaluit David ire ad altare, ut ibi obsecraret Deum: nimio enim fuerat timore perterritus, videns gladium Angeli Domini.*

Tacitæ objectionis solutio est cur in proximo loco sacrificium obtulerit David, nec petierit Gabaona, ubi erat altare Domini. Videlicet ita perterritus fuerat apparente Angelo, ut non potuerit confugere ad Tabernaculum Mosis quod procul erat. Forsan nec se potuisset movere loco, nisi excitatus monitu Prophetæ Gad. Ab hac die nullus fuit locus dubitandi quin Moria locus esset electus, de quo decet interpretari versum 69. Psalmi 77. *& ædificavit sicut unicornium sanctificium suum in terrâ; quam fundavit in sæcula.* Legerunt Græci Interpretes *remmim* vel *reemin*, id est, *monocerotes*. Juxta hanc lectionem sensus Psalmi est, ut inter cornua cæterorum animantium, monocerotis cornu eminet; sic Sanctuarii fastigium omnium ædificiorum fastigia longè superat; quia mirum vertex Moriæ erat excelsus. Nunc in codice Hebræo legitur רמים, id est, excelsa. Sanctuarium erit excelsum perinde ac excelsa terræ, id est, palatia. Verticem montis Moriæ, vertex templi superabat centum viginti cubitis, ut suo loco dicitur.

Mons Moria appellatur à Judæis בת הבחירה *beth abechirah*, id est, *domus electa*. Mons ille jam non semel fuerat illustratus à Deo. « Erat autem is locus, inquit Josephus (lib. 7. Antiq. cap 10) in quem olim Abrahamus filium ut holocautomata « faceret adduxerat, & cùm jam jam jugulandus es- « set puer, aries repentè astans altari apparuerat: « qui pueri vice fuerat mactatus, ut jam ante scri- « psimus. David autem cùm animadvertisset se ex- « auditum, & gratum fuisse sacrificium, decrevit « totum illum locum altare universi populi appella- « re, & Deo templum ibi exædificari, quam ejus « vocem Deus in futurum ratam esse voluit. Mox « enim Prophetâ ad eum misso, illic templum ex- « truendum prædixit à filio, quem regni successo- « rem esset relicturus « In traditionibus Hebraïcis in Genesim adstipulatur Hieronymus, loquens de monte Moriâ. *Aiunt ergo Hebræi hunc montem esse in quo postea templum conditum est in areâ Ornæ Jebusæi.* Verùm non solùm ibi ligatum Isaac sentiunt Hebræi, sed & alia magna mysteria olim contigisse, ut dicit Maimonides in tractatu de Domo electâ. (cap. 2. n. 2.) « Atque, inquit, id quidem omnes à patribus auditum habemus, quo loco est à « Davide & Salomone extructum altare in areâ Or- « nanis Jebusæi, in eodem & ab Abrahamo ædifi- « catum esse altare illud, in quo filium ligavit Isaa- « cum in eodem etiam altare ædificavit Noë e- « gressus ex Arcâ. Porrò in eodem rem divinam fe- « cêre Cainus & Abel, & ante illos etiam primus « homo, statim atque à Deo creatus erat: quin e- « tiam in eodem ipse loco creatus: hinc illud sapien- « tum, factus est homo ex ipso suæ expiationis « loco. «

Res constat de Abrahamo; cui sic Deus præcipit in Genesi (cap. 22. v. 2.) *Tolle filium tuum unigenitum quem diligis Isaac, & vade in terram visionis; atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium quem monstravero tibi.* In fonte Hebræo, pro *in terram visionis* est in terram המריה *hamoriah*. Græci Interpretes nomen illud acceperunt pro adjectivo LXX. in editione Romanâ verterunt εἰς τὴν γῆν τὴν ὑψηλὴν, vade *in terram excelsam*. Aquila τὴν καταφανῆ *terram conspicuam*, vel *lucidam*. Symmachus *in terram* τῆς ὀπτασίας *visionis*. Josephus

verò & Hebræi omnes nomen *Moria* habent pro substantivo, quod proprium erat ipsi monti, in quo templum ædificatum est. In alia sententia non videtur fuisse Paraphrastes Chaldæus, dum *Moria* interpretatur in terram פולחנא *pulchana*, id est, *cultûs*, sive *servitutis*, sive *ministerii*; undè Latinus Interpres Paraphraseos ponit *in terram divini cultûs*; ubi scilicet præcipuo cultu Deus colebatur. פלח *palach* idem sonat Hebræis ac *coluit*, vel *servivit* Latinis; ut dictum nomen denotet religionem aliquam, non regionis cujuspiam qualitatem. Opinor regionem quæ circa urbem Jerusalem erat, appellatam *Moria*; sive hocce nomen *Moria* proprium factum esse huic monti, in quo ex vetusta traditione Abraham obtulerat Deo filium suum Isaac; qui nempe insignis esset ob visiones Dei & Angelorum. Etenim, ut observat Glassius celebris Grammaticus, nomen מריה *Moria*, si grammatice resolvatur, fit ex eo quod מראה יה, id est, ιb. φανερωθεὶς Θεὸς *Deus manifestatus seu conspicuus factus est*. Quod Paulus de Christo dicit. (1. Ep. ad Timoth. cap 3. v. 16. Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ: *Deus in carne manifestatus est*. Jesus Christus se conspiciendum sæpiùs præbuit in templo, & ideò in monte Moria, ubi templum fundatum est. *Quotidie apud vos sedebam docens in templo*, ut ipse dicit (26. Mat. v 55.) Itaque regio Moria nomen accipere potuit tum à præcedentibus Dei apparitionibus, tum à futuris; ut quod de illa regione dicebatur, vaticinium fuerit rerum futurarum; nimirum fore ut Christus appareret in monte Moria. Abraham filium suum Isaac offerens, typus fuit Christi filii Dei; quem Deus licet unigenitum suum tradidit ad mortem pro nobis. Quæ cùm ita sint, in suis typis Jesus jam sacrificatus fuerat in monte Moria; cujus nomen fuisse vaticinium advertere est, cùm perpenduntur verba fontis Hebræi. Redduntur à Vulgato Interprete *appellavitque nomen loci illius, Dominus videt. Unde usque hodie dicitur; in monte Dominus videbit*. Fons verò reddi potest; cùm sola vis literarum consideratur, sine hodiernis punctis. *Et vocavit Abraham nomen loci illius Jehova videbitur; quod dicitur hodie in monte Dominus videbitur*. Ut habent LXX. Interpretes Ἐν τῷ ὄρει Κύριος ὤφθη *in monte Dominus* apparuit. Præsens ibi ponitur pro futuro; nempe apparebit in templo Moriæ Dominus; quod clarè denunciat Malachias: *Et statim veniet ad templum sanctum suum Dominator quem vos quæritis, &c.* Illum montem in quo apparitturus erat Dominus, pro Moria liquidò accipit Paraphrastes Chaldæus: sic enim hunc locum exponit. *Et immolavit atque oravit Abraham in loco illo: Dixit coram Domino; hic erunt servientes generationes; propterea dicebatur in die hac; in monte isto Abraham coram Domino immolavit.*

SECTIO III.

Salomon eo tempore templum ædificare cœpit, quo Deus illud ædificari constituerat. Septennio absolutum illud dedicavit solemniter.

David moritur duobus circiter annis, post oblatum in monte Moria sacrificium. Aream Ornani pretio emerat anno periodi Julianæ 3697. Mortuus est anno ejusdem periodi 3699. juxta Usserianos calculos. Jam sex mensibus antequàm diem suum obiret, regni habenas filio Salomoni regendas dederat, qui ubi res novi regni sui summâ pace composuit, tunc seriò mentem appulit ad ædificium templi. Antea non potuit manus operi admovere; primùm enim debuit providere regno, ut expeditus aliis curis, & præparatis rebus necessariis feliciter inchoaret ædificium. Inierat societatem cum Hiramo Rege Tyriorum. Acceravit undique fabros, operarios; cecidit ligna, paravit omnem materiam. Hisce impendit tres primos annos regni sui; quibus transactis, cùm nemine adversante quietus regnaret, tandem jecit fundamenta templi, eo anno quem designant libri Regum & Paralipomenorum.

3 Regum cap. 6.	2. Paralipom. cap. 3.
	1. *Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in Jerusalem in monte Moria, qui demonstratus fuerat David patri ejus, in loco quem paraverat David in areâ Ornan Jebusæi.*
1. *Factum est ergo quadringentesimo & octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terrâ Ægypti, in anno quarto, mense Zio (ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israël, ædificari cœpit domus Domino.*	2. *Cœpit autem ædificare mense secundo anno quarto regni sui.*

Vice commentariorum hùc afferam quod dicit Josephus in Antiquitatibus lib. 8. de isto anno quo jacta sunt templi fundamenta. « Exorsusque est Salomon fabricam hanc anno regni sui quarto, secundo mense, quem Macedones Artemisium vocant, jar verò Hebræi, annis DXC. duobus postquàm Israëlitæ Ægypto excesserant: mille & 20. annis post Abrahami ex Mesopotamenâ regione in Chananæam migrationem; post diluvium verò annis MCCCCXL. Quod si ab Adamo creato usque ad templi ædificationem temporum ratio subducatur, comperientur anni MMMCII. Initium verò fabricandi templi in annum undecimum regni Iromi incidit apud Tyrum regnantis, quæ condita est CCXL. annis antequam templum extrueretur. » In libro contra Appionem primo, hæc addit circa chronologiam templi, quæ legerat in Annalibus Tyriorum. « Sunt, inquit, apud Tyrios multorum annorum publicæ literæ & conscriptiones diligentissimè custoditæ, ex his quæ apud eos facta & invicem gesta noscuntur, quæ tamen memoriâ digna sunt. Inter hæc ergo conscriptum est, quia in Hierosolymis ædificatum est templum à Salomone Rege ante annos centum quadraginta tres & menses octo, quàm Tyri Carthaginem condidêre. » Alienum est ab instituto nostro prosequi lites chronologicas. Ex aliis Scripturæ locis perplexa controversia nascitur, utrum accuratus sit ille numerus, inquit Petavius in doctrinâ temporum lib. 9. cap. 32. an commodâ aliquâ interpretatione sit explicandus, plures ut anni reipsâ, quàm qui exprimi videntur (in hocce loco Regum circa quem moramur) in illud spatium incurrant. Etenim in libro Judicum & primo Regum, ubi totum illud intervallum per partes describitur, & eorum qui præfuerunt, tempora dinumerantur, multò plures anni ex singulorum spatiis in unam summam collectis efficiuntur, quàm CCCCLXXX. « Quocirca, concludit Petavius, cap. 33. magni quidam viri, & quidem Catholicarum partium, ne ex solis Hæreticis invidiam nobis faciant, in eam sententiam partim evidentibus libri Judicum testimoniis, partim Josephi Hebræi scriptoris adstipulatione deducti sunt, ut vel

» corruptum à Librariis numerum illum esse tertii » Regum dicerent, vel aliam in eo rationem ini» tam, quam ut totum ipsum intervalli tempus ea » summa complecteretur. Quam in rem & eruditè » & eleganter disputat Melchior Canus libro 11. de » locis, ubi numerum illum tertii Regum ex scrip» toribus immutatum videri posse pluribus argu» mentis demonstrat. Hæc adverte, Lector, ne nobis succenseas, si quando ab exscriptoribus in hisce rebus, quæ fidem & bonos mores non spectant, dicamus sacros codices potuisse labem aliquam pati.

Cui lubebit agitare illam quæstionem chronologicam, adeat citatum Petavium. Sequar hîc Lancelotii calculos, qui præeuntem secutus est Usserium. Ab exitu Ægypti tot annos uterque numerant, quot legimus in loco Scripturæ de quo est quæstio, nempe CCCCLXXX annos. David mortuus est anno mundi conditi 2990. postquàm Hebrone super Judam annis septem & mensibus sex, atque Hierosolymis triginta tribus annis super totum Israëlem & Judam regnavisset. Ex quibus, quadraginta annos, quos Scriptura illi tribuere solet ante constitutum Regem Salomonem exegisse existimare par est; sex verò ampliùs menses regnante Salomone superstitem fuisse; ita ut anni Salomonis in Scriptura commemorati à mense primo deducendi sint, semestri ante mortem Davidis integro. Anno autem quarto regni sui Salomon, mensis secundi, qui Zin tunc dictus est, die secundo, jecit fundamenta templi. Ille annus à condito mundo numeratur 2993, ante æram Christianam 1012. incidebat in annum periodi Juliæ 3702. Urbs Roma non cœpit condi nisi post circiter annos 264. Ædificium autem templi non perfectum est nisi anno undecimo regni Salomonis, mense octavo, qui Bul dictus est, spatio annorum septem ac dimidii. Tunc tertium millenarium ex quo Deus mundum creaverat, absolutum est. Annus enim currebat 3000. à rerum initio. Spatium illud quod structuræ templi dicimus impensum, his verbis declarat codex sacer 3. Reg. cap. 6.

37. *Anno quarto* regni Salomonici *fundata est domus Domini in mense Zio;*

38. *& in anno undecimo, mense Bul (ipse est mensis octavus) perfecta est domus in omni opere suo & in universis utensilibus suis: ædificavitque eam annis septem.*

Dedicatio templi in sequentem annum est dilata propter celebritatem Jubilæi. Nonus erat Jubilæus ille, quartum mundi sæculum aperiens: in quo templi encænia magnificè à Salomone celebrata sunt: congregatis enim ad eum omnibus Israëlitis, mense septimo, qui Ethanim dictus est, Arca in Sanctum Sanctorum è civitate David, sive Sione ubi eam locaverat David; Tabernaculum verò ac vasa sacra Gibcone in thesauros templi in montem Moria deducta sunt. Deus præsentiæ ibi suæ signum spectabile edidit; tuncque Salomon in suggesto æneo flexis genibus conceptas ad Deum preces effudit; populo deinde benedixit, cùm boum viginti duo millia, ovium centum viginti sacrificasset. Juvat ipsa verba sacri codicis afferre.

3. Reg. cap. 7.

51. *Et perfecit omne opus quod faciebat Salomon in domo Domini, & intulit quæ sanctificaverat David pater suus, argentum & aurum & vasa, reposuitque in thesauris domus Domini.*

Cap. 8. 1. *Tunc congregati sunt omnes majores natu Israël cum principibus tribuum & duces familiarum filiorum Israel ad regem Salomonem in Jerusalem: ut deferrent Arcam fœderis Domini, de civitate David, id est, de Sion.*

2. Paralip cap. 5.

1. *Intulit igitur Salomon omnia, quæ voverat David pater suus, argentum & aurum, & universa vasa posuit in thesauris domus Dei.*

2. *Post quæ congregavit majores natu Israel; & cunctos principes tribuum, & capita familiarum de filiis Israël in Jerusalem ut adducerent Arcam fœderis Domini de civitate David, quæ est Sion.*

Ex quo enim templum ædificatum, non ultra sub pellibus Arca remanere debebat. Idcircò illa cum reliquâ Tabernaculi supellectili deducenda erat in novam domum Domini.

2. *Conveneruntque ad Regem Salomonem universus Israel in mense Ethanim, in solemni die ipse est mensis septimus.*

3. *Veneruntque cuncti senes de Israël, & tulerunt Arcam Sacerdotes.*

4. *Et portaverunt Arcam Domini & Tabernaculum fœderis & omnia vasa Sanctuarii, quæ erant in Tabernaculo, & ferebant ea Sacerdotes & Levitæ.*

3. *Venerunt itaque ad Regem omnes viri Israël in die solemni mensis septimi.*

4. *Cùmque venissent cuncti seniorum Israel.*

5. *Portaverunt Levitæ Arcam & intulerunt eam, & omnem paraturam Tabernaculi. Porrò vasa Sanctuarii, quæ erant in Tabernaculo, portaverunt Sacerdotes cum Levitis.*

Levitarum proprium munus erat Arcam deferre. Hoc quidem factum quandoque à Sacerdotibus, ut in transitu Jordanis, & in expugnatione urbis Jericho, & cùm eam reduxit David. Ut concordia ineatur inter libros Regum & Paralipomenorum, dici potest, parte itineris modò à Levitis, modò a Sacerdotibus Arcam delatam. Sacerdotes certè eam intulerunt in Sanctum Sanctorum.

5. *Rex autem Salomon & omnis multitudo Israël quæ convenerat ad eum, gradiebatur cum illo ante Arcam, & immolabant oves & boves absque æstimatione & numero.*

6. *Et intulerunt Sacerdotes Arcam fœderis Domini in locum suum in oraculum templi, in Sanctum Sanctorum, subter alas Cherubim.*

7. *Si quidem Cherubim extendebant alas super locum Arcæ, & protegebant Arcam & vectes ejus desuper.*

8. *Cùmque eminerent vectes, & apparerent summitates eorum foris Sanctuarium ante oraculum, non apparebant ultra extrinsecus, qui & fuerunt ibi usque in præsentem diem.*

6. *Rex autem Salomon & universus cœtus Israël & omnes quique uni congregati, ante Arcam immolabant arietes boves absque ullo numero: tanta enim erat multitudo victimarum.*

7. *Et intulerunt Sacerdotes Arcam fœderis Domini in locum suum, id est, ad oraculum templi in Sancta Sanctorum subter alas Cherubim.*

8 *Ita ut Cherubim expanderent alas suas super locum, in quo posita erat Arca, & ipsam tegerent cum vectibus suis.*

9. *Vectium autem, quibus portabatur Arca, quia paululùm longiores erant, capita parebant ante Oraculum: si verò quis paululùm fuisset extrinsecus, eos videre non poterat: fuit itaque Arca ibi usque in præsentem diem.*

Hæc omnia quæ subsequuntur enucleabuntur in libro hujusce nostri operis sexto, ubi agemus de parte sanctissimâ templi; & iis quæ in illâ continebantur.

9. *In Arcâ autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas po-*

10. *Nihilque erat olim in Arcâ nisi duæ tabulæ, quas posuerat Moyses in*

fuerat in eâ Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cùm egrederentur de terrâ Ægypti.

Horeb, quando legem dedit Dominus filiis Israël egredientibus ex Ægypto.

10. *Factum est autem cùm exiissent Sacerdotes de Sanctuario, nebula implevit templum Domini.*

11. *Egressis autem Sacerdotibus de Sanctuario (omnes enim Sacerdotes qui ibi poterant inveniri, sanctificati sunt: nec adhuc in illo tempore vices, & ministeriorum ordo inter eos divisus erat.)*

12. *Tam Levitæ quàm Cantores, id est, & qui sub Asaph erant, & qui sub Emam, & qui sub Idithun, filii & fratres eorum, vestiti byssinis, cymbalis & psalteriis & citharis concrepabant, stantes ad orientalem plagam altaris, & cum eis Sacerdotes centum viginti canentes tubis.*

13. *Igitur cunctis pariter, & tubis, & voce, & cymbalis, & organis, & diversi generis musicorum concinentibus, & vocem in sublime tollentibus; longè sonitus audiebatur, ita ut cùm Dominum laudare cœpissent & dicere: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus, impleretur domus Dei nube.*

Si vita suppetat, ut possimus explicare ministerium templi; de hisce quæ musicam Hebræorum spectant, differemus.

11. *Et non poterant Sacerdotes stare & ministrare propter nebulam: impleverat enim gloria Domini domum Domini.*

14. *Nec possent Sacerdotes stare & ministrare propter caliginem: compleverat enim gloria Domini domum Dei.*

12. *Tunc ait Salomon: Dominus dixit ut habitaret in nebula.*

Cap. 6. v. 1. *Tunc Salomon ait: Dominus pollicitus est ut habitaret ibi in perpetuum.*

13. *Ædificans ædificavi domum in habitaculum tuum, firmissimum solium tuum in sempiternum.*

2. *Ego autem ædificavi domum nomini ejus, ut habitaret ibi in perpetuum.*

Nubes quæ olim illustraverat Tabernaculum, transiit in novam ædem, quam ita implevit, & atria ejus ubi ministrabant Sacerdotes, ut illi non possent defungi muneribus suis, tum ob reverentiam Dei, tum quia opplebat oculos eorum. Tunc ait Salomon, omen accipio, & Deum adesse intelligo. Implet quod pollicitus erat forsan Davidi, in signum quod verè majestas sua habitaret in Jerusalem. Vel generale Dei promissum erat, quòd hocce signo testaturus esset præsentiam suam, ut dixit in Levitico (cap. 16. v. 2.) *quia in nube apparebo.* Ideò dicebat Salomon; optatis fruor, si quidem Deus tam conspicuo signo testetur hancce ædem à se electam in habitaculum. Mox convertens se ad plebem benedixit omni Israeli; & longas preces fudit ad Dominum; quas legere est in capite

A octavo tertii Regum à versu 14 usque ad 62. & in cap. 6. secundi Paralipom. à versu 3. usque ad finem capitis. Sed præter illam nebulam, aliud signum præbuit Deus in certum argumentum, quod templum locus esset in quo oportebat adorare, ut in capite 7. ejusdem libri Paralipomenorum enarratur.

1. *Cùmque complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cælo, & devoravit holocausta & victimas, & majestas Domini implevit domum.*

2. *Nec poterant Sacerdotes ingredi templum Domini, eò quod implesset majestas Domini templum Domini.*

3. *Sed & omnes filii Israël videbant descendentem ignem & gloriam Domini super domum: &*
B *corruentes proni in terram super pavimentum stratum lapide adoraverunt & laudaverunt Dominum: quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.*

3. Regum cap. 8. v. 62.

Igitur Rex & omnis Israel cum eo, immolabant victimas coram Domino.

4. *Rex autem & omnis populus, immolabant victimas coram Domino.*

63. *Mactavitque Salomon hostias pacificas, quas immolavit Domino, boum viginti duo millia, & ovium centum viginti millia, & dedicaverunt templum Domini Rex & filii Israël.*

5. *Mactavit igitur Salomon hostias, boum viginti duo millia, arietum centum viginti millia, & dedicavit domum Dei Rex & universus populus.*

C

Ex incredibili illo numero hostiarum, & ministrorum qui in his mactandis occupabantur, æstimari potest quanta fuerit templi magnitudo; quam prænoscere magni interest.

SECTIO IV.

Chaldæi templum à Salomone ædificatum incenderunt. Zorobabel illud restauravit. Historia Jeremiæ qui Arcam in transmigratione abscondidit & altare incensi.

D

UBi constitit de loco templi, & tempore quo ejus ædificium cœptum est, videbantur illicò ducendæ primæ ejus lineæ, antequàm de completi operis dedicatione sermo fieret. Verùm quia hæc descriptio difficilior est, præponimus historiam, quæ cùm minùs molesta, tum & necessaria est. Neque enim de solo ædificio Salomonico differimus; sed pariter complectimur ea omnia ex quibus conflari possit notio, quæ conveniat Salomonis, Zorobabelis, & Herodis operibus, qui templi sunt opifices præcipui; idcircò quæ circa illud & in eo facta sunt, decet considerare, ut Lector idoneus sit hisce percipiendis, quæ postea dicturi sumus de forma templi. Interea prosequar historiam templi Salomonici. Stetit illud annos circiter CCCCXXIV.
E cum aliquot mensibus; post quod tempus Chaldæi, expugnatis Hierosolymis, illud incenderunt, cùm priùs spoliassent omni supellectili pretiosâ. Rem narrat Josephus in Antiquitatibus (lib. 10. cap. 11.) « Cæterùm Babylonius Rex post victoriam, Nabuzardanem ducem misit Hierosolyma « cum mandatis, ut templum spoliatum incenderet, « regiâ quoque similiter crematâ, urbem à funda- « mentis dirueret, populum in Babyloniam tradu- « ceret. Qui cùm eo pervenisset, undecimo Sedeciæ « regni anno, e templo vasa omnia tam aurea, quàm « argentea sustulit, & labrum quoque illud grande « quod Salomon dedicaverat. Præterea columnas «

» illas æneas cum ſuis capitulis, & menſas aureas at- A
« que candelabra. His ſublatis templum incendit,
» menſis quinti die primâ, anno regni Sedeciæ un-
» decimo, regni verò Nabuchodonoſori decimo oc-
» tavo; deinde & Regiam incendit, & urbem diruit.
» Incenſum ... autem templum annis ex quo ex-
» tructum fuerat elapſis CCCCLXX. menſibus
» ſex, diebus decem additis.

Quot elapſi fuerint anni uſque ad templi caſum, à tranſmigratione ex Ægypto, à Diluvio, ab Adamo, non conveniunt inter ſe Chronologi. Juxta Uſſerium devaſtatio contigit anno mundi conditi 3416 periodi Julianæ 4126, ex quo templum extructum fuerat 424, ante æram Chriſtianam 588. Paucis verbis hæc enarrantur in ſacro codice, in B quarto libro Regum capite ultimo, & apud Jeremiam capite quinquageſimo ſecundo; quæ loca, quoniam parallela ſunt, ſimul conjuncta ſubjiciam.

4. Reg. cap. 25.	Jerem. cap. 52.
8. *Menſe quinto ſeptimâ die menſis, ipſe eſt annus nonus decimus Regis Babylonis; venit Nabuzardam princeps exercitûs, ſervus Regis Babylonis in Jeruſalem.*	12. *In menſe autem quinto, decimâ menſis, ipſe eſt annus nonus decimus Nabuchodonoſor Regis Babylonis, venit Nabuzardan princeps militiæ, qui ſtabat coram Rege Babylonis in Jeruſalem.*
9. *Et ſuccendit domum Domini & domum Regis: & domos Jeruſalem, omnemque domum combuſſit igne.*	13 *Et incendit domum Domini, & domum Regis, & omnes domos Jeruſalem, & omnem domum magnam igne combuſſit.* C
10. *Et muros Jeruſalem in circuitu deſtruxit omnis exercitus Chaldæorum, qui erat cum principe militum.*	14. *Et totum murum Jeruſalem per circuitum deſtruxit, cunctus exercitus Chaldæorum qui erat cum magiſtro militiæ.*

Quod Jeremias adſtruit factum decimâ die, Scriptor hiſtoriæ Regum dicit factum ſeptimâ die. Sic inter utrumque initur concordia Die ſeptimâ venit Jeroſolyma Nabuzardan, & die decimâ combuſſit; vel diſceſſit ſeptimâ die Reblatha, ut veniret Jeroſolyma, quò pervenit decimâ die. Alii dicunt à ſeptimâ die uſque ad decimam congregatos in templo Babylonios, bibiſſe, comediſſe, omnia deſtruxiſſe uſque ad diem decimam. Menſis ille quintus dicitur Hebræis Ab; hoc autem anno ſabbatum incidiſſe ſtatuunt Chronologi in decimum diem menſis Ab. Manifeſtus error eſt in codice Joſephi, in eo loco quem modò allegavimus: *Templum incendit menſis quinti die primâ.* ἀνῆψε τὸν ναὸν μηνὶ πέμπτῳ, τῇ νεμηνίᾳ. Adverſaretur enim ſibi & ſacro codici; ſi quidem ubi de poſtremâ templi everſione, quæ in æternum duratura eſt, agit, ſic loquitur lib. 7. de Bello cap. 9. Παρῆν δ' ἡ εἱμαρμένη χρόνων περιόδοις, ἡμέρα δεκάτη λώου μηνὸς καθ' ἣν καὶ τὸ πρότερον ὑπὸ τοῦ τῶν βαβυλωνίων βασιλέως ἐνεπρήσθη. E *Evolutis temporibus aderat fatalis dies, qui erat decimus menſis*, qui λώος dicitur à Macedonibus, *quo etiam priùs à Rege Babyloniorum fuerat concrematum.*

Quomodo ædificium lapidibus grandibus exſtructum abire potuit in favillas? Primis temporibus, ut obſervatum eſt, cùm ædificia cœperunt eſſe ſaxea, habuerunt lapides lignis intermixtos, ut liquet ex aperto Eupolemi teſtimonio; ubi loquitur apud Euſebium libro de Præparatione nono, de ratione quâ templum Salomon ædificavit. Suprà protulimus hocce teſtimonium. Modo videbimus in primo libro Eſdræ (cap. 6. v. 4.) conceſſum à Cyro Judæis ut ædificarent templum, eâ ratione ut eſſent ordines de lapidibus impolitis tres, & ſic ordines de lignis novis. Non itaque mirum eſt ſi tam facilè ignis corripuerit omnia templi ædificia Huicce loco inſerendum eſt hiſtoriæ Jeremiæ quod in libro ſecundo Machabæorum narratur de hocce Propheta, quî tradiderit Scripturam Judæis cùm abducti ſunt Babylonem captivi.

4. *Erat autem ex ipſa Scriptura, quomodo Tabernaculum & Arcam juſſit Propheta divino reſponſo ad ſe facto comitari ſecum uſquequò exiit in montem in quo Moyſes aſcendit, & vidit Dei hæreditatem.*

5. *Et veniens ibi Jeremias invenit locum ſpeluncæ: & Tabernaculum & Arcam & altare incenſi intulit illac & oſtium obſtruxit.*

6. *Et acceſſerunt quidam ſimul, qui ſequebantur, ut notarent ſibi locum: & non potuerunt invenire.*

7. *Ut autem cognovit Jeremias, culpans illos, dixit: quòd ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat.*

Templum manſit everſum uſque ad annum primum Cyri Regis Perſarum, qui devictis Babyloniis, ipſam urbem Babylonem cepit; & Judæis, qui abducti fuerant captivi, permiſit in patriam redire & excitare templum; ut narratur in libro primo Eſdræ capite primo.

1. *In anno primo Cyri Regis Perſarum, ut compleretur verbum Domini ex ore Jeremiæ, ſuſcitavit Dominus ſpiritum Cyri Regis Perſarum: & traduxit vocem in omni regno ſuo, etiam per Scripturam dicens:*

Paulò fuſiùs rem enarrat Joſephus (libro undecimo Antiquitatum cap. 1.) « Primo autem anno, inquit, regni Cyri, qui fuit tranſmigrationis noſ- « træ Babylonicæ ſeptuageſimus, miſeratus eſt Deus « captivitatem ærumnoſi illius populi; & ſicut illis « per Jeremiam Prophetam ante dirutam urbem præ- « dixerat, quod poſtquàm ſervierint Nabuchodo- « ſoro ejuſque poſteris per annos ſeptuaginta, rur- « ſum eos reſtiturus eſſet in patriam, & ædificato « templo redituri eſſent ad felicitatem priſtinam, ita « eis omnia præſtitit. Excitato enim ad id Cyri ani- « mo, effecit ut ille in hunc modum per univerſam « Aſiam ſcriberet. « Hæc Joſephus; revertamur ad ſacrum codicem.

2. *Hæc dicit Cyrus Rex Perſarum. Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipſe præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Jeruſalem, quæ eſt in Judæâ.* Deus potuit præcipere Cyro ut iſta faceret, vel per ſomnia, aut per aliquem arcanum affatum. Id autem & potuit dicere Cyrus, quia de iſto vaticinio Iſaiæ audierat. (cap. 44. v. 28.) *Qui dico Cyro: paſtor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Jeruſalem: ædificaberis, & templo, fundaberis.* Pergit loqui Cyrus apud Eſdram.

3. *Quis eſt in vobis de univerſo populo ejus? ſit Deus illius cum ipſo. Aſcendat in Jeruſalem, quæ eſt in Judæa, & ædificet domum Domini Dei Iſraël, ipſe eſt Deus qui eſt in Jeruſalem.*

4. *Et omnes reliqui in cunctis locis ubicumque habitant, adjuvent eum viri de loco ſuo, argento & auro, & ſubſtantiâ, & pecoribus, excepto quod voluntariè offerunt templo Dei quod eſt in Jeruſalem.*

5. *Et ſurrexerunt principes patrum de Judâ & Benjamin;* (principes familiarum utriuſque tribûs; cæteræ enim decem anteà diſperſæ fuerant per diverſas regiones; nec unquam in patrium ſolum rediêre:) *& Sacerdotes & Levitæ, & omnis cujus Deus ſuſcitavit ſpiritum, & aſcenderunt ad ædificandum templum Domini quod erat in Jeruſalem.*

6. *Univerſique qui erant in circuitu, adjuverunt manus eorum in vaſis argenteis & aureis, in ſubſtan-*

tiâ

nis & jumentis, in supellectili, exceptis his quæ sponte obtulerant. A

Ipsi alienigenæ qui rem gratam Cyro facere voluerunt, adjuverunt Judæos; & per manus eorum dona miserunt ad instaurandum templum.

7 *Rex quoque Cyrus protulit vasa templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonosor de Jerusalem, & posuerat ea in templo Dei sui.* Ablata restituit.

8. *Protulit autem ea Cyrus Rex Persarum per manum Mithridatis filii Gabazar, & annumeravit ea Sassabar principi Juda.*

Deprompsit ea vasa Cyrus per Mithridatem; is vero numeravit ea Principi Juda. Quis ille est Sassabasar? Putant esse ipsum Zorobabelem, qui, ut tunc fieri solebat in servitute, nomen habebat aliud B patrium, sive domesticum, aliud Chaldaicum, sive aulicum.

9. *Et hic est numerus eorum: phialæ aureæ triginta, phialæ argenteæ mille, cultri viginti novem, scyphi auri triginta.*

10. *Scyphi argentei secundi* nempe ordinis vel generis, *quadringenti decem; vasa alia mille.*

11. *Omnia vasa aurea & argentea quinque millia quadringenta: universa tulit Sassabasar, cum his qui ascendebant de transmigratione Babylonis in Jerusalem.* In libro tertio vidimus quis esset usus tot vasorum in sacrificiis: sed de illis diligenter magis disserendum erit, ubi sermo fiet de ministerio templi in libro septimo.

Cap. 2. v. 68. *Et de principibus Sacerdotum cùm* C *ingrederentur templum Domini, quod est in Jerusalem, sponte obtulerunt in domum Dei ad extruendam eam in loco suo.* Templum non extabat; sed supererant vestigia ejus; quibus restabat nomen.

69. *Secundùm vires suas dederunt impensas operis, auri solidos sexaginta millia & mille, argenti minas quinque millia, & vestes Sacerdotales centum.* In fonte, sexagies mille drachmas; quæ, ut alibi diximus, jam erant in usu apud Chaldæos. Siclus ponderat quatuor drachmas; ideò munus illud fuit quindecim mille siclorum, juxta calculos nostros ferè triginta duo mille millia Ludoviceorum aureorum. Mina vel mna ponderabat sexaginta siclos; ita quinque millia minarum argentearum faciebant 30000 D siclos argenteos. Quid ista, si comparentur cum immensis divitiis Davidis & Salomonis, quibus templum fuerat primitùs ædificatum?

70. *Habitaverunt ergo Sacerdotes, & Levitæ, & de populo, & Cantores, & Janitores, & Nathinæi in urbibus suis, universusque Israël in civitatibus suis.* Ita potuêre Judæi accingere se ad opus, ædificare templum, & in eo munia solita exercere.

Cap. 3. v. 1. *Jamque venerat mensis septimus* qui Hebræis dicitur Tisri, *& erant filii Israël in civitatibus suis: congregatus est ergo populus quasi vir unus in Jerusalem.*

2. *Et surrexit Josue filius Josedec & fratres ejus Sacerdotes, & Zorobabel filius Salathiel & fratres ejus, & ædificaverunt altare Dei Israël, ut offerrent* E *in eo holocautomata, sicut scriptum est in lege Moysi viri Dei.* Locarunt statim altare, ut defungerentur illicò muniis quæ præcipiebantur in lege.

3. *Collocaverunt autem altare Dei super bases suas, deterrentibus eos per circuitum populis terrarum, & obtulerunt super illud holocaustum Domino mane & vespere.* Plurimus sermo à nobis fiet de altari, ubi ad illam partem templi, in quâ situm erat, venerimus. Jam diximus altari æneo subjectam basim de lapidibus. Judæi licet à vicinis gentibus deterriti potuêre statuere altare in loco suo & ab hac die obtulerunt quotidiana sacrificia mane & vespere.

4. *Feceruntque solemnitatem Tabernaculorum, sicut scriptum est, & holocaustum diebus singulis per ordinem secundùm præceptum, opus diei in die suo.* Quin etiam celebraverunt festum Tabernaculorum, quod in hoc tempus incidit; & deinceps servaverunt numerum victimarum pro ratione & dignitate dierum. Propria enim erant sacrificia solemnitatibus.

5. *Et post hæc holocaustum juge, tam in calendis, quàm in universis solemnitatibus Domini, quæ erant consecratæ, & in omnibus in quibus ultrò offerebatur munus Domino.* Significat Esdras ab hoc mense restitutum esse ritum sacrum sacrificiorum, & deinceps tenuisse cursum suum; ut scilicet temporibus suis, sive calendæ essent, sive aliæ solemnitates, servaretur lex sacrificiorum à Mose præscripta.

6. *A primo die mensis septimi cœperunt offerre holocaustum Domino: porrò templum Dei nondum fundatum erat.* Annus erat mundi juxta Usserium 3469: ante æram Christianam 535.

7. *Dederunt autem pecunias latomis & cæmentariis: cibum quoque & potum & oleum Sidoniis, Tyriisque, ut deferrent ligna cedrina de Libano ad mare Joppe, juxta quod præceperat Cyrus Rex Persarum eis.*

8. *Anno autem secundo adventûs eorum ad templum Dei, in Jerusalem, mense secundo*, qui Jar dicitur Hebræis, sæpiùs incidens in mensem nostrum Aprilem; quod tempus idoneum est ædificationi, jam transactâ hieme, per quam parata & comportata fuerat materia. *Cœperunt Zorobabel filius Salathiel, & Josue filius Josedec, & reliqui de fratribus eorum Sacerdotes & Levitæ, & omnes qui venerant de captivitate in Jerusalem, & constituerunt Levitas à viginti annis & suprà, ut urgerent opus Domini.*

9. *Stetitque Josue & filii ejus & fratres ejus: Cedmihel, & filii ejus, & filii Juda, quasi vir unus, ut instarent super eos qui faciebant opus in templo Dei: Filii Henadad & filii eorum, & fratres eorum Levitæ.* Hi præerant opificibus; qui dum operi incumberent, Sacerdotes induti propriis vestibus Deum laudabant canticis.

10. *Fundato igitur à cæmentariis templo Domini, steterunt Sacerdotes in ornatu suo cum tubis: & Levitæ filii Asaph in cymbalis ut laudarent Deum per manus David Regis Israël:* recitantes psalmos quorum auctor David; aut secundùm institutionem David, qui omnem psalmodiam ordinaverat.

11. *Et concinebant in hymnis & confessione Domino:* inter laudes Domini sæpiùs recinentes: *quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus super Israël. Omnis quoque populus vociferabatur clamore magno in laudando Dominum, eò quòd fundatum esset templum Domini.* Quia videbant locari fundamenta templi.

12. *Plurimi etiam de Sacerdotibus & Levitis & Principes patrum & seniores, qui viderant templum priùs cùm fundatum esset*, id est, cùm adhuc existeret, *& hoc templum* quod tunc fundaretur, *in oculis eorum, flebant voce magnâ: & multi vociferantes in lætitiâ elevabant vocem.*

13. *Nec poterat quisquam agnoscere vocem clamoris lætantium, & vocem fletûs populi: commixtim enim populus vociferabatur clamore magno, & vox audiebatur procul.* Scilicet non respondebat hoc novissimum templum magnitudini prioris. Hinc lacrymæ eorum qui antiquum viderant; dum alii qui caruerant templo, gaudebant aliquod habere. Primum eversum fuerat anno mundi 3416: secundum instaurabatur anno 3469: ita ætate eorum qui nati erant ante quinquaginta tres annos, adhuc stabat primum templum; quod ergo senes sæpiùs viderant.

Porro Israëlis hostes qui ab Assur missi fuerant ad A inhabitandum urbes Samariæ, impedierunt templi & urbis instaurationem, quòd non admitterentur ut simul ædificarent, & usque ad secundum Darii annum intermitti procuraverunt. *Ædificemus*, inquiebant, *vobiscum quia ita ut vos quærimus Deum vestrum.* Esd. cap. 4 v. 2. Ipsi erant, ut diximus, Samaritæ, qui, ut narrat Josephus, auditis tubis & lætantium atque dolentium promiscuis vociferationibus, intellexerunt templum ædificari, in quod se velle conferre sumptus significabant. Repulsam passi à Zorobabele, fictis criminationibus obtinuerunt ut opus impediretur. Sed sublatum est impedimentum; & Prophetarum Aggæi & Zachariæ exhortatione templi ædificatio repetita est, frustra B Samaritanis conantibus opus disturbare. Etenim Darius, invento in bibliothecâ suâ decreto Cyri de templo extruendo, jussit opus compleri, quod anno regni ejus sexto absolutum est & dedicatum, ut narrat Esdras.

Cap. 6. v. 14. *Seniores autem Judæorum ædificabant & prosperabantur juxta Prophetiam Aggæi Prophetæ & Zachariæ filii Addo: & ædificaverunt & construxerunt, jubente Deo Israël, & jubente Cyro & Dario & Artaxerxe Regibus Persarum.*

15. *Et compleverunt domum Dei istam, usque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus sextus Darii Regis.*

16. *Fecerunt autem filii Israël, Sacerdotes & Levitæ, & reliqui filiorum transmigrationis, dedicationem domûs Dei in gaudio.* Hanc novam ædem cultui C Dei & religionis officiis dicarunt.

17. *Et obtulerunt in dedicationem domûs Dei, vitulos centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, hircos caprarum pro peccato totius Israël duodecim juxta numerum tribuum Israel.*

18. *Et statuerunt Sacerdotes in ordinibus suis, & Levitas in vicibus suis, super opera Dei in Jerusalem, sicut scriptum est in libro Moysi.* Exindè ministri cœperunt fungi omnibus muneribus suis, sicut pristino tempore, ante templi eversionem, & juxta leges Moysis.

SECTIO V.

Zorobabel templum tenui sumptu & raptim ædificavit. Assamonæi amplificaverunt. Herodes magnificum fecit.

Templum quod exstruxit Zorobabel, multùm infra erat Salomonicum. Salomon præstabat opibus & dignitate: hostes patris sui Davidis armis devictos tenebat sub potestate, & amicos ejus vinculis amicitiæ devinctos; à quibus multùm adjutus est, tum in apparanda materiâ ædificii, tum & illud ædificando. Judæi verò sub Zorobabele, subditi, spoliati, egressi modò ex servitute secundum E templum moliri cœperunt. Pace summâ fruebatur Salomon, dum templi mœnia surgebant: gentes vicinæ operam navabant. Contra quotquot erant in circuitu Jerosolymorum ferè omnes adversabantur Zorobabeli. Multos annos consumpserat David in cædendis lignis, & in saxis quadrandis. Nec Salomon statim jecit fundamenta templi. Elapsi sunt quatuor anni regni ejus; interea coacervabat immensum auri & argenti pondus. Zorobabel autem, veniâ reditûs impetratâ, cum opibus mediocribus, & quasi stipe collectâ cogitavit de templi ædificio; quod ergo raptim & tenui sumptu ædificavit. Secundo anno Cyri inchoatum, mox disturbatum est, usque ad secundum Darii annum, quo in illud seriò incumbere cœperunt Judæi; anno autem sexto ejusdem Regis ad finem, ut potuêre, perduxerunt & dedicaverunt. Itaque non ultra quatuor annos huic impenderunt. Indè æstimari potest nihil magnum tunc molitos. Josephus comminiscitur non perfectum opus nisi anno nono Darii, cum in ejus ædificatione transacti essent septem anni, (libro undecimo Antiquitatum cap. 4.) sic narrans historiam ædificationis ejus. « Darius rescripserat Siseni & aliis Magistratibus, ut adjuvarent Judæos, dum sacram ædem suam restaurarent: pergit loqui Josephus. Cognitâ ex his literis voluntate Regis, Sisines & reliqui decreverunt eam per omnia sequi. Itaque susceptâ curâ sacræ fabricæ, adjuvabant Judæos, Magistratusque illorum & principes, & B magnis omnium studiis proficiebat templi ædificatio juxta mandata Cyri & Darii prophetantibus interim Aggæo & Zachariâ: absolutumque est intra septennium. Anno autem regni Darii nono, vigesimâ tertiâ die mensis undecimi, qui nostris dicitur Adar, Macedonibus Dystrus, Sacerdotes ac Levitæ cum reliquâ Israëlitarum multitudine obtulerunt sacrificia pro renovatâ post captivitatem pristinâ felicitate, proque recepto novo templo, tauros centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, hircos duodecim pro peccatis totidem tribuum. »

Ex hocce parvo hostiarum numero satis intelligitur quàm egenum opus fuerit, & infra majestatem Salomonici templi; his solis afferebat lætitiam qui C prius templum non viderant. « Sacerdotes autem, inquit Josephus, & Levitæ cognationum principes ætate provectiores, qui & illud prius vidisse meminerant magnum & opulentum, & hoc recens, pro præsentium fortunarum tenuitate deterius fieri animadvertebant, reputantes quantùm ab illâ priscâ felicitate abesset, obortâ indè mœstitiâ temperare à lacrymis non poterant: Vulgus autem contentum erat præsenti templo, ut quod nulla priorum temporum comparatione seipsum cruciabat, nec ullum detrimentum factum quibat animadvertere. Contra seniorum ac Sacerdotum multo deteriore conditione res suas esse existimantium D gemitus vix concentu tubarum obscurari poterat. »

Quæ ad Darium consiliatores ejus, retulêre de suscepto à Judæis opere, ostendunt quàm illud mediocre esset. *Notum sit Regi*, inquiunt, Esd. cap. 5. v. 8. *Isse nos ad Judæam provinciam, ad domum Dei magni, quæ ædificatur lapide impolito, & ligna ponuntur in parietibus: opusque illud diligenter extruitur & crescit in manibus eorum.* Sunt quidam qui hæc verba sic interpretantur, ut non adducant in contemptum Judæorum opus. In fonte est אבן גלל *lapis revolusionis*, quod accipiunt pro lapide marmoreo magni ponderis; & utuntur auctoritate Græci codicis, in quo hi lapides dicuntur electi λίθοι ἐκλεκτοί. Verùm ipsa origo vocis גלל indicat lapidem E rotundum qui volvi potest, & ideò non quadratum, sed angulosum, qualem torrentes devolvunt in alveis suis. Vox illa etiam denotat rem contemnandam ut *stercus*. Quapropter verisimilius est festino opere, ut fieri poterat, illud ædificium constitisse lignis transversis, quæ concluderent lapides quos Vulgatus benè appellat impolitos. Judæis non licitum est excitare antiqua mœnia Hierosolymorum, nisi anno vigesimo Artaxerxis Regis Persarum, qui incidit in annum mundi 3550, ante Christianam æram 454, qui fuit sexagesimus quintus, ex quo Judæi in patrium solum reversi fuerant.

Ab hocce anno deficit, sive silet historia Judaïca usque ad Machabæorum tempus. Alexander gente Macedo, nomine magnus, anno mundi 3674. ante

Christi æram 331, cùm Darium postremum Persarum Regem prælio vicisset, novam Monarchiam, quæ Græcorum dicitur, constituit, potitus totius Orientis imperio. Post mortem ejus, partiti sunt intèr se hocce imperium præcipui duces illius. Cessit Ægyptus Ptolemæis, Syria Seleucidis. Sannabaletes qui sub Rege Persarum Samariam rexerat, invenit gratiam apud Alexandrum Magnum, & ab eo obtinuit ut liceret ei ædificare in monte Garisim templum, quantùm fieri posset, simile Hierosolymitano. Filiam suam collocaverat Manassi Jaddi Pontificis Judæorum fratri: & favebat schismaticis Samaritanis; ideo tenuis erat fortuna Judæorum quorum tunc temporis hostes gratiâ prævalebant. Attamen semper animum templo ad ungentes illud ditaverunt & exornaverunt per illos trecentos quadraginta quinque annos, qui elapsi sunt a dedicatione Zorobabelis usque ad annum mundi 3834, qui fuit ante æram Christianam 170, quo ab Antiocho illustri templum spoliatum est. Res narratur in libro primo Machabæorum capite primo, cujus libri initium reperitur à morte Alexandri Magni, post quem Seleucidæ regnaverunt in Syriâ. *Exiit ex iis*, ut loquitur Scriptura, *radix peccati Antiochus illustris, filius Antiochi, qui fuerat Romæ obses.* Hic cùm debellasset Ægyptum, postea in Judæam arma vertit.

21. *Et convertit Antiochus, postquàm percussit Ægyptum in centesimo & quadragesimo tertio anno: & ascendit ad Israel.*

22. *Et ascendit Jerosolymam in multitudine gravi.*

23. *Et intravit in sanctificationem cum superbiâ, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & universa vasa ejus, & mensam propositionis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea, & velum & coronas, & ornamentum aureum, quod in facie templi erat: & comminuit omnia.*

24. *Et accepit argentum & aurum & vasa concupiscibilia, & accepit thesauros occultos, quos invenit, & sublatis omnibus abiit in terram suam.*

Ab hacce die usque ad Christum restabant 170 anni. Tandem Judæi, duce Judâ Machabæo, excusserunt jugum Antiochi; & qui hactenus servierant ex quo amiserant Reges suos ex Davidico genere, novos habuerunt principes, qui etiam Reges dicti sunt, ex Judæ Machabæi prosapiâ. Omnes illi appellantur Assamonæi, qui in Judæa regnaverunt usque dum Pompeius Magnus expugnavit Jerosolyma & templum anno mundi 3941, ante æram vulgarem 63. Pepercit ille templo; Hyrcano etiam reddidit Pontificatum & Principatum gentis suæ, sed diadema vetuit. Aliquot post annos Crassius subripuit templo trabem solidam ex auro; undè intelligere est toto hoc tempore, quod non multùm ultra sæculi spatium extendi potest, Assamonæos multa dona contulisse templo. Ponte templum cum urbe commiserunt. Opus illud immensi laboris & impensarum eis tribuit Josephus [lib. 6. de Bello cap. 6.] Pars autem substructionum templi tribuuntur Simoni à Syrachide in fonte Græco Ecclesiastici [cap. 50. v. 2.] De hisce substructionibus modò differemus. Certè Assamonæi ampliaverunt templum: sed non præripuêre gloriam majoris & nobilioris operis; quod Herodes suscepit de instaurando templo, ubi usurpavit Judæorum regnum & eo in pace potitus est. Non est hujusce loci enarrare quomodo ille alienigena gentem Assamonæorum deturbaverit regno, & declaratus sit à Romanis Rex Judææ anno ante æram vulgarem quadragesimo. Anno verò decimo octavo Principatûs sui, inquit Josephus, (lib. 15. Antiquit. cap. 14.) concepit eximium opus de instauratione templi; etenim non statim inchoavit ædificium; sed primùm præparavit quæ necessaria erant. Interea abiêre unus & alter annus; ita ut ab anno, quo fervere opus cœperit usque ad annum hunc in quo Judæis Jesum Christum compellantes dicebant ei: *quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, &c.* totidem anni effluxerint. Etenim post mortem Herodis Judæi continuis & magnis impensis, vacaverunt templo decorando: undè quando ad illos Jesus dicebat: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud,* non advertentes loqui de corpore suo, aiebant; à quadraginta sex annis templum ædificatur, nec absolvi potuit; quomodo ergo tu illud eversum restituere posses opere trium dierum? Hanc quæstionem enucleavimus in Apparatu chronologico ad harmoniam Evangelicam. Qui illos quadraginta sex annos referunt ad ædificationem Zorobabelicam hallucinantur. Quippe non tot annis, sed viginti ad summum perfecta est; cœpta anno primo Monarchiæ Cyri, & aliquandiu interrupta, tandem non finita nisi vigesimo post anno, qui fuit sextus Darii, qui erat Histaspis filius. Neque ad Herodis opus omnino pertinent illi quadraginta sex anni: Etenim novem annis & semianno perfecit templum. De continuato ergo ædificio sermo est in loco Evangelii, ubi fons Græcus τεσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν ᾠκοδομήθη ὁ ναὸς οὗτος, potest habere hunc sensum *Quadraginta & sex annis hactenus ædificatum est templum hoc:* Neque enim finis ædificandi illud factus est, nisi postremo ejus casu instante.

A solo Josepho mutuare possumus quæ spectant instaurationem templi Herodianam. Igitur ex illo depromendum est quod ad rei historiam pertinet. Hæc scribit [lib. 15 Antiq. cap 14.] « Decimo octavo autem sui regni anno Herodes post tot præclara facinora, post absoluta tot admiranda opera, eximium aliud concepit animo, Dei templum denuò construere, ampliore ambitu, & huic convenienti celsitudine, ratus id quod res erat, id fore omnium celeberrimum etiam ad posteritatis sempiternam memoriam. Cæterùm veritus ne populum difficultate deterritum, minùs ad hoc obsequentem haberet, advocatâ concione sic eum allocutus est. Non habeo necesse, viri tribules, ut vel gesta vel opera mea commemorem, quæ ex quo regnare cæpi, plus vobis utilitatis & securitatis, quàm mihi ornamenti & laudis attulerunt. Scitis enim ipsi quòd in maximis vestris difficultatibus nullâ privati commodi ratione vobis prospexi: & quæ hactenus opera Deo juvante absolvi, vobis potissimùm serviunt, per quæ factum est ut res Judaïcæ nunc magis quàm unquam antea floreant. Quare ut dicere cœpi, non opus est singulatim percensere vel urbes, vel alia ædificia quibus tum Judæam ipsam, tum alias huic contributas regiones excoluimus: sed illud potiùs vobis nunc proponam, quod maximè vel ad religionis cultum, vel ad religionis ornatum attinet. Templo huic quod postliminio reversi à captivitate Babylonicâ patres nostri instauraverunt, desunt ad priscam altitudinem sexaginta cubita; tanto enim celsius erat vetus illud Salomonis ædificium. Nec hoc culpâ majorum nostrorum accidit, per quos non stetit, quin par illi pristinæ structura surgeret: sed hanc mensuram præscripserunt Cyrus & Darius Histaspis filius: sub quorum imperio, quia illi tum vixerunt, sicut postea Macedonum, non potuerunt assequi primum illud pietatis Archetypum. Nunc quoniam, Deo volente, ego rerum potior, cui otium, pecunia prompta, magni reditus suppetunt, & quod maximum est, Romanorum orbis Dominorum amicitia, dabo operam ut

» quod majores ſub alieno nutu viventes non ſatis A accuraverunt, ſuppleam, & quicquid deeſt ad honorem Dei, memor acceptorum beneficiorum, gratè ac piè perſolvam.

Pergam exſcribere Joſephum. » Hac tam inopinatâ Herodis oratione omnium animi ſunt attoniti, quod ſupra ſpem polliceri videretur: & angebantur magnâ ſollicitudine, ne fortè demolitus vetus ædificium, novum non poſſet abſolvere. Quare periculoſum videbatur conſilium, & conatus perdifficilis. Quod ubi animadvertit Rex, juſſit eos bono animo eſſe; manſurum enim vetus templum integrum nec demoliendum tantiſper, dum omnis materia comparetur, quæ ſit ad futuram fabricam neceſſaria. Neque eos fefellit. Mille enim B plauſtra paravit, quæ lapides conveherent: & ex omni artificum copiâ peritiſſimos ſelegit ad decem millia, & inſuper mille Sacerdotes ſtolis Sacerdotalibus ſuo ſumptu veſtitos, partim cæmentariæ, partim lignariæ fabricæ non imperitos: hoſque omnes adhibuit operi, materiâ jam convectâ. Sublatis deinde veteribus fundamentis, & novis repoſitis, deſuper templum extruebat. Impræſentiarum ſuperſedebo plura exſcribere, etenim partes templi perluſtrando, pro tempore & loco recenſebo propria Herodis opera. Ut æſtimetur quanta fuerit operis magnificentia, perpendatur tantummodò id quod ibidem dicit Joſephus. *Cinxit etiam totum templum ampliſſimis porticibus, quæ reſponderent reliquæ magnificentiæ, & priores illas pulchritudine vincerent.* C Has porticus fulciebant columnæ, quarum cujuſque craſſitudo, quantam poſſent tres homines confertis inter ſe brachiis complecti: longitudo viginti ſeptem pedum, ſubjectâ ſpirâ duplici, capitellis ſculptis opere Corinthio; ut adſtruit Joſephus ſed de his plura ſuo loco. Adjungam ergo ea ſolùm, quibus ſignificat Joſephus quo annorum intervallo opus ſuum abſolverit Herodes.

» Abſolutoque octo annis reliquo ædificio, tandem etiam templum ipſum eorumdem Sacerdotum operâ ſeſquianno perfecit. Quo facto ingens gaudium exortum eſt in populo, omnibus gratias agentibus Deo pro tam celeriter finito opere, & Regi pro accurato tam alacriter negotio fauſta ominantibus, & inſtaurationem templi magnâ feſ- D tivitate concelebrantibus. Ibi Rex trecentos boves Deo mactavit, & alibi pro ſuis quiſque facultatibus tantùm victimarum, quantùm vix comprehendi poſſit numero, fallente veram æſtimationem earum multitudine. Incidit etiam in hanc celebritatem abſolutæ templi fabricæ natalis regni, quem Herodes anniverſariâ hilaritate ſolitus eſt colere, ut hoc pacto conduplicaretur lætitia publica.

SECTIO VI.

Templum quod exornare cœperat Herodes non fuit prfectum niſi ſex annis antequàm divinitus everſum E *eſt, nunquam excitandum. Non ergo habuit gloriam niſi à Chriſto, à quo frequentatum.*

ZOrobabele templum inſtaurante, dum flerent qui ætate provecti erant, recordantes, ut vidimus, quàm infra templi Salomonici dignitatem novum ædificium eſſet; has Propheta Aggæus ſequenti vaticinio ſolatus eſt. (cap. 2.

7. *Adhuc unum modicum eſt, & ego commovebo cœlum, & terram, & mare, & aridam.*

8. *Et movebo omnes gentes: & veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloriâ: dicit Dominus exercituum.*

9. *Meum eſt argentum, & meum eſt aurum, dicit Dominus exercituum.*

10. *Magna erit gloria domûs iſtius noviſſimæ, pluſquàm primæ, dicit Dominus exercituum: & in loco iſto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.*

Certè Aggæus reſpiciebat domum iſtam quæ coram oculis ſuis ædificabatur; cujus gloriam fore majorem quàm templi Salomonici, liquidò prænunciat. Quæritur an id diceret, intuens Herodianum. Qualecumque illud fuerit, certè caruit illo decore, quod habuit primum templum. Etenim nec auro coruſcavit, nec illis inſignibus miraculis, nempe lucidâ illâ caligine quâ Deus ſe in illo præſentem teſtabatur, & deſcenſu ignis in oblata holocauſta, qui indicabat ſacrificia quæ fierent, ſibi eſſe accepta. Quomodo ergo major cenſeri potuiſſet gloria templi Herodiani, quod ſtatim ferè ac abſolutum corruit? Inchoatum, inquam, ab Herode opus non perfectum eſt, niſi ſex annis antequàm totum & funditùs everteretur, anno æræ Chriſtianæ ſeptuageſimo. Dicit Joſephus (lib. 20. Antiquitatum cap. 8.) finem impoſitum, ſive ceſſatum ab opere eo anno quo Rex Agrippa conceſſerat uſum ſtolæ lineæ Levitis; qui annus eſt ejuſdem æræ ſexageſimus quartus. « Jam abſolutum erat & templi ædificium, inquit Joſephus. Populus igitur cùm videret eſſe in otio circiter octodecim opificum millia, ſolitorum hactenus in templo ex operarum mercedibus victum quærere, nolenſque ſacram pecuniam repoſitam habere, ne quando Romanis præda fieret; ſimulque opificibus indè proviſum cupiens; quod vel unâ horâ operato ſtatim merces repræſentaretur: ſuaſit Regi Agrippæ, ut orientalem inſtauraret porticum. » Propter difficultatem operis Agrippa non annuit votis populi; quia totum antiquum hujus porticûs opus primò diruendum fuiſſet; cui reparando & perficiendo forſan tempus nec impenſæ ſuppeterent. Elegantior quidem porticus potuiſſet inſtaurari, attamen non ideò minùs cenſebatur templum abſolutum; quapropter ſexennio illo, nempe ſex illis annis uſque ad everſionem duravit glòria ejus; quæ ergo non animadvertenda propter tam breve temporis intervallum. Quomodo ergo gloria tam fluxa potuiſſet cenſeri major, cùm per plura ſæcula ſteterit primum templum? Herodiano templo nequaquam convenit pars illa Prophetiæ Aggæi: *Et in loco iſto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Etenim ſtatim poſt mortem Herodis, novum templum cæde pollutum eſt. In eo magnam ſtragem edidit Archelaus filius ejus; & ſequentibus annis in eo laboratum eſt inteſtinis ſeditionibus, cædibus; adeo ut pax prædicta ab Aggæo, non ibi reperta ſit, ſed abominatio deſolationis, quam futuram prænuntiaverat Daniel. Idcircò ipſi Judæi gloriam de quâ ſermo eſt, abjudicant templo ſecundo, quod Zorobabel inſtauravit, exornavit Herodes: illam tribuunt tertio quod comminiſcuntur. « Juxta vaticinium Aggæi, inquit Abarbanel, in templo non ampliùs audietur rapina & vaſtatio in finibus ejus contra quàm fuit in templo ſecundo. Ibi enim bella invaluerunt inter eos ipſos invicem, & cum hoſtibus illorum circumquaque. « Inteſtina templi bella legere eſt in libris Joſephi de Bello Judaïco; quorum in ſpecimen hæc promam. « Multi, inquit, [lib. 5. cap. 1.] qui properantes ab ultimis finibus terræ ad ſanctiſſimum locum venerant, ante ipſas hoſtias procubuerunt, miſſilibus occiſi: aramque univerſis Græcis & Barbaris adorandam ſuo ſanguine imbuêre. Indigenis autem mortuis alienigenæ, ac Sacerdotibus prophani miſcebantur: perque atria divina, ſtagnum fecerat diverſorum cadaverum

sanguis. Quid tantùm passa es, ô misera civitas, A à Romanis qui tua intestina scelera purgaturi flammis introiêre? Jam enim Dei locus non eras, neque manere poteras, domesticorum funerum facta sepulchrum, & quæ templum civili bello tumulum constitueras. Pergens Abarbanel expendere verba Aggæi, » cùm, inquit, dicit ille, major erit gloria templi hujus postremi, intellexit templum tertium, non secundum; quia ibi gloria non resedit. Licet enim templum Herodis elegantissimum fuerit ædificium, ideò tamen non dicitur illud gloriâ impleri. Gloria enim illud implens, est gloria Domini, quemadmodum de opere Tabernaculi dicitur. (Exod. cap. 40. v. 34.) Et gloria Domini implebat Tabernaculum. Et de ædificio Salomonis dictum est; quia impleret gloria Domini domum Domini. Ecce cùm ita se res habeat, gloria cujus Propheta hîc meminit, de præsentiâ divinæ majestatis dicitur. Ecquomodo verò illa de templo secundo explicabitur? Itaque contendit Abarbanel gloriam illam attinere ad tertium templum; & per illud *adhuc unum modicum*, intelligi debere secundum templum esse modicum præ illo tertio quod tandem excitabitur.

Sensus apertior Prophetæ est, *& brevi hoc fiet*, & totum vaticinium juxta literam acceptum quadrat in Jesum, cùm in eo agnoscitur divina majestas. *Adhuc unum modicum est*, id est, post breve tempus, inquit Propheta, surget iterùm tribulatio contra vos à Græcis, nempe ab Antiocho illustri, sed C illa non durabit, sive potiùs post aliquot annos rem præstabo quam pollicitus sum, ait Deus, cujus nomine Propheta loquitur. Magnam, inquam, rem præstabo: *Ego commovebo cælum & terram, & mare & aridam.* Proverbialis est locutio ad significandum magnum opus, quale fuit Verbi incarnati, de quo Maria canit in Cantico: *fecit potentiam in brachio suo;* id est, exseruit potestatem, contendit vires suas. Quin in Incarnatione, in ortu & morte Jesu Christi, cælum, terra, omnia commota sunt, in baptismo ejus & resurrectione. Commota est Jerusalem cùm eam Magi intraverunt. *Et movebo gentes;* quas Christus adduxit ad se statim in personâ Magorum. *Et veniet desideratus gentibus.* Qui scilicet D erat expectatio gentium; Christus enim omnibus terræ populis promissus. Aperta sunt plurima in hanc rem Prophetarum vaticinia. *Et implebo domum istam gloriâ.* Non aliam domum intelligit Aggæus, quàm suis subjectam oculis quæ ædificabatur; ut frustra Judæi gloriam promissam detrahant secundo templo; cujus gloriam ideò adstruit Propheta, quia, etiam si non ita auro & argento opulentum esset, & aliâ re magis illustrandum erat. Neque enim metallis constat verus decor ædis sacræ; his non eget Deus. *Meum est argentum & meum est aurum, dicit Dominus exercituum.* Quasi dicat Deus, possem illud secundum templum exornare hisce metallis, sed ornabo re longè pretiosiori, nempe filii mei præsen- E tiâ & concionibus. *Magna erit gloria domûs istius novissimæ plusquàm primæ*, istius templi secundi, non tertii quod frustra comminiscitur Abarbanel; & lubenter accipimus quod dat: *gloria cujus Propheta hîc meminit; de præsentia divinæ majestatis dicitur.* Ipse enim Jesus verus Deus apparuit in templo secundo; in eo se sistebat præsentem: ita non fumus, non caligo, sive in caligine & in fumo Deus; sed ipse se præbuit cernendum, & palpandum: sic gloria secundi templi major fuit. *Et in loco isto dabo pacem;* id est, benedictionem, bonorum omnium copiam illam, inquam, pacem quam annunciaverunt Angeli datam, cùm maceria quæ dividebat gentes à populo Dei, sublata est. *Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.* (2. Cor. cap. 5. v. 19.) Templum autem primum cùm paratum non esset, nisi ut in eo ederentur typi salvificæ mortis Christi; nec in alium finem excitatum secundum, nisi ut pergerent fieri illi typi, & in eo exciperetur ipse Christus; post illam pretiosam mortem non ampliùs restabat locus huicce templo: jam inutile erat; & ideò removendum ab oculis, ut ad alia attenderent oculos Judæi.

Commentum Judæorum de tertio templo ineptum est nullum vaticinium spem illius fecit. Cùm Deus admonuit patres eorum de futuro Salomonici templi incendio, prædixit illis post septuaginta annos iterùm ædificatum iri; quod contigit. Iterùm cœperunt ædificare; & ad hoc faciendum eos B Aggæus & Zacharias Prophetæ hortati sunt. Herodes verò non ullo Dei jussu templum suscepit exornandum, quod manifesto ejus permissu eversum est; si enim Jesus non fuit verus Messias filius ejus quem Judæi occiderunt, supplicium enim exegisse à pseudo Prophetâ bene cessisset Judæis. Verùm puniti sunt, & vindicta Dei apparuit; cùm Romanis obsistentibus templum eorum incensum est. Josephus narrat quomodo Titus, urbe expugnatâ, dicesserit in turrim Antoniam, eo ipso die quo contigit incendium, ut postridie mane cum omni exercitu oppugnaret templum. « Sed id planè, loquitur Josephus, Dei sententia jamdudum igne damnaverat: evolutisque temporibus aderat fatalis dies, qui erat decimus mensis λώου [qui Hebræis dicitur Ab] quo etiam priùs à Rege Babyloniorum fuerat concrematum. A domesticis autem causam principiumque sumpsit id incendium. Nam cùm paulisper Titi discessu seditiosi quievissent, Romanos rursus aggrediuntur, custodumque templi cum ignem exterioris fani restinguentibus pugna committitur. Hique, Judæis in fugam versis, usque ad templum accesserunt. Hîc itaque tunc militum quidam non expectato cujusquam edicto, neque tantum facinus veritus, sed divino motus quodam impetu δαιμονίῳ ὁρμῇ τινὶ χρώμενος à contubernali suo sustollitur, & ex ardente materiâ raptum ignem in fenestram inserit auream, undè ad membra circum templum ædificata de septentrionali regione aditus erat. Flammâ verò excitatâ, Judæorum quidem calamitate dignus clamor exoritur, & ad subveniendum properabant: neque jam vitæ parcendum rati neque viribus temperandum, amisso eo cujus gratiâ cautissimi videbantur. Maturè autem hoc quidam Tito nuntiat. Et ille (namque casu in Tabernaculo quiescebat, sicut à prælio redierat) exilit; templumque curriculo petit, prohibiturus incendium, omnesque post eum duces, & hos agmina perterrita sequebantur. Clamor autem, ac tumultus erat tanto exercitu sine ordine concitato. Cæsar autem, voce simul ac dexterâ pugnantibus signo dato, ignem jubebat extingui. Sed neque vox ejus audiebatur. « Josephus enarrat irritos principis conatus, ut ignem arceret à templo. Ubi neque impetum insanientium militum continere poterat, & flamma dominabatur ..... Cùm autem flamma nondum ex ullâ parte ad interiora penetrasset: nec membra quæ circum templum erant depasceretur, quod erat verum, existimans adhuc illud posse servari, & ipse prosiluit, militesque rogare ut ignem restinguerent conabatur: & Liberalem centurionem de stipatoribus, fuste mulctatos qui non obedirent, jussit arcere. Illorum autem furor, bellique impetus quidam vehementior, Judæorumque odia, & Cæsaris reverentiam & prohibentis metum superabant. « Quoad

rem ſpectat, adjicit expendere quod Joſephus dicit: A *Templum quidem hoc modo, invito Tito exuritur.* Idcirco, ut memoratus a Philoſtrato (lib. 6. cap. 14) In vitâ Apollonii Tyanæi, Titus Deo adſcribebat victoriam quam de Judæis reportaverat; undè, captis Hieroſolymis, cùm finitimæ gentes ob victoriam coronare ipſum voluiſſent, tali honore indignum ſe reſpondit: non enim ſe eſſe talium operum auctorem, ſed Deo iracundiam contra Judæos demonſtranti, ſuas manus præbuiſſe. Οὐ ἠξίου ἑαυτὸν ϛεφα- μὴ γὰρ αὐτὸς ταῦτα εἰργάσθαι, θεῷ δὲ ὀργὴν φήναντι, ἐπιδεδωκέναι τὰς ἑαυτοῦ χεῖρας.

Ergo non caſu, ſed Deo ordinante, everſum eſt templum Hieroſolymitanum anno æræ Chriſtianæ ſeptuageſimo, poſt paſſionem Chriſti trigeſimo ſeptimo. Prius enim aliquo temporis ſpatio quaſi ſtabilienda nova Eccleſia, priuſquàm veteris ſedes ex oculis tolleretur. *Quis mirabitur*, inquit Joſephus, *in eo etiam circumacti temporis rationem & fidem. Nam & menſem, ut dictum eſt, eumque diem ſervavit, quo primùm à Babyloniis templum erat incenſum.* Ideo iſta quæ procedit dies in menſe Ab, nempe nona: Judæis luctuoſa eſt, ut videre eſt in tractatu Miſnico de Jejuniis cap. 4. *Nono autem die menſis Ab decrevit Deus de patribus noſtris, non ingreſſuros eos in terram promiſſam, deſolatum eſt templum & primum & ſecundum.* Plurimas alias calamitates, quæ Judæis eo die contigerunt, enumerat Abarbanel in caput quintum Oſeæ. Cum in æternum lex C Moſis delenda eſſet, templum, ſine quo illa non poteſt ſtare, nec veſtigium ampliùs apparere debuit. Etenim *ſublatis legitimis Dei à populo Judæorum, interrogemus eos quam habeant legis obſervantiam. Victimas ſublato templo atque ſubverſo offerre non poſſunt.* Verba ſunt B. Hieronymi in cap. 16. Ezechielis. Huicce poſtremæ everſioni templi nullum Deus præfinivit tempus; ut fusè oſtendit B. Chryſoſtomus in Homiliis ſuis contra Judæos. Daniel prædixerat finem Babyloniæ ſervitutis; ſed atteſtatur nullum futurum hujus vaſtitatis. Licet, inquit Chryſoſtomus, [Homilia 4.] ſæpiùs conati hactenus non potuere inſtaurare templum. *Nam ſemel & iterùm, ac tertiò, ſub Adriano, ſub Conſtantino, ſub* D *Juliano, conatus illorum interruptus eſt. Primùm quidem à militibus, rurſus ab igne promicante è fundamentis & illorum importunam pervicaciam coercente.* Ὕστερον δὲ πυρὸς τῶν θεμελίων ἐκπηδήσαντος, καὶ κατασχόντος αὐτοὺς τῆς ἀκαίρου φιλονεικίας.

Si Judæi, ait idem Chryſoſtomus hom. 3. *nunquam tentaſſent ædificare templum, dicere poterant, ſi voluiſſemus omninò aggredi templi inſtaurationem, omnino potuiſſemus, & perfeciſſemus. Nunc autem res ipſa demonſtrat eos non ſemel aut bis ſed ter aggreſſos.* Narrat deinde ſacer concionator quomodo rebellantes Judæi adegerint Adrianum Imperatorem abolere omnes reliquias templi; & ruinis urbis Jeroſolymorum nomen ſuum imponere; à quo tempore Ælia dicta eſt. Sub Conſtantino eadem aggreſſi fuerant. E *At ille viſo eorum conatu, amputatis illorum auriculis, ac rebellionis ſigno impreſſo corpori illorum, per omnia loca circumferebat illos ..... Sed hæc, inquient, priſca & obſoleta: Imò hoc potiùs notum eſt etiam iis qui inter vos ſunt ſeniores. Quod verò jam dicturus ſum, etiam admodùm juvenibus eſt clarum ac perſpicuum. Non enim geſtum eſt ſub Adriano aut Conſtantino, ſed ſub Imperatore qui fuit ætate noſtrâ ante annos viginti. Etenim cùm Julianus, qui Imperatores omnes ſuperavit impietate, vocaret illos ad ſacrificandum idolis, & ad ſuam impietatem pertrahere conaretur; cùm illi cauſarentur non poſſe ſacrificare extra Hieroſolymam & alibi quàm in templo. Proinde, inquiebant, ſi vis nos videre ſacrificantes,* A *redde nobis civitatem, reſtitue templum, exhibe nobis Sancta Sanctorum, colloca aram, & ſacrificabimus nunc quemadmodum olim.* Annuit poſtulatis Julianus: *pecunias impendit, & præfectos miſit viros primates, & artifices undequâque accerſi juſſit, nihil non fecit, nihil non tentavit.* Narrat Gregorius Nazianzenus; oratione quartâ, quo ardore Judæi omnes operam contulerint. Mulieres nobiles etiam ſinu ſuo terram efferebant è fundamentis; donec, ut adjicit Gregorius; quod pergit dicere Chryſoſtomus: *Simul atque tentaſſent hunc impium conatum, cœpiſſentque nudare fundamenta, multamque terram exhauſiſſent; reſtaretque ut jam ſtructuram aggrederentur; protinus ignis exiliens è fundamentis exuſſit multos,* B *& intempeſtivam pertinaciam interrupit.* Res conſtat; & aſtruitur ab ipſo Enchomiaſte Juliani Imperatoris Ammiano Marcellino, qui eam rem ſcriptis mandavit in libro vigeſimo tertio hiſtoriæ ſuæ. *Imperii ſui*, loquitur de geſtis hujus Imperatoris, *memoriam magnitudine operum geſtiens propagare, ambitioſum quondam apud Hieroſolymam templum, quod poſt multa & internecina certamina, obſidente Veſpaſiano, poſteaque Tito, ægrè eſt expugnatum, inſtaurare ſumptibus cogitabat immodicis: negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochenſi, qui olim Britannias curaverat pro præfectis. Quùm itaque rei idem fortiter inſtaret Alypius, juvaretque provinciæ rector, metuendi globi flammarum propè fundamenta* C *crebris adſultibus erumpentes, fecêre locum exuſtis aliquoties operantibus inacceſſum: hoc modo elemento deſtinatiùs repellente ceſſavit inceptum.* Ita factum eſt, ut dum Judæi vellent effodere fundamenta tertii templi, quod fruſtra ſibi pollicebantur, vaticinium Chriſti impleverint; quod lapis ſuper lapidem non relinqueretur ex iis omnibus quibus templi ſtructura conſtabat. Hoc eſt quod animadverterat Beatus Cyrillus ipſe Epiſcopus Hieroſolymitanus; nam nondum effoſſa fuerant illa fundamenta anno 347. quo componebat ſuas catecheſes. In decimâ quintâ ſic loquitur in Interprete ſuo Latino. *Veniet autem Anti-Chriſtus in templum Judæorum, quando lapis ſuper lapidem non manebit, ſecundùm Salvatoris* D *prædictionem. Cùm enim vel ruinâ vetuſtatis; vel prætextu ædificationis, vel quâcumque aliâ de causâ, ejuſmodi reliquiarum templi, ſequetur diſſolutio, ita ut omnes lapides tollantur, &c.* Ergo ætate B. Cyrilli adhuc ſuperant in fundamentis reliquiæ templi, quidam lapides ſuper lapides; quos ipſi Judæi ſuſtulerunt, ut nova jacerent fundamenta. Sic impletum prorſus Chriſti vaticinium. Nuſquam excitabitur templum Judaïcum, niſi ſermone quem modò exordiemur, ut quibus olim myſteriis deſervierit magis magiſque pateat.

CAPUT IV.

Mons Moria, cùm capiendis templi ædificiis & atriis non sufficeret, laxior factus est, adjunctis substructionibus stupendis, intra quas latebant immensa Hypogæa.

SECTIO I.

Templi ministerium, hominum in illud conventus, victima in eo immolandæ exigebant aream patentem; ideò aggerendi fuêre aggeres monti Moriæ, ut laxior fieret.

HActenus quæ templo Hierosolymitano, ut ita loquar, obtigerant, nempe ejus historiam enarravimus; non ipsum intuiti sumus. Jam oculis subjicienda forma ejus. A jaciendis fundamentis omne ædificium incipit. Principium descriptionis suscipiendæ pariter sumendum à fundamentis templi; ob eam præcipuam rationem, quia in cæteris ædificiis, cùm fundamenta lateant, non exponuntur sed supponuntur; neque enim delineari possunt. Sed non ita est de templi Hierosolymitani fundamentis; quæ stylo non prætermittenda, si quidem huic conferrunt præcipuum decorem, & tantum, quantum cætera orbis ædificia, nec etiam in C suis culminibus habuêre. Etenim cùm templum situm esset in montis Moriæ vertice, cujus area laxior facta fuerat, ut omnia ædificia caperet necessaria administrationi rerum sacrarum, quæ in eo fiebant. Cùm, inquam, vertex hujus montis haberet circa se subjectas valles profundissimas; necesse fuerat ut ab ejus radice muri multis centenis cubitis alti educerentur; qui totum montem amplectentes oculis patebant. Substructiones itaque stupendæ præbebant spectaculum gratissimum, ut intelligi potest ex delineatione urbis sanctæ. In istis substructionibus animadvertere est innumeros gradus, per quos ex imis vallibus satis commodè quisque pervenire poterat ad aream templi, sive attingere limen pavimenti ejus. Sed prius quàm incipiam dis- D serere de his fundamentis & substructionibus, considerare decet quam spatiosâ areâ indiguerit ministerium templi, conventus Israëlitarum in illud, & innumera victimarum illa multitudo, quæ Deo sacrificabantur. Tota Mosaica religio quasi conclusa erat intra templi Hierosolymitani terminos. Certè magna pars ejus non poterat extra exerceri, & intra peragi sine apparatu multo & spatio libero. Etenim sacrificia, quæ pars maxima est religionis, indigent altari, victimis, & ministris. Sistenda animalia ad altare, jugulanda ab eo qui illa offerebat, excipiendus sanguis eorum à Sacerdote, qui eum deferret & effunderet ad pedem altaris. Deinde victimæ de- E trahebatur pellis: concidebatur in partes, pro ratione sacrificii, vel comburendas in igne altaris, vel coquendas in ollis. Qui obtulerat, tenebatur eas in ipso templo comedere. Necesse erat ut his omnibus adessent necessarii ministri, Sacerdotes, Levitæ, quorum alii starent in portis Janitores, qui arcerent immundos; alii adjutabant Sacerdotes in excoriandis victimis, & obeundis aliis inferioribus muniis. Sacerdotes quidem divisi erant in viginti quatuor ephemerias, certo ordine per unam hebdomadem à sabbato ad sabbatum suis defungentes muneribus; sed diebus solemnioribus, in Paschate, omnes simul collecti deserviebant in templo, ita ut si tum Sacedotum tum Levitarum ineatur numerus, excesserit 40 aut 50 mille ministros.

A Cùm in dies augeretur Israëlitarum numerus; ita plures hostiæ mactandæ: laxioribus opus atriis erat & majori altari. Spargebantur per totum orbem terrarum Judæi; singuli verò mares tenebantur ter in anno coram Domino apparere. Licet fieri non posset ut omnes, nemine excepto, huicce legi parerent, à remotissimis plagis Jerosolymam confluentes; saltem qui incolebant terram Israël & vicinas regiones, diebus solemnibus omnes in templo congregabantur quasi unus, ut loquitur Scriptura. Quas ergo oportebat esse areas templi, quas porticus, quæ conclavia, quæ atria? Decebat ministros vacare muniis suis liberos. Taurus jugulandus implet non mediocre spatium. Quale ergo requirebatur his vi- B ginti tribus millibus, qui mactati sunt in solemni dedicatione Salomonici templ.? Esto, non unico die, sed septem continuis, quot festum duraverit. Sed ter mille & centum quatuordecim tauri non ultrò præbebant jugulum; reluctantes constringendi. Quoquo modo id fiat, non potest peragi in angusto loco. His addatur innumera ovium multitudo, quæ in dedicatione usque ad numerum centum viginti mille occisæ sunt; si per septem dies, singulis plusquàm decem & septem mille oves mactabantur.

Præterea opus erat distinctis locis, in quibus congruenter ordini suo quique versarentur Levitæ & Sacerdotes; etiam populi tuti essent adversus aëris injurias. Necessaria cœnacula, conclavia in quibus comederent & cubarent tempore Ephemeriarum suarum, illâ hebdomade, quâ obibant munia sua. Gazophylaciis recondendæ erant opes templi, & vasa sacra recondenda, quibus excipiebatur sanguis victimarum, ad altaris pedem effundendus. Sacerdotes non dabant operam rebus sacris, nisi vestes induti proprias; quæ erant reponendæ propriis locis, statim ac munia impleverant. Penuaria quoque necessaria undè promerentur sal, oleum, odoramenta, similago. Loca oportuit esse apta in quibus efficiebantur thymiamata, coquebantur panes propositionis Quid dicam de immensâ strue lignorum, quibus perpetuus ignis alebatur in altari, & quæ subjiciebantur ollis culinarum? Fuêre aquarum receptacula abluendis tum victimis tum ministris, quando sacra faciebant. Non prætermittendæ stationes virorum piorum & mulierum non discedentium de templo; quibus propria sedes assignabatur. Præterea synedrii locus erat in templo, ubi majores causæ dijudicabantur. Denique cum Gentilibus non esset licitum misceri viro Judæo; admitterentur autem in templo, quoties illis religio erat Deum Israëlis adorare, & illi offerre quodpiam munus, excipiebantur distinctis atriis & porticibus. Ad multiplicia illa ædificia, puto, alludebat Dominus apud Joannem Evangelistam, cùm advertens discipulos conturbatos dicebat illis cap. 14. *Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite. In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Ex diversis mansionibus domûs patris mei terrenæ intelligite non defuturum in cælo locum, quò vos excipiat.

Quot quantaque ædificiorum varia genera, quot multiplices cellas, quàm diversa conclavia, atria patentia, & longas porticus complecteretur templum, adhuc clariùs patebit, quando de his omnibus singulatim sermo fiet. Hæc nunc animadverto, ut qui hæc legit, intelligat verticem montis Moriæ fuisse laxandum, ut tot ædificiorum capax esset, eductis, ut innui, altissimis substructionibus, quæ caperent latum illud spatium occupatum à radicibus Moriæ. Sic Tarquinius cùm voluisset Jovi statuere templum, (quod postea Capitolinum dictum est) in rupe quæ foro imminebat, coactus est verticem hu-

jus rupis latiorem facere, aggestis aggeribus; quorum comparatione cùm possim notiorem facere artem, quam Salomon & alii adhibuére, afferam quod in eam rem narrat Dionysius Halicarnassensis lib. 3. Antiquitatum Romanarum. Enumerat præcipua ædificia quæ Tarquinius Priscus condiderat. *Aggressus etiam*, inquit, *ædificare templum Jovis & Junonis ac Minervæ, ut votum persolveret quod in postremo contra Sabinos prælio diis fecerat, tumulum quidem* τὸν λόφον, *in quo exstructurus erat templum, quum multâ & laboriosâ egeret operâ, quippe qui difficili erat aditu, nec in summo planus, sed prœruptus & acuto vertice fastigiatus, multis ex partibus amplexus est celsis substructionibus: inter quas & verticem, congesto aggere, planam effecit aream, ad excipiendas sacras ædes amplissimam.* Proderit expendere ipsa verba Græca quibus utitur auctor in postremâ hujus narrationis parte. Ἀναλήμασιν ὑψηλοῖς πολλαχόθεν περιλαβὼν καὶ πολὺν χοῦν εἰς τὸν μεταξὺ τῶν τε ἀναλημμάτων τῆς κορυφῆς τόπον ἐμφορήσας, ὁμαλόν γενέσθαι παρεσκεύασε, καὶ πρὸς ὑποδοχὴν ἱερῶν ἐπιτηδειότατον. Videtur & Moria similem situm habuisse. Erat λόφος, ut modò dicemus; ita pariter eguit πολλῆς πραγματείας *multâ operâ*, ut loquitur Dionysius. Quid sint ἀναλήμματα, quid sit χοῦς, sequentibus articulis dicemus. Tarquinius paravit aream locandis fundamentis templi; sed illa jacere non potuit fato præventus. Scilicet substructiones illæ non poterant absolvi nisi temporis & opum impendio; ita cùm idem scriptor loquitur de eodem Tarquinii opere, si non irrepsit mendum in ejus codices, non utitur voce ἀναλήμμα, sed vicino nomine ἀναλώμα. Sic, inquam, loquitur Dionysius in libro quarto. *Et rupem quidem sacro ædificio destinatam ingenti sumptu aggeribus in areæ formam complanaverat, ut superiore libro dictum est: cæterùm templorum structuram morte præventus non potuit absolvere.* Καὶ τὸν μὲν σκόπελον ἐπὶ ᾧ ἱδρύσεσθαι ἔμελλε τοὺς θεοὺς, ἀναλώμασί τε καὶ χώμασι μεγάλοις ἐξειργάσατο, καθάπερ ἔφην ἐν τῷ πρὸ τούτου λόγῳ. τὴν δὲ τοῦ ναοῦ κατασκευὴν οὐκ ἔφθη τελέσαι. Puto tamen ibi potiùs legendum ἀναλήμμασιν; locus enim parallelus est superiori. Id confirmat duorum nominum ἀναλήμμα & χῶμα conjunctio; quorum nominum vim mox exponemus.

SECTIO II.

De substructionibus, quæ factæ sunt circa montem Moriam, ut in vertice ejus area inveniretur apta ministeriis templi.

SUstructiones templi non nisi complurium seculorum decursu, labore infinito, incredibilibus impensis absolvi potuêre; attamen pars eorum magna jam tempore Salomonis affecta erat, si non omninò confecta. In his enim templum insistebat tanquam in suis fundamentis, de quibus sic loquitur Josephus lib. 8. Antiquitatum cap. 3. « Jecit igitur Rex in altissimam terræ profunditatem fundamenta templi è saxis validissimis, quæ contra omnem temporum injuriam resistere possent, ita ut cum contiguâ terrâ coalitâ solum ac firmamentum imponendis substructionibus præberent, & propter inconcussam soliditatem facilè molem ædificii cum paratu ornamentorum sumptuosissimo præferrent, non minorem admirationem habitura, quàm quæ supernè ad amplitudinem, pulchritudinem & magnificentiam operis per artifices allaborata sunt. Dici autem non potest, ac vix etiam oculis credi, quàm mirandum fuerit illud exterius templum. Loquitur de parte exteriori templi, quæ imminebat substructionibus. « Vallibus enim expletis, tam profundis ut ad prospectum oculi caligarent, & aggestâ ad quadringentos cubitos terrâ, altitudi-

A nem æquavit vertici montis, in quo templum extructum est: atque hoc modo factum est ut area exterioris templi cum solo templi interioris æquaretur. « Mons Moria in hac parte declivis erat, sed aggestis aggeribus, sive multis impositis desuper fornicibus, ut una supra aliam esset, pars declivis æquata fuerat vertici.

Eadem dicit Josephus libro decimo quinto Antiquitatum cap. 14. « Tumulus erat λόφος, petricosus, arduus à vertice, sensim versùs orientale urbis latus resupinus. Hujus verticem primus Salomon Rex noster instinctu Dei muro circumdedit. Μεγάλαις ἐργασίαις ἀπετείχιζεν ἄνωθεν τὰ περὶ τὴν ἄκραν. Magnis laboribus superiora ejus circumdedit. Radices

B quoque ejus muro cinxit, quas circum erat profunda vallis versùs Austrum. Ἀπετείχιζε δὲ κάτωθεν ὑπὸ τῆς ῥίζης ἀρχόμενος ἣν βαθεῖα περιθεῖ φάραγξ. Adjungit Josephus. Hic murus constat saxis grandibus plumbo inter se vinctis, complectens interius spatium, & in profundum descendens, ut miranda sit magnitudo & altitudo οἰκοδομῆς structuræ forma quadrangulari. Saxorum enim magnitudo à fronte est conspicua, interiora ferro vincta juncturas continent contra omnium injurias temporum firmissimas. Hoc opus postquàm æquatum est vertici, cavitas quæ erat inter murum & tumulum expleta est, ut complanatis omnibus fieret area. Et orientale latus templi instructum fuerat muro à

C Salomone, quia pariter huic lateri subjecta vallis, ut liquido scribit Josephus libro vigesimo Antiquitatum cap. 8. loquens de orientali porticu. *Ea*, inquit, *templi extima claudebat profundæ valli & angustæ imminens, ac proinde subnixa muro quadringentos alto cubitos, saxis constructo quadratis valdè candidis: eratque saxi longitudo cubitorum viginti, sex verò altitudo: opus Salomonis Regis, qui primus integrum templum condidit.*


Huicce operi quo laxata est area, quæ erat in vertice Moriæ montis vidimus quidpiam simile, factum à Tarquinio Prisco, cùm ab eo λόφος tumulus imminens foro Romano electus est locando templo Jovis Capitolini; in hujus ædificii desciptione

D vocem ἀνάλημμα à Dionysio Halicarnassensi usurpatam dixi quam nunc ostendam occurrere in sacro codice, & vim ejus perpendam. ἀνάλημμα à Suida & Hesychio, inquit Stephanus in Thesauro Græco, exponitur ὕψωμα, quod quidam interpretantur *edita structura*. Censet Suidas esse & στερέωμα, id est, firmamentum, vel munimen, & subjungit sequens exemplum, quod Valesius excerptum putat ex Polybio; & ideò numerat inter fragmenta hujusce scriptoris. Κατανοήσας τὸ βάρος τῶν ἀναλημμάτων καὶ ὡς ἀδύνατον ἔτι σαλεῦσαι τὰ τείχη, ἐκ χειρὸς τὴν μάχην ἐποίησεν. *Cùm autem excelsarum munitionum gravitatem ac difficultatem animadvertisset, & muros nullo modo quassari posse, pugnam manu commisit.* Huic ergo voci convenit res de quâ fit sermo. Substructiones erant

E ἀναλήμματα; quæ constabant altissimis mœnibus simul & eritimis, sive anteridibus; neque enim tam excelsa mœnia sine præsidio stare potuissent. Ita ἀναλήμματα sunt στερέωμα munimen. Videbimus his ἀναλήμμασι Templum sic munitum, ut vera esset arx expugnatu difficilis. Harum substructionum mentionem facit Sirach, quando laudat Simonem Oniæ filium ab operibus quæ circa Templum perfecit, non in alio quàm dicto sensu vocem ἀνάλημμα usurpans capite I.

1. *Simon Oniæ filius, Sacerdos magnus, qui in vitâ suâ suffulsit domum, in diebus suis corroboravit templum.*	Σίμων Ὀνίου υἱὸς ἱερεὺς ὁ μέγας, ὃς ἐν ζωῇ αὐτοῦ ὑπέρραψεν οἶκον; καὶ ἐν ἡμέραις αὐτοῦ ἐστερέωσε τὸν ναόν. καὶ ὑπ' αὐτοῦ ἐθεμελιώθη ὕψος διπλῆς ἀνάλημμα περιβόλου ἱεροῦ.

2. *Templi*



DELINEATIO SEU PROSPECTUS OMNIUM ÆDIFICIORUM TEMPLI EX PARTE URBIS AUSTRALI, NEC NON ET DOMORUM CIRCUM ADIACENTIŪ.

Tab X p 752


Back of
Foldout
Not Imaged


Sectio fundamentorum Templi exhibens interiora ejus hypogœa.
Scala centum cubitorum Hebræorum
10 20 30 40 50 100

Tab. XI.

Back of
Foldout
Not Imaged

Ichnographia *sive* Vestigium
TEMPLI HIEROSOLYMITANI



Tab. XII.

2. Templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex ædificatio & excelsi parietes templi.

Ibi videre est Vulgatam Latinam in versu secundo non exprimere fontem Græcum. Sic eam exprimit translatio Latina Græci fontis quæ edita est Romæ. *Et ab ipso fundata est altitudo duplicis, reparatio excelsa ambitus templi.* Attexuit huicce loco Nobilius sequens scholium. *Duplicis* διπλῆς *quasi supplendum sit;* ὀχυρότητος *munitionis aut ejusmodi quiddam, cujus hodie fortasse non extet historia. In quibusdam libris est* διπλῆς. *In Complutensi est* διπλοῦν ἀνάλημμα, ὑψηλὸν περίβολον ἱεροῦ, *duplex reparatio, excelsus ambitus templi.* Ego verò supplerem στοᾶς *porticus.* Videbimus infrà hanc aream quam substructiones appositæ ampliaverant, circumdatam porticibus, quarum aliæ duplices; una ex illis, quæ meridionalis, triplex erat, nempe habens tria ambulacra. Hæ autem porticus erant ὑψηλὸς περίβολος excelsus ambitus templi, de quibus sic Josephus loquens de opere Salomonis περιέλαβε δὲ αὐτὸ καὶ στοαῖς διπλαῖς *cinxit templum duplicibus porticibus;* quæ ergo faciebant ejus ambitum. Ita Sirac ibi vocem ἀνάλημμα usurpat in eo sensu in quo de substructionibus templi disserimus. Hæc vox etiam occurrit in secundo Paralipomenorum cap. 32. καὶ κατίσχυσε τὸ ἀνάλημμα τῆς πόλεως Δαυίδ. Fons Hebræus habet ויחזק את המלוא *& roboravit millo urbis David* Vulgata Latina: *instauravitque mello in civitate David.* Quid sit *Mello* jam intelligimus. Differentes de urbe vidimus incertas esse opiniones Interpretum de illâ voce. Nunc vero liquet מלוא *mello* esse ἀνάλημμα nempe *munimen, agger.* Videlicet cùm inter urbem David, sive Sionem, & inter urbem inferiorem esset profunda vallis Tyropæum, Salomon substructionibus altissimis ἀναλήμμασι munierat latus illud Sionis. Nomen Hebræum *mello* idem sonat quod Latinis *plenitudo.* Hoc ædificium fecerat Salomon μεγάλας ἐμφορήσας φάραγγας, inquit Josephus lib. 8 cap. 3. Antiq. *Vallibus expletis profundissimis.* Similiter in libro sexto de Bello cap. 6. τήν τε φάραγγα χώσαντες *vallem aggeribus repleverunt.* Notum quàm facilè subsidant mœnia quæ aggeres sustinent; ita Ezechias *mello*, id est, substructiones urbis Davidicæ, labantes confirmavit. Has substructiones Josephus sæpiùs appellat οἰκοδομὰς τοῦ ναοῦ. Nomen οἰκοδομή, nihil aliud significat quàm ædificium, structuram, ædificationem; sed propter excellentiam, quia nempe structura non alia esset excelsior & magis admiranda, ideò substructiones templi dicebantur οἰκοδομαί. Josephus hac utitur voce in lib. 15 Antiquitatum cap. 14. ubi loquens de altitudine substructionum scribit fuisse stupendæ magnitudinis ὥς ἄπιστον εἶναι τὸ μέγεθος τῆς οἰκοδομῆς.

SECTIO III.

Substructiones quibus cinctus erat Moria, arcam efficiebant, & opus admiratione dignum, quod cætera mundi opificia exsuperabat.

Si quis defixerit oculos in has substructiones templi, quas nostræ delineationes exhibent, procul dubio agnoscet templum non solùm religione, sed naturâ & munitionibus loci fuisse tutissimum. Quibus enim scalis admotis hostis agilis potuisset scandere muros trecentis & quadringentis cubitis altos; & ad fastigium illud saltu pertingere, quò vix oculi perveniebant. Nec quævis avis è fundo vallium quibus templum imminebat, facile uno volatu evolasset usque ad tectum ejus. Qui ergo aggeA res potuissent educere tam excelsi, ut oppugnantes decertare æquo pede potuissent cum iis à quibus templi interiora defendebantur? Quibus denique terebris fuisset perfossus murus, cujus lapides omnes marmorei & prægrandes erant; aut quonodo subverti potuisset subductis suis lapidibus, qui omnes inter se plumbo & ferro vincti erant? Itaque templum vera arx erat, ut illud appellat Josephus libro 4. de Bello cap. 5. templum nomine, sed re arx erat. λεγέσθω γὰρ νῦν τὸ ἱερὸν, ὡς ἄκρα τις ἦν φρούριον. Expugnatum tamen est à Romanis; sed arte non vi. Captâ occasione quietis sabbaticæ penetraverunt in illud, cùm non arcerentur à Judæis, & absolutis aggeribus collato pede cum Judæis dimicaverunt, nemB pe à parte boreali, ubi humilior murus. Rem narrat Josephus in Antiquitatibus lib 14. cap 8 Cùm in Jerusalem esset dissidium; & pars admisisset Pompeium Romanorum ducem; pars altera templum occupasset, præciso ponte qui illud cum urbe committebat. « Tunc Pompeius à septentrionali templi latere, quod maximè erat oppugnationi obnoxium, admovit milites. Erant autem hac quoque parte turres altæ & fossa manu facta, præter profundam vallem quæ templum cingebat. Nam etiam versùs urbem abrupta erant omnia, sublato ponte, quâ parte Pompeius erat cum suo contubernio. Erigebantque quotidie magno labore aggerem Romani, cædentes circumquaque arboC res, quod opus ubi perfectum est, ægrè completa fossa propter immensam altitudinem, admotis machinis à Tyro advectis, quatiebat templum saxis missilibus Sed nisi patrius nobis mos esset otium per septimum quemque diem exigere, non potuissent perficere aggerem vetantibus adversariis. Prohibere enim vim inferentes lex permittit, sed opus facientem hostem impedire nos non sinit Quod ubi animadverterunt Romani, sabbatis neque eminùs incessebant telis Judæos, neque manus cum eis conserebant: tantùm erigebant aggerem & turres machinasque admovebant, ut eis postridie adversùs nos uti possent. « Subjungit Josephus hæc à se in pietatis laudem non conficta. Attestantur, inquit, omnes qui res à Pompeio D gestas conscripserunt, & in his Strabo ac Nicolaus, Romanæque conditor historiæ Titus Livius. Nam concussâ turri maximâ crebris arietis ictibus, collapsâque & secum ruinam trahente muri proximi, certatim infuderunt se hostium agmina. «

Rem istam iisdem ferè verbis narrat Josephus libro primo de Bello cap. 5. Quem ergo locum supersedebo exscribere; sed juvat afferre verba Strabonis quem allegat Josephus. Memorat Strabo expugnatam à Pompeio Jerosolymam, sic loquens de urbe & templo ejus. « Erat probè munita urbs opere lapideo & interiùs aquis abundans, exteriùs omE nimò sicca, fossam habebat lapide exciso sexaginta pedum profunditate, latitudine CCL. E lapide autem exciso ἐκ τοῦ λίθου τοῦ λατομηθέντος educta erant templi mœnia. Pompeius cepit observato jejunii die, quo ab omni opere Judæi abstinent, impletâ fossâ & admotis scalis. « Dion Cassius post ætatem Josephi scripsit; eandemque rem confirmat lib. 37. agens de Pompeio. « Hierosolymorum autem oppugnatio haud parvo ei labore stetit. Urbem quidem ipsam, à fautoribus Hircani receptus, facilè obtinuit; templum autem quod alterius partis homines præoccupaverant, haud absque labore cepit. Situm erat loco edito, suis mœnibus munitum; nec, si ex æquo omnibus diebus id defendissent, expugnatum esset; Verùm quòd Saturni, quos vocant diebus, propugnationem intermittentes

» (& h s quidem ab omni opere vacant) Romanis A » eo libero spatio occasionem muri subruendi dede» runt. Qui ubi hunc hostium morem animadverte» runt, nihil fere egerunt reliquis diebus; quum « vero circumactâ septimanâ, Saturni dies rediisset, « denuo aggressi, summâ vi templum oppugnarunt. » Atque ita tandem Judæi, nihil quicquam propug» nantes, in potestatem hostium venerunt. Ibi Dion Cassius templum Hierosolymitanum appellat μέγιστι καὶ ἀξιόλογι ναὸν. Nefas esset hic præterire verba Taciti, quibus breviter sed acute templum Hierosolymitanum describit ut arci simile, lib. 5. Historiarum n. 12. *Templum in modum arcis, propriique muri labore & opere ante alios. Ipsæ porticus, queis templum ambiebatur, egregium propugnaculum.* B Mentem & oculos potissimùm attendamus ad substructiones quibus illud fiebat arx munitissima. De illis disserens Josephus lib. 15. cap. 14. laudat potissimùm latus meridionale. *Ibi spectaculum erat, si ullum aliud sub sole, memorabile. Nam cùm vallis in immensum dehisceret,* (Lector mentem adverte ad verba Græci fontis: μεγάλης γὰρ οὔσης τῆς φάραγγος [τῷ] ἀναλήμματος) Nomine illo ἀνάλημμα, ut suprà vidimus, significatur *substructio*. Cùm, inquam, in hac parte vallis in immensum dehisceret, *ita ut caligarent despicientium oculi, desuper exstructa erat prealta porticus, cujus tecto conscenso, si quis utramque altitudinem conjunctam contemplaretur, absque vertigine id non poterat, visu deficiente ob* C *nimiam profunditatem, priusquàm ad imum pertingeret.*

Tantum opus multo temporis & pecuniæ impendio confectum narrat Josephus de Bello 6. ab Asamonæis dum regnaverunt. Καθ' οὓς οἱ Ἀσαμωναῖοι χρόνους ἐβασίλευον, τήν τε φάραγγα ἔχωσαν συνάψαι βουλόμενοι τῷ ἱερῷ πόλιν, καὶ τῆς ἄκρας κατεργασάμενοι τὸ ὕψος ἐποιήσαντο χθαμαλώτερον, ὡς ὑπερφαίνοιτο καὶ ταύτῃ τὸ ἱερόν. *Quâ tempestate Assamonæi regnabant, & vallem aggeribus repleverunt, ut templo conjungerent civitatem, & Acræ altitudinem cæsam humiliorem fecerunt, ut templum illâ altiùs supereminerat.* Attexendum huicce loco quod in eodem Josephi capite subsequitur de immensis illis laboribus. In Græco fonte sectione ιδ'. » Templum autem erat, ut dixi, supra durissimum D » collem. Et initio quidem vix templo atque aræ » sufficiebat jacens in summo planities, quæ undi» que præceps erat atque declivis. Cùm autem Rex » Salomon, qui etiam templum ædificaverat, muro » ejus partem ab Oriente cinxisset, una porticus ag» geri est imposita: & manebat ex aliis partibus nu» dum, quoad sæculis posterioribus semper aliquid » aggeris accumulante populo coæquatus collis la» tior effectus est. Perrupto autem septentrionali » quoque muro, tantum assumpsêre spatium, quan» tum postea totius templi ambitus incluserat. Tri» plici autem muro colle circumdato, spe majus o» pus extructum est, in quo longa sæcula consum» pta sunt, omnesque thesauri sacri, quos toto orbe E « missa Deo munera repleverant, tum in iis quæ in » superiore ambitu, quàm quæ in interiore templo » ædificata sunt. Videlicet in substructionibus, quæ erant veluti partes inferiores templi: » cujus quod » humillimum fuit, trecentenis cubitis munierant, » in quibusdam verò locis, pluribus. Non tamen » omnis altitudo fundamentorum videri poterat, » multùm vallibus obrutis, ut angustas vias oppidi » coæquarent. Saxa verò quadragenum cubitorum » magnitudinis erant. Nam & pecuniarum copia, » & populi largitas, majora dictu conabantur; quod» que nunquam posse perfici sperabatur, diuturni» tate ac perseverantiâ effectum est. Tantis autem » fundamentis digna erant opera imposita.

Ne ista magnitudo saxorum templi videatur omni fide major; aut in sensum accipiatur, qui multùm minora quàm par est, faciat, revocabo in memoriam quæ Herodotus scripsit in Euterpe, sive in libro secundo, Rhamsinitam Ægypti Regem curasse pyramidem construendam, in quâ nullus lapis positus sit minor triginta pedibus. Grævius qui pyramidas Ægyptias exploravit, id negat de omnibus saxis, de plerisque fatetur. Idem Herodotus in eodem libro mentionem facit templi quod factum erat ex uno lapide, cujus parietes æquali celsitudine ad longitudinem quadraginta cubitorum: cujus lacunari pro tecto impositus erat alius lapis quatuor cubitorum per oras crassitudinis. Idem alterius ædificii mentionem facit quod erat ex uno solido saxo. Plinius lib. 36. cap. 14. Numerat in templo Dianæ Ephesiæ centum & viginti septem columnas ex uno lapide, quarum altitudo erat sexaginta pedum. Enumerat complures obeliscos, Thebaïcum & Alexandrinum & alios. Verùm etiamsi forsan Librarii socordiâ corruperint numeros Josephi; ut multùm detrahendum sit ex illis quadraginta cubitis, quos codex ejus hodiernus tribuit saxis substructionum templi, maximæ & prodigiosæ molis erant.

De illis templi substructionibus, & saxis ex quibus constructæ erant, loquebantur, ut opinor, Apostoli apud Matthæum & Marcum his locis quæ collustrabuntur præsenti observatione.

Matth. cap. 24.	Marc. cap. 13.
1. *Et egressus Jesus de templo ibat, & accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes templi.*	1. *Et cùm egrederetur de templo, ait illi unus ex discipulis suis: Magister aspice quales lapides, & quales structuræ.*
2. *Ipse autem respondens dixit illis: videtis hæc omnia? Amen dico vobis: non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruatur.*	2. *Et respondens Jesus, ait illi: Vides has omnes ædificationes? Non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur.*

Egrediebatur Jesus ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ. Videbimus in capite sequenti vocem illam τὸ ἱερὸν non posse accipi pro æde sacrâ, quæ ναὸς dicebatur Græcè. Jesus egrediens & retorquens oculos non videbat hanc ædem, sed extimum murum quo terminabantur templi ædificia & atria omnia quæ vox ἱερὸν complectitur; ita certum est ibi fieri sermonem de substructionibus quæ conspicuæ erant his solis, qui versabantur extra templum, in illud ingressuri vel ex eo egressi, cùm, ut diximus, soli qui intra erant, oculis suis videre possent ædem sacram interiorem. Sed & vox οἰκοδομὴ dubitationem omnem removet, si quæpiam suboriatur. Modò vidimus dictas substructiones appellari à Josepho hocce nomine, quod legitur in textu Græco Matthæi, à Vulgato autem Interprete redditur *ædificatio*. Accesserunt discipuli ad Jesum, ut ostenderent ei τὰς οἰκοδομὰς *ædificationes* τοῦ ἱεροῦ *templi*. Bis occurrit in Marco vox illa οἰκοδομὰ nunc *structura* nunc *ædificatio* redditur. ποταπαὶ οἰκοδομαὶ *quales structuræ*. Deinde βλέπεις ταύτας τὰς μεγάλας οἰκοδομάς; vides has omnes magnas ædificationes? Evicimus harum substructionum eam fuisse magnitudinem, ut stupenda esset, ὡς ἄπιστον εἶναι τὸ τε μέγεθος τῆς οἰκοδομῆς. Verba sunt Josephi. Has ergo substructiones οἰκοδομὰς merito mirabantur Apostoli. Pariter quod illi dicunt, convenit saxis, quibus constabant substructiones: *Magister: aspice quales lapides*, quæ autem respondet Dominus: *non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur*, ostendunt omnia futura quasi præsentia patuisse oculis ejus. Illi lapides solo suo pondere & mole stare poterant;

quis ergo hos intuens, dixisset ex re conjecturam A faciens, fore tempus cùm non relinqueretur lapis super lapidem qui non destrueretur. Omnes ferro & plumbo vincti erant juxta Josephum, qui ideò ominabatur huic structuræ perpetuitatem. *Jecit Rex Salomon*, inquit ille, *in altissimam terræ profunditatem fundamenta templi è saxis validissimis, quæ contra omnem temporum injuriam resisterent.* Ὕλης λίθων ἰσχυρᾶς καὶ πρὸς χρόνον ἀντέχειν δυναμένης Attamen vaticinium Domini impletum videmus. Tantæ molis nec vestigium superest.

Nullum autem ex his operibus quæ Gentiles habuêre pro miraculo, digne conferri potest cum dictis substructionibus. Templum Dianæ Ephesiæ, quod numeratur inter septem orbis miracula, si Pli- B nio fidem adhibemus, longum erat quatuor centum & viginti pedibus, latum ducentis viginti: templum verò Hierosolymitanum in fundamentis muri sui extimi, erat plusquàm mille pedum; & quædam ex suis substructionibus trecentis cubitis altæ; hoc est, quingentis pedibus Parisinis. Infra ejus magnitudinem erant omnes Ægyptiæ pyramides. Eas tamen prædicat Plinius, & narrat lib. 36. cap. 12. in una struenda tercentum & sexaginta mille homines per viginti annos laborasse; & hanc occupasse octo terræ jugera. Grævius Anglus qui pyramidas Ægyptias diligenter, ut diximus, exploravit, putat deesse in codice Pliniano quempiam numerum, nempe *viginti*. Sic pro his verbis: *amplis- C sima octo jugera obtinet soli*, reponendum: *Amplissima viginti octo jugera obtinet soli*. Hujus autem pyramidis reperit latus esse sexcentorum & nonaginta trium pedum Anglicorum, altitudinem verò, sive lineam perpendicularem, quæ hanc altitudinem metitur, quadringentorum & viginti trium pedum. Opus ergo illud quamquam mirum multùm inferius est templo solâ etiam ratione molis. Cogita, Lector, substructiones altas quingentis pedibus Parisinis; & ea quæ erant exteriora, anteridas, erismas; simul & quæ interiora, nempe fundamenta, scalas, concamerationes; præter ædificia, quæ supra montis aream, cælo surgebant. Pyramis Ægyptia celeberrima nullo alio fundamento subnititur, ut adstruit testis oculatus Grævius, quàm ipsâ rupe D supra quam ædificata est; ut tota extet, nec in rationem venire debeant fundamenta ejus: cùm econtra pleraque templi laterent. Labyrintorum Ægyptiacorum quos Plinius dicit fuisse portentosa humani ingenii opera, non tanta esse debet admiratio. Erant quidem spatiosa hypogæa, hoc est, subterranea ædificia; sed protinus evincam subterranea templi fuisse majora.

SECTIO IV.

Intra altos substructionum muros, latebant innumeræ cryptæ, apothecæ, lavacra, stagna, cloacæ.

E Josephus agens de substructionibus templi sæpiùs facit mentionem χωμάτων *aggerum*. Notum est χῶμα γῆς esse molem terræ aggestæ. Etsi autem in quibusdam locis terra congesta sit multa, ut area æquaretur, puto aggeres illos qui tantis pecuniæ & temporis impensis aggesti sunt ad ampliandam aream montis Moriæ, non fuisse è terrâ solidos. Fornices fornicibus impositi sunt; quia res sic erat expeditior. Loca subterranea quæ usibus templi erant necessaria, latuisse intra fundamenta templi discimus ex apertis Josephi & Judæorum testimoniis. *Subter eo* monte Moria *multi fornices erant extructi*, inquit Maimonides de domo electâ cap. 5. n. 1. *id adeò ne fieret in eo alicujus inquinamentum: Tabernaculum.* Id est, ne forte homo mortuus hîc occultè humaretur. Erant inter hæc hypogæa, latrinæ, cloacæ, piscinæ. Cùm incredibilis numerus victimarum mactaretur in templo, & ideo copia maxima sanguinis effunderetur, necessariæ erant cloacæ, quibus ille exciperetur. Primùm excipiebatur crateribus; sed fieri non poterat quin multo tabo atria & sanie oppleta fuissent. Abluenda ergo aquis quæ hauriebantur ex interioribus receptaculis, ut legere est in Aristeæ libello de Scripturæ per septuaginta Interpretes translatione. *Pavimentum* templi, *totum est lapide constratum, tractusque habet aquæ immittendæ ad loca certa, quæ immittitur ad abluendum sanguinem hostiarum.* Paulò post addit. *Aquæ verò confluxus nunquam deficit: & quia fons intrinsecus abundans, naturalem scaturiginem habet, & quia subtùs terram sunt mira & inenarrabili arte aquarum receptacula confecta per quinque stadia circa templi fundamenta.* Si quidem omnia atria templi pavimento strata erant nulla gutta imbris impune cælo cadebat; ex atriorum tectis & solo defluebat per canales in stagna patentia, ubi servabatur ad usus templi necessarios. Constat etiam Gentilium scriptorum testimoniis, quæ suo loco protulimus, Hierosolymam, quæ extra in vicinis locis sicca & arida erat, intùs abundasse aquis; quæ ex remotis & editis locis in illam derivabantur. Igitur erant intra montem aquarum receptacula, ut adstruit liber *Middoth* cap. 1. n. 9. loquitur de Sacerdotibus. *Si casus nocturnus alicui ipsorum obtingeret, egressus per cochleam descendebat in crypto porticum, quæ sub Sanctuario deducebatur (facesque hinc indè ardebant:) donec balneo appropinquaret.* Maimonides in libro de Domo electâ cap. 5. memorat quoddam conclave in angulo Occidentis & Septentrionis situm, per quod Sacerdotes in balneum descendebant. *Per hoc igitur conclave, qui descendebat in balneum per crypto-porticum subter Sanctuario toto deductam, ambulabat ad lucernas hinc & indè ardentes usque dum attigisset balneum. Ibi focus erat & latrina, cui etiam id honoris habebatur, ut si occlusa reperiretur, pro certo haberetur hominem inesse aliquem.*

Cryptas illas & cloacas subterraneas varias fuisse & amplissimas Josephus testatur lib. 6 de Bello cap. 4. ubi narrat quomodo Joannes, qui septum templi exterius invaserat, armatos clam inter plebem submiserit in interius septum, tanquam sacrificaturos; qui abjectâ veste, irruentes in Eleazarum, ejusque socios [qui interius septum tenebant] hos omnes trucidassent, nisi illi sese conjecissent εἰς τοὺς ὑπονόμους τοῦ ἱεροῦ *in cryptas atrii*. Ut notat Ludovicus Capellus, cryptas illas oportebat amplas esse & vastas, quæ tantam capere possent manum Zelotarum; sic appellabantur qui partes Eleazari sequebantur. Josephus in fine lib. 15. mentionem facit cujusdam cryptæ, quâ ex turri Antoniâ ad portam templi orientalem, Herodes cùm lubebat, statim cum armato milite repentè adveniebat, minas intentans populo, si tumultuari vellet. Id quod pluribus verbis diximus, Tacitus paucis sed argutis confirmat, libro quinto Historiæ suæ templum Hierosolymitanum describens. *Fons* in illo templo *perennis aquæ: cavati sub terrâ montes: & piscinæ cisternæque servandis imbribus.*

Templum certè capacissimum erat; habebat enim in uno quoque laterum suorum plusquàm mille pedes. Quot in eo spatio, diversa & patentia ædificia cogitari possunt? In monte in aliquibus partibus trecentorum cubitorum altitudinis multiplices fornices, alii aliis impositi erant. Non ergo deerat spatium amplissimis piscinis, stagnis & subterraneis in

quibus reponeretur, lignum, vinum, oleum, & A cætera quæ optimè reconduntur & servantur in hypogæis. Ideò autem hypogæa templi aptiora erant; & sine valetudinis damno habitari poterant, quia cùm mons præruptus esset; illa, ut videre est in apposito horum typo accipiebant lumen, à lateralibus fenestris. Diligenter inspicienda hæc orthographica sectio fundamentorum templi intra quæ continentur dicta hypogæa. Vix numerari possunt cellæ, piscinæ, mansiones, reconditoria, apothecæ, cellaria, promptuaria, occulti canales. Animadvertenda dispositio scalarum, cochlearum, quibus vel in inferiora ex superioribus descendebatur vel ex inferioribus ascendebatur ad superiora. Ibi facile erat reperire locum latrinis, cloacis, quibus B sanguis victimarum, stercus, fimus, cæteræque sordes, purgamenta, & omnia quibus templum infici poterat, emittebantur. Propter summam altitudinem areæ templi, & profunditatem subjectarum vallium, cloacæ illæ declives erant & præcipites; quapropter omnia citò defluebant; nec ullus indè fœtidus odor ad templum exhalabat.

Dionysius Halicarnassensis libro 3. Antiquitatum Romanarum celebrat cloacas urbis Romæ; & ab illis æstimandam proponit amplitudinem Imperii Romani. Loquitur de operibus quæ Tarquinius Priscus inchoaverat. » Cœpit, inquit, & cloacas » fodere τὰς ὑπονόμους ὀρύττειν, fossas scilicet, quibus in » Tiberim corrivatur quidquid aquarum è viis con- C » fluit. Dici vix potest quam admiranda opera. Ego » sanè ἐν τρισὶ τοῖς μεγαλοπρεπεστάτοις κατασκευάσμασι in tribus » magnificentissimis urbis Romæ structuris, ex qui» bus apparet amplitudo imperii, pono aquæduc» tus, viarum straturam, & cloacarum fabricam: » reputans non solùm utilitatem operum, de quâ suo » dicetur tempore, verùm etiam impensarum mag» nitudinem: quam vel ex hoc uno licet conjicere, » quòd, ut affirmat C. Aquilius, neglectas aliquan» do cloacas, nec ampliùs transmittentes aquam, » Censores mille talentis purgandas & reparandas » locaverint. Has cloacas miris laudibus ornat Cassiodorus, scribens nomine Theodorici Regis Argolico urbis præfecto lib. 3. Epist. 30. » Romanæ ci» vitatis cura nostris sensibus semper invigilat. Quid D » est enim dignius quod tractare debeamus, quàm » ejus reparationem erigere, quam ornatum cons» tat nostræ Reipublicæ continere? Proindè illus» tris sublimitas tua spectabilem virum Joannem nos » direxisse cognoscat; propter splendidas Romanæ » civitatis cloacas; quæ tantum visentibus confe» runt stuporem, ut aliarum civitatum possint mi» racula superare. Videas illic fluvios quasi monti» bus concavis clausos per ingentia stagna decurre» re. Videas structis navibus per aquas rapidas non » minimâ sollicitudine navigari, ne præcipitato tor» renti marina possint naufragia sustinere. Hinc, » Roma singularis, quanta in te sit potest colligi » magnitudo. Quæ enim urbium audeat tuis culmi» nibus contendere, quando nec ima tua possunt E » similitudinem reperire? Hæc usurpare possumus de templo Hierosolymitano, & audacter pronunciare nullum aliud templum posse cum culminibus ejus contendere, si quidem nec ad ima ejus, substructiones intelligo & concamerationes subterraneas, similitudine unquam accessit.

SECTIO V.

Forma & dispositio substructionum templi, tum & graduum quibus ad illud undequaque ascendebatur.

Substructiones Moriæ montis cogitatione, ut potero, excitabo; sed non pro lubitu fingam, utens poëtarum licentiâ qui comminiscuntur palatia cælo surgentia, chrystallinis parietibus lucida, tota aurea. Hasce substructiones nemo hactenus, ut mihi videtur, aptè & dignè descripsit. Descripsimus; sed descriptionis ratio reddenda. Revocandus primùm in mentem situs montis Moriæ. Non æqualiter ab omni parte, ut dictum est, præruptus erat, ideò non eadem circumquaque mœnium quibus muniebatur, altitudo. A Septentrione fossis tantùm, quæ de industriâ facta fuerant profundæ, sejungebatur à Bezetha. Versùs Occidentem erat resupinus; itaque eâ parte multùm assurgebant mœnia templi; verùm altiora ab Austro; ubi subjecta vallis ad Sionis radices; quæ vallis dicebatur Tyropæum. Inter montem Moriam & montem Olivarum, nempe ab Oriente fluebat in valle profundâ torrens Cedron. Pons Sionem cum Moria committebat.

Laxanda fuit, ut vidimus, area Moriæ, aggestis aggeribus; sed prospiciendum erat ne moli suæ hi aggeres succumberent, in aliquibus locis alti trecentis cubitis, sive quingentis Parisinis pedibus. Quomodo paries tantæ altitudinis qui hos fulciebat aggeres posset stare inquirendum est; sed præ ceteris, quomodo in tam alto & prærupto monte constitutum templum ab omni parte & viâ facili adiri posset. Gradus erant necessarii, quorum dispositio non minima fuit pars substructionum; & totius structuræ. Etenim quingentorum pedum erat altitudo exsuperanda à viris & mulieribus, à senibus & a pueris, statim ac hi attigerant annum duodecimum. Frustra templum patuisset apertis ostiis in omnibus suis lateribus, si ab omni plagâ ad illud non ascendi potuisset. Itaque in substructionibus templi tot erant dispositi gradus, quot in ejus extimo muro portas licet numerare. Nisi quod ubi pons conjungebat templum cum urbe superiori, æquo pede ex illâ in illud ibatur.

Ergo primùm sic statuendæ substructiones, ut mole suâ non fatiscerent; deinde sic in illis disponendi gradus, ut conspicuum sit oculis quomodo quisquis his insistens non quidem sine sudore, cùm tanto essent numero, sed tamen ascenderet ad templum. Villalpandus, ut colligimus ex delineationibus ejus, putavit unico & perpetuo muro latus quodque templi fuisse munitum, quem murum παραστάδες, erismæ, pilæ adpactæ fulcirent. « Hujus muri, sive parietum substructionis longitudo, inquit Villalpandus, erat supernè 800 cubitorum, quorum « singuli passus communes æquabant, infernè cubitorum mille. Latitudo in angulis 100 cubitorum; « ubi verò fuerunt angustissimi, quinquaginta cu- « bitorum, altitudo trecentorum. Anterides, sive « erismæ quibus paries fulciebatur, ejusdem cum pa- « riete altitudinis, nempe 300 cubitorum, latæ in « quadrum supernè 50 cubitis, quanta erat muri « crassities, infernè verò extra murum substructionis « procurrebant 150 cubitis, eâ nimirum proportio- « ne, quâ pes tibiæ crassitiem superat. « Hæc Villalpandus. Qui autem fieri poterat, ut continuus paries ad tantam altitudinem educeretur, & gradibus tanta altitudo superaretur? In suo urbis & templi typo ponit duos pontes, quemque in angulo meri-

dionalis lateris. Verùm unius mentionem facit Jose- A phus; & id verum esse ostendunt omnes hodiernæ Hierosolymorum descriptiones, quas testes oculati cuderunt. Montem Sionis, ubi olim erat civitas David, occidentaliorem faciunt monte Moriæ; ita angulus meridionalis orientalis substructionum templi non erat ex adverso Sionis, ut illud cum illâ ponte jungi posset. Pons quem memorat Josephus, pertingebat ad unam portam ex occiduis, & deducebat ad Regiam. Villalpandi delineatio non ullos gradus exhibet in substructionibus meridionalibus; eâ autem parte, ut ex Josepho discimus, duæ erant portæ. Quod licuit Villalpando, liceat & mihi formam substructionum quam animo concepi, oculis exhibere; quæ ita sint obfirmatæ, ut non corrue- B rent; sic dispositæ, ut in illis statuerentur scalæ, sive gradus, quibus commodè ascenderetur in templum.

Ad aggeres struendos & fulciendos opus est anteridibus, sive adpactis pilis, quæ extent extra summi muri perpendiculum. Hîc solùm loquar de meridionalibus substructionibus; quæ altiores fuêre, quia ibi valles subjectæ profundiores. Si consequamur, ut quod effingimus opus videatur stabile, alia latera explanatione non indigebunt. Primùm consulamus Romanæ Architecturæ principem, de istâ proportione quæ esse debet inter anteridas & aggeres quibus adpactæ sunt. Hanc proportionem explicat in fine libri sexti. » Maxima autem, inquit ille, » esse debet cura substructionum, quod in his infi- C » nita vitia solet facere terræ congestio. Ea enim non » potest esse semper uno pondere, quo solet esse per » æstatem: sed hibernis temporibus recipiendo ex » imbribus aquæ multitudinem crescens & pondere, » & amplitudine disrumpit, & extrudit structura- » rum septiones. Itaque ut huic vitio medeatur, sic » erit faciendum, uti primùm pro amplitudine con- » gestionis crassitudo structuræ constituatur: dein- » de in frontibus anterides, sive erismæ sint, unà » struantur, eæque inter se distent tanto spatio, » quanto altitudo substructionis est futura, crassitu- » dine eadem, quâ substructio. Procurrant autem » ab imo per quam crassitudo constituta fuerit subs- » tructionis, deinde contrahantur gradatim, ita uti » summam habeant prominentiam, quanta operis D » est crassitudo. Præterea introrsus contra terrenum, » ubi dentes conjuncti muro serratim struantur, uti » singuli dentes ab muro tantùm discedant, quanto » altitudo futura erit substructionis. Crassitudinis » autem habeant dentium structuræ uti muri.

Si aggeres templi solâ terræ congestione constitissent, credo his nullas anteridas pares esse potuisse, ut tantum pondus sustinerent; sed, ut dixi, fornices fornicibus impositi erant, aggeres aggeribus. Non unus & perpetuus murus ab imâ valle surgebat usque ad superius templum; sed diversa mœnia diversis substabant fundamentis: inferiora recedebant paulò à superiorum fundamentis. Mons Moria declivis extendebatur versùs valles, & area quæ E in ejus vertice assumpta est, non totum montem occupabat. Itaque extimi hujus areæ parietes non descendebant ad perpendiculum in extremas montis radices, sed excipiebantur parte declivi; à quâ parte secundus alius murus recedebat, cui aliud fundamentum suberat. Similiter tertius forsan & quartus murus; quorum singuli cùm non ita peralti essent, non egebant erismis adeò procurrentibus. Inferiores muri vicem præstabant erismarum superioribus muris; ita cùm per tabulata surgerent diversi ex diversis fundamentis, non habebant illam enormem altitudinem, quæ nec cogitari nec stare potest. Magna erat substructionis altitudo; sed illa non uni muro tribuenda, sed partienda inter plures & distinctos muros.

In eâ istâ formâ quâ effingimus substructiones templi, locus erat tot gradibus quibus ad illud ascendebatur; & id sine intolerando labore. Erant enim disposita intervalla per quæ licebat, animos recipere, intersistendo in spatiis planis; nempe in tabulatis quæ numero plura erant. Forma illa, fateor, partus est cogitationum mearum; sed hæ cogitationes si non rebus, sive veritati respondeant, saltem non adversantur. Ab eo qui nunc describendum templum suscipit, cujus nec fundamenta extant, nec in libris descriptio perfecta à viro perito qui illud oculis suis viderit, quid aliud quis jure postulet, nisi ut ostendat quomodo fieri potuerint quæ de eo narrantur in sacris paginis. Certè ratio quam inimus, repudiari non potest tanquam pravis subductа calculis. Ex aggere in aggerem, sive ex tabulato in tabulatum perveniebatur; & in illis tabulatis poterant esse quæpiam ædificia, privatæ ædes, de quibus forsan sermo fit in Josepho in Antiquitatibus lib. 14. cap. 8. ubi narrat expugnationem urbis factam à Pompeio; cui cùm dedita fuisset urbs & regia, ipse vicinas templo domos, aliaque propinqua ædificia muniebat. Τὰς οἰκίας τὰς περὶ τὸ ἱερὸν, καὶ ὅσα ἦν ἔξω περὶ τὸ ἱερὸν ὠχύρου. Omnes illas substructiones ex conjecturâ efformavi solidissimas erismas, quæ erant in radicibus Moriæ, interponens gradus per quos ex imâ valle facili ascensu ibatur usque ad primum tabulatum. Ibi ambulacrum, sive latum spatium, in quo duobus in locis dispositi diversorum graduum ordines; quos quisque eligebat, prout ad hanc, vel ad illam portam templi tendebat. Propter altitudinem & multitudinem graduum, præsertim in descensu vertigo timenda est; sed huic timori non erat locus, quia graduum longior numerus incidebatur aliquâ latiori retractione, in quâ quiescebant tum pedes tum oculi, quos offendit subjecta profunditas, cùm nimia est.

Descripsi australes substructiones; jam de ceteris, sed breviter. Quatuor portæ erant in latere occiduo templi. Primâ commercio pontis in urbem ibatur superiorem; tribus aliis descendebatur in inferiorem & in suburbia. Scalas ibi appositas, sive gradus aliâ formâ donavimus; quia scimus ex Josepho magnum spatium loci occupavisse. Loquatur ipse Josephus per suum Interpretem. *Occidentalis autem porticus templi quatuor portas habebat*, inquit in Antiquitatibus lib. 15. cap. 14. *harum ab unâ transitus erat in Regiam per vallem in medio interjectam*; cui nempe pons impositus erat. *Duæ ferebant in suburbia; postrema in aliam urbem gradibus multis usque ad imam vallem dispositis, & indè aliis sursùm per acclive tendentibus.* Idem scriptor eadem adstruit lib. 6. de Bello cap. 1. Narrans quomodo Joannes turres construxerit ligneas, & admoverit contra exhedram occidentalem, quâ solâ parte latus occiduum impeti poterat: *quòd aliæ partes gradibus ex longinquo fuerant occupatæ.* Τῶν ἄλλων μερῶν βαθμοῖς πόρρωθεν διειλημμένων. A Septentrione Moria non habebat subjectam vallem, sed forsan de industriâ ductam; quæ ponte transiri potuit.

Ab Oriente certum est portam fuisse, quæ duceret in vallem in quâ Cedron fluebat inter Moriam & Olivetum. An ab illo latere Moria præruptus esset, quis posset adduci in dubitationem illis Josephi verbis, ubi hunc montem describit in Antiquitatibus lib. 15. cap. 14. *Tumulus erat Moria, petricosus arduus à vertice, sensim versùs orientale urbis latus resupinus.* Sed liquet non ibi agi de latere ipso Moriæ qui Orientem spectaret, sed de occiduo, cui respondebat orientale latus urbis. Ita

censeam Moriam fuisse præruptum in orientali latere; major autem erat intercapedo vallis quàm templum cum monte Oliveto committere posset. Attamen si fides adhibeatur Talmudistis, portâ Orientali educebatur vacca rufa, ex quâ fiebat aqua lustralis. Quomodo autem interpositam vallem pertransibant ductores ejus? Respondent Talmudistæ Tractatu Shekalim cap. 4. n. 8. *Scabellum vel suppedaneum arcubus sustentatum construxerunt, à monte templi ad montem Olivarum, super quod deduxerunt vaccam rufam comburendam. Scabellum pariter istiusmodi confecerunt, super quod deduxerunt hircum emissarium. Utrumque constructum erat sumptibus thesauri publici, qui in templo.* Ratio curiositatis istius de vaccâ rufâ, utar verbis Ligfootii (Centuriâ chorographicâ in Matthæum cap. 38.) hæc erat. Cùm cineres istius vaccæ ptæ rebus omnibus aliis forent summè purificatrices, nam mundarunt ab immunditiâ ex contactu mortui, nullam cautelam satis magnam esse arbitrati sunt, ut ab immunditiâ sartus tectus ille conservaretur, qui eam esset combusturus. Cùm ergo in viâ, quâ incedendum erat esse possent fortassis sepulcra non conspicua, à quibus alioquin pollueretur, & sic tota ratio inanis redderetur, semitam ei non tenui sumptu confecerunt, si illi Judæi digni sunt fide, per continuos & contiguos arcus, ubi non possibile erat ut tangeretur locus sepulturæ. Procul dubio si illi arcus verticem utriusque montis Moriæ & Olivarum æquavissent, Josephus non parcus laudator miraculorum quibus gens Judaïca celebrari poterat, illos non prætermisisset silentio. Contendissent enim cum illis per quos Romani aquas in urbem derivabant, quos Rutilius in itinerario suo miratur canens de illis.

Quid loquar aerio pendentes fornice rivos,
Quâ vix imbriferas tolleret iris aquas.

Verùm ne illi Talmudistarum arcus omninò pro fictitiis habeantur, licet cogitare eos non adeò nubiferos. Scilicet paratos aliquos arcus connexis ad horam tabulis, ne pedes Sacerdotum censerentur solum attingere, sub quo sepulcrum potuisset latere.

Revertamur ad Australes substructiones; in quarum formâ deprehendimus hypogæa templi non omnino oppleta tenebris & humore; quod plerumque accidit locis subterraneis. In cameras quæ intra substructiones erant, lumen & aër infundebantur per apertos meatus, quos ostendit delineatio harum substructionum; & ponit ob oculos conclavia, & omnia ædificiorum genera, quæ continebantur intra hæc fundamenta quæ meliùs quàm sermo explicat. Etenim in unaquâque camerâ manus pictoris expressit quæ in illâ reponi poterant. Licet ibi videre innumeras cellas, promptuaria, loca apta servandis lignis, doliis vini, amphoris olei, receptacula aquarum. Observare est in pilis occultos canales, quibus defluebant ex latrinis, tum ex tectis templi & areis ejus, pluviales aquæ, sanguis victimarum, sordes, fimus; & ferebantur in Cedronem torrentem. Versùs partes extimas horum hypogæorum, enumerare licet plurimas cellas quæ solis lumen excipiebant, & fruebantur liberiori aëre. Ita in illis commorari poterant plerique Israëlitæ, interdiu comedere, opera multa conficere, cubare noctu.

A B C D E

CAPUT V.

Primæ lineæ templi ducuntur. Exponuntur nomina quæ propria sunt certis partibus ejus. Describuntur quæ in eo ubique & frequenter occurrerent, nimirùm vela, pavimentum marmoreum, malogranata, lilia, palmæ; & quæ in genere dici possunt, antequàm pars ulla speciatim sumatur exponenda.

SECTIO I.

Quas partes templum habuit diversas & multiplices, convenienti decore constructæ & dispositæ fuerunt.

Rudem primùm formam subjiciam templi Hierosolymitani; neque enim propter molis magnitudinem, formæ à cæteris ædibus sacris diversitatem, & ob multiplicem partium suarum numerum facile est statim perfectam ejus notionem animo concipere. Ante omnia avocandus est animus à templis nostris; sub quorum tecto, omnes qui sacris non sunt interdicti, unà simul excipiuntur; testes eorum quæ ibi palam fiunt. Non eadem erat ratio templi, de quo disserimus. Non solùm ædificiis, sed & atriis variis constabat, vestibulis, porticibus; intra quæ loca non promiscuum vulgus admittebatur. Alia omnibus patebant; ab aliis arcebantur, quotquot non omni carebant immunditie. Omnes etiam pariter mundi non in omnia loca poterant penetrare. Diversi erant sanctitatis gradus in templo. Loca quædam sanctiora non solùm turbam, sed & ipsos Sacerdotes excludebant. Horum omnium, ut certa notio habeatur, non sufficit abjicere cogitatione solitas templorum nostrorum formas; etiam deponenda opinio, quâ plerique occupantur, non ullum decoris genus huicce defuisse ædificio quod Rex sapientissimus susceperit & perfecerit juxta imperium & exemplar Dei; ne aliud pro alio, falsum pro vero ponatur ob oculos; quod fieret si inanis decor affingeretur. Verus operis cujusque decor, ut vidimus in libro secundo æstimandus ex fine suo. Etenim labor pyramidum jure dictus est stultus, si quidem tantis cum impensis non struerentur, nisi locando loculo, in quo cadaver, Regis quidem, sed cujus magnæ illæ & insanæ moles ostendebant majorem vanitatem. In ædificandis templis non minus quàm in suis pyramidibus desipiebant Ægyptii. Non Deo cæli; non soli, non lunæ, quæ etsi pro Diis haberi non debent, nec aliquâ religione coli, tamen merentur admirationem, illa parabant tanto sumptu, sed turpi bruto; quapropter meritò illos cavillatur Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædagogi cap. 2. quem locum huc afferam, si quidem ex templis Ægyptiacis quæ describit, aliqua lux oriri possit Judaïcis. Etenim Dæmon qui studuit similis Deo fieri, ambivit semper simili cultu, similibusque templis coli. Loquitur Clemens de ornamentis quibus templa Ægyptiorum exornabantur. *Eorum porticus, vestibula, ac luci magnificè instructi, eorumque atria multis columnis cincta sunt.* Hæc latina non omninò exprimunt Græcas voces, quarum vim postea expendemus. Οἷς ναοὶ καὶ προπύλαια παρ' αὐτοῖς καὶ προτεμενίσματα ἐξήσκηνται, ἄλση τε, καὶ ἀργάδες· κίοσί τε παμπόλλοις ἐστεφανῶνται αἱ αὐλαί. Pergit loqui Clemens in suo Interprete Latino. *Parietes autem lapidibus externis & artificiosè depictis resplendent, ita ut nihil desit: ædes au-*

tem auro, argento, & electro collucent, & ex Indiâ ac Æthiopiâ variis fulgentibus lapillis; adita verò intextis auro obumbrantibus peplis. Sed ſi penetralia templi ambitûs ſubieris, & ad ejus quod eſt præſtantius ſpectaculum properans, imaginem quæ templum habitat quæſieris, Sacerdos quiſpiam ex iis qui in templo ſacrificant gravi & venerando vultu aſpiciens, & Ægyptiorum linguâ pæanem concinens, cùm veli aliquantum contraxerit, tanquam Deum oſtenſurus, magnam ſuppeditat occaſionem irridendi numinis: neque enim intùs invenitur Deus qui quærebatur, ad quem feſtinabamus, ſed felis vel crocodilus, vel ſerpens indigena, vel aliqua ejuſmodi bellua, quæ templo quidem eſt indigna, ſed antro ſpeluncæ, ac cœno digniſſima. Apparet Deus Ægyptiorum, bellua, quæ ſuper veſtem ſtragulam purpuream volutatur.

Quam omnia diverſa occurrebant in æde Hieroſolymitanâ; cujus magnificentia major eſſe non poterat, quàm deceret cæli & terræ Dominum à quo incolebatur; & quam ab omni plagâ orbis frequentabant Iſraëlitæ, non poterat eſſe patentior. In intimo quidem & abdito receſſu, ædes illa ſacra non aliud quidem recondebat, niſi arculam in quâ erant duæ tabulæ, quibuſdam exaratæ litteris. Sed cujus manu? Verba ipſa erant ſcripta digito Dei, quibus conceperat fœdus ſuum cum Iſraëlitis. An nimia eſſe poteſt erga Deum & quæ Dei ſunt reverentia? nec ideò occultabantur illæ tabulæ, ut vana opinione rei majoris & ſanctioris illuderentur Iſraëlitæ. Sciebant omnes, & id ſacer codex teſtabatur nihil eſſe in Arca præter duas tabulas. Præterea non in illâ continebatur mutum, ut ita dicam, verbum Dei, in lapide ſculptum. Vivus enim ſermo Dei audiebatur ex Arcâ, qui reſpondebat quoties conſuleretur de rebus ambiguis; ut inanis cenſeri non poſſit Iſraëlitarum religio, & comparari Ægyptiorum ſuperſtitionibus. Apud eos poſt multa & diverſa ſepta, poſt varia atria, longas porticus, veſtibula multiplicia, tandem, ſi licebat, perveniebatur in aditum, ubi felis reſidebat, cui omnes miniſtri deſerviebant; & huic colendo tot ædificiorum factæ impenſæ.

His adjungendum quòd Verbum Dei ipſum non ſcriptum in tabulis, ſed lucens in omnium animis, in Arcâ colebatur à Judæis, donec induens ſe carne, ſe præberet conſpiciendum in terris. Indè præcipuum ſuum decorem templum traxit. Ergo non inani oſtentatione tam magnum ædificium conſtructum fuerat, locatum in alto monte, cujus ideò fuêre exſtruenda fundamenta incredibili ſumptu, & areæ ampliandæ, ut ſufficerent omni miniſterio templi, ſed nec illa magna & excelſa moles carebat myſterio. Unicum Judaïcum templum loco ſuo altiſſimo, & immensâ mole conſpicuum, typus erat Eccleſiæ Chriſtianæ, quæ futura erat una & conſpicua, ſimilis civitati quæ in monte poſita eſt; quam ergo quiſque facilè advertit, qui ad eam flectit oculos; manifeſto diſcrimine diſtinctam à cæteris cœtibus, qui ſe dicunt Eccleſiam Dei, & non ſunt. Intueamur finem ad quem directum eſt opus templi, ut indè intelligamus quis ſit verus decor ejus. Congruebat ut quàm ſimile fieret exemplari cæleſti, quod referebat prius Tabernaculum; cui jam non ampliùs locus erat, quia potiti ſede quietâ Iſraëlitæ debebant habere ædem ſacram fixam, quâ conſtructâ non ampliùs egerent portatili templo. Itaque ædes Hieroſolymitana ſimiliter ac Tabernaculum habere debuit partem ſanctiorem ubi reponeretur Arca, partem alteram, ſanctam licet non ſanctiſſimam, in quâ eſſet menſa panum propoſitionis, altare aureum, ſive thimiamatis & candelabrum. Pariter cingenda fuit atrio, in quo ad imitationem Tabernaculi erigeretur altare ubi holocauſta fierent; ſed antiquo majus; cùm enim augeretur in dies numerus Iſraëlitarum, plures hoſtiæ erant mactandæ. Superſedebo impræſentiarum pluribus dicere omnia in templo reſpondiſſe fini quem ejus opifex ſpectabat. Id ſatis patebit in noſtra deſcriptione, cujus nunc primas ducam lineas.

SECTIO II.

Rudis forma ſubjicitur templi. Diſtinguntur ſepta ejus, quæ atria & ædificia ſua terminabant.

Templum aſſimilabatur civitati magnæ, quam multi cives incolunt. Multi quidem qui in illud ingrediebantur religionis ergo, ſtatim peractis piis muniis diſcedebant; ſed & plurimi noctu & diu in eo commorantes cubabant, & partem etiam vitæ degebant. Ergo quaſi diverſos urbis vicos cogitare decet diverſa atria & conclavia; quorum generalem formam ob oculos ponam, ut cùm de ſingulis diſſeram, habeat Lector quò quæque referat. Conjice oculos, Lector, in ichnographiam templi. Exhibet illa areas patentes quæ poſt ſuperatos altos gradus montis Moriæ occurrebant; tum veſtigium omnium ædificiorum templi, quæ ſuper exſtructa erant. Simul definit ſpatia atriorum, quæ concludebantur hiſce ædificiis. Igitur poſt deſcriptas ſubſtructiones templi cum ejus fundamentis te nunc, Lector, ſiſtimus ad ejus ſolum. Infer in illud pedem. Animadverte formam ejus quadratam. In unoquoque ex lateribus ejus, undique enim à diverſis plagis adiri poterat. Portæ erant in Orientali una, in Meridionali duæ, in Occidentali quatuor, in Septentrionali una.

Per illas portas ingredienti occurrebat primò atrium undique circumdatum ampliſſimis porticibus; quod gentium dicebatur, quia patebat cuique viro cujuſvis gentis aut conditionis, qui vellet Deo Iſraëlis ſupplicare, ergo poterat tum in area ſubdiali, tum in porticibus commorari. Porticus illæ latæ & longæ erant: omnes duplices, ut videre eſt, exceptâ porticu meridionali, quæ triplex, ſive tria ambulacra habebat. Non autem licebat gentibus penetrare ad ſecundum ſeptum, ultra quoſdam cancellos, ſive ſæpem cancellatam, quam Judæi appellant *Soreg*. Hæc ſæpes, ſive lorica alta erat tribus cubitis, hoc eſt, quinque Pariſinis pedibus. Ubi illa effracta, ſive pervia erat, nempe ubi patebat aditus ad ſecundum ſeptum, columnæ erant erectæ literis Græcis & Hebraïcis inſcriptæ, vitam interminantes omnibus gentibus, & Iſraëlitis ſingulis qui caſti non eſſent, ſi ultra auderent perrumpere. Stabant in portis plurimi Janitores, qui arcebant eos quibus non id licitum.

Tota iſta delineatio tribus ſeptis diſtinguitur in tres regiones, quæ nomen accipiunt ab illis in quorum ſedem deſtinabantur. Primo ſepto quod toti templo erat extimum, continebatur, ut diximus, atrium gentium; quod reipsâ atrium, nempe ſubdialis locus. In his ergo porticibus gentes poterant colloqui, orare, genua flectere, aut deambulare; ſed non in his conquieſcere. Neque enim conclavia, cœnacula, in quibus cubarent, comederent; non culinæ ubi cibos coquerent, pararent. Quippe Gentiles qui cenſerentur extranei, non aliquâ parte templi uti poterant pro laribus ſuis.

Septum ſecundum concludebat atria, quæ cùm ſolis Iſraëlitis propria eſſent, nomine Iſraëlis appellabantur. Locus autem ille non ſolis atriis, ſive ſubdialibus areis conſtabat. Veluti civitas erat, ubi variæ officinæ, multa promptuaria multæ taber-

næ, & prostant venalia quæcumque alendæ vitæ A necessaria. Quâ parte directum iter erat ad ædem intimam & sanctiorem, nempe in latere orientali, septum secundum de quo loquimur, habebat unicam portam; in lateribus verò australi & boreali, ternas. Latus occidentale impervium erat sine ullâ portâ. Vestibulum animadvertendum in singulis portis; in quo thalami, sive cellæ in quibus Janitores degebant, quorum munus erat agere custodias templi; inquirere in eos qui accedebant intraturi; excludere immundos; secernere Israëlitas à Gentilibus; qui leges infringebant plectere, aut tradere plectendos ministris, quorum erat reos in carcerem conjicere.

Atria Israëlis patentia circumdabantur multiplicibûs ædificiis, quorum vestigia cernis, Lector, in delineatione. Exhedræ erant in quibus Israëlitis licebat colloqui, disserere de iis quæ pertinebant ad legem, Legisperitos interrogare, ab his requirere scientiam. Erant conclavia, ubi non solùm pii Israëlitæ commorari poterant statis horis, his nempe quibus orationis causâ ascendebatur in templum, sed totos dies & noctes integras. Singula distinguebantur proprio nomine, alia destinata excipiendis viris religiosis, alia piis mulieribus, hæc recondendis gazis. Latinus Interpres solet illa appellare gazophylacia, in fonte dicuntur לשכות *leschacoth*, id est, cubicula. Tristega omnia erant. Quapropter suppetebant mansiones ut plures Israëlitæ simul possent templum incolere, in eo vitam transigere, & C obire religiosa munia. Non deerant culinæ apparandis cibis. Notantur in quatuor angulis atrii intra quod versamur, quatuor atriola in usum culinarum.

Tertium septum totum includebatur intra secundum. Ab Oriente & à lateribus meridionali & septentrionali ædificia illud præcingebant. Ab occidentali ædes sacra remanebat conspicua; nempe pars ejus posterior, cui non opponebatur ullum ædificium; anterior prætexebatur atrio quadrato, cujus in meditullio quod totius templi centrum est, altare æneum, sive holocaustorum positum erat. Illud atrium dicebatur Sacerdotum, quia in illud solis licebat Sacerdotibus intrare. Horum vestibus D reponendis inserviebant ædificia quæ præcingebant; ut cubare & se recipere possent, hisce diebus quibus implebant vices suas, videlicet tempore Ephemeriarum suarum, per quod non absistebant templo.

In tertio septo potissimùm spectanda ædes sancta. Habebat circa se locum subdialem, quo separabatur ab ædificiis septi. Ab Occidente libero aëre fruebatur, & omnes Israëlitæ prospectu ejus recreabantur. Lateribus ædis adjuncta erant ædificiola, quæ instar costarum, sive veluti erismæ muniebant parietes ejus. De illis ædificiolis, structurâ eorum, usu, decore multus sermo fiet in libro sexto. Ipsa ædes habebat duas partes; sanctum, in quo altare aureum, mensa panum propositionis, & candelabrum aureum. Pars intimior vocabatur Sanc- E tum Sanctorum, in quo erat Arca.

Atrium Sacerdotum tribus portis patebat; unâ ad Orientem; duabus ad Septentrionem & Meridiem. Juxta orientalem portam notanda sunt loca propria Cantoribus; sed animadversione præsertim dignus est locus synedrii ad portam meridionalem, ubi majores causæ dijudicabantur; quippe ibi consessus erat primorum Judæorum Israëlis. Ad latus meridionale ædis in ipso atrio erat vas capacissimum, quod ideò mare nominabatur, fultum duodenis bobus. Aquâ hujus vasis manus & pedes ministri abluebant, antequâm sacris operarentur. In aditu orientali ejusdem atrii erat thronus Regius. De his omnibus speciatim disseremus. Ante ædem sacram vestibulum advertendum est apertum in quo ad ædis propriam portam stabant duæ æneæ columnæ exornatæ capitellis formæ elegantis. Quo quis locus in templo erat sacratior eo magis erat editus; area septi secundi altior atrio gentium: atrio Israëlis area septi Sacerdotum. In ichnographiâ plures lineæ ostendunt plures gradus quibus ad limen cujusque portæ ascendebatur. Multi gradus numerari possunt ante limen atrii Sacerdotum, quia, ut dictum est, extabat cæteris atriis altius. Hæc omnia summatim tantùm, ut animus Lectoris informatus aliquâ totius templi notione proficiat, dum hæc quæ in genere dicta sunt, sigillatim explicabuntur. Rudem illam imaginem perficiam suis omnibus lineis.

SECTIO III.

Ad templi cognitionem confert habere notas vocum significationes, quæ huic & certis partibus ejus erant propria.

AD sermonem de templo in genere, quem in hocce capite suscepimus, pertinet expositio nominum quæ illi propria sunt & partibus quibus constabat. Hæc expositio ideo necessaria est, quia Latini Scripturarum Interpretes promiscuis usi sunt nominibus ea exprimentes, quæ cùm essent diversa, decebat appellare distinctis, ut semper fit in fonte Hebræo, & quandoque in versionibus Græcis; sed distinctionem non advertebant Latini Interpretes; aut animadversam negligebant. Quidquid sit, qui fontes non adeunt, sunt præmonendi de propriâ significatione harum vocum, quas hic suscipimus exponendas. Ædes sacra cum omnibus ædificiis suis & atriis ubique appellatur *domus Dei*, quam scilicet Deus incoleret. Hocce nomen maxime templo proprium est. Olim Jacob cùm evigilasset è somno, in quo viderat Dominum innixum scalæ secum colloquentem & sibi benedicentem, locum appellaverat *Bethel*, hoc est, *domus Dei*, Gen. cap. 28. 16. *Cùmque evigilasset Jacob de somno, ait: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Pavensque, quàm terribilis est, inquit, locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei.* בית אלהים *Beth-Elohim* domus Dei. οἶκος Θεοῦ, *& porta cæli. Surgens ergo Jacob mane, tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum fundens oleum desuper. Appellavitque nomen urbis* (in fonte & in Græcâ versione nomen loci istius) בית אל *Bethel* οἶκος Θεοῦ *quæ priùs Luza vocabatur*; locum qui priùs appellabatur *Luza*, hunc Jacob appellavit *Bethel*.

Templum magis meruit appellari *domus Dei*, in quo non semel, sed præsentis suæ majestatis tot tantaque dederat indicia. Indè factum ut mons Moria, quem in locum templi sui elegerat Deus ut inhabitaret, semper dicatur, non solùm in libris Rabinorum, sed in ipso sacro codice *mons domûs*. Hoc vaticinium Michææ quod Jeremias refert cap. 26. v. 18. spectabat templum Hierosolymitanum. *Sion quasi ager arabitur: & Jerusalem in acervum lapidum erit, & mons domûs in excelsa sylvarum* הר בית ὄρος τοῦ οἴκου. *mons domûs*. Simili appellatione designatur locus templi in primo Machabæorum, cap. 4. 44. *Et cogitavit* Judas *de altari holocaustorum, quod prophanatum erat, quid de eo faceret. Et incidit illis consilium bonum, ut destruerent illud: ne fortè illis esset in opprobrium, quia contaminaverunt illud gentes, & demoliti sunt illud. Et reposuerunt lapides in monte domûs in loco apto, quoadusque veniret Propheta & responderet de eis.* Videlicet in ipso monte Moria reposuerunt lapides, quibus olim

lum structum altare.

Quod solet fieri in rebus, quæ sæpiùs ore usurpantur, dum de templo sermo erat, reticebatur nomen Dei, & simpliciter appellabatur *domus*. Sic nomine urbis, dum vigebat Romanum Imperium, intelligebatur Roma. Meritò ergo *domus* nomine significabatur præcipua ædium: nempe quam incoleret Deus. Simplex, inquam, ista vox *domus* cùm occurrit, accipienda est de templo; quod erat propria Dei domus. Græci solebant privatas cujusque viri domos designare per illas voces τὰ ἴδια, id est, *propria*. Sic in libro Esther cap. 5. v. 10. ubi de Aman legitur in Vulgatâ: *Et dissimulatâ ira reversus in domum suam*, juxta fontem אל ביתו *in domum suam*, versio Græca habet εἰς τὰ ἴδια. similiter cap. 6. v. 12. *Et Aman festinavit ire in domum suam* εἰς τὰ ἴδια. Joannes Evangelista ipse de se significat cap. 19. v. 27. quod matrem Domini receperit in suam domum, *accepit eam discipulus in sua*, juxta fontem εἰς τὰ ἴδια *in sua*, id est, in suam domum. Illud etiam ἴδια interdum reticebatur, cùm subjungebatur nomen cujus esset propria domus, de quâ sermo erat. Ita cùm dicitur εἰς ᾅδε supplendum *ad Plutonis domum*. Sic ἐν τοῖς τοῦ δεσπότου in his quæ Domini sunt, subintelligendum *in domo heri*. Cùm ergo Jesus-Christus Dominus noster dicebat apud Lucam cap. 2. v. 49. parentes suos alloquens: *quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in iis quæ patris mei sunt, oportet me esse*, ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου δεῖ εἶναί με. Nullus dubitandi locus, quin intelligeret templum, quod erat domus patris sui. Quasi dixerit, cur alibi me quærebatis, quàm ubi me esse decebat, in templo, domo patris mei; alibi enim non quærendus puer, quàm in domo paternâ. Ipse apud Joannem cap. 2. v. 16. templum appellat domum patris sui. *Nolite*, inquit, *facere domum patris mei domum negotiationis*, cùm templo expelleret numularios & qui vendebant columbas. Passim occurrunt exempla quæ ostendunt illud ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου interpretandum esse ex consuetudine, quæ supprimebat τὰ ἴδια. Sic ἐν τοῖς τοῦ Διὸς apud Josephum contra Appionem *in his quæ Jovis sunt*, id est, in templo Jovis. In Syrachide cap. 42. v. 10. ἐν τοῖς πατρικοῖς αὐτῆς *in paternis suis*, ut hunc locum vertit Vulgatus Interpres. Eadem locutio reperitur in capite septimo Esther v. 9. *En lignum quod paraverat Mardochæo, qui locutus est pro Rege, stat in domo Aman: beheth Aman*, ubi Græca versio habet ἐν τοῖς Ἀμάν.

Revertamur ad templum. Talmudistæ illud nominant *domum electam* בית בחירה *beth bechira*; scilicet quia Deus elegerat montem Moriam, in quo poneretur templum, quod esset veluti propria domus ejus. Domum autem *secundam* illi appellant templum, quod ædificatum est à Zorobabele, tum & illud quod ab Herode instauratum est; utrumque habent pro uno & secundo templo, & pariter designant appellatione secundæ domûs. Tertium aliud templum expectant, ut dictum est.

Jam videamus partium diversarum propria nomina. Partem sanctam & partem sanctiorem habebat ædes sacra. Pars sancta dicebatur Hebræis היכל *hekal*, Græcis ὁ ναός. Nomen Hebræum propriè significat *Regiam*, *palatium*. Sæpiùs redditur a Græcis Interpretibus ναὸς, raro οἶκος. Certè denotat templum; sed alicui parti templi, quæ nempe sanctum dicitur, proprium erat; ideò, ut præmonitum est, vox illa *templum* ambigua est & erroris causa, cùm fontes non consuluntur. Pars sanctior ædis sacræ, in quâ reposita fuit Arca, vocatur in libris Regum. דביר *Devir*. Græca versio non interpretatur hoc nomen, sed caracteribus illis Græcis exprimit δαβεὶρ

A vel δαβίρ. Latina reddit *Oraculum*. Reddi posset *loquutorium*. Pars illa sic dicebatur, quia hinc Deus alloquebatur Pontifices qui eum consulebant.

Areas autem patentes templi eodem nomine fons Hebræus appellat, quo subdialem illum locum, cujus in medio olim erigebatur tentorium Tabernaculi Mosaici: nempe חצר *cathser*. Hebræis חציר *cathsir* est *fœnum*, *gramen*; ita *cathser* propriè locus est subdialis, ubi gramen enasci potest. Ergo cùm atria Tabernaculi & templi reputarentur locus sanctus, factum est ut apud Græcos Bibliorum Interpretes, apud Josephum, apud Philonem, in scriptis Apostolorum dicantur τὸ ἱερόν, id est, *sacrum*; quod nomen, cùm occurrit, non accipiendum pro

B sacrâ æde, quæ proprio nomine appellatur ὁ ναός; sed intelligenda atria, quæ, ut vidimus, tria erant; ita, verbi causâ; apud Josephum δεύτερον ἱερὸν est secundum ex tribus atriis. Confusio propriarum vocum plura Scripturæ loca in Latinis versionibus opplevit caligine, verbi causâ nomen illud templum in versionibus ubi occurrit ambiguum est, & difficultatem parit; quia solis Sacerdotibus patebat ingressus sacræ ædis; quæ Tabernaculum repræsentabat; tamen in Latinâ versione legimus lib. 4. Reg. cap. 11. v. 4. Joiadam Sacerdotem introduxisse milites & centuriones ad se in templum Domini; sic Interpres voce usus est ambiguâ, quæ ambiguitas non reperitur in fonte ubi est *in domum Domini*.

C Totus enim mons, ut paulò ante declaravi, dicebatur *domus Dei*. Ergo ex hoc loco malè deduceretur, ædem sacram reseratam fuisse etiam iis qui non erant Sacerdotes.

Non alios in ædem sacram intrasse constat, nisi cùm vis inferretur sacris custodibus; quod facere aggressus est Ptolomæus Philopator, ut refert author tertii libri Machabæorum; qui etsi non multæ auctoritatis, multæ est antiquitatis. Narrat ille ferè hujus libri initio quomodo Philopator sacrificaverit Deo admissus, ut videbimus suo loco, intra atrium gentium, & hujus atrii admiratus decorem injecit menti consilium intrandi in ipsam ædem sacram. Τῇ σπουδαιότητι καὶ εὐπρεπείᾳ καταπλαγεὶς ἐννοηθεὶς δὲ καὶ τὴν τοῦ ἱεροῦ εὐταξίαν, ἐνεθυμήθη βουλεύσασθαι εἰς τὸν ναόν. Videre est ibi ob-

D servatam propriam atrii gentium appellationem; videlicet: τὸ ἱερόν; ubi verò indicatur ædes sacra, adhibetur vox diversa nempe ναός; in quam ædem prohibitus est ingressu divino miraculo, si auctor fide dignus est.

Nusquam senes Græci nomen Hebræum היכל *hekal*, quo designatur ædes sacra, reddiderunt τὸ ἱερόν; ut nullus dubitandi locus sit, quin Judæis Græcè loquentibus, hoc nomine significarentur atria templi. In toto novo Testamento, sive in Evangelio, sive in Actis Apostolorum, & eorum Epistolis, ubi de æde sacrâ sermonem fieri locus admonet, utuntur illi voce ὁ ναός; quoties vero de atriis agunt, adhibent τὸ ἱερόν; quod & facere debuissent Latini Interpretes. Altare autem, in quo adolebatur, erat in sacrâ æde; idcirco cùm Zacharias apud Lucam cap. 1. versu 9. dicitur ingressus in templum ut incensum poneret, ibi *templum* pro æde sacrâ necessariò intelligendum est, non in fonte Græco ambiguitas est; habet enim εἰς τὸν ναόν. Apud Joannem cap. 2. v. 19. ubi dicit Christus, *solvite templum hoc*, loquens de suo corpore, & innuens se Deum, quippe in cujus corpore divinitas ut in templo habitaret, ibi similiter legitur vox ὁ ναός. Templum enim illud quod Deus inhabitaret præsens, verè sacra ædes erat. Hi qui criminati sunt Jesum Matth. cap. 26. v. 61. quod dixisset à se solvendum templum, eandem vocem usurpant. Eo in loco ubi in tribus Evangelistis narratur velum templi scissum

esse, dum moriebatur Christus in cruce, vel dicitur facta in velo Oraculi, sive in altero velo, quod ante fores ædis sacræ expandebatur. Illud velum, quodcumque fuerit, vocatur velum τοῦ ναοῦ.

Quoties mentio fit de locis templi, quæ omnibus Judæis patebant, quod re distinctum erat, & nomine distingunt scriptores sacri; ut cùm B. Lucas cap. 2. v. 37. memorat Annam Prophetissam non discessisse ex templo, sic Græcè loquitur ἣ οὐκ ἀφίστατο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ. Vox Latina *templum*: patitur ambiguitatem; sed Græca clarè definit quod res est. Mulieres quantumvis sanctæ interdicebantur æde sacrâ; in illam ergo non intrabat Anna, ita dici non potest ab eâ non discessisse. Admittebatur intra atrium conveniens conditioni suæ, εἰς τὸ ἱερὸν, & ab illo loco non discedebat Anna. Similiter cùm Jesus Christus expulit ementes & vendentes in templo, nec sinebat ut quisquam transferret vas per templum, in fonte non est ναὸς, sed ἱερὸν, ibi sermo fit de atriis. Nullus mercator ausus fuisset merces venales ponere in æde sacrâ, nec quisquam transferre vas per illam; cùm nec Sacerdotes in illam intrarent, nisi ad obeundum aliquod religiosum munus.

Itaque quoties dicitur Dominum habuisse sermonem in templo, pars illa ubi versabatur, in Græco fonte nominatur τὸ ἱερὸν: cùm enim non esset Sacerdos secundùm ordinem Aaronis, non paruisset legi si fuisset ingressus ædem sacram. Quoties in Actis legimus Apostolos ad templum ascendisse, in templum ingressos esse, mansisse in templo, induxisse in templum aliquem de Gentilibus, huic Latinæ voci respondet in textu Græco, τὸ ἱερὸν; ut in cap. 21. v. 28. Accusatores Pauli dicunt stylo Vulgati Interpretis: *Gentiles induxit in templum, & violavit sanctum locum istum.* Certè Paulus non in ipsam mediam ædem sacram eos induxerat, εἰς τὸν ναὸν; sed eum criminabantur Judæi, quia putabant ultra limites gentibus concessos, deductum Trophymum Ephesium, nempe usque in atrium Israelis, in quo versabantur hi ipsi qui adversùs Paulum hanc criminationem conflabant, utentes propriâ voce: Ἕλληνας εἰσήγαγεν εἰς τὸ ἱερὸν, καὶ κεκοίνωκε τὸν ἅγιον τόπον τοῦτον.

Possem ex Josepho multa proferre testimonia quibus earumdem vocum distinctio statuitur. Instar sit omnium illud quod habetur libro octavo Antiquitatum cap. 1. ubi narrat quomodo Josaphatus, cùm congregasset populum εἰς τὸ ἱερὸν, ipse precaretur, stans κατὰ πρόσωπον τοῦ ναοῦ. Videlicet cùm populus frequens esset in atrio, Rex Josaphatus versùs ædem sacram, ubi Arca, vultum obvertebat, fundens Deo preces.

Atria templi quandoque dicuntur in sacro codice, עזרה *azara*, quod Hebræis sonat, *auxilium*. Videlicet sic atria illi appellabant, quia ibi precantes auxilium Dei impetrabant. Talmudici postea sæpiùs hanc vocem usurpaverunt; & frequens est in eorum scriptis. *Azara*, inquiunt, dictum, quod sit בצרות עזרה *auxilium in angustiis*, si invocetur ibi Dominus ex toto corde. Senes Græci vocem illam *azara* plerumque interpretantur βοήθεια; sed & redditur ab illis αὐλὴ in 2. Paralip. cap. 4. v. 9. etiam ἱερὸν cap. 6. v. 13. Videbimus infrà recentiores Judæos hoc nomine *azara* designare certam partem atrii Sacerdotum, quam Israëlitæ quilibet puri & sacrificium oblaturi insistere poterant. Significationem hujus vocis non restringit tam angustis limitibus Maimonides, tractatu de Domo electâ cap. 1. n. 5. Cùm statuisset היכל hekal denotare tres partes ædis sacræ, Sanctum Sanctorum, Sanctum, & quod patebat in foribus vestibulum, adjungit: tum hoc hekal circumdabatur ambitu, sive ambiente septo quod ab hekal tanto spatio, distabat quanto in deserto tapetia *chatser*, sive atrii distabant à Tabernaculo. Ac septo illo tertio quidquid est circumdatum, quoniam speciem habebat hujus *chatser*, quod ad Tabernaculum fœderis erat עזרה azara dicitur, & hæc omnia simul nominantur מקדש *Michdas*: hoc est, *sacrarium.* Buxtorfius in lexico Talmudico ad vocem *azarah*, allegat Maimonidis verba, quibus ille Rabbinus sic statuit: *quicquid cinctum est septo, ut atrium tentorii conventûs*, (Sic Judæi appellant Tabernaculum) id vocatur *azarah*; sub quo & nomine venit in codice *Middoth*, cap. 1. sectione quartâ, ubi numerantur portæ atrii Israëlis, illud atrium nominatur *azara.* Hoc ergo nomen commune erat omnibus templi atriis: ita distinguitur in secundo Chronicorum cap. 4. v. 9. העזרה גדלה *azara magnum*; quod ibi Vulgatus Interpres appellat *basilicam grandem.* Buxtorfius in libro allegato ostendit triplex fuisse *azara*; sed ideo triplex faciens, quia atrium Israëlitarum distinguebatur in duas partes, quarum una cederet mulieribus; etenim non loquitur de atrio gentium. Azara, inquit, juxta Hebræos triplex fuit. Primum quod fuit, Sacerdotum, 3. Reg. cap. 6. v. 36. dicitur interius quia circumdatum aliis atriis. *Azara*, sive atrium Israëlis erat secundum quod secundo Paralipomenorum appellatur. *Fecit etiam.* Salomon dicit scriptor Paralipomenon lib. 2. cap. 4. v. 9. *Atrium Sacerdotum & basilicam grandem.* In fonte *azarah magnum.* Tertium denique erat azara mulierum, de quo multa sunt apud Rabbinos. Vox illa *azara* legitur in libro decimo sexto Strabonis, ubi de quodam Minervæ templo loquitur, quod, inquit auctor, dicebatur Ἄζαρα *azara.* Sed ibi legendum puto, ait Casaubonus in Commentariis, τὰ Ζάρα; Undè Diana Ζαρῆτις, dicitur ab Hesychio.

Proderit expendisse vocabula, quæ usitata sunt in Gentilium libris, ubi de idolorum templis loquuntur. Etenim, ut sæpiùs observatum est, Diabolus qui honores divinos subfurabatur, æmulatus est templa veri Dei templo similia, in quibus partes essent aliæ, minus sanctæ, quæ omnibus reserabantur; aliæ sanctiores, quæ tantùm paucis qui casti erant, ut videre est apud Pollucem, dum partes templorum enumerat. Ὁ μὲν εἴσω τῶν περιρραντηρίων τόπος, ἔνθεος, ἱερὸς, ἄβατος: *Locus qui est intra vasa aquam lustralem continentia, sacer, consecratus, intactus.* Ὁ δ᾽ ἔξω βέβηλος: *locus autem exterior profanus*, quem omnibus subire licet; quem rectè nominaveris, inquit Pollux: Τοῦτο καὶ ἄδυτον εἴποις, καὶ ἄψαυστον, καὶ ἀψαυστούμενον καὶ ἀθέατον, καὶ ἀνάκτορον. *Adytum, intactum, sacrosanctum, non visum, neque videndum, & oracularem.* Illud ἀνάκτορον Hesychius accipit de loco templi, in quo recondita sunt ἀνάκτορα, id est, sacra arcana.

Templa Gentilium non constabant solâ æde sacrâ; sed ante illam erant προπύλαια, vestibula, ut in eodem Polluce videre est. Circum circa erant areæ spatiosæ, luci, certæ agrorum portiones, quas Græci vocabant τεμένη; id est, portiones, nempe agri resecti, Deo alicui consecrati, & quasi huic reservati: ἀνειμένοι θεοῖς τόποι, ἄλση τε καὶ τεμένη καὶ ἕρκη, *nemora, agri sacri, & loca septa.* Indè Jupiter dicebatur ἑρκεῖος nempe Ζεὺς οὗ βωμοὶ ἐντὸς ἕρκους ἐν τῇ αὐλῇ ἵδρυται. τὸν γὰρ περίβολον ἕρκος ἔλεγον. *Jupiter* Hercæus, *cui ara intra conseptum, seu aulam domus cujusque structa erant περίβολον quippe* ἕρκος *vocabant.* Hæc Harpocration. Ita notio antiquorum templorum ideò inculcanda animis, quia tantùm remota est à dispositione nostrarum sacrarum ædium, quantùm accedit ad Hierosolymitanam. Protuli suprà Clementis Alexandrini locum, ubi describit Gentilium templa, in tertio libro Pædagogi cap. 2. ibi nominantur ναοὶ ædes sacræ, προπύλαια vestibula, περιβολίσματα nempe τεμένη, id est, por-

tiones agrorum consecratæ, ἄλσεα luci, nemora, A ἱεράδες dicebantur terræ quas non licebat arare; quia Deo consecratæ. Memorantur & αὐλαὶ cinctæ *κίοσι παμπόλλοις, columnis multis, ἄδυτα adyta, περίβολοι* septa.

Revertamur ad templum veri Dei; quod & Libanum dictum videre est apud Prophetam Habacuc cap. 2. v. 17. *quia iniquitas Libani operiet te;* nam nomine Libani, juxta Paraphrastem Chaldæum, significabatur ipsum Sanctuarium, sive templum *Si quidem rapina domûs Sanctuarii operiet te.* Nempe violentia quam in templo exercuisti, conteret te: pœnam feres peccati ob destructum templum. Quod clariùs appellatur Libanus in capite undecimo Zachariæ v. 1. *Aperi, Libane, portas* B *tuas, & comedet ignis cedros tuas.* Ibi vaticinatur Zacharias adversùs templum, cujus fores ultrò se aperient ut contigit aliquot annis antequàm destrueretur a Tito; & immitteretur ignis in cedros ejus; nempe in ligna quibus structum fuerat, & in tabulas cedrinas quibus exornati parietes ejus. *Per Libanum*, inquit B. Hieronymus, *perspicuè templum debet intelligi Judæorum, quod instauratum, imò ædificatum à Zorobabel, rursum à Vespasiano & Tito canitur subvertendum.* Allegat Drusius in Commentariis verba cujusdam Joannis, qui cognominabatur Zacchæus, ex Talmude in tractatu Massechet joma. *Templum, templum, quousque teipsum turbas aut perditum is? Novi ego tandem destructum iri te,* C *quemadmodum auctor prædixit Zacharias Prophetes inquiens, aperi, Libane, fores tuas.* Quærunt autem Talmudici ad hunc locum Zachariæ, quare templum vocetur Libanus, & respondent quia *albat, abstergit, & tollit iniquitates Israëlitarum, juxta illud: si iniquitates tuæ rubræ fuerint ut coccinum, sicut nix albescent.* Nempe in templo fiebat expiatio peccatorum, quæ propterea templo attribuitur. Verisimile magis est templum sic dictum Libanum, eò quòd exstructum esset lignis Libani; aut quia videretur persimile Libano monti, qui nomen acceperat à nivibus suis, quibus per totum annum albescebat. לבן *Laban* Hebræis idem sonat quod albus. Templum autem videbatur persimile D monti niveo, quippe erat exstructum usque ad ipsum tectum ἐκ λευκοῦ λίθου *ex albo lapide*, ut dicit de structurâ ejus Josephus in Antiquitatibus Judaïcis lib. 8. quod & adstruit in libro sexto de Bello, capite sexto. *Exterior, inquit, facies templi omnia habebat quæ mens & oculi mirari possunt... Hospitibus quidem adeuntibus procul monti niveo similis videbatur.* ὅμοιος ὄρει χιόνος πλήρει. *Nam ubi deauratum non erat templum, candidissimum erat.*

In quarto Regum, capite 21. 5. & 6. mentio fit duorum atriorum in templo Domini, in quibus impius Manasses extruxit altaria universæ militiæ cæli. Interpretor atrium Sacerdotum & Israëlis. Non meminit ibi Scriptura tertii atrii, quod erat gen- E tium, vel quia non adeò fuerat impium facinus, vel quia tunc temporis illud atrium nondum perfectum erat, videlicet nondum muris illis circumdatum, in quibus struendis multa sæcula consumpta sunt, ut diximus. Locus tertii hujus atrii erat tantùm platea רחב *Rechob*, de quâ dicitur in Esdra lib. 1. cap. 10. 9. *Et sedit omnis populus in plateâ domûs Dei, trementes pro peccato & pluviis.* Nimirùm hi de quibus fit sermo eo in loco Scripturæ, peccatorum conscii, non ausi erant intrare in atrium Israëlitarum, donec mundarentur. *Et surrexit Esdras Sacerdos, & dixit ad eos: vos transgressi estis, & duxistis uxores alienigenas, ut adderetis super delictum Israël.* In Jeremiâ cap. 38. 14. mentio fit ostii tertii, ad quod Rex Sedecias adduxit Jeremiam. Ibi non de tertio atrio agitur; & conjectarem השלישי irrepsisse pro שליש, quod nomen idem sonat ac *dominator*, sive *dominans*, ut pro tertiâ portâ deceat potiùs intelligere portam Regiam. Nimirùm Sedecias jussit ad se adduci Jeremiam ad præcipuam templi portam, nempe ad Regiam, per quam Rex solebat in templum intrare, ut ibi liberiùs posset cum illo colloqui. Illud enim ostium, sive ille ingressus, ut fert Hebræus codex, attinebat ad domum Dei. *Et misit Rex Sedecias, & tulit ad se Jeremiam Prophetam ad ostium tertium, quod erat in domo Domini.*

SECTIO IV.

Portis omnibus vela oppansa erant. Fenestræ cancellis reticulatis obturatæ, præterea vela eis oppandebantur.

Hocce capite complector, ut dixi, ea quæ totum templum spectant. In præsenti articulo disseram de portis, & de iis quæ circa illas sunt observanda; tum & de fenestris, quæ sunt veluti ostiola. Portis omnibus erant vela oppansa sicut & fenestris, quæ & cancellos habebant. Quamcumque ob rationem id fieret, res constat testimonio Josephi, in libro 12. Antiquitatum cap. 11. ubi enarrans quomodo Judas expurgaverit templum, & in illud intulerit vasa nova καινὰ σκεύη, *addidit*, inquit Josephus, *& vela foribus oppandi solita, ac postremò fores quoque apposuit.* Ἀπήρτησε δὲ καὶ τὰ καταπετάσματα τῶν θυρῶν καὶ τὰς θύρας αὐτοῖς ἐπέθηκε. Ne quis dicat hæc respicere non omnes templi fores, sed solas hujus ædis, quæ sanctior reputabatur, opponam Maimonidem qui in tractatu *Kele hamikdas*, hoc est de vasis templi, numerat inter illa, vela tredecim, quæ totidem portis appenderentur. His servandis velis & reficiendis peculiaris minister præficiebatur, ideò dictus præfectus velorum. « Atque in templo secundo, inquit Maimonides cap. 8. n. 17. vela adhibebantur tredecim: septena in septem atrii portis: unum in januâ vestibuli: unum ad templi nempe Hekal januam: duo ad adytum templi, ut à Sancto divideretur: & item duo è regione cœnaculi. Multa dicunt de immunditie velorum Talmudici. In tractatu *Schekalim*, sive de siclis cap. 8. n. 4. « Si velum, inquiunt, immundum redditum est per filium immunditiei, ipsum intra abluunt, & statim iterùm inferunt, si verò immundum est per patrem immunditiei, ipsum extrà lavant & deinde expandunt in antemurali. « Per patrem immunditiei intelligunt causas principales, quibus quidpiam fit immundum. « Si novum est, ipsum expandunt in tecto porticûs, ut populus videat texturam ejus, quàm pulchra sit .... veli crassitudo est palmus, & contextus est ex 72 filis, quorum unumquodque habet 24 filamenta. In longitudine habet 40. cubitos, in latitudine verò decem: & ex 82 myriadibus confectus est. Duo singulis annis conficiuntur. Trecenti Sacerdotes ipsum lavant. Sit fides penes auctores. Eodem in loco Maimonidis quem citavimus, ista de velis legimus. « Quem autem diximus velis texendis præpositum, is cunctis textoribus & acupictoribus velorum præfectus erat. Huic id erat curæ, ut ab istis templi portarumque vela pararentur ad tempus. Jam vela quotannis efficiebant duo, quæ Sanctum à Sancto Sanctorum distinguerent. Atque in his velis erant sexies conduplicata fila cujusque generis. Nam singula stamina continebant filorum genera quatuor, Xilinum, hyacinthinum, purpuram & coccum bis tinctum. Itaque singula stamina filis è viginti quatuor constabant. Horum igitur crassitu-

» tudo velorum palmaris erat. Jam staminibus è sep-» tuaginta texebantur. Erat autem cujusque longi-» tudo quadraginta cubitorum, & viginti cubito-» rum latitudo. Deinde postquam numerum velo-rum enuntiavit, sic de immunditie eorum loquitur Maimonides. » Si quod velum [esset immunditie ex » aliâ ortâ temeratum, [species erat immunditiei, » quæ ex alia orta dicebatur] id intra templum ipsum » ablutum illicò suo loco restituebatur: neque enim » ad tollendam hanc ejus immunditiem opus erat » ut solis expectaretur occubitus: sin autem im-» munditie principe fuisset inquinatum, extra Sanc-» tuarium ablutum in spatio illo intermurali exten-» debatur: nam ad hanc immunditiem tollendam » solis occasus requirebatur. Quod si novum esset, » extendebatur in scamno, quo populus præclarum » ejus opus cerneret.

Credo ideò portis omnibus appensa vela, quia, quantum potuêre Judæi, imitati sunt Tabernaculum, quod nec ipsum, nec atria ejus claudebantur valvis; sed tantummodò velis. Idcircò ubi templum saxo ædificatum est & appositæ valvæ, nihilominus servata sunt vela.

Quando Diabolus adduxit gentes ut constituerent templa, voluit etiam ex imitatione, ut foribus eorum oppanderent vela; qualia memorat Clemens Alexandrinus in istâ descriptione templi Ægyptiaci quam protulimus. Sacerdos inquit ὀλίγον ἐπιπαραστείλας τ̃ καταπετάσματος, ὡς δεῖξαι τὸν Θεὸν, *cùm veli aliquantùm contraxerit, tanquam Deum ostensurus, &c.* Hunc Ægyptiorum morem exhibet Apuleius lib. 11. *Ac dum valvis candentibus reductis in diversum, Deæ venerabilem conspectum apprecamur.* Lipsius correxit *velis*, nixus auctoritate manu-scripti libri, & ejusdem Apulei qui de seipso initiato paulò ante finem ejusdem libri 11. hisce verbis loquitur. *Sic ad instar solis exornato, & in vicem simulacri constituto, repentè velis reductis, in aspectum populus errabat.* Quin addit Lipsius: & Christianorum templis similis ornatus fuit, teste Paulino.

Aurea nunc niveis ornantur limina velis.

Hieronymus Nepotianum laudans, hæc de illo dicit: *Erat ergo sollicitus si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si Janitor semper in porta, si vela semper in ostiis.* Vela solebant obtendi foribus Imperatorii cubiculi, ut Imperator non conspici posset, nisi his contractis.

Locus admonet, ut de fenestris quæpiam commentemur. Sunt veluti portæ lumini immittendo in ædium intima. Quæritur an & illis oppansa vela? an translucida aliqua materies, ut vitrum? an tantùm cancelli? Dignus est vindice nodus. Vitri usus in fenestris hodie frequens est; & ita videtur necessarius, ut eo caruisse veteres vix concipiatur. Ideò plerique animum credere adduxerunt templi Salomonici fenestras habuisse vitrum, lucem solis gratissimam admittens, excludens importunos ventos, & molestos imbres. Sed nec pluribus post Salomonem sæculis vitro fenestræ claudebantur. Vitruvius de locandis fenestris in parietibus præcepta tradit; nullibi autem mentionem facit vitri. Vivebat sub Augusto Vitruvius. Jullius Pollux dicavit Onomasticum suum Commodo Cæsari. Recenset partes omnes ædium, ornamenta, & quicquid in ædibus inservit alicui usui. Nunquam meminit vitri, nisi in poculorum usum. Veteres quidem habuêre lapides speculares, qui erant lucidi; de quibus Plinius loquitur in libro 36. cap. 22. An fenestris apponerentur, ut excluderent ventos & imbres, non certum est, nisi pro argumento valido habeatur quod Tertullianus dicit in Apologetico cap. 35. cùm vult

A significare Christianos vero & sincero amore erga Cæsares affici, cùm Ethnici falsum & simulatum præferrent; quod appareret, si eorum qui illis adulantur, cerneretur pectus. *Jam si pectoribus ad translucendum quandam specularem materiam natura obduxisset, cujus non præcordia insculpta apparerent novi ac novi Cæsaris scenam congiario dividundo præsidentis?* Liquidò adstruit Martialis hunc usum lapidum specularium.

Specularia puros
Admittunt soles, & sine fæce diem.

Plinius junior libro 2. Epistolâ 17. quæ ad Gallum est, describit villam suam. *Cujus in primâ parte* B *atrium frugi, nec tamen sordidum; deinde porticus in O literæ similitudinem circumactæ, quibus parvula sed festiva area includitur: egregium hæ adversùs tempestates receptaculum nam specularibus ac multò magis imminentibus tectis muniuntur.* Ad hunc locum Catanæus hæc observat: *Sicut nostrâ tempestate vitreis orbibus conglutinatis frigus & ventos arcemus: sic olim lapidibus specularibus in quamlibet tenues crustas fissiles.* Nec Vitruvius neque Plinius, neque Pollux horum specularium lapidum meminêre ut obductorum fenestris, vitri loco. In Isaiâ capite 54. 12. ubi in Vulgatâ legimus: *ponam jaspidem propugnacula tua: & portas tuas in lapides sculptos*, in fonte Hebræo: *& ponam chrystallum fenestras tuas & portas tuas ex lapidi-* C *bus gemmæ rutilantis.* Nomen שמשות [scimschot à שמש *shemes*] sol, sumendum pro fenestrâ quâ sol admittitur in cubiculum. Vertitur à plerisque *specularia.* Nomen כדכוד *Kadekod*, ibi à Græcis Interpretibus accipitur pro chrystallo. Denotat verò tantùm aliquem lapidem pretiosum, quo poterant ornari fenestræ, qui & perlucidus esse poterat. Vocem כדכד chodchod reddidit *jaspidem* Hieronymus sequens Græcos, ut ipse innuit in Commentariis ad hunc locum. Idem in Ezechielis caput 27. de eâdem voce hæc dicit. *Chodched autem quid significet usque in præsentiarum invenire non potui. Aiunt Hebræi omnes pretiosissimas merces hoc nomine significari: vel speciem quandam esse pretiosarum mer-* D *cium, quam Romanus sermo non resonet, vel communi vocabulo scruta vendentium.*

Specularium lapidum usum fuisse frequentem apud Hebræos ex hoc loco non potest colligi. Primùm enim sicut non ideò portæ solebant fieri ex lapidibus pretiosis, quia prædicebat Isaias fore ut id contingeret; nec ex ejus prædictione sequitur fenestras habuisse materiem perlucidam, quod pro ostiolis quibus illæ claudebantur, cùm opus erat, aliquando habituræ essent aliquem lapidem pretiosum. Altero loco vaticinium Isaiæ notat rem insolitam, & quæ accipienda est in bonum sensum; sicut cùm in Apocalypsi dicitur de Jerusalem cælesti cap. 21. v. 21. *Et duodecim margaritæ sunt, per singulas: & singulæ portæ erant ex singulis margaritis: & pla-* E *tea civitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum.* In visionibus Deus accommodat se sensibus humanis; & quæ vult magno in pretio haberi, ornat omnibus quæ hominum judicio pretiosa sunt, sive apparent sensibus pretiosa.

Quidquid sit de lapidibus specularibus, serò vitri tam frequens usus fuit. Id posse demonstrari puto ex his verbis sapientiæ ad Anicium Manlium Severinum Boëtium, libro 1. consolationis philosophiæ. *Itaque non tam me loci hujus, quàm tua facies movet. Nec bibliothecæ potiùs comptos ebore ac vitro parietes, quàm tuæ mentis sedem requiro.* Scribebat Boëtius initio sexti sæculi. Vitrum illud quod inter ornamenta bibliothecæ recenset sapientia,

vel obducebatur fenestris, vel pro speculis erat. A
Quando in speculorum usum diductum est vitrum, citò potuit obduci fenestris. Neminem latet priùs à vitrariis conflari flatu lagenam; quæ postea aperitur, & diducitur ut fiat plana tabula. Res est nunc expedita, sed diu ignorata. Solo flatu noverant antiqui vitrum figurare in pocula, aut torno terere, aut cælare, ut scribit Plinius libro 36. cap. 26. *Et aliud flatu figuratur, aliud torno teritur, aliud argenti modo cælatur.* Verisimile est illa opera ex vitro, quæ laudantur à Senecâ, à Plinio, non utilitatem præstitisse, sed decorem; ut colligo ex Senecâ, ubi in Epistolâ 86. invehitur in Romanorum luxum. *Pauper sibi videtur ac sordidus, nisi parietes magnis & pretiosis orbibus refulserunt; nisi* B *Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sunt: nisi illis undique operosa & in picturæ modum variata circumlitio prætexitur; nisi vitro absconditur camera.* Non absconderetur camera quæ è vitro fenestris perlucida esset, sed hîc vitrum loco marmoris ponebatur, de quo decore canit Statius in ipso Etrusci balneo.

Effulgent cameræ vario fastigia vitro.

Vitrum fuisse loco marmoris indicat illa descriptio theatri, quod impensis Scauri factum narrat Plinius libro 36. cap. 15. *Ima pars scenæ è marmore fuit, media è vitro, inaudito etiam postea genere luxuriæ.* Conjicerem ibi Plinium intelligere vitreas testulas, sive vitreos lateres, qui pinguntur diversis coloribus, dum in fornace recoquuntur, usque dum quasi vitrum fiant, sive, ut aiunt, vitrificentur. Nota ars quâ figulinum opus encausto pingitur. C

Quid ergo obducebatur fenestris templi, dicat aliquis. Nisi liceat falsa comminisci abjudicanda illa quæ constant vitro aut lapidibus specularibus. Hebræi apponebant, sicut aliæ gentes fenestris, cancellos, nempe clatros, sive clatra. Virgis obturabantur ferreis vel ligneis, undè fenestræ dicebantur clatratæ, ut in his versibus Plauti in Milite glorioso.

Nam certò neque solarium apud nos, neque hortus ullus,
Neque fenestra, nisi clatrata.

Hebræorum fenestræ tales erant; ut videre est D in capite secundo Cantici v. 9. *Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Nomen plurale חרכים *charakim* quod Latinus Interpres reddidit *cancellos*, Græci τὰ δίκτυα, id est, retia, significat clatros; hoc est, ferramenta ipsa, lignave directa atque transversa, retis in modum structa. Hæ fenestræ clatris, sive cancellis munitæ dicuntur apud Ezechielem אטומות, id est, *obturatæ, clausæ*; quia pars saltem non admittebat lucem, clausa virgis ligneis aut ferreis. Illæ virgæ in modum retis dispositæ erant; undè tales fenestræ in Græcâ versione appellantur θυρίδες δικτυωταὶ *fenestræ reticulæ*, & θυρίδες κρυπταὶ *fenestræ occultæ*. In ver- E sione Symmachi nominantur τοξικαὶ *fenestræ sagittariæ*; quia, inquit B. Hieronymus, instar sagittarum angustum in ædes lumen immittant. Alii putant has fenestras sic dictas, quia similes essent fissuris illis propugnaculorum, per quas sagittarii jaculantur sagittas, quæ unâ parte angustæ sunt, ex alterâ spatiosæ. De formâ fenestrarum quæ erant in æde sacrâ, differemus iterùm.

SECTIO V.

Omnia subdialia loca templi marmore strata erant; ita ut nulla in eis arbor succrescere posset. Aperitur origo falsæ religionis erga lucos, quos lex vetabat.

OMnia templi atria videlicet loca subdialia fuisse strata marmore nos docet Josephus lib. 6. de Bello cap. 6. Τὸ δ' ὑπαίθριον ἅπαν πεποίκιλτο παντοδαπῶν λίθων κατεστρωμένον. *Totum autem sub dio spatium variabatur omnium quidem generum lapidibus stratum.* Circa pavimentum summa erat cura Judæorum; quin & multa religio. Certè in eo olim ars magna adhibita est. Varro mittens tertium suum librum de Re rusticâ ad Q. Pinnium, scribebat in fine primi capitis: *Cùm enim villam haberes opere tectorio & intestino, ac pavimentis nobilibus lithostrotis spectandam, parùm putares esse, ni tuis quoque literis exornati parietes essent.* Plinius qui de illis loquitur lib. 36. cap. 25. *Pavimenta originem apud Græcos habent elaborata arte, picturæ ratione.* Nempe constabant partibus diversis, quæ aliquo colore pingebantur, *donec lithostrota expulêre eam.* Ex lapidibus diversi coloris factum est quod priùs fiebat tantummodò colorum mixturâ. *Celeberrimus fuit in hoc genere Sosius, qui Pergami statuit quem vocant asaroton oecon,* id est, domum quæ verri non debet, *quoniam purgamenta cænæ in pavimento, quæ everri solent, veluti relicta fecerat parvis è testiculis, tinctisque in varios colores. Mirabilis ibi columba bibens, & aquam umbrâ capitis infuscans. Apricantur aliæ scabentes sese in canthari labro. Pavimenta credo primùm facta, quæ nunc revocamus barbarica atque subtegulanea, in Italiâ fistucis pavita.* Illa opera dicebantur, ut puto, musiva, quia adhibebatur ad musea ornanda, aut quod primùm musiva facta ex vitreis tesserulis, atque sectilibus crustis quibus vario multiplicique colore novem musæ depictæ fuissent.

Pavimenta atriorum templi non tam eleganter forsan fiebant ac asarota; sed tamen tessellata fuisse dicuntur, facta ex variis crustis marmoris ac lapidum segmentis. Talia certè erant lithostrata templi. Areæ ejus subdiales variegatæ lapidibus genere & colore diversis. Circa pavimentum multam, ut dixi, Judæi religionem adhibebant. Cavebant inprimis, ne qui ex eo lapides avellerentur; quod cùm fieret, statim temeratum censebatur, ut docet nos Maimonides, de Domo electâ cap. 1. n. 10. « Jam atrii pavimentum, inquit, totum lapidibus sternitur pretiosis; & pavimento in isto si quis « lapis à reliquis sit divulsus, pro temerato habetur, « tametsi suo loco permansit, si quidem est à reli- « quis disjunctus; nec licet ut in eo insistat Sacer- « dos, dum facit ad aram, usque dum solo rursus « inhæreat. » Itaque nulla arbos succrescebat in templo, nulla planta; quod Hecatæus observat apud Eusebium in libris de Præparatione lib. 9. cap. 4. Ἄγαλμα δ' οὐκ ἔστιν οὐδ' ἀνάθημα τὸ παράπαν, οὐδὲ φύτευμα παντελῶς, οὐδὲ οἷον ἀλσῶδες, ἤ τι τοιοῦτον. *Nullum ibi simulacrum, aut sacrum aliquod signum, adeòque nec planta, nec lucus, nec aliud quicquam hujusmodi.* Hæc Hecatæi verba allegat Josephus in primo libro contra Appionem. Res erat abominanda lucos apparere in templo; quod cùm contingebat, tanquam ob calamitatem, sive ob injuriam huic factam dolebant Judæi. Inde lugebant Machabæi videntes in eo nata virgulta lib. 1. cap. 4. v. 38. *Et viderunt sanctificationem desertam, & altare prophanatum, & portas exustas, &*

in atriis virgulta nata, sicut in saltu vel in montibus, & pastophoria diruta. Et sciderunt vestimenta sua, & planxerunt planctu magno. Scilicet, ut loquitur Josephus rem eandem enarrans lib. 12. cap. 11. Lugebat Judas Machabæus videns φυτὰ διὰ τὴν ἐρημίαν αὐτόματα ἐν τῷ ἱερῷ βεβλαστηκότα. Virgulta nata in atrio propter solitudinem. Ibi vocem propriam usurpat Josephus, pro quâ Græcus codex Machabæorum posuit ἐν ταῖς αὐλαῖς in aulis, hoc est, in subdialibus locis.

Ista religio incesserat animos populi Hebræi circa curam pavimenti, quia præceperat Deus in Deuteronomio cap. 16. v. 21. *Non plantabis lucum & omnem arborem juxta altare Domini Dei tui.* Ne ergo subnasceretur ἐν τῷ ἱερῷ in loco sacro, vel arbusculum cavebant Judæi. Ex hac lege nata, ut puto, Judæorum religio circa templi pavimentum. Ideò, inquam, pavimentum sternebant marmore, ut nullus esset locus, in quo enasci posset ullum virgultum. Lapis temerabatur statim ac non esset integer, & ex aliquâ parte divelleretur à sociis lapidibus. Revocabat Deus Judæos à Gentilium moribus, quorum religio maximè exercebatur in lucis, in umbriferis locis. Idcircò jusserat ut statim ac possiderent terram promissam, pariter everterent idola, & cæderent lucos: Exod. cap. 34. v. 13. *Aras*, alloquitur Israëlem, *eorum* quos vinces & expelles *destrue, confringe statuas, lucosque succide.* Quod præceptum iteravit Deus in Deuteronomio cap. 7. v. 5. *Aras eorum subvertite, & confringite statuas, lucosque succidite, & sculptilia comburite.* Quapropter cùm Josias Rex voluit restaurare cultum Domini 4. Reg. cap. 23. v. 4. *Præcepit Rex Helciæ Pontifici & Sacerdotibus secundi ordinis & Janitoribus ut projicerent de templo Domini omnia vasa quæ facta fuerant Baal & in luco, & universæ familiæ cæli.* Qui ergo in templo plantasset arbores, se alligasset crimine idololatriæ. « Qui arborem, dicit Maimonides in tractatu de Idololatriâ cap. 6. 12. juxta aram plantat vel in atrio; sive arbor ea sterilis, seu frugifera fuerit; quamvis id fecerit quò templum ornatius pulchriusque redderet, nihilominus plectendus est, quia dicitur: ne plantes lucum qualiscumque arboris juxta aram Domini Dei tui. In causâ est, quòd mos ille idololatris esset, plantare arbores secundùm altare suum, ut ibi populus congregaretur.

Eum morem fuisse idololatris circa lucos constat pluribus testimoniis. Scilicet numina sua in lucis residere opinabantur; ut docet nos illud Ovidianum in tertio Fastorum.

Lucus Aventino suberat niger ilicis umbrâ:
Quo posset viso dicere, numen inest.

Similiter in tertio Amorum, Elegiâ 12.

Stat vetus & densâ præ nubibus arbore lucus:
Aspice, concedes numinis esse locum.

Juxta aras plantabant arbores, aut potiùs in lucorum locis magis umbriferis ponebant aras: testatur Virgilianum illud in primo libro Æneidos.

Lucus in urbe fuit mediâ, latissimus umbrâ:
Hic templum Junoni ingens Sidonia Dido
Condebat,

Quin nomen illud *lucus* sæpiùs indicat locum sacrum. Servius ad hosce versus observat ubicumque Virgilius *lucum* ponit, sequi etiam consecrationem.

luco tum fortè parentis.
Pilumni Turnus sacratâ valle sedebat.

Ista religio circa lucos fluere potest ex more pris-

A co. Primus mortalium Adamus cum uxore & liberis non habitaverat in domo; sed quod verisimilius sub opacæ arboris umbrâ, in luco, sive in nemore. Cùm itaque Patriarchæ sacrificia iisdem in locis Deo facerent, in quibus habitabant; posteri quoque hunc morem ad multa sæcula servaverunt. Itaque, ut viri docti conjiciunt, prima nemorum & lucorum plantatio in usum sacrum & civilem fuit, & patrum qui ea in templorum loco habuerant, exemplo cohonestata. At idolorum cultu invalescente, luci illi principio sacri quidem & honesti, ritibus alienis & impuris commaculati sunt, adeò ut mera essent prostibula, & Dæmonum latibula.

B His quæ modo dixi de religione lucorum & origine hujus religionis, Plinius adstipulatur lib. 12. cap. 1. loquens de sylvis: « Hæc fuêre, inquit, numinum templa, priscoque ritu simplicia rura etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant. Nec magis auro fulgentia, atque ebore simulacra, quàm lucos & in iis silentia ipsa adoramus. « Adjungam quod scribit Plinius junior. « Si tibi occurrit vetustis arboribus, & solitam altitudinem egressis frequens lucus, illa proceritas sylvæ, & secretum loci & admiratio umbræ fidem numinis facit. « cùm luci libidinibus fœdarentur; præsertim in Phœniciâ, ubi Venus sub nomine Astartes colebatur: facti sunt illi religiosis viris exotis In Astartes lucis mulieres devotæ quæstum corporis faciebant, & indè offerebant sacrificia, ut Lucianus, aut si quis alius, dicit in libro de Deâ Syriâ. Has nefarias libidines exposuit Eusebius, ut iis meritum odium conflaret. Hæc improborum, inquit, lib. 4. cap. 16. de Præparatione, Dæmonum totum id fuisse, clariùs etiam intelliges, si de infandâ illâ, effusâque scortandi libidine, cujus etiamnum apud Heliopolim, atque alios plerosque populos usus est, tecum ipse cogitaveris. Adulteria si quidem, corruptelas, aliaque id genus incesta flagitia, quasi debitum quidpiam, in Deorum suorum cultu repræsentanda esse deffendunt, adeòque turpitudinis indignissimæ suas quoque primitias ipsis offerendas, fœdi videlicet infamisque commercii fructum iis, perinde ut eximium quoddam grati animi monimentum, consecrando.

D Deus lucos qui huic cultui & libidinibus occasio esse poterant, præcipit in Exodo cap. 30. v. 15. succidendos: *Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum; ne cùm fornicati fuerint cum Diis suis, & adoraverint simulacra eorum, vocet te quispiam ut comedas de immolatis.* Illud *fornicati sunt* intelligi potest de impuro cultu, quo Deos suos prosequebantur; sed & de nefariis libidinibus quibus apud Phœnices Venus, ut dixi, sub Astartis nomine colebatur. Narrat Herodotus libro 1. apud illos fuisse hunc cultum antiquissimum. De templo Veneris in illâ regione, inquit, *ego sciscitatus comperi, omnium quotquot sunt hujus Deæ, antiquissimum. Nam Cyprium hinc originem duxit, & quod est Cytheris,*
E *id Phœnices, qui sunt ex hac Syriâ, construxerunt.*

Pessimis horum Gentilium exemplis quandoque corrupti sunt Judæi, ut discimus ex Scripturâ 3. Reg. capite 14. v. 23. *Ædificaverunt enim & ipsi sibi aras & statuas & lucos super omnem collem excelsum, & subter omnem arborem frondosum.* in fonte אשרים *ascherim*, in Græcâ versione ἄλση, hoc est, *sacros lucos*, vel lucos Diis sacratos, sub quorum umbrâ nempe in tenebricosis locis pudendos actus exercebant, ut indicant quæ sequuntur.

24. *Sed & effeminati fuerunt in terrâ, feceruntque omnes abominationes gentium, quas attrivit Dominus ante faciem filiorum Israël.*

Illi effeminati in fonte Hebræo appellantur nomine קדש *Kadesch*; quod juxta originem suam indicaret quidpiam sanctum, rem, sanctam, sed hîc sonat *meritorius, cinædus scortator*; sed qui falsâ religione deceptus scortaretur. Putant hac re se sibi numen conciliare. Ideo in editione Complutensi, Deuter. cap. 23. v. 18. redditur illud nomen πλισκίμῳ, id est, *perfectus, initiatus*.

Hos cynœdos expulit Josias 4. Reg. cap. 23. 6. & *efferri fecit lucum* האשרה *haascherah* τὸ ἄλσος *de domo Domini foras Jerusalem in convalle Cedron & combussit eum ibi, & redegit in pulverem, & projecit super sepulcra vulgi. 7. Destruxit quoque ædiculas effeminatorum* הקדשים *hakadeschim quæ erant in domo Domini, pro quibus mulieres texebant quasi domunculas luco.* Postrema verba latinè sic vertit vir doctus: *ubi erant mulieres texentes domus Aseræ.* Nempe ibi erant mulieres falsâ religione imbutæ, quæ in domo Aseræ, nempe in eo loco ubi lucus, versabantur texentes, ut solent mulieres, forsan pepla idolo. Græca versio habet ipsas voces Hebræas. Καὶ καθεῖλε τὸν οἶκον τῶν καδησίμ, τῶν ἐν οἴκῳ κυρίου ὧ αἱ γυναῖκες ὕφαινον ἐκεῖ χεττίμ τῷ ἄλσει. *Et diruit domum ipsorum cadesim, qui in domo Domini, ubi mulieres texebant illic chetiim luco.* Illud χεττίμ irrepsit pro βαττίμ pro nomine Hebræo בתים *Battim*, id est, *domus*. Non rarò nomina Hebræa quæ obscura erant, Græci tantùm caracteribus suis expressêre. Hæc omnia confirmantur verbis Oseæ cap. 4. v. 14. ubi exprobrat Israëlitis: *quoniam ipsi cum meretricibus conversabantur & cum effeminatis sacrificabant.*

Libro quarto Regum cap. 13. cùm tradidisset Deus Israëlem in manu Hazaël Regis Syriæ, & in manu Benadab filii Hazaël, deprecatus est Joachaz faciem Domini.

5. Et dedit Dominus Salvatorem Israëli, & liberatus est de manu Regis Syriæ: habitaveruntque filii Israël in tabernaculis suis sicut heri & nudius tertius.

6. Verumtamen non recesserunt à peccatis Jeroboam, qui peccare fecit Israël, sed in ipsis ambulaverunt: si quidem & lucus permansit in Samaria.

Lucus ille in fonte Hebræo dicitur האשרה *Haserah*, nimirum lucus consecratus Deæ quæ dicebatur Astarte, in quo ejus Deæ idolum erat. Indè colligitur cultum Baal & Astarot, quem expulerat Jehu postea in Samaria restitutum. Cùm ergo sæpiùs Israëlitæ circa lucos peccaverint, non mirum est si tantam religionem Deus indidisset Judæis ne in templo ulla arbos cresceret. Ne etiam id fieri videretur, ut dicit Maimonides, nec in templo locus erat ligneis columnis, ne scilicet veluti arboribus consitum videretur. » Vetitum etiam » in templo facere è ligno porticum intercolumniis » distinctam, quomodo extrui atria solent, utcum- » que ædificii forma sit, nullaque plantata sit arbor » quâ ratione plurimùm receditur. Quippe dicitur, » omne lignum, ideòque omnia atria cum interco- » lumniis & perplexum opus ad ramorum formam » ex parietibus procedens è lapide, non ex ligno e- » rat. Credo non istam religionem incessisse animos veterum Judæorum: nam certè olim plures columnæ ligneæ erant, neque enim tam facilè ignis immissus in templum à Chaldæis illud absumpsisset, nisi pleraque fuissent lignea.

Nec prætermittendum silentio viros pios non tam abhorruisse ab omni arbore, ut nullam paterentur in locis sacris. Adversatur enim quod legimus in capite 24. Josue v. 26. *Scripsit quoque Josue omnia verba hac in volumine legis Domini: & tulit lapidem pregrandem, posuitque eum subter quercum, quæ erat in Sanctuario Domini.* In fonte He-

A bræo במקדש יהוה. Vidimus vocem *Michdas* significare loca sacra, qualia erant atria. Græci vertunt ὑπὸ τὴν τερέμινθον ἀπέναντι Κυρίου *sub therebinto ante Dominum.* Convocaverat Josue omnem cœtum Israelis in Sichem, nempe Silunte, qui locus in Sichimitarum terrâ; & in atriis Tabernaculi congregatos alloquebatur. Quercus ergo illa, sive therebintus, erat in ipsis atriis; non alia, ut opinantur Interpretes, quàm cujus mentio fit in Genesi cap. 35. in historia Jacobi, & in Judicibus cap. 9. v. 6. Is locus in honorem Jacobi forsan fuerat electus in locum orationis; sive ob memoriam sanctissimi Patriarchæ non præcisa fuerat hæc quercus, sed relicta in monumentum.

Non ideo minùs viguit lex; ut indicat locus ille Philonis, in libro secundo de Monarchiâ. « Lu- B cus autem nullus est, inquit, intra dictum am- » bitum templi, quia lex id multis de causis vetuit. Primò quoniam verum templum non amœnitates » postulat, sed severam castimoniam. Deinde quia » non est fas importare, quæ faciunt ad virorem ar- » borum, hoc est, brutorum excrementa & homi- » num. Tertiò quia sylvestris materiæ nullus est u- » sus, cùm sit ut Poëtæ loquuntur, telluris inutile » pondus: mitiores verò arbores, quæ mites fruc » tus ferunt, parùm cordatos à religione retrahe- » rent. Præterea condensa sylvarum maleficis con- » veniunt, ex latebris securitatem, & insidiarum » occasionem quærentibus. At aperta loca & pro- » C patula, prospectumque introgrediorum & obambulantium latè admittentia, sacris sunt aptissima. »

De his quæ pavimentum templi spectant finem dicendi faciam observans lithostrata templo non solummodò decorem, sed insuper munditiem præstitisse, ne fœtidum esset, etsi tanta copia sanguinis in eo effunderetur. Facili enim negotio everrebatur & abluebatur; quod dicit Aristæas ubi de templo loquitur. *Pavimentum totum est lapide constratum, tractusque habet aquæ immittendæ ad loca certa, quæ immittitur ad abluendum sanguinem hostiarum.* Ἡ γίνεται διὰ τὴν σμῆξιν τῶν ἀπὸ θυσιῶν αἱμάτων. Itaque fœtor non oriebatur ex tabo; quod imbibitum esset pavimento, nisi fuisset marmoreum: quod cùm D sæpiùs aquâ eluitur, fit magis gratum. Etenim pulvere sordescit & amittit decorem suum. Hîc autem decet mirari patientiam Sacerdotum, qui nudis pedibus insistebant tam frigido solo. Inde cruciabantur torminibus, quod Talmudici notant.

SECTIO VI.

Omnia in templo, conclavia, vestibula, parietes, vasa decorabantur palmis: alicubi malogranatis & liliis: sæpe imaginibus Cherubim.

Quæ ornamenta ubique reperiebantur in templo, cùm attineant ad hocce caput, antequàm ei E imponamus finem, sermo de palmis faciendus est; his e im ubique decorabatur. Judæa pro suo symbolo palmam habuit; quâ figurabatur à Gentilibus; ut videre est in nummis quos cuderunt Romani, captis Hierosolymis. Alii Judæam muliebri figurâ expressam exhibent habitu lugubri sub palmâ assidentem tropæo: alii sedentem vinctis manibus: alii subnixam eadem arbore; sub quâ in quibusdam duo pariter Judæi cernuntur captivi. Hoc hieroglyphicum Judææ naturale erat; huic enim quasi propria est palma, ut agnoscit Plinius lib. 13. cap. 4. « Judæa vero, inquit, inclyta est vel magis palmis, » quarum natura nunc dicetur, sunt quidem & in » Europâ, vulgòque Italiâ, sed steriles. Ferunt in » maritimis Hispaniæ fructum, verùm immitem: »

dulcem in Africâ, sed statim evanescentem. Contra in Oriente ex his vina, gentium aliquibus panis: plurimis vero etiam quadrupedum cibus. Cùm multa Plinius dixisset ad commendationem arboris, iterùm affert gloriam Judææ, *sed ut copia ibi palmarum in Oriente atque fertilitas, ita nobilitas in Judæâ, nec in totâ, sed Hierichunte maximè.*

Non ergo mirum si Judæi in symbolum palmas elegerint, & sibi vindicarint. Paucis perstringit naturam palmarum Agellius libro 3 cap 6. Perherclè rem mirandam Aristoteles in 7. Problematum & Plutarchus in 8 Symposiacorum dicit: si supra palmæ, inquit, arboris lignum, magna pondera imponas, ac tam graviter urgeas, onerésque, ut magnitudo oneris sustineri non queat: non deorsum palma cedit, nec infra flectitur, sed adversùs pondus resurgit, & sursum nititur, recurvaturque. Propterea, inquit Plutarchus, in certaminibus palmam signum esse placuit victoriæ: quoniam ingenium ejusmodi ligni est, ut urgentibus, opprimentibusque non cedat. Plutarchus quem ibi Agellius allegat, quærit in quæstione quartâ cur sacrorum certaminum aliud aliam habet coronam; palma vero omnibus communis sit: solutionem quæstionis petit ex ipsâ naturâ palmæ. Scilicet dicit oportere victoris gloriam, quantùm omninò fieri potest, ab interitu & senio esse immunem, *Palma autem*, ore Latini Interpretis Plutarchus pergit loqui, *inter maximè longævas plantas vel præcipua est, quod etiam hæc Orphica testantur.* Id est, Orphæi carmen illud Græcum.

Ζῶον δ' ἴσον ἀκροκόμοισι φοινίκων ἔρνεσι.

Vitam agebant germinibus similem palmarum altè comantium.

Soli autem huic plantæ verè convenit quòd tanquam verum de multis aliis dicitur: nempe folia firma & semper durantia habere: nam neque laurum, neque oleam, neque myrtum, neque aliam ullam earum stirpium, quæ foliis negantur spoliari, vidimus ita semper eadem folia servare; sed prioribus defluentibus, & aliis suppullulantibus, sicut urbes & quodvis animal perdurat. Palma autem nullum abjiciens a se natum folium, constanter foliis suis semper ornatur; quam ejus vim victoriæ robori potissimùm accommodant. Hæc Plutarchus, qui in fine quæstionis ad laudem hujus arboris adjicit. *Peculiare autem præter hæc omnia est quod dicam, & cum nullâ aliâ plantâ commune. Palmæ lignum, super onere imposito premas, non deorsum adfligitur aut concedit, sed contra incurvatur, quasi vi renitens prementi. Eodem modo res habet in Athleticis certaminibus. Qui enim ob imbecillitatem & mollitiem concedunt, ii flectuntur atque deprimuntur: qui exercitationem fortiter sustinent, eorum non corpora modò, sed animi quoque eriguntur & augentur.*

Ipsâ ergo naturâ magistrâ homines didicerunt palmas symbolum esse victoriæ, cujus in signum potiùs quàm in præmium in omnibus certaminibus olim proponebantur; neque enim res est alicujus pretii, sed victores illas manu gestando ostendebant victoriæ laudem se esse meritos. Hæc multis prolatis testimoniis demonstrat Carolus Paschalius in suo libro sexto de Coronâ. Ut animus perciperet virtutes, quæ oculis corporis non cernuntur excitandus erat imaginibus corporeis quas in virtutum symbola natura videtur aliquo modo efformasse. Cùm palma proprietatibus suis exprimat viri justi virtutes, idcirco huic assimilatur; nempe quia non cedit malis: virtute suâ exornatur: sine ullâ labe durat, & in æternum viget. Etenim hanc arborem, ut puto, Psaltes Regius indicat canens in primo Psalmo de justo, *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium ejus non defluet.* Hanc interpretationem ipse Psaltes confirmat, palmam nominans in Psalmo 91. *Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur.* More etiam pugillorum qui victoriam reportaverant, Joannes exhibet in Apocalypsi cap. 7. sanctos habentes in manibus palmas. *Post hæc vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Cùm Simon arcem Hierosolymorum recuperavit, Judæos in illam intromisit cum ramis palmarum & canticis.

Ædificiorum & cujusque rei ornamenta debent esse imitamenta naturæ; quod, ut assequantur præclari artifices, cùm expoliunt & exornant opera sua, student his decus ex naturâ accersere, effingunt in illis flores, arbores & quæcumque oculis grata sunt in cælo, in terrâ, in aquis, in montibus, in pratis. Palmam autem artis merentur, si præter amœnas imagines opus eorum ingerat aliquam virtutis notionem; nec solum aspectum sed animum afficiat, ut plus in opere intelligatur, quàm exhibeatur oculis. Conspectus palmæ arboris jucundus: recordatio fructuum suavis; nihilque gratius occurrebat Judæorum oculis. Itaque cùm exornandum fuit templum, exornandi parietes ejus, exornanda vasa quibus instructum est, decebat opifices eligere in ornamentum palmas, & effingere ubique, quæ præter figuram suam, quemque admonebant summæ felicitatis, quâ viri justi fruuntur. Insuper adumbrabant virtutis eorum excellentiam, constantiam, perpetuitatem, & dulces & æternos fructus quos percepturi sunt. Præterea cùm templum Hierosolymitanum proprium esset Judææ, quippe unicum in eâ ædificatum, nec unquam extra licitè ædificandum, debuit habere proprias notas hujus distinctionis, nempe Judææ symbola. Eâ de causâ Salomon ubique in templo curavit exprimi palmas ligno, lapidibus, auro, argento, ære, ut templum omni modo referret similitudinem Tabernaculi; palmæ enim revocabant memoriam coloris illius pretiosi, quo tingebantur vela ejus & tapetia. Color ille puniceus erat, igni similis, inquiunt Philo & Josephus, διότι φοινικοῦν ἑκάτερον, *quod uterque rubeat.* Palmas notum est a Græcis dici φοίνικας, ab earum colore, qui puniceus est, sive rubeus, & coccus nominatur φοῖνιξ qui in velis Tabernaculi nitebat.

Inter ornamenta templi numeranda sunt malogranata; quibus Judæa abundabat; ita cujus templum floribus & colore oportuit decorari. Malogranatis capitella duarum columnarum ænearum, quæ erant in vestibulo ædis sacræ exornabantur. Cùm agemus de his columnis, exponemus quem usum & decorem illa præstarent in capitellis. Adjungebantur malogranatis lilia quorum flos candidus in sacris literis non semel laudatur. In parietibus templi, in vasis, ubique exsculptæ cernebantur Cherubinorum imagines. Constabant Cherubim quatuor animalibus conjunctis eâ conjunctione quæ nunc ignota est. Prorsus pro commento haberi non potest, quod adstruunt Judæi, hæc quatuor animalia, fuisse insignia quatuor præcipuarum tribuum; quæ veluti Israëlitici exercitûs principes, tendebant in quatuor diversis & præcipuis plagis castrorum Israël. Protulimus in tertio libro argumenta quibus id credere adducti sumus. Igitur ut in palatiis Regum ubique exprimuntur eorum symbola, signa, & ut mos loquendi invaluit, *arma*; ita illa Cherubim

rubim effingenda fuere in templo; quæ conserva- A bant memoriam castrorum Israël; & quod potissimùm intenderat Salomon, repræsentabant Tabernaculum Dei, quod situm erat in medio horum castrorum, circumdatum Israëlitico exercitu; cujus quatuor præcipua vexilla erant quatuor animalia, ex quibus quodque Cherubim quasi contexebatur.

CAPUT VI.

De primo atrio, ambitu ejus, formâ, situ, mensuris, portis, porticibus. Gentes in hocce atrium admittebantur; ideò dictum gentium. B

SECTIO I.

De formâ, mensuris, & situ primi atrii, sive septi; quod toti templo extimum erat.

POstquàm in varias templi partes conjecimus oculos quasi currendo, nunc defigendi, & tandiu immorandum singulis, donec omnes notas & penitùs perspectas habeamus. Simul animus advertendus ad ea loca Scripturarum quæ quoquomodo ad templum attinent, & lucem possunt mutuare ab illius descriptione. Non plura præfati pedem in atria inferamus. Jam positi in limine septi, quod C omnia atria & totam Dei domum complectebatur, toti templo extimum, circumferamus oculos. Forma hujus septi erat quadrata quam ei tribuunt Talmudici. *Mons ædis erat quadratus, ita ut singula latera essent cubitorum quingentorum;* illi inquiunt in tractatu Middoth cap. 2. Sectione 1. Nos verò infrà evincemus has mensuras proprias fuisse secundi septi, quo definiebatur secundum atrium videlicet Israëlitarum, cujus quatuor latera Ezechiel mensus reperit æqualia. Ezechielis verba excutiemus infra; & quidquid sit de propria sententia ejus, convenit inter omnes formam septi extimi fuisse quadratam, in omnibus lateribus suis paris mensuræ. Hoc adstruit Josephus in Antiquitatibus libro D 15. cap. 14. Τοῦτο δ' ἦν τὸ πᾶν περίβολος τεττάρων σταδίων τὸν κύκλον ἔχων, ἑκάστης γωνίας σταδίου μῆκος ἀπολαμβανούσης. *Hoc totum erat circuitus quatuor stadiorum circulum continens, unoquoque angulo* (latere inter angulos) *stadii longitudinem complectente.* Civitas illa quæ Joanni Evangelistæ objecta est in Apocalypsi, certè erat similitudo templi; quod liquet ex ejus formâ quadratâ cap. 21. v. 16. *Et civitas in quadro posita est, & longitudo ejus tanta est, quanta & latitudo.* Ædes sacra, ubi Arca, spectabat ortum solis, eodem situ disposita quo Tabernaculum, cujus introitus excipiebat solis orientis radios, posteriora respiciebant occasum. Sic ædificium templi spectans quatuor præcipuos terræ cardines, repræsentabat Ecclesiæ universalitatem. Alia erat dispositio templorum in E Gentilismo; janua enim erat à sole oriente aversa, ut qui intrarent, intuerentur ortum; ut docet nos Vitruvius in libro quarto capite quinto. » Ædes » autem sacræ Deorum immortalium, ad regiones » quas spectare debent, sic erunt constituendæ, ut » si nulla ratio impedierit, liberaque fuerit potestas » ædis, signum quod erit in cellâ collocatum, spec- » tet ad vespertinam cæli regionem. Uti qui adie- » rint ad aram immolantes, aut sacrificia facientes » spectent ad partem cæli orientis, & simulacrum, » quod erit in æde: & ita vota suscipientes con- » tueantur ædem & orientem cæli, ipsaque simulacra » videantur exorientia contueri supplicantes & sacri- » ficantes: quòd aras omnes Deorum necesse esse vi- » deatur ad Orientem spectare. « Omnem movet lapidem Spencerus, ut contra tam apertum testimonium probet quod eadem fuerit dispositio Tabernaculi & templi quoad situm, ac templorum gentium; quarum ritus vult Moysen sectatum fuisse. Placet illi sentire Vitruvium loqui de situ qui sua ætate indebatur ædibus Deorum, sed alium fuisse priscis temporibus. Non idem mos servatus est ab omnibus populis; religionem autem Ægyptiorum Deum voluisse expressam in religione quam instituebat, commentum est Spenceri, non semel confutatum.

Singula templi latera respondebant alicui ex quatuor plagis mundi. Castrorum Israël in deserto hic fuerat situs. Nunc te, Lector, sistimus ad extimum septum quo atrium gentium claudebatur. Aliud autem esse septum quàm quod mensus est Ezechiel, quod reperit quingentorum calamorum; postea evincam hocce argumento, quia primum illud septum complectebatur atrium gentium quod Ezechielis ætate forsan inchoatum, sed nondum absolutum. Diximus aream pristinam montis Moriæ initio angustam fuisse, nec capacem omnium atriorum quæ erant necessaria templi ministerio, nonnisi sæculis posterioribus, semper aliquid aggeris accumulante populo, coæquatus fuit collis, & latior effectus. Igitur non protinus ipso Salomone regnante effectus fuerat major, extimus montis ambitus. Plura sæcula tanto operi impensa sunt cum incredibili pecuniæ copiâ. Diversis temporibus terminos templi propagatos indicat lex ista, quæ vetabat ne id fieret sine decreto synedrii, Misna titulo *Sanhedrin* cap. 1. *Non amplificanda erat urbs aut atria, nisi ex decreto synedrii septuaginta unius viralis.* Quem locum sic exponit Maimonides in Manu forti, titulo Sanedrin cap. 6. Sect. 10. *Si synedrium vellet adjicere quid, sive Hierosolymis ipsis, sive azara, licuit quidem id facere, & locum quemcumque montis templi adjicere, seu protrahere ad azaram & mœnium etiam urbis quæcumque vellet proferre.*

Auctum extimum templi ambitum evincunt prolata testimonia; quapropter extimo ejus muro, qui post Ezechielem ædificatus est, non mirum haud congruere mensuras, quæ assignantur ab hoc Prophetâ. Quin primis temporibus, vix nominabatur atrium gentium. Duorum tantùm fiebat mentio nempe Israëlis & Sacerdotum. Manasses in libro 4. Regum cap. 21. v. 5. dicitur extruxisse *altaria universæ militiæ in duobus atriis templi Domini.* Mentio quidem fit atrii novi in secundo Paralipomenorum cap. 20. v. 5. *Cùmque stetisset Josaphat in medio cœtu Judâ & Jerusalem in domo Domini ante atrium novum.* Hunc quidem locum interpretari licet de tertio ambitu, qui nempe crescebat in dies prout aggerebantur aggeres, ut latior fieret area verticis Moriæ. Antea atrium Sacerdotum, dicebatur interius, exterius verò illud quod erat Israëlis; quod postea appellatum interius cùm tertium adjunctum est. *Triplici enim muro colle circumdato, spe majus opus extructum est: in quo longa sæcula consumpta sunt*, ait Josephus; quem locum jam allegavimus ex libro ejus qui de Bello sextus est, cap. 6. Ibi illud atrium de quo agimus, appellat κάτω ἱερὸν, nempe inferius, quia primùm occurrebat, & nisi aliquibus gradibus conscensis ad alia atria non perveniebatur. Per respectum ad illud primum atrium, idem Josephus atrium quod erat Israëlitarum, appellat δεύτερον ἱερὸν. Ubi exponit situm turris Antoniæ, statuit eam ad angulum duarum porticuum septentrionalis & occidentalis τοῦ πρώτου ἱεροῦ. Itaque appellat illud primum: & libro septimo de

Bello cap. 13. ἔξωθεν ἱερὸν exterius atrium.

Tertii hujus atrii ambitum Josephus facit in singulis ejus lateribus, unius stadii. Mensura ista non congruit verbis Ezechielis, qui & majus facit ipsum septum secundi atrii. Veritatem non expressit Josephus, qui scribens Græcis, satis habuit templum exhibere magnum, usus mensurâ illis notâ, quâ non poterat uti longiori, & fidem apud eos invenire. *Hoc totum erat circuitus quatuor stadiorum circulum continens, uno quoque latere inter angulos stadii longitudinem complectente.* Sed, ut patebit, subductis calculis ipsius auctoris, ubi metitur loca subdialia & porticus tertii atrii, necesse est ut hujusce ambitus major fuerit. Non facit stadium majus quadringentis cubitis, ut declaratum est in libro B primo. Ita cujusque latus exterioris ambitûs fuisset tantùm quadringentorum cubitorum; longiora autem fuisse atrii secundi latera demonstrabimus. In tertio atrio erant duplices & triplices porticus; inter quas & secundum septum erant loca subdialia non parvæ intercapedinis. Si evinci possit latera secundi septi fuisse quingentorum cubitorum, non minor quàm sexcentorum quinquaginta aut sexaginta cubitorum longitudo assignari potest cuique lateri hujus primi septi; quod ergo multum longius erat stadio. Sed nec licitum nobis est longè excedere dictum numerum; nam disertis verbis declarat Josephus secundum ambitum ab extimo non fuisse remotum longo intervallo. Τοιοῦτος καὶ ὁ πρῶτος C περίβολος ἦν. ἐν μέσῳ δὲ ἀπέχων οὐ πολὺ δεύτερος, προσβατὸς βαθμίσιν ὀλίγαις. *Atque hoc modo se habebat primus ambitus. Interiùs verò non longo intervallo secundus, paucis gradibus scansilis, &c.* Hæc Josephus lib. 15. Antiq. cap. 14.

Angustius verò quàm par est, Judæi faciunt atrium gentium; nec me movet auctoritas eorum. Quingentos illos cubitos quos tribuunt lateribus primi septi, sumpserunt ex Ezechiele malè intellecto, ut comprobaturi sumus, quando perveniemus ad secundum septum. Insuper sic mentem Talmudistarum Ligfootus interpretatur, capite secundo descriptionis templi, ut intra quingentos cubitos non coarctarent latera tertii septi; sed spatium, D sive solum, quod tantummodo censebatur sanctum. Citat locum ex additamentis Talmudicis ad codicem Middoth. *Mons excedebat amplitudinem quingentorum cubitorum quadratorum; sed non amplius spatium sanctum habebatur.*

Nec etiam ambitiosè, ut dixi, augendus dictus ambitus tertii septi. Villalpandus cuidam viæ quæ ambiret extima templi, tribuit centum viginti quinque calamos. Juxta illum calamus constabat sex cubitis super addito tophac, sextâ nempe parte cubiti, & cubitus Hebræus duobus pedibus Romanis cum semipede; ita ut ambitus ille superet fidem. Postea veram ejus mensuram definiemus. Sic autem terminabatur extimus ambitus domûs Dei, ut E similis videretur arci; sive templum esset veluti præsidium urbi impositum, *adeo*, inquit Josephus, *tutissimâ munitione circumdatum, ut etiamsi civitas caperetur, secundum esset in eo refugium.* Lib. 1. de Bello cap. 5.

Non solâ autem ratione loci munitum erat templum; quia haberet vallem pro mœnibus horribilem; τότε ἱερὸν ἐντὸς τῆς φάραγγος ὀχυρώτατα τετειχισμένον, ut ibi loquitur Josephus; sed quia hujus septi porticus ipsæ essent non mediocre propugnaculum, ut ipse Tacitus scribit in libro 5. Historiæ n. 12. *Templum*, loquitur de Hierosolymitano, *in modum arcis, propriique muri labore & opere ante alios. Ipsa porticus, queis templum ambiebatur, egregium propugnaculum.* Eadem dixerat Philo ante Tacitum

A in secundo libro de Monarchiâ, ubi de templo agit. Τούτου τοῦ ἱεροῦ ὁ μὲν ἐξωτάτω περίβολος καὶ μήκει καὶ πλάτει μέγιστος ὤν, τέτρασι στοαῖς εἰς πολυτέλειαν ἠσκημέναις ὠχύρωται. *Hujus templi extimus ambitus longe latèque patens, munitur quatuor elegantissimæ structuræ porticibus.* Ita in illo septo cum firmitate jungebatur elegantia; quare sicut non ei affingenda ornamenta quæ officere poterant firmitati, & inane spectaculum præbuissent, sic nec decet ei omnem decorem detrahere. Vigebat architectura quando constructæ illæ porticus, & in extruendo templo contendebant Judæi, ut quemadmodum Deus superabat gentium Deos, ita ejus domus antecelleret templis eorum; quapropter non verisimile est nudo pariete Judæos cinxisse tam magnificum opus. Mœnia extimi ambitûs exhibemus structa opere Tusco vel Dorico, sine quidem columnis, sed cum parastadibus, quæ nullo modo minuebant firmitatem parietis, sed potiùs confirmabant. Fenestris perforati sunt illi parietes; sed altissimis; & quæ multùm à solo distabant; quales sunt fenestræ basilicarum nostrarum, quæ ob altitudinem non attinguntur. Porticus erant veluti basilicæ longiores, non habentes tabulata diversa. Jam transiliendum septum extimum; sed priùs recensendæ & numerandæ portæ per quas in atrium quod finiebat, intrabatur.

SECTIO II.

De primi atrii portis, numero, nominibus & usu; tum & de armamentario quod erat juxta unam ex illis portis.

INituri numerum portarum primi septi, initium ducamus ab orientali portâ. Hujus non meminit Josephus; sed agnoscitur à Judæis, & numeratur inter portas primi septi. Quin de illâ annotant quæ digna sunt animadversione; an pariter & fide sint digna Lector dijudicabit. Dicunt murum dicti septi exterioris hac in parte ubi collocatur porta orientalis, non fuisse altiorem sex cubitis. Causam afferunt videlicet quòd Sacerdos qui comburebat vaccam rufam in monte Oliveti, teneretur interea intueri ipsas sacræ ædis valvas; cujus conspectum ne ei eriperet murus exterior, ideo depressior erat in hac parte. Fundamentum hujus ritûs arripiunt Talmudistæ ex verbis sacri codicis; ubi Deus præcipit de vaccâ rufâ in Numeris cap. 19.

2. *Ista est religio victimæ, quam constituit Dominus. Præcipe filiis Israël, ut adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in quâ nulla sit macula, nec portaverit jugum.*

3. *Tradetisque eam Eleazaro Sacerdoti, qui eductam extra castra, immolabit in conspectu omnium.*

4. *Et tingens digitum in sanguine ejus, asperget contra fores Tabernaculi septem vicibus.*

5. *Comburetque eam cunctis videntibus, tam pelle & carnibus ejus quàm sanguine & fimo flammæ traditis.*

Requirebatur Tabernaculi fores esse conspicuas ex loco ubi vacca mactabatur; lex enim jubebat ut Sacerdos facie obversâ anteriori parti Tabernaculi, versùs eam partem adspergeret sanguinem victimæ, immerso digito in vas quo sanguis fuerat exceptus. Igitur ubi Arca in templum inducta est, religio vaccæ rufæ implenda fuit in Olivarum monte, qui erat contra templum ad orientalem plagam. Erat, inquam, mons ille in conspectu; ut quod adstruunt Judæi, modò murus exterior esset depressior, Sacerdos vaccam comburens in hoc monte, facilè posset conspicere valvas templi, & conspici ab om-

nibus. *Sacerdos cùm vaccam rufam comburens in Olivarum monte consisteret, intentissimè oculos in portam* Hekal, sive ædis sacræ *conjiciebat dum sanguinem adspergeret.* Hæc Rabbi Aben Ezra.

Is erat situs montis Olivarum, ut in illo stantes, templi faciem prospicerent. Quâ re factum est ut cùm Dominus in hunc montem venisset, & prædixisset eversionem templi quod habebant ante oculos, de die istius eversionis hunc Apostoli interrogaverint. Juxta narrationem Marci in capite 13. eâ die Dominus templo egrediens, significaverat discipulis suis non relinquendum lapidem supra lapidem in hocce ædificio, cujus magnitudinem admirabantur. Secessit eâdem die in montem Olivarum. *Et cùm sederet in monte Olivarum contra templum, interrogabant eum separatim Petrus & Jacobus, & Joannes, & Andreas: dic nobis quando ista fient.* Videlicet aspectus templi occasionem dabat ista quærendi.

Hæc porta quam in orientali latere septi exterioris statuunt Talmudistæ, ab illis appellatur *shusan*; quia shusan, quæ Regia sedes est Persarum, supra eam sculpta esset. Cur autem hæc imago ibi sculpta? Alii aliam causam afferunt, ut notat Ligfoot. Nempe » ut Israël posset eam videre, & meminisse suæ captivitatis in shusan. Vel quia cùm exierunt ex captivitate, Rex Persarum jussit pingi shusan supra portas domûs, ut timor regni esset super ipsos. Sed hîc justam difficultatem movet Abraham Zaccuth. » Regnum Persidis, inquit, » & shusan non diu duravêre postquàm secundùm » templum extructum fuit, nempe circiter triginta quatuor annos. Quod cùm ita sit, quomodo » fieri potuit ut hæc tabula perduraverit per totum » tempus secundi templi? sed sunt quidam, qui ita » difficultatem solvunt: filios nempe captivitatis fecisse hanc tabulam, ut recordarentur miraculi Purim, quod contigerat in shusan; quando per Esterem liberati sunt.

Non unam, sed plures portas ponit Josephus in latere meridionali septi, de quo sermo est; loquitur enim in numero plurali. Τὸ δὲ τέταρτον μέτωπον τὸ πρὸς μεσημβρίαν εἶχε μὲν καὶ αὐτὸ πύλας κατὰ μέσον. *Quartum autem latus meridianum etiam habebat portas:* κατὰ μέσον in medio. Interpres Latinus vertit: *habebat portam ab utroque angulo æquè distantem.* Sed, ut dixi, numerus pluralis ostendit non fuisse in hocce latere unicam portam. Præterea ibi duas numerant Judæi; quæ ita locari potuêre ut in medio essent, quatenus ambæ distarent æquis intervallis ab utroque angulo. Quidquid sit de Josephi mente, portæ illæ geminæ quas in hocce latere Judæi statuunt, appellabantur *chulda* vel *Huldah.* Quare vocatæ fuerint portæ Huldah, non est facile dictu, inquit Ligfoot; utrum ab חולדה quod significat *mustellam,* de quo animali Hebræi multas scribunt historias; vel ex voce Syriacâ חלר, quæ Græcè significat *ἐνδύνειν irrepere*, quâ voce utitur Paulus scribens Timotheo 2. Ep. cap. 3. v. 6. Vel ex חול דא id est, *hîc*, vel *hoc est commune solum*, sive *profanum solum*; vel ex Prophetide Huldah, quæ in tantâ fuit existimatione apud Judæos, ut dicant neminem unquam, seu virum, seu fœminam, sepultum fuisse intra mœnia Hierosolymæ (si excipias domum Davidis) præter hanc solam.

Quinarius portarum numerus in septo exteriori adstruitur à scriptore tractatûs Middoth cap. 1 Sect. 3. » Quinque erant in templi ambitu portæ: duabus nomen Chulda, quas ab Austro ad ingrediendi egrediendique usum statuerant; porta autem Kiponos ab Occidente sita eòdem spectabat; porta verò Teri ab Aquilone nulli erat usui; portæ de-

A nique orientali impressa erat shusan civitatis imago, per quam intuebatur Sacerdos dum combureret vaccam. « Portæ illi unicæ quam agnoscunt Judæi in tertio latere, nomen inditum fuerat קיפונוס *Kiponos*, quia, ut ait Rabbi Nathan cognomento justus, quem Constantinus Lempereur allegat, per eam homines ingrederentur & egrederentur, quòd קפא sit foramen Talmudicis. Parvi refert harum vocum veram originem scrutari. Josephus autem eo in loco adversatur Talmudicis; quatuor enim portas numerat & recenset in hocce tertio latere, circa quod moramur. ἐν δὲ τοῖς ἑσπερίοις μέρεσι τοῦ περιβόλου πύλαι δ' ἐφίσταντο. *In partibus occiduis portas quatuor impositas fuerant.* Quam in regionem quæque deduceret, expressè dicit. B Ἡ μὲν εἰς τὰ βασίλεια τείνουσα τῆς ἐν μέσῳ φάραγγος εἰς δίοδον ἀπειλημμένης· αἱ δὲ β, εἰς τὸ προάστειον, ἡ λοιπὴ δὲ, εἰς τὴν ἄλλην πόλιν. *Harum ab unâ transitus erat ad Regiam per vallem in medio interjectam: duæ ferebant in suburbia, postrema in aliam urbem.* Prima ex illis portis videtur conjuncta huic ponti, qui montem Sionis committebat cum templo. Per hunc pontem ex regiâ ibatur ad domum Domini. Duæ ferebant εἰς τὸ προάστειον in suburbium; cujus poterant esse diversæ regiones. Illud autem suburbium habeo pro illâ parte Hierosolymorum, quæ sita esset in valle Tyropæâ, quam habitarent plerique pauperculi; & per quam iter erat ad loca vicina, quæ erant versùs Orientem hujusce vallis, tum & versùs occidentalem plagam. Accuratè non descripsit Hierosolyma Jose- C phus, nec ullus alius vetus scriptor; ut situm & usum harum portarum certò dijudicare possimus. Quarta porta aperiebatur versùs aliam urbem, nempe eam quæ dicebatur Acra, inferior superiori urbi nempe Sioni. Hunc situm clarè declarat Josephus; cùm enim loquitur de illa quartâ portâ, quæ in aliam urbem deduceret, statim addit, βαθμοῖς πολλοῖς κάτωθεν εἰς φάραγγα διειλημμένη, καὶ ἀπὸ ταύτης ἄνω πάλιν ἐπὶ τὴν πρόσβασιν. *Gradibus multis usque in imam vallem dispositis & indè aliis sursum per acclive tendentibus.*

Verisimile est juxta portam quâ in Regiam ibatur, fuisse armamentarium, in quo reponerentur arma Regiorum satellitum & custodum templi. Id colligimus ex hocce loco Paralipomenorum lib. 2. D cap. 12. ubi narratur quomodo Sesac Rex Ægypti abstulit thesauros domûs Domini & domûs Regis, & *clypeos aureos quos fecerat Salomon.*

10. *Pro quibus fecit Rex æneos, & tradidit illos principibus scutariorum, qui custodiebant vestibulum palatii.*

11. *Cùmque introiret Rex domum Domini, veniebant scutarii & tollebant eos, iterumque referebant eos ad armamentarium suum.*

Hunc locum explanans Theodoretus: « dabantur, inquit, hastatis & scutatis Regis, qui stantes circa portas Regiæ custodiebant aditus. Procedente autem Rege, alii quidem præcedebant, alii autem juxta currebant. Quando autem venie- E bant in templum, occurrebant ii qui revertebantur à domo, hoc est templi custodes, & ea ab ipsis accipiebant, & ipsi ea tenentes stabant ante portam templi, ut arma quidem pro foribus manerent: qui verò illa gestabant, unà cum Rege adorarent. Est autem verisimile fuisse domum ante portas, ut cùm Rex veniret armigeri illic arma reponerent. «

Describentes Regiam Salomonis diximus hanc basilicam, quæ appellatur domus Libani fuisse armamentarium. An hîc intelligenda sit ista domus, maneat in ambiguo ubicumque illud armamentarium fuerit, constat aliquod fuisse in templo. Olim in Tabernaculo repositus fuerat ensis Goliath; sed & nisi alia arma hîc recondita fuissent, non dixisset David

ad Achimelech Sacerdotem. 1. Reg. cap. 21. v. 8. A *Si habes hic ad manum hastam aut gladium?* Tunc erat David in Tabernaculo Domini. Sed historia Joiadæ qui occidendam curavit Athaliam, & Joam collocavit in Regio throno, non sinit nos dubitare quin armamentarium fuerit in ipso templo, ex quo dedit Joiadas arma iis quos in partes suas adduxit, ut dicitur 4. Regum cap. 11. v. 10. *Qui dedit eis hastas & arma Regis David, quæ erant in domo Domini.* Hoc claré affirmat Josephus, rem eandem narrans: *Joiadas verò*, inquit, *aperto armamentario, quod David in templo instruxerat* ἀνοίξας δὲ Ἰώαδος τὴν ἐν τῷ ἱερῷ ὁπλοθήκην ἣν Δαυΐδης κατεσκεύασε, *distribuit Centurionibus & Sacerdotibus ac Levitis quantum ibi erat hastarum ac pharetrarum, & si quod aliud armorum genus aderat.* Hacce historiâ patet fuisse domum B scutariorum in templo; & in ipsâ portâ quâ ibatur ad Regiam. Expendantur ea quæ præcedunt locum allegatum. Dum Joiada assignaret custodias templi, *Tertia*, inquit, *pars vestrum sit ad portam, quæ est post habitaculum scutariorum: & custodietis excubias domûs Messa.* Custodiæ illæ peragebantur in templo; nam postquàm dicitur accepisse conjuratos arma, subditur: *Et steterunt singuli habentes arma in manu suâ à parte templi dexterâ, usque ad partem sinistram altaris, & ædis circum Regem.* Josephus dicit *armatos templo circumdatos.* De hac verò tertiâ parte, quæ locanda significatur *post habitaculum scutariorum*, sic Joiadam inducit loquentem. *Eam verò partem quæ superest, patentem portam quâ itur in Regiam servare præcipio.* Hanc omnem historiam, sive loca Scripturæ, quæ ad illam pertinent, singulari diligentiâ prosequar libro sequenti, ubi disseram de Regio throno. Hîc ergo breviter dicam pro scutariis Vulgatæ in fonte Hebræo poni רצים *ratsim*, quam vocem versio Græca retinet quandoque scribens Ῥασὶμ, sed & interpretans παρατρέχοντες, id est, cursores; quæ significatio est vocis Hebrææ. Indicantur satellites Regii, quos constat armatos scutis olim aureis sub Salomone. Theodoretus Ῥασὶμ interpretatur ἀσπιδοφόρους.

Quod in Vulgatâ legitur *domus messa* non est nomen loci, vel portæ, vel domûs. Vox ipsa Hebræa irrepsit in versionem aliquam Græcam, & scriptum est μεσσὰ; undè factum *Messa*. Sed, ut notat Theodoretus, omnes reliqui Interpretes reddiderunt ἀπὸ διαφθορᾶς. Nempe hortabatur Joiadas eos quos armaverat, ut caverent ne quid διαφθορᾶς *corruptionis*, id est, *mali tumultûs* contingeret in templo. In eam partem Josephus locum hunc accepit, hæc scribens μηδὲ ἵνα δὲ ὡπλισμένον εἰσελθεῖν ἐάσητε ἢ μόνον ἱερέα *neque quemquam cum armis intrare sinite, nisi solum Sacerdotem.*

Morem fuisse usitatum gentibus in templis appendere arma, maximè scuta, possem multis testimoniis probare; sed sufficit revocare in memoriam quod dicebat Pythagoras pro argumento metempsichoseos se Trojanis temporibus Euphorbum fuisse, memorem quòd clypeum refixerat, nempe detraxerat ex templo, ut canit Horatius libro 1. Carminum Ode 28.

Quamvis clypeo Trojana refixo
Tempora testatus.

Ipse sese explicat Horatius scribens ad Lolium lib. 1. Epist. 18.

Sub duce, qui templis Parthorum signa refixit.

Et libro 4. Carminum Ode 15.

Et signa nostro restituit Jovi,
Derepta Parthorum superbis
Postibus.

A Sub Consulibus Marco Tuccio & Publio Junio Bruto, in Capitolio dicati fuêre duodecim clypei aurei. Cùm autem scuta hæc aliquem conferrent decorem loco in quo disponebantur, indè, ut observavimus in libro secundo, Architecti in Zophoro expresserunt clypeos, scuta, parmas. Opinor Judith universa vasa bellica Holophernis detulisse ad templum, & affixisse sacris postibus. cap. 16. v. 23. *Porrò* Judith *universa vasa bellica Holophernis quæ dedit illi populus, & conopæum, quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema oblivionis.* In fonte Græco εἰς ἀνάθημα τῷ θεῷ ἔδωκε dedit in anathema Deo, id est, suspendit in templo. Cùm primus Interpres Latinus aut Scholiastes voluisset explicare illud *anathema*, addiderat *oblationis*; ex quo fac- B tum est errore scribarum in Vulgatâ *anathema oblivionis*, contra sensum Scripturæ, quæ significat id factum in perenne monumentum, ut ab oblivione vindicaretur præclarum facinus.

Nullius portæ meminit Josephus, quæ fuerit in septentrionali latere septi exterioris. Unam memorant Judæi, quam appellant alii טדי *Tedi*, alii טרי *Teri.* Sic appellatam dicit Rabbi Schemaia, quia solummodò gonorrhæâ laborantes per illam egrediebantur; quod denotat vox *Teri*, nempe humiditatem, sive humorem purulentum.

SECTIO III.

C *De porticibus primi atrii, de illarum magnificentiâ & dimensionibus. De porticu Salomonis.*

PRimum atrium concedebatur gentibus; sed non ut propria sedes ad habitandum; ibi enim nulla in hocce atrio erant conclavia, pastophoria, cœnacula; sed tantùm præter loca subdialia porticus quarum sub tecto se reciperent, cùm ingruerent imbres, & adversùs omnem hiemem. *Post scenam porticus sunt constituendæ, uti cùm imbres repentè ludos interpellaverint, habeat populus quò se recipiat ex theatro.* Hisce verbis Vitruvius indicat usum horum ædificiorum lib. 5. cap. 9. ad quem locum adjungit Philander. *Porticus additæ sunt sa-* D *cris ædibus, illustrium virorum domibus & publicis ædificiis necessitatis aut ornamenti, animive causâ. Sub eis repentinas pluvias vitabant, umbrasque ac frigora captabant, variisque sermonibus diem consumebant, à meridie solem hyeme, à Septentrione æstivas umbras excipientes.*

Porticus in templo non solùm causâ gentium pâratæ erant; sed & ob multitudinem Israëlitarum in diebus solemnibus. Cùm enim totus populus, si fides habeatur Talmudicis, in tres turmas divideretur; & quæque vice suâ sacrificaret; dum priores turmæ defungerentur pio munere, secundæ expectare poterant in porticibus atrii gentium. Judæi reduces à captivitate, ubi susceperunt templum instaurandum, licet urgeret tempus & pluribus aliis E ædificiis egerent, tamen porticus extruxerunt. Ὠκοδομήκεισαν γὰρ οἱ Ἰουδαῖοι, καὶ τὰς ἐν κύκλῳ τοῦ ναοῦ στοὰς τοῦ ἔνδοθεν ἱεροῦ· *Ædificaverant enim Judæi porticus quoque, quibus templum circumdabatur*; ut narrat Josephus lib. 11. cap. 4. Antiquitatum.

Harum porticuum, quibus atrium primum exornabatur, magnificentiam celebrat Philo, initio secundi libri de Monarchiâ ἔστι τοῦ ἱεροῦ μὲν ἐξωτάτω περίβολος καὶ μήκει καὶ πλάτει μέγιστος ὢν: τέτρασι στοαῖς εἰς πολυτέλειαν ἠσκημέναις ὠχυρωται. διπλῆ δ' αὐτῶν ἐστιν ἑκάστη, ξύλων, καὶ λίθων ὕλαις καὶ χορηγίαις ἀφθόνοις, καὶ δημιουργῶν ἐμπειρίαις, καὶ τῶν ἐφεστηκότων ἐπιμελείαις, κατεσκευασμένη τελειότατον ἔργον. *Ejus templi extimus ambitus longe lateque patens, munitur quatuor elegantissima structura porticibus: quarum singulæ*

ampl.....ci constant ordine, materie, marmoribus, artificumque ingenioso labore, architectorumque curâ ornatissimæ.

Hæ omnes porticus, cùm exarati sunt hi libri quos complectitur vetus Testamentum, nondum extructæ fuerant. Igitur non mirum has in illis non memorari. Diligenter eas descripsit Josephus de Bello lib. 6. cap. 6. » Templum τὸ ἱερὸν, loquitur de atrio Gentium, ut liquet, conditum erat, ut dixi, supra durissimum collem. Et initio quidem vix templo τῷ ναῷ atque aræ sufficiebat jacens in summo planities, quòd undique præceps erat atque declivis. Cùm autem Rex Salomon, qui etiam templum ædificaverat, muro ejus partem ab Oriente cinxisset, una porticus aggeri est imposita: & manebat ex aliis partibus nudum, quoad sæculis posterioribus, semper aliquid aggeris accumulante populo, coæquatus collis latior effectus est. Hæc porticus quæ à parte orientali imposita est aggeri, ipsa est quæ in Evangelio videtur ideò dicta Salomonis, quia opus ejus. Paulò post addit Josephus. » Tantis autem fundamentis digna erant opera imposita. Duplices porticus omnes, quas columnæ sustinebant, quinis & vicenis cubitis altæ, de singulis saxis marmore candido. Hoc est, omnes illæ columnæ erant, ut loquitur auctor, κίονες μονόλιθοι. » Et laquearia cedrina protegebant. Quorum naturalis magnificentia, quòdque ligno rasili erant, aptèque cohærebant, operæ pretium spectantibus exhibebat: nulloque aut Pictoris aut Sculptoris opere extrinsecùs ornabatur. Scilicet variis quidem figuris exornabantur laquearia, quod alibi dicit Josephus; sed quæ nullam animalis referrent similitudinem, sive pictam, sive sculptam. Pergit loqui Josephus: » Latæ autem porticus per 30. cubitos erant: omnisque gyrus earum sex mensurâ stadiorum cum turri Antoniâ concludebatur. »

Cùm ille scriptor apertè significet hos aggeres, quibus dictæ porticus impositæ sunt, non nisi post multa sæcula perfectos fuisse, liquet omnes has porticus pariter nec habere Salomonem auctorem; sed quia inchoavit opus, laus ei multa debetur. Per anticipationem ergo loquitur Josephus dum narrans templum ab hoc Rege conditum lib. 8. Antiquitatum cap. 3. scribit. » Dici autem non potest, ac vix etiam oculis credi, quàm mirandum fuerit illud exterius templum. ἔξωθεν ἱερόν. Hæc pertinent ad atrium gentium; quod nullum tempore Salomonis extabat. » Vallibus enim expletis, tam profundis ut ad prospectum oculi caligarent, & aggestâ ad quadringentos cubitos terrâ, altitudinem ejus vertici montis in quo templum extructum est, æquavit: atque hoc modo factum est ut area τοῦ ἱεροῦ atrii exterioris cum solo templi æquaretur. Et hoc benignè etiam interpretandum; solum enim ædis sacræ altius erat cæteris areis. *Hanc* aream atrii exterioris *cinxit* Salomon *duplicibus porticibus quas columnæ è nativo saxo sustentabant.* Λίθου δ' αὐτοφυοῦς τὸ ὕψος, nempe ex uno lapide, cujus altitudo nativa. *Et laquearia cedro expolita tegebant* has porticus. Laquearia, inquam, erant profunda & superba; inter quæ & tectum porticuum fuisse intervallum demonstrant ea quæ Josephus narrat in libro septimo de Bello cap.6. de dolo quo usi sunt Judæi adversùs Romanos. Occidentalis porticûs spatium quod erat inter culmen & trabes vacuum sylvis aridis, itemque sulfure ac bitumine replevêre. Deinde velut oppressi cedebant. Quare multi temerarii fugientibus instabant, & in porticum ascendere positis scalis nitebantur.... Porticu repletâ his qui ascenderant; ignem immittunt Judæi..

His adjungam quod idem scriptor dicit loquens de instauratione templi factâ per Herodem lib. 15. cap. 14. Antiq. Montis templi « verticem primus Salomon Rex noster, instinctu Dei, muro circumdedit, à radicibus ejus incipiens magno labore; subjecta enim erat vallis profunda versùs Austrum. Hic murus constat saxis grandibus plumbo inter se vinctis, complectens interius spatium, & in profundum descendens, ut miranda sit magnitudo & altitudo structuræ formâ quadrangulari. Saxorum enim magnitudo à fronte est conspicua; interiora ferro vincta juncturas continent, contra omnium temporum injurias firmissima. Hoc opus postquàm æquatum est vertici, cavitas quæ intererat murum inter & tumulum expleta est, ut complanatis omnibus fieret area, & circum quadriporticus quatuor stadiorum circuitu, singulis lateribus inter duos angulos per stadia singula patentibus. «

Duplices porticus, ut notat Philander, ad caput nonum lib. 5. Vitruvii, sic appellabantur à duplici columnarum serie; sicut triplices, in quibus triplex series: sed hîc potiùs videntur nomen habuisse a numero spatiorum quæ includeret columnarum series. Certè in hoc sensu loquitur Josephus de meridianâ porticu, quam dicit triplicem, & cæteris elegantiorem, habuisse autem quadruplicem ordinem columnarum. « Quartum latus habebat triplicem porticum regiam ab orientali valle ad occidentalem pertinentem; nec enim ulteriùs poterat. Ibi spectaculum erat, si ullum aliud sub sole memorabile. Nam cùm vallis in immensum dehisceret, ita ut caligarent despicientium oculi, desuper extructa erat præalta porticus, cujus tecto conscenso, si quis utramque altitudinem conjunctam contemplaretur, absque vertigine id non poterat, visu deficiente ob nimiam profunditatem, priusquàm ad imum pertingeret. In hac porticu stabant paribus intervallis quatuor columnarum ordines, quorum quartus adhærebat lapideo parieti. « Nempe quartus columnarum versus intextus erat parieti, ita ut semicolumnia essent; vel si integræ erant, adhærebant, sive proximæ erant parieti, quo porticus terminabatur extrinsecùs; etenim versus interiorem aream aperta erat, nec ullo intermedio pariete divisa. Quatuor autem illi ordines columnarum faciebant tria ambulacra: sic triplex ista meridiana porticus. Consuetum erat porticus struere Austrum spectantes. *Num tu porticus illas totâ urbe vides!* inquit Philo apud Eusebium lib. 8. de Præparatione. *Spectant pleraque omnes Meridiem, ut hyeme inambulantes quid in incalescant, æstate verò aurâ vehementiore perflentur.* Ideò quia frequentiores populi in eam conveniebant, quæ in templo meridionalis erat, triplex facta.

Quas Josephus assignat dictarum porticuum columnis dimensiones, forsan propriæ sunt columnis triplicis porticûs. *Crassitudo autem cujusque columnæ, quantùm possent tres homines consertis inter se complecti brachiis: longitudo viginti septem pedum, subjectâ spirâ duplici.* Ibi procul dubio erravit scribæ calamus, & posuit ποδῶν pro πηχῶν, aut κ'. irrepsit pro λ'. Etenim tres ulnæ non faciunt minùs quàm decem aut undecim cubitos; ergo cùm perimeter, sive circuitus crassitudinis tot cubitorum esset, diameter non erat infra tres cubitos; & ideò ad minus altitudo viginti quinque cubitorum, qualem eam alibi statuit. Præterquàm quod Hebræi non utebantur mensurâ pedum. Subindè hæc dicit Josephus de columnarum numero. « Numerus universarum fuit centum sexaginta duo capitellis sculptis κατὰ τὸν κορίνθιον τρόπον opere Corinthio, pulchris usque ad miraculum. His quatuor ordinibus

» fiunt per intervalla ternæ porticus, ita ut in uno- A
» quoque latere duæ pariles triginta pedum latitu-
» dinis, plus quinquaginta altitudinis, stadii longi-
» tudine, claudant inter se mediam, cujus latitudo
» sesqui-altera, altitudo verò duplicata, tanto supe-
» rabat utramque.

Ibi iterùm pedes nominat Josephus. An & hùc error irrepserit incertus sum, sive calamus librariorum erraverit, sive ipse peccaverit auctor, qui cùm non imbutus fuerit mathesi & artis tectonicæ peritiâ, licet eâ in re descriptiones ejus habere suspectas, lib. 6. de Bello cap. 6. loquens de porticibus; cùm significasset omnes fuisse duplices, & definivisset columnarum altitudinem viginti quinque cubitorum, subjungit: πλατεῖαι μὲν ἦσαν ἐπὶ τριάκοντα πήχεις *cubitos*. Librarius mutavit in πόδας *pedes*, quia ei videbatur enormis dimensio, quam assignabat codex Josephi. B Certè si in porticu triplici meridianâ, duæ porticus laterum habuissent quæque cubitos triginta; & idcircò media cubitos quadraginta quinque, quippe sesqui altera latitudo ejus; ita tota triplex porticus habuisset centum quinque cubitos; quod omninò fieri non potest. Nec secum cohæreret Josephus, qui facit has porticus stadiatas. Quidquid sit, per me licet latiores fieri has porticus, simul & longiores; neque enim doctrinæ nostræ de templo quidpiam detrahetur, si atrium gentium spatiosum magis evincatur. Quoniam ex ipso Josepho cæteræ porticus duplices erant triginta cubitorum, & ideò quodque spatium, à quo non ex- C cludo vestigia columnarum, esset cubitorum quindecim, opinarer in porticu meridianâ duas porticus laterum habuisse in latitudine suâ singulas cubitos quindecim, & ideo mediam viginti duos cubitos cum semicubito. Judæi innuunt versùs Meridiem magis productos aggeres; ita atrium gentium laxius fuisse eâ in parte.

Pergit Josephus describere porticum triplicem, sive ternas porticus quibus illa constabat. » Earum
» lacunaria sculpturata variis figuris. Mediæ verò
» convexitas altiùs surgebat, excitato super episty-
» lia pariete lapideo politissimo, columnis insertis,
» distincto, mirabili artificio, commissuris oculos
» fallentibus. Atque hoc modo se habebat primus D
» ambitus ὕψος τε καὶ ὁ στερεὸς περίβολος ἦν. Media illa porticus ex tribus meridianis, sic constabat columnarum duplici ordine; & laquearia ejus celsiora erant laquearibus sociarum porticuum. In his omnibus porticibus; quæ alioqui versùs templum apertæ erant, possumus cogitare quasdam exhedras, ubi Janitores templi agerent custodias. In eâ parte quâ per pontem ex urbe superiori intrabatur in atria templi, statutum armamentarium de quo locuti sumus. Hæc omnia perstringo paucis verbis, quia non satis nota sunt; hisce ergo descriptionibus plures desunt lineæ. Aliquas ducere volui, quia præstat imperfectam aliquam notionem habere quàm nullam; undè certè multa lux affulget tum libris sacris, ut modò videbimus, tum ipsi Josepho; cujus narrationes obscuræ sunt, nisi præluceat dictarum porticuum descriptio.

Narrat ille Historicus initio libri sexti de Bello, totam civitatem, paulò antequàm oppugnaretur à Romanis, trifariam divisam fuisse. Zelotæ, inquit, interius templum occupaverant, nempe atrium Israëlitarum; & obsidebantur à Joanne, qui tenebat atrium gentium; undè & præliabatur adversùs Simonem, qui in urbe dominabatur. Joannes ex lignis, quæ dicit Josephus fuisse spectabilia magnitudine simul & directâ proceritate, turres ædificavit, & adversùs eos constituit qui desuper ἀπὸ τοῦ κατόπιν ἱεροῦ pugnabant, nempe ex tectis ædificiorum qui- A bus circumdabatur atrium secundum. Statuit, inquam, Joannes has turres κατόπιν τοῦ περιβόλου τῆς πρὸς δύσιν ἐξέδρας ἄντικρυς, ᾗπερ καὶ μόνῃ δυνατὸν ἦν, τῶν ἄλλων μερῶν βαθμοῖς πόῤῥωθεν διειλημμένων. *Post ambitum contra exhedram occidentalem, quâ solùm poterant, quod aliæ partes gradibus ex longinquo fuerunt occupatæ.* Non dicit Josephus quis fuerit ille ambitus περίβολος; triplex enim fuit septum in templo: sed licet intelligere septum atrii secundi, quod tenerent Zelotæ, nempe interioris quod Israëlitarum erat. Itaque turres positæ sunt κατόπιν τοῦ περιβόλου post, sive à tergo septi secundi, ex adverso, sive è regione exhedræ occidentalis, quæ erat in septo atrii secundi. De illâ exhedrâ iterùm sermo fiet, ubi pervenerimus ad illud B septum quod tenebant Zelotæ; tum & de illis turribus, quas Joannes erexisse dicitur adversùs exhedram occiduam. Ambulatoriæ erant illæ turres; his enim subjectæ erant rotæ, quarum ope admoveri poterant ad muros qui impugnabantur; quod fieri non poterat ubi solum non erat æquum & occupabatur gradibus. Videbimus autem in latere occiduo septi atrii Israëlis nullos fuisse gradus.

Antequàm porticibus atrii gentium exeamus, quæram an meridiana triplex ipsa sit, quæ in Evangelio dicitur Salomonis, in quâ ambulabat Dominus. Josephi modò protulimus testimonium, qui liquidò dicit porticum orientalem opus fuisse hujus Regis; quod si verum est, de illâ interpretandus Joannes ubi narrat cap. 10. *Et hyems* C *erat, & ambulabat Jesus in templo* ἐν τῷ ἱερῷ, id est, in atrio *in porticu Salomonis*. Cùm præmittat Evangelista *hiems erat*, videretur innuere ideò Jesum ambulasse in hacce porticu quia frigus erat; respiciens enim Orientem tepebat primis radiis solis illustrata. Attamen Joannes potuit addere, *& hiems erat*, ut indicaret illa Encænia de quibus loquebatur, fuisse hiemalia; alia enim celebrabantur aliis anni tempestatibus. *Facta sunt autem Encænia in Jerosolymis, & hiems erat.* Meliùs quidem calor captabatur in porticibus meridianis, quæ ad hunc usum paratæ erant. Salomonis autem nomen & habere potuit porticus meridiana ob præcipuam elegantiam; & eâ de causâ Josephus cùm illam describit, appellat τὴν βασιλικὴν στοὰν Regiam porticum.

SECTIO IV.

De porticuum pinnaculis. In his Dæmon posuit Jesum, ut eum tentaret; & apparuit abominatio prædicta per Danielem, quæ fuit signum quo Christiani intellexêre eversionem Jerosolymorum esse proximam.

Ex his quæ modò dicta sunt, lux accersitur duobus Scripturæ locis; in quibus Interpretes non satisfaciunt viris cordatis. Primus occurrit in Matthæo & Lucâ, ubi illi Evangelistæ enarrant quomodo Diabolus Dominum tentare ausus sit, assu- E mendo eum & transferendo in pinnaculum templi.

Matthæi cap. 4.	Lucæ cap. 4.
5. *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, & statuit eum super pinnaculum templi.*	9. *Et duxit illum in Jerusalem, & statuit eum super pinnam templi: & dixit illi: si filius Dei es, mitte te hinc deorsum.*
6. *Et dixit ei: si filius Dei es, mitte te deorsum: scriptum est enim quia Angelis suis mandavit de te, & manibus tollent te, ne fortè offen-*	10. *Scriptum est enim: quod Angelis suis mandavit de te ut conservent te.*
	11. *Et quia in manibus tollent te, ne fortè*

uas ad lapidem pedem tuum. *offendas ad lapidem pedem tuum.*

Diabolus exploraturus an Jesus verè esset Filius Dei, id est, Christus, duxit eum in locum ex quo casus periculosus erat; eo consilio, ut si Jesum cadentem exciperent Angeli manibus suis, indè sciret quod avebat. Locum ad id aptum elegit τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ, quod Vulgatus in Matthæo interpretatur *pinnaculum templi*, in Lucâ, *pinnam templi*. Quæritur quid sit *pinnaculum*, sive *pinna* templi. *Pinnaculum* vox est inusitata Latinis, facta ex *pinna*, quæ præter plumas avis, & alas, significat in antiquis auctoribus, ut in Livio, eam partem murorum, in quibus sunt propugnatores & hostibus minantur; inde ea pars dicitur *minæ*. Igitur *pinna* sonat Latinis quod Græcis ἔπαλξις; id est, *propugnatio*. Livius libro tertio de Bello Macedonico: *Muri pinnæ aliquot locis decussæ*. Nomen autem πτερύγιον quod legitur in Matthæo & Lucâ, non in eâ significatione usurpatur à scriptoribus Græcis; nempe apud eos non ponitur pro ἔπαλξις. Significat quidem pinnam, alam, alulam; sed non propugnaculum. Igitur jure Grotius sentit vocem esse Helenisticam; quam Hellenes, sive Judæi Græcè scribentes adumbraverant ex Hebræo כנף, *chanaph* quod alam & oram aut marginem significat. Murorum autem pinnacula, pinnæ, vernaculè *creneaux* sunt veluti *margo, ora, summitas*, quæ coronat muros, ne quis ex illis cadat; simul ut tutiùs possint propelli hostes, qui scandere muros tentarent. His expositis vocibus, in rem inquiramus. Videlicet quid esset illud pinnaculum, quæ pars templi, & quæ ejus forma.

Ambigua quidem est vox *templi*, in Latinâ versione; sed Græcus fons ambiguitatem tollit. Quidquid fuerit τὸ πτερύγιον pinnaculum, & ubicumque fuerit, pertinebat ad τὸ ἱερόν. Erat, inquam, τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ. Nomen autem τὸ ἱερὸν exposuimus. Distinximus illud à ναὸς; quod proprium est ædi sacræ. τὸ ἱερὸν, ut declaravimus, dicebatur de atriis, & omnibus ædificiis, præter ædem sacram, in quâ olim Arca. Itaque hactenus erratum est ab iis qui opinabantur Jesum assumptum à Diabolo & positum in pinnaculis, sive in summitate τοῦ ναοῦ ædis sacræ; D non enim ibi legitur τοῦ ναοῦ, sed τοῦ ἱεροῦ. Præterea, ut suo loco observaturi sumus, tectum ædis sacræ horrebat verubus, quibus abigebantur aves, ne huic tecto insidere possent; ita non erat locus idoneus, in quo Diabolus Jesum statueret.

In memoriam revocanda lex Deuteronomii cap. 22. v. 8. quæ nos docebit quid propriè esset τὸ πτερύγιον pinnaculum. *Cùm ædificaveris domum novam*, sic præcipit Deus, *facies murum tecti per circuitum; ne effundatur sanguis in domo tuâ, & sis reus labente alio & in præceps ruente.* Ideò facies *murum tecti*, id est, coronam tecto, ποιήσεις στεφάνην τῷ δώματί σου; Marginem, oram appones, ne quis incautus ex tecto corruat. Tecta ferè plana erant apud Judæos; & E in his deambulabant; ideò cavendum ne quis ex illis caderet. Quæ cùm ita sint, omnia illa ædificia quibus atria templi circumdabantur, habebant in tectis suis τὰ πτερύγια *pinnacula, oras, margines*. Credimus eo in loco Evangelii in quo versamur sermonem fieri de pinnaculis porticuum quæ atrium gentium circumdabant. Habebant illæ ἐπάλξεις *propugnacula*, ut disertè dicit Josephus libro quinto de Bello cap. 9. ubi narrat Zelotas in templo à Simone obsessos, in porticibus, perque propugnacula stantes impetum obsidentium sustinuisse: κατασταντες ἐπὶ τῶν στοῶν, καὶ τῶν ἐπάλξεων, ἠμύνοντο τὰς προσβολάς. Quin, ut ibidem addit Josephus, Zelotæ insuper altiores turres excitaverunt, ut ex altiori loco missilia torque-A rent. In Antiquitatibus lib. 13. cap. 9. dicit Jonathan suasisse populo, ut murum quo templum τὸ ἱερὸν septum fuerat, rursus reficerent, & exstructis turribus altis munitiorem facerent. Τὸ καθῃρημένον τοῦ περὶ τὸ ἱερὸν περιβόλου πάλιν ἀναστῆσαι, καὶ πύργοις ὑψηλοῖς ἐξοχυρῶσαι τὰ περὶ αὐτό. Vidimus primum illud septum quod totam domum Dei circumdabat, fuisse persimile arci.

Diabolum stitisse Jesum quem tentabat in pinnaculo meridianæ porticûs atrii gentium verisimile est, quia ob subjectam profundissimam vallem, locus erat idoneus periculo faciendo, quod tentabat Diabolus. Etenim certè ille verus Dei filius sit, qui ex tantâ altitudine lapsus non offendisset ad lapidem pedem suum. Quin nec sine capitis vertigine oculi poterant intueri in imas valles, cùm illæ despi- B ciebantur ex tecto porticuum, ut dicit Josephus; cujus verba suprà allegavi. « Nam quum vallis in immensum dehisceret, ita ut caligarent despicientium oculi, desuper exstructa erat præalta porticus: cujus tecto conscenso, si quis utramque altitudinem conjunctam contemplaretur, absque vertigine id non poterat, visu deficiente ob nimiam profunditatem, priusquàm ad imum pertingeret. »

Hæc quæ observamus alium locum Evangelii illustrant, ab Interpretibus, ut mihi videtur frustra vexatum. Jesus Christus Dominus noster præmonens discipulos suos de futurâ obsessione Hierosolymorum, ut intra hujus infortunatæ urbis mœnia non deprehenderentur obsidionis tempore, pro sig- C no fugæ, sive instantis cladis dat illis abominationem prædictam à Daniele.

Matth. cap. 24.	Marc. cap. 13.	Luc. cap. 21.
		20. *Cum autem videritis circumdari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus.*
15. *Cùm ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Prophetâ, stantem in loco sancto, qui legit intelligat.*	14. *Cùm autem videritis abominationem desolationis stantem ubi non debet, qui legit, intelligat. Tunc qui in Judæâ sunt fugiant in montes.*	
16. *Tunc qui in Judæâ sunt, fugiant ad montes.*		21. *Tunc qui in Judæâ sunt fugiant ad montes.*

Illa Prophetia ad quam respicit Dominus, reperitur in capite 9. 17. Danielis, ubi vaticinatur de morte Christi, quam subsecutura esset eversio Jerosolymorum; simul & cessatio sacrificiorum . . . *de-* E *ficiet hostia & sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis.* Hæc postrema verba allegat Dominus, ut Christianos de tempore consummationis & absolutæ desolationis admoneret; dicens hoc tempus forè proximum, cùm abominatio appareret ubi non deberet esse. Expendamus ipsa verba Prophetæ, nempe Hebræa quibus usus est על כנף שקוצים משמם *al Kenaph schechutsim meschommem.* Hæc diversimodè redduntur à diversis Interpretibus, quorum diversas interpretationes referre non vacat. Græca versio qualis edita est in Regiis editionibus reddit, ἐπὶ τὸ ἱερὸν βδέλυγμα τῶν ἐρημώσεων. *Et in templo abominatio desolationum.* Quisquis sit auctor hujus versionis; nam discimus à sancto Hieronymo quod Ecclesia in Daniele usa sit versione Græcâ

Theodotionis; non interpretatus est auctor hujus versionis verba Prophetæ de re quæ contigerit in æde sacrâ ἐν τῷ ναῷ; si quidem vocem τὸ ἱερὸν usurpet, quæ semper intelligitur de atriis templi, aut de iis quæ ad atria spectant. Daniel non inseruit nomen nec ædis sanctæ, nec atriorum, sed tantùm dicit על כנף *al Kenaph*, id est, *ad alam*, vel *supra alam*. Nomen Hebræum *Kenaph* proprium quidem est alis, pennis avium. Significat etiam marginem, oram, pinnam, pinnàculum. Illud Græci senes decies interpretati sunt πτερύγιον, ut videre est in concordantiis Kircheri.

Itaque liquet Prophetam loqui de aliquâ abominatione, quæ contingeret ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ supra pinnaculum loci sacri. Daniel simpliciter dixit *supra pinnaculum*: non denotat pinnaculum, vel sacræ ædis, vel pòrticuum ejus; sed cùm Græci senes intelligerent aliquod pinnaculum celebre, cujus ergo nomen potuerat reticeri à Prophetâ, interpretati sunt ἐπὶ τὸ ἱερὸν βδέλυγμα; sed illi, quales eos habemus in editione vaticanâ, non expresserunt vocem Hebræam *Kenaph*; quæ reperitur expressa in antiquâ versione, quam Tertullianus videtur sequi. Ἕως πτερυγίου ἀπὸ ἀφανισμοῦ destruet *pinnaculum ad interitum*. Ex verbis Danielis necessariò intelligendum dictam abominationem contigisse supra aliquod pinnaculum. Ex interpretatione Græcorum Interpretum, illud pinnaculum fuisse in templo ἐπὶ τὸ ἱερὸν, & ex verbis Domini apud Matthæum ἐπὶ τόπῳ ἁγίῳ in loco sancto. Ergo in pinnaculis atriorum, sive porticibus, sive ædificiis quæ atria circumdabant; quæ efficiebant ut totum templum esset instar arcis.

Miror Capellum in observationibus suis ad N. T. non animadvertisse veram significationem vocis ἱερὸν. Opinatus est de re agere Prophetam, quæ transigenda esset in ipsâ æde sacrâ; cui cùm nomen ἱερὸν convenire arbitretur, Græcos Interpretes vult in codice Hebræo Danielis non legisse כנף *Kenaph*, id est, alam, sed היכל *Hekal*. Evicimus autem *hekal* semper intelligi de æde sacrâ, quæ nominatur ναός. Nomen autem ἱερὸν dicebatur de omnibus atriis quæ loca sancta erant. Quidquid sit illud Hebræum *Kenaph*, Græcè τὸ πτερύγιον, Latinè pinnaculum, ipsa res de quâ agitur & quæ censetur abominabilis, stabat in loco sancto. Daniel, inquam, prædicebat, abominationem quæ futura esset supra pinnaculum in templo, in loco sancto, ut Græci locuti sunt & ipse Dominus. Pinnaculum autem illud non aliud potuit esse quàm quod potissimùm animadversione dignum esset, puta pinnaculum porticuum. Porticus autem erant in diversis septis Antequàm definiamus quæ illa fuerit porticus, decet inquirere in ipsam rem quæ à Prophetâ nomine abominationis designata est, stans supra pinnaculum loci sancti, qui locus sic conspicuus fuerit Christianis, ut recordantes verborum Domini intellexerint quando sibi fugâ consulendum esset. Certè admoniti fugerunt, & in oppugnatione Jerosolymorum miserias illas non pertulêre, quas experti sunt Judæi; quia jam hacce infelici urbe excesserant, quando arctâ obsidione à Romanis vallata est.

Prophèta quidem non verbis describit qualis futura esset abominatio quam prædicit: in genere tantùm dicit rem detestandam, execrabilem. Verbum שקץ *sikets* redditur à Græcis vulgo βδελύττω *abominor*, quandoque προσοχθίζω *detestor*; nomen verò שקץ *schekets* hisce sequentibus nominibus βδέλυγμα *abominatio*, quod frequentiùs occurrit: βδελυγμὸς, *abominatio*: προσόχθισμα *detestatio*: μίασμα *fæditas*. Sic hocce ultimo nomine vertitur apud Jeremiam capite 32. versu 34. ἔθηκαν τὰ μιάσματα αὐτῶν ἐν τῷ οἴκῳ. *Et posuerunt fæditatem suam in domo*. In Vulgatâ versione: *Et posuerunt idola sua in domo, in quâ invocatum est nomen meum, ut pollucrent eam*. Idem nomen *schekets* redditur εἴδωλον idolum; quod non propriè significat, sed metonymicè, quatenus idolum pro abominatione habendum est. Quæque sit significatio nominis Hebræi, à Prophetâ indicatur res quæ domum Dei polluebat; quod multis modis fieri poterat, ut cùm ossa cadaverum inducebantur in templum, aut cædes in eo admittebatur, & effundebatur humanus sanguis; quod inprimis Deus vetuerat. Ipse compellat Ezechielem cap. 43 v. 7. *Fili hominis, locus solii mei*, loquitur de templo, *& locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israël in æternum: & non pollnent ultrà domus Israël nomen sanctum meum, ipsi & Reges eorum in fornicationibus suis, & in ruinis Regum suorum, & in excelsis*. Fons Hebræus limpidior in fine hujus commatis: *non pollnent .... in cadàveribus Regum suorum & in excelsis*. בפגרי מלכיהם במותם bepighre malkeem bamotham. Græci ἐν τοῖς φόνοις τῶν ἡγουμένων ἐν μέσῳ αὐτῶν. *Et in homicidiis ducum in medio sui*. Eam rationem reddit Philo, libro de Specialibus legibus, cur Moses non permiserit homicidis confugere in templum: *Legislator prudenter*, inquit Philo, *in futurum prospiciens, præcavêre voluit* μὴ φόνον ἐν τῷ ἱερῷ γίνεσθαι *ne in templo committeretur homicidium, si illud frequentarent occisi hominis necessarii, qui præ impotenti affectu, vel propriis manibus confecturi homicidam videbantur*, ὃ γενομένου συμβήσεταί τι τῶν ἀνοσιωτάτων, *quo facto fieret impietatis summæ facinus. Sic enim victimarum sanguis misceretur cum homicidarum sanguine: sacratus cum execrabili*. τὸ καθωσιωμένον τῷ μὴ καθαρῷ. *Propterea jubet* Moyses *ut ab ipsis aris abstrahatur homicida*.

Ergo cadavera, ossa in templo censebantur detestanda abominatio; undè in odium Judæorum notat Josephus libro 18. capite 3. Antiquitatum clam inducta ossa in templum à Samaritanis. *Infesto azymorum, quod Pascha vocamus, mos est Sacerdotum post mediam noctem aperire templi* τοῦ ἱεροῦ *januas. Tunc igitur quàm primùm aperta sunt, Samaritani quidam clam ingressi Hierosolyma, sparserunt ossa humana per porticus & totum templum* διὰ παντὸς τοῦ ἱεροῦ: *quo factum est, ut posthac Sacerdotes solito diligentiores custodias agerent*. Omnium gentium animos ista opinio invaserat cadavera amovenda à locis sacris. Legere est apud Herodotum in Clio, sive libro primo, quomodo Pisistratus expiaverit Delum insulam, ex omni loco cadaveribus effossis, & in alium ejusdem insulæ locum translatis.

Ut quò intendimus, veniamus, circa annum sexagesimum sextum æræ Christianæ, tres aut quatuor annos ante oppugnationem urbis, magnis dissentionibus laboravit Judæa, aliis bellum cupientibus, aliis verò in Romanorum fide manere volentibus. Indè latronum globi & cunei per Judæam excitati sunt, qui etiam in urbem ingressi templum occupavêre, quo tanquam præsidio utebantur adversùs populum. Latrones illi Zelotæ dicebantur, quia sub specie religionis pacem cum Romanis nolebant servare. Horum audacia initium bello dedit. Cùm autem populus eos voluisset templo expellere, ibidem multæ peractæ cædes, quas ex dictis certum est habendas pro abominationibus; quæ, ut ipse Josephus agnoscit, fuêre signum veterum vaticiniorum adversùs urbem implendorum. *Vetus enim*, inquit, lib. 5. cap. 2. de Bello, *quidam sermo ferebatur, tum demùm civitatem captum iri, sancta quoque flammis exurenda esse lege belli, cùm*

seditio

sedicio fuisset exorta καὶ χεῖρες οἰκείαι προμιάνασι τὸ τοῦ Θεοῦ τέμενος, *& locum Deo sacratum propriæ manus ante violassent.* Ita verba Jesu Christi Domini concordabant, ut patet ex hocce Josephi testimonio, cum antiquis vaticiniis.

Innumeræ, inquam, abominationes in loco sancto commissæ sunt, ubi Zelotæ cœperunt cum adversariis suis confligtari è templo, quod occupaverant. Josephus inducit lib. 4. cap. 5. de Bello, Ananum adversùs illos Zelotas loquentem. *Equidem*, inquit, *mori potiùs deberem, quam Dei domicilium videre tantis refertum piaculis: atque inaccessa & sancta loca sceleratorum pedibus frequentari.* Narrat in libro 5. cap. 9. de Bello, quomodo Zelotæ disposuerant balistas supra pinnacula. *Illi autem*, inquit, *in porticibus perque propugnacula* ἐπὶ τῶν στοῶν καὶ τῶν ἐπάλξεων *stantes impetum propulsabant, multique ex Simonis parte oppetebant, multi saucii referebantur.* Balistæ illæ sic dispositæ erant על כנפ *al chenaph* supra alas, id est, supra pinnacula, quæ dicuntur à Græcis ἐπάλξεις. Paulò post addit Josephus. *Per turres autem*, quas supra ipsas porticus excitaverant, *disposuerunt balistas saxorumque tormenta, & sagittarios & fundarum scientes.* Quapropter templum verè abominationibus completum est, ut pergit narrare Josephus libro sequenti cap. 1. *Crebri enim fiebant impetus & missilium jactus, totumque polluebatur cædibus templum*, καὶ φόνοις ἐμιαίνετο πανταχοῦ τὸ ἱερόν. Hæc ultima verba sufficerent; sed juvat subjungere sequentia quibus has cædes describit auctor. » Missilia namque machinarum vi ad » aram usque, ædemque sacram pervenientia in Sacer» dotes sacra celebrantes cadebant, ac multi qui pro» perantes ab ultimis finibus terræ ad sanctissimum » locum venissent, ante ipsas hostias procubuerunt; » aramque universis Græcis & Barbaris adorandam » suo sanguine imbuêre. Indigenis autem mortuis » alienigenæ, ac Sacerdotibus prophani misceban» tur: perque atria divina stagnum fecerat diverso» rum cadaverum sanguis. Παντοδαπῶν αἷμα πλασμάτων ἐν τοῖς θείοις περιβόλοις ἐλιμνάζετο. Nec prætermittendus locus ex libro 4. de Bello cap. 5. ubi narrat quomodo *Zelotarum quicumque vulneratus fuisset* εἰς τὸ ἱερὸν *ascendebat, sacram humum cruore perfundens, ut solo eorum sanguine violatam religionem rectè quis dixerit.* καὶ μόνον ἄν τις εἴποι τὸ ἐκείνων αἷμα μιᾶναι τὰ ἅγια. Nullus igitur dubitandi locus quin tanta strage contigerit abominatio in templo. Fiebat illa machinamentis quæ erant disposita in pinnaculis templi. *Zelotæ*, inquit Josephus in libro septimo cap. 4. *supra sacras portas jacula & balistas & saxorum disposuêre tormenta, ut omne quidem circum* τὸ ἱερὸν *spatium multitudine mortuorum sepulchra*, τὸν ἢ ναὸν *templum verò castello simile videretur.*

Vulgò Interpretes dicunt Danielem, dum vaticinaretur, intuitum imaginem Cæsaris, quam inducere in templum voluit Pilatus, aut Hadriani equestrem statuam, quæ in ipso loco ubi fuerat Sanctum Sanctorum, collocata fuit. Nomen quidem שקץ *schekets*, ut diximus, significare potest metonymicè idolum; sed suscepta abominatio à Pilato citiùs contigit; illa seriùs, cùm eversis Hierosolymis jam nulli instabat periculum, ne in ejus obsidione periret. Omnia concurrunt quibus nostra interpretatio magis probetur. Balistæ, machinæ dispositæ per propugnacula, per alas ἐπὶ τῶν ἐπάλξεων, quod idem est ἐπὶ τοῦ πτερυγίου, tanta strages cadaverum in templo; quâ non alia major abominatio tunc cogitabatur, erant signum conspicuum, quo Christiani admonebantur tempus instare eversionis Jerosolymorum. Tum etiam quòd jam videbant exercitus Romanos proximos urbi; quod signum Dominus conjunxerat cum abominatione stante ubi non oportebat. Tum & constabat ipsis Judæis hæc omnia in signum contingere, ut Josephus declaravit, quando à Tito ad Zelotas missus hisce verbis eos alloquebatur lib. 7. cap. 4. de Bello. « Quis ignorat scripta veterum Prophetarum & responsum im- « pendens miserrimæ civitati? Jam tunc cùm ejus « excidium prædixêre, cùm quis homicidium gen- « tile cœpisset. Vestrorum autem cadaverum non « civitas tantùm, sed etiam templum omne reple- « tum est. « Τῶν ἡμετέρων ἢ πτωμάτων, οὐχ ἡ πόλις, καὶ τὸ ἱερὸν πᾶν πεπλήρωται. Ipse Imperator sic exprobrabat Judæis scelera ipsorum. « Quid igitur in eo templo etiam mortuos conculcastis, ô nocentissimi? Aut cur « templum & externi & gentilis sanguinis confusio- « ne polluistis? «

Judæi olim credidêre vaticinium Danielis impletum tempore Machabæorum cùm Antiochus templum polluit. In eâ fuisse sententiâ videtur scriptor libri primi Machabæorum c. 1. v. 57. *Ædificavit Rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei.* Fons Græcus habet ipsissima verba Evangelii βδέλυγμα ἐρημώσεως. Attamen quod tempore Zelotarum factum est initio Belli Judaïci, magis convenit vaticinio Danielis; neque per Antiochum gens excisa est; & abominatio facta ab illo est super altari, non supra alas, sive pinnacula.

SECTIO V.

In primo atrio admittebantur gentes, undè dictum gentium. Pleraque ex illis colebant Deum Israël; cui & offerebant sacrificia.

GEntes quas cæteris atriis Judæi arcebant, admittebantur intra primum atrium, indè gentium nominatum à Christianis scriptoribus. Judæi duplici nomine vocabant illud הר בית *har beth*, id est, *mons domûs*; quia pars erat montis in quo domus Dei erat ædificata; sed non pars ipsius domûs Dei. Aliquando verò חול, id est, *prophanum*, vel *commune*, quia videlicet in illud intrare poterant Ethnici. Occasione hujus atrii exponam duos primos versus capitis 11. Apocalypseos; quo in loco Joannes videtur declarare Ecclesiam non statim dilatandam, sed per aliquem annorum numerum coarctandam inter angustos limites, quod ut significet sic loquitur in dicto capite.

1. *Et datus est mihi calamus similis virgæ, & dictum est mihi, surge & metire templum Dei & altare & adorantes in eo.*

Pleræque gentes calamo utebantur pro mensura pro virga, pro pertica mensoria. Joannes postquàm accepit de manu Angeli volumen sedebat & comederat illud. In hoc volumine continebantur, mala quæ Ecclesiæ contingerent; idcircò dicitur, quod in ore ejus suave fuerit, sed in ventre amarum, nempe cùm Joannes advertit mentem ad illa mala. Angelus nunc excitat Joannem ut surgat ad metiendum templum Dei τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ. Hæc vox ναὸς propria est ædi ubi Arca, candelabrum & aureum altare. Hæc ædes angusta erat non habens in longitudine ultra sexaginta cubitos & viginti in latitudine; sed ne Ecclesia Dei ita parva videretur, adjungit Angelus, sed & metire *altare & adorantes in eo*: metire atrium Sacerdotum in quo erat altare holocaustorum, & sacris operabantur Sacerdotes. Innuitur etiam secundum atrium scilicet Israëlitarum, per hæc verba *& adorantes in eo.* Designatur enim non solùm altare, sed totum spatium in quo Israëlitæ consistentes poterant intueri altare, quod in centro templi erectum, & per tres portas fiebat omnibus Israëlitis conspicuum, ut videre est in ichno-

graphiâ templi. Adorantes in eo intelligendi sunt omnes qui verum Deum colebant, cui erectum altare.

Ad hæc ergo duo atria primum & secundum quæ figura erant Ecclesiæ jubetur Joannes mentem advertere & diligenter metiri; cætera verò loca negligere, in quibus negligeretur Dei cultus certo annorum spatio quod indicat Angelus qui Joannem alloquitur.

2. *Atrium autem quod est foris templum ejice foras, & ne metiaris illud: quoniam datum est gentibus, & civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.*

Loquitur Angelus de atrio tertio, quod, ut diximus, appellabatur αὐλὴ ἡ ἔξ *aula exterior*, quia extima per respectum ad atrium Israëlitarum, quod propius erat ædi sacræ. *Ejice*, id est, exclude illud à dimensione. Neglige illam partem templi nec oculos ad illam declina; quoniam data est gentibus inter quas non vigebit Ecclesia. Atrium gentium repræsentat regiones à vero Dei cultu alienas. Scilicet alludit Angelus ad tertium atrium, quod proprium erat gentibus, & hac allusione prænuntiat quod futurum erat *& civitatem sanctam calcabunt*, contaminabunt, profanabunt premens suo jugo fideles, *mensibus quadraginta duobus*; quæ est periodus regni bestiæ definita capite 13. ejusdem Apocalypseos versu quinto: *& datum est ei os loquens magna & blasphemias, & data est ei potestas facere menses quadraginta duos.* Hi dies faciunt tres annos cum dimidio anno, quo temporis spatio durarunt gravissima sub Antiocho mala, quibus similia ex vaticinio Angeli debebant contingere; ita ut tunc non dilataretur Ecclesia; quod repræsentabat templum ex quo ejiceretur atrium gentium non mensurandum.

Revertamur ad propositum. Judæi atrium gentium agnoscunt quidem, nam septi ejus portas numerant, & certis nominibus distingunt, ut vidimus; sed odio gentium vix ore usurpant; quod quantum fuerit, ut liqueat, referam quod dicit Maimonides in Halaca רוצח, sive in tractatu de Homicidio cap. 4. » Hæretici Israëlitici, qui idola colunt »ex Israele, aut qui transgrediuntur ut irritent, item»que Israëlitæ qui negant legem & Prophetas, ex » præcepto sunt occidendi, si potest quis eos occi» dere, idque palam: si autem non apertè, clam & » astutè machinari eis mortem licet. Et paulò post « Gentilibus verò quibus nobiscum non est bellum, » itemque pastoribus pecorum minutiorum, aliisque » istiusmodi non mortem quidem ita machinantur; » at prohibitum tamen est eos à morte liberare, si » de morte periclitantur. Ut si quis Judæus Ethni» cum videret in mare delapsum, eum nullomodò » indè tollere debet. In veteri Testamento præceperat Deus proximum diligendum, odio habendos inimicos. Judæi interpretabantur inimicum quemcumque hominem de non gente Israëlis; cùm intelligere debuissent eos solos, quorum commercio deteriores fierent: quos ergo ut inimicos Dei oportebat etiam odio prosequi. Deus vult omnes homines quos fecit, & salvos facere. Asciverat quidem solos Judæos in populum, & in solâ urbe eorum metropoli sinebat sibi offerri sacrificia, quia sic necessarium ut ederentur typi unius suæ Ecclesiæ quam filius suus congregaturus erat. Caverat etiam ne Judæi commixti cum Gentilibus imitarentur opera eorum idololatrias, fornicationes; sed qui omnium Dominus est, & neminem suo cultu prohibet, nunquam respuit pios Gentiles, imò advocavit ad cultum suum, & prænuntiaverat per vates suos fore tempus quo gentes omnes confluerent in Ecclesiam suam; quod reipsâ contigit, non solùm post mor-

A tem Christi, sed & antea. Complures ex Ethnicis, nempe ex iis qui non erant ex prosapiâ Judæorum, nati ex parentibus incircumcisis, Deo serviebant vivo & vero. Hi sunt qui appellantur in codice novi fœderis εὐσεβεῖς *pii* εὐλαβεῖς *timorati*, quorum commercio Christianam doctrinam videmus fuisse perductam ad omnes gentes. Deus natus ex muliere, pendens ab uberibus, pauper, despectus, affixus cruci, mortuus & sepultus deterrere poterat à Christianismo gentiles; in quorum animis, si quæ notio Dei erat, exhibebat eum cælestem, potentem, invictum. Judæi quidem poterant faciliorem aurem præbere Jesu Christo & suis Apostolis statim ac hunc probabant pro hoc Messiâ quem à tot sæculis ex-
B pectabant, & cui omnia de Christo prænuntiata conveniebant. Quomodo autem Gentiles non aspernati essent Apostolos, qui Jesum crucifixum prædicabant, nisi ad illos sermo aliquis pervenisset de hoc Messiâ venturo, de vitâ & morte ejus & vaticiniis quæ eum annuntiabant? Commercio piorum Gentilium cum Judæis, sermo ille de Messiâ per totum orbem dimanare potuit. Deus quos vult ad se adducit gratiâ interiori fidem infundens & persuadens, non litteris sed portentis. Verùm & rationem adhibet, quâ homines fiunt proniores ad amplectendam doctrinam Christianam; ideò quò tempus Evangelii promulgandi magis appropinquabat, plurimos ex gentibus advocavit, per quos dis-
C seminabatur ille sermo, qui fuit veluti fundamentum Evangelicæ demonstrationis superstruendæ.

His, inquam, de causis, ut videtur, & quia æquum erat ut verus Deus ab omnibus coleretur, proprius locus in templo gentibus datus est, in quo eis licebat consistere. Tali atrio non opus fuerat in Tabernaculo Moysis; nondum enim Deus gentibus innotuerat. Plures etiam anni præterierunt, per quos forsan tam pauci erant pii Gentiles, ut non opus fuerit assignare eis peculiare atrium. Verùm ubi instabat tempus, quo plerique ex illis confluere debebant in Ecclesiam, necessarius fuit locus spatiosus. Tempore Salomonis non prorsus arcebantur, ut patet ex verbis hujusce Regis, 3. Reg. capite 8.

D 4. *Insuper & alienigena qui non est de populo tuo Israël, cùm venerit de terrâ longinquâ propter nomen tuum)(audietur enim nomen tuum magnum & manus tua fortis & brachium tuum.*

42. *Extentum ubique) cùm venerit ergo, & oraverit in hoc loco.*

43. *Tu exaudies in cælo, in firmamento habitaculi tui, & facies omnia pro quibus invocaverit te alienigena: ut discant universi populi terrarum nomen tuum timere, sicut populus tuus Israël, & probent quia nomen tuum invocatum est super domum hanc quam ædificavi.* Juxta illud Salomonis vaticinium, gentes adoratum venisse Jerosolymam constat multis testimoniis. Videre est in Actis plerosque inter gentes Deum Israëlis coluisse; sed quia non
E circumcisi erant, non admittebantur intra atria Israëlitarum; de quibus Joannes loquitur cap. 12. v. 20. *Erant autem quidam Gentiles* ἦσαν δέ τινες Ἕλληνες, *ex his qui ascenderant, ut adorarent in die festo.* Infra comprobabimus certo argumento non ibi intelligendos Græcos Judæos; etenim ipsi intrassent in atria Israëlitarum, à quibus videntur exclusi. Et de numero piorum Gentilium erat Æthiops Eunuchus, de quo in Actis cap. 8. v. 27. dicitur. *Et ecce vir Æthiops Eunuchus, potens Candacis Reginæ Æthiopum, qui erat super omnes gazas ejus, venerat adorare in Jerusalem.*

Josephus libro secundo contra Appionem, illam distinctionem atriorum ponit pro fundamento; &

Gentiles qui non excludebantur primo, haud admissos intra secundum & tertium. » Quod, inquit, » sciunt omnes qui viderunt constructionem tem» pli nostri qualis fuerit, & intransgressibilem ejus » purificationis integritatem. Quatuor enim porti» cus habuit in circuitu, & harum singulæ pro» priam secundùm legem habuêre custodiam. In » exteriorem itaque ingredi licentia fuit omnibus » etiam alienis. Mulieres tantummodò menstruatæ » prohibebantur: In secundam verò porticum cunc» cti Judæi ingrediebantur, eorumque conjuges, » cùm essent ab omni pollutione mundæ. In ter» tiam masculi Judæorum mundi existentes, atque » purificati. In quartum autem Sacerdotes stolis in» duti Sacerdotalibus. In adytum verò soli princi» pes Sacerdotum propriâ stolâ circumamicti. Hæc allegamus ex versione Latinâ, quæ superest; nam fons Græcus ibi deficit. Quin videretur ibi Josepho lacinia addita; sed aliundè constat ex isto scriptore admissas in primo atrio gentes; non solùm ut in eo versarentur, sed ut sacrificia afferrent; nec obstabat lex Levitici cap. 22. v. 25. prout eam exponendam esse evincemus. *De manu alienigenæ non offeretis panes Deo vestro, & quicquid aliud dare voluerit: quia corrupta & maculata sunt omnia: non suscipietis ea.* Hanc legem sic vulgò Christiani doctores interpretantur, ut non liceret ipsam oblatam à Gentili victimam mactare Deo; sed quæpiam alia comparanda esset argento quod ille obtulisset. Doctores verò Talmudici legem dictam restringunt ad panem, ut ostendit Seldenus libro tertio de Jure naturali, capitibus quarto & septimo, allegans Maimonidem qui in tractatu *Maasche Hacorbanoth*, sive de sacrificiis sic loquitur Interprete Seldeno. » A Gentilibus recipienda non erant alia præter ho» locausta, secundùm illud legis sacræ, de manu a» lienigenæ non offeretis panem Deo vestro. Etiam » holocausta ex avibus recipiebant à Gentili; idque » tametsi nondum cultui extraneo, seu idololatriæ » renuntiasset. Cæterùm recipienda à Gentilibus non » erant aut sacrificia pacifica aut sacra frumentacea » in lege præstituta, aut sacrificia pro peccatis ex » ignorantiâ, aut ea quæ offerenda fuêre ob trans» gressionem voluntariam. Quin nec in holocaustum » ab Gentilibus recipiendum fuit aliquid, quod ab » eis non sponte aut ex voto offerebatur: veluti si » Gentilis adferret in holocaustum agnum puerperii » nomine, seu quid ejusmodi aliud in holocaustum, » quod neque ex voto, neque ex spontaneâ pende» ret oblatione.

Quamcumque in partem accipiatur lex allegata Levitici, sive tantùm pecunia acciperetur à Gentilibus in impensas holocaustorum, sive ipsi quidpiam aliud offerrent, extra omnem controversiam est complurium Gentilium nomine, sive soluto ab illis pretio, facta fuisse in templo Hierosolymitano sacrificia. Cùm Cyrus liberos Judæos jussit reverti in patriam & excitare templum, ad sacrificia voluit sumptum suppeditari ex Regiis Gazis. Id præcipit in libro primo Esdræ cap. 6. v. 8. *Scilicet ut de arcâ Regis, id est, de tributis, quæ dantur de regione trans flumen, studiosè sumptus suppeditentur viris illis ne impediatur opus.*

9. *Quod si necesse fuerit, & vitulos, & agnos, & hædos in holocaustum Deo cæli, frumentum, sal, vinum, & oleum, secundùm ritum Sacerdotum, qui sunt in Jerusalem, detur eis per singulos dies, ne sit in aliquo querimonia.*

De Cyro dici potest quod non accesserit ad templum, quod post mortem ejus ædificatum est; sed Alexander Magnus, attestante Josepho in Antiquitatibus in fine libri undecimi, venit Hierosolymam; *& ascendens in templum immolavit Deo ex Sacerdotis præscripto* καὶ ἀνελθὼν ἐπὶ τὸ ἱερὸν θύει μὲν τῷ θεῷ κατὰ τὴν τοῦ ἱερέως ὑφήγησιν. In secundo Machabæorum cap. 3. v. 35. Heliodorus dicitur Deo sacrificia obtulisse; & initio hujus capitis, Reges locum templi honorasse, & maximis muneribus illustrasse; ita ut Seleucus Asiæ Rex de reditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministeria sacrificiorum pertinentia Συνέβαινε καὶ αὐτοὺς τοὺς βασιλεῖς τιμᾶν τὸν τόπον, καὶ τὸ ἱερὸν ἀποστολαῖς ταῖς κρατίσταις δοξάζειν, ὥστε καὶ Σέλευκον τὸν τῆς Ἀσίας βασιλέα χορηγεῖν ἐκ τῶν ἰδίων προσόδων πάντα τὰ πρὸς τὰς λειτουργίας τῶν θυσιῶν ἐπιβάλλοντα δαπανήματα. In tertio libro Machabæorum, qui si non auctoritatis, attamen antiquitatis est magnæ, narratur quomodo Ptolomæus Philopator ingressus sit in eam partem quæ omnibus patebat Gentilibus, & sacrificaverit Deo magno; & cùm admiratus esset τὴν τοῦ ἱεροῦ εὐταξίαν nempe pulchritudinem, bonam dispositionem nempe atrii gentium, cogitaverit & perrumpere usque in ædem sacram εἰς τὸν ναὸν, cui Judæi obstiterunt, quò id soli Sacerdoti licitum esset.

Eleazarus filius Ananiæ in templo κατὰ τὸ ἱερὸν persuaserat his qui sacrificiis ministrabant, ut nullius munus aut hostiam, qui non esset de Judæorum gente, susciperent; quod erat Romani belli seminarium ac materia, si quidem rejecit hostias Cæsaris, quæ à Romano populo offerri solitæ erant. Rem narrat Josephus libro secundo de Bello cap. 17. simul subjicit concionem Pontificum, qui ab hocce proposito voluerunt deterrere seditiosos. Revocabant enim in memoriam *Majores quidem eorum ornasse templum ex magnâ parte de muneribus gentium* κεκοσμηκέναι τὸν ναὸν ἐκ τῶν ἀναθημάτων τῶν ἀλλοφύλων *semperque eorum qui foris essent populorum munera suscepisse* ἀπὸ τῶν ἔξωθεν ἐθνῶν. Sic denotari Gentiles à Judæis: *& non solùm non prohibuisse aliquorum hostias (id si quidem impiissimum) sed etiam eas quæ viserentur permanerentque ad præsens usque tempus, oblationes eorum in templi cultibus collocasse.* Καὶ τὰ παραμένοντα τὸν τοσοῦτον χρόνον ἀναθήματα περὶ τῷ ἱερῷ καθιδρυκέναι. *At nunc eos qui Romana arma irritarent, & desponderent eorum bella, novum statuere morem religionis, atque cum periculis etiam ream facere civitatem impietatis videri: si nempe præter Judæos solos nullus alius ibi sacrificaverit nec adoraverit.* Οὔτε θύσει τις ἀλλότριος, οὔτε προσκυνήσει .... *producebant in medium scientissimos morum paternorum, Sacerdotes quosque, narraturos quomodo omnes eorum majores exterarum gentium semper sacrificia suscepissent.* Hæc Josephus, ex quo afferri possunt plurima exempla sacrificiorum quæ Gentiles obtulerunt in templo. Antiq. libro 18. cap. 7. scribit Vitellium cum Herode Tetrarchâ ascendisse Hierosolymam, ut sacrificaret in festo Paschatis.

Non prætermittendum quod Philo dicit de Augusto, libro de Legatione ad Caium Cæsarem. *Tam sanctè*, inquit, *sacra nostra coluit, ut penè omnium domesticorum ejus dona extent in templo nostro.* Ἀναθημάτων πολυτελείαις τὸ ἱερὸν ἡμῶν ἐκόσμησε; *in quo mandavit quotidiana mactari holocausta suis sumptibus Deo sacrata altissimo; quæ sacra in hodiernum peraguntur, durabuntque perpetuò, monumentum virtutum verè imperatoriarum.* Quæ dona crateras, lances, mensas, urceolos, & alia vasa divinæ rei ministerio necessaria hic Imperator & uxor ejus miserint ad templum, quibus ornaverint τὸ ἱερὸν, memorat Josephus in fine libri sexti de Bello; & in fine libri 14. Antiquitatum capite ultimo, narrat Sosium consecrasse auream coronam Deo, nempe in templo; quod, inquit, summo in honore est apud Gentiles. *Locus toti orbi terræ venerabilis, quique ab universis alienigenis ab extremo limite mundi venientibus honoratur.* Sic loquitur de templo libro 4. de Bello cap.

6. libro 5. cap. 1. Dicit aram fuiſſe Græcis & Barbaris venerandam. Opponi non poteſt quod adversùs religionem templi aliquando admiſſum eſt à quibuſdam proteriis militibus. Romani in feſtis ſolemnibus imponebant præſidium templo. *Concurrentibus undique*, ait Joſephus libro 20. cap. 4 *ad ſolemnitatem Paſchatis turbis plurimis, veritus Cumanus* Procurator Romanorum, *ne indè naſceretur motus aliquis, juſſit cohortem unam armatam ſtare ſupra templi porticus* ἐπὶ τῶν τοῦ ἱεροῦ στοῶν, *cohibituram tumultum, ſi quis fortè exſiſteret.* Rem eandem narrat libro 2. de Bello cap. 20. & adjicit quod à milite audax facinus perpetratum eſt contra honorem debitum loco. *Conveniente quippe multitudine* ad diem feſtum azymorum Hieroſolymam; ſtante cohorte Romanâ ſuper porticum templi ὑπὲρ τὴν τοῦ ἱεροῦ στοὰν *armati milites ſemper cuſtodiebant dies feſtos, ne quid convenientes populi novare auderent, unus è militibus, reductis turpiter veſtimentis, inclinans poſteriora ſua vertit ad faciem Judæorum & ad hunc habitum vocem ſimilem ſucclamavit. Ob quod factum tota cœpit multitudo conqueri, ita ut circumſiſterent Cumanum, ad ſupplicium militem depoſcentes.* Hoc factum cùm ferre non potuiſſent plerique Judæorum, projecerunt lapides in huncce militem. Sic mota eſt ſeditio, ad quam coercendam Romani milites immiſſi ſunt in Judæos; qui cùm ἐκ τοῦ ἱεροῦ fugerent innumeri conculcati ſunt.

CAPUT VII.

De ſepto atrii Iſraëlitarum. Illi prætendebatur lorica, quam tranſilire non licebat gentibus; quæ & excludebat Iſraëlitas non caſtos. De menſuris hujus ſepti juxta Ezechielem.

SECTIO I.

Ante ſeptum atrii Iſraëlitarum ab Oriente, Auſtro & Septentrione decem cubitorum intervallo erat lorica elegans.

ACcedentibus ad ſeptum atrii ſecundi quod Iſraëlitarum dicebatur, occurrebat lorica, quæ ſignabat limites, ultra quos non licebat gentibus perrumpere; de quâ dicturus admonebo illam diſtinguendam ab alterâ, quæ Sacerdotes ſecernebat à populo, & de quâ loquitur Joſephus in Antiquitatibus lib. 7. cap 3. enarrans quæ perfecerit Salomon, Περιέβαλε δὲ τοῦ ναοῦ κύκλῳ γεισίον μὲν κατὰ τὴν ἐπιχώριον γλῶτταν, θριγκὸν δὲ παρ' Ἕλλησι λεγόμενον, εἰς τρεῖς πήχεις ἀναγαγὼν, τὸ ὕψος εἴρξοντα μὲν τοὺς πολλοὺς τῆς εἰσόδου, μόνοις δὲ ἀνειμένην αὐτὴν τοῖς ἱερεῦσι σημαίνοντα. *Circumdedit deinde templo ſeptum quoddam trium cubitorum altitudine, quod noſtrâ linguâ giſon vocamus, excluſurum prophanam multitudinem, & ſolos Sacerdotes admiſſurum.* De ſepto atrii Sacerdotum ibi fieri ſermonem liquet ex eo quod dicit auctor circumdatum τοῦ ναοῦ κύκλῳ, nempe poſitum circa ædem ſacram; & intra illud ſolos Sacerdotes admiſſos. Meminit & ejuſdem loricæ libro ſexto de Bello cap. 6. Περιέστεφε δὲ τόν τε ναὸν καὶ τὸν βωμὸν εὔλιθόν τι καὶ χαρίεν γείσιον, ὅσον πηχυαῖον ὕψος, ὃ διεῖργεν ἔξωθεν τὸν δῆμον ἀπὸ τῶν ἱερέων. *Ædem ſacram, aramque cingebat ex pulcherrimo ſaxo lorica gratiſſima uſque ad cubitum ſurgens, qua populum à Sacerdotibus ſegregabat.* Legendum putarem τριπηχυαῖον, ut ſibi conſtet Joſephus, qui illam loricam modò fecit tricubitalem. Sed nunc agitur de alterâ loricâ quæ occurrebat venientibus ab atrio gentium ad ſecundum atrium; quam ſic paucis deſcribit idem Joſephus libro ſexto de Bello cap. 6. ubi cùm dixiſſet atrium gentium ſtratum

A fuiſſe lapidibus, ſubdit διὰ τούτου προϊόντων ἐπὶ τὸ δεύτερον ἱερὸν, δρύφακτος περιβέβλητο λίθινος, τριπήχυς μὲν ὕψος, πάνυ δὲ χαριέντως διειργασμένος. *quà verò ad ſecundum* τὸ ἱερὸν, id eſt, atrium *ibatur, circum diſpoſita erat lorica lapidea, grato opere valdè elaborata.* Eodem nomine appellat hanc loricam, quo alteram quæ ſecernebat Sacerdotes à populo. Illa de quâ nunc ſermo eſt, Gentiles ſeparabat à populo Dei; quos, ut dicturi ſumus, erectæ columnæ admonebant ne ultra progrederentur. Μηδένα τὸ γείσιον ὑπερβαίνειν. Nullum ex Gentilibus tranſire debere γείσιον, ut loquitur Joſephus, id eſt, loricam; quæ undè ſic appellaretur, lib 7. de Bello 4. protinus inquiram. Olim hanc vocem γεισὸς, ſive γείσιον derivabam ab Hebræa גזית *gazith*, quæ ſig-
B nificat lapidem benè cæſum. Redditur in Græcâ verſione λίθος τμητὸς *lapis ſectus*, ἀπελεκήτος *edolatus*, ξυστὸς *politus*, λελαξευμένος *dolatus.* Verùm meliùs conſultus puto verum Etymon eſſe גזר *gheſar ſecuit*, undè *gheſer* & גזרה *ghiſera* ſegmentum Judæi Græcè loquentes videntur feciſſe primùm γεῖσος, deinde γεῖσος, quo intellexerunt *loricam, terminum*; nam in capite 43 Ezechielis v. 14 & 17. גבול *ghebul*, quod eſt terminus interpretantur γεῖσος quod Hieronymus animadvertit in ſuis Commentariis ad hunc Ezechielis locum. *Et definitio uſque ad labium ejus, pro quo Aquila, Symmachus & Theodotio poſuerunt terminum: Septuaginta rurſum γεῖσον interpretati ſunt; cujus verbi, ut ante dixi, non poſſum ſcire rationem;*
C *nec cujus lingua ſit dicere confidenter: niſi hoc admonere Lectorem, quòd ubi nunc definitionem interpretatus ſum, ſupra coronam tranſtulerim.* De ſignificatione vocis conſtat, ſed origo pariter non certa eſt. Ejuſdem ferè ſoni & ſigificationis in lexicis Græcis occurrit Γεῖσον, στεφάνωμα οἴκου *corona domûs* apud Heſychium. γεῖσον vel γεῖσσον, inquit Stephanus in theſauro, eſt *ſuggrunda* ſeu *ſuggrundium*, id eſt, pars tecti prominens, quâ ſtillicidia à parietibus arcentur. Sed & ſonat idem ac θριγκὸς, quo nomine Joſephus interpretatur vocem γεισὸς quam dicit Hebraïcam eſſe. Θριγκὸς autem apud Suidam eſt στεφάνη, corona, περίφραγμα *ſeptum.* Sed vox illa θριγκὸς denotat aliquam elegantiam, ut notat Euſthatius, illam exponens ad
D verſum 87. Odyſſeos Homeri Η, deducens illam ἀπὸ τριχὸς, quia eſt veluti capillities murorum κόμη, στεφάνη, στεφάνωσις ἤγουν φραγμὸς ὑπερκείμενος καὶ οἱονεὶ τριχῶν δίκην κοσμῶν. Igitur θριγκος *eſt ſeptum ſuperpoſitum & inſtar capillorum muros exornans.* Nempe elegans erat cancellus, lorica. Sic ipſi Ethnici ſolebant præcingere aras idolorum, ut videre eſt in Eliacis Pauſaniæ, ubi deſcribit Pelopium. Καὶ λίθων τε θριγκῷ περιέχεται *circumdatur lapideo ſepto.* Et in Bœoticis, ubi de Trophonio loquitur. Κρηπὶς μὲν ἐν κύκλῳ περιβέβληται λίθου λευκοῦ. *crepido in orbem candido ſaxo circumducta*, cujus altitudinem poſtea ſtatuit paulò minorem duobus cubitis.

Quæcumque ſit origo vocis γεῖσος, lorica erat affabrè facta, quæ licet lapidea imitabatur ocellatos,
E reticulatoſque tapetes Tabernaculi. Erat enim χαριέντως διειργασμένος. Nempe multa huic operi gratia inerat, ut ubique adſtruit Joſephus; ſic loquens de illo lib. 15. cap. 14. Antiq. ubi agit περὶ δευτέρου περιβόλου, de ſecundo ambitu, ὃν περιεῖχε ἑρκίον λιθίνου δρυφάκτου, quem, inquit, circumdabat cancellus, ſive ſepes reticulata. Apud Athenienſes δρύφακτοι dicebantur illi cancelli quibus judices à populo ſecernebantur. Παρὰ τὸ τοῖς δρυσὶ πεφράχθαι, τουτέστι ξύλοις, quia nempe multis lignis tranſverſis conſtabant. Sed præterquàm cancelli de quibus ſermo eſt ſaxei eſſent, potuerunt habere formam elegantiorem, ut repræſentarent tapetes ocellatos reticulatoſque Tabernaculi. Vidimus vela illa multùm elegantiæ & decoris habuiſſe. Nomen Hebræum quo notantur, oſtendit fuiſſe ocellatos, contextos opere reticulato. Hos tapetes referebat ſaxea

illa sepes de quâ loquimur, eleganter incisa & pervia oculis. Postquàm fixum est Tabernaculum in Silo, vidimus duplici atrio quod tapetes distinguerent, fuisse circumdatum. Iterùm oculis repete, Lector, figuram, quæ tibi exhibet duplicem illam cincturam tapetum, ut duplex fuit saxea lorica in templo.

Hosce autem saxeos cancellos appellant Talmudistæ סורג soreg; quod nomen denotat parietem eleganter factum, reticulatum, intersectum instar retis. Redditur *sepes cancellata* à Constantino Lempereur in versione Latinâ sectionis tertiæ capitis secundi Middoth; ubi sermo est de ea parte, quæ patebat Gentibus. *Ab interiori parte erat* סורג *soreg, cancellata sepes, altitudine decem palmorum, cui inerant effracturæ tredecim, quas effregerant Reges Græciæ: sed eas denuò Judæi obsepserant, sive restaurarant, atque decreverant iis respondentes tredecim adorationes.* De istis tredecim effracturis parùm anxius sum. Quomodo autem potest iniri concordia inter Talmudistas & Josephum, qui huic cancellatæ sepi tribuit tres cubitos? Alta erat juxta hos decem טפחים *tophachim*; quorum sex faciunt unum cubitum; deni integrum cubitum cum cubiti duobus trientibus. Humiliorem ergo illam loricam faciunt Judæi; nisi intelligamus ab ipsis in illis decem tantùm palmis non comprehendi basim, sive quod exstabat usque ad solum spatii illius quod erat inter loricam & septum secundi atrii; ascendebatur enim ad illud spatium aliquot gradibus; ita tota altitudo loricæ ab ipso solo atrii gentium usque ad summitatem ejus fuerit trium cubitorum.

Inter dictam loricam & septum secundi atrii erat intercapedo, quæ definitur in Middoth loco suprà citato, decem cubitorum, & nominatur חיל *chel.* Sic pergunt loqui Talmudistæ Interprete Constantino. *Extra illam* sepem cancellatam, *erat* החיל *hachel* intermurale *decem cubitorum latitudine.* Immane quantùm discrepat Josephus de Bello 6. capite 6. in versione Latinâ. Sed ipse codex Græcus non omninò sanus est. Numerantur enim quatuordecim gradus, quibus ab atrio gentium ascenderetur in spatium illud, cujus quærimus latitudinem; sed pro δεκατέσσαρες βαθμὸς, legendum puto τέσσαρες βαθμὸς, delendo δεκα. Sed portentosum errorem in ejus scripta inducit Interpres Latinus sic loquens. *Post 14 autem gradus, spatium erat usque ad murum* 300 *cubitis planum.* Fons non admittit illos trecentos cubitos; sed in latitudine *chel* concors est cum Judæis, qui huic spatio tribuunt decem cubitos. Μετὰ δὲ δεκατέσσαρες βαθμὸς, τὸ μέχρι τοῦ τείχους διάστημα, πηχῶν ἦν δέκα πᾶν ἰσόπεδον. *Post autem illos quatuordecim gradus spatium erat usque ad murum decem cubitorum omninò planum.* Eadem adstruit Josephus lib. 15. Antiq. cap. 14. ubi desinens loqui de primo septo, sic pergit loqui: Τοιοῦτος καὶ ὁ πρῶτος περίβολος ἦν, ἐν μέσῳ δὲ ἀπέχων οὐ πολὺ δεύτερος, προσβατὸς βαθμοῖς ὀλίγαις. *Atque hoc modo se habebat primus ambitus. In medio verò non longo intervallo secundus paucis gradibus scansilis.*

Posita erat sepes cancellata ut prophanam multitudinem arceret, sicut olim tapetes circa atria Tabernaculi separabant locum sanctum à prophano. Ideo spatium illud decem cubitorum, quod intercipiebat sepes, sive lorica saxea, dictum Judæis חיל, חל *chel*, sive *chol*, quasi spatium extra Sanctum. Sed & nomen illud חל in suis litteris consonantibus non differt à חיל *chail* quod idem sonat ac *virtus, robur, exercitus*; adeo ut *chel* sic acceptum significet *munitionem, propugnaculum*: undè pugnatur fortiter; & ideo *antemurale.* Quinque in locis *chel* redditur à Græcis senibus προτείχισμα vallum, propriè antemurale & semel τεῖχος in capite 26. Isaiæ,

A nempe id quod murum præcingit, vel est ante murum; undè in eo loco in Latinâ versione redditur *antemurale.*

Eo in sensu spatium illud *chel* in quo adhuc versamur, sive lorica quâ definiebatur, potuit dici προτείχισμα *antemurale*, quia erat ante murum septi secundi. Illam elegantem loricam forsan intuebatur Jeremias, cùm dolens casum templi dicebat in capite secundo Threnorum v. 8 *Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion: tetendit funiculum,* ut scilicet solo æquaret, *& non avertit manum suam à perditione: luxitque antemurale* חל *chel* προτείχισμα, *& murus pariter dissipatus est.* Affingit personam rei eleganti, quæ ipsa lugere dicitur, quia lugebant om-
B nes fuisse illam eversam. Possent quidem hæc intelligi de ipsâ urbe Sionis, de muris ejus & murorum antemurali; sed videtur de aliquo egregio *chel* loqui, quod satis intelligeretur ob præcipuam elegantiam. Ibi certè dolet Jeremias de templo everso. In Paraphrasi hujus loci pro voce Hebræâ חל Chaldæus ponit מקפנא, id est, *spatium ambiens*; sic vocem *chel* explicat juxta mentem Talmudistarum. Muri urbis Jerusalem habebant etiam *antemurale*, nempe aliquam elegantiam, ut colligimus ex Psalte qui hujus urbis decorem describens, canebat in Psalmo 47. v. 13. *Circumdate Sion & complectimini eam: narrate in turribus ejus; & distribuite domos ejus ut enarretis in progenie alterâ.* Psaltes hortatur
C populos ut attentis oculis perlustrent muros Sionis, & enumerent turres ejus, suspicientes tot ædificiorum magnificentiam, & propugnacula. *Ponite*, inquit, *corda vestra*, id est, mentem advertite *in virtute ejus* εἰς τὴν δύναμιν αὐτῆς ad virtutem ejus. In fonte ad חל *chel* quod nomen, ut vidimus, redditur à Græcis sæpiùs δύναμις *virtus, robur, exercitus,* non raro προτείχισμα *antemurale.* Ita sensus est: advertite mentem ad elegantiam antemuralis urbis *& distribuite domos* in fonte ארמנותיה *armenothea*, id est, *palatia, arces*, in Græcâ versione τὰς βάρεις turres, arces: enumerate ea omnia, *ut enarretis in progenie alterâ*, ne oblivione deleatur memoria tam egregiæ urbis.

D Quærendum diligenter an lorica circa quam versamur, totum septum secundum circumdederit ab omni parte. Hoc innuunt loca allegata; sed benignè interpretanda. Prætendenda enim erat portis atrii cancellata sepes, ne ad illas prophani accederent; constat autem apertâ Josephi authoritate murum occiduum fuisse perpetuum, sive in eo nullam fuisse portæ aperturam; ita ab hac parte non necesse erat aliquâ loricâ arcere viros prophanos. Columnæ, ut videbimus sequenti articulo, erectæ in loricâ admonebant Gentiles ne ultrà auderent perrumpere; quâ admonitione non opus erat ab occiduâ parte, cùm murus impervius esset. Etenim ibi nec loricam nec ullos gradus Josephus in hac parte commemorat: immò clarè dicit viam planam fuisse, quâ ad-
E moveri poterant turres quibus rotæ subjiciebantur. Præstat locum integrum Josephi adducere ex capite primo libri sexti de Bello. « Nam cùm olim fulcire templum τὸν ναὸν populo, itemque Pontificibus placuisset, idque 20 cubitis altiùs ædificare, « Rex quidem Agrippa ex monte Libano aptas « huicce operi materias maximis sumptibus & labore « devexit: hoc est, ligna & magnitudine simul & « directâ proceritate spectabilia. Interventu autem « belli opere interrupto, Joannes his sectis, quod « sufficere longitudinem reperit, turres ædificavit: « & adversùs eos constituit, qui desuper « ἀπὸ τοῦ καταστρώματος nempe à tecto porticuum secundi septi, ut videre est in narratione Josephi, « pugnarent, post muri ambitum κατόπιν τοῦ περιβόλου à tergo septi, con- «

» tra exhedram occidentalem admotas, quâ solùm A
» poterant, quòd aliæ partes gradibus ex longinquo
» fuerunt occupatæ. Et ille quidem fabricatis ex
» impietate machinis subactum iri speravit hostes.
» Deus vero laborem ejus inutilem demonstravit,
» & priusqu m ullam ex hisce turribus admoveret,
» Romanos adduxit.

Ad hujusce loci intelligentiam necesse est huc adducere harum turrium bellicarum structuram & usum. Ambulatoriæ erant; quas his verbis describit Vegetius libro 4. de Re militari cap. 17. » Turres autem dicuntur machinamenta, ad ædificiorum speciem ex trabibus, tabulatisque compacta: » & ne tantum opus hostili concrematur incendio, » diligentissimè crudis coriis, vel centonibus com- B munita, quibus pro modo altitudinis, additur latitudo. Nam interdum tricenos pedes per quadrum, interdum quadragenos, vel quinquagenos » latæ sunt. Proceritas autem ipsarum tanta fit, ut » non solùm muros, sed etiam turres lapideas altitudine superent. His plures rotæ mechanicâ arte » subduntur, quarum lapsu volubili magnitudo tam » ampla movetur. Præsens autem periculum civitatis est, si ad murum fuerit turris admota. Plures » enim accipit scalas, & diverso genere conatur irrumpere. Nam in inferioribus habet arietem, cujus impetu destruit muros: circa mediam vero partem accipit pontem, factum de duabus trabibus, » septumque de vimine, quem subitò prolatum inter turrim murumque constituunt, & per eum C » egredientes de machinâ bellatores in civitatem » transeunt, & occupant muros. In superioribus autem turris illius partibus contati & sagittarii collocantur, qui defensores urbis ex alto, contis, missilibus, saxisque prosternant. Quo facto civitas » capitur sine morâ. Quid enim auxilii superest, » cùm hi qui de murorum altitudine sperabant, repentè supra se aspiciant altiorem hostium murum?

Hacce turrium ambulatoriarum descriptione, illustratur id quod Josephus narrat factum à Joanne adversùs eos qui ex tectis excelsarum exhedrarum septi secundi pugnabant in eum. Simul adstruitur quod innui, scilicet à parte occiduâ secundum sep- D tum non prætensam habuisse loricam; & ideò nec gradus quibus ascenderetur in *chel*. Carebat illud latus omni ostio, & ideò gradibus quibus ascenderetur in atrium Israëlitarum; quapropter ad hanc partem occiduam quin admoverentur ambulatoriæ turres nulli gradus obstabant; nam solum æquum erat. Harum turrium mentionem facit Cæsar secundo libro Belli Gallici. Procul ab urbe obsessâ struebantur extra telorum jactum; ut videre est in illis verbis Cæsaris. » Ubi vineis actis, aggere exstructo, » turrim constitui procul viderunt, primùm irridere ex muro atque increpitare verbis: Quò tanta » machinatio, ab tanto spatio exstrueretur? Quibusnam manibus aut quibus viribus, homines tantulæ staturæ [nam plerisque omnibus Gallis, præ E » magnitudine corporum suorum, nostra brevitas » contemptui est] tanti oneris turrim in muros sese collocare confiderent? Seneca in libro de Beatâ vitâ capite 26. in plerisque similem esse omnium hominum stuporem & inscitiam ostendit. » Otiosi divitiis luditis, nec providetis earum periculum. » Sicut Barbari plerumque inclusi & ignari machinarum segnes laborem obsidentium spectant, nec » quò illa pertineant, quæ ex longinquo instruuntur, intelligunt. Hæc animadvertimus ut constaret cancellatam sepem de quâ egimus hocce articulo, non fuisse prætensam lateri occiduo septi secundi.

SECTIO II.

Disposita per intervalla columnæ, inscripta literis Hebraicis, Græcis & Latinis, intentabant mortem viro Gentili, qui ausus esset loricam, sive sepem cancellatam transilire.

Cancellata sepes non est commentum Rabbinicum. Adstruitur à Josepho. Certum, inquam, est fuisse aliquos in atriis templi limites, qui signabant quousque liceret progredi unicuique pro ratione conditionis suæ, religionis, dignitatis, munditiei. Etenim diversi sanctitatis gradus distincti erant in ipso loco, ubi templum fuit ædificatum. Hos gradus definit Maimonides in tractatu de Domo electâ cap. 7. sect. 13. *Sanctior Hierosolymâ,* inquit, *mons ædis est; intra hunc enim seminis fluxione laborantes, menstruales mulieres, & puerperæ non ingrediuntur. Hominem mortuum tamen intra montem ædis inferri licet, & multo etiam magis ingredi funestum.* Vidimus per montem ædis intelligi à Judæis atrium gentium. *Monte ædis sanctius est spatium intermurale* nempe Chel, quod est ultra sepem cancellatam, *in hoc enim neque gentes, neque funesti, nec qui cum menstruali muliere consuescat, ingreditur.* Hac in re magnam cautionem adhibebant Judæi, ne quis ultra vetitum sibi limitem perrumperet. Philo Judæus in libro de Legatione ad Caium laudat Judæos quòd essent legum suarum tenacissimi. « Omnes enim gentes, inquit, libenter servant ritus patrios, sed Judæi præ cæteris. Cùm « enim leges suas credant oraculis proditas, easque « discant à pueritiâ, in animis circumferunt harum « expressas imagines, & semper intuendo admirantur ut honestissimas; alienigenas quoque harum « observatores amplectuntur pro suis civibus. Osores autem earum ac vituperatores habent pro hostibus, & in tantum abhorrent à quavis re suis legibus vetitâ, ut omnibus fortunis, felicitatibusque humanis ad prævaricationem adduci nequeant. « Sed nihil religiosius quàm templum colunt vel « hoc argumento, quòd certissima mors proponitur « ultra septum interius penetrantibus. Nam intra « exterius recipiunt undecumque venientes suæ gentis homines. « Consideranda verba Græca postremæ partis huius loci. προσεστι δὲ καὶ ἐξαίρετος ὅσιν αὐτοῖς ἅπασιν ἡ περὶ τὸ ἱερὸν σπουδή· τεκμήριον δὲ μέγιστον, θάνατος ἀπαραίτητος ὥρισται κατὰ τῶν εἰς τοὺς ἐντὸς περιβόλους παρελθόντων· δέχονται γὰρ εἰς τοὺς ἐξωτέρω τοὺς πανταχόθεν πανταχοῦ τῶν ὁμοεθνῶν. Credo vocem illam ultimam corruptam, & delendum esse ὁμο, vel prætermittendam particulam σὺν, vel pro ὁμοεθνῶν legendum ἀλλοεθνῶν. Etenim gentes omnes admittebantur εἰς τοὺς ἐξωτέρω. Philo his verbis designat atrium gentium. Ergo in versione Latinâ reponendum esset: *nam intra exterius recipiunt undecumque venientes homines.*

Eâ lege tam religiosè observatâ Josephus confutabat fabulam de dapibus sanguiferis, quas comminiscebatur Appion visas in templo Judæorum à Græco alienigenâ. Arguebat, inquam, mendacii Appionem Josephus, quia nullus alienigena poterat impunè penetrare ultra limitem præscriptum, de quo inscriptiones in cancellatâ sæpè eum admonebant *Interius atrium*, ait Josephus, lib. 15. cap. 14. *septum habebat lapideum, cum inscriptione quæ vetaret transgredi alienigenam sub interminatione pœnæ capitis....* περιείχεν ἕρκιον λίθινον δρυφάκτου, γραφῇ κωλύων εἰσιέναι τὸν ἀλλοεθνῆ θανατικῆς ἀπειλουμένης τῆς ζημίας. Libro 6. de Bello cap. 6. rem clarè explicat. In loricâ, sive in septo ex cancellis saxeis facto; *æquis dispositæ intervallis columnæ stabant*, inquit, *legem castimoniæ præ-*

monentes, aliæ Græcis, aliæ Latinis literis, in locum sanctum transire alienigenas non debere. Ἐν αὐτῷ δ' εἱστήκεσαν ἐξ ἴσου διαστήματος στῆλαι, τὸν τῆς ἁγνείας προσημαίνουσαι νόμον. αἱ μὲν ἑλληνικοῖς, αἱ δὲ ῥωμαϊκοῖς γράμμασι μὴ δεῖν ἀλλόφυλον ἐντὸς τοῦ ἁγίου παριέναι. In dubio relinquit Josephus an omnes haberent Græcam & Latinam inscriptionem; an aliæ aliam haberent. Columnæ autem plures erant in totâ loricâ æquis dispositæ intervallis illa Romani non transilibant; unde hisce verbis Titus compellabat apud Josephum libri 7. 2. de Bello. *Nonne vos, ô sceleratissimi, cancello sanctum locum protexistis?* Τὸν δρύφακτον περιβάλλεσθε τῶν ἁγίων. *Nonne literis Græcis ac nostris incisas tabulas constituistis, quibusne septa cuiquam transgredi liceret edicitur?* τὸ γεῖσον ὑπερβαίνειν. *Nonne eos qui transiissent, quamvis quis Romanus esset, vobis necare permisimus?* His duobus in locis non memorat Josephus dictas columnas fuisse ullâ scripturâ Hebraïcâ inscriptas. Attamen & Hebræi admonendi erant, ne, si casti non essent, ultra progrederentur. Reponi quidem potest, has statutas columnas pro alienigenis, qui ritus Judaïcos ignorarent. Si Josippo Gorionidis filio fides adhibeatur, erat Hebraïca scriptura. Ille agens de externo splendore qui templo accessit, cùm sumptibus Herodis restauratum est, sic loquitur de restauratore. *Fecit etiam Rex, parietem argenteum quasi velum inter porticum & inter domum, medium palmum in crassitie suâ continentem. In quo fuit janua ex auro ductili, & super januam erat gladius aureus; pondus auri quod fuit in eo, erant duodecim libræ. Sculpserunt autem in auro, quod erat in gladio, sculpturas quasdam,* hanc nempe

הזר הקרב יומת

Alienus quicumque accesserit capitale esto, id est, interficiatur. Grotius putat columnis ubi esset Græca inscriptio, fuisse inscriptas μὴ δεῖν ἀλλόφυλον ἐντὸς τοῦ ἁγίου παριέναι.

Paucis verbis hunc Judæorum morem indicat Tacitus libro 5. Historiarum capite 8. ubi Hierosolyma describit. Sed locus non sanus videtur à mendis Librariorum. Nunc legitur: *Hierosolyma genti caput: illis immensæ opulentiæ templum & primis munimentis, dein regia, templum intimis clausum. Ad fores tantùm Judæo aditus.* In antiquis codicibus est *deingia*, quod nullius est significationis. Sunt viri docti qui legunt: *illic immensæ opulentiæ templum, ex primis munimentis urbis & Regia. Templum intimum clausum. Ad fores tantùm Judæo aditus: limine, præter Sacerdotes arcebantur.* Ad ostium atrii Sacerdotum ubi altare, soli Judæi admittebantur. nec ultra perrumpebant, ut videbimus.

Jus illud Judæorum arcendi alienigenas à templi introitu, Reges Asiæ asseruerant. Affert illud edictum Antiochi Josephus in libro 13. Antiquitatum cap. 3. Μηδενὶ ἐξὸν εἶναι ἀλλοφύλῳ εἰς τὸν περίβολον εἰσιέναι τοῦ ἱεροῦ, τὸν ἀπηγορευμένον τοῖς Ἰουδαίοις, εἰ μὴ οἷς ἂν ἁγνισθεῖσιν ἔθιμόν ἐστι κατὰ τὸν πάτριον νόμον. *Nemini alienigenæ liceat intra septa templi ingredi contra voluntatem Judæorum, sed solis hoc facere fas sit, qui juxta præscriptum legis patriæ purificati priùs fuerint.* Interpres Latinus nempe Sigismundus Gelenius putavit, ut colligo ex ejus versione, legendum τοῖς ἀπηγορευμένοις Ἰουδαίοις. Ego suspicarer deleram particulam καὶ, & sic interpretarer hunc locum. *Nemini alienigenæ liceat ingredi intra septa τοῦ ἱεροῦ, atrii & omnium locorum quæ prohibentur etiam Judæis, nisi his qui purificati fuerint juxta legis præscriptum.* Deus pœnas exigens ab his qui dictos limites transiliissent, magnum terrorem injecerat Gentilibus, ne quis id auderet. Vulgatum erat supplicium, quo affectus Heliodorus horum limitum violatorum reus. Res narratur in tertio capite libri secundi Machabæorum. Apollonius miserat Heliodorum Hyerosolyma, ut penetrans in templum deriperet opes in illo reconditas; quod ubi auditum est, tota urbs tremore commota est, *pro eo quòd in contemptum locus esset venturus.* Non ideo minùs Heliodorus in templum perrupit.

24. *Sed spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis evidentiam, ita ut omnes qui ausi fuerant parere ei, ruentes Dei virtute in dissolutionem & formidinem converterentur.*

24. *Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus: isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit; qui autem ei sedebat, videbatur arma habere aurea.*

26. *Alii etiam apparuerunt duo juvenes, virtute decori, optimi gloriâ speciosique amictu: qui circumsteterunt eum, & ex utraque parte flagellabant, sine intermissione multis plagis verberantes.*

Josephus in libello de Machabæis, dicit quòd cùm Apollonius intrasset εἰς τὸ ἱερὸν, & omnes Israëlitæ orassent Deum ὑπερασπίσαι τοῦ ἱεροῦ καταφρονουμένου τοῦ τόπου, Angelos equites igneo fulgore radiantes Apollonii mentem perculisse. Eadem obtigisse Ptolomæo Philopatori narratur in libro tertio Machabæorum, qui in Græcis editionibus adjungitur primo & secundo, licet res quas complectitur præcesserint tempora Machabaïca quinquaginta ferè annis, ut notat Sixtus Senensis. Philopator Hierosolymitani templi pulchritudinem admiratus τοῦ ἱεροῦ εὐπρέπειαν, etiam cogitavit ingredi εἰς τὸν ναὸν, in ipsam ædem sacram. Quod cùm Judæi contentiosissimè recusarent, & Regi cresceret ex recusatione desiderium, toto templo lacrymis & ejulatu, civitate tumultu & querelis confusâ, Simon Pontifex ex adverso templi, nempe in ædem sacram & altare flectens genua, elatâ voce orationem ad Deum habuit, opem ab eo præsenti necessitati implorans. Eâ finitâ, Rex corpore animoque ita perturbatus est, ut ne fari quidem posset, & semivivus à suis extra templum abduceretur.

Non ergo mirum est, si tanta fuerit gentium reverentia erga cancellos, quibus repellebantur à locis sacris. Quæ fuerit Romanorum Josephus ponebat ob oculos Judæorum cùm missus à Tito ad eos qui in mediis templi atriis miscebant pugnas & effundebant sanguinem, volens illos revocare a mutuis cædibus, sic compellabat lib. 6. de Bello cap. 11 Ῥωμαίους μέν γε τοὺς μὴ μετέχοντας, ἐντρέπεσθαι τὰ τῶν πολεμίων ἅγια, καὶ μέχρι νῦν τὰς χεῖρας ἐπέχειν. *Romanos enim sancta revereri, cum quibus nulla sibi societas esset, manusque suas ad hoc usque cohibere. Ipsos verò in his edoctos, cùm servare possent, sponte ad eorum interitum ruere.* Sed potissimùm animadversione dignum est, quod in eandem rem habet lib. 4. cap. 5. ejusdem operis. Ananus pariter ut deterreret Zelotas à cædibus quibus polluebant atria, revocabat in memoriam eorum: *Romanos quidem nunquam transgredi ausos esse limitem prophanorum.* Τὸν ὅρον τῶν βεβήλων, id est, cancellos, *aut sacratæ quicquam consuetudinis præterire, Sanctorum autem ambitum quamvis procul aspectum perhorrescere.* Πεφρικέναι δὲ πόρρωθεν ὁρῶντας τοὺς τῶν ἁγίων περιβόλους. Nempe Romani dum aspicerent solos cancellos tremore corripiebantur, & ex longinquo adorabant, inquit Josephus, capite 11. libri sexti de Bello, quod modò citavimus. *Sanctum verò templum factum est omnium receptaculum: & indigenarum manibus pollutus est locus, quem Romani ex tam longinquo adorabant.* ὃν καὶ ῥωμαῖοι πόρρωθεν προσεκύνουν. Sic Publicanus Evangelii, nempe vir Gentilis qui redimebat vectigalia imposita Judæis, nec audebat ad hos cancellos accedere, ut de illo narrat B. Lucas cap. 18. *Duo homines*, inquit v. 10. *ascenderunt in templum*

εἰς τὸ ἱερὸν, *ut orarent.: unus Pharisæus, & alter Publicanus.* Pharisæus quippe purificatus ingressus est εἰς τὸ δεύτερον ἱερὸν *in secundum atrium*, quod Israëlitarum erat. Publicanus verò remansit in primo atrio, nempe gentium; ita non poterat nisi ex longinquo adorare πόῤῥωθεν προσκυνεῖν de more Gentilium. Ex ipso secundo atrio poterat Pharisæus videre Publicanum, & dum virtutes suas prædicaret, despicere eum tanquam virum immundum, & cum cæteris ejusdem generis hominibus prophanum. *Non sum*, inquiebat, *sicut cæteri hominum*, quasi diceret, ego ab institutis communibus hominum sum alienus; sanctus sum. In sermone Judæorum *commune* & *prophanum* idem sonant. 13. *Et Publicanus à longè stans* μακρόθεν B ἑστὼς, *nolebat nec oculos ad cælum levare: sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* Pharisæus penetraverat in atrium Israëlitarum ultra cancellos, ad quos Publicanus, quippe Gentilis, nec ausus accedere stabat à longè orans; religioso timore correptus, nec sibi licitum putans oculos ad cælum levare, ut intueretur sacra loca à quibus arcebatur.

In delineatione stat Publicanus extra cancellos, quos contremiscit, nec ad eos propiùs accedere audet, habitu Romano, quippe Romanus aut pro Romanis coactor. Igitur aperto est capite, quales exhibentur Romani, & eorum more calceatus. Demissis in terram oculis & inclinato capite pectus percutit, se peccatis oneratum agnoscens, indigens misericordia Dei. Contra vero Pharisæus intra cancellos capite operto, ut orantes solebant Judæi, amictus pallio in cujus quatuor angulis erant fimbriæ, quas lex præcipiebat, simul cum phylacteriis circa brachia & in fronte, longè stantem Publicanum despicit, & merita sua exactam omnium legis mandatorum observantiam & perfectam coram Deo justitiam suam prædicat. C

Non uni aut alteri paginæ novi Testamenti, lucem infert quod hîc observamus. Nunc intelligere est quare illi Gentiles qui adoraturi ascenderant in templum, rogaverunt Philippum ut ejus operâ possent Jesum videre. Subjiciendus locus ex Joannis capite duodecimo. D

20. *Erant autem quidam Gentiles, ex his qui ascenderant ut adorarent in die festo.*

Illi Gentiles in Græco fonte appellantur ἕλληνες; quo nomine Judæi Græcè loquentes sæpiùs viros ex gentibus appellabant. Plerique autem Gentiles, ut capite superiori vidimus, veniebant Jerosolymam, & ascendebant in templum adoraturi; quin & sacrificia offerebant. Et ipsi Romani προσκυνεῖν adorabant. Fieri autem non poterat quin pluribus Gentilibus jam Dominus innotuisset. Non latebat eos venturum Messiam servatorem mundi; crebrò enim Judæi quibus erant permixti, verum enim Deum colebant, de Messiâ suo loquebantur. Ita & illi pii E qui appellantur in Actis σεβόμενοι *colentes*, in Messiam Redemptorem Israëlis sperabant.

21. *Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsaida Galilææ, & rogabant eum dicentes: Domine, volumus Jesum videre.*

Cùm illi Gentiles audissent de Jesu, qui ferebatur Messias, desiderabant illum videre. Tunc, ut conjicio, Jesus in atrio Israëlitarum versabatur; a quo exclusi Gentiles, non poterant eum videre. Ergo accedentes ad Philippum, vel sibi notum, vel quem sciebant unum esse ex discipulis Jesu; & qui aliquo casu substiterat in atrio gentium, aut per illud transibat. Accedentes, inquam, ad Philippum rogaverunt, hanc eis operam navaret, ut daretur occasio & locus Jesum videndi & audiendi; quâ operâ non indiguissent, si Jesus tunc fuisset commoratus in loco, in quem penetrare potuissent.

Gentiles appellatos Ἕλληνας, nec in atriis Israëlitarum admissos ostendit historia Pauli, ubi ille in Actis cap. 21. accusatus est Trophimum Ephesium induxisse in locum sanctum; qui locus & huc adducendus est.

27. *Dum autem septem dies consummarentur, hi qui de Asiâ erant Judæi, cùm vidissent eum*, Paulum, *in templo* ἐν τῷ ἱερῷ, *concitaverunt omnem populum, & injecerunt ei manus, clamantes,*

28. *Viri Israëlitæ, adjuvate: hic est homo, qui adversùs populum, & legem, & locum hunc, omnes ubique docens, insuper & Gentiles* Ἕλληνας *induxit in templum* εἰς τὸ ἱερὸν, *& violavit sanctum locum istum.* Κεκοίνωκε τὸν ἅγιον τόπον τοῦτον, communem reddidit inducens virum Gentilem.

29. *Viderant enim Trophimum Ephesium in civitate cum ipso, quem æstimaverunt, quoniam in templum,* εἰς τὸ ἱερὸν *introduxisset Paulus.*

30. *Commotaque est civitas, & facta est concursio populi. Et apprehendentes Paulum, trahebant eum extra templum.* ἔξω τοῦ ἱεροῦ, nempe extraxerunt eum ex atrio Israëlitarum in atrium exterius, quod erat gentium, quia nolebant virum, ut putabant, impium diutiùs consistere in loco sancto. *Et statim clausæ sunt januæ.* Falluntur qui interpretantur januas atrii, ex quo traxerant Paulum Judæi; quâ enim gratiâ id fecissent. Extraxerant eum ex atrio Israëlis. Cur ergo clausæ ejus januæ, ne irrumperent Romani, aiunt? Hoc neutiquam faciebant Clausæ sunt januæ intelligendæ atrii gentium; & id à Romanis militibus factum puto. Diebus præsertim solemnibus, ut jam observatum, cohors Romana in atrio gentium & supra porticus ejus invigilabat ne quid tumultûs fieret, ut Josephus dicit lib. 6. de Bello cap. 6. ubi describit turrim Antoniam; *quâ verò*, inquit, *jungebatur porticibus templi, utrinque descensus habebat, undè custodes commeabant; semper namque in eâ Romani milites residebant* τάγματος, *& cum armis appositi custodes, ne quid populus festis diebus novi committeret, observabant.* Eadem scribit libro 20. cap. 4. Antiquitatum. Locum suprà allegavimus ubi τάξιν vocat quod modò appellavit τάγμα. Lucæ vero dicitur σπεῖρα: harum vocum non diversa est significatio. Ergo cùm milites Romani vidissent commotionem factam occasione Pauli, clauserunt januas, & accersiverunt tribunum cohortis

31. *Quærentibus autem occidere, nuntiatum est tribuno cohortis: quia tota confunditur Jerusalem.*

32. *Qui statim assumptis militibus, & centurionibus, decurrit ad illos, &c.* ut pluribus adjunctis militibus sedaret tumultum. Cætera quæ sequuntur, ad rem quam tractamus non pertinent. Ipse Paulus scribens ad Ephesios, in capite secundo ad hæc alludebat. Alloquitur gentes, quæ Christum tunc temporis sequebantur.


11. *Propter quod memores estote, quòd aliquando vos gentes in carne, qui dicimini præputium ab eâ* gente, *quæ dicitur circumcisio in carne, manu facta:*

12. *Qui eratis illo in tempore sine Christo* sine cognitione ejus; neque enim vobis, sed Judæis promissus fuerat, *alienati à conversatione Israël;* neque enim gentium consortio utebantur Judæi *& hospites testamentorum* pro alienis habebamini, *promissionis spem non habentes*, neque enim vobis facta promissio Christi, *& sine Deo in hoc mundo*, Deum mundi opificem ignorabatis

13. *Nunc autem in Christo Jesu, vos qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi.* Vobis non licebat admisceri piis cœtibus; cancellis exclusi; & ideò à longè stantes, ut publicanus. Si Deus sivisset ut templum Hierosolymitanum non

everteretur,

PORTA ORIENTALIS ATRIORUM ISRAELIS. col. 816 et 844.



A. *Pharisæus.*
B. *Publicanus.*
C *Sacerdos atrii velum reducens*

Delamonce del.

Tab. XIII.

Back of
Foldout
Not Imaged

everteretur, pariter omnes Christiani Judæi & Gentiles intra illud fuissent admissi, sine ullâ locorum distinctione.

14. *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ solvens, inimicitias in carne suâ:* nempe sustulit μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ illam cancellatam sepem, quâ Judæi a gentibus quas odio habebant, separabantur. Ibi est hypallage, μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ pro φραγμὸς μεσοτοίχου. Sepes cancellata erat verè medius paries inter gentes & Judæos, qui terminabat locum utrisque proprium. Pergit Paulus usque ad finem ejusdem capitis in eâdem allusione.

15. *Legem mandatorum decretis* ἐν δόγμασι, quæ tota in ritibus posita erat, quales illi erant de non communicando cum Gentilibus *evacuans ut duos condat in semetipso in unum novum hominem. faciens pacem*, ut jam non esset distinctio Judæi & Græci.

16. *Et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso.*

17. *Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longè fuistis*, quibus non licebat accedere ad sacra loca, *& pacem etiam iis qui propè*, nempe Judæis qui intra cancellos versari poterant, & pacato animo se gerebant vobiscum.

18. *Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad patrem* ut non solùm liceat intrare in templum quod domus Dei patris est, sed & in ipsum cælum.

19. *Ergo jam non estis hospites & advenæ*, jam vobis ingressus in domum Dei ut alienis non prohibetur; *sed estis cives Sanctorum & domestici Dei*, Συμπολῖται τῶν ἁγίων καὶ οἰκεῖοι τοῦ Θεοῦ: semper alludit Paulus ad templum Hierosolymitanum, cujus soli Israelitæ erant cives, & domestici Dei; nam illud templum erat domus ejus. Verùm quia Judæi non minùs quam anteà gentes arcebant locis sanctis, innuit aliud esse templum quod in dies ædificaretur. Ita omnia connexa sunt in Paulo.

20. *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum* qui de novâ Ecclesiâ prophetaverunt, *ipso summo angulari lapide Christo Jesu,*

21. *In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino;* quod verè erit domus Dei; dum decrescet, sive potius corruet omninò templum Judaicum.

22. *In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in spiritu.* Deus qui olim inhabitaverat templum Hierosolymitanum, ipse habitavit in nobis, non fumo & nube, sed donis manifestis Spiritûs sancti se præsentem testatus. De his præmonendi erant Gentiles, ne ægrè ferrent se excludi à templo Hierosolymitano.

Moris etiam erat apud Gentiles ut sacris locis abstere cogerentur prophani, id est, qui non erant initiati, ut interpretatur Servius ad illos Virgilii versus.

procul, ô procul este profani,
Conclamat vates, totoque absistite luco.

Inprimis qui non puri erant, arcebantur sacris; ut indicat illud distichum Tibulli lib. 2.

Vos quoque abesse procul jubeo, discedite ab aris,
Queis tulit hesternâ gaudia nocte Venus.

Gentiles loca quæ putabant sacra, septis circumdabant, ut dicit Lucianus in libello de sacrificiis. Quin & pro foribus posita tabella denunciabat nequis intra pura vasa consisteret, qui non esset puris manibus. καὶ τὸ μὲν πρόγραμμα φησι, μὴ παριέναι εἴσω τῶν περιρραντηρίων, ὅστις μὴ καθαρός ἐστι τὰς χεῖρας.

Quæri hic posset an cæci & claudi excluderentur templo; quia in secundo Samuëlis cap. 5. v. 8. dicitur: *cæcus & claudus non intrabunt in templum.* Attamen contrarium occurrit apud Matthæum cap. 21. v. 14. Etenim quando Christus templo ejecit vendentes & ementes: *accesserunt ad eum cæci & claudi in templo & sanavit eos.* In Samuelis fonte Hebræo dicitur solummodo *cæcus & claudus non intrabunt in domum.* Septuaginta Interpretes verterunt εἰς οἶκον Κυρίου, *in domum Domini;* quod dedit locum Latino Interpreti reddere *in templum*, quia alioqui templum erat domus Dei: sed cùm hæc cœperunt dici, Arca adhuc erat sub pellibus, Arcem Sionis non expugnaverat David, nec tunc cogitabat de domo Dei ædificandâ. Circa sensum hujus loci diversæ sunt Interpretum opiniones. Dicam quod sentio. Cùm David oppugnare cœpit Sionis arcem, Jebusæi in contemptum ejus commiserant propugnaculorum custodiam cœcis & claudis; quos cùm abstulisset, datus est locus dicterio: *cæcus & claudus non intrabunt in domum*, id est, in arcem Sionis, vel in aliquam aliam, ut eam tueantur. Aliqui volunt esse proverbium in eum qui se jactaret in re vanâ; quasi dicatur ei: ne jacta te; ne idem tibi eveniat quod Jebusæis; qui in cœcis, claudisque sese contra Davidem jactarunt, sed frustra. Paraphrastes Chaldæus cœcos & claudos interpretatur peccatores & impios; sic enim vertit hunc locum: *omnis qui occiderit Jebusæum & inceperit subigere munitionem, & peccatores & culpatos abjicit anima David; super hoc dixerunt, peccatores & culpati non intrabunt ad domum.* In toto hoc loco pro cœcis & claudis Chaldæus substituit *peccatores & culpatos.*

SECTIO III.

Templi, quod à Salomone ædificatum fuerat, & everterant Chaldæi, Ezechiel Propheta veras expressit mensuras, ut Judæi reduces à captivitate in templo restaurando haberent exemplar quod sequerentur.

PRiusquàm disseramus de formâ & mensuris hujus septi ad quod pervenimus, quo claudebatur atrium secundum, sive Israëlis, decet aliquid præfari de Prophetâ Ezechiele; è cujus fontibus haurimus præcipua eorum quæ de templi mensuris in posterum dicturi sumus. Ergo cùm nobis facem ille præferat, sive potiùs solus valeat in veram templi cognitionem nos deducere, navabimus utilem operam, si ea quæ scripsit reddamus clariora, olim quidem Judæis suis coætaneis aperta, postea obscurissima. Etenim vocum quas usurpat significatio non pariter nobis nota est; nec rerum quas describit, usus ita familiaris. Solus ex ordine totum templum descripsit; neque enim in cæteris sacri codicis libris nisi ex occasione fit expressus de eo sermo. In libro quidem tertio Regum partes quædam ejus indicantur, ut solet fieri in historiæ commentariis, sed non exponitur totum opus ex methodo quæ necessaria est, ut ingeratur animo perfecta imago ejus.

Ergo cùm eo consilio in formam ac mensuras templi inquisiverim, ut haberem facem, quam præferre possem scrutans loca scripturarum obscuriora, potissimùm debeo vires contendere in Ezechiele explanando. Cùm enim mihi propositum sit nullum præterire locum sacri codicis, in quo sit aliqua templi mentio, vel ad illud allusio, incumbit facere apertiorem Prophetam, qui deditâ operâ, ex jussu Dei, sive doctus ab Angelo Dei, templum descripsit. Igitur omnia verba ejus persequar, & perpetuâ commentatione pro viribus illustrabo. Sed ne nobis illusio fiat, dum in verbis Prophetæ veram templi cognitionem quærimus, ante omnia decet exquire-

Fff

re, an ipse satagat illud notum facere, quod Salomon excitavit, deinde instauravit Zorobabel; primarii enim Interpretes, omnem illam descriptionem templi, quæ in Ezechiele est, pro mysterio habent, non pro delineatione alicujus ædificii, quod extiterit, aut exstare possit; cujus partes secum cohæreant, & ab Architecto locari potuerit in monte Moria, qui pristina est sedes templi Salomonici, Zorobabelici & Herodiani. Videtur illis Interpetibus templum Ezechielis posse solâ cogitatione formari; sive non esse ædificium reale & corporeum, sed vaticinium futuri ædificii Ecclesiæ, quod merè spirituale est & incorporeum. Id demonstrari posse putat Constantinus Lempereur ex eo quòd, ut supponit, structuræ templi de quo loquitur Propheta, alia sit ratio ac Salomonici; saltem in multis à primâ structurâ deflectat. » Nam nullus dubito, inquit ille, quin hoc modo Deus ille sapientissimus nos docuerit; cùm ab illo exemplari quod antea scripto tradiderat, primo Chronicorum cap. 28. v. 19. recederet, aliamque templi formam distinctè proponeret, hoc sibi voluisse, templum illud (עתיד futurum uti vocant) non fore materiale, ubi eædem peragendæ sint ceremoniæ, quæ olim in usu fuerunt, sed templum, quemadmodum scribit R. Alschech in Hag cap. 2. v. 1. רוחני spirituale expectandum, & בותלים רוחניים parietes spirituales; quia, ut ait eodem cap. homines pii sunt præcipuum templum. Hæc Constantinus in præfatione tractatûs Middoth, quem Latinè edidit. Paulò post subjungit » In templo Ezechielis multa à formâ olim præscriptâ deflectunt, quò intelligamus ulterius Prophetæ verba spectare: nimirùm ut templum principale, quod vivis lapidibus constat, delineetur. Atque distinctè singula membra pertractantur, eaque augustiori formâ nobis objiciuntur, ne Ecclesiam Christianam ullâ in parte veteri cedere arbitremur; sed potiùs in Christo perfici gradatim, tandemque ad summum perfectionis apicem pervenire. Qui sentiunt cum Constantino, argumentum petunt ab illâ abnormi magnitudine, quam, ut opinantur, Ezechiel tribuit templo, tantam quantam non ipse mons Moria, sed nec tota urbs Jerusalem capere potuisset.

» Quicumque etiam, inquit Ligfootius, mensurabit Tetragonum Ezechielis cap. 42. 20. comperiet illud sex partibus amplius esse quàm hoc cap. 4. v. 5. cùm æquet tria milliaria & quingentos passus; qui ambitus multis vicibus amplior est, quàm unquam fuit mons Moriah. Modò evincemus in versu 20. cap. 42. Ezechielis errorem esse in fonte hodierno, quo libera est Vulgata Latina. Pergit loqui Ligfootius. » Atque hoc ipsum ostendit debere Ezechielem spiritualiter & mysticè intelligi. Descriptio templi & urbis quam in fine libri sui tradidit, quatenus est prædictio boni alicujus futuri, verissima est, sed remotissima à sensu literali, nempe eodem modo templum & urbem ædificatum iri. Erat itaque promissio ad consolandum populum, qui tum erat in captivitate, quâ certior fiebat affore aliquando tempus, quo in patriam rediturus esset, & fruiturus ut antea Hierosolymâ & templo. Sed quod attinet ad literalem convenientiam instauratæ Hierosolymæ & templi secundi, cum omnibus partibus hujus descriptionis adeò distat, ut templum Ezechielis ampliùs sit totâ Hierosolymâ terrestri, ejusque Hierosolyma amplior quàm ipsa terra Canaan. Hinc manifestò apparet scopum spiritûs sancti in illâ ichnographiâ fuisse æquè significare maximum incrementum spiritualis Hierosolymæ & templi, hoc est, Ecclesiam sub Evangelio, ejusque spiritualem pulchritudinem & gloriam; ac præbere captivo Israëli spem terrestris civitatis, & templi instaurandi, quod contigit cùm soluta est a Cyro captivitas «

Non diffiteor plura ex his quæ in Ezechiele subsequuntur templi descriptionem, posse haberi pro vaticinio; sicut ea quæ dicit capite 43. de aquis quæ egrederentur de templo, per quas traductus est primùm usque ad talos, deinde usque ad genua, tandem usque ad renes. Sed illa posteriora capita non pertinent ad dictam descriptionem; non ergo ex illis dijudicandum de superioribus, in quibus agitur de templo; & quia non realia sunt; neque enim torrens egrediebatur de templo; non, inquam, ex eo concludendum ad literam non esse accipienda ea omnia quæ dicuntur de mensuris templi, quasi hæc secum pugnarent; & cum istis dimensionibus haud posset perfici quodpiam ædificium. Omnia sibi constare & secum cohærere demonstraturi sumus argumentis, quæ ex ipsâ re ducemus. Scilicet exponemus, prout litera sonat, verba Prophetæ, & ex illis delineabimus ædificium templi; ita ut quod verbis à nobis exprimitur, possit vir tectonices artis peritus, opere complere. Ubique in Prophetâ deprehendimus mensuras Salomonicas; ut non aliud templum quàm Salomonicum menti ejus objectum fuerit. Non autem incassum visio illi facta, nec in ea enarranda tantam diligentiam adhibuisset, nisi magnis de causis, quas juvat explicare.

Deus spem fecerat Judæis libertatis, & instaurationis tum templi, tum urbis. Cùm illi cœperunt jacere fundamenta novi templi, multi quidem senes, qui adhuc in vivis erant, templum oculis suis viderant antequàm incenderetur; sed eorum in animis non supererat imago ejus adeò suis omnibus lineis perfecta, ut novum & antiquo persimile ædificium instaurare possent. Viderant, inquam, antiquum templum; sed forsan nec mensuraverant, nec delineaverant, aut non scripto mandaverant formam ejus & dimensiones. Itaque in solâ mente Angelorum tunc restabat perfecta imago templi. Ergo ut olim Deus præmonstraverat Moysi exemplar Tabernaculi; & Salomon descriptam formam templi acceperat de manu Davidis delineatam, sive potiùs, ut verisimile est, de manu Prophetæ Nathan ex aliquâ visione: similiter Deus per Angelum ostendit Ezechieli exemplar, quod instauratores templi sequerentur, ubi eis liceret operi manus admovere. Eum esse finem visionis suæ declarat Propheta cap. 43.

10. *Tu autem fili hominis ostende domui Israël templum, & confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam, & erubescant ex omnibus quæ fecerunt.*

Grotius duas hujus visionis causas reddit: primùm ut intelligerent Judæi quantum gentis suæ decus criminibus suis amisissent; quod ibi innuit Propheta. Deinde ut olim reversi specimen haberent, quod imitarentur, quantùm possent; nam perfectè ut imitarentur, neque summa festinatio permisit, neque opes multò opibus Salomonis impares. Undè, ut narrat Esdras, recolentes animo primum templum, novum videntes ob rerum penuriam illo longè inferius, reputantes secum quantùm ex veteri felicitate & dignitate templi decidissent, tristes erant.

11. *Figuram domûs, & fabricæ ejus exitus & introitus, & omnem descriptionem ejus, & universa præcepta ejus, cunctumque ordinem ejus, & omnes leges ejus ostende eis, & scribe in oculis eorum: ut custodiant omnes descriptiones ejus, & præcepta illius, & faciant ea.*

12. *Iſta eſt lex domûs in ſummitate montis: omnis finis ejus in circuitu, Sanctum Sanctorum eſt: hæc eſt ergo lex domûs.* Videlicet juxta illam deſcriptionem quam legitis in ſcripto meo, ædificabitis templum Domini in eodem monte Moriâ, ubi primum ædificatum eſt; intra eoſdem terminos Sanctum Sanctorum conſtituetis & reliquum templum. Non ergo ut conciperent mente ſolâ quoddam myſticum templum, ſed ut veri ædificii fundamenta jacerent, ſtruerent muros, exhibitum fuerat Ezechieli templum in viſione, quod veri templi exemplar eſſet; quodque ſecuti ſunt Judæi reduces à captivitate; ut ipſi atteſtantur Talmudici. *Filii captivitatis fecerunt ædificium juxta formam quam viderant in ædificio Ezechielis variis in rebus.* Teſtimonium illud ipſe Ligfootius profert in deſcriptione templi capite decimo.

In viſione Ezechielis, ſive in deſcriptione quam facit, nonnulla ſpiritualiter eſſe intelligenda non diffiteor. Incremento verbi causa aquarum, quæ ex templo egrediebantur, indicabat, licet pauci numero Judæi reverterentur à captivitate in urbem Jeruſalem, tamen fore ut ex eadem urbe multiplicati effunderentur in totum orbem terrarum; quâ figurâ poſtea uſus eſt Joannes in Apocalypſi cap. 22. 1. *Et oſtendit mihi fluvium aquæ vivæ, ſplendidum tanquam chryſtallum procedentem de ſede Dei & Agni:* cùm pariter vellet ſignificare augmentum Eccleſiæ. Animadvertendum quoque non ſolam reſtaurationem templi materialis Prophetam in animo habuiſſe; ſed & ædificii ſpiritualis, nempe diſciplinæ, quâ legem ſervarent, celebrarent ſabbata, & ſacrificia offerrent. Paucis verbis illam diſciplinam deſcribit; hujus imaginem oculis Judæorum ſubjiciens ſicut & templi, in quam illi intuerentur cùm reverſi eſſent.

Defecerunt à lege Dei Judæi; nec omnino paruerunt monitis Prophetæ; ſed non inde ſequitur quòd reale non fuerit templum, de quo loquebatur. Illud reipsâ pro ſuis facultatibus condiderunt juxta deſcriptionem; & hæc deſcriptio omninò neceſſaria erat. Moyſes penes quem erat ſumma poteſtas, potuerat nemine adverſante Tabernaculum compingere, juxta exemplar ſibi à Deo præmonſtratum. Formam ejus enarrat factam, ſicut faciendam præceperat Deus. Ex conſortio divino per quadraginta dies tantam erat conſecutus auctoritatem, ut his quæ juberet nomine Dei, velut ipſi Deo omnes obtemperarent. Salomon Rex potens templum prout voluit, ſive potiùs juxta deſcriptiones acceptas à Patre ædificavit. Pariter neceſſarium erat ut ſumma auctoritas adduceret omnes Judæos, ubi in patrium ſolum reverſi fuiſſent, convenire inter ſe de formâ & legibus novi templi conſtruendi. Præterquam quòd rerum inopes, & rudes artium ignorabant quâ ratione opus tanti ædificii eſſet tum inchoandum tum abſolvendum. Plurimâ verò pollebat auctoritate apud populum Ezechiel è nobili Sacerdotum ſtirpe ortus. Sed nec ipſe, nec alius quivis, ut obſervatum eſt, potuerat memoriâ complecti omnes templi Salomonici dimenſiones; quæ itaque revocandæ erant divinitùs in mentem; quod fecit Deus.

Tranſtulit illum Angelus in locum ubi olim ſtabat templum, antequam incenderetur; quaſi ad horam illud excitans, ut ſingulas partes ejus perluſtraret & metiretur Propheta. An in viſione tantùm hæc obtigerint, nec ex Chaldæâ corpore, ſed ſolâ mente tranſlatus fuerit, quæſtio eſt; de quâ dici poſſet quod dicit Apoſtolus de ſuo raptu uſque ad tertium cælum. 2. Cor. cap. 11. v. 2. *ſive in corpore neſcio, ſive extra corpus neſcio, Deus ſcit.* Temperare non poſſum quin dicam quod tunc animo occurrit, decuiſſe eos qui fuêre auctores noviſſimæ ſeceſſionis ab Eccleſiâ Catholicâ, dum jactabant ſe Eccleſiam Chriſti everſam excitare, aut novam condere, imitari Judæos; qui non propriâ mente formam novi templi excogitaverunt; ſed ſategerunt antiquo novum quàm ſimile facere; cujus ſimilitudo ut eis ab ipſo Deo divinitùs præmonſtraretur, neceſſarium fuerit.

SECTIO IV.

Exponuntur primi verſus capitis 40. Ezechielis, qui continent exordium deſcriptionis templi. Siſtitur Propheta ad locum ubi fuerat conditum templum, cujus imago ponitur ei ob oculos.

1. *IN vigeſimo quinto anno tranſmigrationis noſtræ, in exordio anni, decimâ menſis, quartodecimo anno poſtquàm percuſſa eſt civitas: in ipsâ hac die facta eſt ſuper me manus Domini, & adduxit me illuc.*

Deſignat Ezechiel tempus viſionis quam enarraturus eſt, nempè factam dicit vigeſimo quinto anno poſtquàm Judæi abducti ſunt: quando tranſmigravit Joachim, & cum eo populus; & ipſe Propheta adhuc puer. *Decimâ menſis* qui exordium anni eſt, decimo quarto anno poſtquam capta eſt Jeruſalem & templum incenſum. Hic annus eſt mundi 3430. ante Chriſtum 574. Exordium anni dicitur ab Hebræis ראש השנה *roſch haſchana*, id eſt, caput anni, qui incipiebat primâ die menſis Tiſri. Tractatus eſt in Miſchna hujus tituli *roſch haſchana* quo Talmudici intelligunt initium anni dicto menſe. Illud autem *in exordio anni* non habendum eſt pro primâ die anni; ſed pro primâ parte anni, ſubjungitur enim *decima menſis* nempe die menſis quocum concurrebat initium anni. Attamen contendit Villalpandus rem factam in menſe Niſan, qui & ipſe conſtitutus fuerat primus menſis anni, ſed Eccleſiaſtici. Nullo ille argumento nititur, nec auctoritate aliquâ. Caput enim anni apud Hebræos eſt initium ſeptimi menſis, qui vocatur Tiſri; ut aſſerit D. Hieronymus ad hunc locum. Theodotio, inquit ille, *in eo loco ubi nos poſuimus* in exordio anni, *interpretatus eſt* in novo anno. *Novus autem annus apud Hebræos vocatur menſis ſeptimus, qui apud eos habet vocabulum Tiſri.* Rabbini dicunt hunc annum quo facta eſt manus Domini ſuper Ezechielem, id eſt, vis divina eum arripuit, fuiſſe Jubilæum. Sic Kimhi. *Quis eſt annus cujus exordium eſt in decimâ die menſis? Dic quod eſt annus Jubilai, & in die expiationum; propterea oſtendit illi Deus optimus maximus exitum de captivitate, & ædificationem templi in anno Jubilai & in die expiationum, quoniam in eâ die parcet Deus iniquitati Iſraël, & peccatum eorum non memorabitur ultra.*

Juxta calculos noſtrorum Chronologorum annus jubilæus ſeriùs contigit; ſed quò ad diem expiationum, convenit B. Hieronymus cum Judæis demonſtratum Ezechieli templum in illâ, quæ decima dies erat menſis ſeptimi.

2. *In viſionibus Dei adduxit me in terram Iſraël, & dimiſit me ſuper montem excelſum nimis: ſuper quem erat quaſi ædificium civitatis vergentis ad Auſtrum.*

In magnis & admirandis viſionibus, verèque divinis, quales contigerant Patriarchis, adduxit me vis divina in terram Iſraël. Scilicet tam illuſtris & perſpicua viſio mentis meæ oculis objecta fuit, ut oculis corporis viderer mihi cernere proprium ſolum, terram, inquam, Iſraël. *Et dimiſit me*, iſta

vis *ſuper montem excelſum nimis.* Super montem A Moria, cujus nomen indicat celſitudinem; derivatur enim a ראה *vidit*; quia conſpicuus erat locus: ideò in eo locatum templum, quod erat typus Eccleſiæ, cujus gloria futura erat adhuc excelſior. *Super quem*, montem *erat quaſi ædificium civitatis vergentis ad Auſtrum.* Speciem civitatis habebat templum, ut vidimus. Dicitur à Strabone ἀκρόπολις. Et de eo Tacitus: *Templum in modum arcis, propriique muri*, nempe ob propugnacula ſua, tum ob multitudinem diverſorum ædificiorum ſuorum. Vergebat autem ad Auſtrum reſpectu Ezechielis, qui adductus erat Babylone, quæ comparata cum Jeruſalem ſeptentrionalis dici poterat. Senes Græci non legerunt נגב *negheb*, id eſt, Auſter, ſed נגד *neghed*, id eſt, *coram*. Ideò vertunt καὶ ἐπ' αὐτοῦ ὡσεὶ οἰκοδομὴ πόλεως ἀπέναντι. *Et in eo quaſi ædificium civitati è regione.* Hoc eſt, mihi viſus ſum videre civitatem ex adverſo, ſive coram me. Hanc lectionem, teſte Hieronymo, Aquila ſecutus eſt. Verior eſt, ut puto; etenim ex iis quæ ſequuntur, non ad Auſtrum reſpectu Babylonis, nempe ad boreale latus templi, ſed ad portam orientalem Angelus Prophetam miſit.

3. *Et introduxit me illuc, & ecce vir, cujus erat ſpecies quaſi ſpecies æris, & funiculus lineus in manu ejus, & calamus menſuræ in manu ejus: ſtabat autem in portâ.*

Vis divina *introduxit me illuc*, adduxit me ad templum. *Et ecce vir* Angelus in ſimilitudine hominis, *cujus erat ſpecies æris* terſi & politi. Dum Angelum intuebar in humanâ ſpecie apparentem, videbar mihi videre ſplendidiſſimum æs candens, lucidiſſimis micans ſcintillis. Ære illo ſignificatur fortitudo & ſplendor Angeli. *Et funiculus lineus in manu ejus & calamus menſuræ, &c.* Manu alterâ funiculum habebat, quo ſolent cæmentarii uti ad majora ſpatia dimetienda, ut vir ille qui apparuit Zachariæ cum funiculo menſorum in manu ejus; quem cùm ille interrogaret cap. 2 v. 2. Quò tu vadis? reſpondit, *ut metiar Jeruſalem, & videam quanta ſit latitudo ejus, & quanta longitudo ejus.* Alterâ manu Angelus qui viſus eſt Ezechieli, gerebat calamum menſuræ, ad quam perfectiſſimum templi ædificium olim fuerat exactum, eâdem nunc dimetiendum. Intelligenda eſt pertica, quæ in illis locis ſolebat fieri ex calamo. Angelus Apocalypſis utebatur & calamo. *Stabat autem in portâ*, nempe ingreſſurus in templum, ut coram Ezechiele metiretur. Porta illa, ut videtur, erat in orientali ſepto exteriori.

4. *Et locutus eſt ad me idem vir: Fili hominis vide oculis tuis, & auribus tuis audi, & pone cor tuum in omnia, quæ ego oſtendam tibi, quia ut oſtendantur tibi adductus es huc: annuntia omnia, quæ tu vides, domui Iſraël.*

Diligenter conſidera, & attende ſermoni, quem locuturus ſum, ait Angelus Ezechieli; ut ſcilicet quæ viſurus & auditurus es, renunties Judæis. Finis viſionis erat ut Judæi reduces, templum quod excitaturi erant, quantùm ab eis fieri poſſet, facerent priori ſimile. Ideò ejus ſpeciem Ezechieli oſtendebat Deus. *Cùm igitur*, inquit Maimonides cap. 1. n. 4. de Domo electa. *Eſdræ tempore ſecundum ædificarent templum, tum ad Salomonis ſeſe direxerunt ædificium, atque etiam ad ea quæ planiùs ſunt apud Ezechielem de templo futuro explicata.* Proſequamur verba Prophetæ.

5. *Et ecce murus forinſecus in circuitu domûs undique, & in manu viri calamus menſuræ ſex cubitorum & palmo: & menſus eſt latitudinem ædificii, calamo uno, altitudinem quoque calamo uno.* Tunc oculis Ezechielis objectus eſt *murus forinſecus.* In fonte pro *forinſecus* eſt in Hebræo codice מחוץ בית id eſt, *citra domum*; nempe non iſte murus ſeptum erat interioris ædificii, ſive atriorum, ſed erat extra. Indicabat, ut videbimus, illam loricam, ſive ſepem cancellatam, quæ erat extra ſeptum atrii Iſraelitarum. Villalpandus opinatur muro illo indicari viam, quæ erat extra murum atrii gentium, quæ obiret totum montem. Talis viæ neque in codice ſacro, neque apud Joſephum, aut apud Talmudiſtas ulla mentio fit. *Et in manu viri calamus menſuræ*, quo nempe pro menſurâ utuntur Architecti *ſex cubitorum & palmo.* Habebat, inquit Villalpandus, vir ille in manibus calamum ſex conſtantem veris cubitis, quibus unus palmus adderetur. Communis B ſententia eſt non unum palmum ſummæ ſex cubitorum, ſed unicuique cubito fuiſſe additum. Textus Hebræus reddi poteſt: *& in manu viri calamus menſuræ ſex cubitorum, in cubito & thophac.* Nomen *thophac* redditur ab Interprete Latino *palmus.* Apud Hebræos menſura eſt quatuor digitorum contractorum ex omnium conſenſu. Nomen *thophac* ib. ſupponi poteſt in genitivo, vel in ablativo. Græci acceperant in genitivo vertentes: κάλαμος τὸ μέτρον πηχῶν ἓξ ἐν πήχει καὶ παλαιστῆς. *Menſura calami ſex cubitorum in cubito & palmi.* Quibus verbis nullus ſubeſt ſenſus, niſi ſubintelligatur *menſura palmi.* Maimonides de Domo electâ cap. 2. memorat apud Hebræos fuiſſe in uſu duplicem cubitum, unum qui C conſtaret quinque thophac, ſive viginti digitis, alium fuiſſe ſex thophac, ſive viginti quatuor digitorum, ut jam vidimus in primo libro hujus operis. Quæ diſtinctio duplicis cubiti ſi obſervaretur ſuâ ætate, decebat Prophetam admonere quibus cubitis Angelus uteretur, an cubito minori viginti digitorum, an majori, cui ſcilicet addendum eſſet thophac, ſive quatuor addendi eſſent digiti. Denuò quando Angelus metiri cœpit altare; ſic & loquitur Propheta cap. 43. v. 13. *Iſtæ autem menſuræ altaris in cubito veriſſimo qui habebat cubitum & palmum.* In fonte eſt: *in cubitis, cubitus & palmus.* Senſus, ut mihi videtur, hujus locutionis eſt, menſuras altaris ibi definiri cubito & palmo, undè D ducerem ab Ezechiele ſignificari adhibitam ab Angelo menſuram, nempe calamum, cujus partes eſſent ſex cubiti; ſicut ſex partes cubiti erant ſex thophac, ſive palmi. Conveniunt omnes cubitum quo uteretur Angelus, habuiſſe ſex cubitos, quorum ſinguli conſtabant ſex thophac. Quæſtio illa an vulgaris cubitus non ultra quinque thophac haberet, non pertinet ad huncce locum. In libro primo vidimus diverſas illas menſuras reputari debere fictitias. Ideò Propheta mentionem facit cubitorum & thophac, quia erant partes in quas dividebatur calamus. Rotundis menſuris uti ſolent Architecti; additamentum autem illud quatuor digitorum, ſi reipſâ cuique calamo fuiſſet adjungendum, ſæpiùs E calculos perturbaſſet. Præterea, ut patebit ex ſequenti ſermone, interdum ubi aliquam partem deprehendit Angelus æqualem calamo, Propheta declarat fuiſſe ſex cubitorum. Ut in capite 41. v. 8. *Fundata latera ad menſuram calami ſex cubitorum ſpatio.* In fonte *pleno calamo.* Dum proſequar expoſitionem Ezechielis, demonſtrabo hujuſce doctrinæ de longitudine calami quam ſtatuo, nullibi Prophetam contradicere; ut fruſtra dixerat Villalpandus; ſed iſta fidem non ſpectant, ut judicio Theologorum debeant dirimi.

Particula illa versûs cui immoramur: *& menſus eſt latitudinem ædificii calamo uno, altitudinem quoque calamo uno.* Hæc, inquam, particula indiget diligenti expoſitione. Villalpandus, ut jam dixi, il-

lud ædificium interpretatur loricam viæ hujus, quæ A obiret totum montem Moriam, & complecteretur atrium gentium. Viam illam credo fictitiam; sed illud ædificium ipsâ opinor fuisse aliquam loricam, quæcumque illa fuerit. Nomen הבנין habinian, quod Vulgatus Interpres reddit *ad fictum*, Septuaginta Græci interpretantur προτείχισμα, id est, *antemurale*. Hieronymus ad hunc locum hæc dicit: *pro muro quem Aquila & Theodotio interpretati sunt: Symmachus & LXX. posuerunt* περίβολον. Sex aliis in locis *Habinian* vertitur in Græcâ versione διορίζον *id quod separat*, nempe *limes*, *finis*, ut videre est in Concordantiis Conradi Kircheri. Paraphrastes Chaldæus nomen Hebræum retinuit. Illa autem lorica quam metitur ibi Angelus, non omnino potest ha- B beri pro cancellatâ sepe, quæ definiebat quousque prophani accedere possent, & terminabat loca sancta, non enim conveniunt mensuræ; nec Ezechiel mentionem facit atrii gentium; quod tunc temporis forsan nullum erat. Certè nondum completi erant aggeres illi, quibus cùm postea area montis Moriæ facta esset laxior, locus huicce atrio inventus est. Non ideò minùs, ut colligi potest ex isto loco Ezechielis in quo versamur, extra septum atrii Israëlis projiciebatur quædam maceria, quæ prohiberet quominùs viri Gentiles, & ipsi Judæi non casti, sive immundi attingerent ipsum septum, quo atrium mundorum claudebatur.

Præterea cùm subjicerentur valles, ne quis in il- C las decidat, juxta legem qua præcipitur in Deuteronomio cap 22. ut omne tectum, & ideò omne ædificium altum & præcinctum præcipitiis, muniatur lorica, ne quis inde incautus decideret; mons aliquâ maceriâ fuit præcingendus cui convenit mensura, quam deprehendit Angelus, altitudine sex cubitorum, & latitudine sex cubitorum. Videntur Aquila & Symmachus eo in sensu accepisse Ezechielem; vertunt enim τὸ πλάτος οἰκοδομῆς. Vidimus mœnia illa quæ ex imis vallibus ascendebant, & totum montem Moriam complectebantur hac voce significari. Et quidem οἰκοδομὴ benè respondet voci Hebrææ בנין *Binian*, quæ derivatur à בנה *Banah ædificavit*, ut οἰκοδομὴ fit ex verbo οἰκοδομέω *ædifico*. Forsan murus ille exterior descendebat in D valles; & ideò tanta erat ejus latitudo, nempe sex cubitorum, qui pares sunt decem pedibus Parisinis; sed Angelus hujus muri non totam altitudinem metitur, sed partem quæ extaret supra aream montis Moriæ. Quidquid sit; ædificium illud *Binian*, proprium fuit templo quod Angelus mensus est; sed ubi plurimis annis decurrentibus spatia verticis Moriæ extensa sunt, sublatus forsan ille murus, ut novus & amplior ædificaretur.

SECTIO V.

De mensuris septi quo claudebatur atrium Israëlitarum, juxta Ezechielem; cujus vera lectio restringit illud atrium ad suos veros limites. E

MIhi quidem propositum est congerere quæ pertinent ad templum Dei: sed ne ista congeries indigesta & vaga sit, eam colligo articulis; quorum is ordo est, ut partes templi declarentur & describantur, prout occurrebant considerandæ ingredientibus templum & penetrantibus usque ad ejus intima. Quâ de causâ non decuit sequi pedetentim Ezechielem. Insistendum enim sæpiùs his locis, quæ Propheta ut nota præterit; neque enim ut è terrâ, ita è memoriâ prorsus deletum erat templum. Restabat ejus imago in animis senum; quapropter solæ dimensiones ejus significandæ his à quibus erat instaurandum. Nobis verò conflanda est ista imago; quod ut assequamur, statim ac ad aliquam partem templi accessimus, huic immorandum est. Itaque quæ propria sunt septo atrii Israëlitarum, ad quod pervenimus, consideranda. Jam Angelus Ezechielis dictum septum prætergressus est, reversurus ut illud metiatur in capite 42. Ezechielis; quod caput nunc occupo. Nemo id mihi vitio vertat, si quæ posteriora sunt in Ezechiele, facio priora; ut ex ordine qui clarior esse poterat ejus visionem enarrem.

Expositio capitis 42. Ezechielis à versu 15. usque ad finem capitis.

15. *Cùmque complesset mensuras domûs interioris, eduxit me per viam portæ, quæ respiciebat ad viam orientalem: & mensus est eam undique per circuitum.*

Cùm complesset Angelus mensuras atriorum & ædium interiorum, reversus est per portam orientalem, quâ primùm videtur ingressus, ut egressus metiretur ambitum septi exterioris, circa quod hæremus. Clara est versio Græca sensum καὶ συνετελέσθη ἡ διαμέτρησις τοῦ οἴκου ἔσωθεν. καὶ ἐξήγαγέ με καθ' ὁδὸν τῆς πύλης τῆς βλεπούσης πρὸς ἀνατολὰς καὶ διεμέτρησε τὸ ὑπόδειγμα τοῦ οἴκου κυκλόθεν ἐν διατάξει. *Et completa est mensuratio domus interioris, & eduxit me per viam portæ respicientis ad Orientem; & mensus est domûs exemplar in circuitu in ordine.* Id quod videbat Ezechiel, erat exemplar templi instaurandi. Quid autem metitur Angelus, postquàm interiora domûs mensuraverat? Non licet quidpiam aliud intelligere, quàm septum quod præcingebat atrium Israëlis. Non, inquam, metitur atrium gentium, quod tunc forsan, ut dixi, nullum erat. Certè non murum exteriorem qualis fuit qui *Binian* appellatur, qui cùm esset extra domum Dei, non dixisset Ezechiel Angelum fuisse mensum domum Dei, dum mensus est hunc murum, de quo nunc sermo, & quo sentio circumdatum atrium Israëlitarum. Ex hujus atrii dimensione pendet vera magnitudo templi, quam hic inquirimus seu priùs animadvertam ad huncce locum Ezechielis fieri allusionem in Apocalypsi capite 11. sive similem visionem Joanni objectam quam ille enarrat. *Et datus est mihi*, inquit, *calamus similis virgæ, & dictum est mihi: surge & metire templum Dei & altare & adorantes in eo. Atrium autem quod est foris templum ejice foras, & ne metiaris illud: quoniam datum est gentibus, & civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.* Atrium illud foris templum αὐλὴ ἔξωθεν est ipsum atrium gentium; quod Joannes prohibetur metiri, sicut Angelus Ezechielis non illud mensus fuerat. Ubi novum templum instaurandum fuit everso Salomonico, Deus per Angelum ostendit ejus specimen; ita ubi condendum fuit templum immateriale, sive condenda fuit Ecclesia Christiana, formam ejus repræsentavit in istâ visione, quæ Joanni facta est. Revertamur ad Ezechielem.

16. *Mensus est autem contra ventum orientalem calamo mensuræ, quingentos calamos in calamo mensuræ per circuitum.* Fons, ut hodie legitur: *mensus est ventum orientalem*, hoc est, latus orientale *quinque cubitos calamis in calamo mensuræ per circuitum.* Masorethæ monent in marginalibus notis אמות *emoth* cubitos, legendum מאות *meoth* centum: quam lectionem Paraphrastes Chaldæus videtur approbasse: vertit enim; *mensusque est plagam orientalem calamo mensuræ quingentis calamis calamo mensuræ per circuitum.* Duæ illæ voces אמות & מאות unius literæ transpositione differunt. Sequentibus

verſibus Angelus juxta fontem hodiernum reperit A tria alia latera quingentorum calamorum. Ita & Paraphraſtes.

Præcipuus noſtræ deſcriptionis cardo vertitur in hacce dimenſione atriorum Iſraëlis. Si ſequimur hodiernos codices Hebræos & vulgatam verſionem, numerandi ſunt in ſingulis lateribus ſepti circa quod verſamur, quingenti calami; ſed expendendum eſt an ſani ſint codices Hebræi; quibus ergo ſtandum eſſet. Demonſtrabimus Librariorum imperitiâ depravatos; & primùm adducemus verſionem Græcam cujus authores, ut videtur, uſi ſunt ſanioribus eâ in parte codicibus. Ibi habent: καὶ διεμέτρησε πεντακοσίους ἐν τῷ καλάμῳ τοῦ μέτρου. *Et menſus eſt quingentos in calamo menſuræ.* Supplendos eſſe *cubitos* (quos reperit Angelus metiens calamo latus illud) oſtendunt verſus ſequentes verſionis Græcæ, in quibus illa ſemper exprimit πήχεις πεντακοσίους; ubi Latina verſio pergit numerare calamos quingentos.

17. *Et menſus eſt contra ventum Aquilonis quingentos calamos in calamo menſuræ per gyrum.*

18. *Et ad ventum Auſtralem menſus eſt quingentos calamos in calamo menſuræ per circuitum.*

19. *Et ad ventum occidentalem menſus eſt quingentos calamos in calamo menſuræ.*

In loco tam lubrico fortiùs pedem figamus, certa ab incertis diſtinguendo. Primùm, quoquo modo legatur ſacer codex, latera ſepti quod metitur Angelus, paria ſunt. Secundo, lectio hodierna aſſignat his lateribus longitudinem, quam habere non potuerunt. Etenim licet calamus ſtatueretur ſex cubitorum præciſè, fieri non poteſt, ut cujuſque lateris longitudo æquaret quingentos calamos, hoc eſt, ter mille cubitos. Stadium Hebræum non continet plures quàm 416 cubitos; habuiſſent ergo pluſquàm ſeptem ſtadia. Attamen Joſephus unum ſtadium tribuit etiam his porticibus quæ occupabant latus atrii gentium. Totus dicti ſepti circuitus fuiſſet duodecim millè cubitorum; quem numerum ſi partiaris in 416 cubitos, quos ſtadium continet, numerus exurget pluſquàm viginti octo ſtadiorum. Ex eodem autem Joſepho totus extimus ambitus comprehenſâ turri Antoniâ, erat ſex tantùm ſtadiorum. Quin hujuſce ſcriptoris teſtimonio omne totius urbis Jeruſalem in gyro ſpatium finiebatur 33 ſtadiis. Ergo Moria ferè totam civitatem adæquaſſet, hoc eſt, una pars omnibus partibus propè fuiſſet æqualis; quod abſurdum eſt. Indè, ut vidimus, Ligfootius & plerique alii qui nolunt agnoſcere ullas Librariorum mendas in codicibus Hebræis, putant confugiendum eſſe ad ſenſus myſtiſticos. Etenim, inquit ille, id quod dicit Propheta, non poteſt in bonum ſenſum accipi, niſi ſpiritualiter intelligatur; nempe de templo quodam ſpirituali, quod majus prædicitur quàm unquam eſſe potuit templum reale Hieroſolymorum.

Villalpandus cenſet, ut diximus, menſurari eo in loco ab Angelo loricam viæ, quam ſtatuit ultra porticus atrii gentium. Nempe juxta ſententiam quingenti dicti calami tribuendi ſunt cuique lateri extimi ambitûs, qui quidem major erat ambitu atrii Iſraëlitarum. Iſta hypotheſis levat ex parte difficultatem; ſed non eam ſolvit. Præterquàm enim Villalpandus facit cubitum multò majorem, ſex enim cubitis calami, addit palmum; ita circuitus ille atrii gentium, ſive extimi ambitûs fuiſſet pluſquàm viginti octo ſtadiorum; quod repugnat verò Hieroſolymorum circuitui. Ipſe Villalpandus difficultate rei impeditus hos quingentos calamos, quos Vulgata noſtra adſtruit de uno quoque latere, dividit in omnia latera, ut quæque tantùm haberent centum viginti quinque calamos, qui faciunt 750 cubitos. Verùm iſtam diviſionem reſpuunt aperta verba Scripturæ: *menſus eſt autem contra ventum orientalem calamo menſuræ quingentos calamos.* Angelum exhibet Scriptura unum poſt aliud latus dimetientem; & quodque reperit quingentorum calamorum. Sed quomodo ſecum ipſa verba hujus codicis cohærent, & cum ipsâ veritate? nam liquet fieri non poſſe ut quingentorum calamorum fuerint iſta latera.

Cavet Dei providentia ne in præcipua dogmata Scripturarum inducantur errores; cætera citra fidem poſſunt calamo errante contaminari. Non ergo ſcelus eſt cogitare fontes ipſos alicubi turbatos, ubi aliter olim lectos ſacros codices diverſæ verſio-
B nes demonſtrant; quod patet in eo loco Ezechielis, in quo verſamur. Illi, inquam, fontem Hebræum corruptum admonet verſio Græca, quæ multò antiquior eſt verſione Latina. Græci illi Interpretes aliter legebant codicem Hebræum quàm nunc ſcribitur, dum vertunt καὶ διεμέτρησε . . . πήχεις πεντακοσίους ἐν τῷ καλάμῳ τοῦ μέτρου. *Et menſus eſt quingentos cubitos in calamo menſuræ.* In ſcholiis Romanæ editionis dicitur: *in quibuſdam eſt*, καὶ τὰ τέσσαρα μέρη ἐμέτρησε τῷ αὐτῷ καλάμῳ. *Et quatuor ipſa partes menſus eſt eodem calamo.* Senſus apertus eſt: Angelus calamo metiebatur; & tali menſurâ utens invenit quingentos cubitos.

Facilè eſt deprehendere ipſam erroris originem, quam Ludovicus Capellus repetit ab imperitiâ eo-
C rum, qui olim Biblia Hebraïca corrigenda ſuſceperunt. Mazorethæ, nempe Judæorum doctores marginali notâ ad hunc locum admonent per ſuum Keri marginale, (ſic appellant notam quæ docet aliter legendum quàm ſcribitur.) Admonent, inquam, Mazorethæ pro eo quod legitur in textu חמש אמות קנים, hoc eſt, *quinque cubitos calamorum*, legendum eſſe מאות meoth, *centum*; etiamſi ſcriptum ſit אמות *Emoth*, hoc eſt, *cubiti.* Jam obſervatum eſt; quod & advertere poſſunt qui non Hebraïcè norunt, eaſdem eſſe literas in utraque voce אמות & מאות. Marginalis ergo nota oſtendit veſtigium erroris, ſive arguit non omninò ſanos eſſe codices, & olim aliter lectos à Græcis Interpretibus, qui veri-
D ſimiliter legerunt חמש מאות אמות בקנה, id eſt, *quinquies centum cubitos in calamo.* Scilicet ex illis duabus vocibus ſimilibus אמות *emoth*, & מאות *meoth* una omiſſa eſt & eliſa litera ſervilis ב à nomine קנים.

Quin in confirmationem hujus noſtræ ſententiæ ipſa Vulgata jure allegatur; quæ poſtquàm numeravit quingentos calamos, poſtea pro calamis ponens cubitos, quaſi errorem corrigeret; ſic tandem loquitur in verſu vigeſimo.

20. *Per quatuor ventos menſus eſt murum ejus undique per circuitum longitudinem quingentorum cubitorum & latitudinem quingentorum cubitorum dividentem inter Sanctuarium & vulgi locum.*

Ultima illa particula, *inter Sanctuarium & vul-*
E *gi locum*, in errorem nos iterùm impelleret, ſi non adiremus fontem in quo legimus בין הקדש לחל *inter ſanctum & prophanum.* Etenim non quæſtio eſt de muro, qui dividebat atrium Sacerdotum ab atrio Iſraëlis, ſive laïcorum. Hocce enim atrium non poterat appellari חל prophanum. Nuſquam prophani dicuntur niſi Gentiles. Itaque ſeptum de quo eſt ſermo, non poteſt eſſe niſi ſecundum, quod dividebat atrium Iſraëlis ab atrio gentium. Clara eſt verſio Græca τοῦ διαστέλλειν ἀναμέσον τῶν ἁγίων καὶ ἀναμέσον τοῦ προτειχίσματος. *ad dividendum inter ſancta & inter antemurale*; quod προτείχισμα, ut vidimus, appellabatur in fonte Hebræo חל *Chel*, id eſt, *prophanum.* Huic muro, ſive ſepto Vulgata in hoc vigeſimo verſu

tribuit quingentos cubitos. Dico Vulgatam; neque enim diſſimulandum eſt in hoc verſu abeſſe a fonte vocem cubiti. Sic fons reddi poteſt: *in quatuor plagas menſus eſt* illum exteriorem, *murum circumquaque longitudine quingentorum, & latitudine quingentorum, ad diſtinguendum inter ſanctum & prophanum.* D. Hieronymus agnoſcit à ſe vocem cubitorum inſertam huic loco per incogitantiam, & potiùs ſubſtituendos calamos. *Illud*, inquit, *quod per ſimplicitatem interpretationis, dum parùm attendimus celeritate dictandi, & ſeptuaginta habent & noſtra tranſlatio*; murum ejus undique per circuitum longitudine quingentorum cubitorum, & latitudine quingentorum cubitorum, *Hebræus ſermo non continet; ſed ſimpliciter longitudinem quingentorum, & latitudinem quingentorum, ut ſubaudiatur calamorum.* Villalpandus autem, ut obſervat Cappellus, utramque menſuam admittit, adhærens mordicùs Vulgatæ; & quod modeſte fatetur Hieronymus per ſimplicitatem incurriſſe, contendit factum, Deo benè diſponente ſtylum Interpretis; & rem ſic expedit, ut duplicis muri vel rei cujuſpiam duplicis menſura notetur. Quingenti calami, inquit ille, ab Angelo numerati ſunt in peribolo ambiente, ſive muro extimo, & octoginta calami, qui faciunt quingentos cubitos, in latere ſecundi ſepti, quo terminabatur atrium Iſraëlis, ſed, ut patet, verſus vigeſimus recapitulatio eſt præcedentium; ita non alterius muri memoratur menſura; & quod adſtruitur de iſto quadrato, quod ad omnem ventum, id eſt, in omni latere haberet quingentos, ſive cubitos, ſive calamos, non poteſt intelligi de ſummâ magnitudinis quatuor laterum, ſi quidem in recapitulatione dicitur hujus quadrati longitudinem fuiſſe quingentorum & latitudinem quingentorum; quod verum non eſſet; ſi quatuor latera ſumpta ſimul eſſent tantummodò quingentorum.

Concludamus ergo ſeptum atrii Iſraëlitarum fuiſſe quadratum, & habuiſſe in ſingulis ſuis lateribus quingentos præcisè cubitos; quos Angelus repererit, illa dimetiens ſuo calamo. Quingenti cubiti non faciunt quidem præciſum calamorum numerum, ſed octoginta tres cum duobus tophac. Verùm cùm calamus quo Angelus utebatur, eſſet diviſus in cubitos ſex, & cubiti in ſex tophachim diviſi eſſent, quamque longitudinem poterat dimetiri, quæ contineret certum tophachim numerum, ſed non pariter calamorum; quod cùm non animadverterent imperiti correctores, quaſi tot & tot calamos deprehenderit Angelus, quia calamum in menſuram adhibebat, depravarunt codices, quos ſanandos ſuſcipiebant. Quæ poſteà dimenſiones factæ ſunt ab Angelo, miris modis congruunt huic dimenſioni, quam in hocce articulo ſtatuimus.

SECTIO VI.

Septum atrii Iſraëlis dividebat inter ſanctum & prophanum; excludebatque non ſolùm Gentiles, ſed & Iſraëlitas non caſtos, ſive immundos.

DEcet paulò attentiùs mentem advertere ad illa poſtrema verba Ezechielis, quibus concludit menſuras ſepti, quo atrium Iſraëlis finiebatur. Propheta dicit hocce ſeptum factum להבדיל בין הקדש לחל, id eſt, *ad dividendum inter ſanctum & prophanum.* Iterùm quam tribuimus ſignificationem voci חל *chol* confirmabimus. Omnia quidem atria templi, loca ſancta erant. Etiam quod Gentium erat, dicebatur τὸ ἱερὸν; & ut illud Joſephus appellat δεύτερον ἱερόν. Sed ratione eorum quibus erat deſtinatum, cenſeri poteſt *locus communis*, hoc eſt, pro conſuetudine loquendi tunc uſitatâ, *prophanus.* Conſtat omnes Iſraëlitas vocatos ſanctos; & tales eſſe decebat. *Ego enim ſum Dominus Deus veſter*, alloquitur Deus Iſraëlitas, capite undecimo Levitici v. 44. *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum. Ne polluatis animas veſtras, &c.* & mox v. 45. *Sancti eritis, quia ego ſanctus ſum.* Sanctum idem eſt ac mundum; ita prophanum & pollutum opponitur ſancto. Juxta hunc ſenſum Deus dicit Moyſi in Exodo cap. 19. v. 10. *Vade ad populum, & ſanctifica illos hodie & cras, & lavent veſtimenta ſua.* Similiter in Deuteronomio cap. 23. v. 14. *Et ſint caſtra tua ſancta, & nihil in eis appareat fœditatis.* Nullus ergo dubitationis locus eſt, quin atria Iſraëlitarum reputarentur ſancta; quæ nulli niſi ſancto, hoc eſt, mundo patere deberent. *Vos eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens ſancta.* Verba Dei ſunt in Exodo cap. 19. v. 6. Contra verò Gentiles cenſebantur impii, peccatores, immundi, quos nec tangere liceret Judæo. Nomen *Cnol* redditur à Græcis Interpretibus βέβηλος *profanus*, id eſt, immundus. Locus eſt huic quem tractamus, parallelus in Levitico cap. 10. v. 10. בין הקדש בין קחל ובין הטמא ובין הטהור להבדיל *ad diſcernendum inter ſanctum & prophanum, inter pollutum & mundum.* Plura alia loca Scripturarum congerere poſſem, quibus liquet nomen חל chol in fine capitis 42. à Latino Interprete Ezechielis non benè reddi *vulgi locus.* Populus quidem Iſraël, qui non erat ex ſemine Levitico, poterat dici *vulgus*; ſed locus huic aſſignatus in templo ſanctus erat, & omnis Iſraëlita habebatur ſanctus. Interpres Latinus Paraphraſeos Chaldaicæ vocem חולא interpretatur *Laicum.* Sic Vulgatus 1. Reg. cap. 21. v. 4. appellat *laicos* panes qui in fonte Hebræo dicuntur לחם חל *lechem chol*, id eſt, βέβηλος ἄρτος *panis prophanus*, id eſt, panis communis; ſic in linguâ Helleniſticâ κοινὸς ſonat idem ac *communis, pollutus, impurus.* Ad vitandam ambiguitatem ſatius fuiſſet vertere inter locum ſanctum & locum prophanum, quod facit verſio Græca. In Aldino exemplari Bibliorum Græcorum ſic exprimitur locus circa quem moramur. ἀνὰ μέσον τῶν ἁγίων καὶ τοῦ κοινοῦ, *inter ſanctum & commune.*

Hæc hluſquàm ſatis, ut conſtet ſeptum illud quod dividebat, ſive diſcernebat inter ſanctum & prophanum, non aliud eſſe quàm ſeptum atrii Iſraëlitarum; in quod piaculum erat inducere quemquam virum non ſanctum, ut ipſe Dominus declarat Ezechieli, ſive præcipit declarandum cuncto Iſraëli cap. 44. 5. *Et dixit ad me Dominus. Fili hominis, pone cor tuum, & vide oculis tuis, auribus tuis audi omnia, quæ ego loquor ad te, de univerſis ceremoniis domûs Domini, & de cunctis legibus ejus. Et pones cor tuum in viis templi per omnes exitus Sanctuarii.*

Iſta confirmant quod diximus, templum Ezechieli oſtenſum in ſpecimen, ad quod reduces Judæi Babylone ædificarent templum, & ceremonias revocarent. Illud: *in viis templi per omnes exitus Sanctuarii*, obſcurum eſt: fons ſic exprimi poteſt *in ingreſſu & in exitu Sanctuarii.* Proverbialis locutio eſt, quæ non ſemel occurrit in ſacro codice, quâ intelligere decet id omne quod attineret ad Sanctuarium.

6. *Et dices ad exaſperantem me domum Iſraël: hæc dicit Dominus Deus: ſufficiat vobis omnia ſcelera veſtra, domus Iſraël.*

7. *Eò quòd inducitis filios alienos, incircumciſos corde, & incircumciſos carne, ut ſint in Sanctuario meo, & polluant domum meam: & offertis panes meos adipem & ſanguinem; & diſſolvitis pactum*

meum in omnibus sceleribus vestris.

Id est, cùm offerebatis mihi לחמי *lechemi*, panem meum, videlicet propositionis panes, adipem & sanguinem tunc polluebatis domum meam in legem peccantes.

8. *Et non servatis præcepta Sanctuarii mei, & posuistis custodes observationum mearum in Sanctuario meo vobismetipsis.*

Græca versio limpidior. *Et non custodistis præcepta Sanctuarii mei, & ordinabitis ut non servaretis custodias in omnibus sanctis meis vobis.*

9. *Hæc dicit Dominus Deus: Omnis alienigena incircumcisus corde & incircumcisus carne non ingredietur Sanctuarium meum, omnis filius alienus qui est in medio filiorum Israël.* B

Sed nec ipsi omnes Israëlitæ sine discrimine admittebantur intra atrium, quod eorum nomine appellabatur. Constituti erant è Levitis Janitores ad custodiam τῆ τεμένους, hoc est, partis illius defectæ (indicatur atrium Israëlitarum) ὡς μηδένα μεμιασμένον παρεῖναι λανθάνοντα, *ne quis pollutus posset intro subrepere.* Ait Josephus libro 9. Antiq. cap. 7. Etiam si immunditia non appareret; haud ullus Israelita conscius se non purum esse, ausus fuisset intrare in locum sanctum. Ipse se excludebat; ut idem Josephus asserit libro 3. Antiq. in fine, ubi ostendit quanta esset reverentia Judæorum erga leges Moysis. *Quandoquidem*, inquit, *hodie quoque nemo est Hebræorum, quin, etiam si latere possit, quasi præsentem* C Moysem *revereatur & quasi pœnas exacturum, si quid præter decorum ab ipso præscriptum gesserit. Auctoritatis ejus plusquàm humanæ argumenta sunt plurima, & in his illud non minimum, quòd quidam ex regionibus ultra Euphratem sitis, ad honorem nostri templi* κατὰ τιμὴν τῆ παρ' ἡμῖν τῆ ἱερῦ. *quatuor menses iter magno sumptu nec sine periculo emensi, sacrificioque peracto, non potuerunt tamen partem aliquam de victimâ consequi, existente aliquâ causâ, cur per leges nostras id minùs liceret. Et quidem ne sacro quidem facto, alii semiperfecto sacrificio relicto, nonnulli ne templum quidem adire permissi, re infectâ redierunt, malentes Moysis legibus, quàm suo proposito obsequi; idque nemine redarguente, nisi propriâ conscientiâ.* D Πολλοὶ δ' οὐδ' ἀρχὴν εἰσελθεῖν εἰς τὸ ἱερὸν δυνηθέντες, ἀπίασιν ὑπακούειν τοῖς Μωσέως προστάγμασι μᾶλλον, ἢ ποιεῖν τὰ κατὰ βούλησιν τὴν ἑαυτῶν προτιμῶντες, καὶ τὸν ἐλέγξοντα περὶ τούτων αὐτοὺς, οὐ δεδιότες, ἀλλὰ μόνον τὸ συνειδὸς ὑφορώμενοι.

Ad huncce locum attinet totum caput tertium tractatûs quem composuit Maimonides de ratione adeundi templi; ex quo sequentia exscribo. *Omninò, hoc jubente lege, sancitum erat, ut templo homines inquinati arcerentur omnes.* Nomen templum ambiguum est, nec ibi sumitur pro æde sacrâ. Apud Maimonidem est מקדש *mikdasch*, id est, sanctum; quod nomen tribuebatur & atrio Israëlitarum. Maimonides reddit rationem legis: *quippe quia scriptum legimus*, Num. 5. 2. ut ejiciant de E castris omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusque est super mortuo. *Castra enim qui hoc loco commemorantur, castra sunt Dei: hoc verò illud erat spatium, quod intra limen atrii Israëlitarum continebatur.* Maimonides dicit Hierosolymam repræsentasse castra Israëlitarum; intra quæ erant castra Dei, quibus respondebant atria Israëlitarum. Itaque extra Hierosolymam amandabantur leprosi, ut olim ex Israëlitarum castris; & qui in his admittebantur poterant in montem Moriæ introire, hoc est, versari in atrio gentium, & accedere usque ad cancellatam sepem, id est, ad *chel*, sive *antemurale*; ultra quem limitem penetrare non licebat his omnibus, qui olim a castris Dei expellebantur. *Ab*

A *spatio intermurali*, quod scilicet sepes cancellata terminabat, *excludebantur Ethnici funesti, & qui cum mulieribus menstrualibus consuescebant.* Diversos sanctitatis gradus agnoscit Maimonides etiam in atriis Israëlitarum; nam locus assignatus mulieribus non ita sanctus erat: sanctior virorum; & his omnibus magis sancta atria Sacerdotum; quibus sanctior ædes sacra, in quâ pars erat sanctissima.

Si quis in ea omnia loca sancta ingressus esset non in eo puritatis gradu qui requisitus erat, afficiebatur pœnis. *Si leprosus in montem ædis esset ingressus, verberum ictibus cæderetur octoginta.* In hisce diligens est Maimonides; quippe vir Judæus, lactans se inani spe aliquando excitatum iri templum in eodem monte Moria. Hac spe fretus putat se operam & oleum non perdere, qui omnia antiqua præcepta de ratione adeundi templi, non sinit è memoriâ hominum elabi. Interest verò omnium Christianorum non ignorare quanta fuerit in veteri lege circa templum reverentia, & antiqua disciplina. Plectebatur manu hominum, vel manu cæli, ut diximus, qui pollutus in ejus atria ausus esset ingredi. *Cùm igitur in templum*, hamikdasch, id est, in atria, *homo pollutus contumaciter introiret, pœna erat* כרת *Keret*, id est, pœna mortis, excisionis. *Dictum est enim* in Levitico cap. 17. v. 16. *Quod si non laverit vestimenta sua, vel corpus, portabit iniquitatem suam.* Multa prætereo quæ legi possunt in auctore; cujus & ista sunt. *Si quis in templum intromisisset aut animantem serpentem, aut hujus simile quid, aut hominem inquinatum, pœna ejus erat* כרת Keret, *quippe qui templum Dei contaminasset.* Ideò mortem voluerunt Judæi inferre Paulo, à quo putabant virum gentilem introductum in locum sanctum, ut suprà diximus.

CAPUT VIII.

De nominibus & formâ atrii Israëlitarum. De numero portarum ejus, & harum dimensionibus, & dispositione juxta Ezechielem.

SECTIO I.

Atrium Israëlitarum olim dictum exterius, postea interius. De formâ & ornamentis septi quo terminabatur.

Atrium quod ingressuri sumus, diversis nominibus pro temporum diversitate appellatum est. Olim cùm atrium gentium nondum extensum fuisset, illud Israëlitarum comparatum cum atrio Sacerdotum, magnum & exterius dicebatur. Auctor Paralipomenorum lib. 2 cap. 4. v. 9. ubi recenset opera Salomonis. *Fecit*, inquit, *etiam atrium Sacerdotum & basilicam grandem.* In fonte fecit חצר *chatser*, id est, atrium & עזרה *azara* magnum. Vidimus atria templi appellari in Scripturâ & in Judæorum libris *azara*. Ibi redditur à Latino Interprete *basilica*, quod nomen fallit Lectores, qui fontem non adeunt; opinantur enim fuisse aliquod ædificium, quales fuêre basilicæ Græcorum. Ibi autem sermo est de atrio, sive loco subdiali. Optimè Septuaginta vertunt ἐποίησε τὴν αὐλὴν τῶν ἱερέων, καὶ τὴν αὐλὴν τὴν μεγάλην. *Fecit aulam Sacerdotum & aulam magnam.* Primis illis temporibus, cùm tertio atrio atrium Israëlis nondum præcinctum fuisset, reipsâ magnum erat; quod nomen amisit, postquàm aliud majus extitit. Tunc etiam dicebatur exterius,

comparatum

comparatum cum Sacerdotum atrio, quod in E- A zechiele nominatur interius. Ubi egreditur ex atrio Sacerdotum in atrium Iſraëlis, deductum ſe dicit in atrium exterius. Sed poſtea tempore Joſephi ob adjunctum tertium atrium: quod priùs appellabatur exterius, cœpit dici ἔσωθεν ἱερὸν nempe interius, ut videre eſt apud Joſephum libro 9 de Bello cap. 9. qui ſæpiùs illud vocat δεύτερον ἱερὸν ſecundum atrium. Sanctum habebatur, eodem Joſepho teſte. Τὸ γὰρ δεύτερον ἱερὸν ἅγιον ἐκαλεῖτο. *Secundum enim atrium vocabatur ſanctum*, lib. 6. de Bello cap. 6. Itaque de hocce atrio dictum intelligere poſſumus, quod legimus in 1. Machab. cap. 14. v. 48. *Et ſcripturam illam dixerunt ponere in tabulis æreis, & ponere eas in peribolo Sanctorum, in loco celebri.* B ἐν περιβόλῳ τῶν ἁγίων, ἐν τόπῳ ἐπισήμῳ. Septum illud circa quod hæremus, appellabatur περίβολος, ut vidimus ſuprà.

Hocce ſeptum fuiſſe quadrangulare τετράγωνον diſertim dicit Joſephus lib. 6. de Bello cap. 6. Non ſolùm quadrangulare, ſed & perfectè quadratum erat; quippe, ut ex Ezechiele didicimus, omnia ejus latera habebant in æquali longitudine cubitos quingentos. Malè ergo Talmudici illud oblongum faciunt, ut ſuo loco dicetur. In atriis Tabernaculi longitudo latitudinem ſuperabat; ſed non indè quis pugnaverit adversùs quadratam formam atrii Iſraëlis, quam adſtruimus. Salomon formam Tabernaculi ſibi propoſuerat imitandam; ſed atrium Tabernaculi longum magis quàm latum repræſentavit illa area, quæ ædem ſacram & atrium Sacerdotum conti- C nebat. In illâ areâ longitudo ſuperabat latitudinem. Duplo longior quàm lata, ut videre eſt in delineatione. Atrium autem Iſraëlis reſpondebat caſtris Dei, ſive Levitarum, ubi erectum Tabernaculum; quorum caſtrorum forma veriſimiliter erat quadrata.

Dum hæremus in limine ſepti atriorum Iſraëlis, advertamus mentem ad muros ejus, an nudi eſſent parietes, quales ſæpiùs ſolent eſſe ſeptorum; an potiùs præferrent omnem illum decorem, quo poſtea Græca & Romana ædificia exornata ſunt, etiam exteriùs. Etenim amphitheatra, Hipodromi, curricula, ſtadia, gymnaſia, naumachiæ, & pleraque alia ædificia, ut videre eſt, habebant clauſtra quæ ornamentis Architecturæ non carebant. Lector ex- D peteret cernere non ſola veſtigia ſepti, de quo diſſerimus; ſed abſolutam formam ædificiorum, quæ hiſce inſiſtebant veſtigiis. Cùm autem nollet ſibi illudi, nec mihi eſt animus quemquam deludere, protinus ſignificabo non à me expectandum quod me latet; nec ulli notum eſſe poteſt. Ut ex ungue leo cognoſcitur, datis veſtigiis ædificii, & notâ ratione, ſive Doricâ, ſive Ionicâ, ſive Corinthiâ, quâ abſolutum eſt, vir Architectus poteſt integrum excitare, ſaltem ducere omnes formæ ejus lineas. Verùm non conſtat de ratione quâ omnes partes templi ordinatæ ſunt; an in illo ſuperſtruendo artifices aliquem ordinem Græcanicum ſervaverint; an alium magis, aut minùs elegantem. In porticibus E quidem atrii gentium, ſaltem in meridionalibus, opifices ſecutos, morem Corinthium didicimus ex Joſepho; ſed alia ratio ſervata eſt in interioribus ædificiis; quod videtur innuere Philo in libro ſecundo de Monarchiâ; ubi cùm dixiſſet porticus atrii gentium, materie, marmoribus, artificumque ingenioſo labore, Architectorumque curâ fuiſſe ornatiſſimas, addit quod alii ambitus οἱ περίβολοι, non eumdem decorem præferrent. Laudatus erat ab eo ὁ ἐξωτάτω περίβολος. Sic de interioribus ſeptis loquitur. Οἱ δ᾽ εἴσω βραχύτεροι μὲν, αὐστηροτέραν δ᾽ ἔχοντες τὴν κατασκευήν; quæ verba ſic redduntur ab Interprete Latino Philonis. *Sed ordo interior eſt ſubmiſſior, & in apparatu plus auſteritatis præ ſe fert.*

Pro propugnaculo fuit aliquando ſeptum ſecundi atrii, in quo ergo ratio firmitatis potiùs habita eſt, quam decoris. Scribit Joſephus in Antiquitatibus libro 14. cap. 28. cùm à Soſio & Herode Jeroſolyma expugnata ſunt, & capta urbs inferior fuiſſet cum exteriori templi parte, ubi nempe atrium gentium, Judæos ad interiora templi, nempe ad atrium Iſraëlitarum, & ad ſuperiorem urbem refugiſſe. Ἡρημένου δὲ τοῦ ἔξωθεν ἱεροῦ καὶ τῆς κάτω πόλεως, εἰς τὸ ἔσωθεν ἱερὸν, καὶ τὴν ἄνω πόλιν Ἰουδαῖοι συνέφυγον. Vidimus Joſepho atrium Iſraëlitarum dictum τὸ ἔσωθεν ἱερόν. Neceſſe eſt ergo ſeptum hujus atrii fuiſſe validum; quod adhuc magis liquidò declarat idem Scriptor, libro ſeptimo de Bello cap. 9. ubi de oppugnatione noviſſimâ urbis agit. *Octavo autem die menſis Auguſti*, inquit, *cùm duæ legiones aggeres perfeciſſent ad exhedram occidentalem* τοῦ ἔσωθεν ἱεροῦ nempe atrii Iſraëlitarum. (Verſio Latina ponit *templi exterioris*, quia forſan Interpres in ſuo codice non ἔσωθεν, ut nunc eſt, ſed ἔξωθεν legerat) *admoveri arietes juſſit* Titus Imperator, *ex quibus validior per ſex dies ſine intermiſſione pulſando nihil omninò profecit. Etenim hujus & aliarum machinarum magnitudinem ſtructura lapidum ſuperabat. Septentrionalis autem portæ alii fundamenta ſuffodiebant: multùmque fatigati, exteriores tantùm lapides evellere potuerunt, ab interioribus autem porta ſuſtinebantur, tamque diu manſere, donec inſtrumentorum & vectium conatibus deſperatis, Romani ſcalas porticibus applicuêre.* Hæc, ut apertum eſt, intelligenda de interioris atrii ſepto, ut habet textus originalis; nam verſio Latina interpretatur de exteriori, ut diximus, ſed mendum eſt; captâ enim turri Antoniâ non adigebantur Romani perfodere ſeptum atrii gentium; quod his patebat qui dictam turrim tenerent.

Quamquam pro propugnaculo habeatur ſeptum ſecundum, non ideò omni caruiſſe ornamento putamus. Etenim nec tantos ſumptus feciſſent, nec tot opificum manus adhibuiſſent Judæi, & in opere abſolvendo tantum temporis impendiſſent, ut duceretur murus lapideus, his perſimilis, quibus olim civitates protegebantur; & quorum ſola firmitas & altitudo ſpectantur. Septum de quo fit ſermo, ſi quidem ædificia triſtega complecteretur, ut poſtea liquebit, poterat pervium eſſe multis feneſtris. Altum non erat ultra quadraginta cubitos, ſi hodiernis Joſephi codicibus adhibeamus fidem. *Cujus*, inquit, de Bello lib. 6. *exterior celſitudo, quamvis quadraginta cubitis ſurgeret, tamen gradibus tegebatur. Interior autem viginti quinque cubitorum erat: quoniam in altiori loco per gradus ædificata, non tota pars interior cernebatur, colle obtecta.* Ibi lutulentus fluit Joſephus, ſive ſuâ, ſive Librariorum incuriâ. Etenim videbimus ex menſuris Ezechielis competere huic muro ſexaginta cubitorum altitudinem. Nec quis ille collis ſit, apparet, qui obtegeret quindecim cubitos muri. Etenim limen portarum gradibus tantæ altitudinis non ſurgebat. Locus ille Joſephi indiget medicâ manu. Stemus teſtimonio Ezechielis, juxta quem altitudo tabulatorum, ſive ſummus ſepti apex erat ſexaginta cubitorum, nempe centum pedum Pariſinorum; ita ut inferioris tabulati feneſtræ, ſupra ſolum altæ extarent, &, ut videre eſt in baſilicis noſtris, in porticus quibus atrium Iſraëlis circumdabatur, non poſſent Romani per feneſtras irrumpere, niſi ſcalis admotis. Ipſa autem tecta porticuum non exſuperari poterant niſi ſcalis pluſquàm centum pedum, quæ non facili negotio conficiuntur, nec moventur. Sed per inferiores feneſtras forſan tentavêre aditum quod innuit Joſephus lib. 7. cap. 9. de Bello. *Inſtrumentorum & vectium conatibus deſperatis, Ro-*

mant ſcalas porticibus applicuére. Judæi verò præ- A *venti ne eas ſubire prohiberent, cum his congreſſi dimicabant, & alios quidem retrò depellentes præcipitabant, accedentes alios ſubſidio trucidabant. Multos de ſcalis egredientes, priuſquàm ſe ſcutis obtegerent, ferientes gladiis præveniebant. Nonnullas autem ſcalas armatorum plenas in latus declinantes, dejiciebant. Unde Romanorum quoque non parva cædes ſequebatur. Alii ſignis ablatis pro his decertabant, rapinam eorum graviſſimæ fore turpitudini ducentes. Poſtremò tamen Judæi, & ſignis potiuntur; & eos qui unà aſcenderant interficiunt; cæteri verò clade intereuntium perterriti deſcendunt.* Subjicit Joſephus, *Titus autem cùm videret ſe alieno templo cum damno & nece militum parcere, ignem portis ſubjici juſſit.* B Ex hac re conſtare videtur ſeptum atrii Iſraëlis habuiſſe feneſtras. Ita que non ſimplex murus erat; qui ſi non tantâ elegantiâ fuit exornatus, quanta eam nobis exhibent Villalpandi delineationes; certè aliqua habuit ornamenta, puta qualia cernuntur in more Dorico, juxta quem conſtructa ædificia, firma magis ſunt quàm decora.

SECTIO II.

De numero & nominibus portarum atrii Iſraël, & gradibus quibus ad earum aſcendebatur limina.

OMnium atriorum templi ſolum non æquum C erat, ut jam diximus. Horum celſius ſolum, quæ proximiora ædi ſacræ, quam Salomon condiderat in ſummo vertice montis Moriæ. Itaque primum atrium nempe gentium aliis duobus inferius erat. Quot autem gradibus ex illo ad ſecundum perveniretur, non convenit inter auctores. Poſtea exponam quas his gradibus menſuras aſſignet Ezechiel. Duodecim gradus numerant Talmudiſtæ, in tractatu quem ſæpiùs allegamus Middoth cap. 2. num. 3. Ibi poſt deſcriptam cancellatam ſepem, ſic loquuntur. *Citra illam erat Chel* intermurale, *decem cubitorum latitudine; ubi duodecim gradus, quorum cuique erat altitudo dimidii cubiti, ut & retractio.* Retractiones ſunt pars illa graduum, quæ D calcatur. *Ita omnium graduum qui ibi erant, ſingulorum altitudo dimidii cubiti, ac retractio, ſive projectura dimidii cubiti: præter eos qui ad porticum, ſive pronaum,* veſtibulum ædis ſacræ, *erant.* Nempe hæc menſura ſervabatur in omnibus gradibus, præter eos quibus aſcendebatur ad veſtibulum ædis ſacræ; Horum enim retractiones, ut ſuo loco juxta eoſdem Talmudiſtas dicemus, erant ampliores. Non diverſa docet nos Maimonides in tractatu de domo electâ, ubi de hiſce gradibus loquitur. *Sanctuarium,* inquit, *non erat totum in plano & æquo,* loquitur de domo hamichdas, quo nomine totus locus templi intelligitur. *Nam bona pars ejus erat in clivo montis. Qui igitur in Sanctuarium* in locum templi, *per portam in Oriente montis ſitam ingreſſus erat, is rectâ pergebat ad extremum ſpatium intermurale: tum ex eo in atrium mulierum;* quod prætergredientibus in hac parte occurrebat, *aſcendebat gradibus duodecim, quorum ſingulis erat altitudo dimidii cubiti, & dimidii cubiti retractio.* Joſephus mentionem facit horum graduum. Locum allegavimus ex libro ſexto de Bello capite ſexto, & nunc locum arguimus corruptum, in eo quod dicit quatuordecim gradibus, ſpatium quod intermurale appellabatur, celſius fuiſſe ſolo atrii gentium. Poſtea ſubjungit. ἔνθεν ἄλλοι πάλιν πεντάβαθμοι κλίμακες ἀνῆγον ἐπὶ τὰς πύλας. Hoc eſt, ex ſpatio intermurali rurſùm alii quinque gradus ad portas ducebant; ſive quinque gradibus perveniebatur ad limen portarum. Si ſanus eſt locus Joſephi, in hac parte non concors eſt cum Judæis, qui duodecim adnumerabant gradus; nec cum Ezechiele Prophetâ, qui, ut videbimus, adſtruit numerum horum graduum fuiſſe ſeptenarium.

Convenit inter omnes, qui ſermonem fecêre de templo, ſepti hujus latus occiduum nullis foribus fuiſſe pervium. Scilicet ex hac parte non erat illa porta, quâ intraretur in atrium Iſraëlis: quod liquido dicit Joſephus. De portis aliorum laterum juvat afferre quæ dicit. Antiquit. 7. 3. loquitur de operis authore Salomone, qui extra atrium Sacerdotum fecerat & aliud atrium. Τούτου δ᾽ ἔξωθεν ἱερὸν ᾠκοδόμησεν ἐν τετραγώνῳ σχήματι στοὰς ἐγείρας μεγάλας καὶ πλατεῖς, καὶ πύλαις ὑψηλαῖς ἀνεῳγμένας. ὧν ἑκάστη πρὸς ἕκαστον τῶν ἀνέμων τέτραπτο χρυσέαις κλειομένη θύραις εἰς τοῦτο τοῦ λαοῦ πάντες οἱ διαφέροντες ἁγνείᾳ καὶ παρατηρήσει τῶν νομίμων εἰσῄεσαν. *Extra hoc ſeptum,* atrii Sacerdotum *erat aliud atrium, porticibus magnis ac latis cinctum, & portis altis patens: quarum ſingulæ ſingulos ventos ſpectabant, & foribus auratis claudebantur: in hoc atrium cuilibet è populo, puro modò & caſto, & præſcriptorum legis obſervanti acceſſus patebat.* Quod dicit ſingulas portas ſingulos ventos ſpectaſſe, non ſic interpretari decet quaſi unica porta fuerit in uno quoque latere. Plures neceſſariæ erant in magnis feſtivitatibus, ut in mactatione Paſchalis Agni, quibus populus brevi tempore ingredi vel egredi poſſet. Ætate Ezechielis unica porta erat; noviſſimis verò temporibus, cùm gens Judæa numero aucta eſſet, plures numero agnoſcit Joſephus: in latere meridionali tres, & totidem in latere ſeptentrionali, ubi loquitur de templo quod ab Herode inſtauratum eſt, in Antiq, lib. 15. c. 14. Εἶχε δ᾽ ὁ μὲν ἐντὸς περίβολος, κατὰ μὲν τὸ νότιον καὶ βόρειον κλίμα, τριστίχους πυλῶνας, ἀλλήλων διεστῶτας. κατὰ δὲ ἡλίου βολὰς, ἕνα τὸν μέγαν, δι᾽ οὗ παρῄειμεν ἁγνοὶ μετὰ γυναικῶν. Interpres Latinus ibi habet τριστίχους πυλῶνας pro tribus januis. *Hoc interius ſeptum tam auſtrino quàm ſeptentrionali latere patebat ternis januis æquidiſtantibus. Ab Oriente verò unâ magnâ, per quam intrarent caſti unà cum uxoribus.* Ibi Joſephus πυλῶνος voce utitur, quia non ſimplices januæ notantur. Πυλὼν eſt ampla porta, in quâ eſt veſtibulum, quod interdum Latinis dicitur atrium. Modò videbimus horum πυλώνων deſcriptionem in Ezechiele. Vox τριστίχους mihi ſuſpecta eſt; non enim vult Joſephus dicere in his portis triplices verſus fuiſſe diſtinguendos. Attamen in ichnographiâ, harum trium portarum triplex verſus diſtingui poſſet, ut infrà animadvertemus.

Audiamus interim eumdem Joſephum diſſerentem de iiſdem portis de Bello 6. 6. « Portæ, inquit, à Septentrione quidem ac Meridie octo, quaternæ, « utrinque videlicet: duæ vero ex Oriente. Neceſ- « ſariò namque proprius locus, religionis causâ, mu- « lieribus deſtinatus muro diſcernebatur: alterâ quo- « que portâ opus eſſe videbatur. Contra primam « vero ſecta erat ex aliis regionibus una porta meri- « diana, & una ſeptentrionalis, quibus ad mulieres « E introibatur: per alias enim tranſire ad mulieres « non licebat. Sed nec ſuam portam interjecto mu- « ro tranſgredi licebat. Patebat enim locus il- « le pariter indigenis, & hoſpitibus feminis, religio- « nis causâ venientibus. Occidua verò pars nullam « portam habebat, ſed perpetuus ibi murus erat exſ- « tructus. « Ex ſuperiori loco quem protulimus, Joſephus videbatur non ultra ſeptem portas adnumerare Quomodo ergo hîc, decem portas ſtatuit, quatuor in latere meridionali, totidem in ſeptentrionali, & duas in orientali. Sic poteſt concordia iniri. Portæ non erant ſimplices; ideo, Joſephus utitur, voce πυλῶνος; quâ ſignificatur ampla porta cum veſtibulo, ſive atrio, ut loquebantur Latini. Ergo li-

cet intelligere portas bifores fuisse; sive vestibula A carum sic secta, ut ex illis per propriam portam fieret ingressus in mulieribus destinatum locum quem capite sequenti indagaturi sumus. Tunc temporis sufficit animadvertere cùm una ex tribus portis lateris meridiani & lateris borealis in partes duas secaretur, posse in his lateribus plures portas numerari. Sicque Josephus secum cohæret, intellectus in hoc sensu quem admittunt verba ejus. Τέτμητο δ' αὕτη, τῆς προσόψης ἄντικρυς. κἀκ τῶν ἄλλων κλιμάτων, μία μεσημβρινὴ πύλη, καὶ μία βόρειος, δι' ἧς εἰς τὴν γυναικωνῖτιν εἰσῆγον. De portâ autem orientali sic loquitur. *Secta autem erat*, ista porta quâ ibatur ad mulieres, e regione primæ. *Ita ex aliis lateribus pariter una porta meridionalis & una septentrionalis sic secta erant, ut per sectionem*, sive portam sec- B tam *intraretur ad locum mulieribus proprium*. Ergo vel bifores portæ cùm essent, una ex valvis aditum reserabat mulieribus; vel cogitare decet, quod mihi magis probatur, in ipso vestibulo, quod intra portas erat; habebat enim illud duplicem portam unam exteriorem, versùs atrium gentium, interiorem alteram versùs Israëlitarum atrium. Cogitare, inquam, decet, sic vestibulum sectum, ut viâ propriâ iretur (ad mulieres. Sibi ipse pacto conciliatur Josephus, cùm scribit loco allegato ex Antiquit. lib. 15. cap. 14. portâ orientali viros castos unà intrasse cum mulieribus; & eo loco quem exponimus, dicit mulieres in eodem latere orientali habuisse propriam portam. Paulò post satis significat voce πυλῶνος se C non intellexisse simplicem portam; addit enim: καὶ δύο μὲν ἑκάστου πυλῶνος θύραι. Et binæ fores in singulis januis erant. Propria janua secta esse potuit in hoc vestibulo, quam sibi mulieres vindicarent. Quæ sit sententia Judæorum Talmudicorum de illis portis declarabimus ultimo capite hujusce quinti libri.

SECTIO III.

Porta orientalis dicebatur Nicanoris, & Corinthia & speciosa. Ad eam sedebat claudus, qui ab Apostolo Petro sanatus est.

PORta orientalis, loqui pergimus de septo atrii Israëlitarum, pariter ab omnibus Scriptoribus D celebratur. *Portarum autem aliæ quidem*, dicit Josephus lib. 6. de Bello cap. 6. *auro & argento undique tectæ erant, itemque postes ac frontes*, παραστάδες, καὶ τὰ ὑπέρθυρα, *una verò extra templum*, μία δ' ἡ ἔξωθεν τοῦ νεώ, *ære Corinthio, quæ multùm argento obtectas & inauratas honore superabat.* Observatum est olim etiam in Regum palatiis & in templis postes, quibus inhærebant cardines valvarum nempe παραστάδες, fuisse è ligno, & lignea superliminaria τὰ ὑπέρθυρα; sed illa obducta fuisse laminis, vel aureis, vel argenteis, vel æreis; ut quem à Latomis non haberent splendorem, acciperent ab auri-fabris. Ætate ipsâ Josephi, hoc est, cùm conflagravit templum, ligneæ erant fores, postes lignei, lignea superliminaria; ut liquet ex eo quod narrat lib. 6. de Bello capite 9. E Ἤδη δὲ ταῖς πύλαις οἱ στρατιῶται προσῆπτον τὸ πῦρ, καὶ περιτηκόμενος ὁ ἄργυρος διεδίδου ταχέως εἰς τὴν ξυλείαν τὰς φλόγας. *Jam verò portis milites ignem admoverunt, liquefactoque argento citò lignum flammæ absumpserant.* Quid autem sit genus æris, quod Corinthium dicebatur, juvat inquirere. De isto ære sic loquitur Plinius lib. 34. cap. 1. *Proximè dicantur æris metalla, cui & in usu proximum est pretium, imò verò ante argentum, ac penè etiam ante aurum, Corinthio.* Æs illud fuisse percelebre idem Plinius dicit capite tertio. *Sed cùm esse nulla Corinthia candelabra constet, nomen id præcipuè in his celebratur, quoniam Mummii victoria Corinthum quidem diruit, sed compluribus Achaiæ oppidis simul æra dispersit. Prisci limina etiam ac valvas ex ære in templis factitavere. Invento & à Cn. Octavio, qui de Perseo Rege navalem triumphum egit, factam porticum duplicem ad Circum Flaminium, quæ Corinthia sit appellata à capitulis æreis columnarum.* Non judicandum de omni ære ex nostro. Multa genera æris fuêre, ut observat Plinius. Videmus certis lapidibus sic permisceri, ut colorem aureum accipiat.

Hæc porta Corinthia à Talmudistis vocatur Nicanoris; de quâ dicitur in Middoth cap. 2. n. 3. *Omnes portæ, quæ ibi erant, mutatæ fuerunt, ut ex auro essent: præter portam Nicanoris, propterea quod ibidem editum fuerit miraculum; alii dicunt quod æs ipsius coruscaret ac niteret in modum auri.* Idem dicit Maimonides, de Domo electâ cap. 5, n. 5. loquitur de portis. *Singulis fores erant extrinsecùs inauratæ, præter portam in Oriente sitam, cujus fores erant obtectæ æris illo genere, quod aurum imitatur. Nimirum hæc erat illa, quam portam supremam dicebant, quæ eadem est porta Nicanoris.* Illa, si fides adhibenda Talmudi, facta fuerat curis Nicanoris, nec sine illo miraculo, quod factum liber Middoth innuit, advecta erat Jerosolymam. Res narratur in tractatu Ioma cap. 3. *Nicanor pietate vir insignis profectus Alexandriam, valvas exquisiti cujusdam artificii faciendas curavit: has ille cùm ad terram sanctam navi veheret, ingenti exortâ tempestate earum unam in mare, levandæ navis causâ, projecerunt nautæ: alteram eòdem jam jam dejiciendam amplectitur Nicanor, ac profitetur se eam non esse dimissurum: si in mare dejiciatur, se quoque unà dejectum iri. Respexit viri pietatem Deus, & sævientem maris æstum sedavit. Immò verò & hoc miraculum fecit, ut illa altera, quæ in mare dejecta erat, sub navi præter naturam (erat enim ex ære) nataret, atque simul unà in portum Ptolemaidis intraret.* Exscribo hocce miraculum, non adstruo.

Non dubito quin illa porta orientalis, quam ab ære suo Corinthiaco, Josephus appellat Corinthiam, eadem sit quæ in Actis Apostolorum appellatur ὡραία, id est, *speciosa*. Etenim præcipui decoris speciem habebat, licet ærea, ut testatur Josephus. Orientalis hæc porta & frequentiori hominum concursu celebrabatur; ideò ad illa frequentiores de more sedebant, Act. cap. 3. v. 2. *Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, bajulabatur, quem ponebant quotidie ad portam templi* τοῦ ἱεροῦ, *quæ dicitur* ὡραία *speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum.* εἰς τὸ ἱερόν. Hæc nempe porta cæteras vincebat pulchritudine; quod asserit Josephus de orientali. Sed & circumstantiæ miraculi, quo Petrus Apostolus huic claudo pro argento quod ei non suppetebat, impertivit sanitatem, demonstrant rem factam in orientali portâ. Ubi enim consolidatæ sunt bases claudi & plantæ in nomine Jesu Christi, congregata est multitudo circa Petrum & Joannem in porticu Salomonis, quæ cogitari potest olim à Salomone constructa in latere orientali. Sed ut quod res est dicam. Cùm claudus intuitus fuisset in Petrum & Joannem ingressuros in templum εἰς τὸ ἱερόν in hocce atrium; postquàm orationem peregerunt cum his claudus egressus est, sequens eos nec dimittens; quod indicant illa verba v. 11. *Cùm teneret autem* claudus *Petrum & Joannem, cucurrit omnis populus ad eos in porticum Salomonis, stupentes;* videlicet populus cucurrit ad proximum locum, per quem atrio Israëlitarum egressi Apostoli unà cum claudo transibant populus advolavit ad famam miraculi.

Crebra circa illam portam fieri miracula contigit. Hæc enim paulò ante excidium templi sponte aper-

ta eſt, ut ſcribit Joſephus libro 7. de Bello capite 12. Hanc enim appellat orientalem portam τοῦ ἐνδοτέρου *interioris* nempe τοῦ ἱεροῦ. Vir doctiſſimus Ludovicus Capellus, verba ſunt Grotii, ἐξωτέρου *exterioris* pro ἐνδοτέρου interioris legendum putat, non levibus de cauſis. Uterque fallitur; etenim, ut vidimus, atrium Iſraëlis tempore Joſephi, propterea quod circumdaretur alio atrio, quod illi exterius erat, nominabatur interius. Quidquid ſit, miraculum factum in portâ Corinthiâ ſatis clarè ſignificat Joſephus. » Orientalis autem porta interioris atrii, cùm » eſſet ænea atque graviſſima, & ſub veſperam vix » à viginti viris clauderetur, ſeriſque ferro vinctis » obſeraretur, peſſuloſque altos haberet in ſaxeum » limen demiſſos, uno perpetuo lapide fabricatum, » viſa eſt noctis horâ ſextâ ſponte pateſcere. His » autem curriculo per cuſtodes templi nuntiatis tem» pli magiſtratui τῷ στρατηγῷ, aſcendit ille, vixque eam » potuit claudere.

Diximus fuiſſe in atrio gentium armatam cuſtodiam, cujus milites advertere potuerunt id quod obtigerat portæ Corinthiæ. Videtur Deus, rem ut celebrior eſſet, voluiſſe peragendam in porta, quæ eſſet magis conſpicua. Non abludit verò iſtam portam orientalem non diverſam ab ea quæ apud Jeremiam in textu hodierno fontis, & in Vulgata Latina, nominatur *porta nova*. Id conjicio ex eo quòd in Paraphraſi Chaldaïca capitum Jeremiæ 26. & 36. ubique hæc porta dicitur orientalis; undè locus eſt ſuſpicandi olim à Paraphraſte non lectum החדש *novum*, ſed החרס, id eſt, *ſolis*. Facilis eſt mutatio elementorum ש & ס, tum propter vicinum ſonum & ד & ר propter ſimilitudinem literarum quæ non diſtinguntur niſi exiguo apice. Præterea res ipſa id videtur indicare. Viri principes Judæorum volebant ſolemne judicium pronuntiare adverſus Jeremiam, cujus vaticinia ſuis conciliis adverſabantur, ut queruntur cap. 26. v. 9. *Et congregatus eſt omnis populus adversùs Jeremiam in domo Domini. Et audierunt principes Juda verba hæc; & aſcenderunt de domo Regis in domum Domini; & ſederunt in introitu portæ domûs Domini novæ*, ſolis, ut annotavi, id eſt, Orientis. *Et locuti ſunt Sacerdotes & Prophetæ ad principes & ad omnem populum, dicentes: judicium mortis eſt viro huic: quia prophetavit adversùs civitatem illam.* Ita neceſſe eſt ut juxta portam illam eſſet aliquod ſynedrium, ſive judicii locus. Differentes autem libro ſequenti de ſynedrio cujus ſedes erat in templo, videbimus illud quod viginti trium virorum erat ſediſſe juxta portam Nicanoris.

Ad iſtam portam ſiſtebantur mulieres purificandæ, atque ſanguine aſpergebantur, ut legitur in Miſna tractatu *Tamid* cap. 5. Ibi ergo ſtitit ſe Maria mater ad purificationem, atque ibi obtulit Chriſtum. Non longè erat ab iſtâ portâ atrium mulierum; ideò & tunc occurrit Anna vidua piiſſima. Iſta diligentius expendemus, cùm datâ operâ miniſterium templi exponemus. Sunt qui illam portam ſpecioſam habent pro eâ quæ in quarto Regum cap. 15. 37. appellatur *ſublimiſſima*. Et in 2. Paralipomenon cap. 28. *excelſa*, quam Joathan ædificavit; niſi hæc porta excelſa fuerit potiùs porta atrii Sacerdotum, quæ ſitu ſuo erat ſuperior.

SECTIO IV.

De portarum dimenſionibus & uſu. Cur tot eſſent portæ?

CUm atria Iſraëlis tot portis paterent, viam flectere, & ſic egredi poterant, ut tergum non obverterent ædi ſacræ. Id ſtudebant Iſraelitæ ſi fidem facimus Maimonidæ. » Qui poſt rem divinam abibant, inquit ille, de Domo electâ cap. 7. n. 4. hi non ita diſcedebant è templo, ut ei tergum verterent; ſed retrò incedentes paulatim ſeſe movebant: tum ſenſim gradiebantur in latus, quoad diſceſſiſſent ex atrio. Item viri curiæ ſacra adminiſtrantis, & viri ſtationis, & à ſuggeſtu Levitæ ex Sanctuario ſeſe recipientes ſic, ut poſt ſolemnem illam precationem ſolent, retrorſum redibant, & hæc omnia præ metu Sanctuarii. » Juvat & attexere ex eodem Judæo quæ ſequuntur; ut conſtet quæ eſſet veneratio erga ædem ſacram, tum & circa conjuncta ei ædificia. » Ante portam in Oriente atrii ſitam, quæ eſt porta Nicanoris, nemo fronte protervâ verſetur. Eſt enim ea porta directè contra Sanctum Sanctorum. Et in atrium quicumque ingreſſurus eſt, placidè pergat eo loci, quo jus eundi habeat: tum etiam perſuaſus ſit animo ſe in præſentiâ eſſe Dei; qui cùm de templo loquitur ita dicit. » 3. Reg. cap. 9. v. 3. *Et erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus. Porro quiſque cum terrore, formidine, ac tremore incedat: ſi quidem ſcriptum eſt: in domum Dei ambulabimus cum perturbatione.* Pſal. 54. v. 15. Hæc expendant, qui non ſolùm ante portas noſtrarum ædium ſacrarum, ſed coram Deo, qui ſuo corpore præſens in altaribus noſtris reſidet, tantâ proterviâ ſe gerunt, elato vultu, oculis vagis & procacibus; cùm omnia deberent præferre mentem Dei cogitatione plenam, expeditam cæteris curis. Animum attendant ad illa Socratis, apud Plaronem de Alcibiade. Alcibiades precans Deum in ſecundo dialogo cui Plato præſcripſit nomen Alcibiadis, Socrates interrogat Alcibiadem. Ὦ Ἀλκιβιάδη, ἆρά γε πρὸς τὸν Θεὸν προσευξόμενος πορεύῃ; Αλκ. πάνυ μὲν, ὦ Σώκρατες. Σω. φαίνῃ γέ τι ἐσκυθρωπακέναι τε καὶ εἰς γῆν βλέπειν, ὥς τι συννοούμενος. *Deumne Alcibiades, deprecaturus adis?* Alcib. *Omninò Socrates.* Soc. *Dejecto in terram vultu, mœſtitiam præ te ferre videris, veluti in cogitationem quandam intento animo defixus.* Hoc imprimis exigit à nobis Deus; ut Michæas docet nos cap. 6. v. 8. *Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: utique facere judicium, & diligere miſericordiam & ſollicitum ambulare cum Deo tuo.* Quod in fonte legitur הצנע ſignificat *modeſtè agere*; Juxta quam ſignificationem Paraphraſtes Chaldæus poſteriorem partem vertit: *Et ſis humilis ad ambulandum in timore Dei tui.*

Tum & tot portis atria Iſraëlis patebant ut in diebus ſolemnibus, maximè in feſto Paſchatis, brevi temporis ſpatio multitudo populi ſic exciperetur, & emitteretur; ut qui egrederentur non obſtarent ingredientibus: quod fieri poterat ob plures numero portas. Quiſquis enim in templum intrabat, greſſum ad dexteram flectebat & circumibat; eâque viâ egrediebatur, quæ ad ſiniſtram erat. Eam, inquam, tum in ingrediendo templum, tum egrediendo ex eo ſervabant religionem, ut nec ingrederentur nec egrederentur per quamlibet portam ſine ullo diſcrimine. Præceptum erat, quod enuntiatur in Talmude. » Middoth cap. 2. n. 2. Omnes accedentes qui ſecundùm templi conſuetudinem intrant, ingrediuntur viâ dextrâ, ac cir-

» cumeunt; egrediuntur autem viâ finistrâ: eo ex- » cepto cui accidit aliquid, qui circumambulat ad » finistram; & interroganti, quid tibi quod ad fi- » nistram circumeas, dicit, quia ego lugeo, aliis » respondentibus, qui hanc ædem inhabitat soletur « te. Et cùm subjicit, quia ego contaminatus re- » jicior, alii respondent, qui hanc ædem inhabitat, » indet cordi tuo, atque recipiant te: ut tradit R. » Mejir. Cui dixit R. Jose, constituis illos ac si » transgressi essent super eo jus. Verùm dicunt, qui » hanc ædem inhabitat, indet cordi tuo, ut auscul- » tes verbis sociorum tuorum, quò recipiant te.

Exigebant ergo Judæi ut quicumque ingrederetur atrium, per oppositam portam egrederetur, & ea quæ interjacerent, quominùs rectâ pergerent, circumambularent. Eadem dicit Maimonides *de Domo electâ* cap. 7. n. 3. » Omnes intra ædem mon- » tis venientes ad dexteram introibant, quam par- » tem obeuntes tandem exibant ad lævam. Contra » cui quid accidisset, puta feminis profluvium, læ- » vam obambulabat. Quapropter eum ita rogabant, » quid est, quòd ad lævam ambules? Quoniam lu- » gens ego sum: tum illi, solatium præbeat, qui » hanc incolit ædem: vel quoniam ab Ecclesiæ com- » munione remotus sum: & illi, qui hanc ædem » incolit, is sic animum inducat tuum, ut auscul- » tes sociis qui te reducent. Ne cui videantur Judæi in hac re laborasse vanâ superstitione, sciat sic præcepisse Deum per os Ezechielis. cap. 46.

8. *Cùmque ingressurus est princeps per viam vestibuli portæ ingrediatur, & per eamdem viam egrediatur.*

Princeps non tenebatur eâdem lege quâ populus, ut viam flecteret, nec eamdem insisteret ingrediens & egrediens.

9. *Et cùm intrabit populus terræ in conspectu Domini in solemnitatibus, qui ingreditur per portam Aquilonis, ut adoret, egrediatur per viam portæ meridianæ: porro qui ingreditur per viam portæ meridianæ, egrediatur per viam portæ Aquilonis: non revertatur per viam portæ, per quam ingressus est, sed è regione illius egredietur.*

Ita sic ingressus & egressus populi ordinatus erat, sive sic præcipiebatur quibus portis ingrediendum, quibus exeundum, ut egredientes non occurrerent intrantibus, & ne mutuò se impedirent. Sed non satis hic ordo expositus est ut animus omnibus expediatur difficultatibus quæ illum subeunt. Satis est hîc advertisse omnia in templo facta esse decenter.

10. *Princeps autem in medio eorum cum ingredientibus ingredietur, & cum egredientibus egredietur.*

Id est princeps per portam orientalem ingredietur, quæ media est inter meridionalem & septentrionalem, idque eodem tempore, quo populus ingreditur.

Jam harum portarum decet metiri tum latitudinem, tum altitudinem. Ex Maimonide *de Domo electâ* cap. 5. n. 5. *singulæ portarum illarum erant latæ cubitos decem, & viginti cubitos altæ, ac singulis fores erant extrinsecùs inauratæ, &c.* Ista est mensura, quam Ezechiel assignat portis; sed facilè adduxi animum ut crederem in Herodiano templo latiores factas; quia gens Judaïca multùm aucta fuerat. In festis solemnibus, puta in Paschali festo, necesse erat ut plurima multitudo intra idem ferè tempus admitteretur & emitteretur. Ideò, inquam, factas puto multò latiores portas; quod adstruit Josephus tribuens illis quindecim cubitos latitudinis, altitudinis tricenos, lib. 6. de Bello cap. 6. Τριάκοντα δὲ πηχῶν τὸ ὕψος ἑκάστης καὶ τὸ πλάτος ἦν πεντεκαίδεκα. *Cujusque portæ altitudo erat triginta cubitorum, altitudo quin-*

A *decim.* Ista latitudo æquabat viginti quinque pedes Parisinos. Quærat ergo quispiam, quomodo superliminaria tantæ latitudinis superstrui potuissent ex axis; etenim non dicuntur arcuata. Respondeo quod tunc temporis, ut dixi, vel ex metallo superliminaria tam lata conflabantur, ut nos supra docuit Plinius *prisci limina etiam ac valvas ex ære in templis factitavere;* vel plerumque ex multis ligneis trabibus; quæ non apparebant, obductæ laminis aureis vel argenteis; quod Josephus dicit de superliminaribus portarum, & postibus. Τῶν δὲ πυλῶν αἱ μὲν χρυσῷ καὶ ἀργύρῳ κεκαλυμμέναι πανταχόθεν ἦσαν, ὁμοίως τε παραστάδες, καὶ τὰ ὑπέρθυρα. *Portarum autem, aliæ quidem auro & argento undique tectæ erant, itemque postes, ac superliminaria.*

B

SECTIO V.

De vestibulis portarum; & horum vestibulorum dispositione & dimensionibus. Exponitur caput Ezechielis 40. à versu 6. ad 16.

JAm observatum est illas portas, quas recensemus, non fuisse simplices: in illis vestibulum erat; cujus introitus & exitus proprias portas habebant, unam exteriorem, & aliam interiorem, quales sunt urbium munitissimarum. Talis illa porta, de quâ hæc legimus in secundo Samuelis capite 18. 24. *David autem sedebat inter duas portas: speculator verò qui erat in fastigio portæ* in fonte, in tecto portæ, *super murum elevans oculos vidit hominem venientem, &c.* Sedebat David inter duas portas, quarum altera extrorsùs, altera introrsùs erat. Supra extabat ædificium, cui proprium tectum, in quo speculator Davidis stabat. Josephus portas de quibus loquimur, sive vestibula hisce verbis describit loco proximè citato. Καὶ δύο μὲν ἑκάστης πυλῶνος θύραι, τριάκοντα δὲ πηχῶν τὸ ὕψος ἑκάστης, καὶ τὸ πλάτος ἦν πεντεκαίδεκα. καὶ μέντοι τὰς εἰσόδους, ἐνδοτέρω πλατυνόμενοι παρ' ἑκάτερον τριάκοντα πήχεις, ἐξέδρας εἶχον εὖρός τε καὶ μῆκος πυργοειδεῖς. ὑψηλαὶ δ' ὑπὲρ τεσσαράκοντα πήχεις. δύο δ' ἀνεῖχον ἑκάστην κίονες, δώδεκα πηχῶν τὴν περιοχὴν ἔχοντες. In interpretatione Latinâ πυλὼν, malè redditur janua. *Quodlibet vestibulum habebat duas portas, tricenis cubitis altas & quinis denis latas. Post introitum verò vestibulum utrinque latius fiebat; quippe ibi latum tricenis cubitis. Habebat exhedras exemplo quidem turrium longas & latas, & quadraginta cubitis celsas. Singulas autem binæ columnæ duodenum cubitorum crassitudine sustinebant.* Ambiguum est an mensuras in Scripturâ assignatas ambitiose auxerit Josephus; an suo tempore, quod facilè credo, hæ mensuræ competerent portis templi. Dici etiam posset ibi corruptos ejus codices; sed nec dissimile vero ante vel post tempora Herodis factas portas latiores, quia id necessarium, ut vidimus. Scriptor ille dicit: *post introitum verò ubi latiores fierent;* debuisset dicere Interpres Latinus: *post introitum ubi vestibulum latius erat;* quod descriptio hujus vestibuli, quam ex Ezechiele depromimus, declarat.

In hocce vestibulo Josephus statuit plures exhedras; quarum non definit numerum. Ex Vitruvio lib. 3. cap 2. Exhedræ loca erant spatiosa, ubi sedes in quibus Rhetores, reliquique qui studiis delectantur, sedentes disputare poterant. Undè colligimus vestibula de quibus agitur, exhedras habuisse, sive fuisse ampla, & in illis dispositas sedes, in quibus viri pii & potissimum legis doctores sedentes sermocinabantur coram populis, qui ibi frequentes aderant; si quidem per illa vestibula transirent adituri loca sacra. Verùm fieri potest ut in secundo templo alia fuerit horum vestibulorum dispositio, quàm in primo, quale apparuit Ezechieli

& modo describemus, postquam, si fieri potest, attulerimus aliquam lucem Josepho. Dicit illas exhedras instar turrium longas & latas fuisse, altas quadraginta cubitis. Nempe quia illæ exhedræ celsum laquear haberent, quisque qui in illis sedebat, videbatur sibi versari in turri. *Singulas autem binæ columnæ duodenum cubitorum crassitudine sustinebant*; nempe tectum, sive laquearia harum exhedrarum. Paucioribus lineis hanc descriptionem absolvit Josephus, quàm ut ingerat animo certam & veram rei imaginem. Expressi in delineationibus, in vestibulis & ad latera vestibulorum exhedras, & in singulis duas columnas, quæ totam ædificii latitudinem, viginti octo cubitorum, sive plusquam quadraginta sex pedum Parisinorum, partirentur in tres partes, sive tria spatia. Ex notâ ratione perimetri ad diametrum dictarum columnarum, diameter erat circiter quatuor cubitorum; ut cum epistiliis suis surgere possent usque ad quadraginta cubitos, ut dicit Josephus.

DESCRIPTIO VESTIBULORUM, *juxta Ezechielem in capite* 40.

Jam animum advertamus ad dictorum vestibulorum descriptionem quam facit Ezechiel. Pergit enarrare visionem suam.

6. *Et venit* Angelus *ad portam quæ respiciebat viam orientalem, & ascendit per gradus ejus: & mensus est limen portæ calamo uno latitudinem, id est, limen unum calamo uno in latitudine.*

Sistitur Ezechiel ad portam orientalem, quam metitur Angelus. In portis huic similibus infra numerat septenos gradus; ita ut verisimile sit quod totidem gradibus ascenderetur hæc porta orientalis. Græci eo in loco hos septem gradus exprimunt; vel quia legebant in codice Hebræo, à quo nunc absunt; vel ex his quæ sequuntur hùc intulerunt. Protinus Angelus metitur limen, quod Hebræi appellant סף *saph*. Vox illa & *pelvim* significat. Limen ergo lapis ille est, qui primùm teritur ab iis, qui portam subeunt; subjiciturque velut *pelvis*. Forsan olim ad instar pelvis paululùm excavabatur lapis qui substernebatur in limine. Limina templorum fuisse aliquando ænea discimus ex Tito Livio, qui scribit libro 10. *Fœneratores aliquot mulctatos, & ex eo quod in publicum redactum esset, ænea in Capitolio limina Ædiles posuisse.* Talia erant limina in templo Junonis de quo canit Poëta.

Ærea cui gradibus surgebant limina.

Illam vestibulorum dispositionem & dimensiones subjicio oculis in sequenti diagrammate. A unius calami repræsentat limen portæ tum exterioris tum interioris, tum ejus quæ aperiretur in atrium gentium, tum ejus quæ respiceret atrium Israëlis. Villalpandus *saph* interpretatur *postes*. *Saph* quidem *postium* ostendebat latitudinem; sed limen est quod primùm pedes attingunt. Est & limen superius, quod inferiori respondet, quod melius appellatur superliminare.

7. *Et thalamum uno calamo in longum, & uno calamo in latum, & inter thalamos quinque cubitos.*

תא *Tha* vertitur à Vulgato Interprete Latino *thalamus*. Græci vocem illam non interpretati sunt, sed tantum expressere Græcis characteribus scribentes θὲ, nempe quia videretur illis ambiguæ significationis. Cùm autem in Prophetâ indicet aliquod breve conclave, sive cubiculum, putavit Interpres noster haberi posse pro thalamo, quo nomine notantur brevia cubicula, in quibus uxor & maritus cubant. Sic in palatio Priami erant thalami plures, in quibus filii ejus cum uxoribus dormirent; de quibus Virgilius 2. Æn.

Quinquaginta illi thalami spes tanta nepotum.

Quamvis autem thalami essent brevia cubicula, tamen illis adhibebantur ornamenta, ut colligimus ex his thalamis, quos Pausanias memorat in *Eliacorum* posteriori libro, dum loquitur de thesauris, sive donariorum cellis, quos Myron Sicyoniorum tyrannus dedicaverat. Adjungit de Myrone Ἐν δὲ τῷ θησαυρῷ καὶ θαλάμους δύο ἐποίησε τὸν μὲν Δώριον, τὸν δὲ ἐργασίας τῆς Ἰώνων. *In thesauro thalamos duos fecit, Dorico alterum, alterum opere Ionico.* Utrumque, inquit Pausanias, ex ære fabricatos ipse conspexi. Mentionem & facit in *Corinthiacis* thalami ænei, quem fecerat Acrisius ad filiæ custodiam. Certè thalamus erat breve cubiculum δωμάτιον; undè κατασκηνικῶς sumptum pro cubili.

Ergo illi thalami de quibus nunc sermo est, in Hebræâ linguâ תאים erant intra vestibulum breves cellæ, pars vestibuli, in quâ excubarent custodes. Pro eo quod legimus in 3. Regum cap. 14. v. 28. *Cùmque ingrederetur Rex in domum Domini, portabant ea* scuta quæ aurea fecerat Salomom, qui præeundi habebant officium: *& postea reportabant ad armamentarium scutariorum*, in fonte ad *tha* cursorum; nempe ad brevia cubicula, in quibus excubabant custodes. Erant autem tres inde thalami & totidem ex aliâ parte, quos designat litera C. Ergo Interpres noster videtur usus voce thalami, quia responderet magis voci Hebrææ תא *tha* & rei significatæ. Inter illos verò thalamos erat intercapedo quinque cubitorum; videlicet ut hîc habet Chaldaïca Paraphrasis, inter thalamos erat paries quinque cubitorum. Hanc intercapedinem, sive murum litera D. indicat.

8. *Et limen portæ juxta vestibulum portæ intrinsecùs calamo uno.*

Ezechiel dixerat primùm quòd Angelus mensus fuisset limen & limen, scilicet utrumque limen portæ exterioris & interioris. Ibi iterum metitur limen portæ interioris Angelus, aut significat Ezechiel, & istud limen pariter ac primum mensuratum ab Angelo; & repertum latitudinis calami unius.

9. *Et mensus est vestibulum portæ octo cubitorum, & frontem ejus duobus cubitis: vestibulum autem portæ erant intrinsecùs.*

Vox אולם *Ulam* Græcis αἰλὰμ idem sonat Hebræis quod Latinis vestibulum, sive porticus, quæ adjicitur ante ædium fores. Sic, ut suo loco videbimus, vestibulum quod erat ante ædem sacram, dicitur *Ulam*. De quo autem nunc quæstio est, vestibulum erat latum cubitos octo. Litera E illud notat. Quod Latinus Interpres appellat *frontem*, debuisset interpretari *postem*. Vox fontis איל *ail* apud Ezechielem semper denotat *postes*, sive duo portæ latera, quæ innituntur limini, & superliminare sustinent. Vox, inquam, illa significat rem validam; ipsis enim postibus pondus superliminaris recumbit. In lexicis *ail* & redditur superliminare; ideò forsan Vulgatus Interpres credidit hanc vocem reddi posse frontem, quia postes ostendunt frontem, sive latitudinem muri. Postis autem F hujus vestibuli latus erat duobus cubitis, quot erat murus F. Porta autem cui adjunctum hoc vestibulum, non exterior sed interior erat.

10. *Porro thalami portæ ad viam orientalem*, id est, portæ orientalis, *tres hinc & tres indè: mensura trium & mensura una frontium ex utrâque parte.*

Thalami, ut dictum est, erant conclavia, in qui-

bus reſidebant Janitores. Delineatio hos thalamos A
repræſentat unius & ejuſdem menſuræ; nimirum æqua es: & una menſura erat frontium, אילם *ailim*, id eſt, poſtium. Muri qui apparebant inter hos thalamos, omnes æque lati erant. In univerſum poſtes, qui ſibi invicem reſpondebant, æquales erant.

11. *Et menſus eſt latitudinem liminis portæ decem cubitorum; & longitudinem portæ, tredecim cubitorum.*

Limen repertum eſt unius calami, ſive ſex cubitorum. Quomodo ergo nunc ſtatuitur decem cubitorum? Recurrendum ad fontes, quos Interpres non expreſſit, qui ſic reddi poſſunt: *& menſus eſt latitudinem* פתח השער *pethach haſchaar*, id eſt, aperturam oſtii; quam Angelus reperit decem cubitorum. B B iſta eſt apertura. Diſtinguere autem decet פתח *pethach*, ſive aperturam portæ, à שער *ſchaar*; quod nomen redditur quidem porta, ſed & per illud licet intelligere murum qui eſt ad latera aperturæ; qui muri vocantur *humeri portarum*. Hos humeros ſolet Angelus metiri poſt aperturam, ut facit infrà dimetiens ſacram ædem. Illi autem duo humeri, quos ſignant B M & B N ſimul ſumpti faciunt tredecim cubitos; ita ut ſinguli ſint ſex cubitorum & dimidii cubiti. Non diffiteor alia alios Interpretes ſentire; ſed mea interpretatio convenit cum Prophetæ verbis, in ſenſu quem illis indo, ſive potiùs quem præferunt.

10 20 30 40 30
Scala Quinquaginta Cubitorum.

12. *Et marginem ante thalamos cubiti unius: &* B
cubitus unus finis utrinque: thalami autem ſex cubitorum erant hinc & indè.

Iſta margo in fonte nominatur גבול *ghebul*, quod nomen ſonat perindè ac *definitio, terminus, margo, ora.* Itaque iſta margo unius cubiti, erat murus qui terminabat thalamos, & ſeparabat Janitores; forſan veluti lapideus cancellus, qualis ille qui præſcribebat gentibus limites non prætergrediendos. Græci ibi habent καὶ πῆχυς εἷς ἐπισυναγόμενος, ἐπὶ πρόσωπον τῶν θεὶμ ἔνθεν καὶ ἔνθεν. *Et cubitus redigebatur in conſpectu theim*, id eſt, thalamorum. Erat ſeparatio à thalamis intervallo unius cubiti, ſive lorica quæ obſtabat quominus obruerentur. Nomen Hebræum גבול ghebul à ſenibus Græcis ſæpiùs redditur ὅριον C
terminus; ſed & quandoque γεῖσος, & ſemel περίβολος, ut videre eſt in concordantiis. Non ergo dubitandi locus, quin dictam vocem hîc ſumamus in proprio ſuo ſenſu.

13. *Et menſus eſt portam à tecto thalami uſque ad tectum ejus, latitudinem viginti quinque cubitorum: oſtium contra oſtium.*

Ibi porta eſt totum illud ſpatium quod erat inter oppoſitos thalamos, nempe veſtibuli latitudo. Nomen שער *ſchaar* plerumque redditur ab Interpretibus Græcis πύλη. Ibi verſio Græca limpida eſt: Καὶ εἰσήγαγέ με εἰς τὴν αὐλὴν τὴν ἐσωτέραν. δικτυωτοὶ Καὶ διεμέτρησε τὴν πύλην ἀπὸ τοῦ τοίχου τοῦ θεὲ ἐπὶ τὸν τοῖχον τοῦ θεὲ πλάτος πήχεις εἴκοσι καὶ πέντε. *Et menſus eſt portam à muro theé, ſive thalami latitudinem viginti quinque cubitorum.* Illi Interpretes גג gagh interpretantur *parietem*, ſenſum Prophetæ ſequentes, qui indicatam voluit latitudinem inter duos thalamos, quorum oſtia ſibi reſponderent ex adverſo; quæ latitudo erat viginti quinque cubitorum. Hæc omnia ſecum cohærent. Cùm enim apertura portæ B B eſſet decem cubitorum: humeri B M & B N tredecim cubitorum; & ipſa marginis, ſive loricæ G ante thalamos eſſet unius cubiti; & ideò G & G duorum cubitorum; tota intercapedo CHC erat viginti quinque cubitorum.

BB	10
BM	$6\frac{1}{2}$
BN	$6\frac{1}{2}$
G	1
G	1
CHC	25.

14. *Et fecit frontes per ſexaginta cubitos: & ad frontem atrium portæ undique per circuitum.*

Hunc locum ſic Villalpandus exponit. *Et dimetiendo declaravit Angelus columnationes, ſive ordines columnarum eſſe altos cubitis ſexaginta; & parem fuiſſe menſuram ordinum columnarum, quibus cingebatur atrium portæ undique per circuitum.* Quis credat Angelum ibi dimetiri frontes thalamorum, ſcilicet faciem M M & faciem N N; ſed unaquæque erat viginti octo cubitorum, ut modo liquebit. Igitur puto Angelum egreſſum veſtibulo intraſſe in atrium nimirum Iſraëlis; & cùm convertiſſet oculos ad altitudinem ædificiorum undè egre-

diebatur, illam mensurasse, & hoc est quod indi- A cat Propheta *Angelus fecit frontes*: nempe operatus est circa frontes, has dimetiens: in codice Hebræo אילים *Elim*, id est, postes, quos reperit sexaginta cubitorum, & omnes pares. Versio Syriaca hunc sensum expressit. *Structura frontis portæ erat sexaginta cubitorum.* Altitudo autem hujus structuræ pendet ex postibus, sive parastadibus, quæ à solo surgunt usque ad tectum, & parietem roborant. Nomen איל undè אלים *elim*, denotat aliquid firmum & validum. Triplex erat contignatio in his ædificiis, sive tria tabulata, inter quæ licet partiri hos sexaginta cubitos. Græca versio aliquid diversum præfert; nempe è loco obscuro Interpretes fugam ut possunt maturant Hujusce versiculi 14. postrema pars: *& ad frontem atrium portæ undique per circuitum*: de verbo; *& ad limen atrii porta in circuitu, vel circumcirca portam*, quæ indicant rationem ejusdem structuræ servatam in omnibus portis.

15. *Et ante faciem portæ, quæ pertingebat usque ad faciem vestibuli portæ interioris, quinquaginta cubitos.*

Meliùs redderetur veritas Hebraïca: *& à superficiebus portæ introitus ad superficies vestibuli portæ interioris, quinquaginta cubiti.* Duplex indicatur porta vestibuli, in cujus mensuras inquirimus: prima quæ dicitur היאתון, hoc est, *introitus*; pro quo nomine Vulgatus posuit, *quæ pertingebat*; quod C locum hunc perturbat. Altera porta est interior, quia interiora respiceret. Intervallum autem illud quod erat inter has duas portas, deprehendit Angelus quinquaginta cubitorum Quos hactenus subduximus calculos, conveniunt. Duo limina A & A faciunt duodecim cubitos: tres thalami 3. C decem & octo cubitos: duæ inter duos thalamos intercapedines 2 D decem cubitos. Vestibulum E vidimus latum octo cubitis, & murum ejus duobus cubitis. Hi numeri simul collecti, faciunt intervallum à P ad Q quinquaginta cubitorum.

A & A	12
3 C	18
2 D	10
E	8
F	2
PQ	50

16. *Et fenestras obliquas in thalamis & in frontibus eorum; quæ erant intra portam undique per circuitum: similiter autem erant & in vestibulis fenestræ per gyrum intrinsecùs, & ante frontes pictura palmarum.*

De fenestris in genere disseruimus. Dicuntur in Hebræo textu אטמות, id est, clausæ; videlicet δικτυωτὰ reticulatæ. Olim, ut notatum est, cancellorum frequens usus erat; quia vitri rarior usus. Ergo licet intelligere ante aperturas thalamorum ap- E positos cancellos reticulatos; ita ut qui in thalamis custodias agerent, prospicerent per cancellos, & non cernerentur. Totum hocce vestibulum erat similiter exornatum: similes omnes fenestræ *Et ante frontes pictura palmarum*: in fonte *ad postem palmæ* אל איל: nempe expressæ erant in postibus palmæ. Villalpandus has palmas vindicat capitellis columnarum, statuens illa spatulis palmarum fuisse ornata Semel induxerat animum suum credere omnia ædificia templi, etiam illius quod describit Ezechiel, persimilia fuisse ædificiis Græcorum. Ad illam ergo opinionem satagit omnibus machinis adducere Scripturam. Verùm nullus ibi fit sermo de quocumque columnarum genere; nec ullibi adstruitur palmis decorata capitella columnarum. Sæpiùs memorantur palmæ; sed cùm Josephus loquitur de columnis atrii gentium, ut suo loco vidimus, dicit has fuisse Corinthii operis.

CAPUT IX.

De mensuris atrii Israëlis. In eo erant tabernæ numulariorum: prostabant hostiæ venales, & mulieribus proprius locus. De ædificiis multiplicibus, quæ illud atrium circumdabant.

SECTIO I.

B *De mensuris atrii Israëlitarum. Exponitur Ezechielis caput 40. à versu 17. usque ad 27.*


PErgam sequi Ezechielem, sive Angelum.


17. *Et eduxit me ad atrium exterius, & ecce Gazophylacia, & pavimentum stratum lapide in atrio per circuitum: gazophylacia, in circuitu pavimenti.*

Angelus postquàm dimensus est portas, & portarum vestibula, deduxit Ezechielem in atrium exterius: Non semel observatum est olim atrium Israëlitarum dictum exterius per respectum ad atrium Sacerdotum, quod semper à Prophetâ appellatur interius. Nomen *atrium*, quo Hebræum C חצר *chatzer* redditur à Latino Interprete, ambiguæ est significationis; sumitur enim quandoque pro vestibulo; & sic definitur à Festo: *Atrium propriè est genus ædificii ante ædem, continens mediam aream, in quam collecta ex omni tecto pluvia descendit.* Nomen autem Hebræum propriè non denotat nisi locum subdialem, in quo חציר *chatzir* fœnum nasci posset. Ergo Ezechiel, deducente eum Angelo, egressus è portarum vestibulo ingreditur in aulam subdialem Græca versio dicit καὶ εἰσήγαγέ με εἰς τὴν αὐλὴν τὴν ἐσωτέραν. *Et induxit me in aulam interiorem.* Forsan cùm hæc versio cusa est, atrium Israëlis cœperat dici interius. Ubi autem Angelus deduxit Ezechielem in illud atrium, illi conspicua fuere ædificia, quibus illud atrium cingeba- D tur. Vidit *in circuitu pavimenti*; atria enim strata erant pavimento. Vidit, inquam, Propheta Gazophylacia triginta, plurima scilicet ædificia; de quibus infra dicturi sumus, nunc agemus de solis mensuris atrii hujus, in quod sumus ingressi.

18. *Et pavimentum in fronte portarum secundum longitudinem portarum erat inferius.*

Versus ille obscurus est; à quo ut dispellerentur tenebræ, in lucem protrahenda esset significatio, nominis רצפה *ritsphah*; quæ vox Hebræa servata est in Paraphrasi Chaldaïcâ. Latinus Interpres, & lexica Hebræo Latina hanc interpretantur *pavimentum*, juxta quam significationem fons red- E di potest. *Et pavimentum ad humerum portarum è regione longitudinis portarum*, vel *juxta longitudinem portarum, pavimentum inferius.* Vix sensus aliquis elici potest. A Græcis vox Hebræa redditur hîc & alibi modo περίστυλον, modo στοαὶ *porticus*. Ezechiel introductus in atrium vidit *gazophylacia & pavimentum stratum lapide in atrio per circuitum.* Pro quo habet Græca versio: Καὶ ἰδοὺ παστοφόρια καὶ περίστυλα κύκλῳ τῆς αὐλῆς. *Et ecce pastophoria, & in circuitu peristylia, porticus.* Atrium circumdatum erat porticibus. Græca versio sic exprimit versum circa quem hæremus. Καὶ αἱ στοαὶ κατὰ νώτου τῶν πυλῶν, καὶ κατὰ τὸ μῆκος τῶν πυλῶν τὸ περίστυλον τὸ ὑποκάτω. *Et porticus ad dorsum portarum & secundùm longitudinem portarum, peristylium inferius.* Græci Interpretes conceperunt in circuitu atrii de quo loquimur peristylium


VESTIGIUM TEMPLI HIEROSOLYMITANI A SALOMONE CONSTRUCTI SECUNDUM VILALPANDUM
Col. 851.
OCCIDENS
Longitudo muri ambientis atrium profanum calamorum 110.
ATRIUM TEMPLI
Longitudo muri ambientis atria sancta calamorum 80.
COMMUNE GENTIBUS
EXTIMUM ET MAXIMUM
MERIDIES
SEPTENTRIO
Area atrii exterioris spectans africum
area atrii exterioris spectans Caurum
ATRIUM INTERIUS LEUITICUM
area atrii exterioris spectans austrum
Altare Holocausto rum
area atrii exterioris spectans septentrionem
area atrii exterioris spectans Eurum
area atrii exterioris spectans orientem
area atrii exterioris spectans aquilonem
ISRAELITIS ET UNIVERSIS
Cubiti
Calami
Longitudo periboli ambientis domum universam ORIENS centum viginti quinque Calamorum


Porta Kipponos.
DELINEATIO TEMPLI HIEROSOLYMITANI JUXTA JUDÆOS
in codice eorum Middoth siue de mensuris Templi Col. 886.
Porta prima Huldah
X Mensæ
Y Columnæ
Z Locus annulorum
Scala 400 Cubitorum Hebræorum
His in patentibus locis volunt solitum fieri Ministerium Templi et ibi fuisse tabernas in quibus columbæ venderentur.
Porta Secunda Huldah.
Soreg Sive Sepes Cancellata
Porta Teri.
azara mulierum
Porta Shusan
Tab. XIV.
Delamonce del.

Col. 783.


IUDAEA CAPTA


IVD CAP
S C


IUDAEA CAPTA
SC

lium, nempe porticus ad dorsum, id est, ad humeros portarum, ut habet fons, porticus, quales & expressi in delineationibus meis. Illæ autem porticus, & totum peristylium non ultra primum tabulatum surgebat; & hoc est quod significat τὸ περίστυλον τὸ ὑποκάτω. Sic quasi via sternebatur ante illud tabulatum, undè velut è pergulâ spectabantur quæ gerebantur infra; quod multum decorem & utilitatem conferebat omnibus illis ædificiis, quibus circumdabatur atrium; erat enim inferius & superius peristylium, sive ambulacrum. Nec Græci discedunt a fonte Hebræo; nam *ritsphah*, quod vulgò redditur *pavimentum*, à רצפ *stravit* deducitur; peristylia autem, qualia sunt in Monachorum ædibus, sunt via strata. B

19. *Et mensus est latitudinem à facie portæ inferioris usque ad frontem atrii interioris extrinsecùs, centum cubitos ad Orientem & ad Aquilonem.*

Angelus in parte orientali atrii versans metitur latitudinem hujus atrii à facie portæ inferioris *usque ad faciem interioris atrii extrinsecùs.* Sic fons reddendus. Facies interioris atrii exterior, est porta illa orientalis exterior septi Israëlis quo claudebatur atrium Sacerdotum, quod atrium semper dicitur ab Ezechiele interius. Porta verò inferior, ipsa est interior porta vestibuli orientalis portæ in secundo septo. Vestibulum illud duas habebat portas unam exteriorem, aliam interiorem; quæ interior respectu portæ orientalis atrii Sacerdotum, ad quod C multis gradibus ascendebatur, inferior dicebatur. Olim hos centum cubitos, de quibus nunc loquitur Ezechiel numerabam à portâ exteriori septi secundi; ita latitudini atrii Israëlis in hoc orientali latere, non dabam ultra quinquaginta cubitos; sic vim inferens Ezechieli, qui non metitur vestibulum quod dicitur in fonte, *ulam*, sed *chatsir*, id est, locum subdialem. Nunc melius consultus huic atrio subdiali suos centum cubitos adscribo. In fine autem hujus versiculi fons manifestè perturbatus est, & ideò versio omnis quæ ex hac perturbatione manavit. *Ad Orientem & ad Aquilonem*: aliquid prætermissum est incuriâ Librariorum, quod supplendum ex antiquâ versione Græcâ; juxta quam Angelus hos centum cubitos mensus est κατὰ ἀνατολάς. D Postea subjicitur καὶ ἤγαγέ με ἐπὶ βορρᾶν. *Et adduxit me ad Aquilonem.* Illud *ad Aquilonem* pertinet ad versum sequentem, & malè conjunctum reperitur cum *ad Orientem.*

20. *Portam quoque, quæ respiciebat viam Aquilonis atrii exterioris, mensus est tam in longitudine, quàm in latitudine.* Ibi, ut dixi, supplendum ex versione Græcâ, *& adduxit me ad Aquilonem.* Postquàm mensus est Angelus portam orientalem, digreditur ad portam aquilonarem ejusdem atrii, quam omninò reperit similem orientali, quoad mensuras & dispositionem.

21. *Et thalamos ejus tres hinc, & tres indè; &* E *frontem ejus, & vestibulum ejus secundùm mensuram portæ prioris, quinquaginta cubitorum longitudinem, & latitudinem viginti quinque cubitorum.*

Ita omninò porta illa par erat portæ orientali.

22. *Fenestræ autem ejus, & vestibulum, & sculpturæ secundùm mensuram portæ, quæ respiciebat ad Orientem: & septem graduum erat ascensus ejus, & vestibulum ante eam.*

Pares erant illæ portæ & quoad dimensiones, & quoad ornamenta. Septem gradibus ascendebatur. Et ultra hos gradus, vel ultra januam, erat vestibulum interius, ut intellexere Græci. Καὶ τὰ αἰλαμμὼν ἔσωθεν. Vox illa αἰλαμμὼν facta est ex Hebræa אולם *Ulam.*

23. *Et porta atrii interioris contra portam Aquilonis & orientalem: & mensus est à portâ usque ad portam centum cubitos.* Rectè explicarunt Græci. Καὶ πύλη τῇ αὐλῇ τῇ ἐσωτέρᾳ βλέπουσα ἐπὶ πύλην τοῦ βορρᾶ, ὃν τρόπον τῆς πύλης τῆς βλεπούσης κατ᾽ ἀνατολάς· καὶ διεμέτρησε τὴν αὐλὴν ἀπὸ πύλης ἐπὶ πύλην, πήχεις ἑκατόν. *Et porta atrii interioris respiciens ad portam Aquilonis, sicut porta quæ respicit ad Orientem. Et mensus est atrium à portâ ad portam cubitos centum.* Scilicet inter portam exteriorem atrii interioris, sive septi tertii, & portam interiorem atrii exterioris, sive septi secundi, par intervallum centum cubitorum Angelus numeravit, quale repererat in latere orientali.

24. *Et eduxit me ad viam australem, & ecce porta quæ respiciebat ad Austrum: & mensus est frontem ejus & vestibulum ejus juxta mensuras superiores.*

25. *Et fenestras ejus, & vestibula in circuitu, sicut fenestras cæteras: quinquaginta cubitorum longitudine & latitudine viginti quinque cubitorum.*

Ad meridionalem portam sistitur Ezechiel, quam prorsus similem orientali & aquilonari significat.

26. *Et in gradibus septem ascendebatur ad eam; & vestibulum ante fores ejus; & cælatæ palmæ erant, una hinc, & altera indè in fronte ejus.*

Omnia similia in his portis, quoad gradus & postes & palmas, quæ geminæ videntur cuique posti appositæ.

27. *Et porta atrii interioris in viâ australi: & mensus est à portâ usque ad portam in viâ australi ad centum cubitos.*

Hic versus pariter intelligendus ac vigesimus tertius. Inter portam extimam atrii interioris, & interiorem atrii exterioris meridionalem, erat intercapedo centum cubitorum. Has dimensiones adverte, Lector, in delineatione ichnographicâ templi. In orientali latere, boreali, & meridionali atria lata sunt centum cubitis; in occiduo verò latere, quod inter occiduas exhedras & septum interius intercipitur spatium subdiale, est quinquaginta cubitorum. Sic fit ut altare in ipso atriorum meditullio reperiatur, in centro hujus tetragoni, cujus latera Ezechiel facit quingentorum cubitorum. In illâ dispositione, atria Israëlis extendebantur circa omnia latera tertii septi, quo claudebatur atrium Sacerdotum & ædes sacra, ejusque appendices. Sic quisque poterat obambulare; quod fieri non poterat in Villalpandæâ dispositione, in quâ non erat spatium subdiale in parte occiduâ. Inserendum putavi huicce loco vestigium totius templi; quod Villalpandus exhibet. Discrepat hac re & multis aliis ab illo vestigio quod proposuimus. Lector, adverte utriusque discrimen. Tertium septum, sive trium septorum intimum circuiri non poterat. Villalpandus atrium Sacerdotum ante faciem ædis sacræ facit pluśquam centum cubitorum, contra ipsam fidem verborum Prophetæ. Partitur atrium Israëlis, in septem quadrata atria. Tot non memorat Ezechiel; quæ si extitissent, cujusque mensus esset latitudinem & longitudinem.

SECTIO II.

De loco ministerii templi, ubi tabernæ numulariorum & hostiæ venales prostabant.

IN spatiosis areis atrii Israëlitarum, non deerat locus ministerio templi, & his recipiendis & asservandis, quæ sacrificiis cæterisque piis adimplendis muneribus erant necessaria. Libri Judæorum memorant חניות *Channioth*, id est, tabernas alicubi in templo dispositas, in quibus in dies vendebantur vinum, sal, oleum, aliaque requisita ad sacrificium;

itemque boves & pecora. Duo sunt hîc à nobis præstanda; an illa fierent, & in quâ parte templi fierent. De primo non patitur nos dubitare Evangelii auctoritas. Legimus enim apud Matthæum cap. 21. v. 12. *Intravit Jesus in templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes & ementes in templo, & mensas nummulariorum & cathedras vendentium columbas evertit.* Hoc & dicit Joannes cap. 2. v. 13. *Et ascendit Jesus Jerosolymam, & invenit in templo vendentes boves & columbas, & nummularios sedentes.* Certè necessarium erat ut alicubi prostarent venales hostiæ, venalia omnia quæ de more offerenda erant Deo. Etenim ea secum deferre non poterant, qui ab extremis mundi plagis Hierosolymam proficiscebantur religionis ergo. Hisce prospectum erat in lege, quâ constitutum, ut qui victimas aut dona ex præcepto, vel ex voto debebant, si procul Hierosolymis habitarent, possent argento illa sibi comparare in civitate sanctâ. Sic ipsa lex de Decimis præcipit in Deuteronomio cap. 14.

24. *Cùm autem longior fuerit via, & locus quem elegerit Dominus Deus tuus, tibique benedixerit, nec potueris ad eum hæc cuncta portare;*

25. *Vendes omnia, & in pretium rediges, portabisque manu tuâ, & proficisceris ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus;*

26. *Et emes ex eâdem pecuniâ quidquid tibi placuerit, sive ex armentis, sive ex ovibus, vinum quoque & siceram.* Ita fuisse consuetum docent nos Judæi. *Quisque*, inquit Maimonides in tractatu *Chagiga* cap. 1. n. 3. *Cùm Hierosolymam tenderet, dies solemnes celebraturus, aut paratas eò simul agebat hostias, quas mactaret in atrio se sistens, aut certè lectum unà secum ferebat argentum, quo has sibi coemeret.*

In amplissimâ civitate, & quæ omni rerum copiâ abundabat, peregrini poterant in publicis tabernis & officinis comparare necessarias merces. Verùm cùm avaritia invasisset & corupisset animos Sacerdotum, etsi multa occurrerent macella, foraque publica, non solùm sinebant mercaturam in ipso templo exerceri, sed prætextu religionis non sinebant ut aliundè quàm ex ipsorum tabernis compararentur pretio hostiæ & cætera offerenda Deo. Ipsi Sacerdotes vel viri quos ad id deligebant, præerant huic mercaturæ; quod constat testimonio Maimonidis in tractatu *de Apparatu templi* cap. 7. n. 9. ubi agit de præfectis templi, inter quos numerat, qui huic mercaturæ præerant. » Qui præfectus erat » pullis, cum eo paciscebantur, ut tot pro siclo pullos in sacrificia venderet: si quis igitur aut duos » turtures, aut columbæ pullos pro sacrificio de» buisset; hic illorum pretium afferret in Sanctua» rium: tum his, qui ista faciebant sacrificia, ho» minibus pullos suppeditabat præfectus ille, cui » posthac quæstores relatis rationibus pecuniam sol» vebant. Jam de pretio pullorum tricesimo quo» que die pactio fiebat. Quod si pactionem conse» cuta fuisset utilitas, eos pro viliori daret pretio: » contra si fuisset consecuta caritas, eos pro pacto » pretio venderet: semper enim ærarii sacri conditio » superior est. Idem etiam si pulli reperirentur vi» tiosi, vel si vitio afficerentur ante quàm essent im» molati, pro his teneretur dare alios. Pergit Maimonides exponere rationem hujus mercaturæ. » Qui » præfectus erat sigillis, is accipiebat libationum » pretia ab his qui libationes facere deberent, qui» bus ipse suas dabat tesseras: libamina verò trade» bat ille, qui præfectus ipsis erat. Deindè subjicit; neque enim vacat totum Maimonidem exscribere. » Tricesimoque die pactio de vini & similæ pretio » fiebat cum eo qui libaminibus præesset. Ac si pactione esset consecuta libaminum caritas, nihilominus ea pro constituto pretio suppeditaret. Sin « autem consecuta utilitas esset, pretio daret ea vi« liori. Quod igitur ærario lucri fiebat è variis istis « pretiis, id reliquiæ libaminum appellabatur: im« pendebatur autem in ea holocausta, quibus altare « donabatur ab universâ Ecclesiâ. «

Videtur non opus fuisse numulariis, sive collybistis; etenim rem ipsam aut pretium ejus secum quis afferebat in templo. Undè ergo in sacro loco κερματισαὶ, κολλυβισαὶ? nempe numularii, trapezitæ; scilicet viri qui permutandis pecuniis, majoribus nummis cum minutulis quæstum facerent? Quisque Israëlita lege tenebatur per singulos annos semi-siclum templo pendere. Cui hujus nummi species non suppetebat, adibat numularium qui sedebat in templo, & permutabat cum eo argenteos nummos, deductione factâ pro collybo; recipiebat æs aut quemlibet alium nummum; & dabat argenteum, nempe semi-siclum argenteum, qui solus offerri Deo poterat: undè cùm Jesus Christus evertit mensas numulariorum, dicitur effudisse illorum æs. Cùm omnia fierent ex certis conditionibus pactis inter Sacerdotes, oblati Deo semi-sicli argentei ad numularios revertebantur; ita suppetebant eis cum ære permutandi. Hæc non comminiscimur; leguntur enim in Talmude capite primo *shekalim*, sive de siclis. « Primo die mensis Adar edictum promulgari consueverat, ut semisiclum paratum qui« que haberent. Die decimo quinto ejusdem men« sis exactores in unâquâque civitate consederunt, « ut reciperent: huc usque neminem solvere coe« gerunt. Die verò vigesimo quinto in templo conse« derunt; & tum solvere coëgerunt, eorum bona qui « recusarunt distrahentes. « Hac lege utebantur avari Sacerdotes, ut pecuniâ emungerent religiosam plebem. « Etenim quisque tenebatur semi-siclum suo nomine solvendum paratum habere: cùm igitur « quisquam afferret siclum ut pro duobus semi-si« clis commutaretur, tenebatur solvere collybum « numulario. Cùm pro duobus siclus allatus fuisset, « duplex lucrum numulario debitum erat. « Videre est in isto tractatu quem Henricus Otho Latinè interpretatus est, multum fieri de isto collybo sermonem, circa eos qui eum deberent, aut ab eo liberi essent. Jesus Christus videns his avaritiæ sordibus templum pollui, exarsit legitimâ irâ, quam describit B. Joannes 15. *Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque & boves, & nummulariorum effudit æs, & mensas subvertit.* 16. *Et his qui columbas vendebant, dixit: auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.*

Quo in loco ista negotiatio exerceretur, altera quæstio est. Hebræi, quantùm intelligo ex his quæ dicunt de tabernis חניות *channioth*, non conveniunt inter se de loco earum; nec etiam liquet quæ sit illorum sententia de hacce quæstione. Obscuritas ex eo venit quia in genere totus mons Moria, & ideò atrium gentium æquè ac atria Israëlitarum & Sacerdotum, appellarentur *mons domûs* supple *Dei*; Hebraï המקדש *hamichdasch*, id est, Sanctuarium; Græcè τὸ ἱερόν. Utraque vox dicit locum sanctum. Dictæ tabernæ erant in monte domûs, & ideò in loco sancto. Sed sunt qui illas locant in atrio gentium: non id prorsus rejicio; etenim id necessarium propter Gentiles qui accedebant sacrificaturi, quorum sacrificia & dona cùm admitterent Judæi, paratæ erant tabernæ in atrio quod illis patebat, unde illa pretio compararent.

Eâdem de causâ possunt cogitari necessariæ tabernæ in atrio secundo, undè cuique Israëlitæ suppeteret quidquid lege tenebatur Deo dare. Certè

Judæi non adverſantur. Teſtimonia eorum colli- A git Conſtantinus Lempereur in notis ad ſectionem tertiam capitis ſecundi *Middoth.* Rabbi Nathan, qui juſtus cognominatur, dicit: *locus erat extra exhedram Gazith* lapidis cæſi, *in monte ædis, cui nomen channioth*, id eſt, tabernæ. Exhedra Gazith ſedes erat ſynedrii magni, ſita in latere meridionali ſepti quod ſecernebat Sacerdotes ab Iſraëlitis. De iſto ſynedrii loco fusè diſſeram, cùm accedam ad illud ſeptum. Qui autem dicit tabernas ſitas extra locum ſynedrii, indicat fuiſſe proximas. Allegat idem Conſtantinus verba Eliæ, qui videtur definire locum tabernarum. *Nos autem*, inquit ille, *ſolemus vocare locum apertum ad ſpatia libera, ubi vendunt merces, tabernam; ſic domus ubi mutuant pecu-* B *niam cum fænore dicitur taberna.* Hæc tabernarum deſcriptio convenit atrio Iſraëlitarum, quod magis ſpatioſum erat; nam atrium gentium occupabatur porticibus; ita ſubdialia loca anguſta.

Iſta negotiatio, cujus locum indagamus, conficiebatur curâ præfectorum; qui, ut videtur, non reſidebant in atrio gentium. Si allegatus Elias fide dignus ſit, & Joannes filius Pinchaſi, quem dicit præfectum teſſeris, verè fuerit ex hac proſapiâ, à quâ Gazophylacium Pinchaſi accepit nomen, res non tranſigebatur in atrio gentium; nam illud Gazophylacium erat in ſepto, de quo modò locuti ſumus. *Quicumque quærit libamina*, ait Elias, *adit Joannem qui teſſeris numariis præfectus eſt; cui dat nummos, & viciſſim teſſeram accipit: deinde compel-* C *lat Achijam qui præeſt libaminibus, cui tradit teſſeram, accipiens viciſſim libamina. Veſperi conveniunt ſimul, Achija profert teſſeras, & earum loco nummos accipit.*

His adjungamus quòd etiam ſi omnis mons Moriæ reputaretur ſanctus, tantâ iracundiâ Jeſus non commotus fuiſſet in iſtam mercaturam exercitam in loco, qui patebat prophanis & peccatoribus. Quin forſan nec ſic ſæviſſet in mercatores Judæos coram Gentilibus; præcipit enim Deus ut conſulatur ipſi nationi: *ne reveles turpitudinem matris tuæ.* Sed id quod dicit Dominus, templum eſſe domum orationis omnibus gentibus, nonne arguit rem factam in atrio gentium? Imò hæc dicebat ut pudore ſuffunderet Judæos. Locus proferendus ex Marco 11. D v. 15. *Et veniunt Hieroſolymam: Et cùm introiſſet in templum* εἰς τὸ ἱερὸν, *cœpit ejicere vendentes & ementes in templo, & menſas numulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit.*

16. *Et non ſinebat ut quiſquam transferret vas per templum.*

17. *Et docebat, dicens eis; nonne ſcriptum eſt: quia domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus: vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.*

Quæ ſequuntur oſtendunt rem factam coram Sacerdotibus & multâ religioſâ plebe. Viri pii non facilè permiſcebantur Gentilibus, à quorum conſortio non minùs fugiebant, quàm à viris lepro- E ſis.

18. *Quo audito principes Sacerdotum & Scribæ quærebant quomodo eum perderent: timebant enim eum quoniam univerſa turba admirabatur ſuper doctrinâ ejus.* Non promulgaſſet doctrinam ſuam Dominus in atrio prophanorum, ſumens panem de manu filiorum, & mittens canibus, id eſt, Gentilibus. Fateor iſta argumenta non cogere animum; ſed his impellitur, qui ubi veritas latet, ſolet veriſimilibus moveri. Non quis à me exigat ut certum locum in Iſraëlitarum atrio aſſignem dictis tabernis; Plures numero erant; ſi quidem plurimæ merces venales, quibus ſacrificantes indigebant.

SECTIO III.

Locus aſſignabatur mulieribus in atrio Iſraëlitarum. Quæritur quis ille fuerit, & quâ in parte templi mulieres plangerent Tamus; de quo queritur Ezechiel in capite octavo, quod exponitur.

INdubitatum eſt fuiſſe in templo propriam ſedem aſſignatam mulieribus, quæ a Joſepho appellatur γυναικωνῖτις. Hoc nomine ſignificabant Græci conclave mulieribus deſtinatum. Quo in loco fuerit, quæſtio eſt. Hunc indicat Joſephus, libro 6. capite 6. de Bello. Supra, cùm diſſerebamus de numero portarum ſepti ſecundi, vidimus hunc ſcriptorem modo tres, modo quatuor agnoſcere in latere meridionali; totidem in boreali; & modo unam, modo duas numerare in orientali; quod ita conciliavimus, quia ſcilicet in unoquoque ex his tribus lateribus una porta ſecaretur in duas, ut diſtinctâ viâ poſſent mulieres ire ad locum ſibi deſtinatum. « A Septentrione quidem & Meridie octo, quaternæ utrinque videlicet, duæ verò ex Oriente. Neceſſariò namque proprius locus, religionis causâ mulieribus deſtinatus, muro diſcernebatur: alterâ quoque portâ opus eſſe videbatur. Contra primam verò, ſecreta erat ex aliis regionibus una porta meridiana, & una Septentrionalis, quibus ad mulieres introibatur: per alias enim tranſire non licebat mulieribus. » Ambigitur quis ſit iſte locus deſtinatus mulieribus; an quædam area aperta, certis ſignata limitibus, puta crate; an eſſet conclave, ſive cubiculum quodpiam. Quiſque fuerit ille locus, appellatur γυναικωνῖτις, Latinè *Gynæceum.* In Talmude nominatur עזרה הנשים *azarah Naſchim.* Nomen *azarah* non dicit neceſſariò locum apertum ſubdialem; complectitur tum areas, tum ædificia. Quin Talmudiſtæ volunt mulieres ſpectaſſe è podio quæ inferiùs agerentur. Forſan ſimul & conclavia quædam reſervabantur mulieribus; & quædam pars atrii ſecernebatur aliquo humili muro; quod innuit Joſephus. Poſtquam dixit in orientali latere fuiſſe duas portas addit; [Latinam interpretationem protulimus ſupra.] Verba Græca vim habent, quæ expendenda eſt. Διατετειχισμένην γὰρ κατὰ τοῦτο τὸ D κλίμα ταῖς γυναιξὶν ἰδίαν πρὸς θρησκείαν χώραν, ἔδει δευτέραν εἶναι πύλην. Illa vox χώρα non denotat conclave, ſed locum, regionem; & illud διατετειχισμένην, hunc locum fuiſſe aliquo muro ſeparatum, interſeptum. Sed utrumque dici poteſt, & in areâ atrii Iſraëlitarum fuiſſe portionem conceſſam mulieribus; ſicut in conclavibus & in porticibus. Res eſt in ambiguo. Etenim non definit Scriptura quâ parte templi eſſet Gynæceum. Audiamus Maimonidem, qui de illo ſuam profert ſententiam in tractatu de Domo electâ cap. 5. n. 7. « Ad Orientem erat atrium mulierum, cujus longitudo æquè & latitudo patebat quinque cubitos & triginta & centum. Hujus in quatuor angulis erant conclavia quatuor, quorum unumquodque tecto carens quadraginta cubitos quaquà versùs patebat. » Erroris manifeſti argui poteſt Judæus; quoniam ex Joſepho teſte oculato, Ginæceum etiam erat in lateribus boreali & auſtrali. Verum eſſe poteſt quod ille de dicto atrio ſubdit. « Atrium mulierum erat circumdatum podium, ut mulieres ſupernè proſpectarent, infernè vero viri conſiſterent; ne videlicet hi cum illis miſcerentur. »

Attamen non ea erat religio, ut omni hominum conſortio prohiberentur mulieres in templo; videmus enim viros unà cum uxoribus olim in Tabernaculo epulantes; non quidem ſub cortinis Tabernaculi, ſed in his locis; quæ poſtea atrium Iſraëlis

repræsentabat. De epulis sacris quæ fiebant in ipso A loco sancto, differemus capite sequenti. Maritus & uxores cum totâ familiâ epulabantur comedentes partem sacrificiorum, quæ offerentibus obtingebat ex lege. In 1. Regum cap. 1. narratur quomodo Elcana ascenderet de civitate suâ, statis diebus, ut adoraret & sacrificaret Domino in Silo, ducens secum duas uxores suas Annam & Phenennam, cum hujus filiis & filiabus; Anna enim hactenus sterilis fuerat. 4. *Venit ergo dies & immolavit Elcana, deditque Phenennæ uxori suæ, & cunctis filiis ejus & filiabus partes. 5. Annæ autem dedit partem unam tristis, quia Annam diligebat; Dominus autem concluserat vulvam ejus.* Tota familia Elcanæ sic conveniebat, nec locis ob sexum distinguebatur. Quapropter, ut postea comprobabo, potuit Maria Mater cum omnibus Apostolis congregari in uno ex templi conclavibus, in quo acceperunt Spiritum sanctum. Joannes eam receperat εἰς τὰ ἴδια in sua, in propria, id est, in domum suam. Vivebant Apostoli societate devincti; ita unam familiam, sive societatem componebant, quâ juncti sacrificabant unà & epulabantur. His insuper constat mulieres accessisse ad ipsum locum, quo benedicendæ erant à Sacerdotibus, ubi offerebant munera, sive cum purgarent se, sive cùm sisterent primogenitos ante Deum: ut cùm Maria mater obtulit puerum Jesum, quem Simeon accepit in ulnas suas. Admiscuit se virorum gregi. Tunc & superveniens Anna filia Phanuelis astitit. Ita simul occurrerunt viri & mulieres. Attamen constare debet fuisse in templo secretum Gynæceum; nec dubito quin in aliquo ex illis Gynæceis Josaba filia Regis Joram servaverit Joas filium Ochosiæ, furata eum de medio filiorum Regis qui interficiebantur & nutricem ejus, & abscondit in cubiculo lectorum. *Porro Josabeth filia Regis tulit Joas filium Ochosiæ, & furata est eum de medio filiorum Regis, cùm interficerentur: absconditque eum cum nutrice suâ in cubiculo lectulorum.* lib. 2. Paral cap. 22. v. 11. In fonte, dedit eum cum nutrice suâ in cubiculum lectulorum, המטות חדר in secretum aliquod cubiculum. Res etiam narratur in quarto Regum cap. 11. v. 32. *Tollens autem Josaba filia Regis Joram, soror Ochosiæ, Joas filium Ochosiæ, furata est eum de medio filiorum Regis qui interficiebantur, & nutricem ejus de triclinio.* Nempe furata est è medio cæterorum filiorum Regis, & abscondit in secreto cubiculo lectorum; ut habent ibi Græci. Ἔκλεψεν αὐτὸν ἐκ μέσου τῶν υἱῶν τοῦ βασιλέως ἐν τῷ ταμιείῳ τῶν κλινῶν, καὶ ἔκρυψεν αὐτὸν ἀπὸ προσώπου Γοθολίας. Hunc Scripturæ locum fusè exponemus libro sequenti, cùm agemus de throno Regis.

Utrum res quam in capite suo octavo Ezechiel narrat de mulieribus quæ plangebant Adonidem, fuerit transacta in Gynæceo templi, quæri potest. Ubicumque fuerit ille locus; dum sic Adonidem plangerent mulieres Hierosolymitanæ, deprehendit illas Propheta in visione adductus Jerusalem. 3. *Juxta ostium interius quod respiciebat ad Aquilonem, ubi erat statutum idolum zeli ad provocandam æmulationem.* Illud ostium interpretor de portâ urbis Jerusalem. Ut supra observatum est, in munitis civitatibus portæ non erant simplices; sed habebant vestibulum, quod claudebatur intrinsecùs & extrinsecùs. Angelus qui in cincinno capitis transferebat Ezechielem, statuit eum in interiori parte portæ aquilonaris, ubi vidit statutum idolum zeli; quo nempe zelus Dei provocabatur, ut mariti cujùs uxor adultera esset. *Ipsi me ad zelum provocaverunt in eo qui non erat Deus*; verba sunt Dei in Deuteronomio cap. 32. Achaz, Manasses ubique erexerant idola in Jerusalem.

4. *Et ecce ibi gloria Dei Israël, secundùm visionem, quam videram in campo.*

5. *Et dixit ad me, Fili hominis, leva oculos tuos ad viam Aquilonis. Et levavi oculos meos ad viam Aquilonis: & ecce ab Aquilone porta altaris idolum zeli in introitu.*

Opinor hæc dicta Ezechieli in interiori ostio portæ aquilonaris, in ipso ingressu civitatis; sed quia mentio fit altaris, vulgo Interpretes protinus adducunt illud ad portam aquilonarem templi. Verùm ætate senum Græcorum codex Hebræus non faciebat ibi mentionem altaris. Καὶ ἰδοὺ ἀπὸ βοῤῥᾶ ἐπὶ τὴν πύλην τὴν πρὸς ἀνατολάς. *Et ecce ab Aquilone ad portam orientalem.* Subolet mihi primitùs scriptum in fonte מזרח B *mizrach*; ab Oriente, pro quo irrepserit מזבח *mizbeach*, altaris, quod aberat à codice quo primi Græci Interpretes usi sunt; lectio enim hodierna antiqua est. Totum hocce caput Ezechielis non exscribam. Dicam ergo breviter quod postquam ille intuitus est idolum zeli, protinus deductus sit ad *ostium atrii*. In Græcâ versione ἐπὶ τὰ πρόθυρα τῆς αὐλῆς. Nulla res indicat ibi intelligendum aliquod ex atriis templi; sed alicujus nobilis domûs privatæ; in cujus aulam Propheta penetrans, & fosso pariete, vidit abominationes *quas seniores domus Israël faciunt in tenebris unusquisque in abscondito cubiculi sui: dicunt enim non videt Dominus nos.* Forsan non ausi essent hæc intra ipsum templum dicere. Quæ sequuntur indicant ædem privatam, cujus perfosso C pariete diversa animalia vidit Propheta in parietibus depicta, & his ut Deo odoromenta senes Israël incendentes.

13. *Et dixit ad me: adhuc conversus videbis abominationes majores quas isti faciunt.*

14. *Et introduxit me per ostium portæ domus Domini, quod respiciebat ad Aquilonem: & ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.*

Tertia hac vice Propheta sistitur ad templum; quod dicebatur *domus Dei*. Hæc appellatio non propria sacræ ædi, in quâ altare aureum, sanctum & Sanctum Sanctorum; sed communis est toti monti Moriæ. Protulimus locum Josephi, ex quo colligitur in ea parte templi, quam indicat Prophe- D ta, fuisse mulierum Gynæceum. Illud prætergreditur Propheta, & appropinquat ad ipsam ædem sacram. *Et introduxit me in atrium domus Domini interius: & ecce in ostio templi Domini inter vestibulum & altare quasi viginti viri, &c.* Hujus visionis locus clariùs declaratur, quàm ut de illo dubitare liceat. Intra ædem sacram, aut in appendicibus ejus, Propheta non sisti poterat, antequam pertransiret intervallum illud atrii interioris, quo altare æneum removebatur à vestibulo ædis sacræ. Non de instituto meo est quærere quodnam illud idolum sit *thammus*. Vulgatus interpretatus est *Adonidem*; nec explicare quomodo Adonis lugeretur ab Assyriis; quem aliqui putant esse Osiridem conjugem Isidis. Adonis fuerat juvenis pulcher, Amasius Veneris, E qui dente apri occisus est, quem cùm Venus, quasi mortuum planxisset, mox reviviscentem cum gaudio recepit. Fœminæ & viri libidinosi singulis annis memorabant hunc planctum; quo Venerem colebant. Impium hunc cultum aut quidpiam simile imitabantur impiæ mulieres Judææ in ipso templo.

SECTIO IV.

De variis ædificiis quibus atrium Israëlis circumdabatur: de horum ædificiorum dispositione & numero.

Jam circumferendi oculi per omnes partes atrii, in quo consistimus. Conspicua se præbent plura numero & nomine diversa ædificia. Nominantur enim exhedræ, ubi de lege sermo habebatur; pastophoria, in quibus Israëlitæ comedebant; horrea, in quibus reconderentur frumentum, vinum, sal oleum, & cætera quæ erant usui. Thesauri erant, sive Gazophylacia colligendis opibus. Sed sæpiùs in B nostro Latino Interprete mentio fit Gazophylaciorum, etiam cùm de gazis, id est, de auro, & argento, & de pretiosâ suppellectili non agitur; ut vox ista non possit accipi in sua stricta significatione. His autem diversis nominibus unum ferè respondet Hebræum, nempe לשכה *lischa* in singulari, לשכות *leschacoth* in plurali. Hocce nomen dicit in genere *cubiculum*; quod ex vario usu cui destinatur, diversas appellationes sortitur. Indè fit ut diversis nominibus redditum sit à Græcis Interpretibus: Aliquando κατάλυμα, id est, *diversorium*, sæpiùs γαζοφυλάκιον, *gazophylacium*; & παστοφόριον *pastophorium*. Etiam σκηνὴ *tentorium*; etiam θησαυρὸς *thesaurus*; etiam αὐλὴ *aula*. Non raró οἶκος *domus*: frequenter ἐξέδρα, semel περίπατος *deambulatio*; ut videre est in C concordantiis. Scilicèt cùm cubicula, ut dixi, ex usu suo accipiant diversas denominationes, prout Interpretes suspicati sunt illa cubicula, quæ omnia ab Hebræis *leschacoth* appellantur, his vel his usibus inservire, propriis expresserunt nominibus. Sed priusquàm de usu horum ædificiorum, & appellationibus agam; decet inquirere in eorum dispositionem, unde illorum forma & numerus cognosci possit. Statuimus ædificia, de quibus agimus, inter vicinas portas. Illa occupabant tria latera septi secundi. Josephus id de occiduo adstruit lib. 6. de Bello c. 6. Τὸ δὲ πρὸς δύσιν μέρος, οὐκ εἶχε πύλην, ἀλλὰ διηνεκὲς ἐδεδόμητο ταύτῃ τὸ τεῖχος. *Occidua verò pars nullam portam habebat, sed perpetuus ibi murus erat exstructus.* Sed D non ideo minus erant in hac parte ædificia. Non semel meminit Josephus exhedræ occiduæ; de qua sic loquitur in septimo libro de Bello cap. 9. *Octavo autem die mensis* λώου, *cum duæ legiones aggeres perfecissent ad exhedram occidentalem templi interioris.* Κατὰ τὴν ἑσπέριον ἐξέδραν, τοῦ ἔσωθεν ἱεροῦ, *admoveri arietes jussit* Titus Imperator: *cum quibus per sex dies, qui firmissimus erat aries, parietem sine intermissione pulsando, nihil omninò profecisset; verum & hujus & cæterorum vim structura lapidum superabat. Septentrionalis autem porta alii fundamenta suffodiebant: multùmque fatigati exteriores tantùm lapides evellere, &c.* Et in capite quinto ejusdem libri. Postquàm Titus occupavit turrim Antoniam, quæ erat ad eum angulum templi, qui erat inter latus E occiduum & boreale; *latam viam usque ad templum fecit* μέχρι τοῦ ἱεροῦ, *admotaque legiones primo septo* τῷ πρώτῳ περιβόλῳ *mox aggeres inchoabant, unum contra interioris templi angulum qui ad Septentrionem, Occidentemque spectabat.* Τὸ μὲν ἄντικρυ τῆς τοῦ ἔσω ἱεροῦ γωνίας, ἥτις ἦν κατ' ἄρκτον καὶ δύσιν. *Alterum contra exhedram, ad Aquilonis partem inter duas portas ædificatam.* Τὸ δὲ κατὰ τὴν βόρειον ἐξέδραν, ἣ μεταξὺ τῶν δύο πυλῶν ἦν. *Aliorum duorum unum contra porticum occidentalem templi exterioris.* Κατὰ τὴν ἑσπέριον στοὰν τοῦ ἔξωθεν ἱεροῦ, *alterum contra septentrionalem.* Τὸ δὲ ἕτερον, ἔξω κατὰ τὴν βόρειον.

Atrium Israëlitarum cingebatur porticibus; quas & memorat Josephus, de illis hæc dicens in eodem A libro de Bello cap. 6. Αἱ στοαὶ δὲ μεταξὺ τῶν πυλῶν ἀπὸ τοῦ τείχους, ἔνδον ἐστραμμέναι πρὸ τῶν γαζοφυλακίων, σφόδρα μὲν καλοῖς καὶ μεγάλοις ἀνείχοντο κίοσιν. ἦσαν δ' ἁπλαῖ, καὶ πλὴν τοῦ μεγέθους τῶν κάτω κατ' οὐδὲν ἀπελείποντο. *Porticus erant inter portas*, in portarum intercapedine *ante gazophylacia, apertæ à muro versus interiores partes atrii magnis & pulcherrimis columnis sustinebantur. Erant autem simplices* non illis duo & plura ambulacra, *sed immensæ magnitudine; & nullâ re inferiores erant porticibus* atrii gentium *quod inferius erat.* Sic vertimus verba Græca; quæ Latinus Interpres, ut mihi videtur, non intellexit; dum illa sic reddit. *Inter portas autem porticus, à muro intro propè à thesauro adversæ: magnis & pulcherrimis columnis sustinebantur. Erant autem simplices, ac præter magnitudinem nullâ re ab inferioribus aberant.* Illud πρὸ τῶν γαζοφυλακίων meliùs redditur *pro gazophylaciis* aut *ante gazophylacia.* Nostræ delineationes exhibent similes porticus, quæ non surgebant ultra primum tabulatum gazophylaciorum. Etenim murus earum exterior latus duobus tantùm cubitis ab Ezechiele repertus est; ex quâ latitudine æstimari potest minor ejus altitudo. Muri enim alii cubitis sexaginta alti erant. Porticus autem illas dicit Josephus fuisse conversas versus locum subdialem. Ille Interpres pro καὶ ἁπλαῖ videtur legisse καὶ πλὴν τοῦ. Non assecutus est mentem Josephi. Illa autem harum porticuum descriptio confirmat interpretationem quam dedimus Ezechielis, ubi dicit in Vulgata: *Et ecce gazophylacia & pavimentum stratum lapide in atrio per circuitum; triginta gazophylacia in circuitu pavimenti. Et pavimentum in fronte portarum, secundùm longitudinem erat inferius.* Vidimus vocem Hebræam, quæ ibi à Vulgato vertitur *pavimentum* accipi à Græcis pro *porticu.* Horum interpretationem secutus est Josephus; & ab iis videtur mutuasse quæ allegavimus. Itaque atrium circumdabatur porticibus; in eo simile claustris Monachorum. Hæ, inquam, porticus erant, ut vidimus, πρὸ τῶν γαζοφυλακίων *ante gazophylacia*, quibus adhærebant. Talia gazophylacia numerat tricena Ezechiel. *Triginta gazophylacia in circuitu pavimenti*, id est, in circuitu porticuum juxta nostram interpretationem.

Magna erant illa gazophylacia: nam quoad latitudinem, omnia ædificia quæ in secundo septo erant, cum porticibus suis lata erant quinquaginta cubitis. Detrahantur decem cubiti, quæ est latitudo porticuum; & duodecim cubiti crassitudo parietum, restant viginti octo cubiti pro illo spatio quod vacuum est intra parietes conclavium. Viginti autem octo cubiti faciunt $46\frac{2}{3}$ pedes Parisinos. Tota altitudo horum ædificiorum æquabat sexaginta cubitos. Erant tristega: primæ autem contignationi tribui possunt triginta cubiti, sive quinquaginta pedes Parisini. Itaque licet cogitare in circuitu atrii Israëlis triginta basilicas miræ magnitudinis. Ex quo deduci potest quanta fuerit amplitudo & magnificentia totius templi; cùm præter areas subdiales solius atrii Israëlitarum tot essent basilicæ.

SECTIO V.

De nominibus & usu ædificiorum quibus atrium Israëlis circumdabatur.

Falleretur, qui ea omnia ædificia, quæ præcingebant atrium Israëlis, quia gazophylacia appellabantur, crederet solis gazis, & omnibus pretiosis templi suppellectilibus asservandis inserviisse. Multa quidem in his reponi potuerunt conclusa arcis & thecis; ut ex illo loco Nehemiæ intelligere licet cap. 13. v. 9. *Præcepique & emundaverunt gazophylacia*

[in fonte *haleschacoth*) quo nomine Hebræi cubiculum significant, *& retuli ibi vasa domus Dei sacrificium & thus.* Sed non ideò minùs in illis poterant Israëlitæ commorari, colloqui, spatiari; ut ex gazis quidem quas servabant, appellari potuerint gazophylacia: sed eorum usus potuit esse multiplex. Credo in hypogæis templi, quæ spatiosa erant, complures fuisse cameras, apothecas, cellas, granaria, promptuaria, ut oculis demonstravi. Non verisimile tam ampla ædificia, quæ loca subdialia præcingebant, constructa solis templi gazis condendis. Nomen *leschacoth*, quod Græci Interpretes, ut dixi, diversis nominibus expresserunt, pro ut supponebant hæc ædificia huic vel alteri usui destinata ingerit notionem spatiosiorum conclavium, quæ nostras basilicas vincerent, tum latitudine, tum longitudine, tum altitudine. Unum ex hisce conclavibus nomen gazophylacii sibi vindicabat, ut proprium. Hujus mentio fit in Evangelio; sed cùm pertineat ad tertium septum, non de eo disseram, nisi libro sequenti.

Vatis esset, non Interpretis, nominatim recensere singula gazophylacia; pauca enim numero nominat Scriptura. Nonnulla, ut puto, nomen habebant, vel ab iis qui illa exornaverant, vel qui frequentiores in illis conveniebant. De aliquibus fit sermo in historiâ vaticiniorum Jeremiæ. *Et assumpsi*, inquit ille Propheta cap. 35. v. 3. *Jezoniam filium Jeremiæ filii Habsaniæ & fratres ejus, & omnes filios ejus, & universam domum Rechabitarum, & introduxi eos in domum Domini ad Gazophylacium filiorum Hanan, filii Jegedesiæ hominis Dei, quod erat juxta Gazophylacium principum super thesaurum Maasiæ filii Sellum, qui erat custos vestibuli.* Alterius Gazophylacii meminit idem Propheta nempe Gamariæ cap. 36. v. 10. *Legitque Baruch ex volumine sermones Jeremiæ in domo Domini, in Gazophylacio Gamariæ filii Saphan Scribæ, in vestibulo superiori, in introitu portæ novæ domûs Domini, audiente omni populo.* Hæc porta in Paraphrasi Chaldaicâ nominatur orientalis; ita non puto aliam fuisse, quàm quæ dicitur *Corinthia.* Sita in orientali latere septi secundi חדש *novum*, & קדם *Oriens* facilè possunt permutari ob soni similitudinem. Forsitan illa porta, cujus idem Jeremias meminit cap. 19. 2. in Vulgato Interprete dicitur *figuli.* Scilicet legebat חרשית ex חרש testa & figulus pro חרסית *solaris*, *orientalis* ex חרס sol. Sed quid illud? *in vestibulo superiori, in introitu portæ* בחצר העליון *be chatser elion* ἐν τῇ αὐλῇ τῇ ἐπάνω ἐν προθύροις πύλης. Nomen chatser, ut observatum est, dicit locum subdialem. Quis autem ille est locus subdialis superior? Conjicio Baruch consedisse in tecto hujus porticûs, quæ erat ante vestibulum portæ Corinthiæ. Porticus illa non surgebat ultra primam contignationem. Tectum ejus erat subdiale. In parte hujus tecti, quæ respondebat Gazophylacio Gamariæ, potuit Baruch legere; ita ut audiretur ab iis qui erant tum in gazophylacio, & tum in inferiori tum & superiori atrio, nempe in tecto porticûs, quod ergo tectum, sive tecta porticûs loco suggesti erat; ex quo ut versu 14. dicitur legerat Baruch *audiente populo.* Ibidem memoratur Gazophylacium Elisamæ scribæ v. 20. & 21.

Dum disserimus de illis conclavibus, non prætermittendus versus secundus capitis 20 Jeremiæ, ubi de se ipso narrat. *Et percussit Phassur Jeremiam Prophetam, & misit eum in nervum, quod erat in porta Benjamin superiori, in domo Domini.* Positus est Jeremias על המהפכת *in subversione.* Alii interpretantur *cryptam*, alii *nervum*, alii *cippum.* Cippus autem fiebat ex tribus lignis; & in eo tria foramina, unum in quod collum immittebatur, & duo in quæ manus singulæ. Quidquid fuerit, carcer erat & locus tormenti. *Cataractam* nominant Græci. Theodoretus locum subterraneum. Ubi fuerit ille locus, quæstio est & difficillima. Porta quæpiam urbis erat, quæ dicebatur Benjamin; sed non erat *in domo Domini.* Diu est quod hæc difficultas animadversa est. Græci habent εἰς τὸν καταράκτην ὃς ἦν ἐν πύλῃ οἴκου ἀποτεταγμένου τοῦ ὑπερῴου, ὃς ἦν ἐν οἴκῳ Κυρίου. *In cataractam quæ erat in portâ domûs assignatæ cænaculi, quod erat in domo Domini.* ὑπερῷον, est cænaculum. In fonte est עלין. Hoc nomen indicat locum supremum, excelsum; quam significationem Græci Interpretes expresserunt. Advertendum quod Paraphrastes Chaldæus, ut tolleretur ambiguitas, addidit *in portâ tribûs Benjamin*, ut alia quàm urbis porta intelligeretur. Erat autem pars templi sita in tribu Benjamin, ut observavimus.

Omnium Gazophylaciorum sicut cæterorum ædificiorum dispositionem dederat David Salomoni, ut dicitur in Paralipomenis. lib. 1. cap. 28. *Dedit autem David Salomoni filio suo descriptionem porticus templi, & cellariorum & cænaculi.* In fonte עליתיו superiorum ejus; *& cubiculorum in adytis*, in fonte הפנימים interiorum, *& domus propitiationis. Nec non & omnium quæ cogitaverat atriorum & exhedrarum*, in fonte leschacoth *per circuitum in thesauros domûs Domini, & in thesauros Sanctorum.* Erant ædificia superiora, quoniam ista ædificia erant tristega. Multis in locis nominatur עליה *aliah* velut pars ædificiorum templi: Græcè ὑπερῷον; quod Latinus Interpres reddit *cænaculum.* Nomen illud denotat ædificium superius; quod esset in superiori parte domûs. Licet de templo usurpare quod de Roma dicit Vitruvius lib. II. cap. 8. *In ea autem majestate urbis & civium infinitâ frequentiâ innumerabiles habitationes opus fuit explicare. Ergo cùm recipere non posset area plena tantam multitudinem ad habitandum in urbe, ad auxilium altitudinis ædificiorum res ipsa coegit devenire.* Quamquam area templi spatiosa esset, non suffecisset capiendæ tantæ multitudini, nisi fuisset facta spatiosior ob cænacula.

Diximus לשכה *lischa* & reddi παστοφόριον, quæ vox deducitur à παστὰς, sive παστὸς, & juxta Pollucem idem sonat quod ἐξέδρα. Significat etiam παστὰς cænaculum, sive locum ubi cæna paratur, à πάσασθαι *cænare.* Quisque Judæus mundus poterat in templi conclavibus morari, habitare, etiam vitam degere religionis causâ. Ita quia Judæi in illis comederent, meritò dicta sunt παστοφόρια. Certè quæpiam ex *leschacoth*, sive conclavibus, dicebantur παστοφόρια, ut discimus ex iis quæ narrantur à Josepho lib. 5. de Bello cap. 9. quomodo Zelotæ qui templum occupaverant, diversas turres in eo excitaverunt. *Quarta verò turris supra verticem pastophoriorum condita erat* ὑπὲρ τὴν κορυφὴν κατεσκεύαστο τῶν παστοφορίων: *ubi moris est unum de Sacerdotibus astantem post meridiem, quod septimus quisque dies inciperet, tubâ significare: rursusque vesperi quod desineret; nunc ferias populo, nunc ut opus faciat denuntiantem.*

Pariter & *leschacoth* in versione Græcâ dicuntur *exhedræ.* Græci ergo Interpretes saltem quædam ex illis *leschacoth* putabant respondere Græcorum exhedris, & ideò appellanda isto nomine, quo Josephus utitur. Exhedrarum usus erat in Græcorum palæstris. *Constituuntur*, inquit Vitruvius lib. 5. c. 11. *in tribus porticibus exhedræ spatiosæ, habentes sedes, in quibus Philosophi, Rhetores, aliique qui studiis delectantur, sedentes disputare possunt.* Ubi de exhedris loquitur scriptor ille, exhibet amplissimas. *Pinacothecæ, uti exhedræ, amplis magnitudinibus sunt constituendæ.* l. 6. c. 5. Huicce ædificiorum generi apta

amplissima *leschacoth*; quæ frequentius appellabantur Gazophylacia. A Exhedrarum autem nomine illa potuere distingui, in quibus, uti in exhedris Græcorum, sederent & disputarent legis Doctores; qui potissimùm studio legis delectabantur. Domus illæ ab Hebræis dicuntur בית המדרש *Beth hamidrasch*; à verbo דרש quod quidem significat *quærere, inquirere, consulere*; sed apud Rabbinos est *concionari, concionem apud populum habere*, quòd id fiat inquirendo in sensum Scripturæ, *exponere scitè & argutè, allegoricè, variè de re aliquâ disceptare*. Verba sunt Buxtorfii in lexico Talmudico. Vocant Judæi, inquit Elias Levita in lexico quod inscripsit *Thisbites*, omne commentarium *Midrasch*, quod non juxta simplicem, sive literalem sensum scriptum est; B quo & nomine appellatur domus vel conclave, quod studio legis destinatum est. בית המדרש *Beth hamidrasch*. Licet intelligere pleraque gazophylacia, & ea quæ spatiosiora, inserviisse concionibus habendis; quæ itaque erant veluti domus doctrinæ *beth hamidrasch*. Nullus dubito quin in illis exhedris sæpè sæpiùs docuerit Dominus; qui apud Matthæum cap. 26. v. 55. dicit: *quotidie apud vos sedebam docens in templo*, ut in exhedris solet fieri, quæ nomen acceperunt à sedilibus suis. Alioqui quomodo in ipsis atriis docere potuisset, maximè in festorum solennitatibus, quando conveniebat hominum innumerabilis multitudo; nec ullus orator, quamquam firmorum laterum, exauditus fuisset. Nemo autem C miretur si ipse Dominus se ingereret in auditoria, ubi Pharisæi & Scribæ suos consessus habebant; cuique enim licebat interrogare, & respondere. Ista consuetudo etiam viguit in Ecclesiâ primis temporibus; ut videre est in primâ Epistolâ ad Corinthios cap. 14. ubi Paulus admonet Christianos, ut in disputationibus *omnia ad ædificationem fiant. 27. Sive linguâ quis loquitur, secundùm duos, aut ut multùm tres, & per partes; & unus interpretetur. 28. Si autem non fuerit Interpres, taceat in Ecclesiâ, sibi autem loquatur & Deo. 29. Prophetæ autem duo, aut tres dicant: & cæteri dijudicent. 30. Quòd si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat.* Cùm id consuetum esset, Paulus in Actis cap. 24. probabat D Felici Præsidi se ante duodecim tantùm dies Hierosolymam advenisse, quòd Judæi eum non invenissent in templo ἐν τῷ ἱερῷ cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ.

Quin & licebat piis mulieribus in hisce exhedris miscere de Deo sermones. Sic Anna filia Phanuel Prophetissa, hoc est, docta, sive quæ alios poterat edocere, frequenter de Christo loquebatur omnibus qui expectabant redemptionem Israël. Plerique viri pii conveniebant in exhedrâ, in quâ hæc pia vidua quæ in Scripturis perita erat, soleret sedere & docere. Lucas enim, cùm egisset de occursu Simeonis senis, loquitur de illâ Prophetissâ c. 2 v. 38 *Et hac ipsâ horâ superveniens, confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israël.* E Illud verbum ἐπιστᾶσα quod vertitur à Vulgato Interprete *superveniens* habet propriam vim, quam ille non expressit. Videtur derivandum ab ἴσημι *scio*; unde ἐπίσταμαι *peritus sum*, scio, & ἐπιστάτης magister; quo nomine Dominus appellatur. Quasi dicat Evangelista tunc eâ ipsâ horâ quâ Dominus in templo oblatus est, ipsam Annam scivisse rem omnem. Interpres Latinus ἐπιστᾶσα deduxit ex ἐφίσταμαι *advenio, supervenio*. In sensu quo accipio, Anna, cùm cognovisset adventum Domini, confitebatur Deo hac ipsâ horâ, gratias illi agens, & de ipso Messiâ loquens. Non ideo minùs verum est quod supervenerit Anna, sive astiterit præsens oblationi pueri Jesu & purgationi matris ejus. Et ad hunc locum pertinet quòd Jesus adhuc puer duodenis in aliquâ ex dictis exhedris inventus est cum Doctoribus disputans. Luc. cap. 2. v. 46. *Invenerunt illum in templo sedentem* ἐν τῷ ἱερῷ καθεζόμενον *in medio Doctorum, audientem illos & interrogantem eos.* Cùm plures essent exhedræ, sive domus doctrinæ, in quibus sedebant viri periti & pii, quos juvabat pios sermones de Deo habere vel audire, non mirum est si latuit Jesus parentes suos, qui putabant eum in aliquo comitatu esse, sive adjunxisse se cognatis & notis qui post celebrata festa Paschalia revertebantur; inter quos cùm non invenissent, Jerosolymam reversi, & perlustrantes omnes templi exhedras, tandem eum repererunt.

CAPUT X.

De atriis culinarum, & horum atriorum numero, mensuris, ollis, & de ligno quod ad alendos omnes templi focos colligebatur certis anni diebus.

SECTIO I.

De epulis sacris quæ ex lege fiebant in templo.

UT rerum, quæ ad templum Hierosolymitanum pertinebant, recta & vera notio percipiatur, avocandus est animus, ut sæpè innui, à consuetudine nostrorum templorum. Nunc in singulis urbibus plura referantur, quæ pro lubitu quisque adit; in quibus non alio quàm spirituali cibo pascimur. Dum lex Moysis viguit, ad epulandum viri pii congregabantur in templum, ut participes fierent victimarum quæ intra illud mactabantur. Harum quidem sanguine ara respergebatur; sed in plerisque sacrificiis, quædam partes earum reservabantur comedendæ ab iis, quorum nomine factum erat sacrificium. Singulæ sacrificiorum species habebant suos proprios ritus. Nonnulla erant omninò comburenda; quæ in holocaustum videlicet consecrabantur. In aliis, sanguis victimæ solùm effundebatur ad pedem altaris; carnes verò in levioribus sacrificiis in ædes privatas referebantur manducandæ; sed sanctiorum in ipso loco sancto comedendæ erant. Id lex claris verbis præcipit. Deus ubi in Deuteronomio vult omnes hostias ac decimas & primitias deferri in locum quem electurus erat, addit cap. 12. v. 12. *Ibi epulamini coram Domino Deo vestro vos & filii ac filiæ vestræ, famuli & famulæ*, &c. Eadem præcipiuntur cap. 14. v. 26. nempe decimis & primitiis venditis cum regiones undè proveniebant nimirùm urbe sanctâ dissitæ erant, pretium portandum erat, & ex eo comparandum quod offerretur Deo & comederetur in templo. *Et emes ex eâdem pecuniâ quidquid tibi placuerit, sive ex armentis, sive ex ovibus, vinum quoque & siceram, & omne quod desiderat anima tua. 27. Et comedes coram Domino Deo tuo, & epulaberis tu & domus tua: & Levites qui intra portas tuas est.* Pariter cap. 16. v. 11 ubi fit sermo de oblationibus spontaneis. *Et epulaberis coram Domino Deo tuo, tu & filius tuus, & filia tua, servus tuus & ancilla tua, & Levites qui est intra tuas portas, advena ac pupillus & vidua, qui morantur vobiscum, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi.* Maximè id observabatur in victimis pacificis, ut videre est in eodem Deuteronomio cap. 27. v. 7. *Et immolabis hostias pacificas, comedesque ibi, & epulaberis coram Domino Deo tuo.*

sacrificia leviora, ut innui, poterant comedi intra Hierosolymorum mœnia; sanctiora verò necesse erat comedere in ipso templo, ut declarat Maimonides in tractatu *Maasche corbanot*, sive de ratione sacrificiorum faciendorum, capite 11. n. 5. » Si quis, inquit ille, extra atrium de carne sacrificiorum sanctiorum comedisset id quod oleæ magnitudini se exæquaret, verberibus multaretur, » quia scriptum est: non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, & vini, & olei tui, primogenita armentorum & pecorum: » nam hoc » loco caveri ne quis extra atrium comederet de » carne victimarum pro peccato, & pro delicto, au» ditione acceperunt. Eâdemque ratione si quis ex» tra Hierosolymam comedisset sacrificia minùs sanc» ta, verberibus multaretur. Etenim Hierosolymæ » mœnia sacrificiis minùs sanctis erant idem, quod » murus atrii sacrificiis sanctioribus. Atque ejusdem » generis erat caro hostiæ pro peccato, & pro de» licto; ac reliquiæ festorum. Caro sacrificiorum » sanctiorum si extra murum atrii portaretur, si » caro sacrificiorum minùs sanctorum extra mœnia » Hierosolymæ, temerabatur, atque interdicta erat » in perpetuum, eaque si restitueretur in locum » suum, tamen ne comederetur interdictum erat; » tum si quis ex eâ comedisset, id quod adæqua» ret olivæ magnitudinem, verberibus coercere» tur, &c.

Præclarum est apud Philonem de hisce epulis sacris in loco sancto testimonium; ex quo liquet, quod adstruendum suscepimus, amplissima fuisse atria; & necessariò culinas plurimas & spatiosas fuisse parandas, ut coquerentur cibi tam innumerabili multitudini. Sic Philo loquitur in versione Latinâ libri secundi de Monarchiâ in initio. Statim indicat cur Deus unicum sibi templum voluerit dedicari; quia nempe unus est. » Ac nec apud privatos » quidem focos licet rem divinam facere, sed vel ab » extremis terris ad hoc templum proficisci juben» tur sacrificaturi, hac quoque de causâ quo mo» rum experimentum de se præbeant. Nemo enim » nisi castè pièque sacra facturus sustineat relictis » cum patriâ cognatis amicisque peregrinari & divel» li à necessariis conjunctissimisque affectibus. Id » verum esse apparet cuilibet. Innumeri enim ex » innumeris civitatibus terrâ, marique, ab Orien» te, ab Occidente, Septentrionibus, Meridie» que singulis festis ad templum hoc confluunt, » quasi ad quoddam commune refugium vitæ ne» gotiosæ ac tumultuariæ: ut ibi tranquillitate in» ventâ, remittant animum, sepositisque curis, » quibus per totam vitam gravantur, respirent pau» lisper degentes hilariter, conceptâque bonâ spe » vacent rei cumprimis necessariæ, sanctitati reli» gionique; inter se quoque novis conjuncti ami» citiis, & promiscuis epulis ac libationibus ἐπὶ τοσοῦ, » καὶ σπονδῶν, instauratâ firmatâque concordiâ.

Omnes ferè ritus Judaïcos Dæmon malus induxerat in idolorum templa; ita & videre est Gentiles agitantes sacra convivia, comedendo partem victimarum, quas idolis sacrificaverant. Paucis verbis describit Virgilius Regiam Pici, quæ templum erat: lib. 7. v. 170.

Tectum, augustum, ingens, centum sublime columnis
Urbe fuit summâ, Laurentis Regia Pici,
Horrendum sylvis, & relligione parentum.
Hinc sceptra accipere, & primos attollere fasces
Regibus omen erat: hoc illis curia templum,
Hæ sacris sedes epulis: hic ariete cæso
Perpetuis soliti patres considere mensis.

Ita & libro 8. v. 172.

Interea sacra hæc (quando huc venistis amici,)
Annua, quæ differre nefas, celebrate faventes
Nobiscum, & jam nunc sociorum assuescite mensis.
Hæc ubi dicta, dapes jubet, & sublata reponi,
Pocula, gramineoque viros locat ipse sedili:
Præcipuumque toro, & villosi pelle leonis
Accipit Æneam, solioque invitat acerno
Tum lecti juvenes certatim, araque Sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris.
Dona laboratæ Cereris, Bacchumque ministrant.
Vescitur Æneas simul & Trojana juventus
Perpetui tergo bovis, & lustralibus extis.

Non opus est plura attexere in hanc rem testimonia; sed prætermittere non decet locum ex Macrobio lib. 1. Saturnaliorum cap 10. *Philochorus Saturno & Opi primum in Atticâ statuisse aram Cecropem dicit, eosque Deos pro Jove, terrâque coluisse, instituisseque ut patresfamiliarum & frugibus & fructibus jam coactis passim cum servis vescerentur, cum quibus patientiam laboris in colendo rure toleraverant. Delectari enim Deum honore servorum contemplatu laboris.*

Ex illo antiquo ritu, quo qui victimam obtulerant, erant carnium ejus participes, argumentum petit Paulus scribens secundò ad Corinthios cap. 10. v. 18. *Videte Israël secundùm carnem*, quasi dicat, nos enim Christiani sumus secundùm spiritum Israëlitæ, *nonne qui edunt hostias participes sunt altaris?* Certè ex illo convivandi modo in locis sacris, id est, in templi exhedris, originem traxerunt Christianorum antiqua illa charitatis convivia ἀγάπαι, Quippe erant Christianæ charitatis testimonia. In illis ad morem veterum Judæorum, quem ex Philone suprà declaravimus, Christiani capiebant cibum cum exultatione, laudantes Deum. Quin & id fiebat à Christianis in ipso templo Hierosolymorum, initio Christianismi, ut dicit B. Lucas in Actis cap. 2. 46. de his qui se Apostolis adjunxerant. *Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis.* In fonte ἐν τῷ ἱερῷ: nempe in atriis & in exhedris templi, ubi sacra convivia agitabant de more; nam in fonte Græco legitur κατ' οἶκον *in domo*; templum autem dicebatur *domus Dei*, & simpliciter *domus*. Illud Vulgatæ *circa domos* non cohæret cum sensu, quem Lucas videtur voluisse significatum; quomodo enim perdurantes erant Christiani in templo, si discurrebant *circa domos* frangentes panem? In Græco fonte legimus. Καθ' ἡμέραν τε προσκαρτεροῦντες ὁμοθυμαδὸν ἐν τῷ ἱερῷ, κλῶντές τε κατ' οἶκον ἄρτον, μεταλαμβάνοντες τροφῆς ἐν ἀγαλλιάσει καὶ ἀφελότητι καρδίας. Interpretarer Latinis his verbis. *Et per diem perseverantes unanimiter in templo* in atriis templi, *& frangentes in* ipsâ *domo* Dei *panem, sumentes cibum in lætitiâ & simplicitate cordis.* Ubi eversum est templum aut eo ejecti Christiani, quod prius in templo fiebat, in suis Ecclesiis, in synaxibus observaverunt. Priùs boum, ovium peracto sacrificio epulabantur, & quam in hexedris templi struebant, mensâ excipiebant non solùm filios, sed & servos & pauperes. Postea in ipsis Ecclesiis similiter paraverunt mensas, quibus post cœnam Dominicam celebratam, divites pauperibus permixti accumbebant & edebant. Ubique in scriptoribus antiquis mentio fit similis cœnæ; quæ ἀγάπη vel ἀγάπαι dicebatur. *Cœna nostra*, inquit Tertullianus in Apologetico cap. 39. *de nomine rationem sui ostendit. Vocatur enim* ἀγάπη, *id quod dilectio penes Græcos est.* In his conviviis priscum morem, quem vidimus à Deo institutum in Levitico, Christianos imitari voluisse

fuisse declarant verba B. Chrysostomi ex Homiliâ 27. in 1. Corinth. deprompta ex versione Latinâ. *Quoniam alii quidem pauperes erant, alii verò divites, sua omnia non in commune contribuebant, sed statutis diebus communes sternebant mensas, ut verisimile est, & synaxi absolutâ post mysteriorum communionem* τῆς συνάξεως ἀπαρτισθείσης, μετὰ τῶν μυστηρίων κοινωνίαν, *ad commune epulum omnes ibant, divitibus quidem cibos afferentibus, pauperibus verò & nihil habentibus ab ipsis vocatis, omnibusque simul convivantibus. Id præceperat Deus in Levitico, ut declaratum est. Et epulaberis coram Domino Deo tuo tu & filius tuus, & filia tua, servus tuus & ancilla tua, & Levita qui est intra portas tuas, advena ac pupillus & vidua.*

Post ædificatum à Salomone templum, ista convivia sacra celebrabantur in templi exhedris; ut liquet ex capite trigesimo quinto Jeremiæ, ubi narrat quomodo jussu Dei tentaverit Rechabitas ut vinum potarent. *Vade*, ait Dominus ad Jeremiam, *ad domum Rechabitarum, & loquere eis, & introduces eos in domum Domini, in unam exhedram thesaurorum, & dabis eis bibere vinum.* Nempe occasione alicujus epuli sacri vade & tenta hos Rechabitas. In his epulis pocula dividebantur, sive poculum magnum implebatur & quasi coronabatur, ex quo omnes qui intererant, bibebant. Morem hunc intuebatur Paulus, cùm in eo idem capite allegato aiebat Christianis v. 20. *Non potestis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum.* Quidquid sit, constat carnes in templo coctas fuisse in cibum eorum qui obtulerant Deo sacrificia; quem morem demonstrant quæ in primo Regum cap. 2. narrantur de filiis Heli. Locum juvat exscribere, & brevibus notis explicare.

12. *Porro filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum*, id est, Filii absque jugo, iniqui, legi Dei non subditi.

13. *Neque officium Sacerdotum ad populum: sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam in manu suâ.*

Pro eo quod Latinus Interpres dicit filios Heli ignorasse officium Sacerdotum, Græci posuerunt καὶ τὸ δικαίωμα τοῦ ἱερέως παρὰ τοῦ λαοῦ παντὸς τοῦ θύοντος. Ibi δικαίωμα משפט significat *judicium*, nempe Jus Sacerdotum, sive quid jure exigendum esset à populo sacrificante. Videlicet filii Heli Deum nesciebant, sive negligebant parere ejus legibus. Ab eo enim sancitum erat quid cederet Sacerdotibus ex sacrificiis, quæ offerebantur a populo, secundum legem Levitici cap. 7. v. 31. Sacerdotes è pacificis hostiis accipere debebant tantùm armum & pectusculum. Filii verò Heli majorem portionem accipiebant. Veniebant illi, vel famulus eorum impius, dum coquerentur carnes; res ergo transigebatur in loco sancto; & habebat fuscinulam, in fonte *tridentem*, sive instrumentum trium dentium in manu suâ.

14. *Et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, sive in cacabum: & omne quod levabat fuscinula, tollebat Sacerdos sibi. Sic faciebant universo Israëli venientium in Silo.*

Nomina illa vasorum non sunt synonima; sed indicant vasa diversa non solùm materiâ, capacitate, sed & usu. Quædam erant facta ad lavandas carnes. Primum nomen quod usurpatur in fonte כיור chijor, & hic redditur à Vulgato *lebes* propriè denotat *pelvim, concham*, in qua manus, pedes, aut quidpiam aliud lavari poterat; unde sæpius redditur a Græcis λουτήρ. Voluit ergo sacer scriptor indicare quod cùm puer Sacerdos aut Sacerdotis famulus accederet, immitteret fuscinulam suam in carnes, quocumque vase continerentur, sive in pelvi ut abluerentur, sive in alio genere vasis, in quo adipes separarentur, sive in ipsis ollis jam coquerentur. Iste puer auferebat quæ intelligeret magis esse accepta Sacerdoti. Sic faciebant universo Israëli, id est, omnibus qui ad Tabernaculum, quod tunc erat in Silo, veniebant sacrificaturi & epulaturi coram Deo.

15. *Etiam antequàm adolerent adipem, veniebat puer Sacerdotis, & dicebat immolanti: da mihi carnem, & coquam Sacerdoti: non enim à te accipiam carnem coctam, sed crudam.*

Vulgatus non expressit fontem Hebræum juxta quem dicebat puer: *da mihi carnem ad assandum, non enim accipiam carnem coctam* quæ non saperet palato Sacerdotis *sed crudam.* Deus interminatur vitam Israëlitis in Levitico cap. 7. v. 25. Si adipem comederent cremandum in altari: *Si adipem qui offerri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo suo.* Illi vero filii Belial non expectabant cremationem adipis, neque ipsius separationem à carne, licet expeteret is qui immolabat.

16. *Dicebatque illi immolans: incendatur primùm juxta morem hodie adeps, & tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua. Qui respondens aiebat ei: nequaquam: nunc enim dabis, alioquin tollam vi.*

Qui obtulerat Deo sacrificium respondebat, sine ut hodie juxta morem, qui ad hunc usque diem inviolatus perseverat, priùs separetur adeps, qui Deo debetur, incendendus in ejus altari: debitum sacrificii ordinem noli interturbare; sed puer Sacerdotis non sinebat detrahi adipem à portione quam sibi vindicabat; quia caro pinguis suavior est. Adipis autem concrematio, undè nidor in cælum ferebatur, erat instar primitiarum. Quâ de causâ Deus exprobrabat Heli quod filii ejus comederent primitias omnis sacrificii, sive saginarent se primitiis.

Munus videtur proprium fuisse Levitarum, ut coquerent in ollis carnes comedendas à populo. Scilicet ipsi ministrabant mensis; quod postea in Ecclesiâ Christianâ fuit officium Diaconorum; etenim injiunt Apostoli in Actis cap. 6. v. 2. *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei & ministrare mensis.* Ad id munus placuit eligere Diaconos. Hocce ministerium Levitarum adstruitur in secundo Paralipomenorum cap. 35.

11. . . . . *Et Levitæ detraxerunt pelles holocaustorum.*

12 *Et separaverunt ea, ut darent per domos & familias singulorum, & offerrentur Domino, sicut scriptum est in libro Moysi: de bobus quoque fecerunt similiter.*

13. *Et assaverunt Phase super ignem, juxta quod in lege scriptum est; pacificas verò hostias*, id est, hostias alias consecratas Deo, sive res quasi sacras, *coxerunt in lebetibus & cacabis & ollis, & festinatò distribuerunt universæ plebi.* Ergo necesse erat ut plures essent in templo culinæ; simul & ministri.

SECTIO II.

De culinis templi; & de ollis in quibus coquebantur carnes.

INterest ad magnificentiam templi recto judicio æstimandam, tum ad plura cognoscenda, quæ ad vetus & novum Testamentum pertinent, perpendere quî fieret ut tot viri ab omni orbis plagâ ad templum confluentes, possent in eo escas apparare & comedere unà. Quis enim locus licet spatiosus sufficiat disponendis ollis necessariis in qui-

bus coquerentur cibi, tricliniis in quibus tot indigenæ, tot advenæ, junctis innumeris societatibus epularentur, & lætarentur ritè juxta legem? Atrii Israëlitarum areas vidimus patentes, plura numero circa illas cubicula, sive exhedras, in quibus licebat cuique Judæo mundo commorari, cibum sumere, etiam vitam degere; sed difficultas circa culinas, & earum locum. Summus opifex hominis illas corporis partes, quibus ejiciuntur excrementa, avertit ab ejus oculis, pariter Architectus sapiens, quantùm potest, subtrahit conspectui culinas, & cavet ne fumo & tetro odore reliquum ædificium inficiant. Tot & capacibus ollis arcta conclávia haud apta fuissent; inprimis quia ex illis & igne qui subjiciebatur, exsurgeret plurimus fumus. Locus quem hisce culinis assignamus, in quatuor angulis tetragoni quo atria Israëlis continebantur, idoneus erat. Primùm enim quantùm fieri poterat removebatur ab oculorum conspectu intra conclavia conclusus, & tamen apertus, ut fumus exhalare posset.

Villalpandus culinas templi locat in crypto-porticibus, sive in subterraneis locis; Ezechiel verò declarat fuisse eas subdiales: Quomodo enim fumus & ollarum vapor ex crypto-porticu exhalare potuissent? Si quis respondeat viam patuisse per caminorum spiracula. Horum, si ulla fuissent, altitudo major erat, quàm ut permeare potuisset fumus, sursum ascendendo. Præterea talis via ignota erat antiquitùs, ut agnoscit ipse Villalpandus, observans post Philandrum nullum extare in antiquissimis ædificiis vestigium, quo constare possit cubicula, sive conclavia habuisse talia spiracula, sive gulas, undè fumus exiret, quæ vulgò camini dicuntur, Latinè verò infumibula nominari possent. His caminis nostris veteres caruisse probat Philander ex Vitruvio. Architectorum ille princeps lib. 7. cap. 3. docet in æstivis & exhedris, ubi minimè fumus est, nec fuligo potest nocere, ibi cælaturas esse faciendas. Argumentum est, inquit Philander, ædificia antiqua haud habuisse infumibula; quorum ope, ut nunc fit, sine periculo fuliginis conclavia potuissent exornari cælaturis & picturis.

Quomodo ergo Hebræi & aliæ gentes cavebant à frigore? Jeremias 36. 22. scribit de Joakim. *Rex autem sedebat in domo hyemali in mense nono, & posita erat arula coram* eo plena prunis. In fonte האח ἐσχάρα focus. Vernaculè *un rechaux*. Camini etiam à Latinis dicuntur; sed horum forma diversa, & alius usus, quàm hodiernorum. Cicero scribit Trebatio Ep. 10. lib. 7. *Valdè metuo, ne frigeas in hibernis. Quamobrem camino luculento utendum censeo.* Illi camini non erant, canalis, quo ignis è foco ascendens cum fumo excipitur, & extra tectum educitur innocenter. Luculentus caminus est ignis fomentis copiosis instructus. Sic apud Horatium, *oleum adde camino.* Sumitur caminus pro igne, sive pro foco. Caminus significat fornacem; quâ in significatione usurpatur in Apocalypsi cap. 1. v. 15. ubi describitur tota facies Angeli splendida. *Et pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti* habet Vulgata: in fonte Græco, *ardentes*, ἐν καμίνῳ πεπυρωμένοι. Struebatur focus etiam in mediis ipsis conclavibus, ut ostendunt illa verba scholiastis ad *Equites* Aristophanis αὐτὸ τὸ πῦρ, τουτέστι, μέσον τῆς οἰκίας καθεζόμενος. Item hæc Hesychii, λαμπτὴρ, &c. ἐσχάρα, ἐφ' ἧς ἔκαιον ἐν μέσῳ τῶν οἴκων. Quandoque in ipsâ mediâ aulâ; ut videre est in historiâ Evangelicâ focum in cavædio, sive in loco subdiali ædium paratum, ad quem Petrus cum militibus calefaciebat se, ἐν τῇ αὐλῇ, ut loquitur Matthæus cap. 26. v. 69. Vulgatus interpretatur *in atrio.* Dicat aliquis; igitur fumo domus oppletæ erant? Id ne contingeret, solebant antiqui uti lignis aridis quæ fumum non facerent; & ideò ἄκαπνα ligna nominantur apud Martialem, epigrammate cujus titulus est *ligna acapna*; & subjicitur sequens distichum.

Si vicina tibi Nomento rura colantur
Ad villam moneo rustice ligna feras.

Nempe ligna apta foco; quippe in agro Nomentano propter paludes ligna non erant sicca. Antiqui ligna oleo macerabant; ut præcipit Cato in libro de Re rusticâ cap. 130. *Codicillos, oleaginos, & cætera ligna amurcâ crudâ perspergito, & in sole ponito, perbibant benè.* Ita neque fumosa erunt, & ardebunt benè. In Vulgatâ apud Prophetam Baruch 6. 42. legimus mulieres meretrices quæ Babylonia idola colebant, *succendentes ossa olivarum.* In Græco fonte, si quidem periit exemplar Hebræum hujus Prophetæ, τὰ πίτυρα quod nomen Grotio videtur Hebræum פטרה, id est, *apertiones puta florum.* Aliis sunt furfures excrementa quædam, sive farinæ purgamenta quæ illæ meretrices suis diis adolebant. Vulgatus Interpres interpretatus est ossa olivarum nempe nucleum; quo incenso quis animum adduxit ut crederet focum ferveri acapnum.

Focus etiam mediis in ædibus struebatur; ne autem ignis corriperet contignationem, Columella, lib. 1. de Re rusticâ cap. 5. præcipit culinas locandas in cellis spatiosis & altis. *At in rusticâ parte magna & alta culina ponetur, ut & contignatio careat incendii periculo, & in eâ commodè familiares omni tempore anni morari queant.* Credo atria ad id apta fuisse; quæ ideò, ut dicit Servius, ab *atro* nomen accipiebant: porticus enim erant longæ, & idcircò excelsæ, quæ aperiebantur versus aream subdialem. Fateor ambiguam esse vocis *atrii* significationem. *Animadverti enim*, inquit Aulus Gellius lib. 16. cap. 5. *quosdam haud quaquam indoctos viros opinari vestibulum esse partem domus primorem, quam Vulgus atrium vocat.* Festus sic definit atrium; *propriè*, inquit, *est genus ædificii ante ædem, continens mediam aream, in quam collecta ex omni tecto pluvia descendit.* Certè ædificia erant ampla, ut docet nos Virgilius primò Æneidos.

Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria: dependent lychni laquearibus aureis.

Tum & in libro septimo, ubi describit ludum puerorum, qui agitant turbinem.

Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent.

Erant atria peristyla. Nomine peristylii significatur locus clausus columnis, circumquaque porticum habens. Varro de Linguâ Latinâ tale atrium peristylium nominat. *In ædificiis quod non videmus habere atrium* περίστυλον, &c. Talia atria apta erant culinis; & in similibus ædificiis locatas culinas templi protinus ostendemus. Nomen חצר *chatzer*, quod à Vulgato Interprete redditur *atrium*, non est obscurum; vidimus enim significare semper locum subdialem. In illis autem atriis quæ destinebantur culinis porticus esse poterant, in quibus ollæ disponerentur. Id evincemus verbis Ezechielis, quæ modò exponemus; sed priùs paucis sermo faciendus de ollis harum culinarum.

Non inquiram in formam harum ollarum, quam cognoscere non multi pretii esset; sed observabo cùm ministri templi sæpiùs versarentur circa has ollas, indè fieri ut non raro petantur ex illis parabo-

læ, & comparationes; quas quispiam fortasse ut viliores respueret, non intelligens figuras sermonis petendas à rebus quæ oculis subjacent. Itaque Ezechiel cap. 11. exprobrans principibus quod implevissent urbem Hierosolymorum cadaveribus eorum quos interfecerant, comparat urbem lebeti, & carnibus interfectos. v. 6. *plurimos occidistis in urbe hac, & implestis vias ejus interfectis; propterea hæc dicit Dominus Deus. 7. Interfecti vestri, quos posuistis in medio ejus, hi sunt carnes & hæc est lebes.* Adducit adhuc ollam idem Propheta cap. 24. in parabolam; & id jussu Dei v. 3. *Et dices per proverbium ad domum irritatricem parabolam, & loqueris ad eos: Hæc dicit Dominus Deus tuus: pone ollam: Pone, inquam, & mitte in eam aquam. Congere frusta ejus in eam, omnem partem bonam, femur & armum, electa & ossibus plena.*

Similiter alii Prophetæ ex usu ollarum adducunt similitudines; quia illæ sæpiùs obversabantur eorum oculis in templo. Ex vapore tot ollarum, templi, qui illas curabant, nigredinem facilè contrahebant; quâ tamen Deus servare poterat ministros templi, ut videtur Psaltes Regius observare in Psalmo juxta Hebræos 68. juxta Vulgatam 67. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, &c.* pro quo fons in versione Græcâ ἐὰν κοιμηθῆτε ἀναμέσον τῶν κλήρων. Notum quid Græce significet κλῆρος, *fors*, & quod sorte obtigit. In fonte Hebræo est שפתים *schepataim*; quod nomen à שפת *disposuit, ordinavit*, & videtur usurpatum in re culinariâ. Ubi Deus dicit Ezechieli in verbis quæ modò citavimus *pone ollam*, Propheta utitur hoc verbo שפת סיר, id est, *instrue, dispone ollam.* Forsan nomen *schepataim* erat al quod instrumentum deserviens ollis, vel lapis focarius, vel chrematra. Græci Interpretes ubique usurpant vocem κλῆρος, pro sorte, vel pro eis quæ in divisione sors offert; Quod cùm hîc vix sensum admittat, Latinus Interpres vocem Græcam reliquit ἀναμέσον τῶν κλήρων scribens: *inter medios cleros.* Græci videntur legisse משפטים *mischepathim*, id est, *judicia*, ideò opinatos hîc agi de portionibus terræ, quas ipsi solent appellare κλήρους sortes. Quidquid autem erat inter sortes, sive inter terras divisas, non excolebatur, sed negligebatur. Ergo Psaltes indicat situm ingratum. Quod magis apertè facit codex Hebræus hodiernus, qui Latinè sic exprimi potest: *etiamsi hactenus habitassetis, inter ollas:* vel inter ollarum lapides focarios, fulcra, chrematras. *eritis posthac ut pennæ columbæ argento obductæ, cujus alæ fulvæ sunt auro purissimo.* Vel hocce modo: etiam si diu jacueritis inter vasa plena fuligine, undè fumus plurimus exit, puriores & splendidiores apparebitis, quàm pennæ columbæ, quæ videntur argenteæ & aureæ. Scriptores gentium narrant ollas in delubris Deorum sponte effervescentes. Herodotus in Clio, sive in libro primo scribit obtigisse Hippocrati patri Pisistrati, magnum portentum dum Olympia spectaret. *Nam*, inquit, *cùm hostiam immolasset, ahena ut imposita erant plena carne & aquâ, absque igne efferbuerunt, ita ut aqua redundaret.* Hæc allego, ut constet in Deorum templis fuisse culinas.

SECTIO III.

De loco, numero, & mensuris culinarum, quæ Israelitarum usui deserviebant, juxta Ezechielem.

CUlinarum locum dixi fuisse in quatuor angulis atrii Israëlitarum areas subdiales cinctas peristylus, sive porticibus in quibus ollæ dispositæ. His porticibus nullum erat incendii periculum si quidem concameratæ, nec si contignationes ligneæ fuissent, ob altitudinem laquearium. Cùm autem illæ porticus paterent versus aream subdialem, nec opplebantur fumo qui ex illis liber exibat. Areæ etiam patentes. Olim credebam non tristegas fuisse culinarum porticus; ne fumus ad tantam altitudinem non posset ascendere; sed cùm peritus Architectus offenderetur inæqualitate ædificiorum quibus circumdederam atria, has culinarum porticus feci tristegas. Reipsa in gulis, sive in infumibulis nostris quæ angusta sunt, vix potest fumus superare altitudinem, eorum si magna sit; sed non eadem est ratio culinarum templi; quæ mediam aream magnam & subdialem concludebant. Hæc media area erat veluti infumibulum, quod ergo latum erat, & fumo liberum exitum dabât. In tristegis culinarum porticibus, puto tum in superioribus tum in inferioribus ollas dispositas, apparatos cibos, saltem Israëlitas accubuisse mensis; quæ plures numero fuerint necesse est, numerus enim convivarum erat infinitus. Quidquid sit, experiamur an huicce culinarum dispositioni faveat Ezechiel. Certè non adversatur in iis quæ de culinis templi dicit in capite quadragesimo sexto.

21. *Et eduxit me* Angelus *in atrium exterius, & circumduxit me per quatuor angulos atrii; & ecce atriolum erat in angulo atrii, atriola singula per angulos atrii.*

Angelus deduxit Ezechielem ab atrio interiori ad exterius, nempe Israëlitarum, quod comparatione atrii Sacerdotum ex quo egrediebatur Propheta, poterat dici exterius. Pro *circumduxit* versionis Vulgatæ, in Hebræâ veritate est *transire fecit;* quod indicat Prophetam non in solius orientalis atrii angulos fuisse deductum, quos uno conspectu videre poterat, sed ad cæteros angulos totius tetragoni, qui à se invicem removebantur, & abditi erant inter adjuncta gazophylacia. Scilicet singula illa atriola, ut videre est in ichnographia cum duobus proximis gazophylaciis faciebant gnomonem, sive normam. Ezechiel in illis quatuor angulis invenit חצר *aream* αὐλὴν, in singulis unam, quatuor חצרות *chatseroth*, atria quatuor in quatuor angulis. Latinus interpres posuit *atriola*, secutus Græcos qui, ut modo videbimus, quodque ex illis atriis vocaverunt μικρὰν αὐλὴν *aulam parvam.* Villalpandus, ut dixi, opinatus est illa atriola, sive minores aulas fuisse crypti-porticus. Sed præterquam in illis ædificiis subterraneis per illa fumus ascendere non potuisset; vox *chatseroth* juxta omnes versiones & vim propriam suam, non aliud significat quàm locum subdialem; qui itaque non tectus, non cameratus erat, ut crypti-porticus.

22. *In quatuor angulis atrii atriola disposita, quadraginta cubitorum per longum, & triginta per latum; mensurâ unius quatuor erant.*

In versione Græcâ Κατὰ τὸ κλίτος αὐλὴ ἐπὶ τὰ τέσσαρα, κατὰ τῆς αὐλῆς αὐλὴ μικρά. Ibi vocem Hebræam במקצוע Græci vertunt κλίτος latus; quæ alibi vertitur ab eis γωνία *angulus.* Satis clarè innuunt in quatuor lateribus, sive partibus, sive angulis atrii Israëlitarum

fuiſſe minus atrium, ſive minorem aulam; legerunt ergo קטנות חצרות *chatſeroth chetonot*, id eſt, minora atria; nunc verò hodiernus codex Hebræus habet קטרות חצרות *chatſerot cheturot*. Utramque lectionem Vulgatus Interpres ſecutus eſt; cum Græcis poſuit *atriola*, id eſt, atria parva, cum Judæis addit *diſpoſita*. Vox autem קטר *chathar* ambigua eſt. Significat quidem *ligare*, *conjungere*; quam ſignificationem Interpres Latinus videtur ſecutus, cùm dixit *atriola diſpoſita*. Verùm quoniam in conjugatione quam *pihel* Judæi grammatici appellant, *chitther* ſonat idem ac *fumum facere*, licet ſic interpretari Ezechielem, ut indicare voluerit hæc atria fuiſſe caminis inſtructa; videlicet circumdata fuiſſe focis, ſive caminis, in quibus ollæ erant locatæ. Fumoſa ergo illa atria, quoniam ibi erant culinæ. Parva erant illa atria comparata cum toto atrio. Ichnographia noſtra templi exhibet illa cum menſuris quas eis aſſignat Propheta. Longa ſunt quadraginta cubitis, lata triginta. Judæi contra expreſſa verba Prophetæ faciunt hæc atriola lata pariter ac longa quadraginta cubitos.

23. *Et paries per circuitum ambiens quatuor atriola. Et culinæ fabricatæ erant ſubter porticus per gyrum.*

Dixi culinas illas fuiſſe atria periſtyla; hoc eſt, areas ſubdiales, circa quas erant porticus fultæ columnis; & in illis poſitæ ollæ. Fons verti poteſt. *Et* טור *thur circumcirca in eis quatuor atriis: & culinæ factæ ſubter* טורות *thureth in circuitu.* Nomen טור redditur à Græcis ἐξέδρα; ſic exprimunt verſum integrum: καὶ ἐξέδραι κύκλῳ ἐν αὐταῖς, κύκλῳ ταῖς τέσσαρσι, καὶ μαγειρεῖα γεγονότα ὑποκάτω τῶν ἐξεδρῶν κύκλῳ. *Et exhedræ per circuitum in eis, per circuitum ipſis quatuor: & culinæ factæ ſub exhedris per gyrum.* Verſio illa deſcriptionibus noſtris conſentanea eſt. Nomen Hebræum *Thur* ubique in Scripturis denotat ſeriem, ordinem, & verſum. Sed non multùm diſcrepat à טיר quod ſignificat ſpeciem ædificii, arcem, etiam palatium; quod forſan legerunt Septuaginta pro טור. Duæ literæ vau ו & jod י facilè confunduntur. Igitur veriſimile eſt Prophetam ſignificatum voluiſſe quod circa atriola, ſive loca ſubdialia fuerint ædificia, videlicet porticus ſub quibus erant culinæ, ubi ollæ diſpoſitæ. Illa Thyroth vocat B. Hieronymus *accubita, quæ Aquila* στοάδας *interpretatus eſt: Symmachus* περιφράγματα; *Theodotio ipſum verbum poſuit* τιρὼθ *tiroth.* Hæc B. Hieronymus; quibus confirmatur Græcos legiſſe non טור ſed טיר. Theodoretus memorat circa illa atria ædificatas domos. ᾠκοδόμηντο δὲ παρ' αὐτὰς καὶ οἶκοι, ἃς ἐξέδρας ἐκάλεσεν, ἐν οἷς ἕψεσθαι παρηγγύησε τὰ τοῦ λαοῦ θύματα. *Apud quos* αὐλὰς *aulas ædificatæ domus erant, quas exhedras vocavit, in quibus populi ſacrificia coqui præcepit* Angelus. Culinæ ergo erant. B. Hieronymus putavit & ibi cœnam ſumptam: *& culinæ fabricatæ erant ſubter porticus per gyrum, vel propinqua habebant accubita: ut ubi cibi, ibi & menſarum præparatio.* Credo fuiſſe aliquod podium, quo porticus ſecernerentur ab atrio. Præterea fuiſſe, ſive ordinem, ſive ſeriem, ſive verſum ollarum; ut quoquo modo ſumantur verba fontis, noſtra deſcriptio non poſſit argui tanquam inepta & falſa.

24. *Et dixit ad me: hæc eſt domus culinarum, in quâ coquent miniſtri domûs victimas populi.*

Græci fideliter ſequuntur fontem Hebræum. Καὶ εἶπε πρός με, οὗτοι οἱ οἶκοι τῶν μαγειρείων, οὗ ἑψήσουσιν, ἐκεῖ οἱ λειτουργοῦντες τῷ οἴκῳ τὰ θύματα τοῦ λαοῦ. In his culinis coquenda erat pars victimæ oblatæ, quæ cedebat ei à quo illa oblata. Comedebatur enim in ſacro loco. Obſervatum eſt curam culinarum fuiſſe demandatam Levitis, cæteriſque qui in templo ex officio miniſtrabant. Ibi autem *domus culinarum* idem ſonat ac locus culinarum; lata enim ſignificatio eſt nominis *domûs* in Scripturâ. Expende, Lector, in delineationibus noſtris locum & formam horum minorum atriorum; quæ occupant quatuor angulos atrii Iſraëlis. Vide circa illa atriola porticus, ſub quibus putamus ollas commodè locatas.

SECTIO IV.

De lignis quæ colligebantur ad alendos templi focos.

PRæter illas atrii Iſraëlitarum quatuor culinas, aliæ erant deſtinatæ uſui Sacerdotum, quorum in atrio poſitæ erant; de quibus ergo remittendus ſermo ad librum ſequentem, in quo de hocce atrio diſſeremus. Antequam finem præſenti imponam, de focis diverſis, quibus opus erat in templo, breviter agam. Cùm miniſtri ejus nudis pedibus pavimento marmoreo ſemper inſiſterent, niſi interdum diſſolviſſent frigus, cruciati fuiſſent ventris torminibus. Ergo neceſſe erat ut multis in locis ſtruerentur foci. Præterea ex lege Dei ignis erat ſemper alendus in altari. Ne deficeret lignum, dies feſtus proprius inſtitutus fuerat, quo à diverſis plagis in templum comportaretur. Dies ille feſtus appellatur à Joſepho ξυλοφορία; de quo ſic loquitur in lib. 2. de Bello cap. 17. ubi narrat quæ contigerint, dum ipſi Hieroſolymitani inter ſe & in ipſa urbe præliabantur. Τῇ δὲ ἑξῆς τῶν ξυλοφορίων ἑορτῆς οὔσης, ἐν ᾗ πᾶσιν ἔθος ὕλην τῷ βωμῷ προσφέρειν, ὅπως μή ποτε τροφὴ τῷ πυρὶ λίποιτο ἀδιάλειπτον γὰρ ἄσβεστον ἀεὶ &c. *Deinceps vero adveniente eâ feſtivitate, quæ Xilophorias dicitur, in quâ mos eſt omnibus grandem lignorum materiem convehere ad templum, quatenus nunquam ignis deficiat eſca; ſemper enim inextinguibilis perſeverat, &c.* Feſtus quidem dies unus poterat deſtinari convehendo ligno, quod erat neceſſarium altari; ſed & plurimis aliis diebus colligebantur ligna, quibus opus erat tum in altari, tum in culinis Sacerdotum & populi. Dies illi enumerantur in tractatu Miſnaico *taanith*, ſive de jejunio. cap. 4. n. 5. ex interpretatione Danielis Lundii. « Tempus ligna offerendi, Sacerdotibus populoque obſervandum, novem omninò erat intervallorum. Primo namque die Niſan poſteri Arach, qui ex tribu Jehuda, ſua offerebant ligna. Vigeſimo die Tammus, poſteri David, qui ex tribu Jehuda. Quinto Abh poſteri Paroſch, qui itidem ex Jehuda. Septimo ejuſdem poſteri Jonadab, qui ex Rechab. Decimo ejuſdem, poſteri Senaa, qui ex tribu Benjamin. Quinto decimo ejuſdem, poſteri Satthu, qui ex tribu Jehuda, cumque iis Sacerdotes & Levitæ, ac omnes qui de tribu ſuâ incerti erant, cumque his poſteri Gonbe, qui cognominati ſunt ex piſtillo, poſterique familiæ, quæ cognomen traxit ex contuſione ficorum abſciſſorum, ligna ſua offerebant. Vigeſimo ejuſdem menſis, poſteri Pachat-Moab, qui ex tribu Jehuda. Vigeſimo Elul poſteri Adin, qui ex tribu Jehuda. Primo Thebeth, poſteri Paroſch iterum ſuam lignorum oblationem peregerunt. Primus dies menſis Tebeth ſtationis vices non recipiebat, eo quod Hallel in ipſo caneretur, oblatioque ſuperaddita ac lignorum perageretur. » Hæc diſtributio non omninò poteſt reputari commentitia. De colligendis enim lignis ad ignem altaris alendum Judæos Babylone reduces conveniſſe teſtatur Nehemias cap. 10. v. 34. *Sortes ergo miſimus ſuper oblationem lignorum, inter Sacerdotes & Levitas & populum, ut inferrentur in domum Dei noſtri per domos patrum noſtrorum, per tempora, à*

temporibus anni usque ad annum: ut arderent super altare Domini Dei nostri, sicut scriptum est in lege Moysi. Ista ligna portabantur in conclave, quod appellabatur lignorum; *quod*, ut dicitur in tractatu Middoth cap. 2. sectione 5. *ibi Sacerdotes immundi vermes in lignis perscrutarentur: omne autem lignum in quo vermis inveniretur, rejiciendum erat ab altaris tecto.* Usus autem erat illud rejectum lignum ad elixanda, coquenda, vel frigenda, quæ elixabantur, coquebantur, vel frigebantur; vel ad struendum ignem Sacerdotibus & Levitis ministrantibus, vel excubias hyemali tempore agentibus; ut dicit Ligfootius.

CAPUT XI.

Inhabitabatur templum à viris & mulieribus religiosis. In aliquo ex ejus conclavibus conclusi erant Apostoli, quando Spiritus sanctus die Pentecostes in eos delapsus est.

SECTIO I.

Licebat viris & mulieribus piis commorari in aliquibus conclavibus templi, quæ plurima erant & capacissima.

NOn semel diximus incredibilem religionem Judæis innatam fuisse primitùs in Tabernaculum postea in templum. Eo tempore quo sub pellibus Arca Dei fuit, mos erat piarum mulierum, ut cariores amici juxta Imperatorem suum tendunt; ita illas habitare sub tentoriis proximis Tabernaculo, cui operam utilem, & quæ eas decebat, navabant, quasi militantes Deo. Tales erant mulieres, quæ specula sua, tunc temporis ænea, ultro contulerunt ad conflandum æneum vas; de quo mentio fit in Exodo cap. 38: v. 8. *Fecit Moyses & labrum æneum cum basi suâ de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio Tabernaculi.* Quæ scilicet quasi excubias agebant circa Tabernaculum. Verbum צבאות *tsabeoth* propriè significat *militare*, vel *turmatim congregari*; undè sic variè redditur locus ille, *quæ instar exercitus congregabantur*, vel *quæ turmatim veniebant.* LXX Interpretes Græci vertunt νηστευουσῶν αἳ ἐνήστευσαν nempe *jejunantium quæ jejunaverunt ad ostium, &c.* Verisimile est lectum his Interpretibus non צבאר אשר צבות *tsabeoth ascher tsabeo*, quod legit B. Hieronymus, sed צמו אשר צמות *tsamoth ascher tsamou.* A verâ lectione forsan Græcos abduxit consuetudo, quæ eorum ætate invaluerat. Observatam videmus, dum Jesus Christus in terris versaretur. Nimirum mulieres religiosæ diu noctuque orationi & jejunio vacabant; quod faciebat Anna vidua: *Quæ non discedebat de templo jejuniis & obsecrationibus serviens die ac nocte.* Ἡ οὐκ ἀφίστατο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ νηστείαις καὶ δεήσεσι λατρεύουσα νύκτα καὶ ἡμέραν. Jejunando & precando serviebat, obiens pium munus, Deo ministrans λειτουργῶν; quo verbo Græci Interpretes reddunt verbum Hebræum *tsaba* in Numeris cap. 4. v. 3. sicut & nomen *tsaba* militia, pariter reddunt λειτουργία in iisdem Numeris capite 8. v. 24.

Indè liceret suspicari in loco Exodi allegato non alia legisse Græcos Interpretes, quàm quæ hodie legimus; sed cùm verbum fontis posset esse obscurum, potius rem te quàm verbum verbo expressisse; quia pars difficilior exercitii piarum mulierum, quæ erant in statione circa Tabernaculum, censeretur jejunium, ideo rem ipsam dixerunt, nempe Moysem conflasse labrum æneum è speculis mulierum jejunantium ad ostium Tabernaculi. Omnem machinam adhibent, qui se à nobis absciderunt, ne quidpiam reperiatur in veteri Testamento, quod laudatum & simile sit nostris piis virginum cœtibus, quæ aliâ omni abjectâ curâ Deo serviunt. Idcircò conantur persuadere has mulieres turmatim congregatas ad ostium Tabernaculi non alias censendas quàm puerperas quæ huc veniebant ut purgarent se & offerrent oblationes lege præscriptas. Quasi verò mulier modo soluta partu possit longis orationibus & jejuniis vacare; & ullus locus sit in Scripturis, sive ulla lex, quâ teneretur etiam unâ nocte cubare in templo. Libro enim primo Samuelis cap. 2. v. 22. clarè indicatur pias mulieres *tsabeoth* etiam noctu ad ostium Tabernaculi diversatas; ibi enim dicitur quòd audivenit Heli *quæ faciebant filii sui universo Israëli, & quomodo dormiebant* cubabant *cum mulieribus quæ observabant tsabeoth ad ostium Tabernaculi.*

Salomon studens ut Tabernaculo templum, quantum fieri poterat, simile esset, paravit conclavia quæ exhiberent illa tentoria, sub quibus degebant præcipui altarium ministri, Levitæ & Sacerdotes, in viciniâ Tabernaculi. Tum etiam talia pluria ædificia construxit, in quibus liceret religiosis mulieribus intra limites templi habitare; ut olim in vicinia Tabernaculi; & ideò obnoxiæ injuriis, quas illis intulerunt optimi parentis Heli pessima proles. Ædificia quibus atria templi circumdabantur, surgebant in altum. Plurima, si non omnia, τρίστεγα; sive trium contignationum; quæ incredibilem cellarum, exhedrarum, conclavium multitudinem complectebantur. Adeo ut quisquis dimetiatur ea, longitudinem eorum, latitudinem cum altitudine, facilè animadvertat pluribus fuisse locum, tum etiam ad pernoctandum, sive diu noctuque commorandum; nec ulli mirum videri possit quomodo in tot conclavibus, quorum numerus vix iniretur, Joas occultari potuerit; cujus historiam breviter supra perstrinximus, infra fusiùs explicaturi.

Dum templum stetit, cellæ ejus numero propè infinitæ, distinguebantur propriis nominibus, tum ab usu in quem paratæ, tum à rebus quæ in illo colligerentur, tum à personis magis insignibus, qui illas diu occupaverant, vel exornaverant, ut modo dicebamus. In illis autem bibebant & manducabant, ut videre est in historiâ Rechabitarum, quos cùm Jeremias jussu Dei introduxisset in templum, ad Gazophylacium filiorum Hanan, ut ipse Jeremias narrat cap. 35. *Posuit coram eis scyphos plenos vino, & calices, & dixit ad eos: bibite vinum.* Ibi ergo reperiebatur vinum, & solebant Judæi comedere & bibere; cujus rei argumentum est quod & de se scribit Esdras libro 1. cap. 10 6. *Surrexit Esdras ante domum Dei, & abiit ad cubiculum Jonahan filii Eliasib, & ingressus est illuc, panem non comedit & aquam non bibit; lugebat enim transgressionem eorum, qui venerant de captivitate.*

Indubitatum ergo est fuisse in templo complura ædificia, non ostentationi, sed necessario usui parata, in quibus viri pii & religiosæ mulieres poterant in religionis exercitiis vitam degere; & tempus omne suum impendere tum recitandis Dei laudibus, tum piis sermonibus, perlegendis sacris codicibus, exponendis & illustrandis, quod faciebat Anna Phanuelis; *quæ confitebatur Domino* gratias Deo agebat, & celebrabat Christum ejus, *& loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israël.* Baronius & plerique alii sentiunt etiam in primis temporibus fuisse cœtus piarum virginum, quæ in templo degerent reclusæ. Non adstruo; non nego;

ſed dico eos errare qui his, ſive virginibus, ſive viduis, & aliis piis mulieribus vindicant quaſi proprias, has ædiculas quas Salomon ſtruxit circa ædem ſacram, veluti eriſmas ad illam corroborandam, ut copiosè dicturi ſumus ſuo loco. Forſan huc uſque penetrare nec licitum mulieribus; locus enim ſanctior, ideo ſolis acceſſibilis Sacerdotibus. Niſi quis contendat quod poſtica illa templi nullibi adſtruantur ſanctiſſima. De brevibus autem illis ædiculis nullum occurrit argumentum in virginum uſus fuiſſe paratas. Quin & anguſtiores, ut liquet ex earum dimenſionibus, quàm ut inhabitari potuerint. Attamen plurimi ſunt qui in his vel in aliis cellis contendentes fuiſſe cœtus recluſarum virginum, adducunt locum ex ſecundo Machabæorum cap. 3. v. 19. ubi cùm impius Heliodorus voluit vim templo inferre, & omnes gregatim de domibus confluerent, publicâ ſupplicatione obſecrantes pro eo quod in contemptum locus eſſet venturus, addit ſcriptor hujuſce hiſtoriæ. *Accinctæque mulieres ciliciis pectus per plateas confluebant; ſed & virgines, quæ concluſæ erant, procurrebant ad Oniam; aliæ autem ad muros, quædam verò per feneſtras aſpiciebant.* Senſus eſt in eâ publicâ calamitate etiam virgines, quæ non ſolent foras prodire, ſed concluſæ domi manent, ideò dictæ Hebræis עלמות *almoth*, id eſt, *occultæ*, *abditæ*, ut eo in loco appellantur αἱ δὲ κατάκλειστοι τῶν παρθένων: ſenſus, inquam, eſt etiam virgines cum cæteris domo egreſſas eſſe. Sic Gloſſa ordinaria interpretatur. *Virgines quæ concluſæ erant, id eſt, de domibus parentum non exibant, ratione verecundiæ, & pudicitiæ virginalis: tamen in illâ turbatione exibant præter morem ſolitum currentes ad Oniam.* Adjungitur tamen alia expoſitio, quæ Baronio & aliis magis placuit. *Aliqui tamen exponunt hoc, dicentes, quod aliquæ virgines nobiles propè templum cuſtodiebantur incluſæ, uſque quo nuptui traderentur.* Quidquid ſit, viris & mulieribus religioſis licitum fuit commorari in aliquibus conclavibus templi.

SECTIO II.

Illud ὑπερῷον cænaculum in quo Apoſtoli ab Aſcenſione concluſi manſerunt uſque ad Pentecoſtem, cùm deſcendit in eos Spiritus, non erat domus privata, ſed templi aliquod conclave.

QUod virorum doctorum mentem ante plures annos ſubiit, adductus ſum ut crederem, videlicet illud ὑπερῷον *cænaculum* ad quod aſcenderunt Apoſtoli, Jeroſolymam reverſi poſt Domini Aſcenſionem, fuiſſe aliquod ex templi conclavibus. Id innuere videtur B. Lucas in Evangelio & in Actis. Hiſce verbis claudit Evangelium ſuum, brevi ſermone complectens quæ fecere Apoſtoli, ſtatim ac Dominus cælos aſcendit. *Et ipſi adorantes, regreſſi ſunt in Jeruſalem cum gaudio magno: & erant ſemper in templo, laudantes & benedicentes Deum.* Ἦσαν διαπαντὸς ἐν τῷ ἱερῷ. De eâdem re agens in Actis cap. 1. Non iiſdem quidem verbis utitur, ſed rem eandem ſignificatam vult. *Tunc reverſi ſunt Jeroſolymam à monte, qui vocatur Oliveti, qui eſt juxta Jeruſalem, ſabbati habens iter. Et cùm introiſſent in cænaculum, aſcenderunt ubi manebant Petrus & Joannes, Jacobus & Andreas, &c.* Græcus fons limpidior eſt. Καὶ ὅτε εἰσῆλθον, ἀνέβησαν εἰς τὸ ὑπερῷον, οὗ ἦσαν καταμένοντες ὅ, τε Πέτρος, καὶ Ἰάκωβος, καὶ Ἰωάννης. *Et cùm introiſſent* nempe in urbem, vel in templum, in quo dicit Lucas Apoſtolos manſiſſe, ſemper laudantes & benedicentes Deum, *aſcenderunt in cænaculum, ubi erant perſiſtentes*, ſcilicet, *Petrus, & Jacobus, & Joannes.* Cænaculum eſt pars ſuperior domus; ita Apoſtolos non poteſt dici aſcendiſſe εἰς τὸ ὑπερῷον cænaculum in recto ſingulari, niſi intelligatur aliquod famoſum cænaculum; quod ſatis intelligeretur. In fine libri ſequentis videbimus cænaculum templi, ſive ædis ſacræ fuiſſe celebre. Erat enim quaſi templum ſuperius impoſitum inferiori templo. Sed hîc evincam, tantummodo partem fuiſſe templi illud cænaculum in quod aſcenderunt Apoſtoli. Illa, ἦσαν διαπαντὸς ἐν τῷ ἱερῷ *erant ſemper in templo*, & quæ hic idem Lucas dicit ἦσαν καταμένοντες *erant permanentes* conciliari haud poſſunt, niſi τὸ ὑπερῷον cænaculum fuerit pars templi. Vulgata quidem verſio hunc ſenſum præfert, quaſi illud cænaculum fuerit domus aut pars domûs *ubi manebant Petrus & Joannes*; ſed ſenſus fontis Græci eſt Apoſtolos aſcendiſſe in cænaculum ubi perſiſtebant Petrus & Joannes, videlicet ubi omnes Apoſtoli perſeveranter commorabantur. Petrus & Joannes & alii Apoſtoli; de quibus ſubjicitur v. 14. *Hi omnes erant perſeverantes unanimiter in oratione cum mulieribus & Mariâ matre Jeſu & fratribus ejus.* Si perſeverantes προσκαρτεροῦντες non diſcedebant ex eo loco in quo concluſi & ſimul ex templo non diſcederent; neceſſe eſt, ut in ipſo templo tunc fuerint concluſi.

Vulgò creditur Apoſtolos poſtquam Dominus cælum repetiit, perculſos metu in aliquâ privatâ domo delituiſſe uſque ad diem Pentecoſtes. *Domum ingreſſi ſunt*, inquit Theodorus Beza, *quam ſibi Eccleſia eo tempore ad communem cogendum cœtum delegerat, quæcumque tandem ea fuerit: nam iſta ſcrutari curioſorum eſt hominum. Quod autem Nicephorus ineptus & ridiculus Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptor ex Evodio quodam prodidit, hanc videlicet fuiſſe domum Joannis Evangeliſtæ Zebedæi filii, in quâ etiam poſtremum Paſcha egerit Dominus, id ne veriſimile quidem eſt. Quod ſi divinandum hîc eſſet, exiſtimarem potiùs domum fuiſſe Mariæ matris Joannis cognomento Marci, cujus ſit mentio infra*, cap. 14. v. 12. Ex moribus ſuis & ſuorum judicavit Beza de Apoſtolorum primo inſtituto; ſed temerè. Apoſtoli enim protinùs ſeſe non abſciderunt ab Eccleſiâ Judaicâ. In ipſo templo, ubi publico cultu Deus adorabatur, perſeveraverunt, donec intra ejus parietes acciperent Spiritum ſanctum, & ab eo in omnem terrarum orbem mitterentur. Hoc ante me animadverterunt & probaverunt viri inter Calviniſtas peritiores, nimirum Joannes Cloppenburgus & Ludovicus de Dieu; quorum ego in eâ re ſententiam ſequor; & quia Eccleſiæ Catholicæ intereſt pro verâ haberi, conabor argumentis confirmare.

Cænaculum illud de quo agitur, ubicumque & cujuſcumque fuerit, ſive attinuerit ad Joannem, vel ad Mariam matrem Joannis cognomento Marci, certè pars non erat domus anguſtæ, qualem habitabant viri pauperrimi, & qui arte piſcatoriâ victum quæritabant, quam artem profitebantur Apoſtoli. In eo loco concludebantur centum viginti homines, ut dicit B. Lucas cap. 1. v. 15. *Erat autem turba hominum ſimul ferè centum viginti.* An obſcura & anguſta domus cenſeri poſſet, cujus cænaculum caperet tantam turbam? Procul dubio non idonea fuiſſet latebris, quippe conſpicua. Vix in procerûm Judæorum ædibus laxiora conclavia potuiſſent reperiri. Certè ſi Apoſtoli ſibi cautum voluiſſent, non in tantam multitudinem fuiſſent congregati, cui capiendæ locus deligendus erat magnus & ideo conſpicuus.

Ergo ſtatuere licet τὸ ὑπερῷον cænaculum ad quod aſcenderunt Diſcipuli, non fuiſſe domum propriam Petri, nec alterius, ſive Apoſtoli, ſive Diſcipuli,

sed locum celeberrimum hacce appellatione τοῦ ὑπερῴου cænaculi notissimum. Etenim B. Lucas nulla mentione factâ privatarum ædium dicit Apostolos ascendisse εἰς τὸ ὑπερῷον *in cænaculum*; quod nomen nisi emphatice usurpet, & sine ullo alio addito indicaret aliquod speciale cænaculum, obscurus & imperfectus esset sermo ejus. Nemo dixerit de quibusdam hominibus loquens eos ascendisse in cænaculum, nisi priùs significaverit quaspiam ædes, quarum hocce cænaculum pars sit. Quapropter Gallici Interpretes inserunt verbis B. Lucæ id sine quo sermo ejus in vulgari ejus interpretamento imperfectus est. Nominant quampiam domum: *Et étant entrez dans une maison, ils monterent à une chambre haute.* Sic illi Interpretes supplent, quod putabant deesse. Sed isto additamento potest carere locus ille acceptus juxta meliorem sensum. Plenus, inquam, est sermo B. Lucæ; Christianis enim quibus scribebat, ignotum non erat fuisse locum in templo quod emphaticè appellabatur ὑπερῷον *cænaculum*; sic multa nomina privatis ædificiis communia, cùm sine addito efferebantur, fiebant propria templo. Ita *paries* apud Isaiam nominatus, si fidem faciamus Paraphrastis Chaldæis, interpretandus est de templi pariete cap. 38. v. 2. *Et convertit faciem suam ad parietem, & oravit ad Dominum*, id est, *ad parietem domûs Sanctuarii*, juxta interpretationem Paraphrastis Chaldæi.

In genere ὑπερῷον pars est superior domûs τὰ μετέωρα τῶν οἰκημάτων; quod latinè dicebatur *cænaculum*, in quo cænaretur; vel ut alii putant, sic pars superior domûs dicta est *cænaculum* quasi *scandaculum*, quia scalis ascenderetur. In Græcâ versione, iis Scripturæ locis in quibus sermo est de templo, vox ὑπερῷον respondet voci Hebrææ עליה *aliah*, quæ significat locum superiorem. Consulantur concordantiæ Hebraïcæ & Græcæ. In quocumque ædificio erat ea pars, à frequentiâ & conspectu hominum remotior. Itaque apud Homerum mulieres ἐν ὑπερῴῳ collocantur; & cùm Daniel rescivisset edictum a Rege ne Deus coleretur, *ingressus est domum suam & fenestris apertis in cænaculo suo* בעליתה ἐν τοῖς ὑπερῴοις nempe clam, *contra Hierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua & orabat.* Daniel capite 10. v. 6. Degebat Sarra filia Raguelis more fœminarum ἐν τῷ ὑπερῴῳ in superiori parte domûs. Tob. cap. 3. v. 10.

Joannes Gregorius in suis notis & observationibus criticis multa colligit testimonia, quibus probat solitos Judæos sic ascendisse εἰς τὸ ὑπερῷον ædium suarum, nempe in superiora cubicula sua ut orarent. Scilicet quia secedebant à turbâ & tumultu. Remotissima à solo loca magis apta sunt orationi & studio; indè Hebræi appellabant sapientes filios עלייה, id est, τοῦ ὑπερῴου *cænaculi*. Indè, inquam, scriptor allegatus contendit tantùm à Lucâ significatum Apòstolos ascendisse in superiora domûs in quâ conclusi erant, ut semoti à tumultu vacarent orationi. Id quidem dici posset, si aliundè Lucas non adstrueret toto eo tempore Apostolos non discessisse à templo; & in tanto numero potuissent clam congregari in aliquâ domo privatâ. Præterea circunstantiæ omnes, ut modò videbimus, Spiritus sancti descendentis in Apostolos demonstrant rem actam in templo, in quo non insuetum nec mirum erat plurimos viros religiosos congregari & commorari. Id moris fuisse vidimus. Certum est Apostolos se hominum conspectui substrahere voluisse, & in loco orationi apto versari; quod liquidò dicit Lucas in fine Evangelii. *Erant semper in templo laudantes & benedicentes Deum* Διαπαντὸς ἐν τῷ ἱερῷ αἰνοῦντες καὶ εὐλογοῦντες τὸν Θεόν quod in Actis nisce verbis exprimit προσκαρτεροῦντες ὁμοθυμαδὸν τῇ προσευχῇ καὶ δεήσει. *perseverantes unanimiter in oratione.* Tale erat pium exercitium mulierum *tsabeoth*, sicut Annæ. Interpretamur verba B. Lucæ in propriâ suâ significatione; dicimus enim Apostolos à die Ascensionis non recessisse à templo usque ad Pentecostem. Vim inferunt verbis ejus interpretantes illa de tempore quod secutum est Pentecostem, cùm Apostoli liberè & audacter frequentaverunt templum. Nulla res mentem avocat ab eo quod dicimus ibi fieri sermonem de diebus quæ præcesserunt Pentecostem. Evangelista in fine Evangelii sui complectitur ea quibus complevit Dominus cursum vitæ in terris, antequam mitteret suum spiritum in Apostolos; enarraturus in Actis, quæ postea secuta sunt. Significat Apostolos permansisse in templo à die Ascensionis intra parietes ejus, expectantes quem illis Dominus promiserat spiritum.

SECTIO III.

Quæ enarrantur in Actis circa Spiritûs sancti in Apostolos illapsum, de loco, de die, & horâ hujus illapsus, tum & de populi concursu ad sonum qui editus est, demonstrant rem peractam in templo.

QUocumque in loco, quibusve in ædibus fuerit illud cænaculum, ad quod sese receperunt Apostoli post Domini Ascensionem, certum est totum illud cum ædibus concussum fragore, quo vicinia personuerit, cùm delapsus est in eos Spiritus sanctus. *Et cùm complerentur dies Pentecostes* ipsâ die quâ completus est numerus septem hebdomadarum: In ipsâ, inquam, quinquagesimâ die, *erant omnes* Apostoli & Discipuli *pariter in eodem loco*, in eodem cænaculo: In Græco fonte ἐπὶ τὸ αὐτό, id est, simul congregati, in eâdem camerâ. Sic illud ἐπὶ τὸ αὐτό sumendum est; ut in primâ Epist. ad Corinth. cap. 11. v. 20. *convenientibus vobis in unum* ἐπὶ τὸ αὐτό. *Et factus est repentè de cælo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant sedentes.* Non dicitur totam urbem Hierosolymam fuisse commotam, sed solam domum ubi erant Apostoli sedentes. Adeò ut sonus qui tunc editus est, excitare non potuerit nisi viciniam, ubi audiri potuit. Undè ergo sono audito tantus & tot populorum concursus statim factus est ad locum undè sonus ad aures eorum venerat? Neque enim pauci aggregati, nec omnes erant Hierosolymitani, sed ex omni natione quæ sub cælo est, quos variis linguis Apostoli allocuti sunt. *Repleti sunt enim omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Erant autem in Jerusalem habitantes Judæi viri religiosi ex omni natione quæ sub cælo est. Factâ autem hac voce, convenit multitudo & mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque linguâ suâ illos loquentes.* Sunt qui supponunt Apostolos postquam Spiritus sanctus delapsus est egressos domo in qua erant, rem quæ sibi obtigerat disseminasse; & hujus rei rumore plerosque excitatos accurrisse. Si intelligeretur tantummodò rumor non esset causa cur accurrissent plerique, contenti rem cognoscere quæ narrabatur. Ideo decet interpretari hocce in loco non pro sermòne, sed pro voce quæ aures fortiter pulsaret, ut cùm dicitur in Evangelio *facta est vox de cælo*; ut ipsa vox, & non solus rumor plurimos advocaverit.

Si illæ ædes in quarum cænaculo Apostoli latebant, fuerunt privatæ in aliquo Hierosolymorum vico & obscuro; quippe qui latebras quærerent, quomodo illico concursus factus est tot Judæorum

ut nulla fere gens abfuerit. Tunc enim adfuêre A *Parthi, & Medi, & Ælamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Judæam & Capadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphiliam, Ægyptum & partes Lybiæ, quæ est circa Cyrenen, & advenæ Romani. Judæi quoque & proselyti, Cretes & Arabes.* An quis adducere animum possit, ut credat Apostolos cùm latere vellent, ut vulgò dicitur, domum elegisse in cujus viciniâ aliqui ex singulis nationibus versarentur? An vicus obscurus esse poterat, ubi tot diversi populi frequentes erant? sed nec sinebat religio festi ut eâ horâ populi illi abessent templo, ad quod venerant obtemperaturi legi. Tribus enim omni in anno vicibus Judæi omnes apparere tenebantur coram Domino in templo. Videlicet in Paschate, in Pentecoste, & in festo Tabernaculorum.

B

Tunc cùm descendit Spiritus sanctus in Apostolos, instabat hora tertia, ut Petrus significat, respondens his, quibus Apostoli sic loquentes variis linguis *musto pleni* videbantur. *Non enim*, inquit Petrus, *sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cùm sit hora diei tertia.* Apud Judæos dum stetit templum, semel atque iterum singulis diebus sacrificium Deo offerebatur, nempe mane & vesperi: sacrificiorum autem vice, ubi ista fieri non poterant, preces ad Deum offerebantur. Preces autem matutinæ, ut nos docet Maimonides, concipiebantur ab oriente sole ad horam tertiam. cap. 1. Sect. 2. *de Sacrificiis jugibus.* Itaque eâ horâ quæ tertia erat, vel in synagogis Judæi religiosi occupabantur precibus Deo offerendis; vel quod magis verisimile est, omnes intererant in templo, ubi jugibus & ordinariis sacrificiis adjungebantur extraordinaria, quæ lex præcipiebat offerri in die Pentecostes. C

Quæ cùm ita sint, & instante horâ tertiâ frequentes essent Judæi in templo, ex omni natione quæ est sub cælo, quia sic jusserat Deus ut Judæi omnes ad festum illud Pentecostes concurrerent, quam inquirimus causa aperta est; quâ factum sit ut descensionis Spiritus sancti tot testes adfuerint. Eâ die & horâ omnis Israëlita pius morabatur in templo. Judæi hisce temporibus fuerant per omnes mundi plagas disseminati; in festis ergo diebus, D vix ulla erat natio, ex quâ aliquis Judæus templum non frequentaret. Itaque cùm, descendente Spiritu sancto, illud personuit, non mirum est si sonus ille auditus fuerit à diversæ nationis & linguæ populis. Igitur quæ difficilia sunt, nec possunt concipi in opinione eorum, qui privatâ quapiam domo volunt Apostolos tunc conclusos fuisse, fiunt plana & aperta, ubi admittitur nostra sententia; maximè si cænaculum fuerit impositum ædi sacræ; quod cùm altum esset, quippe centum cubitorum, & nullis aliis ædificiis circumdatum, commoveri potuit cum tanto fragore, quem facilè adverterunt omnes qui tunc morabantur in atriis Israëlitarum. Commotio ubicumque facta sit, omnes eduxit ex conclavibus, cellis; & concurrerunt versùs locum a quo sonus exortus fuerat. Sive ergo ipsi ingressi fuerint cænaculum in quo erant Apostoli, sive illi ipsi descenderint in aulam, multos potuêre habere obvios, quos compellando variis linguis, dum ad quæsita respondebant, miraculum vulgatum est, quia unusquisque audiebat eos linguâ suâ loquentes. E

Sed quispiam dicat, si res agebatur in templo, cur B. Lucas id non significavit; sive potiùs indicavit domum privatam: loquens enim de sono quem assimilat vento vehementi, simpliciter dicit replevisse totam domum τὸν οἶκον, ubi erant sedentes Apostoli. Respondeo templum ibi emphaticè appellari *domum*, nempe Dei. Sic solet loqui B. Lucas. Nam quod dicit Matthæus capite 23. v. 35. *Inter templum & altare.* Μεταξὺ τοῦ ναοῦ καὶ τοῦ θυσιαστηρίου, repetit his verbis Lucas cap. 11. v. 51. μεταξὺ τοῦ θυσιαστηρίου καὶ τοῦ οἴκου. Multis in locis observavimus templum appellari *domum Dei*: prolata sunt testimonia. Sed ibi per *domum* τὸν οἶκον intelligere licet cænaculum, exhedram, in quâ congregati erant Apostoli. Nam οἶκος domus sumitur a Græcis pro exhedrâ, & pro nobili parte domûs, in quâ cænarent, dormirent. *Sin autem exhedræ aut œci quadrati fuerint, &c.* Vitruvius libro 6. capite 5. œcos & exhedras confundît, quod & alibi facit. Videre est apud Pollucem lib. 1. cap. 8. œcon dici triclinion, pentaclinon & decaclinon, ex lectorum numero. Nullus itaque dubitandi locus est, quin B. Lucas dicens totam domum, ubi Apostoli sedentes erant, repletam Spiritu sancto, intelligere potuerit ipsam in quâ erant congregati.

His omnibus adjungendum, quod si privatæ fuerint illæ ædes, in quibus tunc erant Apostoli, non benè amovebant à se opinionem, quod non essent musto pleni. Argumentum petebat Petrus ex horâ tertiâ, quæ nondum præterierat; cujus argumenti vim perpendamus. Concurrunt populi ad ædes undè audierant sonum: musto plenos credunt Apostolos; quia vident quemque non uti sermone Hebræo & noto. Quomodo purgat se Petrus? Nimirum admonet eos à quibus accusatur, nondum præteriisse tempus, ante quod non solvitur jejunium. *Non enim sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cùm sit hora diei tertia.* Quasi dicat: juxta leges nostras nemo comedit die festo, nisi post solutum conventum, cùm à templo vel à synagogâ regressus est. Apertum est & validum argumentum, si tunc Petrus versabatur in templo: sed intra privatas ædes quæ res obstitisset quominus diem frangerent, sive solverent jejunium ante illam horam. Diebus autem sabbati, populus qui ad synagogam convenerat, ut sacrorum librorum lectioni atque orationibus interesset, non dimittebatur ad prandium, nisi horâ sextâ; de quo more nos certissimos facit Josephus in libro de Vitâ suâ. Cùm memorans magistratûs quandam concionem, quâ quosdam cives in suam sententiam pertraxerat, subdit. *Plebs autem non assentiebat eorum orationibus, & dubio procul exorta fuisset seditio, nisi concionem solvisset hora sexta superveniens, quâ sabbatis nobis licet prandere.* Εἰ μὴ τὴν σύνοδον διέλυσεν ἐπελθοῦσα ἕκτη ὥρα, καθ' ἣν τοῖς σάββασιν ἀριστοποιεῖσθαι νόμιμόν ἐστιν ἡμῖν. Cùm ergo celebraretur festum solemne Pentecostes, nondum peractis sacrificiis, non potuerant Apostoli hac horâ tertiâ quicquam cibi degustasse; rem autem transactam in templo, patebat quia nulla lege vetitum erat ante horam tertiam comedere aut bibere intra privatos parietes.

SECTIO IV.

Pertinebat ad œconomiam Dei & gloriam ejus, Apostolos plenos Spiritu sancto, quem accepissent in templo, emitti in orbem terrarum, ad promulgandum novam legem.

QUi omne studium impendimus hisce congerendis, quæ gloriam templi spectant, non decebat nos prætermittere silentio tantum decorem, qui ei collatus est ex descensu Spiritûs sancti, qui in eo factus est supra Apostolos. Olim ex adito ejus, sive ex Sancto Sanctorum edita fuerant oracula. Scilicet vox cælestis indè audiebatur, cùm summus Pontifex Deum consuleret. Alterum decus, sive miraculum illustrabat altare templi; ignis cælo lapsus partes holocausti in altari dispositas absumens: quæ quidem miracula insignia erant; sed bene prænuntiatum

nunciatum fuerat ab Aggæo Prophetâ, etsi his mi- A raculis cariturum esset templum secundum, quod structum est everso Salomonieo, tamen gloriam ejus majorem futuram. Exitus comprobavit vaticinium. Etenim in secundo templo, quod stabat, Christo versante in terris, ipse Jesus Christus, verè Deus, Filius Dei, Verbum Patris apparuit in eo quotidie docens; non ex adytô, quasi clam colloquens cum uno summo Sacerdote; sed palam loquens & docens omnem populum. Nec igne materiali struem lignorum; sed ipsa inflammavit corda divino amore. Non, inquam, ignis cælestis in carnes agninas aut vitulinas descendit, sed spiritus Dei in mentem Apostolorum, qui eo omnes repleti sunt; facti postea in viros alteros, omnes scien- B tiâ pariter & virtute pleni.

Non solùm decorem templi Hierosolymitani, sed & Dei gloriam statuit interpretatio, quàm hîc propono. Dei gloriæ intererat, ut ex Hierosolymis, ex ipso templo nova lex Evangelica egrederetur in omnem orbem terrarum; alioqui non videretur sibi constare; fides ejus vacillaret; quod absit ut quis cogitet. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur.* Num. cap. 23. v. 19. Ergo cùm veterem legem in monte Sinaï cum tanto apparatu inter fulgura & tonitrua dedisset, par erat ut non minoribus signis admoniti Judæi intelligerent novam legem habere eundem auctorem Deum: veterem ab ipso abolitam, sive perfectam accessione novæ, cujus pro- C mulgatio opus esset ejusdem spiritûs Dei. Igitur sicut olim in monte Sinaï, loco conspicuo, dederat Deus legem veterem, colloquens cum Moyse & se præsentem exhibens, decebat ut non aliquo loco obscuro urbis Hierosolymorum publicaret legem novam, sed in ipso templo, quod erat domus Dei, sedes majestatis ejus, & quasi tribunal; & in parte templi magis conspicuâ, in cænaculo nempè, quod erat veluti superius templum, impositum inferiori. Scilicet ut qui novam legem repudiarent, causari non possent se Deo adhærere, dum adversabantur Apostolis, qui à Deo condita evertebant; nec fucum ab illis fieri, & quâpiam arte dæmonum illudere sensibus, cùm res fieret in loco in quo Deus D regnabat. Non tantùm oculos perstrinxerant fulgura montis Sinai, quantùm mentem commovebant multiplices linguæ, quibus loquebantur Apostoli. Certè majorem timorem incusserunt tonitrua, quibus Mosaïca lex publicata fuerat; sed amorem & admirationem magis movebant, quæ illapsum Spiritûs sancti secuta sunt miracula; & ostendebant Deum sibi constare: hæc enim miracula Apostoli demonstrabant prænuntiata fuisse à Prophetis; & ideò ipso tempore quo Deus veterem legem dabat, aliam promisisse; itaque non sibi diffidebat.

In istâ nostrâ hypothesi luculenter apparet unicam esse veram Dei religionem, quæ ab ortu mundi perpetuâ, nec interruptâ serie viguit; quod se- E dulò animadvertendum est adversùs secessionem, quæ ante præteritum sæculum facta est. Qui tunc exierunt ex Ecclesiâ Catholicâ novam fidem inducere ipsi fatebantur, saltem proximis superioribus sæculis ignotam. Apostoli verò non nova cuderant, sed antiqua proposuerant credenda; nempe venisse Christum promissum Judæis, & quem exspectabant; cujus adventum testabantur signa non extra Ecclesiam Judaïcam edita, sed in ipso Dei templo. Non, inquam, schismate abscindebant se à fratribus suis: verùm ab ipso Deo Israëlis, non alium Deum prædicaturi mittebantur; & ejus jussu promulgabant legem Christianam, cujus Mosaïca fuerat inchoatio, ut pro schismaticis & adversariis Dei Israëlis haberi non possent.

Eâ de causâ, dum stetit templum, Apostoli semper illud frequentaverunt, statis horis in eo orantes & vota solventes; ut ibi & nata & adolevisse religio Christiana videatur. Quod enim legimus in Actis cap. 2. v. 46. de Apostolis & primis Christianis: *quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo & frangentes circa domos*, Græcus codex habet κατ' οἶκον *panem, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis.* Hoc vidimus interpretandum de templo, quod appellabatur οἶκος *domus* nempe Dei; alioqui sibi contradiceret B. Lucas. Quomodo enim προσκαρτεροῦντες ὁμοθυμαδὸν ἐν τῷ ἱερῷ, id est, perseverantes simul in templo, si cursitarent *domatim*, sive per domos, panem frangentes, ut supra diximus. Totis diebus Apostolos docuisse in templo docet idem B. Lucas Act. cap. 5. v. 42. *Omni autem die non cessabant in templo & circa domos docentes & evangelizantes Christum Jesum.* In fonte ἐν τῷ ἱερῷ καὶ κατ' οἶκον. Ibi quoque per excellentiam puto templum appellari οἶκον *domum* nempe Dei; vel exhedram aliquam, quæ, ut vidimus, significari potest hac voce οἶκος. Nec inusitatum ut quæpiam res duobus nominibus designetur ἱερὸν accipi potest pro atriis & loco templi, οἶκος præcipua exhedra. *Panem* autem *frangere* locutio est Hebraïca, pro *pane vesci*, sive pro *cibum sumere*; panis enim accipitur pro quocumque cibo. Mihi autem videtur B. Lucas significare ita frequentes fuisse in templo Apostolos, ut totâ die in eo commorarentur, etiam ibi cibum sumentes: quod nulli mirum erit; capacia enim erant templi pastophoria, cænacula, conclavia; & erant certa sacrificia de quibus non licebat extra templi limites comedere.

Iterum revertamur ad celebrandam miram Dei sapientiam, quæ magis elucet, si reverâ contigerit ut in ipso templo Spiritum sanctum acceperint Apostoli. Nova lex non minùs quàm antiqua signis confirmanda erat. In monte Sinaï sensus corporei magis affecti sunt; sed quæ tunc obtigêre in templo, non minùs mentem percellebant. Neque enim id casu fiebat ut eâ ipsâ die quâ olim lex vetus data fuerat, & nova promulgaretur. Festum Pentecostes dicebatur festum legis; in quo non hordeum ut in Paschate, sed panes ex puro frumento confecti offerebantur. Tunc inchoabatur messis frumenti. Hacce autem die Pentecostes quo Spiritus descendit, cœpit messis Christianæ segetis; ter mille enim animæ in illâ adhæserunt Apostolis. His adjungamus quod sicut olim in creatione mundi Spiritus ferebatur super aquas & eas fœcundas reddebat, incubans illis, ut gallina ovis: ita & fovit corda Christianorum, ut multiplicarentur; quod contigit. Et reipsâ ex ipso templo emisit Spiritum suum Deus, & replevit orbem terrarum; nam ex omni natione quæ sub cælo est tunc in templo Judæis versantibus, ad aures omnium perlatum est repromissionem ab antiquis Patriarchis prænuntiatam tandem adimpletam.

Itaque favet nostra sententia Orthodoxis placitis de unitate & perpetuitate Ecclesiæ. Arguit secessionem Heterodoxorum, quibus suo exemplo certè non præiverunt Apostoli, qui templum Hierosolymitanum haud aversati sunt, sed frequentaverunt usque dum tandem sivit Deus ut Gentilium manibus everteretur. Qui verò novissimis temporibus secesserunt ab Ecclesia, sacras ædes in quibus abluti fuerant sacro fonte baptismatis, & ubi tandiu solemnes & religiosi conventus Christianorum celebrati fuerant, diruebant; & in conventiculis nova sua dogmata contra morem & institutum Apostolorum tradebant. Mirum est hæc ab his qui secessionem secuti sunt, & huic inhærent, non animad-

verti; aut animadversa non ad meliorem mentem eos revocare: animadversa enim ab aliquibus de eorum grege, ut à Campegio viro doctissimo, qui in primo libro de Synagoga parte 1. capite 6. ubi de nostrâ sententiâ, in quâ Ludovicus de Dieu versabatur [uterque autem in secessione vixit] judicium ferens, sic, inquam, exclamat Campegius. *Vellem ut sententia Cl. de Dieu vera esset. Quid enim jucundiùs cogitatur quam Spiritus sancti dona in ipso templo Apostolis distributa fuisse? Quàm id bellè convenit vaticinius Prophetarum. Videntur etiam circumstantiæ id suadere. Quid enim probabiliùs, quàm Apostolos & Discipulos matutinis horis diei Pentecostes, & quidem circa tertiam, id est, novam horam fuisse in templo? Dein undè tantus de repente Judæorum cujusque nationis & linguæ ad mirandum hoc spectaculum confluxus? Utique facillimum est conceptu totum hoc negotium: si cogitemus in templo hoc patratum esse miraculum, ad quod in festis omnes soliti erant confluere. Quanto etiam dignius cogitatu est, Petrum hic primam suam orationem ad populum Judæum recitasse, quàm in alio quovis loco urbis Hierosolymæ.* Igitur etiam si interpretatio nostra ideò nova videretur, quia ab iis qui scripserunt commentaria in Actus Apostolorum, non laudata sit nec animadversa, non ideò repudianda esset; aut mihi vitio dandum quòd eam ausus sim proponere. Licuit enim semperque licebit Theologo Catholico antiquitùs credita novis confirmare argumentis. Quæ hîc observavimus, conjuncta erant cum instituto nostro; neque enim, ut sæpiùs innuimus, partes Architecti tantùm agimus, describendo solas templi Hierosolymitani dimensiones. Ad istam tamen descriptionem revertamur.

CAPUT XII.

Judæi describunt templum in suo Talmude. Hæc descriptio proponitur, expenditur, arguitur.

SECTIO I.

Pro indubitatis habere non decet quæ traduntur in tractatu Talmudis Middoth, id est, de mensuris templi.

De quâcumque re quæ ad templum pertineat, satagimus referre quæ sit de illâ Judæorum sententia; quorum doctrina ut sit apertior, juvat distincto capite proponere templi delineationem, quam sermone adumbraverunt doctores Misnici. Aliquorum animos ea incessit opinio ex illâ descriptione Talmudicâ tanquam è fontibus suis fluere omnem templi certam cognitionem. Mischna vetus est monumentum; quod ego ipse, in libris de Paschate adstruere conatus sum, aliquis mihi dicat. Nec tunc temporis revoco in dubium; omnia quæ Judæi dicunt de ritibus suis; quos ipsi norunt. Etiam fateor patres eorum plura auditu accepisse de templo; sed non indè in iis quæ ad illud pertinent ab omni errore esse immunes concludo. Neque enim, ut mores, ritus, consuetudines, & similia ipso usu explorata cognoscere pariter facile est ex ore senum & ex literarum monumentis, efformare animo formam ingentis ædificii quod non videris, & dispositionem, mensurasque omnes certâ cognitione complecti. Non diffitear ex tractatu Middoth aliquem fructum percipi posse; sed quærendi sunt

A fontes limpidiores & largiores; quos non alios agnoscimus, quam ipsos sacros codices, & Flavii Josephi scripta, qui templum non semel descripsit, tum in antiquitatibus Judaïcis, tum in libris de Bello Judaïco; datâ operâ totum delineans, vel occasione partem aliquam ejus exponens. Sæpiùs illud inviserat, perlustraverat oculis & pedibus. Potuit ergo formam ejus & dispositionem habere compertam. Cur verba dedisset, sive falsam descriptionem pro verâ, non ulla apparet causa. An ausus esset scribere quæ falsa esse omnium oculis & auribus exploratum & testatum esset? Rem quidem ambitiosè exornare potuit; etiam & in assignandis mensuris alicubi peccare. Etenim non, ut rerum formas oculis conspicimus, & memoriâ tenemus sic pariter mensuræ præcisæ deprehenduntur solo visu; quæ etiam benè perceptæ & expensæ citò elabuntur, nisi statim illas scripto mandaveris. Etiam si millies quodpiam ex nostris magnificis templis frequentaveris, conspexeris attentis oculis, ideò veras eorum mensuras solo oculorum judicio rectè æstimare potueris. Calamis vel fune mensorio partes omnes dimetiendæ, subducendi calculi; quod ab omnibus fieri non potest, & fit à paucis.

Eò magis suspecta esse debent, quæ de mensuris templi in Mischna leguntur; quia scriptores ejus non potuerint dimetiri ea, quæ tunc temporis non exstabant. Attamen iterùm dicunt Judæos tertii sæculi, quo tempore Misnajoth collecta sunt, multa potuisse discere circa templum ex ore eorum, quorum patres, saltem avi, abavi, atavi vixerunt cum iis qui viderant ædem sacram adhuc stantem. Fando ad aures eorum multa pervenerant; sed exacta partium templi dimensio non potuerat sine scripto & solo sermone tradi; non ergo ex verâ traditione prorsus ortum est quidquid occurrit in tractatu Talmudico quem Middoth inscribunt, id est, *de mensuris templi*; quod facili negotio evincam, arguens manifestos in hocce tractatu errores. Qui illum scripsere, adversantur Ezechieli & Josepho. Indubitata est auctoritas Prophetæ: fides Josephi non est suspecta; undè sequitur auctores hujus tractatûs Middoth, sive aggrediantur tradere mensuras primi aut secundi templi, nempe vel Salomonici, vel Zorobabelici, aut Herodiani, merito censendos mendaces cùm ab Ezechiele, & à Josepho recedunt. Scriptor, sive collector tractatus Middoth, cùm animadverteret memoriam dimensionum templi obliterari, conatus fuerat eam revocare propriâ suâ industriâ, excogitans eam dispositionem, quæ magis, ut putabat, esset consentanea Scripturis. Nam verisimile est Josephi codices, qui Græcè scripti essent huic scriptori, fuisse prorsus ignotos. Judæis Talmudistis religio erat discere Græcas literas; ita ut par scelus reputarent carnem suillam comedendam porrigere filio suo, aut tradere legendos codices Græcos. Protinus ostendam dimensiones templi Talmudicas adversari veris quas Angelus cum Ezechiele deprehendit in templo; aut quas indicavit Josephus.

Plures circumferuntur templi Hierosolymitani delineationes, juxta mensuras Talmudicas; quæ omnes tenui discrimine differunt. Constantinus Lempereur quando versionem tractatûs Middoth prodire passus est, cum notis politissimis & eruditissimis; delineandum templum curavit quod sermone describebat; quod & fecit Ligfootius in tractatu quem Anglicè scripsit de templo; qui latinitate donatus editus est Roterodami. Similis delineatio reperitur in versione tractatûs Maimonidis *de Domo electâ*, sive de ædificio templi, quam cudit Ludovicus de Veil. Has delineationes imitatus est Jacobus Jehu-

da Leo in suis libris de templo; nec alia exhibetur A in libro, qui nuper Hebraicè prodiit Venetiis cum hac inscriptione. חנוכת בית *dedicatio domus.* De nostro instituto est inquirere in hanc descriptionem templi, & quod in eâ falsum deprehendemus arguere.

SECTIO II.

Templi mensuræ, quæ traduntur in codice Middoth, & probantur Judæis omnibus, adversantur Ezechieli & Josepho.

Scriptor codicis Middoth in ipso primo limine offendit; quod est omen infaustum. Tetragonum illud, quod Angelus coram Ezechiele mensus est, cujus singula latera deprehendit quingentorum cubitorum, interpretatur dictus scriptor de tertio ambitu templi, quo totus vertex montis Moriæ includebatur cap. 2 Sectione 1. Sic ille loquitur in Interprete suo. *Mons ædis erat quadratus, ita ut singula latera essent cubitorum quingentorum. Maximum spatium erat ab Austro; proximum ei ab Oriente; tertium ab Aquilone; minimum verò ab Occidente. Eo loco ubi majus erat spatium, major erat ejus usus.* Expressimus illas mensuras, quas habet Tetragonum A B C D. In parte australi majus spatium est; multò angustius in orientali, adhuc arctius in septentrionali, minimum in occiduâ. *Mons ædis, inquiunt, erat quadratus,* nempe ambitus quo terminabatur area Moria quadratus erat. C Judæi prætermiserunt silentio porticus, quæ hocce ambitu continebantur. Quæ protuli ex Judæis, non iterum repetam; quapropter non hîc enumerabo portas, quas in extimo ambitu statuunt. In areis atrii gentium in parte meridionali, quæ laxior est, collocant tabernas, in quibus venales hostiæ prostabant; & mensas numulariorum: ibi enim omne ministerium templi peractum putant; sive pleraque peracta, quæ ex usu templi erant. Sed refugit animus credere eo in loco qui patebat omnibus Gentilibus, Judæorum proceres qui rebus venalibus præfecti essent voluisse crebro, & diu permixtos versari. Multo magis verisimile est tabernas fuisse in atrio Israëlitarum; & istam omnem negotiationem D subductam oculis Gentilium, ut significatum est. Cancellata sepes a b c d quam Judæi vocant *soreg*, ipsa est de quâ loquitur Josephus, quæ excludebat prophanam multitudinem, ethnicos, & ipsos Israëlitas qui immundi erant; ita nullus est dubitandi locus quin tetragonum A B C D complecteretur atrium gentium. Post cancellatam sepem occurrit in misnicâ descriptione aliud tetragonum oblongum, sive magis longum, quàm latum, nempe E F G H. quo continetur id omne quod Judæi solent appellare *azarah*; tripliciter ab illis distinctum. Aliud est Sacerdotum, aliud Israëlitarum, & tertium quod statuunt fuisse mulierum. Ibi scriptor codicis Middoth evidentiùs adversatur descriptioni Ezechielicæ & Flavianæ. In utrasque adver- E tere est ab Austro & à Boreâ ædificia lata & locum subdialem; & septum secundum quod inter septum atrii gentium & inter septum atrii Sacerdotum intercurrit, habet proprias portas, tres in latere meridionali, totidem in septentrionali. Sic in delineatione misnicâ, in tetragono E F G H, inter latus australe E H & boreale F G nullus locus est atrio Israëlitarum proprius & distinctus. Statim ex atrio gentium qui progrediebatur ab his lateribus versùs ædem sacram ingrediebatur in atrium Sacerdotum.

In tetragono E F G H septem portas Talmudici numerant in primo capite codicis Middoth. *Septem erant portæ,* inquiunt, *in azara: tres ad Aquilonem, tres ad Austrum, una in Oriente. Ad Austrum erat porta ardoris, huic succedebat porta oblationis, tertio ordine erat porta aquarum. In Oriente erat porta Nicanor: quæ duo habebat conclavia, unum à dextrâ, alterum à sinistrâ. Ad Septentrionem erat porta prominentiæ.* הנצוץ *hanitzos, quia efflorescebat, sive prominebat extra murum, formâ pergulæ cujusdam, supra quam ædificatum erat cænaculum: ita ut Sacerdotes superiori loco excubias agerent: Levitæ verò in inferiori. Eidemque ostium erat, quo ad chel, sive spatium intermurale pergerent. Huic succedebat porta oblationis corban; tertia dicebatur locus incendii.* Eadem dicit Maimonides in capite quinto de Domo electâ. Loquitur de tetragono E F G H cui chel prætendebatur. *Intra murum illum interiorem,* nempe qui tetragonum dictum ambit, *erat azara, cujus tota longitudo septem cubitos & octoginta & centum; latitudo verò quinque cubitos & triginta & centum patebat. Huic inerant portæ septem tres ad Septentrionem, non procul ab Occidente: tres ad meridiem; item prope ad Occidentem; & una ad Orientem; quæ erat contra Sanctum Sanctorum in medio.*

Nempe è regione portæ quâ in ædem sanctam intrabatur, erat porta orientalis, quæ Nicanoris dicebatur. Una ex tribus portis meridionalibus dicebatur *ustionis*, sive ligni, quia per illam inferebantur ligna ad accendendum ignem super altari. Per aliam quæ dicebatur aquarum, inferebatur phiala aquæ, quæ in die festi Tabernaculorum libabatur. Hujus appellationis causa ea redditur in Misna, tractatu shekalim. *Quare nomen ejus vocatur porta aquæ? Quia per illum afferebatur cantharus aquæ, quæ effundebatur in festo Tabernaculorum. Rabbi Eliezer filius Jacob dicit, quia illuc decurrebant aquæ, quæ veniebant de sub limine,* nempe *templi.* Tertia porta dicebatur *corban*, sive oblationis, quia per illam efferretur omne donum, omnis oblatio. Una ex tribus portis borealibus dicebatur hanitzos, hoc est, porta scintillæ & splendoris & prominentiæ, quia, ut interpretatur Constantinus Lempereur, promineret & veluti efflorescerет longiùs extra murum. Secunda porta borealis etiam appellabatur corban, sive oblationis, quia eâ victimas sanctissimas deducebant, quæ ad Septentrionem mactabantur. Tertia denique dicebatur המוקד *hamoked*, hoc est, combustionis; quia illic focus ignis. Notant Rabbini in templo fuisse duo loca sic vocata, *focus magnus & focus parvus.* In magno semper erat ignis, quo Sacerdotes custodes templi calefacerent pedes; quos in templo semper nudos habebant. In parvo foco pariter ardebat ignis perpetuus, fortè si aliundè non suppeteret.

Ex latere meridionali & septentrionali nullum, ut dixi, occurrebat atrium quod Israëlitis proprium esset. Ex parte orientali, qui ibat ex atrio gentium in ædem sacram, ingrediebatur in azara mulierum I K L M, cui tales mensuræ assignantur in codicis Middoth capite secundo Sectione 5. *Atrii, sive azaræ muliebris longitudo centum & triginta quinque cubitorum, cum latitudine centum triginta quinque; atque quatuor conclavia erant in quatuor ejus angulis, singulaque cubitorum quadraginta, quæ non erant contignata. Et sic futura sunt, quia dictum est Ezechielis* cap. 46. v. 21. *Et eduxit me ad atrium exterius, fecitque ut transirem ad quatuor angulos atrii: ecce autem atrium in angulo atrii, &c. Et in quatuor angulis atrii erant atria caminata; sed non erant contignata.* Vidimus illa atriola collocari ab Ezechiele in quatuor angulis atrii Israëlitarum, ibique fuisse culinas, in quibus coquerentur victimæ comedendæ à populo Israëlis; sed alios u-

ſus comminiſcitur ſcriptor Miſnicus. Atrium mu- A lierum I K L M quadratum erat habens in latitudine 135 cubitos & totidem in latitudine; in cujus angulis vides quatuor conclavia ſuis diſtincta nominibus, quæ ibi exarata ſunt. Uſum eorum deſignat noſter Miſnicus ſcriptor- *Verùm cui rei inſerviebant? Ad ortum brumalem erat atrium* in fonte *Iſchath*, hoc eſt conclave *Nazaræorum; quod ibi Nazaræi coquerent Euchariſtica ſua, & detonderent capillos ſuos, eoſque ollæ ſummitterent. Ad ortum æſtivum erat conclave lignorum; quod ibi Sacerdotes immundi vermes in lignis perſcrutarentur: omne autem lignum in quo vermis inveniretur, rejiciendum erat ab altaris tecto. Ad occaſum æſtivum erat conclave leproſorum. De conclavi ad occaſum* B *brumalem dicit R. Eliezer filius Jacobi, inveni cui ſerviret; Aba Saul dixit, ibi reponebant vinum & oleum, ideòque vocabatur conclave domûs olei. In ſummis lateribus læve ac planum erat atrium mulierum, ſed id circumſcripſerunt interno podio, ut mulieres supernè proſpicerent; viri autem infernè, ne miſcerentur. Et quindecim gradus aſcendebant ex ejus medio in atrium* azarah *Iſraëlis, reſpondentes quindecim gradibus, qui in Pſalmis occurrunt: in quibus Levitæ canebant. Non erant gradus recti, ſed gyrati, inſtar dimidii rotundæ areæ.* Denotamus literis e f g h hoſce gradus. Falſis quandoque vera remiſcent Talmudiſtæ; ſed hîc nos fallunt, aut ipſi falluntur, cùm hæc quatuor conclavia habent pro C atriolis, quæ Propheta ſtatuit in quatuor angulis atrii exterioris, ſive Iſraëlis. Non etenim veriſimile eſt culinas, quas in his angulis agnoſcit Ezechiel, in tam conſpicuo loco fuiſſe poſitas. Quid opus fuiſſet ut, quod dicit Propheta, deduceretur ad omnes angulos hujus atrii, ut cerneret atriola, quæ atrium ingredienti ſtatim ſingula conſpicua erant.

Quindecim gradibus e f g aſcendebatur ad ſpatium L M N O quod biſectum eſt. Longitudo ejus N O eadem eſt ac atrii mulierum. Nempe 135 cubitorum. Latitudo M N aut L O ponitur 22. cubitorum. Primi undecim cubiti faciunt atrium Iſraëlitarum L M m n. Alii undecim cubiti atrium Sacerdotum m n O N. Aſcendebatur, ut dictum D eſt, ad atrium Iſraëlitarum; ita ſub eo poterant eſſe ſpeluncæ in quibus volunt Judæi Cantores repoſuiſſe ſua inſtrumenta muſica. Ibi, inquam, ponunt conclavia Cantorum & veſtiarii & cruſtularii. Exhibentur ab aliquibus ſtatim ante introitum atrii mulierum; ſed falluntur. Suberant atrio Iſraëlitarum, & aperta erant in atrium mulierum.

Quid verò ineptius eſſe poteſt quàm quòd illi Miſnici doctores narrant de menſuris atrii Sacerdotum & atrii Iſraëlitarum adversùs Ezechielem? Ipsâ ré confutantur. Etenim cùm immenſa Iſraëlitarum multitudo intereſſet feſtivitatibus templi; quis animum adducat credere tantæ multitudinis capacem fuiſſe aream, longam quidem centum triginta E quinque cubitorum, ſed undecim cubitis non latiorem. Ezechiel atrio Iſraëlis, quod & facit Joſephus; circumdat atrium Sacerdotum. Areæ atrii Sacerdotum Propheta centum cubitos tribuit in longitudine & latitudine. Atrii Iſraëlis dat centum cubitos. Joſephi teſtimonio templum quod ſtabat his annis, qui præceſſerunt everſionem ejus, non fuit anguſtioribus terminis coarctatum, quàm Salomonicum; quin novis ſemper adjunctis aggeribus propagatum fuerat; quia id neceſſe, aucto Iſraëlitarum, qui templum frequentarent, numero. Attamen audiamus Miſnicum doctorem de ſitu & menſuris atrii Iſraëlitarum, capite ſecundo Sectione ſextâ codicis Middoth. *Erant autem conclavia infra atrium* azara, *Iſraëlitarum, quæ aperta erant atrio mulierum: ubi Levitæ collocabant citharas, & nablia cum cymbalis, omniaque inſtrumenta muſica. Atrium Iſraelis erat longitudine centum triginta quinque cubitorum, latitudine undecim. Trabium capita dividebant inter atrium Iſraëlis & atrium Sacerdotum. Rab. Elieſer filius Jacobi dicit: aſcenſus erat, ejuſque altitudo cubitalis, cui impoſitum erat pulpitum: atque in eo erant tres gradus, ſinguli ſcilicet cubiti dimidii. Reperitur atrium Sacerdotum duobus cubitis cum dimidio altiùs atrio Iſraëlis: totius atrii* azara *longitudo erat centum octoginta ſeptem cubitorum, cum latitudine centum triginta quinque.* Quomodo accipienda ſit iſta longitudo, quæritur. Latitudo ipſa eſt longitudo atrii Iſraëlitarum L M. Utrumque atrium Sacerdotum & Iſraëlitarum erat 22. cubitorum. Sequebatur altare quadratum 32 cubitorum. Uſque ad veſtibulum ædis erant 22 cubiti. Murus veſtibuli quinque cubitorum ponitur, veſtibulum undecim, murus ipſius ædis ſex, longitudo ſancti, quadraginta, paries medius inter Sanctum & Sanctum Sanctorum unius cubiti; Sanctum Sanctorum viginti cubitorum. Murus in poſtico ſex cubitorum. Poſtea erat cella, ſive thalamus ſex cubitorum, claudebatur muro ſex cubitorum. Hæ menſuræ modo initæ à lineâ L M uſque ad limen veſtibuli faciunt 76 ab eodem limine uſque ad incluſum parietem thalami, ſive cellæ quæ eſt in poſtico ædis, ſunt centum cubiti. Poſt dictum parietem eſt via ſex cubitorum, & murus quinque cubitorum, quo clauditur totum azara; ita numeratâ longitudine ejus à L M ad P Q longum eſt 187 cubitis, latum 135, quam latitudinem metitur linea L M.

Dum moramur circa ædem, ſciendum Talmudiſtas ei adjungere appendices. Murum ejus hi faciunt latum ſex cubitis; inter hunc & alium murum ſunt cellæ I latæ ſex cubitis; murus alter K quo concluduntur, quinque cubitorum eſt. Poſtea ſequitur via L, ſive circuitus trium cubitorum. Denique p murus eſt quinque cubitorum. Tres illi parietes cum duobus intervallis vacuis faciunt viginti quinque cubitos. Cùm ergo ſimilia occurrant in utroque latere, & ædes lata eſſet intrinſecùs viginti cubitis; tota latitudo R S, collectis menſuris ædis & parietum & appendicum, erit 70 cubitorum. Has autem appendices infrà fuſiùs exponemus ad mentem Talmudiſtarum.

Veſtibulo ædis ſacræ hinc indè adjecta erant conclavia cultrorum T & V, ubi Sacerdotes mactatis victimis reponebant cultros ſuos. Adjecta illa conclavia cum veſtibulo faciebant latitudinem centum cubitorum; quare fiebat ut in anteriori parte latior eſſet ædes, quàm in poſteriori. In hac delineatione Talmudicâ azaræ, quo nomine ſignificatur tota area L M P Q, videre eſt multùm ſpatii vacuum circa ædem. In illo autem ſpatio, quod erat ante ædem, obſervare eſt collem quo aſcendebatur ad altare; & Z locum annulorum, quibus inſerebatur collum majorum victimarum, dum mactabantur; X menſæ, in quibus diſſecabantur membra victimarum; & columnæ Y, ex quibus excoriandæ victimæ ſuſpendebantur.

Extra azaram, ſive intra latera azaræ & ſoreg, ſive ſepem cancellatam Judæi plurima numero conclavia numerant; ad meridiem tria, videlicet, conclave ligni, conclave putei vel ſcaturiginis, conclave Gazith. Sic appellant locum in quo congregabantur judices, quibus conſtabat ſynedrium magnum. Intra illa conclavia tres ſtatuuntur portæ, porta ardoris, ſive accenſionis, porta corban quâ inferebantur primitiæ, & porta aquarum. Ad latus boreale erat conclave, quod in quatuor minora

conclavia supponunt divisum: in conclave agnorum, A in quo agni in singulos dies mactandi conclusi erant: conclave balnei, ubi abluebant sese Sacerdotes: conclave panum propositionis, in quo conficiebantur panes hujus nominis; & conclave lapidum altaris, in quo repositi fuerant lapides altaris, quod Græciæ Reges prophanaverant. Deinde sequebatur conclave salis, conclave lavantium holocausta. Inter illa conclavia, erant tres portæ; prima dicta *hammoked*, sive *incendii*, porta *corban* quâ inferebantur primitiæ: porta *Nitsots*, prout supra diximus. In sequenti libro ubi ingressi fuerimus septum quo atrium Sacerdotum claudebatur, & cœperimus enumerare quæ in eo continebantur, simul fusiùs exponemus opiniones Judæorum circa unamquamque rem, de B quâ fiet sermo.

SECTIO III.

Exilis & falsa est templi notio quam Judæorum Misnici libri ingerunt.

NOn sufficit delineatio Talmudistarum ut efformetur perfecta notio templi. Ducunt tantùm aliquas lineas; neque enim orthographicè repræsentant templum; quod ultra quam par est credere, faciunt angustius, quàm erat. Hisce enim diebus, quibus ab Herode inchoata est ejus restauratio, Judæi totum orbem terrarum notum pervaserant; ut C vix esset angulus terræ, quem aliquis Judæus non incoleret. Non quidem prorsus omnes ter in anno, quod lex præcipiebat ab omnibus plagis ascendebant Hierosolymam; attamen eorum qui religionis ergo hanc peregrinationem suscipiebant, vix numerus iniri potest. Ergo quamquam tunc temporis atria templi arctiora non essent limitibus illis, quos Propheta reperit vix adduceretur animus, ut crederet tantam multitudinem capi potuisse hisce atriis, nisi intelligeret magnum ordinem servatum, ne egredientes ingredientibus obstarent. An autem quispiam ita credulus esse potest, ut fidat Judæis, qui azaram, locum nempe ubi viri Israëlitæ & mulieres versarentur, definiunt intra quadratum M N O P. Ipsi Judæi, tot ineptiarum conscii, magis adhuc D inepti fiunt, confugientes ad miracula. Comminiscuntur quòd, cùm fieri non posset, ut tanta multitudo tam angusto loco caperetur; fungerentur piis muneribus, ad quæ implenda concurrebant in templum, Deus interfuerit, cujus operâ id fieri posset. Id, inquam, inter miracula templi referunt, ut legere est in tractatu פרקי אבות *pirche aboth*, id est, *de patribus*. In capite trigesimo quinto exponitur hocce miraculum, quo fiebat ut immensa multitudo in minimo spatio liberè vel stare, vel genua flectere, vel etiam se incurvare posset, ut prostrata adoraret. Sic loquuntur Judæi, Francisco Tailero Interprete. *Quando illi sedebant, depulsi erant. Nemo potuit digitum suum inter eos extendere. Signum majus illis omnibus fuit. Fortè centum homines E curvi unâ vice aderant. Custos congregationis proclamans dixit, parate locum fratribus vestris, & illi fuerunt dilatati. Signum in atrio factum fuit. Omnes Israëlitæ ingressi sunt in atrium. Atrium eos comprehendit. Signum his omnibus majus. Quando Israelitæ orantes stabant, coarctati sunt, ita ut nemo potuit digitum ejus inter eos extendere. At quando se incurvabant, factum est spatium inter illos juxta plenam staturam hominis.* Talmudici hocce miraculum statuunt unum fuisse è decem miraculis, quæ fierent in templo, & enumerantur sub finem Gemaræ cap. 1. codicis Joma. *Insuper stabant arctissimè pressi, & tamen cùm sese prosternerent, erant sufficienti spatio separati.*

Ad angustias ipsi sese adigunt Judæi, qui noluerunt verum videre; sive magis delectati sunt mendaciis, quàm veritate. Necesse est eos à quibus tractatus Middoth scriptus est, vel fefellisse, vel fuisse idoneos quibus illuderetur. Forsan error refundendus in eos, quorum schedis usi sunt; Rabbi enim Jehuda Hachados potiùs consarcinator Misnæ habendus est quàm scriptor. Quidquid sit, ipsi primi auctores descriptionis Talmudicæ viri erant imperiti artium, qui dum studerent imaginem templi jam animo labentem revocare, & lineis suis describere, fidem adhibebant sine ullo judicio his quæ excipiebant ex ore quorumdam senum delirantium; qui nisi jejunè & exiliter de tam præclaro ædificio. Non poterant loqui; quippe viri sine doctrinâ, fullones, coriarii, sartores, qualem animo præconcipiebant formam templi, illam sermone expresserunt non illud viderant, sed ex ideis suis æstimabant; ut ille rusticus Virgilianus, qui oculis suis Romam cùm non vidisset, cogitabat similem urbeculæ, quò solebat depellere agnos.

Urbem quam dicunt Romam, Melibee putavi
Stultus ego huic nostræ similem; quò sæpe solemus
Pastores ovium teneros depellere fœtus.
Sic canibus catulos similes, sic matribus hœdos
Noram, sic parvis componere magna solebam.

Possem ea quæ in Virgilio sequuntur accommodare rei præsenti:

Verùm hæc tantùm alias inter caput extulit urbes,
Quantùm lenta solent inter viburna cupressi.

Non tantùm cupressi præstant viburnis, quantùm vera delineatio templi Talmudicis delineationibus. Hoc patet oculis, cùm conjiciuntur in delineationes allegatas, quæ factæ juxta mensuras misnicas & cogitata Judæorum. Considera, strenue Lector, quæ vel ichnographicè, vel orthographicè repræsentantur in omnibus delineationibus Constantini Lempereur, Ligfootii, Ludovici de Veil, Jacobi Jehudæ Leonis. Omnia animadvertes exilia, haud digna Deo, nec apta ministeriis templi. Nullâ re referunt magnificentiam; quam & ipsi gentiles scriptores admirati sunt, quam prædicat Josephus, & omnia vetusta monumenta comprobant. Ut mirum sit quòd tot viri docti, qui alioqui doctissimis notis codicem Middoth illustrandum susceperant, non adverterint agrum infelicem excoluisse. Quisquis vir non planè artis tectonicæ expers id mecum fatebitur.

Quispiam fortè reponat de Talmudicâ descriptione non dijudicandum ex scriptis Ezechielis; si quidem aliud templum quàm quod Angelus hujus Prophetæ oculis objecit, describerent Talmudistæ. Sed aut inane templum comminiscuntur quod non fuit, aut intuentur verum quale extabat ante capta Hierosolyma à Romanis; quod cùm Josephus non semel descripserit, debebant cum eo concordes esse, de eodem templo sermonem facientes. Sed iterum quis mihi dicat, fidem tamen adhibet Judæis, cùm describunt mores suos, & ritus. Jam respondi aliud esse mores & ritus enarrare, qui oculis subjiciuntur, quorum fit quotidianus usus, & adhuc observantur: aliud memoriâ retinere eversi ædificii mensuras, & illas traditione communicare. Etiam si quis vir non Architectus millies Romæ vidisset basilicam sancti Petri, miracula hujus ædificii quantâ posset diligentiâ enarrans, parem rei notionem haud posset ingerere. Quid si secundus qui eum enarrantem audit, alteri non enuntiaret: quid si tertius? procul dubio non nisi hujus obscuram formam, imperfectam, & prorsus falsam describeret. Id, ut puto, contigit his quorum schedis usus est consarcinator codicis Mid-

doth. Artium bonarum rudes, præter plurimas inep- A tias, tam imperfectam indicant ædificandi rationem, ut agrestium nostrorum casæ vix inferiores sint bisce templi Talmudici ædificiis. Si, inquam, instruatur templum juxta sola codicis Middoth monumenta, pro illo immensæ opulentiæ templo, quod ipsi Romani & Græci admirati sunt, non aliud opus quàm rude & contemnendum appareret. Hæc quisque mecum judicabit, qui magis magisque expendet ea quæ nobis supersunt dicenda in libro sequenti de verâ templi structurâ, conclavibus, areis, & ornamentis ejus. Ad illum librum propero. Non in animo habui complecti in hocce capite omnia quæ Talmudici scribunt de templo; placuit primis suis lineis inchoare quam faciunt templi descriptionem. B Postea perficiam suis omnibus lineis, datâ occasione. Præsenti descriptioni finem addam, cùm de situ altaris protulerim quæ Talmudici narrant.

SECTIO IV.

Proponitur sententia Judæorum de altaris necessario situ in sorte tribûs Benjamin. Vetustâ quidem traditione nituntur.

Judæi in suo Talmude contendunt altare holocaustorum fuisse situm in portione Benjamiticæ tribûs; & indè accersendum volunt lumen iis, quæ Patriarcha Jacob in suo celebri vaticinio dixit de C hacce tribu quæ modò referam. De altari hæc inquiunt Talmudistæ. *Basis ejus procedebat juxta totam longitudinem septentrionalis lateris & meridionalis lateris; sed ad meridiem deerat unus cubitus, ad Orientem verò unus.* Nempe nullus ibi erat angulus quemadmodum in aliis partibus, sed fractus erat, deeratque cubitus tum ad meridionale tum ad orientale latus; qui cubiti aliis partibus additi acumen angulorum efficiebant. Rationem defectûs hanc reddunt; quia nempe hic solus angulus altaris non fuisset in tribu Benjamin, sed in tribu Juda. Existimabant enim totum altare in tribu Benjamin oportere esse, non in tribu Juda, propter hæc verba Jacobi vaticinantis de tribu Benjamin D Gen. cap. 49. v. 27. *Benjamin lupus rapax, manè comedet prædam, & vesperè dividet spolia.* Non solùm posteriores Judæi, sed & antiquiores hæc intellexerunt de Sanctuario & altari exstructis in sorte tribûs Benjamin. Sic enim Paraphrastæ Chaldæi Hierosolymitanus & Jonathan hunc locum interpretantur. *Benjamin*, inquiunt, *comparatur voraci lupo, quia erat valida tribus. In ejus regione divina majestas Domini totius mundi habitare debebat, & in ejus possessione domus Sanctuarii ædificari. Manè Sacerdotes offerent agnum quotidianum ad quartam usque horam diei; & inter vesperas offerent alium agnum, & vesperi divident quod superest ex reliquiis victimarum, atque unusquisque comedet portionem suam.* Allegat Ligfootius locum ex tractatu Talmudico *Zevachin*, seu de sacrificiis, ubi hæc ipsa observatio de defectu anguli in altari fusè discutitur. Sextum caput hujus libri totum occupatur in describendis variis locis circa altare, ubi varia sacrificia mactabantur: & inter alia occurrit quæstio de quâ nunc agimus circa angulum hunc altari deficientem, quam sic tractant & definiunt Talmudici, in Gemara.

Angulus Euro-notum respiciens nullam habebat fundationem: Quanam erat ratio? R. Elieser dicit, quia non erat in sorte rapacis, ut Rab. Samuel filius Rabbi Isaac dicit: מצבח אוכל חלקו של יהודה אמה. *Altare accepit cubitum in portione Juda. Rab. Levi Bar chama dicit, R. Chama Bar Chanina dicit, exibat linea ex portione Juda, & intrabat in portionem Benjamin. Et justus Benjamin eâ re turbabatur, ut dicitur* תופף עליו כל היום Scholiastes interpretatur, *quotidie propterea sollicitus erat) Attamen justus Benjamin obtinuit fieri* אושפיזכן *hospes sancto benedicto Deo ut dicitur & habitabit inter ejus humeros.* Hujus loci sententia est: lineam quæ dividebat sortes duarum tribuum Judæ & Benjaminis, directè incidisse in hanc partem altaris, adeò ut si ex hac parte additus fuisset basi angulus, quemadmodum ex reliquis, cubitus altaris fuisset in tribu Judæ; quam in rem nullum erat Scripturæ præceptum: altare enim oportebat esse in tribu *Rapacis*, hoc est, *Benjaminis, qui futurus erat rapax instar lupi*; ideòque potiùs in hac parte basis non fecerunt angulum, qui incidisset in tribum Judæ.


Vetusta quidem erat traditio de isto altaris situ in sorte Benjamiticâ, ex quâ Talmudici interpretati sunt Patriarchæ Jacobi vaticinium. Hanc, inquam, traditionem D. Hieronymus ascribit numero Hebraïcarum traditionum. Cùm retulisset vaticinium *Benjamin lupus rapax*, sic loquitur: *Altare in quo immolabantur hostiæ, & victimarum sanguis ad basim illius fundebatur, in parte tribûs Benjamin fuit. Hoc, inquiunt, ergo significat, quod Sacerdotes manè immolant hostias, & ad vesperam dividunt ea quæ sibi à populo ex lege collata sunt, lupum sanguinarium, lupum voracem super altaris interpretatione ponentes: & spoliorum divisionem super Sacerdotibus: qui servientes altari vivunt de altari.* Plurima alia de altari aut de locis, quæ altari vicina erant, dicuntur in Talmude, quæ tunc temporis referre supersedeo, quia utiliùs proferentur, cùm de altari quâ potest fieri diligentiâ, differemus sequenti libro.

Finis Libri quinti.



DE TABERNACULO FŒDERIS, DE CIVITATE SANCTA JERUSALEM, ET EJUS TEMPLO.

LIBRI SEPTEM.



LIBER SEXTUS.

DE TEMPLO.

CAPUT I.

De mensuris & figura septi tertii, de portis ejus, de lorica quæ Sacerdotes à populo separabat & de totius hujus partis dispositione.

SECTIO I.

Tertium septum complectebatur atrium Sacerdotum, ubi erat altare & ædes sacra. De hujus septi mensuris, figura, dispositione, portis: hæc omnia juxta Ezechielem.



PERVENIMUS ad tertium septum; quod non ultra fidem exornaturi sumus; nobis enim proponimus templum Hierosolymitanum repræsentare, quale fuit; quod si nobis infeliciter non cesserit in duobus primis ejus septis, effectum dabimus in tertio. In illo continebatur atrium Sacerdotum, area nempe, ubi altare, ædes sacra, & ea omnia quæ sanctiora reputabantur; non magis olim mysteriorum umbris occultata, quàm hactenus obscuritate sermonis, quo enarrantur. Adeo ut, quemadmodum quondam Judæi ab illis locis religione, nunc difficultate rerum removeamur. Sed contendendæ sunt vires, & quoniam operæ pretium est labor juvat.

Ne lis moveatur de nomine septum illud & primum & tertium appellari potest, prout numeran-
A di partes templi sumitur initium, vel ab eo septo quod intimum erat, vel ab exteriori ambitu, qui primus occurrebat templum ingredientibus; & quod primum dicitur Josepho. Postquàm in Antiquitatiqus [lib. 15. cap. 14.] descripsit atrium gentium, mox subdit: Τοιοῦτος καὶ ὁ πρῶτος περίβολος ἦν: *atque hoc modo se habebat primus ambitus*, Postea transit ad septum atrii Israëlitarum: ἐν μέσῳ δὲ ἀπέχων οὐ πολὺ δεύτερος. *In medio autem non longo interstitio secundus*; & à secundo ad tertium ἐκείνου δ' ἐνδότερον τρίτον, ὅπου τοῖς ἱερεῦσιν εἰσελθεῖν ἐξὸν ἦν μόνοις. *Tertium verò septum intimum, solis Sacerdotibus accessibile. In eo sacra ædes erat, & ante illam altare, &c.*

Quærendæ primò tertii septi dimensiones, quas ut videbimus, Angelus coram Ezechiele dimensus ĕst; quæ & ex antedictis colligi possunt: cum enim
B gazophylacia Austri & Boreæ essent quinquaginta cubitis lata, atrium autem, sive locus subdialis inter illa gazophylacia esset centum cubitorum, septi de quo nunc sermo est, latitudo statuenda ducentorum cubitorum. Ex calculis verò Ezechielis longitudo ejus ab Oriente ad Occidentem fuit ducentorum quinquaginta cubitorum. Etenim in porta orientali erant gazophylacia lata quinquaginta cubitis: area subdialis, ubi altare, longa & lata centum. Ædes sacra cum appendicibus suis, pariter habebat centum cubitos: ita tota longitudo septi tertii, sive mensura ejus ab Occidente ad Orientem erat ducentorum quinquaginta cubitorum; & ejus figura tetragonum quod solet dici oblongum.


Altare, cujus gratiâ totum ædificium susceptum fuerat, occupabat meditullium, quasi operis centrum. Inde cùm portæ præcipuæ, directâ lineâ respondentes altari, latæ & excelsæ essent, etiam ex

atrio gentium ſacrificia ſpectari poterant ; quod vi- A
dere eſt in typo.

Hujuſce atrii Sacerdotum quod nunc inimus in libro ſexto operis noſtri de Templo portas & veſtibula explicat Ezechiel in capite 40. ubi portas & veſtibula atrii Iſraëlitarum expoſuerat. Omnia in ſeptis horum duorum atriorum ſimilia reperit ; quapropter, Lector, iterum oculis tuis ſubjicimus typum, quo uſi ſumus in libro ſuperiori, capite nono Sectione quinta cum de diſpoſitione veſtibulorum & portarum atrii Iſraëlitarum egimus. Nunc Propheta pervenit ad Sacerdotum atrium : illud ingreditur, & dat ejus dimenſiones & omnem diſpoſitionem ; & ſic pergit loqui in eodem cap. 40.

27 *Et porta atrii interioris in viâ auſtrali. Et menſus eſt à porta uſque ad portam in via auſtrali centum cubitos.*

Jam expoſuimus hunc verſum. Obſervatum eſt atrium Sacerdotum dici à Propheta interius ; quia illud comparat atrio Iſraëlis, quod illi erat exterius, animadvertimus in utrâque plagâ inter ſeptum ſecundum & tertium, nempe auſtrali & boreali, Angelum menſuraſſe atrium, ſive aream ſubdialem centum cubitorum, à porta atrii exterioris uſque ad portam atrii interioris ; quam menſuram in duobus lateribus boreali & auſtrali parem reperit Angelus.



Scala Quinquaginta Cubitorum.

28. *Et introduxit me in atrium interius ad portam auſtralem, & menſus eſt ad portam juxta menſuras ſuperiores.* B

Portas atrii interioris reperit Angelus ſimiles portis atrii ſecundi.

29. *Thalamum ejus & frontem ejus & veſtibulum ejus iiſdem menſuris, & feneſtras ejus, & veſtibulum ejus in circuitu, quinquaginta cubitos longitudinis* P Q *& latitudinis viginti quinque cubitos* M N.

Hæc ſingula expoſita ſunt, dum fieret ſermo de portis atrii Iſraëlitarum ; ubi ambiguitates Vulgatæ verſionis elucidatæ ſunt.

30. *Et veſtibulum* C H C *per gyrum longitudine viginti quinque cubitorum, & latitudine quinque cubitorum.*

Verſus ille deeſt in verſione Græcâ, & ſuſpicor C
redundare in fonte Hebræo. Repetitio eſt præcedentis, niſi quod non conſentiunt menſuræ, veſtibulum enim, quod modò ſtatutum fuit *longitudine quinquaginta cubitorum & latitudine viginti quinque*, hîc ponitur longitudine *viginti quinque, & latitudine quinque cubitorum :* quæ menſuræ non conveniunt ulli rei, quam memoret Propheta in deſcriptione iteratâ horum veſtibulorum. Ergo cùm Librarius incidiſſet in vitiatum codicem, ubi forſan pro חמשים *chamiſchim* ſcriptum eſſet חמש *chameſch*, & videret hunc verſum non eſſe ſanum, expreſſit quidem quod legebat, ſed eundem verſum inſeruit ex meliori codice, quem eo in loco ſecuti ſunt Interpretes Græci, qui carent hac repetitione, quam vitioſam eſſe quiſquis deprehendet, qui locum expenderit. Itaque ibi Ezechiel non ipſe ſibi adverſatur ; ſed Librarius Ezechieli. Quis verò dicat potius ægros codices Græcos. Expendat quod dicit Hieronymus, locum in quo verſamur explanans. *Hoc vero quod in ſeptuaginta non habetur, & veſtibulum, ſive* πρόπυλον *per gyrum longitudine viginti quinque cubitorum, & latitudine quinque cubitorum: videtur facere quæſtionem, propter quòd in veteri interpretatione non poſitum eſt, quomodo poſt profectum tertii gradûs, viginti quinque cubiti & quinque ponantur.* B. Hieronymus ibi confugit ad ſenſus myſticos. *Quas*, inquit, *menſuras, id eſt, viginti quinque & quinque ad eoſdem ſenſus referimus, viſum videlicet & auditum, guſtum & odoratum & tactum : quos ſi ad altiora conſcendimus quinquies duplicamus, & de carnalibus ſenſibus facimus ſpirituales.* Quiſquis, ut lubet, delectetur hiſce expoſitionibus.

31. *Et veſtibulum ejus ad atrium exterius, & palmas ejus in fonte : & octo gradus erant, quibus aſcendebatur per eam.*

In fonte : & veſtibula ejus ad atrium exterius. Scilicet intrantibus in atrium interius, ſive tendentibus ex atrio exteriori occurrebat veſtibulum, ad quod aſcendebatur per octo gradus. Etenim atria interiora excelſiora erant exterioribus. Solum atrii Sacerdotum ſolo atrii Iſraëlitarum exſtabat octo gradibus, *& palmas ejus in fronte.* In codice Hebræo אל אלן *el elan.* In Græcâ verſione τὰ αἰλεῦ. Vox איל denotat ſuperliminaria. Itaque ſenſus eſt. Superliminaria horum veſtibulorum fuiſſe palmis decorata ; *& palmæ ad ſuperliminaria ;* quæ Vulgatus Interpres

pres nominat frontem. Omnia quæ ad illam portam, in quâ nunc moratur Angelus attinebant, persimilia censen ia portæ atrii exterioris.

32. *Et introduxit me in atrium interius per viam orientalem: & mensus est portam secundùm mensuras superiores.*

Sistitur Ezechiel ad portam orientalem atrii interioris, ubi eadem invenit quæ observaverat in aliis portis. De istâ autem portâ orientali postea sermo copiosior fiet.

33. *Thalamum ejus, & frontem ejus* MM & NN *& vestibulum ejus sicut supra: & fenestras ejus, & vestibula ejus in circuitu longitudine quinquaginta cubitorum & latitudine viginti quinque cubitorum.*

Sic poterat exprimi fons: *Thalamos ejus & postes ejus.* Neque enim in singulis portis erat unicus thalamus, sed tres hinc & tres indè. Portæ hujus, & portarum atrii exterioris eædem partes erant & dimensiones.

34. *Et vestibulum ejus, id est, atrii exterioris: & palmæ cælatæ in fronte ejus hinc & indè: & in octo gradibus ascensus ejus.*

In fonte: *& vestibulum ejus atrio exteriori.* Græca versio. καὶ αἰλαμμὼν εἰς τὴν αὐλὴν τὴν ἐσωτέραν. Sermo fit de atrio interiori; sed porta ad quam sistitur Propheta habebat duas facies; quarum una respiciebat atrium Sacerdotum, alia Israelitarum. Potuit autem in versione Græcâ ἐσωτέραν pro ἐξωτέραν irrepsisse. Portæ orientalis vestibulum, excipiebat venientes ab atrio exteriori; & similibus decorabatur ornamentis, quæ observata fuêre in aliis vestibulis. Pariter hæc porta orientalis ascendebatur gradibus octo.

35. *Et introduxit me ad portam quæ respiciebat ad Aquilonem: & mensus est secundùm mensuras superiores.*

Porta aquilonaris ista, quâ intrabatur in atrium interius, similis erat portis ejusdem atrii, nempe orientali & meridionali; quarum mensuras modo declaraverat Angelus.

36. *Thalamum ejus, & frontem ejus, & vestibulum ejus, & fenestras ejus per circuitum, longitudine quinquaginta cubitorum, & latitudine viginti quinque cubitorum.*

Horum explanatio repetenda ex antedictis.

37. *Et vestibulum ejus respiciebat ad atrium exterius: & cælatura palmarum in fronte ejus hinc & indè: & in octo gradibus ascensus ejus.*

In fonte ואילו *velau: id est, & postes ejus.* Siquidem versus ille re non diversus sit à trigesimo primo, opinor pro ואילמו *& vestibulum ejus* irrepsisse אילו *postes ejus* scilicet מ *mem* prætermissum est calamo Librarii nimium properante. Hanc opinionem meam confirmat Vulgata Latina & versio Græca. καὶ τὰ αἰλαμμὼν εἰς τὴν αὐλὴν ἐξωτέραν. Liquet propositum fuisse Ezechieli ut omnia ostenderet similia in portis utriusque atrii.

SECTIO II.

De portâ orientali. De hujusce portæ nominibus diversis, quibus tum in Scripturâ, tum apud Josephum & Talmudicos appellatur.

In recensione portarum septi, circa quod versamur, porta orientalis proprium articulum sibi vindicat, tum ob suam magnitudinem & decorem, tum ob res quæ in ejus vestibulo fierent. Josephus (lib. 6. de Bello cap. 6.) cùm egisset de portâ orientali secundi septi, quam ob valvas ære Corinthio exornatas, appellat Corinthiam, sic loquitur de portâ orientali tertii septi oppositâ. Ἡ δ' ὑπὲρ τὴν Κορινθίαν ἀπὸ τῆς γυναικωνίτιδος ἐξ ἀνατολῆς ἀνοιγομένη τῆς τοῦ ναοῦ πύλης ἀντικρὺ, πολὺ μείζων. Sic in versione Latina exprimitur fons Græcus. *Quæ verò supra Corinthiam posita, quo mulieres conveniebant, ab Oriente aperiebatur, porta templi, sine dubio major erat.* Ego ita interpretor: *quæ verò* porta *supra Corinthiam* portam *posita*, nempe quia celsius limen ejus erat, & ipsa opposita huic erat, *ex loco mulierum ab Oriente aperta, ex adverso portæ ædis sacræ multò major erat* non ipsâ portâ ædis sacræ, sed cæteris portis quas ante descripserat Josephus. Quippe, ut pergit dicere: *quinquaginta enim cubitis surgens, quadraginta cubitorum fores habebat, ornatumque magnificentiorem: quoniam crassiori argento atque auro vestiebatur; quod quidem novem portis infuderat Tiberii pater, Alexander. Gradus autem quindecim,* πρὸς τὴν μείζονα πύλην ἀπὸ τοῦ τῶν γυναικῶν διατειχίσματος *ad majorem hanc portam à muro qui mulieres segregabat, ducebant; namque illis qui ad alias portas iter dirigerent, quinque gradibus erant breviores. Ipsum verò templum* αὐτὸς δ' ὁ ναὸς nempe ædes sacra *quæ in medio erat, duodecim gradibus ascendebatur.* Forsan ætate Josephi quindecim gradibus porta illa ascendebatur; octo tantum in templo quod Ezechiel describit. Nullus est dubitandi locus quin ibi Josephus sermonem faciat de porta orientali, quæ esset in septo, quo claudebatur atrium Sacerdotum. E regione hujus portæ atrium mulierum situm erat; nempe pars quæpiam atrii Israëlis aliquo muro separabat mulieres à virorum consortio. Ista altitudo, quam Josephus affignat portæ orientali potest esse ultra veritatem; quam ille ipse auxerit, vel corruperit Librarius. Sed si non tanta, certè summa fuit ea altitudo; undè colligimus non ab illâ diversam reputandam, quæ in Scripturâ dicitur porta *superior*, porta sublimissima, in quarto Regum, (cap. 15. v. 35.) ædificata à Joatham pio Rege. *Ipse ædificavit portam domus Domini sublimissimam* העליון *habelion* superiorem: in Græco texto πύλην οἴκου κυρίου τὴν ἐπάνω *portam domûs Domini quæ suprà.* In secundo Paralipomenon. (cap. 27. v. 3.) ubi & res eadem adstruitur, eodem nomine Hebræo hæc porta appellatur; à Græcis verò Interpretibus ibi dicitur πύλη ὑψηλή, à Vulgato *excelsa.* Hujusce portæ mentio videtur facere Jeremias cap. 26. v. 10. *Et audierunt principes Juda verba hæc: & ascenderunt de domo Regis in domum Domini, & sederunt in introitu portæ domûs Domini novæ.* Paraphrastes Chaldæus hanc appellat portam orientalem, quia, ut supra observatum est, legerat in Hebræo codice *cheres*, id est, solis pro *chadasch*, quod nomen sonat idem quod *novum.* Porta, inquam, superior quam Joatham ædificaverat, nova adhuc dicebatur tempore Jeremiæ, hoc est centum circiter post annos, quia usus invaluerat. Ad vestibulum hujus portæ congregari potuerunt principes Sacerdotum, quoniam illud vestibulum, ut modò ostendemus, spatiosum esset. Istam portam superiorem & dictam Nicanoris volunt Judæi. *Cùm aperiretur porta superior,* inquit Maimonides in tractatu Kele hamikdas, sive de Apparatu templi cap. 7. n. 6 *quæ porta Nicanoris erat, quæ quoniam erat supra atrium mulierum, porta superior dicebatur.* Ibi & licet animadvertere quot & quantis erroribus scateant omnia quæ Judæi de templo scribunt. Etenim constare debet, Josepho teste oculato, portam illam de quâ sermo est, fuisse obductam auro; cùm porta orientalis, quæ erat in secundo septo, ut vidimus, ænea esset. Contra autem Josephi testimonium Maimonides statuit portam superiorem, nempe quæ non erat in septo secundo ante atrium mulierum, sed supra illud, fuisse æream Cap. 5. n. 5. de Domo electâ *Singulæ portarum illarum erant latæ cubitos decem, & viginti cubitos altæ: ac singulis fores e-*

rant extrinsecùs inauratæ, præter portam in Oriente A *sitam, cujus fores erant obtectæ æris illo genere, quod aurum imitatur. Nimirum hæc erat illa, quam portam supremam dicebant, quæ eadem est porta Nicanoris.* Consentiunt Talmudistæ cum Josepho quoad quindecim gradus, quibus ascendebatur ex atrio quod appellant mulierum, ad atrium Sacerdotum, sive ad illam partem hujus atrii, quam tribuunt Israëlitis. Illi ita loquuntur in tractatu Middoth (cap. 2. n. 5.) *Et quindecim gradus ascendebant ex ejus medio* atrio mulierum de quo ibi fit sermo *in atrium Israelis, respondentes quindecim gradibus qui in Psalmis occurrunt: in quibus Levitæ canebant. Non erant gradus recti, sed gyrati instar dimidii rotundæ areæ.* Semicirculum describebant circuitu suo. Ligfootius monet non in quotidiano quidem ministerio, seu ordinario in his gradibus stetisse canentes Levitas, sed tantùm in solemni festivitate festi Tabernaculorum; quæ vocabitur gaudium haustionis & effusionis aquæ; quod expendemus ubi agemus de ministerio templi.

Dubitandi locus non est quin ista orientalis porta, intra quam moramur, præcipuo nomine *limen* diceretur, Hebraicè סף *saph*; quia per illam præcipuus in atrium Sacerdotum ingressus. Vox illa *saph* ab Interpretibus Græcis, ut videre est in Kircheri concordantiis, effertur his diversis nominibus θύρα, πρόθυρον, ὑπέρθυρον, σταθμὸς, φυλακὴ, εἴσοδος, ὁδὸς, πύλων, πρόπυλον, quæ omnia nomina conveniunt dictæ portæ & vestibulo ejus. Ergo Sacerdotes qui dicuntur in Scripturâ custodes *saph*, præficiebantur custodiæ hujusce portæ orientalis.

SECTIO III.

In porta orientali superiori, erant arculæ eleemosynariæ; undè locus dicebatur gazophylacium; quo in loco Jesus Christus plurimos sermones habuit.

IN vestibulo hujusce portæ orientalis superioris opinor fuisse cistas eleemosynarias, & alias in quibus condebatur pecunia ad sarta tecta templi oblata; indè gazophylacium appellabatur ille locus, cujus mentio fit in libro quarto Regum (cap. 12.) Ibi D narratur quomodo à Rege Joas objurgati fuerint Sacerdotes quòd neglexissent sarta tecta templi, licet pecuniam multam populus ad illa contulisset, quam ideo prohibiti sunt accipere.

8. *Prohibitique sunt Sacerdotes ultra accipere pecunias à populo & instaurare sarta tecta domus.*

9 *Et tulit Joiada Pontifex gazophylacium unum*, in fonte ארון *aron*, id est, arcam, *aperuitque foramen desuper, & posuit illud juxta altare ad dexteram ingredientium domum Domini.* In fonte, quâ vir, id est, quâ quisque ingreditur domum Domini. In Græcâ versione Vaticanæ editionis dicitur hæc arca posita παρὰ Ἀμμαζειβὶ ἐν τῷ οἴκῳ ἀνδρὸς οἴκου κυρίου. E *Apud ammazibi in domo viri domûs Domini.* Vox *Ammazibi* facta ex Hebræa המזבח *altare*, quæ primùm corrupta est à primis Librariis; quod cùm non adverterent sequentes, locum pejorem fecerunt inepto glossemate putantes *Ammazibi* nomen esse viri alicujus. Pergamus exscribere Latinam versionem. *mittebantque in eo* gazophylacio, in hac arcâ, *Sacerdotes qui custodiebant ostia*, in fonte custodes *saph*, id est, *liminis: omnem pecuniam quæ deferebatur ad templum Domini.*

10. *Cùmque viderent nimiam pecuniam esse in gazophylacio, ascendebat Scriba Regis & Pontifex, effundebantque & numerabant pecuniam, quæ inveniebatur in domo Domini.*

11. *Et dabant eam juxta numerum atque mensuram in manu eorum qui præerant cæmentariis domûs Domini. Qui impendebant eam in fabris lignorum & in cæmentariis iis qui operabantur in domo Domini.*

12. *Et sartatecta faciebant; & in iis qui cædebant saxa, & ut emerent ligna, & lapides qui excidebantur, ita ut impleretur instauratio domûs Domini in universis, quæ indigebant expensâ ad muniendam domum.*

Hujusce gazophylacii iterum fit mentio in ejusdem libri quarti Regum cap. 22.

3. *Anno autem octavo decimo Regis Josiæ misit Rex Saphan filium Asliæ, filii Messulam, scribam templi Domini, dicens ei:*

4. *Vade ad Helciam Sacerdotem magnum ut con-* B *fletur pecunia, quæ illata est in templum Domini, quam collegerunt Janitores templi à populo.* In fonte custodes *saph*, id est, *liminis*, quod erat in porta orientali. In Græca versione φυλάσσοντες τὸν σταθμόν.

5. *Deturque fabris per præpositos domûs Domini: qui & distribuant eam his qui operantur in templo Domini ad instauranda sartatecta templi;*

6. *Tignariis videlicet, & cæmentariis, & iis qui interrupta componunt, & ut emantur ligna & lapides de lapidicinis ad instaurandum templum Domini. Verumtamen non supputetur eis argentum quod accipiunt, sed in potestate habeant & in fide.*

Omnia conclavia quæ in Hebræo codice dicuntur לשכות *leschachoth*, ut vidimus, appellantur ab Interpretibus *gazophylacia*. Nempe locus ubi servarentur divitiæ, sed ille de quo loquimur, potuit sic antonomasticè dici; quo nomine appellatur in Evangelio. Hic, inquam, locus ille qui in Evangelio dicitur gazophylacium, non alius est. Arca eleemosynaria posita erat in limine atrii Sacerdotum, ad dexteram ingredientium ad illud atrium; ita in vestibulo portæ orientalis, in tertio septo. Non alius locus παρὰ τὸν βωμὸν juxta altare, ut loquitur Josephus Antiq. lib 9. cap. 8. cogitari potest; ad quem accedere possent omnes Israëlitæ. Igitur in vestibulo portæ orientalis transigebatur quod Marcus narrat cap. 12. de paupere viduâ quæ duo minuta misit in gazophylacium, his verbis.

4. *Et sedens Jesus contra gazophylacium, aspiciebat quomodo turba jactaret æs in gazophylacium, & multi divites jactabant multa.*

42. *Cùm venisset autem vidua una pauper, misit duo minuta quod est quadrans.*

43. *Et convocans Discipulos suos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium,*

44 *Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt: hæc verò de penuriâ suâ omnia quæ habuit misit totum victum suum.*

Non multum diverso sermone res eadem narratur à Luca cap 21.

1. *Respiciens autem* Jesus *vidit eos qui mittebant munera sua in gazophylacium divites.*

2. *Vidit autem & quandam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo.*

3. *Et dixit: verè dico vobis, quia vidua hæc pauper, plusquam omnes misit.*

Versus subsequens cum his quos protulimus, connexionem habet, non animadversam ab Interpretibus.

5. *Et quibusdam dicentibus de templo, quod bonis lapidibus & donis ornatum esset, dixit:*

6. *Hæc quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur.*

Hæc videntur conjuncta in vitâ Domini; nimirum vidua mittens duo minuta in gazophylacium, & admiratio donorum quibus locus ille ornabatur, & ædificationum templi, quas destruendas esse tunc

Dominus declaravit. Marcus loquitur de viduâ in fine capitis duodecimi; & initio capitis decimi tertii de ædificationibus templi quas Discipuli admirabantur templo exeuntes. Lucas vero simul utrumque refert, scilicet simul conjungit quæ sese proxime subsecuta sunt, quod factum & dictum est in ipso gazophylacio, deinde quæ dixere Discipuli dum egrederentur templo. De illis ædificationibus fuse disseruimus in libro superiori; nunc dicam de donis, quæ in gazophylacio Discipuli suspiciebant.

SECTIO IV.

Gazophylacium ornabatur ἀναθήμασι, hoc est donis. Ibi suspendebantur ea quæ monumenta posteris essent rei cujuspiam memorandæ. Gazophylacium illud necessariò fuit spatiosum.

DOna Græcè nominantur ἀναθήματα, quæ dicabantur in templis, & suspendebantur in loco excelso & conspicuo, ut nos docet Pollux in Onomastico. Τὰ δὲ ἀναθήματα *anathemata, dona* ὡς ἐπὶ πολὺ στέφανοι *plerumque sunt corollæ*, φιάλαι *phialæ*, ἐκπώματα *pocula*, θυμιατήρια *acerræ*, χρυσίδες ἀργυρίδες *aurea argentea vasa* οἰνοχόαι *cyathi*, ἀμφορίσκοι *amphoræ*, & similia; quæ ornamenta postea imitati sunt saxo artifices in ea parte coronidis quæ zophorus appellatur, ut pluribus diximus in libro secundo differentes de principiis Architecturæ. Talibus autem donariis templum Hierosolymitanum fuisse decoratum testatur Philo Judæus; qui id factum ab Augusto adstruit. Ὥστε μόνος οὐ πάντα οἶκος ἀναθημάτων πολυτελείαις τὸ ἱερὸν ἡμῶν ἐκόσμησε. *Itaque ipse & domestici ejus ferè omnes donariorum magnificentiâ templum nostrum exornarunt.* Innumera appenderat donaria Herodes teste Josepho (lib. 15 Antiq cap. 14) Τῷ δὲ ἱερῷ παντὶ ἦν ἐν κύκλῳ πεπηγμένα σκῦλα βαρβαρικὰ καὶ ταῦτα πάντα βασιλεὺς Ἡρώδης ἀνέθηκε, προσθεὶς ὅσα καὶ τῶν Ἀράβων ἔλαβε. *Circum templum affixa erant spolia Barbarica, quæ omnia Herodes denuò dedicavit, additis etiam recentibus Arabicis.* Appendebantur etiam trophæa, arma capta de hostibus, scuta, lanceæ, pharetræ, thoraces, galeæ & cætera quæ etiam expressère saxo Architecti. Josephus
D scribit in eoipso gazophylacio, Antiq. (lib. 19 cap. 5.) Regem Agrippam solutum catenis magnâ celeritate perrexisse Hierosolymam, ut votiva sacrificia persolveret. *Et catenam*, inquit, *auream à Cajo donatam pondere parem illi ferreæ, quæ regias manus vinxerat, monumentum adversæ fortunæ mutatæ in prosperam*, Τῶν ἱερῶν αὐτῆς ἀνεκρέμασε περιβόλων ὑπὲρ τὸ γαζοφυλάκιον, &c *Suspendit intra sacra septa supra gazophylacium, quæ doceret spectatores & sublimia posse corruere & Deum valere illa erigere denuò. Omnes enim admonebantur per hanc consecratam catenam, quod Agrippa levi de causâ privatus dignitate sit vinctus, pauloque post compedibus solutus splendidiorem quàm ante principatum adeptus sit: eam esse naturam rerum*
E *humanarum omnium ut celsissima quæque prolabantur facilè, rursumque inclinata restituantur in pristinum fastigium.* Talia dona suspiciebant Apostoli in gazophylacio.

A primis temporibus hæc religio animos incesserat, ut in accepti beneficii memoriam suspenderentur in templis anathemata. David, victo Goliath, donaverat Tabernaculo gladium, quo hunc gigantem interfecit; ut patet ex eo quod narratur in primo Regum (cap. 21. v. 9. Verùm non in solo gazopylacio appendebantur anathemata, sed ubique. In primo Machabæorum legimus (cap. 4. v. 57.) cùm dedicatum est templum, faciem ejus fuisse exornatam coronis aureis & scutulis. Id moris erat
A etiam Ethnicis. Titus Livius notat quoties in capitolio publicis impensis oblatæ sint aureæ coronæ, oblati & torques aurei. Suspendebantur autem dona ex tholo, qui erat species clypei, qui pendebat ex mediâ templi testudine. Juxta hanc consuetudinem Nisus loquitur, quando lunam invocat apud Virgilium (lib. 9)

Astrorum decus & nemorum Latonia custos,
Si qua tuis unquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi,
Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi.

Non vacat exscribere quæ vir eruditus collegit de hacce materiâ.

B Gazophylacii locus, etiamsi conclusus solo vestibulo orientalis portæ, magnus erat. Etenim hocce vestibulum longum erat quinquaginta cubitis, nempe plusquam octoginta tribus pedibus, latum viginti quinque cubitis, sive plusquam uno & quadraginta pedibus cum dimidio pede. Sed in secundo templo, ætate quâ Jesus Christus Dominus noster versabatur in terris, illa porta orientalis latior erat, si fidem Josepho adhibeamus. Quinquaginta alta pedibus, habens fores quadraginta cubitorum. Scilicet, ut conjicere licet, vestibum ejus factum erat latius, & totum apertum, ut in eo major Israëlitarum numerus exciperetur, & quæ in eo fiebant & dicebantur, videri & exaudiri possent ab illis qui
C adstabant degentes in loco subdiali. Itaque aptus locus concionibus; ideò cùm vellet Joannes Evangelista significare sermones illos Domini, quos capitibus septimo & octavo complectitur, fuisse habitos in loco celebri & coram frequenti concione, dicit [cap. 8. v. 20.] *Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio* ἐν τῷ γαζοφυλακίῳ *docens in templo: & nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora ejus.*

Mirum forsan alicui videbitur, inquit auctor dissertationum historico criticarum adversùs Baronium ad annum 35. n. 2. quòd Christus in gazophylacio de rebus divinis differuerit, cùm ad docendum locus patens omnibus eligi debuerit; ærarium autem plebi inaccessum; nec tanta fuerit Christo cum Sacerdotibus cognatio, ut in sacro & paucis pervio loco dicere de religione permitteretur. Sed Basnagius Flottemanvillæus, nomen est hujus scriptoris, qui arguit Cardinalem Baronium, ipse demonstrat parùm sibi compertam fuisse dispositionem templi. Etenim complura conclavia dicebantur gazophylacia; in quibus reponebantur opes templi, ut vidimus. לשכה *lischa* propriè est *conclave*: pariter autem omnia לשכות *leschacoth* à Græcis appellantur γαζοφυλακία. Sed quædam destinabantur acervandis thesauris templi, vasis pretiosis, aromatibus & omni suppellectili pretiosæ; in quæ gazophylacia admissus Pompeius, ut Josephus narrat; (lib. 1. de Bello cap. 5.) miratus est congestam aromatum molem, sacræ pecuniæ ad duo millia talenta, candelabra, mensas, vascula ex auro. Thesauri quidem illi non omnibus reserabantur; sed illud gazophylacium de quo fit sermo, patebat omnibus; alioqui non usque ad cistam eleemosynariam accessisset pauper illa mulier vidua. In cistas poterat nummus immitti, non manus. Erant tredecim cistulæ in templo, aiunt Judæi in Misna, tractatu *shekalim*, sive de siclis cap. 6. quas vocant שפרות, quod nomen significat tubas, *quia instar tubarum lata erant in fundo, in summâ verò parte arctiores, ita ut pecunia facilè in eas immitti posset, difficilius verò educi.* Qui his præficiebantur, evacuabant illas cistas certis temporibus, collectam pecuniam indè transferentes in thesauros templi; & cavebant ne quis illam fura-

ietur, ut fusè dicit Maimonides in tractatu de Siclis. Antis. Quadrata erat earum forma unius cubiti & dimidii in singulis lateribus. Altitudo vero unius cubiti, juxta calculos nostros viginti pollicum nostratium. Nomen כלים *Kelim* significat non solum vasa cava, sed & arma, cultros. Scilicet Sacerdotes supra dictas mensas reponebant omnia sua instrumenta, tum pateras, tum cultros, quibus ad manum admotis uterentur. Tum & mensarum harum is erat usus, ut super eas caro oblata in partes concideretur. Commodè autem disponebantur, ut laici qui non poterant perrumpere usquè ad altare, ibi offerre & mactare possent holocausta sua.

SECTIO V.

De dispositione & mensuris hujus partis, quæ erat ante ædem sacram intra septum atrii Sacerdotum. Expositio capitis 11. Ezechielis à versu 37. usque ad versum 48.

REvertamur ad Ezechielem, & pergamus expendere quæ ille dicit de dispositione & mensuris atrii Sacerdotum.

38. *Et per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum: ibi lavabant holocaustum.*

Fons ad verbum sic redditur: *& gazophylacium & ostium ejus in postibus portarum.* Ibi nomen לשכה *lischa* quod significat in genere conclave, vertit Vulgatus Interpres *gazophylacium*, & vocem אילים *elim* interpretatur *frontes*, quæ vox, ut vidimus, significat postes. Benè numerum singularem fontis intellexit distributivè; sensus enim qui magis convenit verbis quibus concipitur, ille est; intra singulos postes portarum, sive ad latera portarum fuisse multa leschachoth, id est, gazophylacia, sive conclavia; & unum ex illis destinatum lavandis victimis & purgandis.

39. *Et in vestibulo portæ duæ mensæ hinc, & duæ mensæ indè: ut immoletur super eas holocaustum & pro peccato & pro delicto.*

Vestibulum illud אלם *ulam* respiciebat atrium Sacerdotum, in quo sacrificia fiebant, & pars ejus erat. In hoc vestibulo mensæ quatuor dispositæ erant, duæ hinc & duæ indè, supra quas mactabantur illæ victimæ, quarum aliæ dicebantur *Holocaustum*, aliæ *pro peccato*, aliæ *pro delicto*. Quam sacrificii speciem Hebræi appellant חטאת *chatath*, Græci Interpretes nominant ὑπὲρ ἁμαρτίας *pro peccato*; & ὑπὲρ ἀγνοίας, id est, *pro ignorantia*, sive, ut Vulgatus loqui amat, pro *delicto*, quod sacrificium Hebræi dicunt אשם *ascham*. Advertamus Prophetam a stare ad portam aquilonarem, qui locus destinatus erat mactationi victimarum.

40 *Et ad latus exterius, quod ascendit ad ostium portæ, quæ pergit ad Aquilonem, duæ mensæ: & ad latus alterum, ante vestibulum portæ, duæ mensæ.*

Fons sic exprimi potest: Et ad humerum foris ascendenti, vel extra ascensum ad ostium portæ aquilonaris duæ mensæ: & ad humerum alterum qui in vestibulo portæ, duæ mensæ. Vidimus humeros portæ cujuspiam ipsa esse latera, quæ portæ adjuncta sunt. Sensus ergo hujus loci est, quòd cùm quis ingrederetur à foris, vel in loco qui extra ascensum erat, sive extra viam ascensûs ad latera portæ hinc & indè in vestibulo reperiret mensas; & sicut in ipso vestibulo quatuor mensas modo deprehenderat, ita extra ipsum alias quatuor; quod dicit Propheta.

41. *Quatuor mensæ hinc & quatuor mensæ indè: per latera portæ octo mensæ erant, super quas immolabant.*

Colligit Propheta summam mensarum, quæ erant ad portam aquilonarem, quatuor in ipso vestibulo portæ ad latera ejus, & quatuor aliæ ad eadem latera. Super illas Israëlitæ immolabant, vel potiùs in frusta victimas prosecabant.

42. *Quatuor autem mensæ ad holocaustum de lapidibus quadris exstructæ: longitudine cubiti unius & dimidii, & latitudine cubiti unius & dimidii, & altitudine cubiti unius; super quas ponunt vasa in quibus immolatur holocaustum & victima.*

Mensæ illæ erant è lapidibus *gazith*, id est dola-

43. *Et labia earum palmi unius reflexa intrinsecus per circuitum. Super mensas autem carnes oblationis.*

Vocem Hebræam שפתים sunt qui reddant chitropodes; alii interpretantur lapides focarios, & derivant à verbo שפת *disposuit.* B. Hieronymus vertit *labium*, deducens hocce nomen à שפה *labium*; quo sensu videtur acceptum à senibus Græcis, apud quos, teste eodem Hieronymo, legebatur γεῖσος λελαξευμένον, quod verbum negat se scire undè sit, & notat Symmachum & Theodotionem dixisse χεῖλος *labium*: Aquilam verò ἐπιστομίς. Alibi observavimus γεῖσος significare loricam: ut non aliud sonet quàm χεῖλος labium. Paraprastes verò Chaldæus, quem & Talmudistæ, ut videbimus, sequuntur, dictam vocem שפתים interpretatus est *uncinos*; & sic vertit, sive sic explicat hanc pericopen: *& uncini egrediebantur* longitudine *unius palmi defixi in columnis domûs macelli*, sive in loco mactationis, *intra vestibula per circuitum*: In fonte Hebræo *& haschepataim* chrematiæ, uncini, *palmi unius præparata in domo*, id est, in loco *circumcirca*. Locus ille appellatur à Paraphraste Chaldæo *domus macelli*. Videtur ab illo sensum Prophetæ rectè acceptum. Cui enim usui illud labium unius palmi? quod labium non mensis tribuit codex Hebræus, sed ipsi mactationis loco. Alium sensum sequitur Villalpandus, qui ut solet indè arripit occasionem decorare has mensas; quæ, inquit, haberent elegans labium. Non dissimulandum in editione Græcâ legi κυμάτιον *undula*. Apud Architectos κυμάτιον *cymatium* ornamenti genus est undantis speciem aquæ habens Mensarum cymatia ambientia has mensas, sive superiora ornamenta, instar labiorum, fuerunt, inquit Villalpandus, palmi unius intrinsecùs reflexa. Sed talia ornamenta obstitissent usui in quem mensæ paratæ. Verisimilius ergo est hîc indicari uncinos necessarios in laniena, sive in mactationis loco. Super mensas autem dictas dimittebantur carnes oblatæ, donec deferrentur ad altare in eo comburendæ.

44. *Et extra portam interiorem gazophylacia cantorum in atrio interiori quod erat in latere portæ respicientis ad Aquilonem, & facies eorum contra viam australem, una ex latere portæ orientalis, quæ respiciebat ad viam Aquilonis.*

Lectio hodierni codicis Hebræi antiqua est; quam in sua versione expressit B. Hieronymus. Sed, inquit, *à septuaginta Interpretibus, quod nos diximus exhedræ, sive gazophylacia cantorum, prætermissum est.* Ego vero conjicio Græcos pro שרים *scharim* cantores legisse משרתים *meschartim*, id est, ministrantes. Quod satis innuunt, cùm postea subjiciunt duas exhedras, quas notant attinuisse ad Sacerdotes ministrantes. Pro Cantoribus posuit Chaldæus לואי Levitas. Certè ibi codex Hebræus hodiernus perturbatus est; nec ex eo sensus dilucidus elici potest. Contrà verò Græca versio aperta est, quia ex codice, qui in hac parte sanior erat, cusa sit. Καὶ εἰσήγαγέ με εἰς τὴν αὐλὴν τὴν ἐσωτέραν, καὶ ἰδοὺ δύο ἐξέδραι ἐν τῇ αὐλῇ τῇ ἐσωτέρᾳ, μία κατὰ νώτου τῆς πύλης τῆς βλεπούσης πρὸς Βοῤῥᾶν, φέρουσα πρὸς Νότον, καὶ μία κατὰ νώτου τῆς πύλης τῆς πρὸς Νότον, βλεπούσης δὲ πρὸς Βοῤῥᾶν. Et

introduxit me in atrium interius: & ecce duæ exhedræ in atrio interiori, una ad dorsum respicientis ad Aquilonem, quæ fert ad Austrum: & una ad dorsum portæ quæ ad Austrum, respicientis ad Aquilonem. Hæc cohærent cum superioribus. Postquam Angelus mensus est & enumeravit partes, quæ observandæ erant in portis atrii interioris, in illud introduxit Ezechielem; & in duas exhedras oculos ejus convertit; quarum una, ut puto, sita erat inter portam borealem & orientalem, altera inter orientalem & meridionalem. Eo in loco Hieronymus cùm protulisset discrepantiam versionis Græcæ à textu Hebræo; *hæc Lectorem*, inquit, *admonui ne translationum diversitate turbetur: sed ut præsenti loco, & maximè in mensuris templi, Hebraicâ veritate contentus sit.* Verùm quando non constat de veritate Hebraicâ, hoc est, an codex Hebræus mendis careat, cur respueretur Græca versio cum limpidior est?

45. *Et dixit ad me: hoc est, gazophylacium, quod respicit ad viam meridianam; Sacerdotum erit, qui excubant in custodiis templi.*

Textus Hebræus, & ipsa Græca versio, tum & Paraphrasis Chaldæa sic reddi possunt. *Et dixit ad me* Angelus, *hæc exhedra*, sive gazophylacium *respiciens ad Austrum, erit Sacerdotibus qui custodiunt custodiam domûs.* Quibus scilicet commissa est templi custodia. Discimus ex libro Numerorum cap. 3. v. 27 commissam Tabernaculi custodiam familiæ Caathitarum; & illos castrametatos ad meridionalem plagam.

46. *Porro gazophylacium quod respicit ad viam Aquilonis, Sacerdotum erit, qui excubant ad ministerium altaris: isti sunt filii Sadoc, qui accedunt de filiis Levi ad Dominum, ut ministrent ei.*

Neutrum ex illis duobus gazophylaciis, quæ conspicua facta sunt Ezechieli, attinet ad Cantores; sed unum ad Sacerdotes qui custodiebant templi limen, & alterum ad Sacerdotes ministrantes altari. Ergo constare debet frustra in codice Hebræo hodierno memorari Cantores, sive illum non sanum esse. Quod subsequitur confirmat veritatem Græcæ versionis, juxta quam Ezechiel se dicit inductum ab Angelo in interius atrium, qui illud metitur.

47. *Et mensus est atrium longitudine centum cubitorum, & latitudine centum cubitorum per quadrum: & altare ante faciem templi.*

Nempe mensus est Angelus illam subdialem aream, ubi altare ante faciem domûs, id est, ante ædem sacram. Illam reperit paris longitudinis & latitudinis, nempe centum cubitorum. Ex dimensionibus illis, quas tam clarè Propheta assignat atrio Sacerdotum, invictum argumentum ducitur quòd Villalpandus non inhæreat verbis Prophetæ; facit enim, ut videre est in ejus delineatione, illam aream de quâ loquimur, latam quidem centum cubitis; sed longiorem, nempe centum viginti quinque cubitis.

SECTIO VI.

De loricâ, quæ populum à Sacerdotibus segregabat; & à Græco dicitur γεισὸς, sive γείσιον.

INtra septum, quod sumus ingressi continebatur lorica, de quâ loquitur Josephus (lib. 6. de Bello cap. 6.) Περιέστεφε δὲ τόν τε ναὸν καὶ τὸν βωμὸν εὔλιθόν τι καὶ χάριεν γείσιον ὅσον πηχυαῖον ὕψος, ὃ διεῖργε ἔξωτέρω τὸν δῆμον ἀπὸ τῶν ἱερέων. *Templum autem aramque cingebat ex pulcherrimo saxo lorica gratissima, usque ad cubitum surgens, quæ populum à Sacerdotibus segregabat.* Ibi certo legendum est non πηχυαῖον ὕψος, sed τριπηχυαῖον; alioqui secum diffideret Josephus, qui agens de structurâ templi in Antiquitatibus (lib. 7. cap. 3.) memorat talem loricam ædificatam à Salomone. Περιέβαλε δὲ τῷ ναῷ κύκλῳ, γεισὸν μὲν κατὰ τὴν ἐπιχώριον γλῶτταν, θριγκὸν δὲ παρ' Ἕλλησι λεγόμενον, εἰς τρεῖς πήχεις ἀναγαγὼν τὸ ὕψος, εἴρξοντα μὲν τοὺς πολλοὺς τῆς εἰς τὸ ἱερὸν εἰσόδου, μόνοις δὲ ἀνειμένην αὐτὴν τοῖς ἱερεῦσι σημανοῦντα. *Circumdedit deinde* Salomon *templo*, nempe ædi sacræ *septum quoddam trium cubitorum altitudine, quod nostra linguâ geison vocamus, Græci* θριγκὸν *loricam, exclusurum multos*, nempe Israëlitas, *& solos admissurum Sacerdotes.* Ætate Josephi, ut vidimus, erat & γεισὸς lorica ante secundum septum, nempe lorica gratissima quæ segregabat Israëlitas à Gentilibus, de quâ loricâ cùm ageremus in superiori libro, scrutati sumus originem hujus vocis γεισὸς. Tunc temporis advertendum est de istâ secundâ loricâ, quæ populum Israëliticum separabat à Sacerdotibus, interpretandum locum Regum lib. 3. cap. 6. v. 36. ubi ista leguntur. *Et ædificavit* Salomon *atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum*, tribus ordinibus lapidum gazith, *& uno ordine lignorum cedri.* Ibi atrium interius non aliud est quàm Sacerdotum, de quo quæstio est. Tres ergo ordines gazith, sive lapidum politorum erant in loricâ, quæ ædem sacram, aramque cingebat; & præterea ordo lignorum cedri, in fonte, ordo benè cæsarum cedrorum. Locum hunc expressit Josephus, quod ipse suis oculis in templo viderat. Verum ætate Salomonis cùm artificum in cædendis lapidibus industria nondum trita esset, forsan lignea tunc fuere ornamenta, quæ postea saxea facta sunt.

De formâ similis loricæ egimus libro superiori repræsentabat tapetes ocellatos, qui tum altare æneum, tum Tabernaculum & atrium in quo erat, cingebant. Locum Regum quem de dictâ loricâ interpretati sumus, Villalpandus accipit eam in partem, quasi in eo ageretur de contignationibus porticuum, quæ atrium interius prætexebant, & scriptor libri Regum indicatum voluisset omnes illas porticus tria habuisse tabulata, sive, ut loquuntur nunc Architecti, triplici ordine Architecturæ fuisse structas. Liquet vocem חצר atrium significare nec posse intelligi nisi de areâ subdiali: quo autem sensu dici potest hæc area ædificata triplici ordine, nisi cogitetur septa quâpiam loricâ, quæ structa esset ex triplici saxorum ordine & ligni texturâ.

LECTIO VII.

De dispositione & partibus atrii Sacerdotum juxta Talmudistas; qui arguuntur.

PRiusquàm enumeranda suscipiam quæ intra tertium septum continebantur, juvat iterum expendere quæ de hujus septi mensuris & partium ejus dispositione Talmudistæ dicunt parum feliciter, ut constare debet ex iis quæ dicta sunt in fine præcedentis libri. Ad aures eorum quæpiam fando pervenerant; multa de usu, nonnulla de situ partium templi à patribus audita recordabantur. Verùm eâ ætate qua Misna elaboratum est, videlicet duobus aut tribus à templi eversione elapsis sæculis, alii alia, ut solet, & diversa referebant. Etenim facilè & cito numeri dimensionum memoriâ excidunt. Quidquid sit, qui Misna commentariis illustrandum susceperunt, pugnantia dicunt; quod præsertim deprehendere est ubi de atrio interiori loquuntur. Totum illud spatium quod dicta modo lorica complectebatur, non aliud est, ut puto, quàm quod ab his Judæis appellatur עזרה *azarah*; sed non conveniunt mensuræ, quas huic spatio tribuunt cum Ezechielis mensuris. Iterum oculos, Lector, con-

A jice in delineationem templi Talmudicam: exhibet id quod Mischna appellat *azaram* cùm exponit mensuras ejus in tractatu Middoth cap. 5 Sect. 1. » Longitudo ab Oriente ad Occidentem centum octoginta septem cubitorum, cum latitudine centum triginta quinque, ita se habebat: locus incessûs, sive ambulacrum Sacerdotum undecim cubitorum. Ibi undecim cubita azaræ Israëlis fuisse à Librariis prætermissa liquet, & ex Gemara probat Constantinus Lempereur. Error ille facilè deprehenditur subducendo summam. » Altare verò triginta duorum cubitorum: spatium inter porticum & altare viginti duorum cubitorum. Ædes, sive fanum cum adyto erat cubitorum centum: deinde undecim cubiti à tergo loci ipsius Propitiatorii. Ab B Aquilone ad Austrum centum triginta quinque hoc modo: ab ascensu ad altaris extremitatem erant cubiti sexaginta duo: ab altari ad annulos octo cubiti: locus annulorum erat viginti quatuor cubitorum; deinde ab annulis ad mensas erant cubiti quatuor; à mensis ad columnas usque quatuor: à columnis ad murum azaræ octo cubiti: reliqui inter ascensum & murum, tum spatium erant columnarum.

De partibus totius azaræ, sive de azara Sacerdotum, & de azara Israëlis loquentes Sectione sextâ dicunt Misnici doctores: *Trabium capita dividebant inter hazaram Israëlis & hazaram Sacerdotum.* An illa C autem trabium capita eminerent è pavimento, an prominerent è vicinis parietibus, Judæi quærunt. Inquisitionem illam ut nullius pretii prætermittimus. Esto locus iste latus undecim cubitorum & longus centum triginta quinque cubitorum assignatus fuerit Israëlitis, in quo consisterent impositurі manus victimis quas offerebant; sed procul dubio ampliora spatia requirebantur, quæ caperent innumeram Israelitarum multitudinem. Quoquomodo ineantur illæ dimensiones Talmudicæ, adversantur Prophetæ, qui ab introitu atrii interioris numeravit centum cubitos; hazara autem Israëlitarum cum hazara Sacerdotum; altare latum triginta duobus cubitis, & intercapedo inter altare & vestibulum, quæ erat 22 cubitorum, facient tantùm septuaginta sex D cubitos; ita spatium illud Talmudicum deficit à Prophetico viginti quatuor cubitis. Propheticum erat quadratum; neutiquam verò Talmudicum, quod latum erat septuaginta sex cubitis ante faciem ædis sacræ, & longum centum triginta quinque cubitis.

Non alias mensuras proponit Maimonides in capite quinto de Domo electâ n. 12. » Hazaræ longitudo ab Oriente ad Occidentem patebat septem cubitos & octoginta & centum, quorum erat ista ratio. Ab hazara qui spectabat Occidentem ad hekal, sive ædis parietem undecim interjacebant cubiti: jam totius hekal longitudo patebat cubitos centum; & cubiti duo supra viginti inter vesti- E bulum & altare intererant. Ipsum autem altare cubitos patebat triginta duos. Tum erat spatium per quod ambulandi jus uni Sacerdotes habebant; atque adeò hazara Sacerdotum nominabatur: id undecim cubitos patebat. Præterea autem & spatium undecim cubitorum erat, in quo ambulandi jus habebant omnes Israëlitæ; idque hazara Israëlitarum dicebatur. De latitudine hazaræ mox agit citatus Rabbinus. Hazaræ latitudo quæ ab Aquilone ad Austrum erat, quinque patebat cubitos & triginta & centum, quorum erat ista ratio. Ab pariete aquilonari ad lanienam intercedebant octo cubiti. Jam laniena ipsa patebat cubitos duodecim & semissem, cujus è latere suspensis victimis pelles detrahebantur. Tum octo cubitos patebat

A spatium mensarum: in eo mensæ erant marmoreæ, in quibus disponebantur victimarum artus, & lavabatur caro jam coquenda: mensæ vero omnino fuerant octo. Ad harum latus erat spatium annulorum, patens quatuor supra viginti cubitos, in quo mactabantur victimæ. Inter spatium annulorum & altare cubiti inerant octo. Jam ipsum altare patebat cubitos duos & triginta: & triginta collis: ab hoc ad parietem australem intercedebant cubiti duodecim ac semissis. Itaque ab pariete aquilonari ad altaris crepidinem erat latitudo sexaginta cubitorum & semissis, & ex adverso ab pariete vestibuli ad parietem hazaræ in Oriente situm, erat longitudo cubitorum septuaginta sex «

B Sic Judæi in has partes distribuunt dictam aream quæ erat ante faciem templi. Quæpiam possunt accepisse ex traditionibus avitis; quæ ergo non prorsus respuenda sunt; verbi causâ, quæ attinent ad locum macelli, sive lanienam. Certum est ex lege Levitici [cap. 1. v. 11.] quod victimæ sanctiores ad Aquilonem jugulandæ essent. Aquilonare autem quadrum statuunt pro mactationis loco ad illam plagam. *Hoc loco mactabantur victimæ sanctiores*, inquit Maimonides. Ibi erat annulorum locus ad quos religabantur victimæ, ut sine multo labore mactari possent. Illud quadrum describitur in codice Middoth (cap. 3. n. 5.) *Ad Septentrionem altaris erant annulorum sex ordines, quorum singuli continebant* C *quatuor: sunt qui asserant fuisse quatuor, quorum singuli continerent sex, ad quos mactabant victimas.* Porrò annuli isti, inquit Constantinus Lempereur, quamvis Hebræa vox id exigere videatur, non erant propriè integri annuli, sed potiùs dimidiata annulorum segmenta: quorum singulorum cùm duæ essent extremitates, una pavimenti affixa permanebat, altera demum immisso animalis collo eidem pavimento annectebatur. Hac ratione, ut tradunt Judæi, vel unus Sacerdos mactationi par erat. De horum annulorum forma & usu fusiùs disseremus libro sequenti. Prosequamur quæ subjiciuntur in codice Middoth. *Receptaculum poparum*, hoc est, ministrorum à quibus mactabantur victimæ, *erat ad Septentrionem altaris, atque in eo vel apud ipsum* D *octo columnæ humiles: quibus erant impositæ quadrata è cedro ligna*: nempe transtra, sive transversæ trabes. *His verò unci ferrei infixi erant, ut ligna singula haberent ordines eorum tres, è quibus sacrificia suspendebant, ac pelle nudabant ad mensas marmoreas, quæ inter columnas erant.* Sic de istis mensis loquitur R. Schemaia. *Excoriabant & dissecabant atque intestina extrahebant in mensas marmoreas, quæ inferius inter columnas sitæ erant.* Sic & R. Hobadia. *In mensis marmoreis abluebant intestina; quia marmor rigidam & frigidam reddit carnem, conservatque eamdem ne fœteat.*

CAPUT II.

De exhedris tertii ſepti. Aliæ deſtinatæ erant Sacerdotum uſui, lectis, culinis. Ibi ſitum ſynedrium adſtruitur; de quo plurimus fit ſermo; de numero & munere judicum quibus conſtabat conſeſſus ille.

SECTIO I.

Plures numero exhedræ neceſſariæ erant uſui Sacerdotum.

SAcerdotes toto ephemeriarum ſuarum tempore diu noctuque commorabantur in templo; & hi numero complures. Ergo præterquam opus erat conclavibus in quibus reponerentur veſtes eorum, ubi his vel induerentur, vel exuerentur; inſuper requirebantur conclavia ſpatioſa, ubi cubarent, ubi cibum caperent, ubi coquerent. Penuaria, inquam, non anguſta neceſſaria, undè ut è proximo loco depromerentur in uſum altaris ſal, vinum, oleum. Extra interius ſeptum ſacra vaſa, quorum uſus in ſacrificiis, ſervata fuiſſe non veriſimile eſt. Tum & Cantoribus parandæ fuere exhedræ, ubi inſtrumenta reponerent; ipſi degerent quoties obirent munus ſuum. Horum omnium ædificiorum intelligimus diſpoſitionem fuiſſe admiratione dignam; ſed eam non pariter poſſumus exprimere, quippe incompertam. Etenim nec Ezechiel, aut alius ſacrorum codicum ſcriptor, neque Joſephus, de iſtis ædificiis, niſi in genere locuti ſunt. Quæ addunt Talmudiſtæ non ſufficiunt; præterquàm non illi carent omni erroris ſuſpicione. Quanquam enim qui Miſnajoth collegit, quædam potuerit diſcere ex orali traditione, templi imago nulla ſatis expreſſa ſupererat in animis hominum, quam collector ille potuerit verbis ſuis delineare. Aliquam tamen exprimit, ſed cui plures lineæ deſint; & quas veras habet, paucas numero, latent pluribus ſuperinductis falſis. In Ezechiele vidimus ædificia, quæ erant in parte aquilonari, fuiſſe occupata à Sacerdotibus, quorum munus erat ſacrificia altaris curare; meridionalis lateris cellas his deſtinatas, quibus templi cuſtodia committebatur. Ex eodem Propheta certum eſt cellas proprias fuiſſe reponendis ſacris veſtibus; de quibus ſic loquitur cap. 44. v. 19. *Cùmque egredientur* Sacerdotes *atrium exterius*, in fonte & in verſione Græcâ ad atrium exterius, *exuent ſe veſtimentis ſuis, in quibus miniſtraverant, & reponent ea in gazophylacio Sanctuarii*: in fonte in leſachot hakodes, id eſt, in conclavibus ſanctitatis, nempe quæ erant intra ſeptum atrii Sacerdotum, *& veſtient ſe veſtimentis aliis, & non ſanctificabunt populum in veſtibus ſuis.* Id eſt, juxta Paraphraſim Chaldaicam, *non commiſcebuntur cum populo in veſtibus ſuis.* Prophana ex contactu ſacrorum fiebant ſacra, ut videre eſt in Exodo cap. 30. v. 29. *Sanctificabiſque omnia, & erunt Sancta Sanctorum: qui tetigerit ſanctificabitur.* Ideò populus, cui non erat fas ſancta attrectare, attrectans noxam contraxiſſet. Similia occurrunt in Ezechiele capite 46. quem locum ideò perluſtrare decet, quia indicat qua in parte eſſent Sacerdotum culinæ.

19. *Et introduxit me per ingreſſum qui erat ex latere portæ, in gazophylacia Sanctuarii ad Sacerdotes, quæ reſpiciebant ad Aquilonem: & ibi locus vergens ad Occidentem.*

Stabat Angelus initio hujus capitis quadrageſimi ſexti in porta orientali, obſervans de illa quod ſex diebus claudenda eſſe. Hæc & ſequentia cùm dixiſſet, introduxit Ezechielem in atrium interius, & deduxit *per ingreſſum qui erat in latere portæ in gazophylacia.* Per illud מבוא *ingreſſum* intelligo porticum, quæ erat ad latus portæ orientalis, & circumdabat atrium interius. Per illam porticum Angelus Ezechielem deduxit in gazophylacia ſacra Sacerdotum, quæ erant aperta ad Aquilonem. *Et ibi locus vergens ad Occidentem.* Fons habet, *Et ecce ibi locus in duobus lateribus ad mare.* Nomen ירכהים in duali eſt; itaque non ſimpliciter reddendum in lateribus, ſed in duobus lateribus. *Ad mare*, ſive verſus mare. Sic Hebræi deſignant plagam occidentalem. Itaque licet Propheta non loquatur niſi de una culina quæ eſſet in aquilonari latere, versùs mare, intelligendum & pariter in altera extremitate gazophylaciorum meridionalium fuiſſe culinas, quas notamus in delineatione.

20. *Et dixit ad me* Angelus; *ille eſt locus ubi coquent Sacerdotes pro peccato & pro delicto: ubi coquent ſacrificium, ut non efferant in atrium exterius & ſanctificetur populus.*

Sacerdotes miniſterii tempore non egrediebantur templo, & veſcebantur ſanctis carnibus victimarum, quas in eo coquebant, & comedere debebant. Pro eo autem quod habet Vulgata: *ubi coquent ſacrificium*, in fonte eſt coquent *mincha*, id eſt, panem muneris quod offertur ex frumento. Itaque & ille locus deſtinatus erat conficiendo pani, qui in munus Deo offerebatur. Non efferendæ erant carnes dictarum victimarum *ne ſanctificaretur populus* propter eandem rationem, quâ cavendum ne populus res ſacras contingeret.

SECTIO II.

Enumerantur exhedræ quas Talmudici agnoſcunt in ſepto atrii interioris.

INitium ſumamus à plagâ orientali, in qua hæc conclavia in codice Middoth recenſentur, capite 1. n. 4. *In Oriente erat porta Nicanor: quæ duo habebat conclavia: unum à dextrâ, alterum à ſiniſtrâ; unum erat conclave Pinchaſi veſtiarii, alterum conclave τῷ ὀψοποιῷ, ſive cruſtulario* facienti cruſtula *deſtinatum.* In hoc ſcilicet conclavi parabantur cruſtula, placentæ quæ cum oleo in ſartagine coquebantur. Pinchaſus, ut dicit Hobadias de Bartenora, *conſtitutus erat ad veſtiendum Sacerdotes tempore miniſterii, eoſque poſt miniſterium veſtibus exuendum, atque ad cuſtodiendum veſtes ſacerdotales.* In eodem latere orientali alia conclavia ponunt Judæi, ſed quæ aperta eſſent versùs atrium mulierum. *Erant autem conclavia*, Middoth cap. 2. n. 6. *intra atrium Iſraëlitarum, quæ aperta erant atrio mulierum, ubi Levitæ collocabant citharas & nablia cum cymbalis, omniaque inſtrumenta muſica.* Horum conclavium diſpoſitionem explicat R. Schemaia. *Profunditates, ſive ſpeluncæ erant ſub iſto atrio* Iſraëlis, *eæque apertæ versùs atrium mulierum altitudine illorum quindecim graduum*, quibus nempe ex atrio mulierum aſcendebatur in atrium Iſraelitarum. Cùm itaque ſinguli gradus fuerint dimidii cubiti, receptacula, ſive conclavia illa habere potuerunt altitudinem ſeptem cubitorum, adeò ut commodè in illis muſica inſtrumenta reponi potuerint. Per atrium Iſraëlitarum intelligunt Judæi portionem atrii interioris, in qua conſiſtere poterant Iſraëlitæ. In hocce articulo tantùm ſatagimus exponere quæ habentur in codice Middoth de ædificiis tertii ſepti.

Tranſeamus ad latus ſeptentrionale; & ſiſtamus

gradum ad portam Mokad, sive incendii ant foci. A Si fidem adhibemus Talmudistis, plura ibi erant conclavia. Ex codice Middoth cap. 1. n. 6. *Quatuor conclavia erant in loco focario, sive incendii*, in porta, sive in domo Mokad, *quasi* κοιτῶνες *cubicula aperta in triclinium, quorum duo in loco sancto, duo in profano* in chel. *Atque capita trabium inter sanctum & profanum distinguebant.* Observavimus hallucinari Judæos, qui in utroque latere atrii interioris nulla agnoscunt atria præter illud spatium quod *chel* appellabant, cui conterminum atrium gentium. Dictorum conclavium usum quærunt Judæi. *Ad occasum;* inquiunt, *brumalem erat conclave agnorum oblationis; ad ortum brumalem, conclave panum propositionis; ad ortum æstivum conclave quo Hasmonæorum filii altaris lapides congesserant, quos Græciæ Reges profanaverant; ad occasum denique æstivum conclave, quo in balneum descendebatur.* Ex præscripta lege in Numeris cap. 28. v. 3. duo in singulos dies offerebantur agni; qui cùm omni vitio carere deberent, ne quid peccaretur, diligenter lustrabantur ante oblationem. Ergo ad id paratum erat conclave, in quo agni mactandi probaretur mundities. Ligfootius observat hocce agnorum conclave nunquam fuisse sine sex agnis; neque enim ullus offerebatur agnus, qui hùc non esset adductus quatuor ante diebus; adeòque ubi duo ex illis sumpti fuerant in matutinum & in vespertinum sacrificium, necesse erat duos alios inferri in dictum conclave ante noctem. Hæc adstruit Maimonides in tractatu de jugibus sacrificiis cap. 1. n. 8. *Non habebant unquam*, inquit, *pauciores quàm sex agnos, eosque diligenter inspectos, & perlustratos in conclavi agnorum, quod intra Sanctuarium erat: hi enim quatriduanum ante immolationem præsto adessent oportebat; & cùm singulos principio ritè perlustrassent, tamen sacrificium juge nunquam faciebant, quin hostiam ante immolationem denuò perlustrarent facibus. Porro tunc eidem aquam in aureo poculo potandam dabant, quo faciliùs corio exueretur.* Indè Christus Dominus, quem agni illi figurabant, cùm ante sex dies Bethaniam venisset, reliquis diebus à summo mane usque ad vesperam commoratus in templo, ut in doctrinam & mores ejus inquirerent Judæi; qui & ei potum dedere in cruce.

Post agnorum conclave Judæi collocant conclave eorum, qui panes facierum, sive propositionis præparabant. Tertium conclave illud erat, in quo, ut doctores Misnici volunt, Hasmonæi, sive Hasamonæi deposuerant lapides altaris, quos polluerant Græci Reges, nempe Seleucidæ, qui ab Alexandri Macedonum Regis morte regnum suum in Syriâ stabiliverant. Hi solent appellari Reges Græci in Macchabæorum historiâ, ubi refertur lib. 1. cap. 4. id quod adstruunt Judæi, legitur enim eo in loco.

42. *Et elegit* Judas *Sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei.*

43. *Et mundaverunt sancta, & tulerunt lapides contaminationis in locum immundum.*

44. *Et cogitavit de altari holocaustorum quòd prophanatum erat, quid de eo faceret.*

45. *Et incidit illis consilium bonum ut destruerent illud: ne fortè illis esset in opprobrium, quia contaminaverunt illud gentes.*

46. *Et demoliti sunt illud, & reposuerunt lapides in monte domûs in loco apto*, scilicet in aliqua parte templi, quod in monte Moria erat ædificatum, *quoadusque veniret Propheta & responderet de eis.*

Tunc Judæi acceptis lapidibus integris secundùm legem ædificaverunt altare novum ad formam ejus, quod erat priùs.

Erat conclave juxta Judæos quod appellabatur balnearium; non quòd eo loco lavarent se Sacerdotes, sed quia illac in balneum descenderent. Ibi erat focus ad quem se Sacerdos, postquàm corpus abluisset, calefaceret, atque sese abstergeret; idcircò & ardoris conclave nuncupabatur. Quoties enim quampiam pollutionem dormiendo passi essent qui altari ministrabant; toties tenebantur abluere corpus. Ad hoc plures erant piscinæ in templi hypogæis. Sic describitur domus incendii in Middoth cap. 1. n. 7. *Duæ erant portæ domui, quam vocant incendii, sive loco focario: una aperta versùs chel*, nempe versùs locum profanum: *altera quæ hazaram respiciebat: ita dixit Rabbi Jehuda. Huic quæ versùs hazaram aperiebatur, ostiolum erat parvum per quod ut hazaram lustrarent, ingrediebantur.* In eodem codice ista leguntur n. 8. *Domus incendii erat concamerata & magna, atque stratis saxeis circumdata; ubi seniores classis paternæ dormiebant, hazaræque claves in potestate sua habebant. Et candidatorum Sacerdotii singulis erat pulvillus suus in pavimento, ubi spatium habebant quadratum unius cubiti.* Explicat Constantinus Lempereur in notis suis ad codicem Middoth, quinam illi seniores classis paternæ dicerentur. Qui ministrabant singulis septimanis in sex ordines dividebantur, ut singulis diebus unus ministraret ordo; quem hîc paternam familiam vocat Misna, quòd Sacerdotes in familias certas secundùm earum capita divisi essent; qui ergo ad unum pertinebant ordinem, hi vocantur seniores paternæ illius familiæ. Septimo autem die simul ministrabant illius septimanæ & custodiæ Sacerdotes.

Si quidem è re duxerim totum codicem Middoth huicce operi pro occasione inserere, subjungam quæ locum allegatum subsequuntur n. 9. *Tabulæ verò marmoreæ erat infixus annulus, item catena è quâ suspendebantur claves. Ubi tempus observanti ostium appropinquaret, attollens tabulam annulo, claves è catenâ desumebat æditus: atque claudebat Sacerdos intùs atrii januas; Levita autem foris dormiebat. Ubi jam absolvisset & observasset, restituit claves catenæ, tabulamque in locum suum reposuit; eique pulvillo suo imposito somnum cepit. Si casus nocturnus alicui ipsorum contingeret, egressus per cochleam descendebat in crypto-porticum, quæ sub Sanctuario deducebatur, (facesque hinc indè ardebant) donec balneo appropinquaret. Rabbi Eleazar filius Jacobi inquit, per porticum, quæ sub chel permeat, egressus pervadit portam Teri.*

In eodem codice Mischnæ cap. 5. n. 2. enumerantur conclavia, quæ erant in latere septentrionali atrii interioris, à quo nondum discessimus. *Sex conclavia erant in hazara, tria à Septentrione, tria ab Austro. Quæ à Septentrione dicebantur conclave salis, conclave happarvæ, conclave lavantium. In conclavi salis reponebant sal pro oblationibus: in conclavi happarvæ ibi sale condiebant pelles victimarum; atque in ejus tecto erat balneum pro Sacerdote magno in festo Expiationis: conclave lavantium erat ubi lavabant victimarum intestina; atque indè cochlea surgebat in tectum illius happarvæ.* Frequens erat salis in templo usus Etenim nihil sine sale altari imponebatur. Excipiebatur tamen lignum, sanguis, & aliæ liquidæ oblationes. Cætera sine sale non offerebantur; ut præcipitur in Levitico cap. 2. v. 13. *Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres sal.* Ideo opus erat conclavi, in quo reponeretur sal. In viciniâ hujus erat conclave quod dicebatur happarvæ, ubi condiebant pelles victimarum. Circa nominis hujus originem & significationem nihil referunt authores, quod certum sit & scitu

ſcitu dignum. Alii volunt hujuſce nominis fuiſſe virum celebrem, à quo illud conclave ſic appellatum ſit. Alii etymum deducunt à *parim*, quæ vox juvencos ſignificat; undè conclave illud ſic appellatum, quia juvencorum pelles ibi deponerentur.

Lateris meridionalis iſta erant conclavia juxta codicem Middoth cap. 5. n. 3. » Quæ ad Auſtrum, » erant conclave ligni, conclave ſcaturiginis, con- » clave cæſi lapidis. De conclavi lignorum dixit R. » Elieſer filius Jacobi, reperi quis ejus fuerit uſus. » Aba Saul inquit, fuit conclave Sacerdotis magni, » ut alterum illud. Horum vero trium tectum æ- » quale fuit. Conclave ſcaturiginis quod attinet, ibi » puteus fixus, ſive cavatus, atque trochlea impo- » ſita erat; undè aquas ſuppeditabant toti hazaræ. » In conclavi cæſi lapidis conſeſſus magnus Iſraëlis » ſedebat ac etiam judicabat Sacerdotes. Sacerdos in » quo inveniretur vitium, induebat ſibi atras veſ- » tes, ac atris involvebat ſe, itaque egreſſus abi- » bat: cui verò non inerat vitium, induebat ſibi » veſtes albas, ac ſe albis involvebat, & ingreſſus » miniſtrabat cum Sacerdotibus fratribus ſuis. At- » que feſtum celebrabant diem, cùm non inveni- » retur vitium in ſemine Aaronis Sacerdotis: hæc » locuti, laudibus efferatur Deus ille laudandus, » quia non invenitur vitium in ſemine Sacerdota- » li Aaronis; & laudetur is qui elegit Aaronem » ejuſque filios, ut aſtarent ad miniſterium coram » Deo in æde ſacro-ſanctâ. Hæc conſuetudo illuſtrat locum Apocalypſeos cap. 3. v. 5. *Qui vicerit ſic veſtietur veſtimentis albis & non delebo nomen ejus de libro vitæ.*

Conclave ligni erat Sacerdotis magni, ut textus allegatus habet. Idem appellatum *parhedrin* opinatur Ligfootius. De hoc autem conclavi *parhedrin* multa obſervat Sheringhamus in commentariis ſuis in codicem Miſchnæ *joma*. Vox illa videtur deducta à Græcâ πάρεδροι. Erant autem πάρεδροι apud Græcos, ut dicit Julius Pollux in Onomaſtico, qui principi aſſidebant, & unà de Reipublicæ negotiis diſceptabant. Aſſeſſores nominantur à Latinis, quos Prætor binos eligebat, ut eorum conſiliis uteretur judicando. Litem dicit Sheringhamus Conſtantino Lempereur quòd non diſtinguat illud parhedrorum conclave à conclavi Gazith. *Si quis autem diſtinctum hujus conclavis locum*, loquitur Sheringhamus, *ſcire à me poſtulat, fruſtra id expectat, cum hoc nec ipſis quidem Gemaricis notum erat. Duo tamen ab ipſis aſſeruntur; primò ædificatum fuiſſe è regione domûs Abtines, ſecundò proximum fuiſſe domo lotionis, quæ erat ſupra portas aquarum.* Ligfootius dicit fuiſſe virum dictum Abtines qui conficiendi thymiamatis curam haberet, & huic ſuo muneri dederit nomen; undè qui ſucceſſerunt, vocati ſunt *familia Abtines.* Supra portam aquæ erat conclave Abtines, juxta Ligfootium; ibi nempe thymiama conficiebatur. Non prætermittendum quod obſervat Conſtantinus Lempereur errore Librariorum ſcriptum in codice Middoth conclave ligni pro conclavi lapidis. Sed quod dicebatur *gazith*, ſive cœſi lapidis, aliud erat & diſtinctum conclave. Forſan conclave ligni, quod erat & Sacerdotis magni habebat ſedilia lignea in quibus ſederet Sacerdos magnus; & unà cum parhedrin, ſive aſſeſſoribus ſuis deliberabant de rebus quæ ſpectabant munera Sacerdotum, ſicut in conclavi cœſi lapidis, ut dicemus, tractabantur publica negotia.

SECTIO III.

De conclavi putei & de aquis templi.

QUæritur è quâ ſcaturigine tanta aquæ copia in templo ſuppeteret ad tot & tam diverſa lavacra, ad infinitas ablutiones, immerſiones, conſperſiones, ad elixandas oblationes. Sæpiùs ſe lavabant Sacerdotes: proluenda erant victimarum viſcera: abluendum interdum atrium ne ſanguine ſtagnaret, & ob ſaniem & tabum fœteret. Itaque cùm incredibilis hoſtiarum numerus offerretur, quarum effunderetur ſanguis, innumeri eſſent miniſtri, quos decebat puros & lotos miniſtrare, aquis opus erat. Locus autem in quo templum ædificaverat Salomon, ſitu erat excelſus, naturâ ſiccus & petricoſus, & ideò ſine fontibus. Aquis tamen abundabat; quæritur ubi eorum ſcaturigo. Juxta Miſchnam, cujus jam adduximus locum ex codice Middoth cap. 5. n. 3. in plaga meridionali erat conclave putei. *Ibi puteus fixus, ſive cavatus atque trochlea impoſita erat, undè aquas ſuppeditabant toti hazaræ*, ſive atrio. In fonte Hebræo illud conclave appellatur לשכת הגולה *liſchat haghola.* Quare *haghola?* Reſpondet Hobadias de Bartenora quia reduces è גולה *è captivitate* Judæi ibi puteum foderunt Quidquid ſtatuatur de iſta etymologia, puteus hic habebat גלגל trochleam, quò aqua commodè hauriri poſſet. Ex quo autem fonte in huncce puteum aquæ influebant? Per canales eò aquæ derivabantur è fonte remoto, qui à Judæis vocatur עין עיטם fons *etham.* Diſputant Judæi de loco hujus fontis. Alii eum locant in tribu Benjamin alii in tribu Juda. Non juvat quæſtionem definire judicio Talmudiſtarum, qui in rebus chorographicis pariter ac in chronologicis ſæpiùs ineptiunt. Inter עיטם *etham* & איתן *ethan* quoad ſonum non magna eſt diſcrepantia. In Scriptura fluvii abundantes aquis appellantur איתנים, id eſt fortes. Putarem ergo fontem, ex quo tanta aquarum copia derivaretur, dictum *etham*, id eſt, validum, fortem. איתן idem ſonat Hebræis, quod Latinis *fortis, robuſtus, validus.* Quamquam mons Moria excelſus eſſet, & ipſa urbs Hieroſolymorum poſita eſſet in rupe altâ, tamen certum eſt ex teſtimonio teſtium oculatorum in viciniâ ejus fuiſſe loca adhuc excelſiora; ita ex regionibus circumvicinis fontes ſcaturiiſſe, ex quibus aquæ poterant deduci Hieroſolymam. Factum id adſtruit Joſephus, procurante Pontio Pilato Judæam, & in opus fuiſſe exhauſtum ſacrum theſaurum; induxit enim Pilatus aquas à ſtadiis trecentis, lib. 2. de Bello cap. 8. Inter quindecim ממונים præfectos templi, quibus cura rerum demandata ad cultum publicum facientium, erat præfectus aquis, dicit Ligfootius in operibus poſthumis. Hujus munus erat fontes & puteos effodere, fontes publicos curare, ut ſuppeteret aqua habitantibus Hieroſolymam, atque iis qui aſcendebant ad feſta. Huc forſan, inquit idem Ligfootius, alluſum eſt in titulo iſto, quo Joannes in Apocalypſi diſtinguit tertium Angelum ex illis qui phialas iræ Dei effuderunt, primus in terram, alter in mare, tertius ſuper flumina & ſuper fontes aquarum. Joannes, inquam, hunc tertium Angelum appellat præfectum aquarum, vel ad dignitatem alludens hujus viri qui curabat fontes Hieroſolymitanos, vel quia Angelus ille præfectus à Deo ut in flumina & fontes effunderet phialam iræ ſuæ.

De aquis templi mira narrat Ariſteas in hiſtoriâ 72. Interpretum. Hæc hiſtoria meritò viris doctis ſuſpecta eſt; nec omninò fide dignus videtur Hiſ-

toricus; sed eâ ætate vivebat, quâ templum Hierosolymitanum stabat; cujus miracula si non visu, ut dicere audet, ea auditu poterat comperta habere. Proferam ex versione Latinâ quæ ille scriptor Græcè narrat de aquis templi. » Templum autem, inquit Latinus Interpres, spectat ad ortum, posterioribus ejus ad occasum tendentibus. Et pavimentum totum est lapide constratum, tractusque habet aquæ immittendæ ad loca certa, quæ immittitur ad abluendum sanguinem hostiarum; quia in solemnibus festis multa millia jumentorum offeruntur. Aquæ vero confluxus nunquam deficit; & quia fons intrinsecùs magnus naturalem, & eam perennem scaturiginem habet, & quia subtus terram sunt mira & inenarrabili arte aquarum receptacula, confecta per quinque stadia, quemadmodum apparebat undequaque circum templum. Κυκλόθεν τῆς κατὰ τὸ ἱερὸν καταβολῆς. Quorum singula habent fistulas infinitas, utrinque in se invicem emittentes fluxus. Atque hæc omnia in imo & à lateribus plumbo sunt obducta, & multâ terrâ accuratè cooperta. Sunt præterea multa ostia in fundo & in basi, quæ nemo cernere potest, præter illos quibus ministerium est commissum. Per hæc impetu & effluxu supermissæ aquæ, sanguis quantumvis copiosus à victimis collectus abluitur & expurgatur. Exponam etiam quomodo ipse istorum receptaculorum molem & structuram ex singulari benevolentiâ monstratam cognovi. Nam abduxerunt me ex civitate ultra quatuor stadia, & jussit me unus capite ad locum quemdam inclinato auscultare sonum, quem aquarum concursus ederet. Hinc ego apertè cognovi magnitudinem vasorum illorum de quibus dixi.

Nullus est dubitandi locus quin fieri potuerit id quod adstruit Aristeas; si quidem in circuitu Jerosolymorum montes essent editiores, ex quibus fontes scaturiebant. Sed & intra ipsum montem Moriæ erant cisternæ, ut vidimus, in quas omnis imber ex templo defluebat. Cùm omne pavimentum marmore constratum esset, saxis omnibus secum ita conjunctis, ut nec ungue commissura eorum explorari posset, omnis qui de cælo imber decidebat, derivabatur in piscinas, lacus ingentes subterraneos; è quibus aquæ arte evehebantur ad superiora templi. In codice Middoth cap. 4, n. 6. solum & fundamentum ædis sacræ appellatur אוטם utham. Locus erat proximus huic ædi quem impluvium Judæi nominant. Inciderat primùm ista in animum cogitatio istud utham fuisse aquarum receptaculum, quod cùm, ut suo loco videbimus, altum esset cubitis sex, aquæ ex illo poterant influere in mare æneum, quod juxta erat. Arbitrabar, inquam, istud אוטם haberi posse pro עיטם etham. Quo nomine, ut supra vidimus, Judæi significant fontem undè aquæ templi scaturiunt. Sed Judæi vocem אוטם deducunt à verbo אטם *clausit, occlusit, obturavit.* Undè sic loquuntur: *Utham est structura oppilata, quam in ipso solo ædificant: fundamentum in quo muros collocant.* De illa voce pariter Maimonides dicit de Domo electa cap. 4. n. 3. *Principio Utham basis erat alta cubitos sex, quæ solida prorsus atque oppilata erat quasi fundamenti loco.*

Attamen si in ipsa templi basi statui posset aquarum receptaculum, jam liqueret quomodo Ezechiel vidisset de sub limine templi aquas effluentes. Sed ex quocunque loco derivarentur aquæ templi certum est in latere dextro atrii interioris manasse uberes aquas. Ibi situm erat mare æneum, & ibi conclave putei Talmudistæ collocant; quapropter eo in latere affluebant aquæ, quarum occasione significavit Propheta gratiam abundantem, quæ è templo Hierosolymitano in omnem terram tanquam ex fonte prorupit. Cùm ad huncce locum pertineant quæ ille dicit de aquis templi, afferam verba ejus & exponam cap. 47.

1. *Et convertit me* Angelus, sive redire fecit *ad portam domûs* ædis sacræ, *& ecce aquæ egrediebantur subter limen domûs ad Orientem: facies enim respiciebat ad Orientem: aquæ autem descendebant in latus templi dextrum* ab humero dextro domûs *ad meridiem altaris.*

Istas aquas significare Servatoris nostri doctrinam multis collectis testimoniis probat B. Hieronymus; ut illa Isaiæ cap. 11. *Repleta sunt omnia scientiâ, sicut aqua multa operiens mare.* Et Zachariæ 14. *In die illa egredietur aqua vivens de Hierusalem & medium ejus in mare primum: medium autem illius in mare novissimum.* Redeamus ad Ezechielem qui pergit loqui.

2. *Et eduxit me per viam portæ Aquilonis, & convertit me ad viam foras portam exteriorem, viam quæ respiciebat ad Orientem, & ecce aquæ redundantes à latere dextro.*

His declaratur dictas aquas irrigasse templi atria, sed indè egressas perinde ac magna flumina prope fontes suos exigua, quo magis elongantur, crescunt & majora sunt. Propheta, inquam, indicat salvificas aquas crescere debere, hoc est, quod doctrina Christi magis magisque cresceret & augeretur credentium numerus.

4. *Cùm egrederetur vir ad Orientem, qui habebat funiculum in manu sua & mensus est mille cubitos: & traduxit me per aquam usque ad talos.*

4. *Rursumque mensus est mille, & traduxit me per aquam usque ad genua;*

5. *Et mensus est mille, & traduxit me per aquam usque ad renes. Et mensus est mille, torrentem quem non potui pertransire; quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non potest transvadari.*

Docet hacce imagine Propheta, ut observat Theodoretus, fore ut initio Evangelicum præconium paucos ad salutem adduceret, deinde eos duplicaret ac triplicaret, ac postea totum impleret orbem, juxta vaticinium Isaiæ allegatum. *Replebitur universa terra cognitione Domini sicut aqua multa operiens maria.* Quæ sequuntur in Ezechiele, manifestæ figuræ sunt uberrimorum doctrinæ Evangelicæ proventuum.

6. *Et dixit ad me: certè vidisti, fili hominis. Et eduxit me, & convertit ad ripam torrentis.*

7. *Cùmque me convertissem, ecce in ripâ torrentis ligna multa nimis ex utraque parte.*

Ibi ligna sunt arbores quæ figurant justos, qui sunt tanquam lignum plantatum, id est, sicut arbores plantatæ secus decursum aquarum, quæ dant fructum suum in tempore.

8. *Et ait ad me: aquæ istæ quæ egrediuntur ad tumulos sabuli orientalis, & descendunt ad plana deserti, intrabunt mare, & exibunt, & sanabuntur aquæ.*

In fonte pro *ad tumulos sabuli orientalis* legimus *in Galilaam ad Orientem.* Et hæc, inquit Theodoretus in historia, licet nobis accuratè invenire; nam primò in Galilæam salutare præconium cucurrit, indè ad incultam & à pietate vacuam gentium regionem, pervenit etiam ad mare fluctuans, id est, ad Barbarorum nationes. Efficiet enim ut Græcæ & fabulosæ doctrinæ divino præconio deserviant, & morbosæ aquæ per has aquas sanctificatæ salutem suppeditent. Quæ de dimensionibus terræ Israël dicit Ezechiel, portendunt Ecclesiæ,

quam terra Israel figurabat limites esse propagandos. His diutius immorari non vacat, quia ad alia festinamus. Sed dum de aquis templi loquimur, non omninò indictus prætereundus est locus Ecclesiastici, sive Sirach cap. 50. ubi ille laudat Simonem Oniam ob instauratum templum.

1. *Simon Oniæ filius[1], Sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum*, id est, sarcivit templum, quod, ut sæpè vidimus, appellabatur *domus* nempe Dei, *& in diebus suis corroboravit templum*, id est, sarcivit & substructis circumquaque aggeribus munivit, ut exposui hunc locum in libro superiori disserens de substructionibus templi.

2. *Templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex ædificatio, & excelsi parietes templi.* Vidimus eodem loco hæc esse intelligenda de hisce substructionibus, & de porticibus altis quibus templum circumdatum est.

3. *In diebus ipsius emanaverunt putei aquarum, & quasi mare adimpleti sunt supra modum.* In fonte Græco editionis Vaticanæ. Ἐν ἡμέραις αὐτοῦ ἠλαττώθη ἀποδοχεῖον ὑδάτων, χαλκὸς ὡσεὶ θαλάσσης τὸ περίμετρον *In diebus ipsius imminutum est receptaculum, æs quasi maris perimetrum.* In scholiis editionis observatur quod in nonnullis codicibus pro χαλκὸς legitur λάκκος *cisterna quasi maris.* Ibi laudatur Simon quod reparasset cisternas templi, quæ aquam continere non poterant. Josephus Scaliger in animadversionibus suis ad Eusebii chronicum ad annum M. DCC. LXXXV. in Sirachide ἠλαττώθη *imminutum est* legit ἐλατώθη ἀποδοχεῖον ὑδάτων χαλκῷ. hoc est, *sub eo laminis æneis instrata est cisterna, cujus ambitus est instar maris.* Equidem fateor quod ἐλατοῦν sit ἐλάσμασι περικαλύπτειν, *laminis ductilibus operire*; sed ut notum est laminæ æneæ inficiunt aquas, si diutiùs intra illas stagnent: quapropter Vulgata lectio mihi magis probatur; nisi quod pro χαλκὸς lubentiùs legerem λάκκος. Sensus est: tempore Simonis *emanaverunt putei*, hoc est, non servabant aquas, diffluebant; ita receptacula imminuta: sed cùm illi putei ab Onia reparati fuissent, λάκκος & ὡσεὶ θαλάσσης τὸ περίμετρον puteus factus est lacus, cujus aquæ æquarent maris magnitudinem.

SECTIO IV.

Synedrium magnum, sive majus Judæorum tribunal sedebat in uno ex conclavibus templi, quod dicebatur lischathhagazith, *hoc est, conclave cæsi lapidis. Ad illud omnes causæ majores referebantur.*

IN templo residebat synedrium magnum, ad quod cùm referrentur majores causæ, & dijudicarentur, necesse est majestatem ejus fuisse maximam, non solùm sua religione, sed & auctoritate & quasi regno. Templum domus erat Dei quam inhabitabat, simul & palatium in quo regnum exerceret; indè promulgans leges suas, statuens pœnas, reos morti addicens, protegens innoxios. In Republica Judaïca, quæ ex suo primo instituto Theocratia erat, non agnoscebatur alius Rex quàm Deus. Electi quidem postea sunt Reges; sed tamen prima regiminis forma non omninò deleta est. Itaque ut olim Regibus mos erat intra palatiorum parietes ponere præcipui tribunalis sedem, pariter in ipso templo Hierosolymitano, quod erat domus & palatium Dei, decebat primarios Judices sedere, ibi res publicas tractare, & majores dijudicare causas. Quod fieri debuit, comprobabimus factum; sed primùm exponamus notionem rei, de quâ sermonem facere suscipimus.

Synedrium Græcè συνέδριον idem sonat quod Lati-

A nis *consessus*; nimirùm *tribunal*, in quo multi consident Judices. Nomen illud in usu erat apud Gentiles Græcos, ut videre est in eorum lexicis. Plato in Theæto sic Socratem inducit loquentem de iis qui verè Philosophi sunt. *Viam ad forum ignorant, neque ubi sit curia, ubi senatus, publicusve alius civitatis consessus intelligunt.* Οὐδὲ ὅπη δικαστήριον ἢ βουλευτήριον ἤ τι κοινὸν ἄλλο τῆς πόλεως συνέδριον. Liquet ex illo Græco nomine συνέδριον *synedrium* Judæos fecisse suum sanhedrin, nempe Græcum nomen suis scripsisse literis סנהדרין *sanhedrin*. Diversa sua tribunalia hoc nomine appellaverunt סנהדריות *sanhedrioth*; tria enim numerant; quæ inter se distinguebantur numero Judicum qui in illis consedebant.

B In minoribus oppidis erat Triumviratus, seu consessus trium Judicum; qui judicabant de litibus pecuniariis, mutuis, furtis, damnis, restitutionibus, de vi illata vel fraude factâ puellæ, aliisque variis causis minimè capitalibus. In majoribus oppidis erant synedria, sive consessus viginti trium virorum, quorum erat in quibusdam criminibus capitalia exercere judicia, sed non in omnibus. Denique Hierosolymæ erat magnum synedrium, de quo nunc agitur. Hæc tria tribunalia in ipso templo suam propriam sedem habuisse dicitur in codice sanhedrin cap. 10. n. 2. *tria Judicum collegia* בתי דינין, id est, domus judiciorum *istic* in templo *fuerunt*: *unum sedens ad portam montis domûs* nempe Moriæ ubi templum: *alterum sedens ad portam hazaræ*,

C id est, atrii Israëlis, ut diximus, juxta portam orientalem: *tertium sedens in lischat haghazith*, in conclavi quod ex lapide cæso structum erat, sive ex lapide quadrato. Hoc locant Judæi ad portam meridionalem atrii interioris, sive Sacerdotum. Olim apud portas urbium, quò cives frequentiores conveniunt, Judices sedebant, ut pluribus coram testibus judicia fierent. Indè phrases illæ codicis sacri: *non confundetur, cùm loquetur inimicis suis in porta .... Nobilis in portis vir ejus*, nempe sedet inter Judices. Apud Gentiles locus judiciorum erat in ipsis templis, sive templorum atriis. Plutarchus in libello de Pithiæ oraculis circa finem celebrans locum ubi ederentur, dicit quòd, quæ erat ἐν

D Δελφοῖς ἡ πυλαία *pylæa juxta Delphos*, id est, porta ubi consensus Judicum (id vox πυλαία significat) haberet ornatum templorum, curiarum, συνεδρίων, aquarumque lustralium. Nempe locus consessûs sanctus habebatur, & nemo in illum intrabat, nisi lustratus, sive purgatus aquis. In libello sequenti de oraculorum defectu satis indicat locum synedrii fuisse juxta templum. Ἤδη δέ πως ἀπὸ τοῦ νεὼ προϊόντες ἐπὶ ταῖς θύραις τῆς Κνιδίων λέσχης ἐγεγόνειμεν. *Dum hæc colloquimur, ad fores curiæ seu leschæ venimus: in quam Cnidii solent convenire.* Summum tribunal Romanorum residebat in ipso Capitolio; quò Senatus de rebus maximis gravissimisque conveniebat. Capitolium autem Jovis est templum situm in loco totius urbis excelsiore. Hocce tribunal intuebatur Tertullianus,

E auspicans suum sermonem apologeticum adversùs gentes: his, inquam, verbis compellans Senatores Romanos. *Si non licet vobis, Romani Imperii Antistites, in aperto & edito in ipso ferè vertice civitatis præsidentibus ad judicandum, palam dispicere & coram examinare quid sit liquidò in causa Christianorum, &c.*

Dum erectum stetit Tabernaculum, omnes causæ majores ad ostium ejus disceptabantur; quæ ædificato templo, ut præceperat Deus, dijudicandæ erant ad illius portas. Deuteron. cap. 17. v. 8. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram: & judicium intra por-*

tas tuas videris verba variari: surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Venies-que ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem qui fuerit illo tempore; quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem; & facies quodcunque dixerint qui præeunt loco, quem elegerit Dominus, &c. Hoc est quod Josephus expressit Antiquit. lib. 4. cap. 8. » Quod si judices, scilicet cæ-» terarum urbium, nesciant de negotio ad se dela-» to pronuntiare, sicut interdum accidit, in sanc-» tam urbem integram causam relegent: tum verò » Pontifex ἀρχιερεὺς & Propheta unà cum Senatu ἡ γε-» ρουσία quod visum fuerit decernant.

SECTIO V.

Adstruitur synedrium magnum fuisse intra ipsum templum; & dum templum stetit, alibi causas majores non licitè disceptatas.

Ex his clarè sequitur inter commenta Rabbinica non censendum quod Judæi dicunt de sede synedrii in templo. Quin animadversione dignum est quod fatentur ideò se carere synedrio, quia templum eversum est. Fatentur, inquam, nullum amplius se habere synedrium. Maimonides in tractatu sanhedrin cap. 14. » Non exercebant, inquit, ju-» dicia capitalia, nisi stante templo, videlicet cum » synedrium magnum in templo sederet, secundùm » illud quod dicitur de sene rebelli Deut. cap. 17. v. 12. cùm non obtemperaverit Sacerdoti; » atque » nobis traditum est, quod tempore quo Sacerdos » offert super altare, etiam capitalia judicia exer-» centur, nempe cùm synedrium in loco suo sede-» ret. Cùm primò exstructum est templum, con-» sidebat synedrium magnum in conclavi cæsi la-» pidis, quod erat in hazara; atque locus in quo » Senatores considebant, erat in parte prophanâ, » quia in hazara sedes nemini nisi Regibus ex stir-» pe Davidis concessa est. Hæc clariora fient, cùm » de conclavis forma differemus. Turbato rerum » ordine, migrarunt è loco ad locum, idque decies » factum est. Postrema migratio fuit ea, quæ facta » est Tiberiadem; atque dein nondum omninò fuit » synedrium magnum; traditio autem est, Tybe-» riade instaurandum posthac fore, atque indè trans-» ferendum ad templum.

Hæc eo magis sunt animadvertenda, quia indè adversùs Judæos elicitur argumentum Christum, quem inaniter expectant, jam advenisse. Etenim doctrinam suam de synedrii sede saltem in Judæa statuminant ex vaticinio Jacob Genes. 49 juxta fontem. *Non recedet sceptrum è Juda, neque Legislator è medio pedum ejus.* Undè apparet hanc vetustiorum Judæorum fuisse sententiam quòd usque ad Messiæ adventum synedrium in terra sancta & quidem in Judæa permansurum prædixisset Jacobus. Sed quæritur an dum ipse Messias versaretur in terris, reipsâ synedrium sederet in ipso templo. Etenim Judæi dicunt quadraginta annis ante excidium urbis & templi migrasse synedrii Judices ex antiqua sede. Id asserit Maimonides in loco suprà citato. » Quadraginta annis ante excidium templi secundi » cessarunt judicia criminalia ab Israël, licet tunc » staret adhuc templum, tamen hoc evenit, quia » Senatores migraverant, neque adhuc in templo » sedebant. Tempore quo judicia exercebantur ca-» pitalia intra terram Israëlis, judicabant etiam ju-» dicia capitalia extra terram, modò synedrium ri-» tè ordinaretur intra terram, quoniam usus erat » legitimus synedriorum tam extra quàm intra ter-» ram.

Hæc postrema verba valent adversùs Judæos, qui sic fatentur omni potestate excidisse; quod non debebat contingere, nisi cùm advenisset Messias. Sed cum anno æræ vulgaris LXX. eversum sit templum; Christus vero passus sit anno ejusdem æræ XXXIII. sequeretur quod aliquot annis ante passionem jam migrasset à templo synedrium. Id falsum esse evicimus. In Apparatu nostro chronologico ad commentarium in Harmoniam Evangelicam parte 11. cap. 3. §. 4. Ibi ex eruditâ observatione Vvagenseilii ostendimus in Gemaram Talmudis irrepsisse errorem, nec legendum ארבעים שנה *quadraginta annos* sed ארבע שנים *quatuor annos.* Protulimus exempla quibus evidens est etiam per plures à morte Christi annos synedrium in templo stetisse. Sed in ipso templo, in synedrio Christus ipse judicatus & damnatus est à Sacerdotibus & senioribus; quorum judicium Pilatus in suo Prætorio confirmavit. Seldenus putat id pariter factum in conclavi cæsi lapidis, quia Pilatus dicatur in lithostroto sententiam tulisse. « Undè, inquit Seldenus lib. 2. de Synedriis c. 2. non obscurè elici vide- « tur, sive nominis rationem spectemus, sive He- « bræorum illorum hîc auctoritatem, ipsum lithos- « trotum, ita Græcè dictum, fuisse synedrii magni « locum, seu conclave à pavimento nuncupatum. « Græca enim sunt de Pilato Joan. capite 19. v. 13. ἐκάθισεν ἐπὶ τοῦ βήματος, εἰς τόπον λεγόμενον λιθόστρωτον. Sedit « super tribunal in loco, lithostroto dicto: perin- « de ac si notissimum fuisset eo in loco tribunal seu « sedes forensis, ut in ipso liskath hagazith. « Esto fuerit synedrium lapidibus constratum. Sed plura loca Hierosolymis talia erant. Insuper innuitur locus qui Judici Romano proprius erat, nempe βῆμα, *suggestum*, sive *locus editus* dictus Hebraïcè *Gabbatha* ex quo solebant Præsides jus edicere. Ideò cùm Sacerdotes nollent intrare in hunc ne contaminarentur; propterea ad eos egressus est Pilatus; ita res non agebatur in templo, sed in suggesto, quod Prætorio proximum erat. Sequenti articulo evincemus quod postquam Sacerdotes Judæorum in ipso templo statuissent Jesum reum mortis, postea adduxerint ad Prætorium Pilati. Hîc illustrabo historiam B. Stephani quæ in Actis legitur cap. 6. undè colligi potest, quo in loco positum fuerit Judæorum synedrium.

Cùm Stephanus in Diaconum electus prodigia multa & signa magna faceret, indignati plerique Judæi.

11. *Tunc summiserunt viros, qui dicerent se audivisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen & in Deum.*

12. *Commoverunt itaque plebem & seniores & scribas: & concurrentes rapuerunt eum & adduxerunt eum in concilium* εἰς τὸ συνέδριον in synedrium quod sedebat in templo, ut ostendunt quæ sequuntur.

23. *Et statuerunt falsos testes, qui dicerent: homo iste non cessat loqui verba adversùs locum sanctum, & legem:* in fonte κατὰ τοῦ τόπου τοῦ ἁγίου τούτου *adversùs hunc locum sanctum.* Itaque erant in ipso loco sancto, quem quasi digito demonstrant.

14. *Audivimus eum dicentem: quoniam Jesus Nazarenus hic* οὗτος ipse, *destruet locum istum, & mutabit traditiones quas tradidit nobis Moyses.* Notum quod Judæi dicebant de Jesu: *Vah qui destruis templum Dei.* Ita non dubitandi locus est, quin per locum sanctum sit intelligendum templum.

15. *Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio* οἱ καθεζόμενοι ἐν τῷ συνεδρίῳ judices synedrii, *viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli.* Etiam q æ referuntur capite sequenti id comprobant. Pri..ceps

autem Sacerdotum, quod refertur in capite sequenti compellans Stephanum: *si hæc ita se habent?* Videlicet an hæc quæ illi objiciebantur, essent vera. Pro responsione Stephanus subjecit longum illum sermonem, qui hocce capite continetur; post quem de more Judæorum eductus est extra civitatem & obrutus lapidibus.

Ambigi potest an illa cap. 23. Actuum de Lysia Tribuno qui voluit Paulum eripere de manibus Judæorum, in templo transacta fuerint. Dicitur Lysias hisce verbis scripsisse Felici Præsidi, ad quem mittebat Paulum vinctum, ut de eo cognosceret. *Virum hunc comprehensum à Judæis, & incipientem interfici ab eis superveniens cum exercitu eripui, cognito quia Romanus est. Volensque scire causam quam objiciebant illi, deduxi eum in concilium eorum* εἰς τὸ συνέδριον αὐτῶν. Non licebat Lysiæ, quippe qui esset Gentilis, intrare intra sacra septa. Ergo si synedrium erat in loco sancto, intelligere possumus vel Paulum, Lysiâ jubente, deductum in locum synedrii, vel potiùs Judices synedrii ab eo accersitos extra ipsum locum synedrii. Scilicet ut in capite 22. in fine dicitur Lysias *volens scire diligentius quâ ex causâ* Paulus *accusaretur à Judæis, solvit eum & jussit Sacerdotes convenire, & omne concilium* ὅλον τὸ συνέδριον αὐτῶν, *& producens Paulum statuit inter illos.* Ita Tribunus non est ingressus locum sanctum, sed advocavit ad se synedrii Judices, ut coram illo disceptarent causam Pauli.

Hæc quæ de loco synedrii magni dicimus, confirmari possunt his verbis Scripturæ, 1. Paralipomenon cap. 26. 15. ubi sermo est de Janitoribus cujusque partis templi. *Obededom verò & filiis ejus* cecidit sors *ad Austrum; in quâ parte domus erat seniorum concilium.* Vulgatus Interpres certè intellexit synedrium: quod, ut vidimus, appellatur ab Hebræis *Beth Din*, id est, domus judicii: & ad Austrum, sive ad latus meridiole situm vidimus. In fonte Hebræo est בית האספים *beth hasupim* domus *hasupim*; quod nomen venit à verbo אסף, quod Græci frequentiùs reddunt ζυνάγω; ita *asupim* est ζυναγωγὴ, *synagoga, concilium*; ita domus in qua convenirent seniores ad deliberandum de rebus publicis. Sequitur in Vulgata 16. *Sephim & Hosa ad Occidentem*, nempe sors his duobus obtigit ut custodirent templum in parte occiduâ. In fonte לשפים *ipsi suppim.* LXX. verò habent εἰς δεύτερον τῷ Ὀσὰ; quare videntur legisse לשנים, vel משנה; quod in quarto Regum cap. 22. v. 14. vertitur in Latina versione *secunda*, nomen loci ubi habitabat Holda Propheta, quem Paraphrastes Chaldæus appellat בבית אולפנא, id est, in domo doctrinæ. Subit mentem principium versûs decimi sexti pertinere ad finem decimi quinti, & ibi domum seniorum appellatam משנם, sive fuisse domum doctrinæ. Sic ergo scriberem. *Obededom verò & filiis ejus* cecidit sors *ad Austrum in qua parte domus erat seniorum concilium & domus doctrinæ*, 16. *Hosa ad Occidentem.*

SECTIO VI.

Forma synedrii. Qui & quot sedebant in eo Judices. Quas causas judicabant: quæ erat eorum electio. Jesus Christus in synedrio judicatus est reus mortis.

NOn immorabor quæstioni enucleandæ, quæ agitari potest; an temporibus quibus vivebat Josephus, synedrium magnum eâ formâ fuerit constitutum, qua describitur in codice Talmudis sanhedrin, & in ejusdem tituli tractatu Maimonidis; qui breviter & dilucidè, ut solet sic de illo loquitur in primo capite sui tractatus sanhedrin. « Quot, inquit, synedria sunt fixa in Israël, & quot eorum numeri? Collocabant primò domum judicii magnam in templo, ea autem vocabatur synedrium magnum, cujus numerus erat LXXI. secundum illud quod dicitur Num. cap. 21. v. 16. « *Congrega mihi septuaginta viros è senioribus Israël; & Moses iis præfectus erat, secundùm illud, ut stent ibi tecum.* Ecce sic sunt LXXI. Nimirum LXX. seniores, & ipse Moyses qui erat omnium princeps. « Quicumque cæteris aliis sapientiâ præstabat, eum constituebant caput super se, atque is erat synedrii caput, idemque est, quem sapientem appellabant ubique נשיא nasi, id est, principem. Is verò constituebatur loco Mosis magistri. Constituebant etiam majorem aliquem intra septuaginta & virum doctiorem capiti secundum, qui à dextrâ illius sedebat. Is vocabatur Ab beth Din, id est, pater domûs judicii. « Cæteri verò τῶν LXX. sedebant coram binis hisce juxta dignitatem suam. Quicumque verò socium suum sapientiâ antecellebat, is proximior erat principi à sinistrâ ejus, cæterique sedebant velut in dimidiatâ areâ circulari, ita ut princeps & pater synedrii possent videre omnes synedros. « Ob oculos tuos, Lector, pono illam synedrii formam.

De electione synedrorum sic Maimonides in capite secundo. » Non constituebant in synedrio nisi Sacerdotes & Levitas, & Israëlitas genere nobilissimo Patricios, dignos ut Sacerdotibus possent copulari, secundùm id quod dicitur: « Num. cap. 11. v. 16. *Faciesque eos ibi stare tecum: similes erunt tibi in sapientiâ, timore & genere.* Præceptum verò divinum est, ut eligantur in synedrio magno Sacerdotes & Levitæ juxta illud. « Deuter. cap. 17. v. 9. *Et accedes ad Sacerdotes & Levitas.* « Si verò non inveniantur, licitum erat satis, tametsi omnes synedri essent Israëlitæ. Verùm potissimum synedrium constabat Sacerdotibus, de quibus hæc dicit Josephus in libro secundo contra Appionem. Ἔφοροι πάντων καὶ δικασταὶ τῶν ἀμφισβητουμένων, καὶ κολασταὶ τῶν κατεγνωσμένων οἱ ἱερεῖς ἐτάχθησαν. « Inspectores omnium atque Judices contentionum & punitores culpabilium constituti sunt Sacerdotes. «

De loco synedrii hæc profert Maimonides tractatu de domo electâ cap. 5. n. 17. *In conclavi ghazit*, sive quadrati lapidis, *considebat synedrium. Atque hoc conclave dimidium erat sanctum, & dimidium profanum, ostiaque habebat duo, alterum in sancto, alterum in profano: Senatus in dimidio profano considebat.* Maimonides Hebraïcè loquens utitur hocce nomine חול *chol*, quod quidem significat profanum. Non multùm discrepat à חל *chel;* quod, ut vidimus, nomen proprium erat hujus spatii antemuralis, quo atrium gentium separabatur ab atrio Israëlitarum. Ibi ergo loquitur Maimonides juxta dispositionem Talmudicam atriorum templi; quam arguimus. Scilicet, ut videre est in delineatione hujus dispositionis, in parte meridionali & septentrionali, pars aliqua atrii Israëlitarum non intercipiebatur inter atrium Sacerdotum & atrium gentium, ita à Meridie & ab Aquilone post atrium Sacerdotum occurrebat *chel*; sed hanc dispositionem confutavi, quapropter habeo pro Rabinico commento istam distinctionem partium synedrii, inter quas aliæ profanæ essent. Toto autem illo spatio quod in delineatione nostrâ locus synedrii occupabat; non excludebantur mundi Israëlitæ, qui poterant accedere usque ad eam loricam, quæ præcingebat altare & ædem sacram, & separabat Sacerdotes à plebe.

Ubicumque fuerit synedrium, magna erat loci religio. « Omne synedrium Israëlis, ait Maimoni-

» des in ſanhedrin cap. 3. quod dignum eſt ut ſy- A nedrii nomen gerat, in ejus medio reſidet majeſtas ac præſentia divina; ideo neceſſe eſt, ut ſynedri cum timore, & tremore, & reverentiâ, & obvelatione, id eſt, operto, & ſubmiſſo capite ſedeant; contra vero de levibus ac nugamentis confabulari, caputque levare in ſynedrio interdictum eſt, ſed tractandum eſt de rebus legalibus & ſapientiâ. Forma ſeſſionis exponitur in codice Talmudis ſanhedrin cap. 4. n. 3. » Synedrium inſtar areæ dimidiatæ fuit, orbiculare, ut unus alterum contueri poſſet. Coram illis à dextrâ & lævâ ſtabant duo ſcribæ, qui abſolventium & condemnantium annotarent ſententias. R. Jehuda ait, tres: unus qui abſolventium; alter qui condemnantium; B tertius qui utrorumque verba conſignaret. Hanc ſynedrii formam Latini appellant hemicyclum, id eſt, ſemi-circulum. Locus erat in ædibus aptus ad confabulandum; cujus mentio fit apud Ciceronem in dialogo de amicitiâ circa initium, ubi memorat quæ à Scævola audierat. *Cùm*, inquit, *ſæpè multa narraret* Scævola, *tum memini domi in hemicyclo ſedentem, ut ſolebat, cùm & ego eſſem unà & pauci admodum familiares, in eum ſermonem illum incidere, qui tum ferè erat multis in ore.* Locus ſynedrii referebat baſilicam magnam, qualem Pauſanias deſcribit in Phocicis, ſive in libro decimo, qui & ſynedrium erat; nimirum locus in quem conveniebant è ſingulis Phocici nominis urbibus, qui ad C conſulendum miſſi fuerint oraculum Delphicum. *Ædificii ingens eſt magnitudo*, inquit Interpres Pauſaniæ, *quàm longè ſpatium interius patet, columnis tectum ſuſtinentibus. Gradus à columnis ad parietem attolluntur: in illis gradibus ſua eſt Phocenſium conventui ſeſſio.*

Tantus ſplendor tantaque magnificentia fuit ædificii in quo ſedebat ſynedrium, ut totus terrarum orbis nihil ei ſimile aut ſecundum habere videatur, ſi fidem facimus Judæis. Locus quidem ſpatioſus fuit, in quo in ſemi-circulari orbe ſederent 71. Judices, adſtarent ſcribæ cum illis qui contendebant ſe innocuos, aut accuſabant reos. Veſtigia hujus ædificii notantur in noſtrâ delineatione totius tem- D pli, & in ſuperiori ſchemate. Locum decebat omni decore eſſe exornatum, in quo res omnes publicæ tractarentur, & præcipuæ quæſtiones & lites de religione dirimerentur, ut dicitur in Miſna in codice ſanhedrin cap. 1. n. 5. » Tribus, Pſeudoprophetes, Sacerdos magnus non niſi à 71. Judicum conſeſſu judicantur. Bellum arbitrarium non niſi ex illorum auctoritate ſuſcipitur. Urbs, atriumve non niſi his jubentibus amplificantur. Synedria tribuum non niſi horum nutu inſtituuntur. In nullam urbem ſententia univerſalis apoſtaſiæ fertur, niſi ab hoc Judicum collegio, &c. Ideò magnâ cautione fiebat horum Judicum electio, ut docet nos Maimonides allegati tractatus cap. 4. » Opor- E tet, ut omnes ſynedri ſynedrii majoris & minoris ac collegii Triumvirorum ſint promoti ex ore ordinati; hoc eſt, non promotus, non ordinatus non poteſt alium promovere & ordinare in Judicem. » Nam Moſes magiſter noſter promovit Joſuam, manibus ordinavit, ſecundùm id quod dicitur. Num. cap. 27. v. 23. *Et impoſuit ei manus, & præcepit ei* » Parili modo & cæteri ſeptuaginta ſeniores à Moſe ſunt ordinati, & præſentia divina apud ipſos quievit; illique verò ſeniores alios ordinarunt ac promoverunt, aliique alios, ita ut omnes ordinati ab ordinatis inveniantur uſque ad ſynedrium Joſuæ & ſynedrium Moſaicum, &c.

Ad hoc properamus ut evincamus Jeſum Chriſtum [illegible] omnium in ipſo templo, in ſynedrii conclavi, fuiſſe judicio iniquo judicatum reum mortis; quod ut liqueat, conſiderandum eſt tempus quo Judices ſolebant ingredi in ſynedrium & judicare. Audiamus Maimonidem, dicti tractatus cap. 3. « A quo tempore Judices ſedebant in judicio & ſynedrio minore & collegio Triumvirorum? Eorum autem erat paulò poſt matutinam precationem uſque ad horam diei ſextam. Verùm ſynedri majoris ſynedrii ſedebant à ſacrificio matutino uſque ad ſacrificium veſpertinum. « Ergo noctu non fiebant judicia, ut paulò poſt auctor ſubjicit. « Non incipiebant judicia noctu; nam per oralem traditionem didicimus quod judicia ſunt inſtar plagarum, ſecundùm id quod dicitur Deuter. 21. v. 5. *Omnis lis omniſque plaga: & quemadmodum plagarum inquiſitio (viſio) fit interdiu tantùm, ſic & judicia interdiu fieri debent.* « Parili modo noctu non accipiebant ab aliquo teſtimonium, nec contractus inibant. in cap. 11. addit Maimonides. Judicia verò civilia agitantur de die & de nocte terminantur. Judicia pecuniaria, ſive abſolutaria, ſive damnatoriâ ſententiâ, eodem finienda erant die (quod intelligendum eſt, quoties de lite ſatis liqueret, neque tunc ſententiam omninò comperendinandam) Judicia verò capitalia ſententiâ abſolutoriâ eodem quidem die finiri poterant; ſed damnatoriâ, in craſtino erant finienda, ideòque non judicabant cauſas capitales ערב שבת ולא ערב יום טוב, id eſt, veſperè ſabbati & diei feſti, ne ſi damnandus foret reus, morte nequiret die craſtino plecti. Nam interdictum eſt ſententiam damnatoriam in biduum differre, ſeu ultra craſtinum, & conſequenter pœnas in eis infligendas, quæ ſtatim ſententiam ſequi ſolebant; ideò eum cuſtodiæ tradebant uſque in feriam primam ſequentis hebdomadis. Et iſta capitis 12. animadvertenda ſunt, quæ ſpectant cauſas ambiguas. Illo autem die in paria ſe tribuentes ſynedri, ad ſententias ritè pronunciandas, ac pauculum ſumentes cibum, nec vinum die illo omninò bibentes, inter ſe de causâ conferunt totâ nocte illâ, poſtridie matutino ſynedrium adeunt. « Inde lux magna acceſſitur huic Evangelii loco, ubi condemnatio Chriſti refertur; de qua protinus diſſeram.

Quærebant principes Sacerdotum & ſcribæ, hi nempe quibus conſtabat ſynedrium magnum, quomodo Jeſum interficerent. Id non audebant palam in die feſto, nempe Paſchatis, ne fortè tumultus fieret in populo. Judas verò pactus eſt proditionem, quam perfecit in nocte, quæ præceſſit diem quâ mactabatur Agnus Paſchalis eo anno, qui fuit Chriſto emortualis. In tractatu ſpeciali de ultimo Chriſti Paſchate, evici affixum cruci emiſiſſe ſpiritum horâ qua agnorum paſchalium ſanguis in templo effundebatur. Horâ ſextâ hujus diei, ſive in meridie, inſtabat, ut loquuntur Judæi, paſchatis ערב *ereb* quod dicitur à Græcis παρασκευὴ paraſceve paſchatis. Quapropter juxta conſuetudines, quas ſupra expoſuimus, perficiendum erat Jeſu judicium ante illud *ereb*, ut vidimus, ſive ante paraſcevem paſchatis. Ergo Sacerdotes nacti occaſionem quam expetebant utentes proditione Judæ, miſere miniſtros qui apprehenderent Jeſum in horto. Ut autem ſolebat fieri in rebus difficilibus, congregati ſunt ſynedri noctu in ædibus Pontificis, ut quæſtionem agitarent, quam mane in ſynedrio definirent, confirmaturi nocturnum judicium. Fuiſſe viros ſynedros qui deliberarent, ſatis clarè Matthæus innuit cap. 16. v. 59. Οἱ δὲ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι καὶ τὸ συνέδριον ὅλον. *Principes autem Sacerdotum & ſeniores & omne ſynedrium.* (Sic reddi poſſunt verba Græca) *quærebant falſum teſtimonium contra Jeſum ut eum mor-*

ti traderent. Ea quidem nocte, in ipsis ædibus Pontificis judicaverunt Jesum reum esse mortis; sed deliberatio erat non judicatio. Neque enim judicia animarum de nocte fiebant; sed ut dictum est noctu poterant deliberare. Cùm autem dies illuxit eâ horâ, quâ dictum est licuisse Judicibus sedere in conclavi synedrii, properaverunt in templum Sacerdotes, hoc est, summi Judices; quia judicium absolvendum erat ante horam sextam. A

Jesum fuisse in templum deductum & in ipso synedrio stetisse coram synedris liquido dicit Lucas cap. 22. v. 66. *Et ut factus est dies, convenerunt seniores plebis & principes Sacerdotum & scribæ & duxerunt in concilium suum* εἰς τὸ συνέδριον ἑαυτῶν, in synedrium eorum. Liquet hæc esse intelligenda de synedrio, cujus sedes erat in templo. B *Dicentes: si tu es Christus, dic nobis.* Videlicet reum mortis noctu statuerant, quia se dixisset Christum filium Dei. Ut judicium esset legitimum, necesse erat ut Jesus sisteretur in ipso synedrio, accusaretur, interrogaretur, & juxta iniquam opinionem eorum agnosceretur reus. Accusabatur ut pseudopropheta, qui non poterat extra synedrium judicari. *Tribus, Pseudo-prophetes, Sacerdos magnus non nisi à LXXI. consessu judicantur*, ut vidimus. Ergo causa Pseudoprophetæ, sive hujus qui habebatur pro Pseudopropheta deferenda erat synedrio magno. Cùm autem tunc jus vitæ & necis non haberent Judæi, aut quia timebant plebem, id machinati sunt ut Romanus Præses videretur auctor mortis Christi. C Itaque ex synedrio deduxerunt Jesum ad Prætorium Pilati, criminantes eum quod gentem conturbaret, & prohiberet tributa dari Cæsari; ipsi verò Judæi ut Pseudoprophetam damnaverunt; Pilatus verò ut seditiosum.

Jesum judicatum reum mortis in ipso templo demonstrat id quod facit proditor Judas; qui ubi intellexit magnitudinem sceleris sui, pœnitentiâ motus congregatos adiit Sacerdotum principes. Matth. cap. 27. v. 3. *Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentiâ ductus retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum & senioribus* nempe toti synedrio, *dicens, peccavi tradens sanguinem justum.* D *At illi dixerunt: quid ad nos? Tu videris. Et projectis argenteis in templo recessit*, Quomodo potuisset Judas projicere argenteos in templo coram Judicibus illis, nisi tunc temporis sedissent illi in aliquo ex conclavibus templi? In codice Græco dicitur Judas projecisse argenteos ἐν τῷ ναῷ, quæ vox ipsam ædem sacram designat. Ibi Interpres Græcus Matthæi qui Hebraïcè scripserat, potuit non observasse discrimen vocum ναὸς & ἱερὸν; & posuisse ναὸς pro ἱερὸν. Sed & dici potest ἐν τῷ ναῷ positum pro εἰς τὸν ναὸν, ut Judas argenteos projecerit versùs ædem. Καὶ ῥίψας τὰ ἀργύρια ἐν τῷ ναῷ, ἀνεχώρησε. Cùm in altum projecisset argenteos versùs ædem sacram, recessit. Verbum ῥίπτω usurpatur cùm significandum est telum emissum, jactum. E De instituto nostro erat hanc expendere quæstionem de loco, in quo Christus damnatus est à Sacerdotibus Judæorum; quibus majori ex parte synedrium constabat. Tum & pertinebat ad gloriam templi hæc animadversio: etenim templum maxime causâ Christi ædificatum fuerat, ut in eo ederentur typi, & præcipua mysteria perficerentur, ut ex jam dictis & infra dicendis magis magisque constabit.

CAPUT III.

De altari exteriori, sive holocaustorum. De loco ejus, mensuris, materiâ, formâ, usu, cæterisque quæ illud spectant. Exponuntur loca Scripturæ, in quibus de hoc altari mentio fit.

SECTIO I.

Altare holocaustorum typus fuit crucis salvificæ, in meditullio atrii Sacerdotum positum erat, ubi olim Abraham filium Isaac immolandum susceperit, juxta veterem traditionem.

Tandem in atrium Sacerdotum ingrediamur, satis superque morati in ædificiis quibus præcingebatur. Illico sese oculis nostris objicit altare conspicuum mole suâ tum nidore victimarum, quæ in eo comburebantur, tum & sanguine, qui illi affundebatur. Verùm quantacumque fuerit multitudo victimarum, quarum sanguine respergebatur, non inde accersebat suum decus, sed ab eo, quod adumbrabat, sacrificio, quod Jesus Christus in arâ crucis de se obtulit. Hinc tanta huic constituendo impensa religio. In primis verò cautum est ut excelsum esset, tum loci naturâ, tum ratione structuræ suæ; videlicet quia decebat, ut propter præstantissimum ejus usum, omnium in se oculos converteret. Ergo multo discrimine discrepat à nostris altaribus, in quibus incruenta hostia offertur: undè sancti Patres, dum Christianam religionem distinguebant à falsis religionibus apud quas ritus Judaïcos invexerat Dæmon æmulus Dei gloriæ, profitentur optimo sensu se non habere templa, altaria; sive non diffitentur his carere. *Objicit nobis Celsus*, aiebat Origĕnes lib. 4. contra hunc Celsum, *quòd non habeamus imagines, aut aras, aut templa.* Apud Minutium Felicem in Octavio Celsus Christianis objicit: *cur nullas aras habent? Templa nulla? Nulla nota simulacra?* Arnobius scribens contra gentes lib. 6. *Accusatis*, inquit, *nos quod nec templa habeamus, nec imagines, nec aras.* Scilicet Christiani, qualia fuerant in templis idolorum, etiam in templo veri Dei, talia non habebant altaria. Ubi cultus diversus est; sive altarium diversus usus, & illa diversa sint necesse est, tum formâ, tum mensuris. Verùm iidem sancti Patres, ubi loquuntur de mensa in qua Christi corpus conficitur, altaria memorant; sive nomine altaris & aræ mensam illam designant. In hanc rem congesta passim occurrunt testimonia; sed aliena sunt ab hocce loco. Sufficit nobis ut eos moneamus qui de inconspectis judicant, ex iis quæ conspectui eorum subjiciuntur, ne ut nomine ita & re altare de quo nunc sermonem facturi sumus, simile credant altaribus Christianorum; qua opinione abducerentur à vera ratione ejus; & ideò à vero sensu Scripturæ, ubi de eo mentionem facit.

Cùm Salomon partes templi dimensus est, sic cuncta atria & ædificia disposuit, ut horum omnium altare centrum occuparet, sive æquis intervallis distaret ab ejus limitibus, portis, vestibulis. Sic ipse Salomon templum disposuerat; sed ubi eversum à Chaldæis instauratum est, adjectis aggeribus factum est atrium exterius, quo primitus templum forsitan caruit. Portio autem meridionalis hujus exterioris atrii, ut videre est in ichnographiâ, laxior facta est habens triplices porticus, quæ in aliis lateribus tantùm duplices erant. Ita centrum templi quærendum in centro hujus quadraturæ, quæ com-

plectebatur atria interiora Israëlis, & Sacerdotum. A Non habenda ratio Talmudicæ descriptionis, in qua videre est altare non in meditullio positum, sed vergere ad meridionalem plagam; quem situm adversari Ezechieli puto. Etenim ille divinus vates cap 40. 47. ponit *altare ante faciem templi.* In fonte, *ante faciem domûs;* in Talmudico autem situ non ad faciem ædis, sed ad latera ejus cernitur positum. Ante fores Tabernaculi, cujus formam imitandam sibi Salomon proposuit. Moyses ex jussu Dei locaverat idem altare, quod æreum dicebatur, ad distinctionem aurei, quod erat intra ipsum Tabernaculum. Huncce altaris situm in atrii Sacerdotum meditullio adstruit Josephus oculatus testis. *Cæterum,* inquit Antiquit. lib. 8 cap. 4. B *altare æreum ante ædem posuit Salomon,* κατὰ τοῦ ναοῦ *è regione portæ,* subintelligi debet orientalis, *ut illâ apertâ appareret hujusce altaris facies* κατὰ πρόσωπον εἶναι, sic verti potest, ut ante faciem esset aspectantium; *& cernerentur sacrificia & horum magnificentia.* Καὶ βλέπεσθαι τὰς ἱερουργίας, καὶ τὴν τῶν θυσιῶν πολυτέλειαν. Qui ad alias atrii Sacerdotum portas in ipso atrio Israëlis consistebant, pariter & sacrificia poterant intueri; quod non contigisset, posito altari extra centrum dictæ areæ; occultatum enim fuisset portæ lateribus.

Ad dignitatem loci, ubi altare holocaustorum extructum est, pertinet illa Judæorum vetus, & multis testimoniis comprobata traditio ibi Isaacum, nempe in monte Moriâ, ubi postea hocce altare C paratum est, ligatum fuisse ab Abraham patre suo sacrificandum, nisi loco ejus alteram victimam ipse Deus suffecisset. Id constanter dicunt Judæi. « Omnes à patribus auditum habemus, inquit Maimonides de Domo electâ cap. 2. n. 2. quo loco est à Davide, & Salomone extructum altare, in area Ornanis Jebusæi in eodem & Abrahamo ædificatum esse altare illud, in quo filium ligavit Isaacum. In eodem etiam altare ædificavit Noe egressus ex Arca. Porrò in eodem rem divinam fecère Cainus & Abel, & ante istos etiam primus homo, statim atque à Deo creatus erat; quin etiam in eodem ipse loco creatus: hinc illud sapientum; factus est homo ex ipso suæ expiationis loco. Noe in montibus Armenicis Arcam deseruit, ex D qua statim egressus sacrificavit. Et verisimile est circa Babyloniam collocandum esse paradisum, in quo homo ex humo formatus; nec inde forsan recesserant Cainus & Abel, cùm uterque rem divinam fecêre. Non ideò tamen minùs verum est quod de Abrahamo dicunt Judæi ex vetusta traditione, cui testimonium perhibet Josephus lib. 7. c. 10 Antiq. Etenim loquens de sacrificio quod Rex David in area Ornani Jebusæi, pestilentiæ avertendæ causâ, Deo fecerat, hæc addit. » Erat autem is locus in quem olim Abrahamus filium, ut holocaustomata faceret, adduxerat; & cùm jamjam jugulandus esset puer, aries repentè astans altari apparuerat: qui pueri vice fuerat mactatus, ut jam ante scripsimus. David autem cùm animadvertisset se exau- E ditum, & gratum fuisse sacrificium, decrevit totum illum locum altare universi populi appellare, & Deo templum ibi ædificari. Hoc ergo loco, quem elegerat Deus & sacraverat, altare holocaustorum positum est sub dio contra ædem; ideò dictum exterius, ad discrimen alterius altaris, quod concludebatur parietibus ædis sacræ. Is situs altari holocaustorum in Tabenaculo *in subdiali*, ut dicit Philo lib. 3. de vita Moysis, *ex adverso introitus Tabernaculi, tantùm inde semotum, quantum spatii satis esset ministris sacrorum ad obeunda quotidiana sacrificia.* Non alius situs fuit hujus altaris post ædificatum templum; quo situ discrepabat ab interiori, ut idem Philo dicit libro *de sacrificantibus.* nempe quod ἐν ὑπαίθρῳ παρὰ ταῖς τοῦ νεὼ προβάσεσιν ἵδρυται *sub dio situm sit propè ædis gradus.* Antiochus Epiphanes mactavit supra hoc altare sues in contumeliam Dei, ut narrat Josephus lib. 12. Antiq. cap. 7. Rem factam dicit Diodorus Siculus lib. 34. in altari Dei subdiali τῷ ὑπαίθρῳ βωμῷ τοῦ Θεοῦ.

Aliter fieri non poterat; etenim illud altare de quo sermo est, copioso victimarum sanguine imbuebatur; quarum combustis carnibus sic fumabat, ut ex eo fumi columna surgeret cælo, ab omnibus latè conspicua. Id de omnibus sacrificiis observabat Lucianus Ἡ δὲ κνίσσα θεσπέσιος καὶ ἱεροπρεπὴς χωρεῖ ἄνω καὶ ἐς αὐτὸν τὸν οὐρανὸν διασκίδνεται ἠρέμα. *Nidor ille divinus & sa-* B *cer sursum fertur, & in ipsum usque cælum subvectus paulatim diffunditur.* Ergo cùm in omnibus sacrificiis multa copia sanguinis effunderetur, & cremarentur victimarum adipes, idcircò ante sacras ædes assumebatur area locando altari; quæ delubri, sive templi nomine insigniebatur. Macrobius lib. 3. Saturnaliorum cap. 4. exponens quid sit *delubrum,* hæc allegat Varronis. *Delubrum, ait, alios æstimare, in quo præter ædem sit area assumpta Deum causâ, ut est in circo Flaminio Jovis statoris.* Paucis interjectis addit Macrobius de Virgilio loquens. *Illam verò opinionem de areâ, quam Varro prædixerat, non emisit.*

Principio delubra adeunt, pacemque per aras
C Exquirunt, &c.

Et mox.

Aut ante ora Deûm pingues spatiatur ad aras.

Quid enim est spatiatur, quàm spatio lati itineris obambulat? Quod adjiciendo ante ora *ostendit aream assumptam Deorum causâ.* In ista area parabantur aræ; ut videre est in illis citati vatis carminibus lib. 2. Æneidos.

Ædibus in mediis, nudoque sub ætheris axe
Ingens ara fuit.

Herodotus agens de Babylone, sic loquitur. Ἔξω δὲ τοῦ νεοῦ βωμός ἐστι χρύσεος. Ἔστι δὲ καὶ ἄλλος βωμὸς μέγας, ὅπου θύεται τὰ τέλεα τῶν προβάτων. Ἐπὶ γὰρ τοῦ χρυσέου βωμοῦ οὐκ ἔξεστι θύειν ὅτι μὴ D γαλαθηνὰ μοῦνα. *Extra ædem sacram altare est & ipsum aureum: atque præter hoc, aliud altare ingens, in quo integræ ætatis hostiæ immolantur: quando quidem supra aureum illud non licet hostias mactare, præter quam lactentes.* Et hoc apud Romanos consuetum. Ovidius lib. 1. Fastorum Janum inducit ita de Romuli tempore canentem.

Ara mihi posita est parvo conjuncta sacello.

Sæpiùs observamus Dæmonem, qui sibi divinos honores arrogabat, ut fieret quàm Deo similis, similia templa, similes aras Dei templo, & ejus altari habere voluisse.

Dum hîc de loco altaris disserimus, exponendus E locus 4. Regum cap. 16. 14. ubi narrantur facta impia Achaz. *Porrò altare æreum, quod erat coram Domino, transtulit de facie templi, & de loco altaris, & de loco templi Domini: posuitque illud ex latere altaris ad Aquilonem.* Scilicet eo ipso in loco ubi erat altare, Urias Sacerdos Achaz struxerat altare, juxta exemplar altaris quod Achaz viderat Damasci; & quia Salomonicum ille despiceret, *longiùs amovit ab anteriore parte ipsius domûs, ne esset inter suum altare, & domum Jehovæ; posuitque illud ad latus sui altaris Aquilonem versùs.* Sic Junius & Tremellius interpretantur fontem Hebræum. Joannes Jacobus Cramerus Tigurinus, qui perdoctè disseruit de Arâ, affert interpretationem hujusce loci ex

ex commentariis Rabbinorum. *Ara, quam Urias struxit, in atrio Sacerdotum cum altari æneo coram Deo à Salomone constituto posita fuit. Fuit autem hæc ara recens magis templo propinqua, perinde ac si eam inter altare & templum statuisset. Verùm non ita exactè eam in facie templi collocavit, sed ad latus altaris septentrionale.*

SECTIO II.

De altaris dimensionibus, latitudine, altitudine. Ad illud leni colle, non gradibus ascendebatur; ascendendo autem & descendendo cavebant Sacerdotes ne tergum aræ sacræ obverterent.

MOses altare, de quo loquimur, fecerat longum & latum quinque tantùm cubitis, altum tribus, ut in Exodo dicitur cap. 27. v. 1. Sed Salomon, auctâ gente, tum numero populorum, tum opibus, cùm tam angustum altare victimis offerendis haud sufficere potuisset, auxit, Paralipom. 2. c. 4. 1. *Fecit quoque altare æneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis.* Pares mensuras huicce altari holocaustorum assignat Josephus in Antiquitatibus libro octavo, capite tertio. Κατεσκεύασε δὲ καὶ θυσιαστήριον χάλκεον πηχῶν εἴκοσι τὸ μῆκος, καὶ τοσοῦτον εὖρος, τὸ δὲ ὕψος δέκα. *Fabricavit etiam Salomon altare æneum viginti cubitorum longitudine, totidem latitudine, altitudine decem.* Hecathæus altari Judæorum easdem assignat mensuras. Hunc Josephus allegat in primo suo libro contra Appionem. πλάθος μὲν ἑκάστη εἴκοσι πηχῶν, ὕψος δὲ δεκάπηχυ. *Unum quoque latus altaris viginti cubitorum latitudinem habens, altitudinem verò decem.* Ergo cùm in his duobus locis, etiam consentiat Josephus cum sacro codice; ne huic adversari, & sibi dissidere dicatur, alter locus, ubi alias mensuras ponit ut 6. de Bello c. 6. corruptus jure censetur. Ὁ βωμὸς πεντεκαίδεκα μὲν ὕψος ἦν πηχῶν, εὖρος δὲ καὶ μῆκος ἐκτείνων ἴσον, ἀνὰ πεντήκοντα πήχεις. *Ara alta erat quindecim cubitos, longitudo tum & latitudo æqualis mensuræ, quinquaginta cubitos.* Locus, inquam, ille corruptus est à Librariis, qui facilè lapsu errant in notis exscribendis, nisi quis suspicetur majores altaris mensuras factas post eversum templum à Chaldæis; illud autem quod in libris de Bello memorat Josephus templum describens, non fuisse antiquum, sed quod suâ ætate extaret.

Juxta dimensiones, quæ in sacro codice altari tribuuntur, singula ejus latera erant triginta quatuor Parisinorum pauló plus pedum; altitudo sexdecim. Hæc mensura collata cum altaribus hodiernis, videtur abnormis; sed tunc temporis non illa parantur, ut olim, tot victimis, quæ non poterant comburi nisi in plurimis & spatiosis focis. Quin & in dedicatione templi cùm altare non caperet tot victimas, quas Salomon in hoc die mactavit, Rex ille compulsus est in ipso solo atrii Sacerdotum facere sacra, sive uti totâ hujus atrii areâ vice altaris. 3. Reg. cap. 8. 64. *In die illâ sanctificavit Rex medium atrii, quod erat ante domum Domini. Fecit quippe holocaustum ibi, & sacrificium & adipem pacificorum: quoniam altare æreum, quod erat coram Domino, minus erat, & capere non poterat holocaustum, & sacrificium, & adipem pacificorum.* Componendæ erant quædam holocaustorum partes supra focos altaris: adeps victimarum comburendus. Hæc & alia requirebant aream spatiosam. In die illâ Salomon immolavit boum viginti duo millia, & ovium centum viginti millia. Dies quidem illa sumitur à quibusdam pro toto tempore, quo dedicatio celebrata est per septem dies; quos & alii septem pariter festivi subsecuti sunt. Verùm etiamsi in quatuordecim partiamus victimas illas, fieri non poterat ut carnes earum & adipes ignis unius altaris absumeret. Ideò Salomon coactus est sanctificare *medium atrium*, nempe Sacerdotum, ut liquet ex illis verbis: *quod erat ante domum Domini.*

Altare unctione quidem olei sanctificandum fuerat, sive consecrandum; sed ut contigit post reditum à captivitate Babylonicâ, vasa templi usu ipso divini cultûs potuére sanctificari. Itaque medium atrii, quod latiori sensu accipiendum, quam pro centro, ubi jam altare erat, scilicet pro qualibet parte, quæ intra ejus ambitum continebatur; totum, inquam, atrium sanctificatum est à victimis, quas ubique cum adipibus suis, & aliis solitis muneribus oportebat cremari. Altaria, sive focos, craticulas multis in locis atrii Sacerdotum Salomon paravit ut faceret *holocausta & adipes*, hoc est, igne combureret holocausta, & adipes juxta leges sacrificiorum. De mactatione autem ibi non est sermo, ubique enim in atriis, ut suo loco observaturi sumus, hostiæ mactari poterant, modò sanguis effunderetur ad pedem altaris.

Quæpiam altaria in gentium delubris etiam in centum pedes extendebantur. Julianus Imperator scribens Serapioni Epist. 24. & laudans numerum centenarium memorat ναὸς ἑκατονταπόδας *templa hecatompeda*, καὶ βωμοὺς ἑκατοντάποδας *& aras centena basi.* Quoquo sensu sumatur hic modo ille, indicat aras spatiosas. Quin & quædam altaria multo longiora latera habuere. Strabo lib. 10. loquens de Propontide; *ibi*, inquit, *fertur ara spectabilis esse cujus latera stadii longitudinem impleant.*

Altaribus ea eligebantur loca, quæ magis conspicua erant; inde altaria dicta, eò quod alta essent, ut alibi observavimus. Græcum nomen βωμὸς venit ab Hebræo במה *bama*, quod idem sonat ac *excelsum, altum*; & quandoque hæc vox sumitur in codice Hebræo pro altari In Paralipomenis lib. 2. cap. 14. 5. redditur θυσιαστήριον *altare*, indè pro *idolo* apud Ezechielem cap. 16. 16. videlicet pro altari falsi numinis.

Cùm altare holocaustorum, quod Salomon struxit, altum esset sexdecim circiter pedibus Parisinis, Sacerdotes non potuissent in illo operari, nisi verticem ejus aliquo colle ascendissent, gradus enim prohibuerat Deus Exod. 20. 26. *Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudo tua.* Hujus legis causam patefecimus de Tabernaculo differentes; scilicet ne vento agitante & inflante laxiores tunicas Sacerdotum, retegi potuisset nuditas eorum. Maimonides addit hanc rationem, ut Israëlitæ revocarentur à cultu idoli Pehoris, qui turpi pudendorum denudatione colebatur. « Jam pridem nosti, ait Maimonides, pervulgatam rationem cultûs Pehoris illis temporibus, quæ consistebat in retectione turpitudinis. Ideo præcepit Deus Sacerdotibus, ut facerent femoralia ad tegendam carnis turpitudinem, cùm sacris operarentur. Item ut non ascenderet Sacerdos ad altare, quamvis jam tectus, per gradus, ne detegatur turpitudo sua ad illud. «

Ergo ad latus altaris erat constructus agger, qui sensim ad terram descenderet ab altaris fastigio, sive collis clementer & molliter assurgebat. Hujus collis mentionem facit Josephus. Πρόσβασις ἦν μὴ διὰ βαθμίδων, ἀλλὰ προσχώσεως αὐτῷ κατὰ πρανοῦς ἠρμοσμένης. *Ascensus fit ad altare non per gradus sed terrâ leniter per acclive aggestâ.* Maimonides in tractatu de Domo electa cap. 2. n. 13. hunc collem describit. « Ad meridiem altaris, inquit, erat ædificatus collis. Is in «

„ longitudinem patebat duos & triginta cubitos, & „ sexdecim in latitudinem: nempe occupabat in ter„ ræ solo spatium triginta cubitorum ad altaris la„ tus: tum etiam supra basim spatium unius cubiti „ procedebat: procedebat & alterius cubiti spatium „ supra gyrum. Attamen paulusum inane inter col„ lem & altare intercedebat, eo ut victimarum „ membra in altare projicerentur, sive porriceren„ tur. Quorum verborum eadem est significatio Sed Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 2. Virgilium laudat quod voce sacrificantibus solemni dixerit.

extaque salsos
Porriciam in fluctus.

Non ut quidam, projiciam; *æstimantes Virgilium dixisse projicienda exta, quia adjecit*, in fluctus. B *sed non ita est. Nam & ex disciplina haruspicum, & ex præcepto Pontificum verbum hoc solenne est sacrificantibus*, non solùm apud Ethnicos sed & apud Hebræos, si fidem facimus libris Judæorum; juxta quorum doctrinam inter summitatem collis, & ipsam aram erat modicum intervallum; ut Sacerdos, qui in hoc colle stans, membra victimæ igni imponeret, ea projicere censeri posset. Nituntur eâ lege Deuteronomii 12. 27. *Et facies in holocaustis tuis carnem ut sanguinem.* Ergo uti sanguis in altare projicitur à Sacerdote, qui in pavimento stat, ita & caro projicienda erat. Ob hanc rationem collis altare non attingit. Separationem illam expressi; sed alia de causa. Scilicet cùm omnia quæ conjuncta erant cum altari, pariter sancta essent, ut ab C ipso distingueretur collis, ille separabatur ab altari aliquo intervallo, videlicet inter summitatem collis & aream altaris intercedebat spatium vacuum. Sufficiebat latitudo unguis, inquiunt Judæi, nimirum ut non esset idem corpus. Altare propriè pars erat superior, quam, ut modò videbimus, Ezechiel appellat Harielem. Hìc revocandum est in memoriam quod dicitur in Exodo cap. 30. de unctione summi Pontificis, & supellectilium Tabernaculi, Arcæ, altaris thymiamatis, & holocausti quo cum illa uncta fuerint, inquit Moyses v. 29. *Et erunt Sancta Sanctorum: qui tetigerit ea sanctificabitur.* Collis conjunctus cum altari unum & idem corpus fuisset; ita qui collem tetigisset, evasisset sanctus. Ne id D contingeret, separabatur, si me non fallit conjectura.

Pergamus collem describere verbis Maimonidis. „ Jam collis ille erat altitudine novem cubitorum „ minùs sextante; pertinebat enim ad eum altaris „ locum, quo sacra struebantur. Præterea autem ex „ eo colle prodibant duo parvi ponticuli, quà Sa„ cerdotes altare circuituri irent ad gyrum & basim: „ hi distabant ab altari transversum unguem. Hæc Maimonides post Rabbi Juda.

Collis, de quo loquimur, dicitur Judæis in suo Talmude כבש *cebes*, id est, collis, clivus, via, semita. Cùm ageremus de altari Tabernaculi diximus hunc collem triplicem fuisse, sive colli majori, quo ascendebatur in summitatem altaris, adjunctos fuisse E duos minores, quibus ad contractiones ejus, sive crepidines perveniebatur. Hos Constantinus Lempereur in suis notis ad codicem Middoth, & alii ut de Veil & Cramerus appellant ponticulos, idcircò videre est in illorum delineationibus altaris reipsa pontes, nempe semitam in aëre per quam à media parte collis ibant Sacerdotes ad illam contractionem altaris, quæ dicebatur *circuitus*. Huicce commento Judæi locum non dedêre. In testimonio R. Juda, quod allegat Constantinus in Middoth cap. 3. non alio nomine quàm *cebes* nominantur; sed additur *Katon*, nempe *minor*. Minores, inquam, colliculi non alio designantur nomine, quam qui ap- A pelletur major collis. Ideò non hos ponticulos expressi, sed hinc indè ad latera majoris collis duos minores colles adjunxi.

Altum altare diximus decem cubitis, duodecim latum, ita Sacerdotes in ejus vertice operari facilis non poterant, focos accendere, super eos victimarum membra comburenda componere nisi ibi consistentes. Præterea cùm opus aliquod exercendum circa centrum ejus, puta cùm membra victimæ ita collocanda ut flammis citiùs absumerentur, sive amovendi essent cineres, necesse erat ut aream altaris conscenderent. Clivus autem quo fiebat ascensus ad altare, juxta Judæos longus erat triginta duos cubitos in ascensu, nam in solo tantùm triginta occupabat, inquit Relandus, latus verò sexdecim. Ego nec tam longum, nec tam latum fuisse arbitror. Obstitisset ministerio templi nisi habuisset aliquot fornices, & hos pervios, quos Scriptura non memorat; neque ipsa Scriptura, nec Josephus definiunt mensuras collis. Ita qui non admittimus Talmudicas, alias assignamus convenientes. Ego qui cum Ezechiele summam facio aream altaris in suis lateribus latam duodecim cubitos tribus distinctis collibus pro latitudine do cubitos decem: sex majori colli, & quatuor cubitos duobus adjunctis collibus, singulis duos cubitos. Quoniam oportuit leniter esse acclives; qui ex tribus major erat, æstimo habuisse in solo saltem viginti cubitos. Per minores colles ascendebatur ad circuitum altaris, & ex illo descendebatur; sic ministri altare circuibant, cùm deferebant holocausta ad ignem altaris. Postquam ad dexteram summæ areæ pervenerant, in spatio libero, quod ibi relinquebatur circumeundo focos altaris redibant sinistrâ ad collem, per quem descendebant. Eodem modo qui per minores clivos, per eum qui erat ad Orientem ingressi in contractionem, sive crepidinem altaris circumeundo redibant ad clivum occidentalem. *Spargebatur collis sale, dicunt Judæi, ne pedibus Sacerdotum firmitas insistendi negaretur ob lævitatem soli à pluviis, pinguedine carnis destillante, aliisve causis. Eruvin* cap. 10. 4. In hoc colle erat cumulus salis publici, quo omnia altari admovenda adspergebantur præter vinum libaminis, sanguinem & ligna, ut in libro 7. videbimus.

Codex Talmudicus Middoth constituit collem ad latus meridionale altaris, cap. 3. Sectione 3. כבש *cebes*, id est, collis, sive clivus *ab austro altaris triginta duorum cubitorum, cujus latitudo sexdecim.* De illo situ concors est Josephus cum Talmudistis; sic enim de altari loquitur lib. 6. de Bello cap. 6. Καὶ ἀπὸ μεσημβρίας ἐπ' αὐτὸν ἄνοδος ἠρέμα προσάντης ὑπτίωτο. *Et à Meridie ascensus ad illud clementer arduus resupinabatur.* Sed id videtur adversari visioni Ezechielis; nam illa quæ ei facta est, & narrat cap. 43. v. 17. contrarium situm notat. ומעלתהו פנות קדים *oumaalothehu penot Kadim*, quæ verba sic Vulgatus Interpres reddit. *Gradus autem ejus versi ad Orientem.* Agnoscit Ezechiel gradus & hos sitos ad Orientem. Hanc dispositionem Villalpandus expressit in suâ ichnographiâ templi. Ita juxta illum quisquis ab altari descendens tergum obvertebat foribus ædis sacræ; quod peccatum videbatur Judæis grande. Quisnam verò alius sensus hujus loci apud Ezechielem esse potuit? Sic illum exponit Chaldæus Paraphrastes, ut nobis non adversetur, eam enim in partem verba ejus accipit, ut neque negans, neque adstruens collem fuisse ad Meridiem situm, innuat tamen Sacerdotes ad Orientem respexisse. *A loco*, inquit Paraphrastes, *per quem ascendebant ad illud, respiciebant ad Orientem.* Tergum potiùs obvertissent Orienti, si ab Oriente pro-

A pressi fuissent, ascendentes ad altare: nempe si gradus positi fuissent in orientali latere. Verùm etiamsi ascensus ponatur a latere meridionali, dici potest quod Sacerdotes faciem verterent versùs Orientem; & forsan descendendo versùs faciam ædem, ita non huic tergum ostenderent. Expendamus verba Ezechielis in fonte Hebræo, si fortè aliter olim lecta sint. Primùm fatendum est hodiernam lectionem Hebræi codicis antiquam esse; hanc enim secuti sunt LXX Interpretes. Καὶ αἱ κλιμακτῆρες αὐτῦ βλέπουσαι κατὰ ἀνατολάς. *Et gradus ejus respicientes ad Orientem.* legerunt illi ומעלתו a nomine מעלה *meala* id est, *gradus*; sed videtur Chaldæus legisse ובעלית *ubaaloth*, id est, *in ascendendo*, ab עלה *alah*, ascendit; ita juxta illam lectionem locus reddi potest; B *& à loco per quem ascendebant ad illud respiciebant ad Orientem*; sed non dicit gradus fuisse dispositos ad Orientem; & de ascensu altaris loquens, nec nominat gradus, quos prohibebat Deus. Hæc lectio *ubaaloth* pro *umealah*, præterquam confirmatur à Chaldæo, ideo verisimilis est, quia Ezechielem conciliat cum Moyse, cum Josepho & omnibus Judæis & cum seipso. Etenim numerat inter abominationes, quas viderit in templo, quando in illud adductus vidit tergum obvertere sacræ ædi quod necessario faciebant ministri descendentes ab altari, si gradus positi fuissent ad Orientem. Hanc visionem narrat capite octavo; in qua primùm sibi visus est videre idolum zeli, cui altare positum fuerat in porta aquilonari. Adductus ad ostium, cùm ibi fodisset parietem, advertit circumquaque in parietibus C omnium animalium species, diversa idola, quibus seniores Israël suffitum faciebant; & intra parietes: *unusquisque in abscondito cubiculi sui*; id est, in cellis quæ sibi obtigerant in atriis templi. Ingressus obvias habuit mulieres, quæ Adonidem plangebant, nempe colebant idolum Adonidis; cujus cultûs partes præcipuæ censebantur, plangere, lamentari. Adonis fuerat pulcher juvenis Veneris amasius, qui cùm dente apri occisus fuisset, eum mortuum planxit Venus. Feminæ ergo & viri libidinosi hoc planctu Venerem colebant, ut sibi propitiam redderent. Hos Gentilium ritus, aut alios forsan pejores Judæi, de quibus sermo est, observabant. Ultra pergens Propheta hanc, quæ hûc spectat, D abominationem vidit. *Et introduxit me in atrium domûs Domini interius: & ecce in ostio templi Domini inter vestibulum & altare: quasi viginti quinque viri dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem: & adorabant ad ortum solis.* Nempe illi siti erant in ipsis gradibus templi, vel in eo spatio quod erat inter hos gradus & altare æneum. Ostium ædis sacræ & vestibulum spectabant Orientem: ita qui obvertebant tergum ædi sacræ, intuebantur solem, quem pro Deo colebant more Persarum, plerarumque aliarum gentium Orientis. Fortasse Ezechias intuebatur hoc peccatum quo Israëlitæ tergum obvertere altari non verebantur cùm sic loquitur in secundo Paralipomenon cap. E 6. *Peccaverunt patres nostri, & fecerunt malum in conspectu Domini Dei nostri, derelinquentes eum: averterunt facies suas à Tabernaculo Domini, & præbuerunt dorsum.*

Indè colligitur Judæos religiosè cavisse ne terga obverterent templo. » Sacerdotes, inquit Relandus, » qui collem ascendebant ad dextram ibant, & post- » quam altare circumivissent ad sinistram redibant, » exceptis tribus hisce, 1. qui vinum libaret, 2. qui » aquam libaret, 3. qui avem in holocaustum of- » ferret, si ad Orientem altaris locus vacuus non » esset. Hi enim recta ad sinistrum latus altaris, harum rerum peragendarum causâ, tendebant, eademque viâ redibant. Zevachim 6. 3. Gem. Succa 48. 2. Solus Pontifex M. vinum libaturus altare à dextrâ circuibat usque ad angulum altaris. Notozephirinum, & illic porrectum à Sacerdote vinum effundebat Tamid 7. 3.

SECTIO III.

De altaris materiâ: pars ejus suprema ænea erat: fundamentum ex lapidibus impolitis, obductis tectorio. Ita à vero isto altari diversum est quod Villalpandus finxit variis cælaturis exornatum.

Circa materiam altaris non mediocris est difficultas; si cum enim videntur pugnare nonnulla Scripturarum loca, in quibus de illâ sermo est. Primum vidimus altare holocaustorum à Moyse fuisse ex ære conflatum. Hoc imitatus est Salomon, nisi quòd majus fecit, ut adstruitur in Paralipomenis lib. 2. cap. 4. v. 1. *Fecit quoque* Salomon *altare æneum viginti cubitorum longitudinis & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis.* Postea subjicitur de operibus Salomonis. *Mare etiam fusile fecit decem cubitis a labio usque ad labium, &c.* Quid his verbis aliud significat Scriptura, quàm pariter & à Salomone factum æneum mare, sicut & æneum altare conflaverat; sed cum aliquo discrimine, mare enim fusum erat; potuit autem altare, quod observavimus in Mosaico, conflari ex pluribus tabulis æreis malleo ductis, quod videbatur necessarium, ut aliquibus ambustis totum opus faciliùs repararetur. Saltem oportuit summitatem altaris fuisse æneam; ara enim lapidea perpetuos ignes incolumis sustinere non potuisset sine miraculo; quod quidem agnoscit & jactat quidam Rabinus, cujus verba profert Cramerus capite secundo dissertationis suæ de arâ exteriori. « Lapides non diu ignem ita sustinere possunt, ut non ambu- « rantur, præcipuè ignem magnum & perpetuum « trium rogorum, & quomodo non vel minimùm « quotidie lædantur, vitienturque, si naturam eo- « rum respiciamus, & igni ingenti & valido id ad- « damus, quod Sacerdotes mane & vesperi scopis & « fuscinis altaris summum verticem verrerent, & « corticem toties detraherent? Profecto hoc ingens « miraculum est, & docet quàm separati sumus per « Dei amorem à reliquis universi terrarum orbis « populis. « Si huic miraculo fides adhibenda altare erat terreum, quod videtur Scriptura astruere, sic enim Deus in Exodo 20. 24. præcipit. *Altare de terrâ facietis mihi & offeretis super eo holocausta, & pacifica vestra, oves vestras & boves, in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei; veniam ad te, & benedicam tibi.* Quomodo conciliant doctores Judæorum id quod facit Moyses & Salomon cum hocce præcepto? Dicunt Moysen fecisse ad tempus altare parvum æneum, quod transferre poterat; & quod à se factum ideo appellasse æneum, quia factum loco ænei, & cùm factum sit ad instar, sic formam ita & nomen servasse. Nec peccavit Salomon, inquiunt, quasi à proposito exemplari discessisset, aliam deligens materiam; nam forsan ad tempus Moyses paraverat altare æneum, quod transferri posset; quippe intus ligneum ut levius esset, & obductum extrinsecùs laminis æreis. Cùm sedes continuò mutandæ essent, arâ portatili opus erat, quam ideò oportebat esse cavam & ligneam; sed ne ligna corriperentur flammis, illa necessario obtegenda æreis laminis; sic facta ara lignea, & ærea. Circa materiam altaris potuit præscribi Salomoni ab aliquo viro Propheta, & ejus consilio non fecisse altare totum æneum; & hac hypothesi conciliamus diversas authorum sententias;

ſupponentes verbi causâ altare lapideum ſimul & æneum, quia pars ejus ænea conſtabat æneis, ut diximus tabulis intra quas cavitas erat plena lapidibus, interpretari liceret baſim altaris, quam & æneam in Tabernaculo habuit lapideam & ceſpititiam. Rabbini verò hac lege volunt eſſe præſcriptum ut altare ſolidum eſſet; quam legem ſic exprimit Paraphraſtes Hieroſolymitanus: *altare in terra ſixum ſtatues nomini meo*; nimirum eſſe terræ conjunctum oportebat, neque ſupra areas neque ſupra cavitates, præſertim ex quo populus Iſrael ſedes quietas habuit. *In altari nihil cavum*, loquitur Maimonides de ædificio templi, cap. 2. 11. 16. *ſed veluti columna totum intus ſolidum erat. Etenim congerebantur lapides magni, parvi in formam, quæ menſuram altaris caperet: tum verò diluta calx atque pix & plumbum quoque liquefactum infundebantur uſque dum altare exurgeret ad modum præſcriptum.* Ita non tam facilè poterat transferri altare, quod intendebat Deus unum & in unum loco præſcribens.

Amat Deus quod ſimpliciſſimum eſt. Prima altaria gentium fuere ſimplicia. Apud Romanos *Numa tempore nulla* erant *capitolia cælo certantia, ſed temeraria de ceſpite altaria, & vaſa adhuc ſamia*, inquit Tertullianus in Apologetico. Morem hunc videntur accepiſſe ab antiquis Patriarchis. Sed cùm ceſpititia ex ſe labaſcant & diruantur, ideò eodem in loco Exodi Deus permiſit ut lapidea ſtruantur: ſed interminatur ne multùm diſcedant à terreis; vult enim ut lapides impoliti aſſumantur. 25. *Quod ſi altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus: ſi enim levaveris cultrum ſuper eo, polluetur.* Philo de altari loquens, quod erectum erat, nondum everſo templo, cùm ſcribebat, innuit fuiſſe lapideum. Libro de victimas offerentibus pag. 850. Ἐκ λίθων λογάδων ἀτμήτων συνῳκοδόμηται, κ' ἐν ὑπαίθρῳ περὶ ταῖς τοῦ νεὼ προσόδοισιν ἵδρυται, καὶ γέγονε πρὸς χρείαν τὴν τῶν ἐναίμων. *E ſaxis collectis impolitis extruitur in atrio juxta templi veſtibulum, ad immolandas victimas.* Hoc inter leges Moyſi traditas à Deo recenſet Joſephus Antiquit. lib. 4. cap. 8. *Urbs ſacra ſit una in regione Chananæâ in loco illuſtri & fertili, quam Deus per oraculum elegerit: & templum in eâ ſit unum & altare unum ex lapidibus non politis, ſed collectitiis* ἀλλὰ λογάδην συγκειμένον *conſtructum qui inducti* κονιάματι *tectorio decoram, & mundam ſpeciem præ ſe ferant.* Idem ſcriptor lib. 6. de Bello cap. 6. dicit altare eſſe intactum à ferro. Κατεσκεύαστο δ' ἄνευ σιδήρου, καὶ οὐδέ ποτε ἔψαυεν αὐτοῦ σίδηρος. *Sine ferro autem ara conſtructa erat, nec unquam eam ferrum attigerat.* Denique in libro ſuo primo contra Apionem allegat Hecatæum, qui loquens de eodem altari facit illud lapideum. Βωμός ἐστι τετράγωνος οὐκ ἐκ τμητῶν ἀλλ' ἐκ τῶν ἀργῶν λίθων, οὕτω συγκείμενος. *Ara eſt quadrangulari figuratione compoſita ex lapidibus non dolatis, ſed collectis.* Non prætermittendus locus Machabæorum lib. 1. cap. 4. v. 47. unde & probari poteſt altare fuiſſe lapideum. *Et acceperunt lapides integros ſecundùm legem, & ædificaverunt altare novum ſecundùm illud quod fuit prius.* Ita non decet repræſentare altare, in ſua baſi factum ex ſectis lapidibus, ſed ex ſilicibus. *L'autel devoit eſtre fait de caillous*, hacce operis ſpecie quæ dici ſolet *caillouté*.

Quam in eligendis lapidibus ad altare ſtruendum, & iis conjungendis, tum inducendis tectorio curam Judæi adhiberent, explicatur in capite tertio tractatûs Middoth ſectione quartâ. » Lapides cùm aſcenſûs, ſive collis, tùm altaris fuerunt à convalle » Beth-cerem, quos effoderunt infra terram incul- » tam: atque inde adducere ſolent lapides integros, A ſuper quos agitatum ferrum non fuit, quia ferrum vitiat tactu, & quâlibet crenâ: alicui lapidi ſi crena incila ſit, is vitiatus, omnes reliqui legitimi ſunt. Eoſdem extergunt bis annuatim, ſemel tempore Paſchatis, iterum feſto Tabernaculorum, templum verò [hekal] ſemel ſub ipſum Paſcha. Rabbi dicit, ſingulis ſabbati veſperis extergunt mappâ ſanguinis causâ. Eoſdem adhibitâ trullâ ferreâ non incruſtant calce; ne fortè ferrum tangat & vitiet: quia ferrum creatum eſt ad contrahendum dies humanæ vitæ; æquum autem non eſt ut agitando applicetur decurtans prolonganti. « Deus ſcilicet cultu altaris placatus vitam producit. Juvat attexere verba Maimonidis, qui rem eandem tractat & illuſtrat cap. 1. de Domo electâ, 13. *Omnino*
B *præter lapides nihil eſt ex quo conſtruatur altare. Quod autem in lege eſt*, altare de terrâ facietis mihi, *hujus ſententia eſt, ut altare inhæreat in terrâ ſolidâ, ut ne ſuper fornicibus, aut terræ cavernis ædificetur. Quod autem in lege dicitur*, quod ſit lapideum altare, *id auditione accepimus non eſſe arbitrii noſtri, ſed neceſſitatis.* 14. *Qui lapis eſt vel ita leniter inciſus, ut ſi per eum ſic, tanquam per cultrum illum quo jugulantur animantes, deducatur unguis, offendat iſtâ lapidis inciſione, lapis hic vitioſus erit ad extruendum collem & altare, quia præſcriptum eſt*, de lapidibus integris ædificabis altare Domini. Deut. cap. 27. v. 6. *Porro lapides altaris eliciantur è terrâ virgine neceſſe eſt:*
C *terra videlicet fodiatur uſque dum perveniatur ad ſolum id, quod ſatis noſcitur, & omni cultu ſemper & ædificio vacaſſe, ex quo demum ſolo lapides extrahuntur: extrahuntur etiam è mari magno. Atque lapides illi quoque qui adhibentur ad templi ædificium, & atrii, illi etiam integri ſint oportet.* 15. *Atriorum igitur & templi lapides ſi fortè infracti, ſeu inciſi ſint, vitioſi fuerint, ac ne redimi quidem in alium uſum potuerint: ſed eos oportet ſepoſitos ac conditos habeamus. Quemcumque lapidem ferrum tetigit, is etiam ſi integer atque illibatus ſit, tamen non eſt idoneus qui adhibeatur, aut ad altaris aut ad collis ædificium: ſcriptum eſt enim*, ſi enim levaveris cultrum ſuper eo, polluetur. *Si quis*
D *igitur lapidem illum ferro tactum altaris adhibuiſſet ædificio, aut collis ejus, verberibus multaretur, quoniam ſcriptum legitur*, non ædificabis illud de ſectis lapidibus. *Porro qui lapidem contaminatum adhibeat is juſſum violat.* 16. *Si lapidem aliquis, poſtea quàm altaris aut collis ejus ædificio adhiberetur, vel crenâ vitiatus ſit, vel ferro tactus, temeratus ſit ille ſolus: reliquum enim ædificii caſtum & integrum erit. Singulis annis altare bis dealbatur, ſemel ad ſolemnitatem Paſchæ, & ad Tabernaculorum ſolemnitatem iterum: quod quidem altari tectorium inducitur mappâ, non trullâ ferreâ, quæ ſi quem altaris lapidem contingeret, temeraret vitiaretque.*

Pleraque ex illis viderentur aniles fabulæ, niſi in
E Joſepho legerentur, apud quem vidimus altare illini tectorio; quod etiam obſervatur in templis Gentilium; ut accipimus à Pauſaniâ [libro 6. v.] Βωμὸς ὠμῆς πλίνθου τὸ ἐκτὸς κεκονιαμένος ἐπὶ ἑκάστης ὀλυμπιάδος ποιεῖται. *Ara è crudo laterculo eſt, exteriùs tectorio oblita in ſingulis ludorum conventibus.*

Cauſam cur eligerentur integri lapides, ſuper quos ferrum non agitaretur, Judæi eam aſſignant, nempe ut Iſraëlitæ removerentur ab idololatrarum conſuetudine, qui imagines in altari ſculperent. Pauſanias in Corinthiacis, ſive libro ſecundo, celebrat aram, *in quâ cælatæ erant Herculis & Hebes nuptiæ; argentea omnia. Deinde pavo ex auro & fulgidis lapidibus.* Memorat Strabo lib. 14. aram totam ferme oppletam operibus Praxitelis. Ne hoc,

inquam, corrumperentur exemplo, præceptum ſibi datum volunt Judæi. *Ratio*, inquit Abarnabel, *illius præcepti hæc ex ſententiâ magiſtri doctoris perplexorum, ne Iſraëlitæ eò devenirent, ut in lapidibus formarent imagines.* Si hæc ratio valuiſſet, nullum ædificium licuiſſet ſtruere ex lapide quadrato; templi autem lapides erant quadrati. Igitur puto delituiſſe in præcepto, ut jam obſervavi, myſterium; nempe ara typus erat crucis. Conſuetum autem erat Romanis, ut eligeretur quæpiam rudis arbor, cui cruciarii affigerentur.

Tandem veniamus ad difficultatem quæ ſpectat materiam altaris. Si illud lapideum fuerit: quo ſenſu dicit æreum Scriptura. Reſpondent Talmudiſtæ, ut diximus, appellatum poſteà æreum, licet è lapidibus eſſet, quia loco erat prioris, quod fuerat æreum in Tabernaculo. Alii opinantur & altare templi primitùs à Salomone conflatum ex ære; ſed cùm anguſtius eſſet, poſteà majus ſtructum ex lapidibus. Inter hæc quæ ſibi adverſantur, ſic poſſe miri concordiam puto. Scilicet pars ſuperior altaris, in quâ ſtruebantur foci, erat ærea, fundamentum vero lapideum. Altare habuiſſe baſim probavimus ex primo libro Eſdræ cap. 3. v. 2. & 3. *Et ſurrexit Joſue filius Joſedec, & fratres ejus, & ædificaverunt altare Dei Iſraël, ut offerrent in eo holocauſtomata ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi viri Dei.* 3. *Collocaverunt autem altare Dei ſuper baſes ſuas*, ויכינו המזבח על-מכונתו *Vaiachinu hamitſebeach al mechonotho.* Illa pars altaris in quâ ignis ardebat, transferri poterat; quod impius Achaz fecit. Deſtrui poterat altare lapideum, ſed non transferri; non autem dicitur everſum ab Achaz libro 4. Reg. cap. 16. v. 14. *Porrò altare æreum quod erat coram Domino, tranſtulit de facie templi & de loco altaris*, id eſt, de loco ubi erat baſis, ſive fundamentum altaris; *& de loco templi Domini*, ubi ſtatutum erat, *poſuitque illud ex latere altaris ad Aquilonem.* 15. *Præcepit quoque Achaz Uriæ Sacerdoti, dicens: ſuper altare majus* [nempe quod conflandum ſuſceperat juxta exemplar aræ, quam viderat Damaſci, & impoſuerat fundamento prioris altaris, quod tranſlatum fuerat, ſive depoſitum à baſi] *offer holocauſtum matutinum & ſacrificium veſpertinum, & holocauſtum Regis, & ſacrificia ejus, & holocauſtum univerſi populi terræ, & ſacrificia eorum, & libamina eorum: & omnem ſanguinem holocauſti, & omnem ſanguinem victimæ ſuper illud effundes. Altare verò æreum erit paratum ad voluntatem meam;* quando ſcilicet lubebit, in altari æneo, quod depoſui, holocauſta faciam. In fonte eſt לבקר quæ vox ſine punctis ambigua eſt. Græca verſio interpretatur εἰς τὸ πρωΐ, id eſt, *mane*. Cum aliis punctis reddi poteſt, *ad requirendum*; id eſt, quoties requiram, ſive paratum erit ad voluntatem meam, ut Latinus Interpres intellexit hunc locum.

Quod dicitur in Paralipomenis altare æneum fuiſſe longum & latum viginti cubitis, non poteſt intelligi de eâ ſolâ parte ejus æreâ, quæ certè anguſtior erat; ſed de toto altari. Totum altare, tum ſummitatem, tum baſim Villalpandus exornat diverſis figuris aquilarum, leonum, boum, puerorum, & aliis ornamentis; quibus effingendis nullus eſt locus in ſacro codice. Imo omnia animum abducunt ab illis figmentis; ſi quidem quàm ſimpliciſſimum altare exigebat Deus; idcircò lapides quibus ex parte conſtabat, oportebat eſſe ferro intactos, & impolitos. Ornamenta non illi congruebant; etenim quo ſemper novo imbuebatur ſanguis affuſus cælaturis, & indè non diffluens, locum tetro odore infeciſſet. Præterea tectorium quo Joſephus & Judæi adſtruunt oblitum, oppleviſſet, & obliteraſſet has cælaturas; quod & tectorium, Moyſes alloquens populum Dei nomine confirmat. Deuteron. 27. 4. *Quando ergo tranſieritis Jordanem, erigite lapides, quos ego hodie præcipio vobis, in monte Hebal, & lævigabis eos calce; & ædificabis ibi altare Domino Deo tuo de lapidibus, quos ferrum non tetigit, & ſaxis informibus & impolitis.* Ergo debet conſtare altare nullis fuiſſe ſignis aſperum, ut a Villalpando repræſentatur.

SECTIO IV.

De formâ altaris, de contractionibus ejus, ſive crepidinibus, de cornibus ejus: an cingeretur foſſâ in ſolo & cavatâ. Partium altaris dimenſiones ex Ezechiele; cujus caput 43. à verſu tertio ad verſum vigeſimum quartum exponitur.

NEceſſum eſt altare fuiſſe excelſum, ut quæ in illo fiebat ſacrificiorum conſummatio conſpicua eſſet. Illa perficiebatur effuſione ſanguinis victimæ, quo reſpergebatur altare, & combuſtione hujus membrorum, igne qui in hocce altari ſemper ardebat. Aptam illud debuit habere ſtructuram hiſce omnibus, quæ operantur Sacerdotes circumeuntes, reſpergentes diverſas altaris partes à fundamento ejus uſque ad verticem, excitantes & in eo ignem alentes. Vidimus altare Salomonicum altum fuiſſe decem cubitis, ſive ſexdecim & ampliùs pedibus Pariſinis. Ea altitudo & tota moles altaris erat inſtar montis; cujus ſummitas ſpatioſa, quam poſtea conſiderabimus; priùs mentem advertamus ad partes inferiores, ad fundamentum ejus, & alia membra, quæ, prout ſurgebat, contrahebantur. De ſpatio quod occupabat fundamentum, & foſſâ quæ circumdabat altare, interpretor viginti cubitos, quos vidimus Scripturam tribuere altari. Illud quadratum erat, & tot cubitorum ſingula ejus latera. Circumdabatur, ut modo dixi, foſſâ, quæ excipiebat ſanguinem, qui affuſus altari, refluebat in illam, & indè per occultos canales in torrentem Cedron.

Surgebat pes, ſive fundamentum altaris ad aliquam altitudinem, quam poſtea definiemus ex Ezechiele. Deinde contrahebatur moles ejus, & aliud membrum ſequebatur, quod anguſtius erat, crepidinem habens circumquaque. Denuò contrahebatur, & aliud ſequebatur membrum, quod pes erat ſummi verticis altaris, ubi foci ſtruebantur ad comburendum victimarum partes, quæ ignibus ſacris deſtinabantur. Hocce altaris Salomonici ſyſtema exhibet ſchema quod delineavi, non ex propriis cogitationibus, ſed ſecundùm menſuras Ezechielis; quas protinus proponam, ne quis dicat illud fictitium eſſe. Altare lapideum quidem, ſed non ex lapidibus quadratis & ſectis, qui ſecum benè cohærerent, ſtare non poterat ſolidum ſine contractionibus, *ſans retraittes.* Diverſæ, inquam, neceſſariæ erant projecturæ, quæ reſpergendæ erant ſanguine. Partes ergo altaris diſtinguendæ crepidinibus, in quibus conſiſterent Sacerdotes, dum totum circuibant altare. Hujus, ut ita dicam, nulla pars debebat vacare ſanguine; quippe typus crucis, quæ in ſuo ſtipite & in brachiis ſuis irrorata eſt pretioſo Chriſti ſanguine. Ambæ enim manus ejus perfoſſæ ſunt & clavis affixæ cruci; ſicut & pedes pariter perforati. Ex vulneribus ejus, ex capite ſpinis coronato, & ex aperto latere ſtipiti copioſus affluebat. In hujus rei vaticinium præceperat Deus fieri omnibus altaris partibus ex ſanguine victimarum aſperſionem. Idcircò ſæpiùs fit mentio effuſionis

faciendæ ad fundamentum; & in vertice summus A Sacerdos digito sanguine cruentato debebat intingere cornua altaris, quæ in vertice ejus erigebantur. Hæc suo loco fusiùs; protinus proponam descriptionem altaris, & membrorum ejus diversorum mensuras, quas assignat Ezechiel; qui sic fari incipit in capite 43.

13. *Istæ autem mensuræ altaris in cubito verissimo, qui habebat cubitum & palmum. In sinu ejus erat cubitus in latitudine, & definitio ejus usque ad labium ejus, & in circuitu palmus unus. Hæc quoque erat fossa altaris.* B

Vidimus in libro primo cubitum Hebræorum verum, quo scilicet antiquitùs utebantur, constitisse sex *Thophac*, sive palmis. Tempore autem quo degebant captivi Babylone, cùm non alias mensuras adhibere possent, quàm Babylonias, quæ uno palmo deficiebant, sive quinque tantùm palmos habebant, non ut Hebrææ sex palmos; ideò interdum satagit Propheta distinguere cubitum quo uteretur, nempe qui erat verè Hebræus, major Babylonio. Ita cùm de calamo loquebatur, præmonuerat hunc constitisse sex cubitis, modis his singulis adderetur palmus; ut calamus vere æqualis esset sex cubitis Hebræis. Maimonides verò, ut vidimus, dicit cubitum illum quo Ezechiel mensus est altare, potiùs defecisse uno palmo, nempe non habuisse sex palmos; sed quinque: quod nullo modo Propheta significat. Sed expendamus singula ejus verba. *In sinu ejus erat cubitus, & cubitus in latitudine.* Metitur Propheta hanc partem pedis altaris, quæ erat recurva, & faciebat quasi sinum, sive gremium, quo exciperetur sanguis profusus ad pedem altaris. Ista est significatio vocis Hebrææ, quâ utitur Propheta חיק *sinus, gremium.* Sinus dicitur illa pars quæ est intra pectoris brachiorumque complexum, inquit Valla. Sinus in veste, pars est quædam laxior vestis excurrens. Sinus ergo erat veluti pars fundamentis excurrens. Erat autem ille sinus pars altitudinis altaris; ita non habendus pro fossâ excavatâ in pavimento. Extabat, inquam, hic sinus altitudine unius cubiti, latitudine unius cubiti. Conjice, Lector, oculos in schema, quo tibi exhibemus C altaris orthographiam, & orthographicam sectionem secundùm mensuras Ezechielis, quas postea evincemus non contrarias iis, quas alibi sacer codex tribuit altari. A B C D repræsentat illum sinum חיק κόλπωμα *sinus, gremium*, quod cùm cavum & curvum esset tenebat locum fossæ, in quam vel fundebatur victimarum sanguis, vel defluebat postquam fuerat altari aspersus *Et definitio ejus*, nempe hujus sinûs *usque ad labium ejus, & in circuitu palmus unus.* Fontem licet sic exprimere. *Et terminus ejus ad labium ejus in circuitu unius zereth*, sive semicubiti. Nomen גבול *ghebul*, propriè est *terminus, terminatio, definitio.* Videlicet circa labium hujus sinûs erat terminus, limes, margo altitudine D unius *zereth*, sive semicubiti; margo ille necessarius erat, ut sanguis fossâ exceptus non reflueret in atrium. Marginis altitudinem metitur, sive repræsentat linea C D semicubiti unius. Latinus Interpres in eodem commate diversas mensuras nempe *tophac* & *zereth* uno & eodem nomine effert; quod non faciunt Græci, à quibus *tophac* sexta pars cubiti Hebraïci redditur παλαιστὴ, & *zereth* semicubitus σπιθαμή; ita margo, sive lorica, quam Græci seniores voce γεῖσος vel γεῖσον expresserunt, altus erat semicubito. Cujus vocis, *ut ante jam dixi*, loquitur Hieronymus, *non possum scire rationem, nec cujus lingua sit dicere confidenter; nisi hoc admonere Lectorem, quòd ubi nunc* definitionem *interpretatus sum, infra* coronam *transtulerim.* Reipsâ illud גבול *ghebul*, quasi corona erat circa fossam. Γεῖσος autem Judæis græcisantibus idem sonat quod Latinis *terminus, lorica.* Vidimus hanc vocem usurpatam à Josepho, ut significaret terminum illum, quo atria inter se distinguebantur; facta est ex Hebraicâ gazith, quæ, ut non semel diximus, significat lapidem benè cæsum & politum. Hinc inde dicti sinûs erat margo semicubiti unius, ita totus sinus erat latus duorum cubitorum.



Scala decem Cubitorum.

Denique additur in hoc decimo tertio versu hæc particula: *hæc quoque erat fossa altaris*; quam particulam vindico sequentibus versibus; nec fossæ fit mentio. Interpres Latinus videtur legisse גבה *ghuba*, id est, *fossa, fovea.* Sed in fonte nunc legitur גב *ghab*, id est, *altitudo.* Sic & legerunt Græci seniores, qui interpretantur καὶ τὸ ὕψος τοῦ θυσιαστηρίου. Sensus itaque hujus loci est cohærens cum iis, quæ sequuntur. *Et hæc erat altitudo altaris*; quam altitudinem declarat Propheta, cujus verba in eam partem mox accepit Paraphrastes Chaldæus: *Et ista erat compositio altaris*; quam reipsâ explicat Ezechiel. Fossa quidem non ab illo sic nominaretur, sed ut dixi, *sinus* tenebat locum fossæ, excipiens sanguinem.


14 *Et de sinu terræ usque ad crepidinem novissimam duo cubiti, & latitudo cubiti unius; & à crepidine minore usque ad crepidinem majorem quatuor cubiti, & latitudo cubiti unius.*

Ezechiel metitur altitudinem altaris. Sinus erat altus uno cubito, fundamentum altaris altum altero cubito, prout surgebat altare contrahebatur, & diversis coarctationibus membra ejus distinguebantur.


Typus vnius ex decem luterum, cum basi suâ seu pollubro supposito. Col. 999




Typus luteris et basis eius, ex Villalpando. Col. 1002.




aris holocaustorum forma secundum Villalpandum. Col. 650



Altaris holocaustorum forma juxta Judæos. Col. 546.



AB Crepido seu primus gradus altaris altus uno cubito.
BC Latitudo lorica seu crepitudinis altaris, seu exterioris marginis fossæ, semi cubiti.
CD Latitudo fossæ in quâ recipiebatur victimarū sanguis, vnius cubiti.
DE. Latitudo interioris marginis fossæ semi-cubiti.
EF. Secundus gradus altaris vnius cubiti
FG. Retractio secundi gradus vnius cubiti.
GH. Concretatio altaris IV cubitorum alta.
HI Retractio vnius cubiti in quâ sacerdotes consistentes sacrificium adolebant.
IK. Altare æneum quatuor cubitos altum, longū et latū duodecim
L. Collis maior quo ascendebatur in summitatem altaris.
MM Colles minores hinc indè dispositi quibus ad circuitum altaris perveniebatur.



XVI.

Altaris holocaustorum forma Col. 546



tur. Post sinum altum cubito sequebatur fundamentum. Hæc duo sinus & fundamentum erant alta duobus cubitis, ibi erat retractio unius cubiti. Puto retractionem illam appellari crepidinem; quæ erat novissima, sive infima. Aquila nominavit eam κρηπιδώμα. Apud Græcos κρηπὶς est basis, fundamentum. Juxta Festum *crepidines* sunt saxa prominentia. Ita quia pars inferior altaris prominebat, sive latior esset; & velut basis, & fundamentum subesset partibus superioribus, quæ contrahebantur, meritò pars illa inferior altaris dicitur crepido. In fonte legitur nunc עזרה *azara*, quæ lectio antiqua est. Nomen illud significat propriè *adjutorium*, auxilium; quod ubi seniores Græci reddunt ἱλαστήριον *Propitiatorium*; ita legebant *azara*, sicut & Theodotio, ut testatur B. Hieronymus. *Crepidinem*, inquit, *sive Propitiatorium Theodotio ipso Hebraico nomine appellavit* AZARA. Symmachus interpretatus est περίδρομον, hoc est circuitum, sicut & Talmudistæ, qui hanc partem appellant כרכב *circuitum*, sive *cingulum*, quia in eo membro, sive in hac crepidine stantes Sacerdotes altare circuire poterant; & hic erat usus crepidinis, sive circuitûs. Ita Symmachus, & Talmudistæ rem expresserunt. Ratio autem aperta est cur LXX. Interpretes dixerint eam ἱλαστήριον, quia nomen *azara* Hebræis sonat, quod auxilium Latinis. Deus propitius adjuvat, & auxiliatur. Altare nomine ἱλαστήριον significari potuit, ad quod Judæi orantes Deum, sibi propitium faciebant. Sic Machabæi deprecabantur Dominum lib. 2. cap. 10. v. 26. Ἐπὶ τὴν ἀπέναντι τοῦ θυσιαστηρίου κρηπῖδα προσπεσόντες ἠξίουν ἵλεων αὐτοῖς γενόμενον ἐχθρεῦσαι τοῖς ἐχθροῖς αὐτῶν, &c. *Ad altaris crepidinem provoluti, ut sibi propitius, inimicis eorum esset inimicus, &c.*

Superiori libro atrium, in quo preces, & oblationes Deo offerebantur, *azara* dictum vidimus; hocce nomen datum crepidinibus altaris ob eamdem rationem dicunt Abarnabel & Kimchius: quia scilicet in his crepidinibus Sacerdotes offerentes consistebant; sicut Israëlitæ in atrio, quod appellatur *azara*, auxilium, sive adjutorium exorabant. Villalpandus putat sic appellari altaris crepidines, quia illi essent instar fulcri & adjumenti. Ego verò conjectarem irrepsisse in hunc locum עזרה *azara* pro עצרה *atzara* facilis est permutatio literarum ejusdem organi ז *zain* pro צ *tsade*, *azara* pro *atzara*; quod nomen postremum denotat coarctationem: ita quia duplex esset coarctationis gradus in altari, duplex numerabatur *atzara*. Etiam per transpositionem unius literæ ex עזרה azarah fieri potuit זערה *zahara*, id est, diminutio à radice זער *minui, diminui*. Nomen illud aptum est magis significandis coarctationibus, sive contractionibus altaris; quod vernaculè diceremus *les retraites*, Latino, sive potiùs barbaro nomine *retractiones*. Tales fuisse in altari contractiones indicat Propheta, & eas metitur initium ducens à fossâ. *Et de sinu terræ*, nempe qui instar erat fossæ, *usque ad crepidinem novissimam*, vernaculè *jusques à la premiere retraite*, ad primam coarctationem *duo cubiti, & latitudo cubiti unius*. Nempe A F altitudo usque ad primam coarctationem F G erat duorum cubitorum; & ipsa coarctatio F G unius cubiti. *Et à crepidine minore usque ad crepidinem majorem quatuor cubiti, & latitudo cubiti unius*. Scilicet à primâ coarctatione ad secundam quatuor erant cubiti; & ista coarctatio secunda erat unius cubiti. Linea G H quatuor cubitorum hocce membrum metitur; & H I unius cubiti secundam illam coarctationem.

15. *Ipse autem Ariel quatuor cubitorum, & ab Ariel usque ad sursum cornua quatuor*. Indicatur superius membrum altaris nempe I K, quod statuitur quatuor cubitorum. A Quæritur undè illud membrum appellatum sit Ariel. Nomen illud fit ex הר *mons* & אל *Deus* cum ה quod emphaticum dicitur. ההראל *habareel*. Legebat B. Hieronymus אריאל *hariel*, quod & legerunt Septuaginta qui reddunt Ἀριήλ. *Ariel ut plerique æstimant*, loquitur ille Doctor, *interpretatur* lux mea Deus. *De quo & in Esaiâ Prophetâ ubi scriptum est*: væ tibi civitas Ariel quam expugnavit David: sive circumdedit, *plenius diximus. Ut autem ego arbitror*, Leo *vel* fortis Dei. (אריה) *quod nomen propriè refertur ad altare, in quo vel illuminatio Dei est, vel Leo & fortitudo ejus, dicente Jacob ad Judam catulus Leonis Juda*. Non solus Hieronymus sed plerique Judæi dictum volunt altare האריאל sive ההראל, idem enim esse vocabulum diversimodè scriptum censent quia literæ ה &
B א inter se multoties mutantur. Dicunt, inquam, sic dictum altare quia sicut leo victimas devoret, sive victimarum sanguine perpetuò maderet, haud secus quam prædam discerpens leo. Ex hac appellatione arripuit causam Villalpandus exornandi altare figuris quas videre est in suo schemate. *Quòd verò leonis nomine veluti proprio altare censeretur, leonis Cherubinorum imaginibus angulos exornavimus*, ait ille.

Potuit quidem nomine leonis insigniri altare; sed placeret magis alia lectio, juxta quam appellabatur *hareel*, id est, *mons Dei*. Olim in locis excelsis sacrificatum fuerat. Altare propriè mons erat, sive
C locus editus extra quem non ampliùs licitum erat sacrificare; indè meritò dicebatur *mons Dei*. Nomen illud *Ariel* legitur apud Isaiam cap. 29 cùm prænuntians calamitates Jerusalem, dicit. *Væ Ariel, Ariel, civitas quam expugnavit David: additus est annus ad annum: solemnitates evolutæ sunt. Et circumvallabo Ariel, & erit tristis & mærens & erit quasi Ariel.* הוי, undè factum est *heu*, & particula dolentis, seu deplorantis; non igitur imprecatur malum Isaias, sed dolet ob mala, quæ prævidet. In fonte est אריאל *Ariel*, quod reddi potest *leo* Dei; sed, ut modo diximus, literæ א & ה facilè permutantur; & ideò *Ariel* ibi in Isaiâ interpretarer montem Dei: scilicet templum, quod mons Dei appel-
D labatur, & simile erat civitati, quæ supra montem posita. Ibi urbis Jerusalem obsidionem prædicit Propheta, in quâ habitavit David postquàm expugnavit eam. Quasi dicat Propheta, *additus est annus ad annum: solemnitates evolutæ sunt*: post paucos autem annos desinetis immolare hostias super altare; ergo observate festa vestra quandiu licet *Et circumvallabo Ariel & erit tristis & mærens, & erit quasi Ariel.* Id est, obsidebo te, & in circuitu tuo plurimi jacebunt mortui, sicut victimæ circa altare; quod ergo ibi nominatur Ariel, sive intelligendum est nomine Ariel.

Prosequamur descriptionem hujus Ariel, sive altaris quod Ezechiel pergit metiri. *Et ab Ariel us-*
E *que ad sursum cornua quatuor*. Nimirum super summitate partis hujus, quæ dicebatur Ariel, sive in vertice ejus, surgebant quatuor cornua. Addunt Græci quod abest à fonte Hebræo, à versione Vulgatâ, & à Chaldaïcâ Paraphrasi, καὶ ὑπεράνω τῶν κεράτων πῆχυς, *& superiora cornuum cubitus*. Illud additamentum unius cubiti, quod inane puto, Villalpandus pro vero probat, & repræsentat illa cornua velut elegantes obeliscos in quatuor angulis altaris, quæ uno cubito surgerent; nos cum Judæis illa habemus pro ipsis angulis altaris; ita ut non illud superaverint: quapropter Sacerdos consistens in contractione H I poterat illa sanguine illinire, sive attingere prout requirebat ratio sacrificii. Linea I K quatuor est cubitorum, qui pares sunt sex pedibus,



Scala decem Cubitorum.

& duabus tertiis partibus pedis; ita modò Sacerdos A haberet hominis ſtaturam quam vidimus libro primo eſſe quatuor cubitorum non inſiſtens pedum digitis, promotâ, elatâque manu, facilè cruento digito attingebat cornua, ſive altaris angulos; à quibus metientes altitudinem altaris, nempe à lineâ K K uſque ad pavimentum atrii, ſive lineam M m, reperimus hocce altare præcisè altum decem cubitis, quod adſtruit ſcriptor Paralipomenorum.

16. *Et Ariel duodecim cubitorum in longitudine per duodecim cubitos latitudinis: quadrangulum æquis lateribus.*

Quadratum erat altare, & cùm ſumma pars ejus fuerit longa & lata duodecim cubitis juxta Ezechielem, ſequitur eſſe concordem cum ſcriptore Para- B lipomenorum; primùm enim uterque eamdem aſſignat altitudinem, nempe decem cubitos. Quoad latitudinem juxta Paralipomena altare habebat viginti cubitos, quos agnoſcit Ezechiel in altari; ſed complectitur ſinum, utrumque ſinûs marginem & omnes crepidines. Subducamus calculos. B C latitudo marginis ſemicubitus, latitudo ſinûs C D cubitus, D E latitudo interioris marginis ſemicubitus; ita B E duo cubiti. A E & a e hinc indè duo ſemicubiti, ſive unus cubitus: F G & f g duo cubiti; & H I & i h duo cubiti: quæ menſuræ in ſummam collectæ conficiunt octo cubitos, quibus ſi addas duodecim cubitos Arielis, ſive ſummitatem Arielis, ſeu altaris, exſurgit vicenarius nume- C rus.

17. *Et crepido quatuordecim cubitorum longitudinis, per quatuordecim cubitos latitudinis in quatuor angulis ejus: & corona in circuitu ejus dimidii cubiti, & ſinus ejus unius cubiti per circuitum: gradus autem ejus verſi ad Orientem.*

Crepido major ſubjecta Arieli longior & latior erat Ariele duobus cubitis. Linea H h duobus cubitis ſuperat lineam K k. Jam ſatis innuerat crepidinem inferiorem adhuc latiorem. Iterum loquitur Propheta de labiis ſinûs, ſive de margine ejus: *& corona in circuitu ejus dimidii cubiti.* Hoc quod Latinus Interpres vocat *coronam*, ſupra appellaverat D *terminum*; quem & fecerat unius *zereth*, id eſt, ſemicubiti. Intelligo illum terminum nempe B C latum fuiſſe uno ſemicubito. Labium alterum ſinûs, nempe D E latum erat & ſemicubito. *Et ſinus ejus unius cubiti per circuitum.* Sinus erat unius cubiti, ut ſupra dictum eſt; ita cum ſuis labiis duorum cubitorum. Quod ſubjungit Propheta, *gradus autem ejus verſi ad Orientem.* Hanc difficultatem ſolvi ſupra.

18. *Et dixit ad me* Angelus: *Fili hominis, hæc dicit Dominus Deus: Hi ſunt ritus altaris, in quacumque die fuerit fabricatum; ut offeratur ſuper illud holocauſtum, & effundatur ſanguis.* Nempe his ritibus, quos poſtea præſcribit ſervandos, cùm poſt reditum è captivitate Babylonicâ altare erectum fuerit.

19. *Et dabis Sacerdotibus & Levitis, qui ſunt de ſemine Sadoc, qui accedunt ad me, ait Dominus Deus, ut offerant mihi vitulum de armento pro peccato.* Id eſt, dabis Sacerdotibus Levitis vitulum, quem mihi offerant in ſacrificium pro peccato.

20. *Et aſſumens de ſanguine ejus, pones ſuper quatuor cornua ejus, & ſuper quatuor angulos crepidinis, & ſuper coronam in circuitu: & emundabis illud, & expiabis.*

Summas & infimas, extremas ac medias altaris partes ſanguine ſpargendas præcipit Deus, videlicet cornua in ſummitate, crepidinis angulos in mediâ parte, & in extremitate *coronam*, ſive illum extremum terminum, qui altare circumſcribebat. Cætera quæ ſequuntur nec indigent expoſitione, nec ſunt hujuſce loci. Alludebat Zacharias cap. 9. 15. ad copioſum ſanguinem quo altaris cornua reſpergebantur; cùm prænuntians quam abundantiam bonorum accepturi eſſent Iſraelitæ à Deo, dicit, *& bibentes inebriabuntur quaſi à vino, replebuntur ut phialæ*, quibus ſanguis victimarum excipiebatur; *& quaſi cornua altaris.*

SECTIO V.

Deſcriptio altaris juxta cogitationes Judæorum, & has dimenſiones, quas tribuunt diverſis ejus partibus.

ETiamſi non alterum locum Scripturæ exponerem præter illum Ezechielis, non inanis eſſet opera mea. Senſum, quem deprehendi apertus eſt, cum verbis ejus cohærens in propriâ ſuâ ſignificatione acceptis, & cum cæteris locis Scripturæ, ubi de altari fit mentio. B. Hieronymus qui alibi literam preſſè ſequitur, excurrit in allegorias cùm ad hunc locum Prophetæ venit; & explanare conatur. Joannes Jacobus Cramerus Tigurinus, qui doctè diſſeruit de altari, ibi animum deſpondiſſe videtur. Fatetur enim hæc quæ de arâ dixit, non aptari poſſe verbis Prophetæ. *Aram*, inquit cap. 3. *ex ingenio confingere à modeſto homine alienum eſt. Ezechielis verò, quam cap.* 40. v. 13. & ſeqq. *deſcribit, à noſtrâ penitùs alia eſt, & ſicut reliqua omnia Meſſiæ potius quàm Jeſuæ aut Zorobabelis opus. Quanquam enim in aliquibus conveniant, noſtra tamen ad illius normam exigi non debet.* Undè in ipſo lemmate capitis

pitis undè hæc illius verba exſcribo, ſic loquitur. *Aræ conſtructio ex Rabbinis petenda non ex Ezechiele.* Ego verò credo Rabbinos alias menſuras altari, quàm quæ veræ ſunt commentos, quia non intellexerant Ezechielem; aut aliam aram, cujus deſcriptionem & menſuras in commentariis majorum viderant, ſatagunt exprimere. Quidquid ſit, ſic loquuntur in Miſchna tractatu Middoth cap. 3. ſect. 1. *Altare fuit quaqua versùm triginta duorum cubitorum, exurgens in cubitum, in cubitum coarctabatur, quod erat fundamentum, ſive pulvinus.* Nempe A B a b fundamentum altaris erat altum cubito uno, latum & longum triginta duobus cubitis. Deinde ſurgebat aliud altaris membrum, quod hinc indè coarctabatur cubito uno B C & b c. *Deprehendebatur eſſe quaqua versùm triginta cubitorum.* Linea C c exhibet hanc menſuram. *Aſcendebatur quinque cubitis, & coarctabatur in cubitum qui eſt circuitus.* Scilicet poſt corpus altum quinque cubitis, ſurgebat aliud membrum, quod etiam contrahebatur hinc indè uno cubito D E & d e. Hocce membrum E F f e dicitur circuitus altaris, qui *deprehendebatur eſſe viginti octo cubitorum quaqua versùm.* Nimirum F e erat viginti octo cubitorum. In ipſo autem vertice altaris, quaqua versùm intercipiebatur ſpatium H I K L unius cubiti, ubi erant G cornua. Ita reſtabant viginti ſex cubiti; ur dicit Miſna. *Locus cornuum ab omni parte unius cubiti; adeò ut quaqua versùm remanerent viginti ſex cubiti.* Erat denique in ſummitate altaris locus M N O P, in quo incedentes Sacerdotes totam hanc ſummitatem circuibant. *Locus ambulationis Sacerdotum, hinc indè unius cubiti: ita ut pateret circumquaque cubitos viginti quatuor locus pyræ*, id eſt, focus. Spatium M N O P continet hos viginti quatuor cubitos; quod paulo altiùs quàm cætera area altaris ſurgebat juxta quoſdam Rabbinos; in his enim altaris menſuris non omnes conveniunt inter ſe. Altare quod extruxerat Salomon erat viginti tantùm cubitorum in longitudine, & in latitudine ſuâ, ut diximus. Judæi illi, quos audivimus, volunt auctam fuiſſe. Rabbi Joſe dixit, *ab initio non patebat altare niſi viginti octo cubitos quaqua versùs: contrahebatur & ſurgebat ſecundùm iſtam menſuram donec redderetur locus focarius viginti cubitorum quaqua versùm. Cum autem aſcendiſſent, qui ſuſtinuerant captivitatem, addiderunt illi quatuor cubita ab Occidente inſtar literæ gamma.* Vidimus altare in ſummitate ſua, ubi inſtruebantur foci, quæ pars dicebatur *Hariel*, id eſt, leo Dei, ſive mons Dei; latum & longum fuiſſe duodecim cubitis. Judæi, ne videantur adverſari Prophetæ, qui altare non facit longum & latum ultra hunc cubitorum numerum, dicunt ab eo factam dimenſionem non ab uno angulo ad alterum, ſed à centro altaris ad latera, à quo illa duodecim cubitis diſtabant; ita ut longum & latum eſſet viginti quatuor cubitis. Sic loquitur collector operis Miſnici eodem loco. *Quia dictum eſt* Ezechielis cap. 43. v. 16. Ariel eſt duodecim cubitorum longitudinis, cum duodecim longitudine, quadratum. *Dici poterat, non niſi duodecim fuiſſe quaqua versùs: itaque cum dicit*, versùs quatuor quadraturas ſuas; *docet ſe à medio menſurare duodecim cubitos in quamvis partem. Filum verò coccineum cingebat altare medium ad diſcernendum inter ſanguines ſuperiores & inferiores.* Pro diverſitate ſacrificiorum modo ſupra, modo infrà ſanguis ſpargendus erat, ut præcipitur in Levitico. Pergunt loqui auctores Miſchnæ. *Atque fundamentum erat ambulacrum, ſive pervadebat per totum latus occidentale: & abſumebatur ad auſtrum uno cubito, pariterque ab Oriente.* Nempe in illo fundamento deficie-

A bant duo anguli auſtralis & orientalis; ſive ab Oriente & Meridie non ita protuberabat fundamentum. Sic fractos ejus angulo dicunt Judæi, ut totum altare eſſet in tribu Beniamin. Hanc Miſnicam deſcriptionem protuleram ex Maimonide capite ſecundo tractatùs de Domo electâ. §. 6. *Jam qui erant*, inquit, *in altaris altitudine cubiti decem, eorum alii è palmis quinque, alii conſtant è palmis ſex: verùm in reliquo templi ædificio cuncti cubiti conſtabant è palmis ſex: omninoque altare totum octo & quinquaginta palmis altum erat.* Hi palmi faciunt novem cubitos ordinarios ſex palmorum cum duabus tertiis partibus unius cubiti, qui continet ſex palmis. In ſchemate, quo exponimus menſuras altaris juxta
B ta Judæos, cubitus eſt quinque tantùm palmorum. Linea A B & a b exhibet primam altitudinem. 8. *Hæc igitur erat menſura altaris & forma. Erigebatur quinque palmos in altitudinem, & undique fiebat retractio quinque palmorum: hæc erat altaris baſis. Itaque deinceps latitudo altaris erat triginta cubitorum cum duobus palmis quaqua versùs. Deinde erigebatur etiam triginta palmos, rurſumque fiebat retractio quinque palmorum: hic erat altaris gyrus.* Hanc altitudinem metitur linea C D. Poſtea ſubjicit Maimonides alterum membrum in altari quod metitur linea E F, vel e f decem octo palmorum. « Tum etiam duodeviginti palmos in altitudinem excitabatur, hic erat locus ſtructionis, quo videlicet loco ſacra ſtruebantur; qui patebat quaqua versùs
C quatuor palmos & cubitos duodetriginta. Poſt autem quam hos duodeviginti palmos erectum erat, contrahebatur etiam in angulis: nimirum excitabatur in uno quoque altaris angulo veluti cornu quoddam ex ædificio quadrato & eodem cavo. Et horum quatuor cornuum altari circumdatorum, quodque hinc & indè cubitum occupabat: ibidem circumquaque relinquebatur Sacerdotibus ſpatii tantumdem in quo pedes ponerent. Itaque locus ille, in quo ſacra ſtruebantur, omnino quatuor palmos & quatuor ſupra viginti cubitos in longitudinem & latitudinem patebat. 8 Erat cujuſque cornu altitudo palmorum quinque. « Quam partem facit altitudinis totius altaris, quod erat al-
D tum quinquaginta octo palmis.

A B	5
C D	30
E F	18
G	5
	58

Quadrum verò cujuſque cornu quaqua versùs cubitum patebat. Jam hæc quatuor cornua erant intus cava. Et locus ſtructionis palmos duodeviginti altus erat Itaque altitudo media erat infra ſummum gyrum palmos ſex. 9. Erat autem altari ad dimidiam partem filum coccineum circumdatum, quod ſuperiorem ſangui-
E nem diſcerneret ab inferiori. Itaque altare totum à terrâ uſque ad locum ſtructionis altum erat cubitos novem uno palmo minus. 10. Baſis altaris non erat in lateribus quatuor ex æquo ducta, ſicut erat gyrus: erat enim baſis latus ſeptentrionale totum æquabiliter ductum: pariter & latus quod ſpectabat Occidentem: ſed ad meridiem unius cubiti ſpatium erat exeſum & tantumdem ad Orientem, ita ut medius inter Meridiem & Orientem angulus baſi prorsùs eſſet vacuus. « Præliantur inter ſe Rabbini de verâ altaris altitudine. Alii hanc faciunt novem tantùm cubitorum, alii decem.

Exponemus formam, quam aris Gentilium, id eſt, ſuis Dæmon ſuperbus inditam voluit. Cre-

Crepidines illis inerant ut aræ Olympicæ, quam Pausanias describit libro quinto in Eliacis. » Aræ Olympicæ ima crepido, quam πρόθυσιν appellant, (quasi primam sacrorum stationem dicas) ambitum peragit pedum centum & ampliùs quinque & viginti: graduum singulorum supra imam istam crepidinem ambitus, pedes explet binos ac tricenos. Universa aræ altitudo pedes conficit duos propè & viginti. Ducuntur hostiæ ad imæ crepidinis stationem; ibi eas patrio more mactant: femora in summâ arâ adolent. Et ad stationem quidem ab utroque latere per lapideos; ad aræ altissimam sedem per cinericios gradus scanditur. Prima etiam statio fiebat in sacrificiis Hebræorum in imâ crepidine altaris, ubi in gremium altaris velut in fossam defluebat victimarum sanguis, quo altare respergebatur.

Dum hîc versamur, non prætermittenda silentio duo foramina, per quæ effluebat sanguis aspersus altari. Sic de illis liber Middoth loquitur cap. 3. Sect. 2. » Cornu autem inter Occidentem & Austrum habebat duo foramina instar duarum narium exilium: per quæ sanguis sparsus cùm super pulvinum, sive fundamentum occidentale, tum super fundamentum australe descendebat, & miscebatur uterque in canali ac effluebat in torrentem Kedron. Nempe in fossâ quæ subjiciebatur pedi altaris, diversi sanguines, id est, qui effundebantur in diversas partes, miscebantur in hac fossâ; indè currebant per occultos canales in torrentem Kedron, ut diximus; qui ab atrore sanguinis nomen suum accepit. Stercore sæpiùs, quàm aquis redundabat: quod olitores redimebant à præfectis ærarii templi ad stercorandos agros, ut narrant Talmudistæ. Exscribam lectionem sequentem dicti capitis tertii Middoth. » Inferius in pavimento ad idem cornu erat locus quadratus unius cubiti, ubi tabulæ marmoreæ annulus infixus erat: quà descendebant in foveam, sive camarinam, eamque purgabant. Nempe cloaca erat, quam purgabant, ut remotis sordibus sanguis liberiùs efflueret, nec indè oriretur fœtor circa altare. » Præterea ascensus erat ab Austro altaris triginta duorum cubitorum, cujus latitudo sexdecim. Habebatque foramen in parte occidentali; ubi effundebant sanguinem super pulvinum occidentalem, & pulvinum meridionalem, per quos defluens deinde miscebatur, ac tandem effluebat. Eò etiam projiciebant rejectanea sacrificia pro peccato ex avibus desumpta. Hæc de more exponam verbis Maimonidis Sectionis 11. capite secundo. » In angulo qui erat intermedius occidentali, & meridiei foramina erant duo tenuissimarum instar narium. Nimirum hæc illa sunt quæ sitin appellantur, per quæ multiplex sacrificiorum sanguis ab altari descendebat, isque ad eumdem angulum in subjectâ fossâ confundebatur, undè permeabat ad torrentem Cedron. 12. Ad eumdem angulum erat in pavimento locus cavus qui cubitum unum quaqua versùs patebat. Is operiebatur tabulâ in quâ annulus inerat, quæ videlicet tolleretur: hâc descendebant, qui subjectam fossam purgarent. De foramine autem in quod projiciebantur rejectanea sacrificia, sic paulo post infra loquitur idem Maimonides Sect. 14. » Ad Occidentem collis erat quadratum unius cubiti cavum, quod *Crenu* dicebatur. In hoc hostiæ pro peccato volucres, quæ vitiatæ fuissent, condebantur, usque dum illarum figura mutaretur, & tum demum igni consumebantur.

Aristæus plerasque cavitates agnoscit in templo, quæ si non viderat ipse, quod tamen dicit, certè fando audierat plurima quæ templum spectabant. A Sunt, inquit ille, multa ostia in basi altaris, quæ nemo cernere potest, præter illos quibus ministerium est commissum. Ita ut impetu & effluxu aquæ sanguis quantumvis copiosus à victimis collectus expurgetur. « Mos erat Gentilium quibusdam Diis, nempe inferis sacra offerre scrobiculo facto. « Altaria sunt, inquit Festus, in quibus ignis adoletur. Altaria ab altitudine dicta sunt. » Quod antiqui Diis superis in ædificiis à terrâ exaltatis sacra faciebant; Diis terrestribus in terrâ; Diis infernalibus in effossâ terrâ. « Sed alius erat usus dictæ fossæ in templo Dei. Quoniam omnis sanguis victimarum effundendus esset ad pedem altaris, ne illo diffluente totum atrium stagnaret, B excipiendus erat fossâ; scilicet ut postquam altare satis imbuerat, derivaretur in secreta receptacula, & subduceretur conspectui, qui cruore offenditur. Itaque necessaria erat fossa circa altare. Cùm Elias ædificavit altare in monte Carmelo, jure Prophetico, lege exsolutus, quâ prohibebatur omne aliud altare quàm quod præceperat Deus in loco electo; nempe altare ædificavit speciali mandato Dei, ut Israëlem revocaret à cultu Baal; circa hoc altare circumduxit fossam, ut narratur in libro tertio Regum cap. 18. Sed illam nom implevit sanguis bovis, quem in victimam mactavit; sed aqua quatuor hydriarum, quibus Propheta jussit aspergi membra bovis composita super struem lignorum; eo C nempe consilio, ut cùm ignis de cælo delaberetur, quod contigit, & corriperet victimam & ligna, miraculum magis conspicuum esset. Id enim Sacerdotes & Prophetæ Baal obtinere non potuerant, licet de manè usque ad Meridiem falsum numen rogassent ut combureret victimam pariter sibi oblatam.

De cornibus altaris paulò fusiùs differendum est. Cornu sæpè sæpiùs pro angulo sumitur, præsertim in libris Judæorum. Ita cornua altaris intelligi possunt anguli, & ansæ quibus apprehendi & teneri potest. Mos erat apud Ethnicos aras suas tangere, quoties juramento quidpiam affirmabant, vovebant, pollicebantur, etiam dum preces funde- D bant.

Talibus orabat dictis, arasque tenebat.

Quæ consuetudo his verbis exprimitur à Macrobio lib. 3. cap. 2. Saturnalium. *Litare non potest sola oratio, nisi & is qui Deos precatur, & jam aram manibus apprehendat.* Indè aras dictas putant quasi *ansas*: aut in illis *ansas* agnoscunt, ut Servius ad quartum Æneidos. *Necesse*, inquit, *erat ansas à sacrificantibus teneri, quod nisi facerent, grata Diis sacrificatio non esset*; ut ibidem adstruit Macrobius & allegat Varronem, qui divinarum libro quinto dicit *aras primùm ansas dictas; quod esset necessarium à sacrificantibus eas teneri. Ansis autem teneri solere va-* E *sa quis dubitet? Commutatione ergo literarum aras dici cœptas, ut Valesios & Fusios dictos priùs nunc Valerios & Furios dici.* Ergo aræ derivantur ab ansis, *quòd qui precarentur, aræ angulos quasi ansas apprehenderent.* In omnibus fermè linguis cornu sumitur pro angulo; quia rei quadratæ angulus ab eâ prosilit velut cornu, & ferit quidquid illi incurrit. Apud Zachariam cap. 9. 15. זויות *zavioth* anguli altaris in eo sensu sumuntur. Undè locus sic redditur à Vulgato Interprete. *Et bibentes inebriabuntur quasi à vino, & replebuntur ut phialæ, & quasi cornua altaris.* In fonte, *quasi anguli altaris.* Quia videlicet affundebatur sanguis his angulis, sive cornibus, ut præcipitur in Levitico cap. 4. 30. *Tolletque Sacerdos de sanguine in digito suo; & tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad ba-*

sim ejus.

Itaque puto cornua altaris non aliud fuisse, quàm productos, sive prosilientes angulos; ita ut ara quasi exaltaret angulos cornutos, quod dicit Josephus loquens de ara lib. 6. cap. 6. de Bello Jud. Ὁ βωμὸς τετράγωνος ἵδρυτο κερατοειδεῖς προανέχων γωνίας. *Arca quadrata stetit, angulos in cornuum formam protensos habens.* Certe ex ipso altari facta erant illa cornua, ut adstruitur in Exodo cap. 22. 2. & cap. 30. 2. *Cornua autem per 4 angulos ex ipso erunt.* Fons sic exprimitur a Junio & Tremellio. *Facies etiam illi altari cornua super quatuor angulis ejus: ex ipso sunto cornua ejus.* Nempe ex eâdem materiâ, sed anguli ejus paulò extabunt in cornuum formam.

B Nostram sententiam protulimus suprà de materiâ altaris. Diximus partem superiorem fuisse æream; ærea ergo erant cornua; sed hoc non placet Judæis, qui sentiunt altare omnino fuisse lapideum. Sic illi loquuntur de cornuum structurâ apud Maimodidem Sectione 16. capitis citati. » In altari nihil cavum; sed veluti columna totum intùs solidum erat. Etenim congerebantur lapides magni, parvi, in formam quæ mensuram altaris caperet: tum verò diluta calx, atque pix, & plumbum quoque liquefactum infundebatur usque dum altare exurgeret ad modum præscriptum. At enim ad angulum Meridiei, & Orienti intermedium in hanc altaris molem frustum inserebatur aliquod ligni vel lapidis ad mensuram suprà præscriptam.

C Eâdem ratione unicuique cornu lignum inserebatur, interea dum perficiebant totum ædificium: tum de ædificio inserta corpora detrahebantur, ita ut angulus inter Meridiem & Orientem intermedius sine basi remaneret, atque cornua forent intùs vacua. Hæc forsan licet numerare inter commenta Talmudica. Sed nec veriora sunt, quæ excogitavit Villalpandus, cornua assimilans pyramidulis aut obeliscis, quæ in angulis altaris erigerentur, non ex illis fierent, ut dicit Scriptura. Iterum dicam per altaris cornua decet intelligere ipsos altaris angulos, qui producebantur, ut commodè in certis sacrificiis summus Pontifex posset illos sanguine illinere. Apud Ethnicos aræ quædam potuerunt

D compingi ex pluribus cornibus, nempe, ut puto, animalium quæ mactata fuerant idolis; sed in altari veri numinis cornua erant partes altaris, sive ipsum altare in quatuor suis angulis paulò productum. Partes autem illæ maximè conspicuæ erant; idcircò Jeremias cap. 17. v. 1. cùm significare vellet Judæis peccata eorum non ignorari posse, nec delenda ex hominum memoriâ, aiebat. *Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo; in ungue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum, & in cornibus ararum eorum.*

Cùm altare altum esset sexdecim Parisinis pedibus, quæritur an illius cornibus quæ supra summitatem ejus extabant, possent illigari victimæ, quod factum putant innui à Psalte in Psalmo 117. v. 27.

E Ibi hortans Judæos ad celebritatem magnam, canit: *constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris.* Sic fert versio Vulgata. Fons Hebræus à quibusdam redditur. *Ligate sacrificia festi funibus usque ad cornua altaris.* Sunt, inquam, qui putant agnos Paschales funibus illigatos ad cornua altaris. Verùm celsiora illa erant; nec quatuor suffecissent tot victimis. Locum hunc Chaldæus Paraphrastes interpretatur quasi Psaltes dixisset. *Vincite agnum offerendum funibus, donec veniatis ad eum offerendum, & ad aspergenda ejus sanguine cornua altaris.* Græci seniores non legerunt אסרו *isru*, id est, *vincite.* Sed אספו *isphu*, id est, *congregate.* Sequitur in Hebræo textu חג *chag*, id est, *festum*, Para-

A phrastes Chaldæus interpretatur agnum festi Paschatis. Nomen עבתים *avotim* significare potest *funem* & *densum*, sive implexum. Hæc omnia ambigua sunt. Constat verò preces quæ præcedunt in Psalmo, *O Domine salvum me fac*, in fonte הושיענא *hoschiana*, fuisse decantatas in festo Tabernaculorum; quæ nos sic admonent Psalmum compositum pro die festo Tabernaculorum; & Psaltem hortari Judæos ut congregent se ad illum festum diem cum ramis densis & perplexis, ita frequenter ut usque ad cornua altaris accedant. Congregamini, inquam, in die hoc festo, *in condensis*, id est, cum ramis frondosis. Sensus ille videtur magis consonus veritati. Retineri posset lectio hodierna אסרו ligate:

B nempe festivos ramos, ut fieri solet. Per illud *ligare festum*, Psaltes potuit intelligere fasciculos ramorum, qui vinciebantur, ut fusiùs dicemus in septimo libro, cùm agemus de festo Tabernaculorum. Hîc non omittendus locus Misnæ, ubi ritus hujus festi exponitur; confirmabit enim interpretationem nostram. In capite quarto tractatûs *succah*, hoc est, de Tabernaculis, sic de dictis fasciculis fit sermo. *Colligebant Israëlitæ ramos salicis & elevabant eos in latera altaris, & extremitates inclinatæ erant super altare, buccinabant, & clangebant, & buccinabant. Quolibet die circumdabant altare semel, & dicebant, quæso, Domine, serva nunc, quæso, Domine, fac prosperare nunc. R. Jehuda.* Ergo constare debet quod

C tunc appropinquaretur ad latera altaris, & ideo fieret accessio usque ad altaris cornua.

Dum loquimur de illis cornibus, quærere decet quo sensu dici potuit Adoniam & Joab confugisse ad altare, & cornua ejus tenuisse, cùm sibi mortis periculum impendere prospexerunt; ut narratur tertio Regum cap. 1. v. 50. & cap. 2. v. 28. Alii dicunt id ab eis factum non ex instituto legis, sed ex gentium more, cujus passim exempla occurrunt in Gentilium libris. Confugiebant ad aras tanquam ad asylum; quem qui violarent, impii habendi essent. Ad id alludebat Æneas exagerans crudelitatem Pyrrhi.

Jamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus,
Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.

D Iste mos consuetus erat apud Judæos, & ab ipso Deo institutus, ut potiùs hunc à Judæis gentes acceperint. Dicit enim Deus in Exodo cap. 2. 14. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias: ab altari meo evelles eum.* Ergo ad illud confugerat & tenuerat, qui indè avellendus fuit: quod non restringendum est solis Sacerdotibus, quasi dixerit Deus: *etiam si Sacerdos fuerit & ministrans apud altare meum, indè accipietis eum, & interficietis eum gladio.* Quomodo autem Adonias Joab, & alii qui confugerant ad altare, potuere tenere illius cornua? Non difficultas est in Adonia,

E & Joab, quorum ætate, quando scilicet occisi sunt, nondum conditum erat templum à Salomone. Ita non amplexati sunt nisi altare Mosaïcum, quod ex Exodo cap. 27. 1. tres cubitos altum erat; quæ altitudo staturam hominis ordinariam non superat. Adde, si id illis licuerit, institisse crepidinibus altaris, & indè facilè attigisse manu cornua. Denique præstat dicere Adoniam & Joab eo sensu cornua tenuisse, quia adeò appropinquaverint altari, ut contingerint ejus angulos, qui nomine cornuum appellantur. Cornua altaris præfigurabant crucem Domini, ut dictum est. Crux enim verè cornuta brachiis suis. Antennas navium cum malo speciem crucis exhibere adverterunt Justinus Martyr, Tertullianus, & Minucius Felix in Apologeticis. *Signum sanè crucis*, inquit Minucius, *naturaliter visimus in*

navi, cùm velis tumentibus vehitur. Extrema enim pars antennarum ab optimis auctoribus appellantur cornua, ut à Virgilio Æneidos tertio.

Cornua velatarum obvertimus antennarum.

SECTIO VI.

De mactatione victimarum, effusione & respersione sanguinis earum circa altare; in cujus vertice demum comburebantur. Absolvitur altaris descriptio.

SUmma pars altaris describenda est, in quâ foci necessarii instrui poterant: nec minùs ibi ministri consistebant obeuntes sua munia inferentes membra victimarum focis destinata, amoventes cineres verrentes locum, & cùm opus erat, novam lignorum struem ordinantes. Ritus omnes sacrificiorum, quorum gratiâ altare parabatur, exponam in sequenti libro. Interea saltem perstringenda sunt, quæ in sacrificiis ad illud pertinent; & sine quibus ejus descriptio non potest absolvi. Juxta altare mactabantur sanctiora sacrificia, quæ integra aut ex parte cremabantur in focis ejus. Locus mactationis erat latus aquilonare ex lege Levitici cap. 1. 10. *Quod si de pecoribus oblatio est, de ovibus, sive de capris holocaustum, masculum absque maculâ offeret.* 11. *Immolabitque ad latus altaris quod respicit ad Aquilonem coram Domino: sanguinem verò illius fundent super altare filii Aaron per circuitum.* 12. *Dividentque membra, caput, & omnia quæ adhærent jecori: & ponent super ligna, quibus subjiciendus est ignis.* Pergam exscribere quæ habent Judæi huc pertinentia, nempe sequentes sectiones capitis tertii tractatûs Middoth, quarum priores insertæ sunt præcedentibus articulis. Sic de loco mactationis ibi Judæi loquuntur sectione 5 » Ad Septentrionem altaris erant annulorum sex ordines, quorum singuli continebant quatuor: sunt qui asserant fuisse » quatuor, quorum singuli continerent sex, ad quos » mactabant victimas. Receptaculum poparum, sic » appellantur qui mactant, erat ad Septentrionem » altaris, atque in eo vel apud ipsum octo columnæ humiles quibus erant imposita quadrata è cedro ligna: his verò unci ferrei ita infixi erant, » ut ligna singula haberent ordines eorum tres; è » quibus sacrificia suspendebant, ac pelle nudabant » ad mensas marmoreas, quæ inter columnas erant. Schema appositum locum mactationis repræsentat juxta Mitnicam descriptionem, nimirum transtra cum uncinis, mensas marmoreas, & annulos, quos ut integros circulos non decet concipere, sed dimidiatos, quibus ita constringebatur collum victimæ, ut jugulos pateretur, & vel unus Sacerdos huic mactandæ par esset. His verbis Relandus locum mactationis describit » Ad Septentrionem altaris erat subdio locus mactationis sanctiorum victimarum, ubi sex erant ordines annulorum vel » uncorum semicirculorum, qui unâ sui parte solo » erant affixi, alterâ ab eo retrahi, & comprehenso victimæ capite adfigi rursùm poterant. Hos » Joannes P. M. fieri jussit, quorum singuli ordines quatuor annulos complectebantur, ut ad illos constrictæ victimæ minori cum incommodo » jugularentur. Dein octo mensæ marmoreæ ad excipiendas carnes victimarum, & intestina in conclavi lavantium jam lota; ac totidem columnæ, » trinâ uncorum serie instructæ, è quibus suspensæ hostiæ excoriabantur. Præter has erant mensæ ad Occidentem clivi altaris, una marmorea; » adipum dicta, cui membra victimarum dissecta » imponebantur, altera argentea, quæ sustinebat

A vasa ministerii aurea, argentea numero 93. vel « ut alii volunt 83. Illa educebantur è conclavi vasorum. Citat Relandus hosce tractatus Thalmudicos Schekalim 4. Tamid 3. 4. Chagiga 79. 4.

Decet hîc animadvertere quod ex lege Dei satagendum erat ut victimarum mactatio fieret in aliquo grandi saxeo pavimento, in mensis marmoreis. Exemplum hujus legis violatæ & postea observatæ legere est in primo Regum cap. 14. Israëlitæ victos Philistæos percusserunt *à Machmis usque ad Aialon. Defatigatus est autem populus;* 32. *& versus ad prædam tulit oves, & boves, & vitulos, & mactaverunt in terrâ: comeditque populus cum sanguine; scilicet carnes cum sanguine commixta erant.* 33. *Nuntiaverunt autem Sauli dicentes, quod*
B *populus peccasset Domino comedens cum sanguine. Qui ait: prævaricati estis: volvite ad me jam nunc saxum grande* 34. *Et dixit Saul: Dispergimini in vulgus, & dicite eis, ut adducat ad me unusquisque bovem suum, & arietem, & occidite super istud, & vescimini, & non peccabitis Domino comedentes cum sanguine. Adduxit itaque omnis populus unusquisque bovem in manu sua usque ad noctem: & occiderunt ibi.* Idcirco in loco mactationis mensæ marmoreæ dispositæ, in quibus victimæ dissecabantur, & parietibus & dictis trabibus uncini affixi erant, ex quibus carnes suspendebantur, ut omnis sanguis efflueret. Sequitur in hoc loco Scripturæ v. 35. *Ædificavit autem Saul altare Domino: tuncque pri-*
C *mùm cœpit ædificare altare Domino.* Illud decet interpretari de monumento victoriæ de Philistæis, quod cœperit extruere, postea auxerit, sive altius erexerit. Quale fuit illud quod Rubenitæ ædificaverunt. *Josue* cap. 22 28. *Non in holocausta: neque in sacrificium, sed in testimonium nostrum & vestrum.* Saul, ut mihi videtur, hocce altare non ædificavisset in sacrificium, qui paulò ante cap. 13. ejusdem libri objurgatus fuerat à Samuele, quod offerens holocaustum non custodisset mandata Domini.

Prosequamur opus sacrificale. Proprium Sacerdotum munus erat vase excipere sanguinem victimarum; quem postea effundebant per circuitum altaris, ad pedem ejus. Hujus effusionis ritus,
D quos infrà fusiùs exponam intuebatur B. Joannes cùm in Apocalypsi cap. 6. 9. scribit. *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei.* Victimis respondent Martyres; undè Paulus scribens ad Philippenses cap. 2. v. 17. *Sed etsi immolor supra sacrificium, &c.* Anima sæpiùs in Scripturâ pro sanguine ponitur. Ideò cùm Joannes vellet significare numerum Martyrum, quorum sanguis effusus fuerat propter nomen Dei, sibi repræsentat in visione objectos Martyres, quasi victimas, quarum sanguis effusus subtus altare, ut fieri solebat in omnibus sacrificiis. Vulgare est effatum apud Judæos, quod Cramerus refert capite decimo dissertationis suæ de arâ, non esse expiationem nisi per sanguinem aræ aspersum. Scilicet ut nunc intelligunt
E Christiani, solus Christi sanguis, quo lignum crucis aspersum est, potuit Deum placare. Christianos puto hac Joannis visione adductos ut altaria, in quibus conficeretur corpus Christi, imponerent Martyrum ossibus. Hisce etiam temporibus sine piis reliquiis nullum altare sacratur; undè Sacerdotes cùm ad altare accedunt, huic pium osculum figentes, secum hæc verba proferunt: *Oramus te Domine per merita Sanctorum, quorum reliquiæ hîc sunt, &c.* Morem esse antiquum testantur vetera monumenta, & legitimum probat D. Hieronymus sic scribens adversùs Vigilantium. *Malè ergo facit Romanus Pontifex, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli, secundùm nos ossa veneranda, secundùm te levem pulvisculum, offert Domino sacrificia.* Hunc

honorem arrogavit aris suis Dæmon, ut sanguine A oblatarum victimarum imbuerentur; qui quo copiosior esset, Gentiles putabant sibi Deos magis futuros propitios, etiamsi vitam impiam agerent. Hos Seneca conatur ab errore revocare, in libro 1. de Beneficiis cap. 6. sic loquens *Boni etiam farre ac fitillá*, species est pultis, *religiosi sunt; mali rursus non effugiunt impietatem, quamvis aras sanguine multo cruentaverint.* Lucianus vero irridet sacrificos Gentiles in dialogo de Sacrificiis. *Atque sacrificus sanguine fœdatus, neque aliter quàm cyclops, ille pecudem incidit, intestina educit, cor revellit, cruoreque altare circumfundit.* Adde Virgilianum carmen.

Namque erit ille mihi semper Deus, illius aram
Sæpè tener nostris ab ovilibus imbuet agnus. B

Diximus juxta sententiam Judæorum supra fundamentum, sive basim altaris, quæ unius erat cubiti, surrexisse alterum membrum altum quinque cubitis, quod hinc & indè coarctabatur cubito. Ibi erat altaris gyrus, sive circuitus in Hebræo הסיבב; quod nomen reddi potest cingulum. Ad hunc locum cinguli sive circuitûs Sacerdos perveniebat cothurnis, & ut videbimus, per ponticulos, ut volunt Judæi, & ibi consistens aspergebat cornua altaris, quem ritum explicat Cramerus verbis Gemaræ, quæ interpretatur Latinè. » Aspersio sanguinis in » sacrificiis pro peccato cœtûs & privatorum ita se » habet. Sacerdos cum sanguine paterâ excepto per C » clivum magnum ascendit, & dein per pontem » parvum ad cingulum pergit. Atque ad cornu o- » rientale meridionale se sistit. Ibi digitum dextrum, » qui labori quam maxime assuetus est, hoc est, » dextræ indicem, sanguine qui in paterâ est tin- » git, & vertici cornu ita admovet, ut pollice ab » uno & digito parvo ab alio latere sanguinem ex » digito suo in altare defluere faciat. Sic sanguinem » maut. & digitum per acumen cornu deducit, do- » nec omnem sanguinem quem in digito habet con- » sumpsit. Hoc facto, loquitur Cramerus, in cingulo ad cornu orientale septentrionale procedat, & digitum ante in pelvis orâ tersum, de integro tingat, sanguinem illi cornui illiturus. Hoc peracto D ad cornu aquilonare occidentale, & tandem occidentale meridionale transibat. eaque cruore eodem ritu imbuebat. Postea, quibus venit *in cingulo* vestigia legens eò redibat, unde digressus fuerat. Ita à cornu orientali meridionali per pontem parvum in clivum magnum, sive collem discedebat, perque hunc eò usque descendebat, donec ad alterum pontem parvum veniret, qui eum ad fundamentum deducebat, sanguinis reliquias in foramen meridionale effusurus. Hæc Cramerus; de quorum veritate non omninò certus sum, sed nec aliena sunt ab antiquis ritibus. In dicto cingulo consistens Sacerdos attingebat cornua, indè ad verticem. Altaris spatium extabat quatuor cubitorum, quæ mensura erat viri Hebræi, ita surgens in pedis digitos & brachia E promovens poterat attingere cornua alta juxta Judæos cubito; sed verisimilius, humiliora; erant enim tantùm anguli altaris qui extabant. Filum, ut dixi, cingebat cingulum, sive circuitum altaris, & distinguebat in partes, quæ pro ratione sacrificii suprà aut infrà sanguine aspergebantur; indè Judæi distingunt sanguines superiores, & sanguines inferiores. In quibusdam sacrificiis ut in victima Paschali Sacerdos in pavimento atrii stans sanguinem ejus quem exceperat paterâ effundebat ad pedem altaris; & hæc effusio, sive aspersio sanguinis, erat pars sacrificii præcipua; unde Paulus cùm significare vellet tempus instare sui sacrificii, & ideò proximæ mortis suæ in secundâ Epist. ad Timoth. cap. 4. v. 6 aiebat. *Ego enim jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat.* Verbum σπένδομαι quo utitur, in lexicis idem est quod θύομαι *immolor*. Victima immolabatur, quæ mactabatur, & cujus effundebatur sanguis. Ἀναλύειν quandoque significat *migrare, reverti*; undè hîc à plerisque sumitur ἀνάλυσις pro *migratione, reversione*, nempe ad Deum; sed sæpiùs ἀναλύω idem sonat ac *resolvo, dissolvo, retexo.* Ἀνάλυσις est *resolutio.* Ergo Paulus se dicit similem victimæ, cujus jam sanguis funditur, & cujus membra solvuntur in partes suas, ut perficiatur sacrificium. Miror Grotium & Pricæum viros alioqui doctos ibi adducere morem Gentilium, qui mactandæ victimæ inter cornua infundebant vinum. Alius erat mos Judæorum, quos alloquitur Paulus.

Post mactationem victimæ pellis detrahebatur, & concidebantur, sive resolvebantur in partes; quæ ubi lotæ fuerant, magnâ pompâ deferebantur per collem in focos altaris, ibi strues ligni, cujus copia debuit esse maxima. Quoties quidem de novo fuit ignis excitandus in altari, Deus de cælo demisit ignem, qui holocaustum protinùs vorabat; sed quoniam præceperat Deus ut perpetuus ignis in altari arderet, alendus erat in posterum. Ideòco ut essent parata ligna; dies festus ξυλοφόριας institutus fuerat, sive novem dies, ut dicunt Talmudici, ad hoc destinati, ut è sylvis afferrentur ligna in templum. Suos habebant dies definitos certæ familiæ, inquit Maimonides Tractatu de vasis templi cap. 6. quibus colligerent lignum ad usum altaris. Attamen Josephus libro 2. de Bello c. 17. videtur dicere non cuipiam familiæ, sed omnibus fuisse consuetum apportare ligna. *Adveniente*, inquit *eâ festivitate quæ Xylophorias dicitur, in quâ mos est omnibus grandem lignorum materiam convehere ad templum, ne unquam igni alimentum desit; semper enim inextinguibilis perseverat.* Deponebantur autem ligna illa altari destinata in conclavi lignorum, ubi Sacerdotes, qui ob aliquod vitium ad sanctiorem cultum ineptiores reputabantur, examinabant ligna, quæ à vermibus corrosa essent, neque enim idonea censebantur sacris ignibus alendis.

Etiam in aliquibus aris suis perpetuos ali ignes voluerat superbus Dæmon. Munus erat Vestalium vigilem, ut loquitur Virgilius, ignem servare in altari vestæ, ubi τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον æternus ignis incenditur, ut dicit Pollux in Onomastico lib. 1. cap. 1. Quin illum ignem perpetuum pro numine colebant Gentiles, sub nomine Vestæ, cujus Sacerdotissæ nominabantur Vestales. Græcis ignis dicitur Ἑστία, undè Latini fecere *Vesta*, ut ex ἑσπέρα *Vespera.* Chaldæi & Persæ ignem venerabantur ex pravâ æmulatione, ut videtur, jugis Hebræorum ignis; qui à Deo præcipitur in Levitico cap. 6. Gentilium ignis perpetuitas, sive æternitas pendebat ex Vestalium curâ. Verùm ignis, quo consumebantur victimæ in altari, demonstrabat hunc, cui sacratus erat, verum esse Deum, qui non egeret hominibus; si quidem ipse holocausta posset igne cælesti incendere; quo conspicuo miraculo evicit Elias Baalim esse inania numina; cùm id non potuerint. Id se posse, conatus fuerat Dæmon adducere gentes ut crederent. Herodotus memorat lib. 1. lebetes ferventes absque ignis adminiculo: Pausanias in Atticis ligna aris imposita, quæ nullis subjectis ignibus succenderentur. Similia narrantur miracula; in quorum veritatem vel falsitatem, non est hujus loci inquirere diligentiùs.

Tres præcipui foci, sive pyræ, sive rogi in altari numerantur; & quatuor juxta quosdam Judæos. Plures necessario erant, quia cùm nova pyra struenda erat, amovendi cineres, & scopis verrendus lo-

cus, dum ibi extingueretur ignis, in aliis pyris oportebat aliquem vigere, ut perpetuus arderet. Ex cineribus altaris, in medio ejus collectis cumulus fiebat, quem Judæi appellant pomum, quia in figuram pomi compoſitus erat: ſacri codices, nec libri Judæorum memorant craticulas in altari Salomonico, quæ focis ſubjicerentur; & admitterent aërem ex altaris fundo ſemper advenientem. Attamen non dubito quin quiſque focus, vel omnes ſimul inſtruerentur craticulis, quibus ſtrues lignorum ſuſtentaretur ad aliquam altitudinem, & cineribus delapſis vividiores carbones celerius adipes & victimarum ſuperpoſita membra abſumerent. In altari Moſaïco, cujus fundus apertus & pervius vento, ignis ejus ſatis excitabatur; qui in Salomonico, quod excelſum erat, & in medio atrii tribus patentibus portis, vento perflaretur, languere non poterat.

Quas ſupponimus igni altaris craticulas, habebant, ut diximus, aliquam altitudinem: extabant ita ut undique adveniens aër pyras extantes magis magiſque accenderet; ſed & ſuperiorem aream altaris refrigerabat aër ne quæcumque fuerit illius materia, tam facilè incenderetur, præterquam adipes, & pinguedo carnium alimentum flammæ præberent, ut videre eſt ſtannea vaſa ſupe poſita flammis non liquefieri, ſi non careant maximè pingui aliquo liquore. Quin impune miniſtri poterant circuire pyras, adipes & partes victimarum flammis deſtinatas componere; nam craticulæ extantes non ſinebant incendi totam aream. Illa enim in ſuis quatuor lateribus habebat duodecim cubitos. Hinc indè demo duos, ut relinquatur ſpatium quadratum 60. cubitorum pro focis, tum & ſpatium latum duos hinc indè cubitos, per quod poterant Sacerdotes impunè hos focos circuire obeundo miniſterium ſuum verſantes ligna, carnes, forcipibus, fuſcinis, & aliis inſtrumentis. Duo cubiti Hebræi faciunt quadraginta pollices Pariſinos, ſive tres pedes & unam tertiam partem pedis, ita ambulacrum illud Sacerdotum erat, nec obſtabant cornua, quæ, ut diximus, extabant extra altaris planitiem; nec intervallum à ſpatio illo ad centrum altaris adeò magnum erat, ut miniſtri non attingerent ſuis inſtrumentis.

Capax erat hæc area tum miniſterii, tum rerum quæ igne ibi abſumendæ erant. In Paſchate vix iniri poteſt numerus agnorum, quorum adipes incendebantur. Tota nox, ut ſuo loco videbimus, impendebatur, igne protinus vorabantur, & abibant in fumos. Sed quis dicat non ita erat de tauris qui in holocauſtum mactabantur, & ideò integri comburendi; nam ut ait Auguſtinus, *Holocauſtum eſt totum incenſum*; vel ut dicit Martinius in lexico, *ſacrificium eſt, quod, detractis extis totum cremabatur.* Hæc ex Servio qui in illud Virgilii 6. Æneidos.

Et ſolida imponit taurorum viſcera flammis.

Sic ſcribit. *Solida viſcera holocauſtum ſignificant: quod detractis extis aræ ſuperimponebantur, quæ nonnunquam abluta, elixa etiam ipſa reddebantur.*

Altaris area ubi victimæ cremabantur, quæ non ultra ſexaginta cubitos extendebatur, non ſuffeciſſet tot tauris, qui offerebantur in holocauſtum diebus ſolemnibus. Etiamſi major ſtatuatur ara, vix ſolvi poſſet difficultas, niſi animadverteretur, falsò præconceptum eſſe opinionem, ea ſola ſacrificia dici holocauſta, in quibus oblata victima tota comburebatur. Ubi ritus holocauſti enarrantur, videre eſt partes quaſdam victimæ in alimoniam Sacerdotum reſervari; quod & fiebat in holocauſtis populis; nec pars victimæ minima illis reſervabatur in cibum, ut cum tota familia & plures adjuncti Levitæ

A indè epularentur: ſic enim loquitur Scriptura Deuter. 12. de Holocauſtis, quæ deferenda erant Hieroſolyma ad templum, quod condendum erat. *Illuc omnia quæ præcipio, conferetis, holocauſta, & hoſtias, ac decimas*; deinde, *ibi epulabimini coram Domino Deo veſtro, vos & filii ac filiæ veſtræ, famuli & famulæ, atque Levites qui in urbibus veſtris commoratur. Neque enim habet aliam partem, & poſſeſſionem inter vos.* Itaque non modica victimæ portio ſubſtrahebatur flammis, quæ tamen nomine holocauſti appellatur. Quapropter nos non abduci à veritate. Poterant intra idem & breve tempus complures tauri cremari, ſi non omnes, ſed tantùm quædam partes flammis concederentur.

Ergo non verum eſt etymon holocauſtorum,
B nempe ſic appellari, quia integra ignibus altaris conſumerentur. Apud Hebræos participes admittebantur ſacrificii Sacerdos & is à quo oblatum. Gentiles vera habuiſſe holocauſta probat Outramus, plura teſtimonia ex eorum ſcriptis adducens. Herodotus in Polymnia. *Hoc tempore immolabat, litabatque Emilcas magnâ pyrâ integra ſacrans corpora.* Ἐπὶ πυρῆς μεγάλης σώματα ὅλα καταγίζων. Eodem de genere eſt apud Senecam in Oedipode.

Solidaſque urit pecudes.

Et illud Virgilii Æneid. 6.

Et ſolida imponit taurorum viſcera flammis.

C Ubi Servius *ſolida viſcera holocauſtum ſignificat*, ut diximus ſupra. Henricus Stephanus in Theſauro ὁλοκαυτέω totum comburo, totum cremo, quod in quibuſdam ſacrificiis fieri ſolebat. Allegat Xenophontem & Plutarchum. De Hebræis ſermo eſt. Qua ratione appellarent holocauſta in quibus totum non comburebatur, totum non cremabatur. Videlicet verum etymon hujus ſacrificii, quod in fonte Hebræo dicitur עולה *olah*. At verbum עלה *hala aſcendit*, quia in fumos aſcenderet combuſtum igne altaris; ſed non totum ſi quidem pars magna reſervaretur in cibum. Vel *olah* dicebatur quaſi aſcenſio, quia ad altare aſcendebatur; ita עלות עולה ad verbum aſcendere aſcenſionem, idem eſt ac facere
D holocauſtum. Ex hoc verbo olah etymon holocauſti potiùs accerſendum, quàm ex Græcâ linguâ. Septuaginta Græci Interpretes cùm non Hebræum עולה olah Græcè reddiderunt, hoc Græcis literis expreſſerunt, ſive Græca voce uſi ſunt ejuſdem ferè ſoni, ſed non ſignificationis. Iterum dicam in ſacrificiis quæ in Bibliis Græcis & Latinis nomine holocauſtorum notantur victima tota non comburebatur, quod vox Græca dicit.

Reſtat circa rem de qua agitur, ut dicamus, quomodo fieri poterat ut cruor victimarum, quæ in templo mactabantur, fœtorem non procuraret; ſimul & moleſtiam nidor combuſtarum carnium. Ne hoc contingeret, providerat Deus jubens bis in die ut odores incenderentur. Eam cauſam quotidiani
E ſuffitus reddit Maimonides in illo libro, qui inſcribitur Doctor perplexorum, partis tertiæ cap. 54. *Quia*, inquit, *quotidie in Sanctuario magnum numerum beſtiarum mactabant, carnes ibi in fruſta ſcindebant, inteſtina & crura lavabant, & comburebant, odor ejus, ſi in hoc ſtatu illud reliquiſſent, ſine dubio inſtar macelli alicujus fuiſſet; ideò præcepit Deus, ut bis quotidie ſuffitus in eo fiat, mane & veſperi, ad gratum reddendum odorem ejus, & odorem veſtimentorum miniſtrorum ejus. Hinc eſt illud quod Rabbini noſtri dicunt, à Jericho odorabantur odorem ſuffitûs. Et hoc itaque ex illis eſt, quæ reverentiam ac venerationem huic loco acquirebant. Nam ſi non habuiſſet bonum odorem, ſed contrarium ejus, hoc eſt malum,*

tum effecisset hoc quoque in animis hominum contrarium reverentiæ, hoc est, contemptum. Sicut enim anima mirificè bono odore delectatur, eumque sequitur, ita è contra malum odorem detestatur & fugit. Præterea sæpiùs atrium Sacerdotes verrebant, lavabant aquis, interdum abstergebant altare. In templis idolorum & odores incendebantur, & in ipsis altaribus quæ sub dio erant. Suprà allegavimus Herodotum, qui in libro primo loquens de ingenti arâ, in quâ mactabantur animalia, dicit Chaldæos in illâ arâ quot annis centum millia talentorum libanoti adolevisse, quando Deo suo agunt solemnia. In templo Hierosolymitano non fiebant suffitus in altari æreo, ubi perpetuis ignibus cremabantur pinguedines & victimarum exta. Altare aureum erat destinatum suffitibus quod quidem in æde sacrâ positum erat, sed odoramentorum fumus exhalabat per portam templi in atrium Sacerdotum quod templo subjiciebatur, & circumdatum ædificiis diu asservabat bonum odorem, quo etiam vestes Sacerdotum perfundebantur.

CAPUT IV.

De throno Regis: in quâ parte atrii Sacerdotum situs erat: quæ ejus nomina; quæ forma. Locorum Scripturæ, ubi de illo mentio fit, expositio.

SECTIO I.

Soli Regi, juxta Thalmudicos, licebat sedere in atrio Sacerdotum. In quâ parte hujus atrii locabatur thronus ejus.

Atrium Sacerdotum ab Oriente ingredientibus & progredientibus versùs ædem sacram, protinus occurrebat thronus Regius. Loca enim Scripturæ in quibus de illo sermo fit, docent situm fuisse ad portam orientalem atrii Sacerdotum, versùs Septentrionem. Ita obvius erat his, qui munera & sacrificia oblaturi, accedebant. In eo sedere jus fuisse solis Principibus qui de tribu Davidicâ erant, probat Cunæus libro 1. de Rep. Hebræorum cap. 14. & in eo Regiæ dignitatis apicem ponit; quod & facit Rabbi Maimonides in capite secundo in *Halacha Melachim*, sive in tractatu de Regibus, & in capite septimo *Halacha Beth Hebechira*, sive de Domô electâ. Expendamus ipsa ejus verba. שאין ישיבה בעזרה אלא מלכ בית ד"ד בלבד *nulli hominum fas fuit in toto templi atrio sedere, præterquam Regi, qui ex familiâ Davidis esset.* Spatium illud quod עזרה *azara*, vocabatur, certis sic erat divisum, ut pars Sacerdotibus, pars populo esset assignata; sed in suis limitibus stantes consistebant Sacerdotes. Attamen Senatoribus sanhedrin sedendi jus fuisse dicit Maimonides, sed in בחציית של ח"ל id est, *in medio ejus loci, qui etiam prophanum vulgus capiebat.* Jus Regum stirpis Davidicæ petunt Thalmudici ex loco secundi libri Samuelis cap. 7. 18. ubi in fonte istâ leguntur ויבא המלך דוד וישב לפני יהוה *Et venit Rex David & sedit coram Jehova, &c.* Cùm Deus pollicitus fuisset Davidi per Nathanem Prophetam insignia beneficia, Rex excitatus ad gratias agendas venisse dicitur & sedisse coram Jehova, id est, coram Arcâ. Indè, inquam, concludunt Thalmudici, licitum fuisse Regi ex Davidis familiâ in atrio Sacerdotum sedere; quod tamen non omnibus Judæis probatum est, ut discimus ab Abarbanele, ubi de isto Davidis facto loquitur. *Abivit verò coram Arcâ Domini ad laudandum celebrandumque Deum hujus rei gratiâ, & pro posteritate sua petendum ea, quæ illi ad hoc essent necessaria. Hoc verò illud est, quod dicitur:* וישב. *Et sedit coram Jehova, hoc est, in precibus supplicationibusque. Sapientes verò nostri beatæ recordationis hinc adstruunt in allegoricâ Psalmorum expositione, quod nullis licitum sit sedere in atrio nisi Regibus, qui ex Davide orti sunt. Sunt verò ipsorum sententiæ divisæ. R. Huna enim nomine R. Ismaëlis defendit: quòd ne ipsis quidem Regibus ex familiâ Davidis ibi sedere licitum sit, quia Angelis, qui superiora incolunt, sedere non permittitur, secundùm id quod dicitur: Seraphim stabant desuper. Consentiunt loca; & omnis exercitus cælorum stabant apud ipsum, &c. Item inter stantes hos. Si verò in superioribus nulla sessio conceditur, quâ specie ea concessa fuerit Davidi?* Campegius Vitringa in primâ parte operis sui de Synagoga vetere, jus illud sessionis impugnat. Sed an steterint, vel sederint Reges, dum erant in throno suo, pluribus quærere non operæ pretium. Quidquid sit de illo jure, constat in atrio Sacerdotum erectum Regibus thronum ad portam orientalem, ubi locata erat sella summi Sacerdotis & judicis Heli; ut vidimus: sed iterum juvat expendere verba Scripturæ, quibus indicatur locus hujus sellæ lib. 1. Samuelis cap. 1. Id honoris postea Reges obtinuere, ut haberent thronum ad postes templi, quia in partem venerant dignitatis, ob quam Heli habebat sellam juxta postes domûs Domini. Sic loquitur Vulgatus Interpres v. 9. *Surrexit autem Anna postquam comederat & biberat in Silo: & Heli Sacerdote sedente super sellam ante postes domûs Domini.* Postrema hæc verba respondent his Hebraïcis ועלי הכהן ישב על הכסא על מזוזת היכל יהוה. *Et Heli Sacerdos stans super* הכסא *ad* מזוזת *id est ad alterum ex postibus* היכל, id est, domûs vel palatii, vel templi Jehova. Græci Interpretes reddunt καὶ Ἠλὶ ὁ ἱερεὺς ἐκάθητο ἐπὶ δίφρου, ἐπὶ τῶν φλιῶν ναοῦ κυρίου. Illi vocem Hebræam כסא *chise* sæpiùs intepretantur θρόνος, ut ista sella Heli non privata fuerit, sed supremi judicis. Locata erat ad מזוזת *Mezuzath*. Nomen illud est regimine in singulari, ut aiunt; ita vertendum esset *ad postem*, hoc est, ad unum è postibus, quoniam duo erant postes. Forsan olim lectum est in plurali. היכל *hekal*, propriè domus est Regia, palatium. Etiam antequam templum à Salomone ædificatum esset, ipsum Tabernaculum, ut patet ex hoc loco, appellabatur *hekal*; quippe domus Dei verè Regia est, nec tunc temporis alius Rex præerat Hebræis. Quæ sequuntur omnem præcidunt causam dubitandi quin iste thronus locatus fuerit in ipso atrio Tabernaculi, ad latus postium ostii. *Et Heli Sacerdos sedens super sedem in latere postis templi Domini.* Sic fontem exponit Chaldæus Paraphrastes: sedebant Judices in portis civitatis, juxta præceptum Dei; *Judices & Magistros constitues in omnibus portis tuis.* Deuter. cap. 16. v. 18. Idcirco sella judiciaria, sicut postea Regia, constituta fuerat ad ostium Tabernaculi. Quapropter cùm Anna de more ad ostium illud oraret (etsi enim in ipsum atrium non penetrarent mulieres, adstabant tamen in limine ostii) potuit animadverti ab Heli, qui sedebat in throno suo. Hanc ipsam rationem reddit Josephus libro quinto Antiq. Jud. cap. 11. Narrans quomodo Anna venisset Siluntem ad Tabernaculum εἰς τὴν σκηνὴν, ut Deum prolem exoraret, addit διατριβούσης δ' ἐπὶ ταῖς εὐχαῖς πολὺν χρόνον Ἠλις ὁ ἀρχιερεὺς ἐκαθέζετο γὰρ πρὸ τῆς σκηνῆς ὡς παροινοῦσαν ἐκέλευσεν ἀπιέναι. *In hujus modi precibus longas moras protrahentem animadvertens Eli Pontifex, qui ante Tabernaculum sedebat, tanquam parum sobriam jussit abire.*

A Cùm duo essent postes in ostio atrii, quæri potest ad quem ex illis thronus Heli situs esset, an ad meridionalem vel septentrionalem. Tentemus an id erui possit ex eo quod huic Pontifici contigit, quando in suo throno sedens audiit Arcam captam a Philistæis, & prolapsus fregit cervices. Res narratur in capite quarto primi Regum, sive primi Samuelis, versu 13. Quem locum in fonte Hebræo turbatum esse variæ lectiones ostendere videntur. Vir de Benjamin ex acie veniens Silunta, deferebat nuncium quod Arca capta esset. *Cùmque ille venisset, Heli sedebat super sellam contra viam spectans. Erat enim cor ejus pavens pro Arcâ Dei.* In fonte והנה עלי ישב על הכסא יך דרך מצפה. Ad verbum *Et ecce Heli sedens supra chise*, nempe throno vel so-
B lio, *percussit viam spectans.* Admonent Hebræi in notis criticis, quas apponunt marginibus Bibliorum suorum, variasse hujus loci lectiones: in textu quidem occurrere יך *iach*, quod sonat *percussit*; sed potiùs legendum יד *jad*, quod est *manus*, vel *latus*. Facilis est permutatio literarum similium ד *daleth* & ך *caph finalis.* Quare videtur magis legendum יד *jad*, quod nomen reddi potest *latus*; ut sensus sit thronum Heli fuisse ad latus nempe portæ: quem sensum secuti sunt Græci Interpretes. Καὶ ἰδὲ Ἠλὶ ἐπὶ τοῦ δίφρου παρὰ τὴν πύλην σκοπεύων τὴν ὁδόν. *Et ecce Heli super sellam ad portam speculans viam.* Similiter & Josephus cap. 12. Καὶ Ἠλὶς ὁ ἀρχιερεὺς, ἐκαθέζετο γὰρ καθ᾽ ἑτέρας τῶν πυλῶν ἐφ᾽ ὑψηλοῦ θρόνου, ἀκούσας. *Eli Pontifex, qui ad*
C *alteram portam sublimis in sellâ sedebat, audiens, &c.* Quid sit illa *altera porta* non concipitur. Videtur Josephus legisse יד *jad*, aut lectum ab Interpretibus Græcis, quorum versione usus est. Illud autem καθ᾽ ἑτέρας τῶν πυλῶν accipiendum pro ad unum latus portarum, sive portæ, nempe Tabernaculi. Nec enim de alio throno loquitur, quam de illo judiciario, ἐφ᾽ ὑψηλοῦ θρόνου. Hoc autem prætermittit Josephus quod legitur in fonte hodierno, & legerunt Græci Interpretes דרך מצפה *Derech metzaphe* σκοπεύων τὴν ὁδόν. *Viam spectans.* Interpres Latinus Paraphrastices Chaldææ *Heli sedens super cathedram super gradum viæ portæ prospiciens.* Si quidem constat à labe Librariorum hunc locum non omninò esse sanum;
D pro מצפה, conjectarem reponendum esse מצפונה *mitzphona*, hoc est, *ab aquilone*, vel *ad aquilonem*, quod nomen occurrit cap. 21. v. 19. Judicum.

Igitur his exprimerem verbis fontem Hebræum. *Heli sedebat super thronum ad latus itineris*, nempe ostii, *ad aquilonem.* Quo loco credibile est & thronum Regium fuisse locatum. In hac sede ubicumque fuerit, vel ad lævam, vel ad dextram portæ orientalis, Josias ut dicitur 4. Regum cap. 23 v. 3. stetit & fœdus percussit coram Domino. Josaphat quoque adstante ecclesiâ sedit in illâ, ut innuitur 2. Paralip. cap. 20. v. 5. Ante faciem templi κατὰ πρόσωπον τοῦ ναοῦ, ut dicit Josephus lib. 9. Antiquit. cap. 1. qui in libro 17. cap. 10. & lib. 2. de Bello cap. 1.
E Narrat quomodo Archelaus, luctu Herodis patris sui celebrato, ascenderit εἰς τὸ ἱερὸν in atria templi, solioque ab excelso & aureo locutus sit Judæis. Thronus ille excelsus ὑψηλὸς θρόνος repræsentabat thronum Pontificis Heli, quem & ὑψηλὸν excelsum appellat Josephus.

Clara & aperta sunt verba secundi Paralipomenorum cap. 6. v. 12. & 13. circa locum throni Regii. Ibi narratur quomodo congregatâ multitudine ad ostium atrii Sacerdotalis preces conceperit Salomon, cùm templum dedicavit. *Stetit ergo* Salomon *coram altari Domini ex adverso universæ multitudinis Israël*, quæ, ut dixi, adstabat ad portas atrii & poterat Regem videre, *& extendit manus suas. Si quidem fecerat Salomon basim aneam*, ibi sic appellatur thronus Regius, ut modo liquebit, *& posuerat eam in medio basilicæ.* In fonte *in medio Azaræ*. In Græcâ versione ἐν μέσῳ τῆς αὐλῆς τοῦ ἱεροῦ, nempe in aulâ quæ erat in medio atriorum; quorum velut centrum altare erat. In Paraphrasi Chaldaica *in medio atrio scilicet sanctitatis.* Quomodo autem Salomon in throno residens, diceretur stetisse coram altari, hîc in Paralipomenis, & in tertio Regum cap. 8. v. 22. nisi thronus ejus positus fuisset in atrio Sacerdotali? Sed de istâ re ullum dubium non patitur auctoritas Ezechielis, qui locum sedis Regiæ designat; verba ipsa Prophetæ infrà afferam integra, proprio articulo illa explanaturus.

SECTIO II.

Quid esset thronus Regius: quibus nominibus appellaretur in sacro codice.

Omnia, quæ dictum thronum spectant, ut in apertum diem vindicem; hoc est, ut ab omnibus locis, in quibus de hocce throno agitur, dispellam caliginem, quæram primo quibus nominibus appellatus fuerit; quæ esset forma ejus; & quâ occasione donatus fuerit. Publica utilitas fecit, ut qui præessent, excelsiori locarentur sede, è quâ possent alloqui plurimos quos regebant, & audirentur à quocumque, cujus intererat excipere auribus mandata eorum. Ideò omnes conciones solent haberi ex loco editiori, qui diversis nominibus appellatur. Latini vocant *suggestum*, Græci βῆμα, cujus nominis vis ideò exponenda, quia sæpiùs occurrit in Græco fonte novi Testamenti, & apud Josephum. Ubique nomen illud Græcum denotat tribunal; quod juxta Prætorium statuebatur; vel saxeum, vel glebale seu cespititium; quale tumultuarie solebat parari in castris. Βῆμα propriè est locus editus in quo statuebatur sella, in quâ sedere posset qui ex hoc loco concionem habebat. Id moris fuisse apud Romanos confirmat quod narrat Dionysius Halicarnassensis de Marco Corienalo lib. 8. Defecerat ille ad Volscos, Romani ut eum revocarent, ad eum Veturiam matrem misêre; quam primùm ut iste vidit protinus deposuit omnia insignia. *Ad imperatorium tribunal pregressus, primum jussit lictores indè sellam in pavimentum transferre, indignum ratus è sublimiore loco, & pro potestate, cum matre agere.* Græca verba expendenda sunt. Ἐλθὼν δ᾽ ἐπὶ τὸ στρατηγικὸν βῆμα, πρῶτον μὲν ἐκέλευσε τοῖς ὑπηρέταις καθελεῖν ἀπ᾽ αὐτοῦ τὸν δίφρον καὶ θεῖναι χαμαί· Μητρὸς οὐκ οἰόμενος ὑψηλότερον δεῖν τόπον ἔχειν, οὐδὲ ἐξουσίᾳ χρῆσθαι κατ᾽ ἐκείνης κελευούσης. In hisce verbis animadvertere est βῆμα fuisse locum editum; & præterea huic impositam sellam, quam Dionysius appellat δίφρος, quod nomen propriè significat sellam curulem; quam Pollux in Onomastico recenset inter partes currûs. Juxta Eusthatium ea sella est in quâ auriga sedet. Vocem Hebræam כסא *chise*. Græci Interpretes θρόνος quidem sæpiùs, ut diximus, sed & interdum δίφρος interpretantur.

Indè deducimus, thronum in quo olim summi Sacerdotes, dum publicum regimen erat penes eos, & postea Reges sedebant excelsum fuisse; ut omnibus essent conspicui, & quidpiam si loquerentur, aut legerent, ad plurium aures perveniret. Hunc in finem thronus quem conflavit Salomon & posuit in templo, excelsus factus est, ut observat Eupolemus apud Eusebium libro nono Præparationis. Ποιῆσαι δὲ καὶ βάσιν χαλκῆν τῷ ὕψει πηχῶν δυοῖν κατὰ τὸν λουτῆρα, ἵν᾽ ἐφεστήκῃ ἐπ᾽ αὐτῆς ὁ βασιλεὺς ὅταν προσεύχηται, ὅπως ὀπτάνηται τῷ λαῷ τῶν Ἰουδαίων. Memorat Eupolemus Salomonem fecisse *basim aneam*, nempe throni, ut liquet, *altitudine duorum cubitorum, non procul à labro, cui Rex oraturus insisteret, quò faciliùs à circumstante Judæo populo

pulo cerneretur. Eupolemi fragmenta quæ suis libris A Eusebius inseruit, non carent mendis; sive quia Eupolemus scriberet non visa, sive scripta ejus turpaverint Librarii. Veriores mensuras assignaturi sumus throno Regio, de quo loquebatur Josephus, cùm dicit Archelaum sedisse in throno excelso. Idem Scriptor pariter appellat thronum Heli excelsum. Non ergo mirum si ille Pontifex à sellâ suâ revolutus cervices fregerit. ἐκαθίζετο . . . . . ἐφ' ὑψηλοῦ θρόνου, juxta Josephum; quapropter, ut audivit Arcam Dei in hostium potestate factam, insperato malo ictus & doloris impatiens ἀποκυλισθεὶς ἀπὸ τοῦ θρόνου, τελευτᾷ *devolutus à throno exhalavit animam*; quod indicat thronum altum fuisse, simul & positum in atrio: cur enim in privatis ædibus commorans Heli, tam B altâ sellâ sedisset? *Cecidit de sellâ retrorsum juxta ostium & fractis cervicibus mortuus est.* Sic Vulgatus exponit fontem. Pensate illud, *juxta ostium*, in fonte בעד יד השער *ad manum portæ*, hoc est, ut supra diximus, ad latus portæ, juxta portam, nempe Sanctuarii, ubi positus erat thronus ejus. Ita Græci ἔπεσεν ἀπὸ τοῦ δίφρου εἰς τὰ ὄπισθεν ἐχόμενα τῆς πύλης, nempe cecidit ἀπὸ δίφρου e sellâ quæ erat imposita suggesto.

Huic sellæ non erat à tergo fulcimentum; indè si non me mea fallit conjectura, postea curatum est, ut qui in throno residerent, fulcirentur undique. Fecit, inquam, in modum conchæ thronum Rex Salomon, ut legimus in secundo Paralipomenorum cap. 6. v. 13. *Si quidem fecerat Salomon basim æneam & posuerat eam in medio basilicæ.* Vulgatus Inter- C pres ibi sequitur versionem Græcam. Ὅτι ἐποίησε Σαλωμὼν βάσιν χαλκῆν, καὶ ἔθηκεν αὐτὴν ἐν μέσῳ τῆς αὐλῆς τοῦ ἱεροῦ. In fonte Hebræo dicitur Salomon fecisse כיור נחשת *Kiior nechoschəth.* Vox autem illa *Kiior* excepto isto uno loco Paralipomenorum semper à Græcis Interpretibus redditur, vel λέβης *pelvis*, vel λέβης *lebes*, vel χυτρόγαυλος *magna olla.* Semel apud Zachariam cap. 12. v. 6. Δαλὸς *fax.* Hoc autem quod à Græcis dicebatur τρίπους à Latinis *tripus* erat λέβης *lebes.* Quapropter thronus Regius, sive potiùs sella, quæ erat in suggesto Regio, erat instar tripodis, sive lebetis; quia aliquo modo thronus referebat lebetem, cujus velut parietibus fulciretur Rex in eo residens. Quod in memoriam revocat istud machinamentum, quo consultum fuerat his qui Delphis respondebant D oracula. Ex hiatu terræ, rem narrat Diodorus Siculus lib. 16 cap. 6. oriebatur vapor quo qui esset plenus vaticinabatur. *Sed cùm multi ex furore in præceps desilirent, itaque interirent, qui eum locum servabant, instituerunt, ne quispiam periclitaretur, ibi fœminam vatem ad omnium usum deligi, à quâ prædictiones acciperentur. Ei verò machinam erigi super quam tutò & divinitùs afflari, & consulentibus respondere posset. Quia verò ea machina fulturis tribus sustinebatur, ideò tripus nuncupata est, cujus faciem fermè & nunc retinent ænei tripodes.* Εἶναι δὲ τὴν μηχανὴν τρεῖς ἔχουσαν βάσεις ἀφ' ὧν αὐτὴν τρίποδα κληθῆναι. Aliundè, cui lubebit accersat causas quibus impulsi Græci Interpretes כיור interpretati fuerint βάσιν. Ego suspicor eos E legisse in suo codice כיון *basis* quod est pro כיור *lavacrum, concha, lebes*; quæ duæ voces unâ tantùm consonanti literâ differunt. Eupolemus autem ea quæ narrat de rebus Judaïcis, non alibi quàm in versione Græcâ legerat. An ætate D. Hieronymi, sicut ibi secutus est hanc versionem, & כיון *basis* urgeret pro hodierno כיור non definimus. Hanc postremam vocem constanter legunt Judæi, nec memorant olim aliter lectam.

Thronus Regis etiam appellatus est עמוד *amud* libro quarto Regum cap. 11. v. 14. ubi Latinus Interpres hanc vocem interpretatur de tribunali Regis. *Vidit Regem stantem super tribunal juxta morem.* על העמוד *al haamud.* In fonte Græco ἐπὶ τοῦ στύλου *in columnâ* Nomen quidem Hebræum significat *columnam.* Græci ubique ferè interpretantur στῦλος; sed & pluribus in locis vertunt στάσις *statio.* Nec aliud videtur innuere scriptor libri Regum; quàm Regem in statione suâ fuisse juxta morem, videlicet in solito tribunali. Sic hunc locum exponit Abarbanel: *ad columnam: vult dicere: apud columnam, secundùm morem Regum: vel fortè quòd sederit in loco, sedi Regiæ congruo, destinatoque: quemadmodum dicitur in libro Chronicorum, in statione suâ: hoc est, in loco stationi ejus destinato.* In libro Chronicorum cap. 23. v. 3. Thronus Regis iterum appellatur עמוד *amud. Stetitque Rex Josias super gradum* על העמוד *al haamud* ἐπὶ τὸν στύλον; *& fœdus percussit coram Domino.* Non dubitabimus, si fidem adhibeamus Josepho, quin hîc de throno agatur; rem enim istam referens libro 10. Antiq. cap. 5. cùm Hierosolymam convenire Sacerdotes, ac Levitas & omnis ætatis homines Rex jussisset, primùm, inquit, sacros libros eis legit, Ἔπειτα στὰς ἐπὶ τοῦ βήματος ἐν μέσῳ τοῦ πλήθους, ὅρκους ἐποιήσατο, &c. *Deinde stans in editiori loco in medio populi, sacramento adegit universos ad cultum divini numinis, &c.* Ibi ergo Josephus nomen Hebræum עמוד *amud* interpretatur βῆμα, quo nomine vidimus ab eo & aliis scriptoribus significari thronum, vel tribunal excelsum. Forsan & in secundo Paralipomenorum cap. 20. v. 5. indicatur ille thronus cum dicitur; *cùmque stetisset Josaphat* ויעמוד *va jamod. In medio cœtu Jerusalem in domo Domini ante atrium novum.* Suadet verbum עמד *amad*, undè עמוד *amud.* Quid autem sit illud atrium novum ignorare se fatentur doctiores. Notum est facilem esse lapsum Librariorum in literis, quæ non sunt omnino dissimilis soni, ח & ק. Itaque pro הקדשה *sanctum*, irrepere potuit החדשה *novum.* Non ignorari autem potest quod sit atrium sanctum; nempe illud erat destinatum Sacerdotibus, in quo obibant munia sua; in quo thronus Regis positus erat, ut vidimus. Plura quæ hùc referri possent, in articulis sequentibus congerimus.

SECTIO III.

De formâ & dimensionibus Regii throni. Expositio Scripturæ, ubi describit thronum Salomonicum.

QUæ vera sunt in sacris codicibus, doctores Judæi quandoque corrumpunt miraculis, sive mala fide, vel quod dicere satiùs est, quia eos mira ignorantia vexat, si excipiantur quisquiliæ grammaticales, & consuetudines illis propriæ; in artibus autem nihil vident. In exemplum afferam, quæ illi scribunt de throno Regio. Altus quidem erat, ut in eo Rex sedens à pluribus cerneretur; hinc non solùm עמוד *amud*, id est, *columna*, vel *statio*, verùm etiam *turris* appellabatur de qua turri juvat audire quæ Rabbi Jacob Juda Leo dicit in libro quem Hebraicè scripsit de templo, (Latinâ linguâ eum donavit Saubertus) « Regius thronus, Regis proprius, extitit in isto loco, constitutus prope portam altissimam in columnâ marmoreâ על עמוד al amud. In eo residebant Reges ex familiâ Davidis oriundi, postquam venissent ad templum, ad videndum faciem Domini Dei sui. In ædificio templi secundi thronus ille fuit ad instar turris exaltatus, constitutus super duabus columnis, quarum quælibet viginti cubitorum fuit, earumque circumferentia, si filo mensorio circumdaretur, cubitorum duodecim. Supernè etiam utraque opere Phrygionico variegata fuit auro puro ac purpurâ. Joas, postquàm constitutus esset Rex à Jehoiada Pontifice maximo, sedit in throno isto: nec non Hidſ-

» kia Rex, cùm legeret coram Domino blasphe-
» mas literas, quas ad se miserat Sennacherib Rex
» Assur. Porro Josia quoque Rex sedit ibidem eo
» tempore, quo pepigit fœdus inter Dominum &
» populum, ut hîc serviret Domino Deo suo, &
» ambularet in statutis ejus per omnem ætatem.

Ineptum illud delirantis Rabbini figmentum corruit nemine impellente. Horas nostras, ut melius collocemus, quæramus in ipso sacro codice veras throni Regii dimensiones & formam ejus. Describitur paucis verbis in secundo Paralipomenorum cap. 6. v. 13. his verbis Latinis Vulgati Interpretis. *Si quidem fecerat Salomon basim æneam, & posuerat eam in medio basilicæ, habentem quinque cubitos longitudinis, & quinque cubitos latitudinis, & tres cubitos altitudinis. Stetitque super eam & deinceps flexis genibus contra universam multitudinem Israel & palmis in cælum levatis,* 14. *ait: Domine Deus Israel,* &c. Vidimus Vulgatum Interpretem ibi sequi Græcos, qui pro hodierno כיור *lebetem*, legere potuerunt כיון *basim*. Si lectio codicis Hebræi hodierna vera est magis, sentiendum lebeti, sive conchæ æneæ similem factum thronum Regium, ut fulciretur Rex in eo residens. Si verò probetur lectio quam Græci secuti sunt, dicendum quod his Scripturæ verbis describatur basis ænea, quam conflandam curaverit Salomon; quæ esset veluti βῆμα, id est, suggestum; quod est distinguendum à sellâ in quâ sedebat Imperator, Prætor, & quisquis alius, qui præesset. Ista ergo basis ænea, alta erat tribus cubitis, qui faciunt quinque pedes, mensura staturæ humanæ; ideò Rex stans in hoc suggesto, supereminebat omnes toto suo corpore. Longitudo ejus erat quinque cubitorum nempe centum pollicum, sive plusquàm octo pedum, & totidem latitudo; summa ergo ejus superficies erat circiter septuaginta pedum; ut in istâ basi liceret commodè, quod fecit Salomon, genua flectere, & locus esset throno. Sic dimensiones quas Scriptura assignat huicce basi, congruunt usui ad quem destinata erat; sunt verò multùm infra mensuras quas Regio throno inesse fingebat allegatus Rabbinus.

Pluribus verbis non describimus formam throni Regii; neque enim vates sumus, ut possimus divinare quæ sacer codex reticet. Procul dubio non omnibus ornamentis caruit; ne nulla apparerent, in delineatione nostrâ quædam delineanda curavimus. Salomon in domo suâ thronum altum & elegantem constituerat, in quo sedens lites dijudicabat. Josephus illum describit. Primis temporibus ebur in pretio erat, & cum auro jungebatur; ut videre est in descriptione throni, de quo Pausanias in Eliacis, sive in libro quinto. Καθέζεται μὲν δὴ ὁ Θεὸς ἐν θρόνῳ χρυσοῦ πεποιημένος καὶ ἐλέφαντος. *Sedet in solio Deus ex auro & ebore factus.* Hæc Deum spectant, illa thronum. Ὁ δὲ θρόνος ποικίλος μὲν χρυσῷ, καὶ λίθοις, ποικίλος δὲ καὶ ἐβένῳ τε καὶ ἐλέφαντι. Ἔστι καὶ ζῷά τε ἐπ᾽ αὐτοῦ, γραφῇ μεμιμημένα. *Solium ipsum auro & pretiosis præfulget lapidibus: neque in eo vel ebenum, vel ebur desideratur: animalium verò formis intercurrente picturâ exornatur.*

Subjiciam descriptionem throni Salomonici quam Josephus facit lib. 8. Antiq. cap. 5. Εἰργάσατο δὲ ἐξ ἐλέφαντος θρόνον παμμεγέθη, σκαπτὸν, ἐν κατασκευῇ βήματος. *Quin & ex ebore factum erat prægrande solium cælatum, specie tribunalis.* βῆμα, ut observatum est, locus erat editus, sæpè factus ex aggestâ terrâ; quæ circum effodiebatur, ex hac congestâ fiebat agger. Conjectarem ergo Josephum cùm vellet significare thronum Salomonis fuisse παμμεγέθη per magnum, addidisse ἐν κατασκευῇ βήματος, quasi paratum suggestum. Gelenius interpretatur σκαπτὸν *cælatum*. βήματα *suggesta* non erant cælata; nec aliud ibi declarat Josephus quàm magnitudinem throni. Σκαπτὸς idem fonat ac *fossus*, sive *fossilis*, *fossitius*. Pleraque suggesta erant fossilia, sive fossitia. Igitur pro σκαπτὸν legerem σκαπτῷ, ut sensus sit thronum Salomonis fuisse permagnum instar fossitii suggesti. Græcis, Romanisque nota erant βήματα suggesta similia, quæ ubique occurrebant, tum in castris, tum in urbibus, locisque omnibus, in quibus Prætores Romani jus reddebant.

Pergit Josephus describere thronum Salomonis, ἔχοντα ἓξ ἀναβαθμοὺς, ἑκάστῳ δὲ τούτων ἐξ ἑκατέρου μέρους δύο λέοντες ἐφειστήκεισαν, τοσούτων ἄνωθεν ἄλλων παρεστώτων. *Sex gradibus ascendebatur, in quorum singulis extremitatibus leonum effigies erant impositæ, totidem aliis supernè imminentibus.* Videlicet in extremitate primi gradus hinc & indè erat leo; sive imminebat leo positus in superiori gradu. Nisi intelligatur his leonibus duos alios superaddendos, quos Scriptura dicit suppositos manibus, sive fulcris cathedræ in quâ Rex sedebat. Addit Josephus. Τὸ δὲ ἐνήλατον τοῦ θρόνου, χεῖρες ἦσαν δεχόμεναι τὸν βασιλέα. Ἀνεκέκλιτο δὲ εἰς μόσχου προτομὴν τὰ κατ᾽ ὄπιν αὐτοῦ βλέποντος, χρυσῷ δὲ ἅπας δεδεμένος. *Quâ verò parte Rex insidebat*, nempe in ipsâ cathedrâ, *manuum effigies eum excipiebant; & quâ reclinabatur, dimidiatus erat juvencus tergum suum respiciens: totumque tribunal auro coagmentatum erat.*


Jam non erit arduum exponere ejusdem throni descriptionem, quæ occurrit in tertio Regum cap. 10. v. 18. *Fecit etiam Rex Salomon thronum de ebore grandem & vestivit eum auro fulvo nimis.* Thronus ille Salomonis in fonte dicitur *dentis*, nempe elephantini. Tegebatur autem auro ebur non totum, sed certis quibusque locis, ut gratior esset candor ejus conjunctus cum fulvo colore auri.

19. *Qui habebat sex gradus: & summitas throni rotunda erat in parte posteriori: & duæ manus hinc atque indè tenentes sedile: & duo leones stabant juxta manus singulas.*


Tribus cubitis altus erat thronus ille, qui locatus fuerat in atrio Sacerdotum; itaque throno palatii Salomonici poterat similis esse quoad graduum numerum. Tres cubiti faciunt sexaginta pollices; quos si partiaris in senarium numerum, singuli gradus erant decem pollicum. Ita hocce solium sublime erat more tribunalium, ut emineret Judex. *Et summitas throni rotunda erat in parte posteriori.* Id est, caput throni à tergo erat rotundum in hemicycli modum testudinatum, veluti sunt foruli in quibus locantur imagines. Græca versio quam secutus est Josephus habet, καὶ προτομαὶ μόσχων τῷ θρόνῳ ἐκ τῶν ὀπίσω αὐτοῦ. quæ sic reddi solent: *Et eminentia vitulorum à posterioribus ejus throno.* Προτομὴ est imago propriè hominis umbilico tenus ducta. Ibi προτομαὶ μόσχων sunt vitulorum capita. Undè autem tanta varietas inter Vulgatam Latinam & Græcam versionem? Nimirum pro עגול *aghol*, quod est *rotundum*, legerunt Græci in codice quo utebantur, עגל *eghel*, quod est vitulus. Indè, inquam, ea varietas & mentio vituli in Josepho, & in versione Græcâ; de quo vitulo siletur in fonte Hebræo; cui Paraphrastes Chaldæus adstipulatur interpretans, *Et caput rotundum erat solio à posteriori ejus.* Vidimus solium quod erat in templo factum in modum lebetis, ita rotundum in capite, sive in summitate; quod in nostrâ delineatione secuti sumus.

Pergit sic loqui Vulgatus Interpres: *Et duæ manus hinc atque indè tenentes sedile.* Græca versio hîc pressè sequitur fontem Hebræum. καὶ χεῖρες ἔνθεν, καὶ ἔνθεν ἐπὶ τοῦ τόπου τῆς καθέδρας. Similiter Josephus χεῖρες ἦσαν δεχόμεναι τὸν βασιλέα. *Manuum effigies excipiebant Regem.* Sed illæ *manus* χεῖρες, Hebraïcè ידות jadoth, non sunt nisi fulcra. Lata est significatio *manûs*. Græci LXX. alicubi *Jadoth* interpretantur ἀγκῶνες, quæ vox signi-

THRONUS REGIS SUPER BASI SUA ÆNEA. C. 1 904 Tab. XV.



SINEDRIUM MAGNUM



Synedrii
in hemi cycli seu semi-circuli figuram disposita.

3 Præses
44 Duo Scribæ Judicum sententias excipiente

ficat brachii curvaturam, sive flexuram. Sic Chaldæus Paraphrastes interpretatus est fontem. *Et sustentacula hinc & indè super locum sessionis; & duo leones stabant in latere sustentaculi.* Scilicet solium illud habebat, ut nos Galli loquimur, duo brachia, quibus quasi exciperet Salomonem. Talia sunt sedilia, quæ dicuntur *faldistoria*, vernaculè *des fauteuils, chaises à bras.* Vulgatus Interpres videtur intellexisse duos appositos leones cuique manui; sed fons notat tantùm duos leones ad manus solii.

20. *Et duodecim leonculi stantes super sex gradus hinc atque indè: non est factum tale opus in universis regnis.*

Si intra duodenarium illum leonum numerum non putandi duo qui erant ad manus solii bis septem fuissent leones. Verum ex illis qui erant in singulis gradibus duo supremi attingebant brachia solii; ita erant ad manus: ut non ultra numerum duodenarium fuerint. In his effingendis leonibus Salomon non magis peccavit in legem, quàm cùm bis senos boves conflandos curavit, quibus imposuit illud vas capacissimum, quod dicebatur mare. Leones erant symbolum huic Regi avitum; nempe proprium tribui Judæ, quæ in vexillo ferebat effigiem leonis; duodenario autem numero significabat se regnum habere in duodecim tribus, & hoc potentissimum; leo enim cæteris animantibus potentior aptum est roboris symbolum.

Revertamur ad thronum templi. In illum nulli licebat nisi Regi ascendere; undè causam elicimus, qua extraordinarium suggestum paratum sit Esdræ, ex quo legeret Judæis in templo congregatis sacrum codicem, & interpretaretur. Res ista narratur libro secundo cap. 8. v. 1. *Congregatusque est omnis populus quasi vir unus ad plateam, quæ est ante portam aquarum.* Sic appellatur una ex portis templi, ut vidimus, per quam inferebatur aqua, quæ in festo Tabernaculorum libabatur solemni pompâ, vel hîc indicatur porta urbis quæ hocce nomine appellabatur, & juxta quam erat platea. Infra de loco hujus lectionis diligentius disseremus. *Et dixerunt Esdræ scribæ ut afferret librum legis Moysi, quam præceperat Dominus Israëli. 2. Attulit ergo Esdras Sacerdos legem coram multitudine virorum & mulierum, cunctisque qui poterant intelligere, in die prima mensis septimi. 3. Et legit in eo apertè in plateâ quæ erat ante portam aquarum, de mane usque ad mediam diem, in conspectu virorum & mulierum & sapientium; & aures omnis populi erant erectæ ad librum.* Sive intra, sive extra templum legem tunc prælegebat Esdras. Ad id quod pertractamus, attinet subsequens versus 4. *Stetit autem Esdras scriba super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum.* מגדל עץ *Migdal etz*, id est, *turris lignea.* Nempe paratum erat ligneum suggestum instar turris. Græca versio habet ἐπὶ βήματος ξυλίνου in suggesto ligneo.

Levitis destinatum erat suggestum, sive pulpitum, in quo canerent coram Domino; de quo hæc legimus in codice Middoth. (cap. 2. n. 6.) *R. Eliezer filius Jacobi dicit, ascensus erat, ejusque altitudo cubitalis, cui impositum erat pulpitum: atque in eo erant tres gradus, singuli scilicet cubiti dimidii. Reperitur hazara Sacerdotum duobus cubitis cum dimidio altius atrio Israëlis.* Constantinus Lempereur contendit vocem רובד irrepsisse in textum pro דוכן quod reddit *pulpitum.* Etenim רובד denotat quadratam, sive ut docet Buxtorfius in Lexico Thalmudico, pavimentum lineatim tabulis, sive scamnis lapidum distinctum, ut fit in theatris. Nomen autem דוכן idem sonat ac suggestus, sive locus excelsior undè peroratur. Sic in Paraphrasi Chaldaïcâ appellatur suggestus ubi Levitæ attollebant manus precantes, & benedicebant populo.

SECTIO IV.

Expositio trium priorum versuum capitis quadragesimi quarti Ezechielis & quadragesimi sexti à primo ad undecimum versum, quibus lux accersitur ex iis quæ observata sunt circa locum Regii throni in templo.

Ubi innotuit quâ in parte templi thronus Regius locatus esset, sensus primorum versuum 44. Ezechielis, & capitis 46. à primo ad undecimum fit dilucidior.

Cap. 44. 1. *Et convertit me ad viam portæ Sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad Orientem: & erat clausa.*

Angelus convertit Prophetam ab altari, cujus modò ostendebat ei mensuras, & ducit versus portam Sanctuarii exterioris; id est, quâ ex Sanctuario Sacerdotum ibatur in atrium exterius, sive Israëlitarum. Vocem מקדש *Mikdasch* reddit Interpres Latinus *Sanctuarium.* Græci verò τὰ ἅγια. Generali autem nomine, quod ex eo loco certum est, id omne quod vocabatur ἱερὸν, censebatur *Mikdasch*, id est, sacer locus. Nomen, inquam, illud *Mikdasch* conveniebat atriis tum Sacerdotum tum Israëlitarum. Propheta atrium Sacerdotum appellaverat interius; ergo nomine Sanctuarii exterioris intelligendum atrium exterius, sive Israëlitarum.

2. *Et dixit Dominus ad me: porta hæc clausa erit: non aperietur, & vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam, eritque clausa.*

Quod intelligendum est, nisi in sabbato & in Kalendis, sive in Neomeniis, ut se se explicat Propheta initio capitis 46. Narraverat autem in capite 43. v. 2. quomodo *gloria Dei*, nempe gloriosa species currûs Cherubim, gloriam Dei repræsentans ingressa esset in templum per viam orientalem; sive per orientalem portam, de quâ nunc sermo est.

3. *Principi. Princeps ipse sedebit in eâ, ut comedat panem coram Domino: per viam portæ vestibuli ingredietur, & per viam ejus egredietur.*

Latinus Interpres ibi ad verbum exprimit versionem Græcam. Fontem sic vertunt recentiores Interpretes; *quoad principem ipse sedebit in eâ*, vel *penes principem* nempe est hæc porta, *princeps ipse assidebit ei.* In Chaldæâ Paraphrasi *Principi erit, princeps ipse sedebit in eâ.* Non itaque intelligendum est hanc portam fuisse clausam principi; sibi adversaretur Propheta. Quæ dicta sunt de loco Regii throni indè dispellunt omnem caliginem. Propheta alloquitur Israëlitas, quibus ignotum esse non poterat sedem Principis esse juxta hanc portam orientalem. *Per viam vestibuli ingredietur, & per viam ejus egredietur.* Id est, ingredietur ad locum solii ejus, quod est ad limen hujus portæ orientalis, per ipsum hujusce portæ vestibulum, quoties ingressurus est templum, ut in eo panem comedat, id est, partem victimarum quas extra templum comedere nefas erat, & quoties ei lubebit, per eamdem portam egredietur proprio jure. Neque enim, ut alibi notatum est, licebat vulgo eâdem portâ egredi, quâ intraverat. Transeamus ad alterum caput ejusdem Prophetæ; cui exponendo etiam viam referant, quæ de throno Regio diximus.

Caput 46 1. *Hæc dicit Dominus Deus: porta atrii interioris, quæ respicit ad Orientem, erit clausa sex diebus in quibus opus fit: die autem sabbati aperietur, sed & in die calendarum aperietur.*

Fusiùs explicat Propheta quæ dixerat in 44. Por-

ta orientalis, inquit, atrii interioris, quod Sacerdotum erat, uni principi patebit ſemper; populo autem erit clauſa ſex diebus hebdomadis; nec recludetur niſi ſeptimo die, & in Neomeniis, ſive initio menſis.

2. *Et intrabit princeps per viam veſtibuli portæ de foris, & ſtabit in limine portæ: & facient Sacerdotes holocauſtum ejus, & pacifica ejus: & adorabit ſuper limen portæ, & egredietur: porta autem non claudetur uſque ad veſperam.*

Princeps ex atrio exteriori, ſive Iſraëlitarum intrabit in atrium interius per veſtibulum hujuſce portæ orientalis, *& ſtabit in limine portæ.* Vulgatus interpres exprimit Græcam verſionem καὶ στήσεται ἐπὶ τὰ πρόθυρα τῆς πύλης. Et ſtabit ſuper veſtibula portæ. Fons Hebræus. Et ſtabit ad מזוזת *Mezuzath* portæ, id eſt, *ad poſtem portæ*, nempe juxta poſtem; non in veſtibulo, ſed in ipſo atrio ad poſtem ſeptentrionalem, ubi collocatum credimus ſolium Regis, quod ſic occurrebat ingredienti in atrium ad dextram ejus. *Et facient Sacerdotes holocauſtum ejus, & pacifica ejus, & adorabit ſuper limen portæ.* Nempe in tempore quo omnes Iſraëlitæ adorant, ſive incurvantur coram Deo, ſtantes extra atrium interius, ipſe princeps adorabit in ingreſſu hujus atrii: neque enim ſemper aſcendebat ſuum ſolium; paratum ut in eo ſolemnes preces conciperet, quod fecerat Salomon, vel ut prælegeret legem, aut in aliquâ occaſione extraordinariâ. Igitur princeps, cùm Sacerdotes offerebant holocauſtum ejus, adorabat in limine portæ, quod ibi limen appellatur מפתן *miphthan.* Vox illa apud Ezechielem in hocce loco redditur πρόθυρον, ſed quatuor aliis in locis αἴθριον videlicet *anla*, ſive locus ſubdialis. In primo Samuelis cap. 5. v. 4. vertitur ἐμπρόσθια τῶν σταθμῶν. Apud Sophoniam cap. 1. v. 10. πρόπυλον, ut dubitare non liceat quin Ezechiel indicet locum, in quo princeps adorabat, fuiſſe in primo introitu atrii Sacerdotum, in quod populus non ingrediebatur, ſed per aperturam portæ, ut modò dicitur, in altare oculos conjiciebat. Illud *egredietur*, denotat, ut ſupra innuimus, eâdem portâ principem egreſſum, quâ eſſet ingreſſus. *Porta autem non claudetur uſque ad veſperam.* Feſti dies celebrabantur a veſpere ad veſperam.

3. *Et adorabit populus terræ ad oſtium portæ illius in ſabbatis & in calendis coram Domino.*

In fonte adorabit populus terræ nempe vulgus ad aperturam פתח *petach*, ita non ingredietur in ipſum atrium.

4. *Holocauſtum autem hoc offeret princeps Domino: in die ſabbati ſex agnos immaculatos, & arietem immaculatum.*

5. *Et ſacrificium ephi per arietem: in agnis autem ſacrificium quod dederit manus ejus, & olei hin per ſingula ephi.*

6. *In die autem calendarum vitulum de armento immaculatum; & ſex agni & arietes immaculati erunt.*

7 *Et ephi per vitulum, ephi quoque per arietem faciet ſacrificium: de agnis autem, ſicut invenerit manus ejus: & olei hin per ſingula ephi.*

Hæc ſpectant ritus juxta quos peragenda erant quæque ſacrificia; quos ritus exponemus loco ſuo.

8. *Cùmque ingreſſurus eſt princeps, per viam veſtibuli portæ ingrediatur, & per eamdem exeat.*

Hoc uni Regi licebat, eâdem portâ intrare vel exire.

9. *Et cùm intrabit populus terræ in conſpectu Domini in ſolemnitatibus: qui ingreditur per portam Aquilonis, ut adoret, egrediatur per viam portæ meridianæ: porro qui ingreditur per viam portæ meridianæ, egrediatur per viam portæ Aquilonis. Non revertetur per viam portæ, per quam ingreſſus eſt, ſed* A *è regione illius egredietur.* Ne exeuntes dorſum templo obverterent, vel potiùs ut in tantâ populi turbâ facilior & expeditior eſſet tranſitus; ne ſcilicet egredientes occurrerent intrantibus, & ſeſe mutuo impedirent. Utraque ratio valere poteſt. *Omnes qui montem domûs ingrediuntur, ad dextram ingrediuntur, & circumeunt, exeuntque ad ſiniſtram*, inquiunt Judæi in Schilte cap. 3. Quæcumque cauſa hujus ritûs fuerit, certè antiquus eſt, & uſitatus fuit à Gentilibus. Pythagoræ lex expreſſa eſt: *per dexteram templa ingreditor, per ſiniſtram exito.*

10. *Princeps autem in medio eorum cum ingredientibus ingredietur, & cum egredientibus egredietur.*

Paraphraſis Chaldaica, hîc habet. *Cùm ingreſſi* B *fuerint, ingredietur, & cùm exierint exibit.* Ita ſenſus eſſet, poſtremum accedere principem; ſed & noviſſimum egredi peracto ſacrificio. Cætera ſpectant principem & ſpecies ſacrificii ab eo offerendas, quibus hîc immorari non eſt operæ pretium.

SECTIO V.

Illuſtratur hiſtoria Regis Joas, qui educatus in templo, clam Athaliâ aviâ ſuâ, conſtitutus eſt in throno Regio, hæc verò extra templum rapta interfecta fuit.

DUo reſtant nobis conſideranda Scripturæ loca, C quæ ſpectant thronum Regium in templo. Primus locus ille eſt in quo Joas, quem Joſaba educaverat in templo, collocatus eſt in throno Regio clam Athaliâ. Alter continet impium facinus Achaz, qui in gratiam Regis Aſſyriorum ſuſtulit *Muſach ſabbati.* Uterque eget luce. Suprà attingimus hiſtoriam Joas, quomodo Athaliæ, furori cùm eum ad necem quæreret, ſubreptus ſit à Joſaba, & occultè educatus in templo per ſexennium. Nunc exponemus ea quæ narrantur in libro quarto Regum cap. 11. quomodo ſexennio illo exacto Joas declaratus fuerit Rex, & collocatus in Regio throno. Juxta apponimus locum parallelum Paralipomenorum.

Regum lib 4. cap. 11. v.	Paralipom. libro 2 c. 23.
4. *Anno autem ſeptimo* D *miſit Joiada* Pontifex; *& aſſumens centuriones & milites introduxit ad ſe in templum Domini*, in fonte, in domum Domini, *pepigitque cum eis fœdus: & adjurans eos in domo Domini oſtendis eis filium Regis:* qui à ſex annis latebat in templo.	1. *Anno autem ſeptimo confortatus Joiada, aſſumpſit centuriones, Azariam videlicet filium Jeroham, & Iſmael filium Johanan, &c.* 2. *Qui circumeuntes Judam congregaverunt Levitas de cunctis urbibus Juda, & principes familiarum Iſraël, veneruntque in Jeruſalem.* 3 *Iniit ergo omnis multitudo pactum in domo Dei cum Rege: dixitque ad eos Joiada: Ecce filius Regis regnabit, ſicut locutus eſt Dominus ſuper filios David.*
E 5. *Et præcepit illis dicens, iſte eſt ſermo, quem facere debetis.*	4. *Iſte eſt ſermo quem facietis eâ ratione quiſquis ſe gerat.*
6. *Tertia pars veſtrûm introeat ſabbato & obſervet excubias domûs Regis. Tertia autem pars ſit ad portam Sur, & tertia pars ſit ad portam quæ eſt poſt habitaculum ſcutariorum: & cuſtodietis excu-*	5. *Tertia pars veſtrûm qui veniunt ad ſabbatum, Sacerdotum & Levitarum, & Janitorum erit in portis: tertia verò pars ad domum Regis: & tertia ad portam, quæ appellatur Fundamenti: om-*

bias domûs Messa.

ne verò reliquum vulgus sit in atriis domûs Domini.

Nemo non videt, quàm hæc conjuncta sint cum instituto nostro. Narratio illa non intelligi potest, nisi prævia sit non mediocris templi cognitio. Primo loco sciendum certis & statis vicibus munia sua in templo solitos obire Sacerdotes, Levitas, Janitores à sabbato ad sabbatum; ut his domum abeuntibus, alii in eorum succederent locum. Joiada summus Pontifex volebat Regium thronum asserere Joæ, & illo deturbare Athaliam. Rem non poterat solus perficere; hanc ergo communicavit cum his quorum officium hebdomadarium complendum erat instante sabbato; & cum illis qui eâdem die accedebant ministraturi. Horum ministrorum ingens erat numerus, ut alibi declaratur. Sic consilium initum est, ut qui defuncti essent ministerio suo, non tamen excederent templo, ut fieri solebat. Proderit ad locum hunc Scripturæ difficillimum illustrandum, ex Josepho afferre quomodo à Joiada negotium illud cœptum, & perfectum est. Sic Josephus inducit eum loquentem ad eos quibuscum rem communicabat.

Itaque censeo, inquit Joiada, *tertiam vestrûm partem custodiam ejus*, nempe Regis *in templo agere* φυλάττειν αὐτὸν ἐν τῷ ἱερῷ. Custodire illum in templo. *Tertiam item omnia templi opportuna occupare*: intelligo præcipuas portas atrii Sacerdotum; *eam verò quæ superest, patentem portam, quâ itur in Regiam, servare. Reliqua verò multitudo in templo inermis sit. Neque quemquam cum armis intrare sinite, qui non sit Sacerdos. Præterea certos è Sacerdotibus ac Levitis selectos mandavit satellitii more strictis gladiis Regem stipare, & si quis armatus in templum irrumpere ausit, incunctanter occidere, & posito omni metu, servandi tantùm Regis curam gerere. Illi approbato Pontificis consilio rem statim aggrediuntur. Joadus verò aperto armamentario, quod David in templo instruxerat, distribuit centurionibus, & Sacerdotibus ac Levitis, quantùm ibi hastarum invenit, & pharetrarum, & si quod aliud armorum genus aderat. Atque ita armatos templo circumdedit* περὶ τὸ ἱερὸν *consertis invicem manibus, ut ab ingressu, quos interesse non oportebat, excluderent.*

Quæ lux ex his verbis Josephi, & hisce quæ observata sunt, sacro codici accedat, videamus. Quod legimus in quarto Regum, *Tertia pars vestrûm introeat sabbato*, meliùs exprimitur in Paralipomenis juxta fontem. *Tertia pars vestrûm qui veniunt ad sabbatum, &c.* Scilicet, qui accedere debetis sabbato hebdomadarium officium impleturi, sic turmam vestram dividite, ut prima tertia pars *observet excubias domûs Regis*, id est, servet secretum illud conclave, in quo Rex hactenus latuerat. *Tertia pars sit ad domum Regis*, ut dicitur in Paralipomenis; Josephus verò, servet Regem in templo. Itaque nulla est difficultas circa officium primæ turmæ. Huic turmæ assignat Græca versio custodiam quidem domûs Regis, sed adjungit ἐν τῷ πυλῶνι. Intellexêre Interpretes præcipuum vestibulum, quale fuit orientale, juxta quod erat thronus Regius. Ita ut ibi *domus Regis* sit locus ubi præcipuum munus hujus turmæ fuit, ut postea dicitur, servare Regem in solio Regio locatum. Secunda pars debebat occupare omnia templi opportuna, ταῖς φυλακαῖς ἐφεστάναι τοῦ τεμένους ἁπάσαις, ut dicit Josephus. Interpretor portas quibus ingressus patebat in atria templi; turma verò tertia portam patentem, quâ ibatur ad Regiam. In urbe superiori Regia sita erat, nempe in monte Sionis, ubi civitas David. Conjungebatur mons ille cum monte templi, commercio pontis; in cujus capite porta erat custodita ipso Regis satellitio. De illâ portâ interpretor quod dicit Vulgatus Interpres: *& tertia pars sit ad portam, quæ est post habitaculum scutariorum.* In fonte: *in portâ* post cursores הרצים *haratzim*, id est, militum & satellitum, qui ibi servabant introitum templi. Res ipsa clara est. Pontifex omnes Sacerdotes & Levitas in tres classes distribuit. Primæ commissa est custodia domûs ubi educatus fuerat Joas, & thronus Regius; alteri atriorum circuitus; tertiæ ipse ambitus omnium atriorum, ubi erat porta quâ ibatur ad Regiam. Sed difficultas est circa appellationem locorum, ubi tres illæ stationes locatæ sunt, quia non iisdem nominibus designantur. Quæritur, exempli causâ, an illa porta quæ in Regibus dicitur porta סור *sur*, eadem sit quæ in Paralipomenis nominatur יסוד *fundamenti*. Facile סור in יסד quod fundamentum significat, permutari potuit. סור reddi potest *recede*; ita ut hanc portam intelligere liceat, ultra quam non licebat prophanis perrumpere; quâ qui mundi erant, in atria sancta penetrabant. Si tertia statio, ut videtur dicere scriptor Paralipomenorum, locata est ad portam fundamenti, porta *Sur* non erat eadem ac porta fundamenti; sed eadem, quæ in Regibus dicitur post *habitaculum scutariorum*, nempe in extremo ambitu, quæ sic dici potuit, quia, ut videre est in delineationibus templi, ibi cernebantur fundamenta templi, nempe ingentes substructiones ejus.

Illud Latini Interpreti in libro Regum. *Et custodietis excubias domûs Messa*, interpretari decet ex Josepho, qui appositam custodiam templo observarent, ut excluderentur quos interesse minime oportebat. Ita in Paraphrasi Chaldaïcâ simpliciter dicitur: *Et custodietis custodiam domûs sollicitè.* Latinus Interpres verbum Hebræum מסח *Massach* expressit Latinis literis, & non interpretatus est. Ex Theodoreto etiam LXX. Interpretes Græci reliquerant vocem Hebræam, scribentes τὸ μασαί. Cæteri Interpretes hanc vocem interpretati fuerant, sive reddiderant ἀπὸ διαφθορᾶς derivantes nomen *Massach* à verbo נסח *evulsit, exstirpavit.* Ibi autem, ut mihi videtur, est ellipsis præpositionis מ, nempe custodietis domum à subversione, à tumultu. Scilicet præcipiebat Joiada turmis sic custodire templum, ut nihil mali obtingeret; & ne consilium & conatus ejus subverterentur. Forsan ibi *domus Messa* non aliud est, quàm *Musach sabati* libri quarti Regum c. 16. 18. De hac voce proprium articulum instituimus infra. Quæ sequuntur in historia Joas apertiora sunt.

7. Duæ verò partes è vobis omnes egredientes sabbato, custodiant excubias domûs Domini circa Regem.

6. Nec quispiam alius ingrediatur domum Domini, nisi Sacerdotes, & qui ministrant de Levitis: ipsi tantummodo ingrediantur, quia sanctificati sunt: & omne reliquum vulgus observet custodias Domini.

Quorum hebdomas completa, & ideò templo egressuri essent, horum duæ partes excubabunt ad Regem, qui stabit in atrio Sacerdotum, in quod solis Sacerdotibus liceat penetrare; reliquum vulgus, vel reliqua multitudo inermis maneat, ut loquitur Josephus. *Observet custodias Domini*: fungatur solito officio, nihil insolens aut novum faciat.

8. Et vallabitis eum habentes arma in manibus vestris: si quis autem ingressus fuerit sep-

7 Levitæ autem circumdent Regem, habentes singuli arma sua: (& si quis alius ingressus fue-

tum templi, interficiatur: eritisque cum Rege introeunte & egrediente.

rit templum, interficiatur) sintque cum Rege & intrante & egrediente.

Difficultas hîc non occurrit, nisi circa illud *septum templi*. In fonte legitur השדרות *hasederoth*, quam vocem Græca versio retinet τὰ σαδηρὼθ, hoc est, *ordines*, puto horum lapidum, quibus constabat lapidea sepes, quæ atria sancta cingebat & custodiebatur diligenter. Vel intelligi potest series virorum armatorum, qui consertis invicem manibus excludebant quemque, ne irrumperet. Libro 3. Reg. cap. 7. 9. Nomen illud redditur à Græcis διάταξις. In loco parallelo Paralipomenorum, *si quis alius ingressus fuerit templum, interficiatur*. In fonte *ingrediens* אל הבית *el habaith*, verti potest *in interius*, nempe in atrium interius Sacerdotum; vel in domum εἰς τὸν οἶκον. Sensus apertus est: si quis perrumpere acies ausus fuerit, ut penetret in domum Domini, interficiatur.

9. *Et fecerunt centuriones juxta omnia quæ præceperat eis Joiada Sacerdos: & assumentes singuli viros suos, qui ingrediebantur sabbatum, cum his qui egrediebantur sabbato, venerunt ad Joiadam Sacerdotem.*

8. *Fecerunt ergo Levitæ, & universus Juda, juxta omnia quæ præceperat Joiada Pontifex: & assumpserunt singuli viros qui sub se erant, & veniebant per ordinem sabbati, cum his qui impleverant sabbatum, & egressuri erant. Si quidem Joiada Pontifex non dimiserat abire turmas, quæ sibi per singulas hebdomadas succedere consueverant.*

Hæc clara & aperta sunt. Non dimisit eos Joiada qui jam suo officio fuerant defuncti, ut plurimi operam præstarent. In fonte. Non enim exemerat Joiada ullas distributiones את המחלקות *eth hamechalecoth*, id est divisiones, id est, distributiones Sacerdotum & Levitarum.

10. *Qui dedit eis hastas, & arma Regis David, quæ erant in domo Domini.*

9. *Deditque Joiada Sacerdos centurionibus lanceas, clypeosque & peltas Regis David, quas consecraverat in domo Domini.*

11. *Et steterunt singuli habentes arma in manu sua, à parte templi dexterâ usque ad partem sinistram altaris & ædis circum Regem.*

10. *Constituitque omnem populum tenentium pugiones, à parte templi dexterâ, usque ad partem templi sinistram, coram altari, & templo per circuitum Regis.*

Dedit operam Joiadas ut potissimum servaretur atrium sanctum, sive Sacerdotum, in quo erat thronus Regius; & ideò ad dexteram & ad sinistram altaris, nempe ad portam meridionalem & septentrionalem essent viri armati, ne quis in atrium posset vi ingredi. Orientalem portam custodiebant alii. His prævisis Joiada filium Regis produxit.

12. *Produxitque filium Regis, & posuit super eum diadema, & testimonium: feceruntque eum Regem & unxerunt: & plaudentes manu, dixerunt: vivat Rex.*

11. *Et eduxerunt filium Regis, & imposuerunt ei diadema, & testimonium, dederuntque in manu ejus tenendam legem, & constituerunt eum Regem: unxit quoque illum Joiada Pontifex, & filii ejus: imprecatique sunt ei, atque dixerunt: vivat Rex.*

A Sic Josephus loquitur. *Adductoque in medium puero, coronâ regiâ caput redimitum, & inunctum sacro oleo Regem pronuntiat. Populus quoque gaudens simul & plaudens faustis acclamationibus vitam & victoriam novo Regi congeminat.* Quodnam autem sit illud *testimonium* quod Joiada posuit super novum Regem? Liber legis dicitur העדות *Hadut*, id est, testimonium. Præceperat Deus in Deuteronomio cap. 17. v. 18. de Rege. *Postquam autem sederit in solio regni sui, describet Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus.* Alii העדות derivant ab עדה *ornavit*, & interpretantur diadema & Regia ornamenta, nempe vestem Regiam accepisse novum Regem, cum
B libro legis.

13. *Audivit autem Athalia vocem populi currentis: & ingressa ad turbas in templum Domini,*

12. *Quod cùm audisset Athalia, vocem scilicet currentium atque laudantium Regem, ingressa est ad populum in templum Domini.*

14. *Vidit Regem stantem super tribunal juxta morem, & Cantores, & turbas propè eum, omnemque populum terræ lætantem, & cantantem tubis: & scidit vestimen-*
C *ta sua, clamavitque: conjuratio, conjuratio.*

13. *Cùmque vidisset Regem stantem super gradum in introitu, & principes, turmasque circa eum, omnemque populum terræ gaudentem atque clangentem tubis, & diversi generis organis concinentem, vocem laudantium, scidit vestimenta sua, & ait: insidiæ, insidiæ.*

Ibi solium Regis appellatur עמוד *amud*, quam vocem Græci in Regibus reddunt στῦλος *columna*, & in Paralipomenis στάσις *statio*: Latinus Interpres, modò *tribunal*, modò *gradus*. Satis superque de hisce vocibus suprà disseruimus. In hocce autem loco Paralipomenorum situm dicitur *amud*, id est, tribunal, *in introitu domûs Domini*; quod confirmat sententiam nostram. In eo latere atrii Sacerdotum, ubi sedebat Rex, dispositus erat locus ubi
D Cantores solebant psallere; ibi scilicet erat *odeum*. Josephus autem scribit *Athaliam*, sive, ut loquitur, *Gotholiam*, vidisse Regem stantem ἐπὶ τῆς σκηνῆς. Cur tribunal designaverit voce *umbraculi*, sive tentorii, modo dicemus. Quæ subsecuta sunt juvat enarrare verbis hujusce scriptoris, quibus fiet Scriptura sacra dilucidior. « Cæterum Gotholia postquam puerum vidit in suggestu stantem ἐπὶ τῆς σκηνῆς ἑστῶτα redimitumque coronâ regiâ, discissâ veste suâ, magno clamore jubet interfici insidiatorem, & occupatorem tyrannidis. Joadus contra accitis centurionibus, jubet mulierem arripi, ducique in torrentem Cedronis, atque illic pœnas luere: neque enim fas esse templum veneficæ supplicio pol-
E lui. Mandavit etiam, si quis ei conetur ferre suppetias, & ipsum pariter interimi. Illi igitur quibus hoc demandatum est, eductam extra portam mulorum Regis illic interficiunt. » Jam apertiora erunt verba sacri codicis.

15. *Præcepit autem Joiada centurionibus, qui erant super exercitum, & ait eis: educite eam extra septa templi, & quicumque eam secutus fuerit, feriatur gladio. Dixerat enim Sacerdos, non occidatur in templo Domini.*

14. *Egressus autem Joiada Pontifex ad centuriones, & principes exercitûs, dixit eis: educite illam extra septa templi, & interficiatur foris gladio. Præcepitque Sacerdos ne occideretur in domo Domini.*

Præcepit Joiadas ut Athalia educeretur extra

השדרות *hasederoth* Καθηρῶθ. Nomen illud sumi potest, A vel pro cancellata sepe templi, sive sacris septis ejus, quæ Pontifex nolebat pollui. Intelligi etiam potest ordo militum, qui in diversas turmas divisi & ordinati erant circa aditus templi, scilicet præcepit Joiadas ut in ipso templo, & inter medias turmas non occideretur Athalia, sed educeretur extra templum.

16. *Imposueruntque ei manus, & impegerunt eam per viam introitûs equorum juxta palatium, & interfecta est ibi.*

15. *Et imposuerunt cervicibus ejus manus: cùmque intrasset portam equorum domûs Regis, interfecerunt eam ibi.*

Ubi fuerit sita illa porta equorum, quærimus in libro quarto, ubi urbem Hierosolymam descripsi- B mus.

SECTIO VI.

Musach sabbati, quod impius Achas sustulit, ipse est thronus Regius, qui hocce nomine appellabatur.

UT tandem finem imponamus his quæ erant de throno Regio dicenda, expendamus quid sit *Musach sabbati*; neque enim, ut puto, dubitandi ratio est, quin sit solium in quo Rex sedebat speciali privilegio Regum è stirpe David. Statim proferendus locus Scripturæ, ubi de eo fit sermo, cùm enumerantur impia facta Regis Achaz. Ille desertus à Deo, victus fuerat à Rege Israëlitarum, & à Rege Syriæ; adversùs quos auxilium petiit ab Assyriorum Rege Teglalphatassare, ad quem se contulit, secum asportans quantùm erat auri & argenti in Regiis thesauris, atque in ipso templo, cum donariis quotquot erant pulcherrima. Hæc Josephus libro nono cap. 13. qui addit. *In tantum autem religionis contemptum prolapsus est, ut spoliatum priùs donariis templum clauderet, ne illud solemnibus sacrificiis honorare liceret.* Ipsa Scriptura sic loquitur versione vulgatâ in quarto Regum capite 16.

17. *Tulit autem Rex Achaz cælatas bases, & luterem qui erat desuper: & mare deposuit de bobus æreis, qui sustentabant illud, & posuit super pavimentum stratum lapide.* In fonte *præscidit*, in Græcâ versione Συνέκοψεν. Concidit Achas omnia ænea vasa, quæ enumerantur, ut æs donaret Assyriorum Regi: luteres, basim eorum & concham quæ basi imponebatur; & mare æneum cum bobus æneis quibus sustentabatur, deposuit, eo animo ut confractum deferret Regi Assyriorum.

18. *Musach quoque sabbati, quod ædificaverat in templo, & ingressum Regis exterius convertit in templum Domini, propter Regem Assyriorum.* Ista non limpida fluunt. Certè olim in codice Hebræo alia legebantur, ut colligere est ex versione Græcâ, quæ nunc habet καὶ τὸν θεμέλιον τῆς καθέδρας τῶν σαββάτων ᾠκοδόμησεν ἐν οἴκῳ κυρίου. *Et fundamentum cathedræ sabbatorum ædificavit in domo Domini.* Græci videntur legisse מוסד *mosad* à verbo יסד *jasad*, id est, *fundavit*, undè interpretantur θεμέλιον *fundamentum*, opinati indicari basim illam æneam, fundamentum solii Regis, quam ex ære conflaverat Salomon; quam ergo sustulit Achaz, cùm vellet omne æs templi donare Regi Assyriorum. Nunc legitur מיסך *Mesach*. Caph finalis potuit irrepere in codicem facili scribarum lapsu pro daleth, ob similitudinem literarum ך & ד. In hodiernâ lectione sic apparet antiqua lectio *Mosad*. Græci etiam pro השבת *hassabath*, id est, sabbati, legisse videntur הישיבה *haischiba*, à verbo ישב *jaschab* sedit. Interpretantur enim καθέδρα *cathedra*, *sessio*. In Græcâ editione complutensi, additum est τῶν σαββάτων, quod exulat à Romanâ, & meritò; ut dicam enim quod res est; impius Achaz conciderat tum luteres, tum mare æneum, tum basim æneam solii Regii τὸ θεμέλιον τῆς καθέδρας fundamentum cathedræ, sive sessionis הישיבה à verbo ישב, quod proprium erat rei. Successores David dicuntur ישבים sedentes super thronum ejus, & Jeremiæ cap. 13. v. 13. Quod sequitur in versione Græcâ obscurum est: ᾠκοδόμησεν ἐν οἴκῳ κυρίου *ædificavit in domo Domini.* Hoc non sibi cohæret; non enim ædificavit Achaz, sed evertit. Sanior ergò lectio hodierna fontis hebræi בנו *Banu*, id est, ædificaverunt. Et Latinus Interpres legerat hoc verbum in singulari, ut erat in codice, quo usi sunt Græci Interpretes; quæ ostendunt locum illum fuisse tum vitio tum incuriâ Librariorum ante plurima sæcula perturbatum.

Beatus Hieronymus legit מוסך *musach*; nunc legitur מיסך *mesach*. Nomen autem *Musach* derivatur à נסך *Nasach*, quod idem sonat ac *expandere*, *obducere*. Undè plerique *musach* habent pro velo, tentorio, quod expanderetur in diebus sabbati, ut sub eo Rex, vel quis alius umbram captaret. Si ista lectio verior sit, verisimilius quoque mihi videretur ut pro *sabbatorum*, reponeretur *sessionis* vel *cathedræ* juxta Græcos. Sic *Musach* non sabbati, sed cathedræ, nempe Regis dicendum, esset; quæ conjectura confirmari potest testimonio Jose- C phi, qui loquens de constitutione Joas in solio Regio, dicit Gotholiam eum vidisse stantem in tentorio ἐπὶ τῆς σκηνῆς ἑστῶτα. Ideò in delineatione throni Regii non absonum est exhibere velum; quod ut loquitur Ecclesiasticus 34. 19. fuerit *tegimen ardoris & umbraculum meridiani.* Hoc est umbraculum quod licet appellare *Musach* sabbati, nempe velum quo thronus Regius obumbrabatur ei super extensum. In capite quarto Numerorum versu quinto, ubi de velis Tabernaculi sermo est, memoratur פרוכת המסך *paroket hamasach*, quod erat, ut vertunt senes Græci, καταπέτασμα [illegible] velum obumbrans, quod umbram faceret. Itaque *Musach* decet habere pro umbraculo throni Regii, qui erat in templo. Judæi tamen aliter sentiunt. Rabbi Sa- D lomon, ut refert Lira, putavit *Musach* locum esse in porticu templi splendidè coopertum in quo sedebat Rex in sabbatis. Verisimilius est depravatum fontem, & illud *sabbati* removendum; vertendumque locum hunc, vel *basim cathedræ*, quod magis probo, vel *operimentum cathedræ* quod nec improbo. Cur autem illud *Musach* removit Achaz? Nempe, ut ibi observat Sanctius, Cùm esset impius, à patria religione abhorrens, alienam expetens, nolebat amplius habere suam sedem in templo. In illud non ultra erat ingressurus religionis ergo. Cætera quæ sequuntur, non obscura sunt, nisi in versione Latinâ: *Et ingressum Regis exterius convertit* E *in templum Domini propter Regem Assyriorum.* Fons sic verti potest, *Et accessum Regis extimum amovit à domo Domini metu Regis Assyriorum.* Fontem ex parte secuti sunt Græci. καὶ τὴν εἴσοδον τοῦ βασιλέως τὴν ἔξω ἐπέστρεψεν ἐν οἴκῳ κυρίου ἀπὸ προσώπου βασιλέως Ἀσσυρίων. *Et introitum Regis convertit in domum Domini à facie Regis Assyriorum.* Id est, occlusit propter Regem Assyriorum, cui studebat placere. Sensum hujusce loci satis luculenter exponit scriptor Paralipomenorem II. cap. 28. v. 24. ubi omnia quæ de impio Achaz, dicuntur in libris Regum, paucis complectitur. *Direptis itaque Achaz omnibus vasis domûs Dei atque confractis, clausit januas templi Dei, & fecit sibi altaria in universis angulis Jerusalem.* Hoc est quod Josephus, ut vidimus, dixit. *In tantum autem religionis contemptum prolapsus*

est Achaz, ut spoliatum prius donariis templum A *clauderet, ne illud solemnibus sacrificiis honorare liceret.* Nempe sperabat rem gratam facturum Regi Assyriorum.

CAPUT V.

De mari æneo, de situ ejus, de dimensionibus, de formâ, capacitate, usu, & ornamentis.

SECTIO I.

Mare æneum vas erat magnum, cujus aquâ Sacer- B *dotes manus & pedes lavabant, operaturi sacris, & ingressuri ædem sacram, juxta cujus vestibulum ideò positum erat.*

DE hocce vase quod appellabatur mare, quia capacissimum erat, ut nunc disseramus ordo postulat. Opus suo opifici & huic qui de illo sermonem suscipit pariter arduum. Quin etiam mare illud plenum periculis; in eo enim non pauci scriptores naufragium passi sunt. Certè non emerserunt ex difficultatibus, quæ ubique occcurrunt tanquam cautes periculosæ. Ne eadem mihi contingant, diu & diligenter rem pensitabo; nec committam huic pelago fragilem ratem, nisi instructus præsidio disciplinarum. C Adhibenda enim est mathematicorum ἀκρίβεια, id est, diligentia; ut nihil proferatur nisi certis calculis subductum. Sed protinus maris ænei verus locus investigandus, deinde usus.

In descriptione Tabernaculi, vidimus simile vas appositum fuisse inter altare holocaustorum, & ingressum Tabernaculi, ad latus meridionale, non quidem citra, sed ultra altare, ut cernere est in schematibus Tabernaculi. Nequaquam verisimile est mutatum huncce situm à Salomone in templo, quod quantùm fieri potuit, similitudine Tabernaculum referebat. Igitur pariter in delineatione nostrâ templi expressimus mare æneum ad latus meridionale vestibuli sacræ ædis, ultra altare, per respectum ad eos qui portâ orientali ingrediebantur atrium Sacerdotum. Habemus consentientes Ju- D dæos; qui sic loquuntur [Middoth cap. 3. n. 6.] *chijor*, sic mare æneum appellant, *erat inter ulam*, nomen est vestibuli sacræ ædis, *& altare & protrahebatur versus Austrum.* Nec diversa dicit Maimonides [de Domo electâ cap. 1. n. 6.] *hujus situs est*, loquitur de eodem vase, *inter ulam*, vestibulum ædis, *& altare versus meridiem ad sinistram introeuntis in Michdas*, id est in sanctum locum, nempe in atrium Sacerdotum.

Attamen Villalpandus vas illud collocat quidem ad Austrum, sed in angulo orientali meridionali hujus atrii è regione Musach sabbati, sive throni Regii qui erat in angulo orientali boreali. Scilicet consulens elegantiæ, studebat ut correspondentes E anguli non destituerentur similibus ornamentis. Allegat locum ex Paralipomenis, in quo scriptor horum librorum narrat (lib. 2. cap. 4. v. 10.) quo situ Salomon disposuerit vasa atrii Sacerdotum. *Mare autem posuit ad dexteram partem templi contra Orientem ad Meridiem.* In fonte *ad dexteram versùs Orientem è regione Meridiei.* Situs ille non alius est quàm quem diximus; scriptor enim ille exhibet ædem sacram patentem ortui solis, & ad ejus latus dextrum versùs Meridiem mare positum; quod itaque erat ad latus vestibuli dextrum versùs Meridiem. Affirmat Scriptura (Exod. cap. 30. v. 18.) mare æneum inter Tabernaculum & altare situm fuisse. Non diffitetur Villalpandus, sed, inquit, mysterium fuit quòd situm ejus mutaverit Salomon, quia vas illud repræsentabat latus Christi apertum, undè aqua & sanguis effluxerunt. Huic scrutando mysterio immorari non vacat.

Mare æneum conflatum est à Salomone in eumdem usum, quem intuebatur Moyses, cùm labrum æneum posuit inter altare & fores Tabernaculi, juxta hæc illius verba quæ in memoriam revocanda sunt Exod. 30.

18. *Facies & labrum æneum cum basi suâ: ponesque illud inter Tabernaculum testimonii & altare. Et missâ aquâ.*

19. *Lavabunt in eâ Aaron & filii ejus manus suas ac pedes,*

20. *quando ingressuri sunt Tabernaculum testimonii, & quando accessuri sunt ad altare, ut offerant in eo thymiama Domino.*

Vulgatus Interpres ibi veritatem Hebraicam non secutus est, ut observavimus: saltem verba ejus ambigua sunt; possunt enim accipi in sensum alienum à mente Moysis. Juxta fontem præcipitur Sacerdotibus ut lavent manus & pedes ex labro. ממנו *mimmenu*, id est, *ex eo* ἐξ αὐτοῦ, ut loquuntur Græci senes. Non ergo in eâ aquâ, quæ erat in vase, præcipiuntur Sacerdotes suos pedes abluere; sed ex aqua, quæ efflueret ex illo. Non, inquam, decebat Sacerdotes, ut ait Sanctius Latinum Interpretem arguens, in vas illud, quod mundum maximè esse oportebat, pedes immittere. Educebatur igitur à labro aqua per fistulam, quæ in Sacerdotum manus ac pedes diffluebat. Illi, ut suo loco comprobaturi sumus, obibant munia sua nudis pedibus. Circa altare, ubi tot victimæ cædebantur, non poterat fieri quin in areâ, quæ quidem strata erat marmore, sanie & tabo inficerentur Sacerdotum pedes; quos ergo sæpiùs tenebantur abluere. Statim autem infectum & immundum evasisset mare, si intra ipsum in mediis aquis ejus cruentos pedes suos ministri immisissent. Effatum est in libris ritualibus Judæorum. *Aquam è quâ jam sunt manus lotæ, immundam esse; quia aqua statim recipit immunditiem manuum;* ut observat Buxtorfius libello *de lotione manuum*, num. 26. Convenit inter Doctores Hebræos labrum Moysis non effudisse continuò aquam, sed in illo fuisse מרזאות, ut loquitur Maimonides, id est, foramina, quæ Sacerdos, qui se lavare volebat, aperiebat. Locum Maimonidis allegat Buxtorfius ibidem numero 32. Labrum כיור *chijor* speciem habebat magnæ ollæ, in quâ erant papillæ, sive fistulæ, ore suo aquam effundentes, ait Rabbi Salomon. Auctor libri præceptorum tales fistulas duodecim numerat in hocce labro.

Nullus dubitandi locus quin mare æneum similes haberet fistulas, similia epistomia. De mari æneo loquens Maimonides tractatu de Ædificio templi cap. 3. n. 18 « Erant, inquit, labro duodecim mammæ, ut ex eo Sacerdotes jugi sacrificio operantes « lavare possent simul omnes. Itaque non in ipso ma- « ri lavabant se; nam, ut rectè dicit Villalpandus, si in conchâ Mosaïcâ, quæ cum Salomonicâ com- « parata, minima certè videbitur, nullus hominum « arbitratus est Sacerdotes lavari debuisse; quantò « minùs in hoc mari, cujus aquæ infinita prope- « modum copia horrorem incuteret ingredi volenti- « bus? Erat enim quinque cubitorum ipsius aquæ « profundum, quanta nimirum erat cubiculorum « circa templum altitudo; ut vel ex illo colligas « quantùm humanam excesserit altitudinem maris « altitudo, vel aquæ profunditas. Accedit quòd a- « qua in quâ jam abluti essent pedes Sacerdotis ali- « cujus, minus apta censeri debuisset ad abluendum « alterius

» alterius pedes, ad polluendos potiùs per quàm ap» tissima. Quibus certe rationibus victi, pergit lo» qui Villalpandus, quæ satis firmæ viderentur, ne» que ullâ ex causâ contemnendæ, sub boum pedi» bus, qui mare æneum ferebant, pollubrum quod» dam jam indè ab initio depingi curavimus, quod » facilè aquâ per canales e superiori vase emissâ re» pleretur; ut unusquisque lavare commode posset » Sacerdos; mox verò effusâ per occultos canales » impurâ illâ aquâ, purior denuò infunderetur sta» tim, ac alius accederet Sacerdos abluendus. Res non fuisset expedita, sed multi temporis, si toties implendum & exhauriendum illud pollubrum, quoties unus Sacerdos accederet ad lotionem. Quapropter opinor simul ac aqua per epistomia aperta efflueret ex mari in pedes & manus Sacerdotum, protinus absorptam per aperturas, quæ ubique erant in pollubro. Aliter Judæos sentire videbimus. Buxtorfius quomodo fieret ista lotio manuum & pedum fusè explicat in libello citato. Fiebat, vel per affusionem aquæ ex vase, qui modus est ordinarius; vel per intinctionem seu immersionem manuum in aquam. An in pollubro, sive in pollubri aquis, incertum esse potest: certum è vivis aquis, nempe quæ effluerent ex labro. Sed quomodo protinus immunditiam non contrahebant? » Labrum, in» quiunt, habebat autem ora per quæ egredieban» tur aquæ, cùm Sacerdotes lavarent manus & pe» des ex eo. Et dicunt Doctores nostri quod simul » lavabant manus & pedes, ponendo manum dex» teram supra pedem dexterum & manum sinistram » super pedem sinistrum: ita lavabant בבת אחת vice » unâ, id est, semel & simul, & quasi momento tem» pòris. Hæc doctor Judæus, quem allegat Drusius in notis suis majoribus in Exodum, cap. 30. v. 19. Sacerdotes quidem poterant manus & pedes supponere aquis subsilientibus. Sed verba dicti Rabbini sic intelligi possunt, ut in subjectâ basi labri, simul eodem momento omnes Sacerdotes abluerent se; ita aqua qua quisque lavabat se, non immunditiem adhuc contraxerat; & hoc est quod Rabbi Salomon confirmat ad dictum locum Exodi. » Unâ » vice, id est, semel quisque Sacerdos, sancti» ficabat manus & pedes, quemadmodum traditum » est in zebachim. Quum esset sanctificatio manuum » & pedum, ponebat manum suam dexteram super » pedem suum dexterum, & manum suam sinistram » super pedem suum sinistrum, atque ita lavabat.

Quoquo modo fieret lotio, non intra ipsum mare peragebatur. Opponi possunt verba scriptoris Paralipomenorum lib. 2. cap. 4. v. 6. *Porro in mari Sacerdotes lavabantur.* In fonte, *Et mare* erat *Sacerdotibus ad lavandum se* בו *bo*, quod reverâ reddi potest *in eo*; & sic intellexerunt Græci Interpretes: Καὶ ἡ θάλασσα εἰς τὸ νίπτεσθαι τοὺς ἱερεῖς ἐν αὐτῇ. Verùm qui vel primoribus labris Hebraïcas literas degustarunt, non ignorant latissimam esse significationem literæ servilis ב *Beth*. Notat causam, instrumentum, aut modum actionis; vim habens diversarum præpositionum, quæ Græcis & Latinis usitatæ sunt: quibus ergo hæc litera servilis *Beth*, ut loquuntur Grammatici, reddi debet judicio Interpretis, nunc per hanc, nunc per aliam Græcam aut Latinam particulam.

Ea notio innata est, res sanctas non impuris & illotis manibus tractandas esse. Verisimile est primos & antiquos Patriarchas non obtulisse Deo munera, nisi corpore abluto; à quibus, cùm omne hominum genus propagatum sit, non mirum si ante datas Moysi sacrificiorum leges, invaluerat illa consuetudo ut immundus ad altaria nemo accederet. Hanc, inquam, consuetudinem & Gentiles acceperant a filiis Noe, quibus debent suam primam originem. Nisi malimus dicere impuros Dæmones, qui sibi omnia arrogant jura veri numinis, induxisse gentes ut facerent quod ab Israëlitis sciebant peragi. Quidquid sit, potiùs ex vetustis traditionibus, quàm ab Ægyptiis aut ab aliâ ullâ gente Hebræos sacrorum leges didicisse, magis consonum est veritati. Quod res sacras Ethnici non tractarent manibus illotis, videre est apud Homerum. Hector apud Homerum Iliad ζ vers. 266. sic loquitur.

> Χερσὶ δ' ἀνίπτοισιν Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον
> Ἅζομαι, οὐδέ πῃ ἔστι κελαινεφέϊ Κρονίωνι
> Αἵματι καὶ λύθρῳ πεπαλαγμένον εὐχετάασθαι.
> *Manibus autem illotis Jovi libare ardens vinum*
> *Vereor: neque ullo modo fas est atras nubes reddenti Saturnio*
> *Sanguine & pulvere pollutum vota facere.*

Sic & Æneas loquitur apud Virgilium libro 2. Æneid.

> *Tu genitor cape sacra manu, patriosque Penates;*
> *Me, bello à tanto digressum & cæde recenti,*
> *Attrectare nefas, donec me flumine vivo*
> *Abluero.*

Apud Plutarchum, in quæstionibus Romanis, Cornelius Antroni mandat, ut ante sacrificium aquâ Tiberis profluente sese ablueret. Indè in templis Gentilium περιρραντήρια, quasi dicas *circumspersoria*; quorum aquâ Sacerdotes perspergere solebant eos qui ingrederentur templum. Morem hunc exhibet Virgilius in libro sexto Æneidos vers. 229.

> *Idem ter socios purâ circumtulit undâ,*
> *Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ:*
> *Lustravitque viros, &c.*

Idcircò, ut notat Suidas ad vocem περιρραντήρια in templis erant urnæ, hydriæ, pelves, lustralia vasa, etiam aurea dolia. Inter dona quæ Cræsus obtulit ædi Apollinis Delphici, memorat Herodotus κρητῆρας δύο μεγάθεϊ μεγάλους *duas grandi formâ pateras*, auream argenteamque: quarum aurea intrantibus in templum ad dexteram posita erat, argentea ad sinistram. Hæc erat capax sexcentarum amphorarum. Donaverat insuper Cræsus πίθους τε ἀργυρέους τέσσαρας dolia argentea quatuor, & περιρραντήρια δύο, duo vasa circumspersoria, aureum argenteumque. Et ipse Cræsus donatus fuerat à Lacedemoniis paterâ aheneâ, quæ labiorum tenus frequentibus animalibus exornata, capax erat triginta amphorarum; ut idem Herodotus narrat libro primo. Vas æneum capacius celebrat libro quarto; quod sexcentarum amphorarum erat, crassitudine sex digitorum; factum ex aculeis sagittarum, cùm Rex Schytarum Ariantes voluisset numerum inire suorum militum. Scimus è mulierum speculis conflatum à Moyse labrum, quod ante fores Tabernaculi posuit. Nullum autem vas celebratur in antiquis monumentis par maris ænei capacitati, quam protinus expendam.

SECTIO II.

Maris ænei dimensiones, capacitas, forma expenduntur. Adstruitur fuisse hemisphærio simile.

Scriptura non tam liquidò definit mensuras maris ænei, ut nullus remaneat ambiguitati locus. Sic de illo loquitur libro tertio Regum, cap. 7. v. 23. *Fecit quoque* Salomon *mare fusile decem cubitorum à labio usque ad labium, rotundum in circuitu: quinque cubitorum altitudo ejus, & resticula*

triginta cubitorum cingebat illud per circuitum. A Nec aliter in Paralipomenis lib 2. cap. 4. v. 2. *Mare etiam fusile decem cubitis à labio usque ad labium, rotundum per circuitum: quinque cubitos habebat altitudinis, & funiculus triginta cubitorum ambiebat gyrum ejus.* Attamen nox atra adhuc mari æneo incubat Etenim dubitari potest primùm an maris crassitudo sit includenda in illis decem cubitis. Quam primam difficultatem Josephus solvit Græcè scribens. Ἦν γὰρ ὁ λουτὴρ τὴν διάμετρον πηχῶν δέκα, καὶ ἐπὶ παλαιστιαῖον πάχος κεχωνευμένος. *Erat enim labrum patens per dimetientem lineam in cubitos decem, crassitudine palmari.* Post enumeratam enim diametri longitudinem, computans palmarem crassitudinem, videtur id voluisse significatum, decem illis cubitis superaddendam esse crassitudinem. Cæteræ B verò dimensiones non sic explicantur, ut liceat certò æstimare veram ejus capacitatem. Etenim quas assignat mensuras Scriptura, convenire possunt duobus vasis diversæ capacitatis, quorum unum sit pars cylindri, aliud dimidia portio sphæræ. Vas autem sphæricum superatur unâ tertiâ parte à cylindrico; ita ut si sphæricum bis mille batos, cylindricum capiat ter mille; cylindrus enim, ut demonstravimus in Geometriæ elementis, sesquialter est sphæræ ejusdem diametri & altitudinis; nempe se habet ad sphæram sibi inscriptam, ut tria ad duo. Antequam quidpiam statuamus priùs solvenda est difficultas, quæ oritur ex ratione, quam Scriptura videtur ponere inter diametrum & perimetrum, sive C circuitum maris ænei. : *& resticula triginta cubitorum cingebat illud per circuitum,* Scilicet cùm diameter esset decem cubitorum, resticula, sive funiculus triginta cubitorum circa gyrum ejus deduci poterat; undè sequeretur eam esse rationem circuli ad diametrum ejus, quæ est inter hosce numeros I. & III. Sed reclamant Geometræ, juxta quorum calculos ratio perimetri ad diametrum exprimenda est hisce numeris VII. & XXII. Ergo locus ille Scripturæ negotium facesseret, nisi constaret quoscumque scriptores, ubi agitur de numeris, non in rigore geometrico loqui, sive nòn adhibere exactam diligentiam exprimendo numeros; quippe qui negligant minutias. Præterea fieri potest ut temporibus Salomonis, vel hujus qui scripsit libros Re- D gum, vulgò non alia admitteretur ratio; nec tunc forsan illa innotuerat, quam postea Archimedes deprehendit. Hîc possumus uti regulâ, quam B. Hieronymus libro adversùs Helvidium assignat, nempe multa in Scripturis narrari juxta opinionem illius temporis, quo gesta sunt, & non juxta rei ipsius veritatem. Quod & adstruit hisce verbis in commentario in caput 28. Jeremiæ. *Multa*, inquit sanctus Doctor, *in Scripturis sanctis dicuntur juxta opinionem illius temporis quo gesta referuntur, & non juxta quod rei veritas continebat.* Hanc regulam, quæ circa historiam traditur à B. Hieronymo, sequentes, dicere possumus scriptorem tertii Regum E suo permissum ingenio, ut loqueretur ex suâ vel aliorum opinione, cùm exactior ratio inter circulum & diametrum nondum explorata erat; sed nec hactenus præcisam & veram assecuti sumus. Gloriæ Dei & salutis animarum non intererat perspectam & compertam haberi; & hactenus impunè latuit Geometras. Demonstrant quidem proximum esse vero quod diameter se habeat ad perimetrum, ut 7 ad 22; & ideò circulum, cujus diameter sit decem cubitorum, habere in circumferentiâ suâ triginta cubitos & unum cum tribus septimis partibus unius cubiti. His demonstrationibus adversaretur sacer Historicus, si hanc rationem, probatam Archimedi ipse confutandam suscepisset; sed tantùm refert, quid ipsi artifices tunc sentirent de maris ænei circuitu, opinantes posse æstimari ex funiculo ambiente.

Responsio illa non placet iis quorum infirma est religio; qui nempe tanquam scelus exhorescunt fateri ullibi sacros scriptores loqui ex aliquâ opinione vulgi, quæ non omninò vera sit. Ergo comminiscuntur non unius & ejusdem circuli diametrum & perimetrum hîc mensurari. A labio ad labium erat, inquiunt, linea cubitorum decem; sed resticula triginta cubitorum, quâ gyrus mensurabatur, non admovebatur eidem circulo, cujus hæc linea decem cubitorum esset diameter, verùm alteri. Quis ille alter circulus, an interior, an exterior? Si interior jam dicta linea decem cubitorum complectebatur crassitudinem maris ænei; quæ cum esset mensuræ tophae, nempe palmi, sive quatuor digitorum, ut dicit Scriptura; tunc interioris circuli diameter non decem cubitorum fuisset, sed novem tantùm cum duabus sextis partibus cubiti; nam cubitus continet sex palmos. Ita hinc indè ex decem cubitis palmus detrahendus erat; sive detrahenda crassitudo dicta. Ergo iste interior circulus non habuisset triginta cubitos in suâ circumferentiâ. Exterior autem qui ambiret totam crassitudinem, longioris fuisset perimetri. Hi forsan dicant diametrum decem cubitorum utramque oppositam crassitudinem maris inclusisse; sed in ipsâ crassitudine statuendum certum terminum, per quem ductus circulus potuisset quidem habere in circuitu suo paulò plus quàm triginta cubitos. Illi impingunt in errorem, dum errorem fugiunt; nam & fictitius circulus non habuisset decem cubitorum diametrum, quod adstruit Scriptura, sed minorem. In Bibliis Græcis complutensibus veritas Hebraica, ut in Latinâ versione, exprimitur. Correctores verò Romani qui novam Græcam editionem curarunt, ponunt triginta tres cubitos. Nituntur auctoritate Theodoreti, quem Interpres ejus, inquiunt, contra fidem meliorum codicum sic inducit loquentem, quasi credidisset circuitum maris fuisse 30 cubitorum: sed hæc si ita sint, secum non cohæreret; in explanatione enim suâ adstruit aliam lectionem. *Etenim habebat quidem* mare, ait Theodoretus, *speciem hemisphærii, decem cubitos diametrum, 3 autem & 30 cubitos habebat ambitus. Quoniam palmi mensuram habebat crassities, duobus autem palmis, eo, inquam, qui hinc, & illo qui indè, conjunctis cum diametri mensura inveniuntur undecim cubiti: hi autem triplicati faciunt triginta tres.* Verum illud ratiocinium vacillat; nam cubitus Hebræus habebat sex palmos: ita duo palmi additi cubitis decem, non faciunt undecim cubitos. Præterea si linea dimetiens, sive diameter fuisset tot cubitorum, & perimeter, sive circulus triginta trium cubitorum, eodem errore ibi laboraretur; falsum enim est diametrum se habere ad perimetrum, ut unum ad tria. Satius est fateri neglectam à Scriptore sacro exactiorem rationem, aut locutum ex opinione vulgari. Juxta nostros calculos, & suppositâ ratione quæ nunc admittitur inter diametrum & perimetrum circuli, circuitus maris ænei paulò plus quinquaginta duorum pedum Parisinorum cum quatuor pollicibus statuendus est Etenim decem cubiti Hebræi, ducentorum pollicum Parisinorum faciunt sexdecim pedes cum duabus tertiis partibus unius pedis, sive cum octo pollicibus; cùm ergo diameter maris ducentorum pollicum fuerit ad suum circulum ut 7 ad 22, dicta mensura admitti debet.

Hæc spectant circuitum maris ænei; integra capacitas ejus pendet ex forma; quæ fuit vel sphærica vel cylindrica. Ex libro tertio Regum mare ca-

piebat duo mille batos: ex libro secundo Paralipomenorum tria millia metretas; in fonte tres mille batos. Incertum est cujus libri lectio magis probanda sit. Donec utrumque ineam concordiam, juxta has duas diversas lectiones subducam calculos, simul & juxta diversas maris formas. Supponatur primò mare cylindro simile. Demonstravimus in elementis geometricis quadratum diametri in quolibet circulo se habere ad superficiem ejus ut quatuordecim ad undecim. Diameter maris erat decem cubitorum; & ideò 200 pollicum; quorum quadratum est 40000; numerus multiplicatus per undecim producit 440000; qui productus numerus si dividatur per quatuordecim exurgit pro quoto $31428\frac{8}{14}$ ipsa superficies circuli cujus diameter est decem cubitorum, sive 200 pollicum. Ista autem superficies erat fundum vasis quod hîc supponimus simile cylindro. Itaque multiplicando $31428\frac{8}{14}$ per quinque cubitos, sive 100 pollices, quæ erat maris, sive hujus cylindri altitudo, oritur 3142800. Negligimus fractos numeros. Dividatur ille numerus, solida capacitas maris per 2000 batos, quos capiebat juxta librum Regum quotus erit $1571\frac{800}{2000}$. Ita batus paulo plus quam 1571 pollices habuisset juxta primam hypothesim. Argumentis autem satis firmis evicimus batum nec multo minorem, nec multo majorem mille pollicibus. Eadem capacitas maris cylindrici nempe numerus 3142800 divisus per 3000 batos, quos capiebat secundum Paralipomena, quotus $1047\frac{800}{3000}$ ostendit batum paulo plus quam 1047 pollicibus æqualem fuisse.

Nunc in alterâ hypothesi, quod mare esset hemisphærium, ineamus calculos. In elementis nostris geometricis demonstravimus cubum diametri sphæræ se habere ad soliditatem ejus ut viginti unum ad undecim. Igitur multiplicando 8000000 cubum diametri maris sphærici, nempe ducentorum pollicum per undecim pollices exsurgit numerus ille 8000000 qui divisus per 21 dat $4190429\frac{1}{21}$, quæ est soliditas sphæræ, cujus diameter est 200 pollicum. Ergo mare, quod esset hemisphærium, sive media pars hujus sphæræ, habebat $2095214\frac{1}{10}$. Dividatur hic numerus per bis mille batos, quos adstruit liber tertius Regum, deprehendemus $1047\frac{1214}{2000}$ contentos in singulis batis; quod proximè accedit ad illam bati capacitatem, nempe mille pollicum quam statuimus in libro primo. Idem numerus divisus per ter mille batos dat $698\frac{1214}{3000}$ Ita mensura bati fuisset angustior, si non duo mille sed ter mille batos cepisset mare æneum.

Hi omnes calculi incerti & inutiles sunt, donec incerta erit forma maris ænei, an esset sphæricum an cylindricum. Hemisphærio simile dicit Josephus, qui oculis suis illud viderat in templo, nempe quod conflatum fuerat simile Salomonico; aut cujus ad aures Salomonici forma pervenerat vel ex traditione vel ex lectione veterum monumentorum. Cylindrus certæ latitudinis, sive diametri non habet definitam altitudinem, quæ necessariò sit media pars latitudinis ejus. Non ita est de sphærâ: quapropter cùm Scriptura dicat mare æneum duplo fuisse latius quàm altum, nempe latum decem cubitis, altum verò quinque, innuere videtur fuisse sphæricum. Fecit, inquit Josephus de Salomone loquens, mare in hemisphærium ἐχώνευσε δὲ καὶ θάλασσαν χαλκῆν εἰς ἡμισφαίριον ἐσχηματισμένην. *Fecit etiam vas aheneum fusile semi-rotis specie*; quod ait Theodoretus Josephum sequens; εἶχε μὲν γὰρ εἶδος ἡμισφαιρίου *habebat enim formam dimidii globi.*

Cùm Scriptura dicat mare æneum fuisse rotundum in circuitu, sive orbiculare, non video cur excepisset fundum ejus, si illud planum fuisset perindè ac in cylindro. Sed, inquiunt, qui illud cylindricum putant quomodo sphæricum recubuisset supra duodenos boves, qui ei subjecti erant. Hos enim, inquiunt, in angustum sic cogit, qui facit mare hemisphærium, ut necesse sit eorum posticas partes simul confusas & implicitas esse, monstrumque unicum ex duodecim bobus emergere. Hanc difficultatem modò solvemus. Interea dicamus mare fultum columnâ, ut dicit Josephus, nec omninò boves huic vasi suppositos; sed quodam modo tergum opposuisse ne ventorum impetu, vel aliâ vi everteretur. Statim verò ineunda est concordia inter tertium Regum & secundum Paralipomenorum circa numerum batorum quos mare caperet.

Alii nodum abscindunt potiùs quàm solvunt, qui non refugiunt dicere ibi corruptos codices sacros incuriâ Librariorum, qui in effingendis notis numericis sæpiùs errant. Errorem autem adscribunt alii libris Paralipomenorum, alii libris Regum. Primi nituntur auctoritate Josephi qui ultra duo mille batos non agnoscit in mari æneo. Alii contra corruptum locum Regum contendunt, sanum Paralipomenorum, & erroris vestigium sic sectantur. Conjiciunt prætermissam vocem שלשת *scheloscheth* & id contigisse hocce casu. In fonte, inquiunt, præcedit vox Hebræa שושן *schoschan*, id est, *lilium*. Olim ergo cùm sequeretur שלשת, quod imperitâ manu potuerat fuisse corruptum, alter Librarius habuit pro inutili repetitione vocis præcedentis שושן, ita abrasit. Nomen autem אלפים quod ibi legitur, pro diversitate punctorum pronunciatur, vel *alaphim*, id est, *mille*, vel *alphaim* in duali numero in quo significat *duo millia*. Olim ergo juxta illos criticos locus integer sic legebatur *scheloscheth alaphim*, id est, *ter mille*: cùm cœpit deesse nomen שלשת, qui advertebant plusquam mille batorum mare æneum capax fuisse, subjecerunt puncta dualis numeri, cùm potiùs vox *scheloscheth* fuisset restituenda.

Hi verò quibus religio est fateri ullum erratum in sacro codice, fingunt in libris Paralipomenorum indicari batos vulgares tertiâ parte minores batis sacris; quorum ergo duo millia æquabant tria millia vulgarium. Sunt præterea qui dicunt in libris Regum exprimi numerum batorum qui solerent infundi in mare æneum; quibus tamen non opplebantur, quippe capax ter mille batorum; quorum capacitatem ideò significavit auctor Paralipomenorum, quia id suæ diligentiæ derelictum putavit, sicut alia plurima quæ relicta sibi fuerant enarranda. Ad summum, aiunt, poterat mare æneum continere *ter mille*, sed non solebat impleri nisi ad *bis mille*; quod significatur in Paralipomenis verbo מחזיק *fortificare facienti*. Nempe capiebat ter mille batos, cùm implebatur quantumcumque erat. Beckius qui nuper Paraphrasim Chaldaïcam Paralipomenorum edidit, in huncce locum allegat Targumistas, Gemaristas & Rabbinos, qui dicunt mare æneum capax fuisse duo millia batorum humidorum, cepisse verò tria millia batorum aridorum. *Accumulatio*, inquit Abai Gemarista, *tertiam partem super addit.* Alius, *omne vas aridi accumulati tertiâ parte plus comprehendit, quàm humidi, quod nullus homo potest accumulare. Accumulatio enim tertia pars est vasis.* Judicium sit penes eum qui experiri voluerit quod forsan temerè, ut solent Rabbini, effutiunt. Aliam viam concordiæ inter libros Regum & Paralipomenorum ineo in proximo rticulo.

SECTIO III.

Mari æneo, ſicut olim labro Tabernaculi, ſubjecta erat baſis velut pelvis magna, in quâ manus & pedes ſuos miniſtri lavabant.

UTrumque locum Regum & Paralipomenorum, ubi de capacitate maris ænei fit ſermo, ſanum puto; ſed maris ænei nomine ſignificatur in Paralipomenis totum illud vas, quod deſerviebat ad lotionem manuum & pedum cujuſque Sacerdotis, qui erat ſacris operaturus. Totum autem vas illud conſtabat duobus vaſis, ſuperiori & inferiori. Superius continebat aquam & propriè erat mare; inferius inſtar baſis ſupponebatur ſuperiori & erat pro pollubro, in quod per epiſtomia influebat aqua ex mari. Hoc evici de mari quod erat in Tabernaculo; cui mare templi ſimile fecit quoad formam Salomon, ſed majus quia major numerus Sacerdotum qui eodem tempore tenebantur manus & pedes ſuos lavare; cætera vero ſimile. In Exodo 30. 18. iſta legimus quæ hùc revocanda *Facies & labrum æneum cum baſi ſuâ ad lavandum.* Interpres Latinus non totum fontem exprimit; reticuit enim hanc baſim conflatam fuiſſe ex ære perinde ac ipſum labrum וכנו נחשת *vecano nechoſcheth.* Facies & *baſim æneam*, quod Græci reddunt ad verbum ποιήσεις λουτῆρα χαλκοῦν, καὶ βάσιν αὐτῷ χαλκῆν. Quæ verò fuerit forma hujus baſeos, quis uſus, liquet, nempe ut uſum pollubri præſtaret; alioqui, cur æneam conflaviſſet Moyſes, fruſtra oneraturus vehicula quibus labrum imponebatur? Verùm cùm intra ipſum mare non abluerent manus & pedes ſuos miniſtri, neceſſe erat ut in iſtâ baſi lotio fieret. Atteſtatur Maimonides in tractatu de Domo electâ, ſive de Ædificio templi capite tertio n. 18. *Erant labro mammæ duodecim ut ex eo Sacerdotes jugi ſacrificio operantes lavare poſſent ſimul omnes. Atque labro conjunctum erat aliud vaſis genus, in quo perpetua contineretur aqua.* Ludovicus de Compiegne de Viel his verbis Latinis reddidit Maimonidem, cujus hæc verba Hebræa animadvertenda מכוי עשו לו & *Mechoni*, id eſt, baſim fecit ei. Addit בה שיהין תמיך המים *fuerunt ine â perpetuò aquæ.* Dixi ſtatim ex pollubro aquas effluxiſſe, ita ut ſordidis aquis non repleretur. An alia ſenſerit Maimonides ipſe audiendus. In alio tractatu, in illo ſcilicet qui inſcribitur de ingreſſu templi, ſive de ratione adeundi templi cap. 5. n. 10. Sic loquitur per Interpretem ſuum Latinum. *Atque ut aquâ è labro illo exiliente manus abluerentur, præceptum erat: verumtamen ſi quis ex alio vaſe ad rem divinam apto laviſſet, benè habuiſſet: de vaſis autem prophanis nequaquam conſecrabantur. Jam ſi quis ex vaſe ad rem divinam adminiſtrandam parato manus laviſſet extra Sanctuarium, aut intra Sanctuarium laviſſet e vaſe profano & faceret, operatio ejus profana fuiſſet. Porro autem manus non abluebantur intra labrum ipſum* כיור *chijor, aut intra vas aliud divino miniſterio conſecratum: ſcriptum eſt enim lavabunt ex eo Aaron & filii ejus, non item in eo.* Locus ille non adverſatur huic quod diximus ſtatim aquas per epiſtomia effluentes non remanſiſſe in labro ſeu ſubjecto vaſe; ſed contrarium videtur dicere in loco quem modo allegavi de capite tertio *de Domo electâ*, ubi dicit baſim מכוני *Mechoni* fuiſſe vas profanum. *Idque vas erat profanum, ut in eo aqua pernoctans, aqua ne vitiaretur. Labrum enim erat è vaſis ſacris unum, & ſanctum efficiebat quidquid recipiebat: quod autem ſanctum efficeretur in aliquo vaſe ſacro, hoc idem ſi in eodem vaſe pernoctaſſet, vitiaretur.* Vas in quo

A deponerentur ſordes manuum & pedum non poterat pro ſancto haberi. Sed ſi aqua ſtatim effluebat ex pollubro non in eo deponebantur ſordes.


Scriptura quidem mentionem non facit hujuſce baſeos, ſive pollubri, neque Joſephus. Forſan quia res erat nota ex uſu quotidiano, & ſimilitudine ejus cum labro Tabernaculi. Attamen non deſunt veterum teſtimonia. Fragmentum Eupolemi celeberrimi & vetuſti ſcriptoris inſeruit Euſebius libro nono Præparationis Evangelicæ. Ne autem ſuſpectus ſit ille ſcriptor, quia adverſaretur Scripturis, ubi loquitur de menſuris maris ænei, animadvertendum Interpretes Euſebii non obſervaſſe vim numericam ab Eupolemo exprimi literis alphabeti B Græci more Homeri, apud quem verbi causâ litera κ *Kappa*, quæ decima eſt alphabeti, nota eſt numeri denarii. Sed aliâ ratione hæc litera uſurpatur pro notâ vicenarii numeri, quando litera *iota*, indicat numerum denarium, ut videre eſt in Grammaticis qui explicant notas numericas Græcorum. Audiamus Eupolemum ſic loquentem ubi recenſet opera Salomonis Κατασκευάσαι δὲ καὶ λουτῆρα χαλκοῦν, μῆκος πηχῶν κ΄, καὶ πλάτος πηχῶν κ΄. Τὸ δὲ ὕψος πηχῶν ε΄. Ποιῆσαι δὲ ἐπ᾽ αὐτῷ στεφάνην πρὸς τὴν βάσιν ἔξω ὑπερέχουσαν πῆχυν ἕνα, πρὸς τὸ τοὺς ἱερεῖς τούς τε πόδας προσκλύζεσθαι, καὶ τὰς χεῖρας νίπτεσθαι ἐπιβαίνοντας. Hocce fragmentum Eupolemi Interpres hiſce verbis Latinis reddidit. *Labrum item adjunxit æneum, longitudinis quidem ac latitudinis viginti cubitorum, altitudinis verò quinque duntaxat cubitos* C *habens.* Ibi juxta hanc verſionem adverſaretur Eupolemus Scripturæ, quæ longitudini & latitudini maris aſſignat tantùm decem cubitos; ſed Interpres fallitur verum valorem non aſſignans elemento Κάππα; quod quidem in notis numericis ordinariis indicat numerum viceſimum; ſed quia in ordine alphabeti decimum eſt, etiam ſumitur pro notâ decimi numeri. Quoquo modo autem ſumatur elementum ε, nota eſt quinarii numeri. Pergamus referre interpretationem Latinam. Labrum hoc *limbus quidam exteriùs ad cubitum unum eminens ac verſus baſim circumductus ambiebat, quo faciliùs conſcenſo labro Sacerdotes pedum manuumque ſordes eluerent.* Illum limbum, ſeu potiùs coronam στεφάνην, ut loquitur Eupolemus, habeo pro circuitu D ſubjecti pollubri. Verba illa: στεφάνην πρὸς τὴν βάσιν ἔξω. Sic Interpres Euſebii intellexit, ut cogitaret limbum in ſuperiori parte maris ænei, qui reſpiceret versùs baſim. Quid hoc ſibi vellet, *versùs baſim?* Sed Eupolemus indicat quidpiam quod eſſet ἔξω nempe extra mare, ſubjectum mari ad baſim ejus, veluti coronamentum extans cubitum unum, ut Sacerdotes in illud vas ſubjectum ingredientes pedes & manus lavarent. Expende, Lector, verba Græca Eupolemi, in quibus puto legendum ὑπ᾽ αὐτῷ pro ἐπ᾽ αὐτῷ; & ſic reddendum Latinè hocce fragmentum. *Labrum item adjunxit æneum longitudinis quidem ac latitudinis decem cubitorum, altitudinis verò quinque duntaxat cubitos habens. Fecit* E *autem ſub illa coronam*, vas nempe quo mare quaſi coronaretur, *ad baſim ſupereminentem*, nempe ſupra pavimentum extantem, *cubito uno, ut in illud vas Sacerdotes ingreſſi, pedes & manus lavarent.* Mox ſubjiciam imaginem maris ænei & baſis ejus, conſonam Eupolemianæ deſcriptioni.

Kimchius in Commentariis ad caput quartum libri ſecundi Paralipomenorum conatus eſt exponere quo ſenſu dici potuiſſet Sacerdotes in mari æneo ſe laviſſe. « Senſus eſt: Mare pro Baptiſmo Sacerdotum inſerviſſe, qui ſe per illud ab immunditie ſuâ « abluebant. In Talmude verò Hieroſolymitano ob- « jicitur: Nonne illud mare, vas eſt? Quaſi dicat « quomodo per illud abluere ſe potuerunt, an non «

Mare æneum. Col. 461. et 993.



Sectio Maris ænei, atque ejus pollubri Col. 987 et 992




Mare æneum secundùm Judæos. Col. 991.



Mare æneum secundùm Vilalpandum. Col. 99



Mare æneum cilindricum juxta quorumdam opinionem Col. 991.



Alia forma Maris ænei Col. 991.



» vas est, ablutio verò in vasis non fit; sed respon» detur : dixit R. Josua Ben Levi : fossam aquarum » habuit derivatam ex fonte Etam , atque crura » boum in malogranatis perforata fuere v. d sub ter» ra , sicque ei aquæ advenerunt, ingressæ & ascen» dentes per crura boum aperta infernè & perforata. Hæc Kimchius Interprete Bechio; sed ille Rabbinus à veritate aberrat, aut illam corrumpit. Longè abest à me, ut sine ullâ exceptione fidem adhibeam Judæis. Attamen congeram hùc quæ dicunt de mari æneo. De eo sic loquitur Mischna tractatu *de die expiationis* cap. 3. n. 10. *Filius Catini fecit duodecim epistomia* כיור chiior *labro , cùm antea duo tantum habuerat. Fecit insuper machinam labro ne aquæ ejus nocte pollueerentur.* Sic hunc locum vertit Seringamius, qui putavit ibi sermonem fieri de machinâ lignariâ aliquà, nempe de rotâ , quæ è mari aquam educeret. In originali textu quæ ipsa ferè verba sunt quæ leguntur in Exodo, ubi describitur labrum Mosaicum , הואעשה מוכני לכיור. *Ipse fecit Mechoni*, id est, basim *labro*. Quam vocem *Mechoni* Maimonides ad hunc locum mischnæ nobiscum interpretatur de vase quod labro subjiciebatur. Verba ejus sunt. *Ben Catin fecit duodecim epistomia labro per quæ fluebat aqua , ut omnes Sacerdotes , qui sacrificium juge parabant , simul eorum manus & pedes lavare possent ; at non enumerat Misna eum qui mactabat , quia jam diximus mactationem etiam per alienigenam fieri posse ; idem verò Sacerdos , qui aspergebat sanguinem , etiam excipiebat. Caterùm jam constat tibi , quod tredecim Sacerdotes parabant sacrificium juge , quorum uno qui mactabat deficiente , remanebant duodecim , & labrum comprehendebatur inter vasa ministerii , & quando in eo erant aquæ , sanctificabantur , & polluebantur si per noctem remanerent , ut multis in locis tractatûs codaschim exponitur. Fecit autem vas aliquod circum labrum in quo semper erat aqua , & de illo vase effundebatur in labrum & vocabatur illud vas* מוכני.

Quæque sit sententia Judæorum de aquis maris ænei, constat eos agnovisse huic subjectum pollubrum, in quod per epistomia e mari influeret aqua. Olim hæc epistomia erant tantummodo duo : cùm de novo conflatum est hocce labrum, 12 ora aperuit Ben Catin, inquiunt Judæi, sive, ut loquuntur, dedit 12 דד *dad* quasi דדים *ubera*, quæ instar mammæ muliebris aquas effundebant. Hanc rationem reddit Babylonica Gemara cur duodecim fuerint epistomia, scilicet *ut duodecim . . . fratres Sacerdotes operantes sacris illius jugis holocausti , sanctificarent manus suas & pedes suos* בבת אחת *unâ pupillâ* : id est, ut loquitur Maimonides , באחת *simul*. Hæc phrasis, inquit Constantinus Lempereur , ad sectionem sextam capitis tertii Middoth , in Rabbinorum scriptis usitatissima , desumpta est ab oculorum nictatione; ita ut בת sit contractum è constructo בבת, quomodo dicere solent בבת עין & בת עין pupillam oculi. Ni magis arrideat altera significatio, quâ בת *filiam* designat : ut בבת אחת *in unâ filiâ* idem tempus ac momentum significet, subaudito ac subintellecto temporis vocabulo. Ergo simul omnes ministri ingrediebantur pollubrum, ut dicit Maimonides cap. 5. n. 16. tractatûs de Ratione adeundi templi : in eodem momento quisquis Sacerdos ad pedem dextrum dextram manum applicabat . lævam ad pedem lævum, incurvans se eos simul consecrabat

Si Judæi vera ibi sentiunt, necesse erat ut certa esset aquæ quantitas in pollubro, quo simul manus immergerentur & pedes; putant enim non per affusionem, sed per immersionem lotos Sacerdotes. Maimonides in tractatu *Mickuaoth* nempe de aquarum collectione, sive congregatione , docet in his lavacris, quibus totum corpus mundandum , profunditatem trium cubitorum requiri; quæ mensura est staturæ humanæ. Etenim tres cubiti Hebræi respondent quinque pedibus Parisinis, quibus definitur statura humana mediocris. Si quis autem vir mundus non indigeret nisi manuum & pedum lotione, ea aquæ quantitas sola requirebatur ut manus & pedes abluerentur immersione עד פרק *ad perech* , id est, usque ad divisionem, sive juncturam, sive rupturam. Intelligunt Judæi aut articulos digitorum , ubi illi junguntur manui juxta volam ; aut digitos cum manu usque ad juncturam cum brachio, quæ pars *carpus* dicitur. Duæ ergo sunt sententiæ inter Judæos , ut pluribus docet Buxtorfius in vindiciis suis adversùs animadversiones Ludovici Capelli. Quidam Judæi digitos tantùm lavandos censuerunt usque ad articulum tertium ubi manui sunt conjuncti. Alii digitos cum manu usque ad juncturam cum brachio , sive ad carpum.

Pluribus & claris testimoniis Buxtorfius probat lotionem manuum non esse necessariam ultra juncturam ; nec ab ullo doctore præcipi , ut brachium usque ad cubitum ablueretur. Verùm non ideò concludi potest vasa in quibus manus & pedes abluerentur, non eligi profunda uno cubito. Nam adversarius Buxtorfii Capellus rectè notat potuisse Judæos majoris cautionis gratiâ , & ut solebant dicere de omnibus suis traditiunculis, *ad faciendam legi sepem*, non solùm purgasse lotione solas manus, sed etiam brachii partem illam, quæ est à carpo ad cubitum. Ergo si pedes lavandi fuerint usque ad juncturam , id vix fieri poterat à Sacerdotibus, quin pollubri profunditas fuerit unius cubiti : juxta quam cùm major esset ejus ambitus, quàm maris; licet æstimare capacitatem illius fuisse mille batorum. Scriptor Paralipomenorum , ut innuimus , potuit eodem sermone, complecti vasis superioris & inferioris, nempe maris & pollubri capacitatem, & dixit mare æneum , cujus pars erat pollubrum , cepisse ter mille batos ; quia mille ex illis tribuebat pollubro. Sic non adversabatur scriptori Regum qui mari tribuit duo tantùm mille batos , scilicet non memorans mille alios, quia ad mare non attinerent, sed ad suam basim.

Vides ob oculos tuos, Lector , utrumque vas, mare & pollubrum, sive potiùs sectionem utriusque vasis. Mari subest columna alta duorum cubitorum, quos metitur linea E F ; sicut linea unius cubiti P R profunditatem pollubri. Linea D A altitudinem maris, quæ est quinque cubitorum, A B est semidiameter ejus pariter quinque cubitorum. L M est altitudo epistomorum supra fundum pollubri ; N R supra solum templi, paulò plus quàm trium cubitorum, sive quinque pedum Parisinorum ; ita qui insistebat solo poterat manu attingere epistomia & illa recludere. P F est semidiameter pollubri sex cubitorum & ideò decem pedum. Sic diameter erat viginti pedum. Ad hocce schema revertemur , articulis sequentibus, prout cætera explicanda erunt, quæ ad mare æneum pertinent. Hîc autem pensitanda est magna ejus capacitas, tum pollubri , cujus diameter est viginti pedum, tum maris ænei, cujus diameter erat tantummodo decem cubitorum, sive sexdecim pedum cum duabus tertiis pedis partibus. Sed ideo major erat capacitas maris , quàm pollubri, quia altior ejus profunditas nempe quinque cubitorum , cùm pollubrum altum esset uno tantùm.

SECTIO IV.

Mare æneum suâ capacitate, & ornamentis erat magnificum.

STupendæ magnitudinis erat mare æneum. Juxta calculos quos subduximus in primò libro hujus operis, batus Hebræus inventus est paulò plus quàm mille pollicum Parisinorum. Itaque ter mille bati faciunt plusquàm ducentos & septemdecim modios Parisinos. Scilicet vas superius, sive mare æneum capiebat centum quadraginta quatuor modios, quibus duo mille bati majores sunt. Pollubrum verò continebat plusquàm septuaginta duo modios. Sed non solùm magnitudine suâ, sive prodigiosâ mole hocce vas magnificum erat; sed & ornamentis, quæ incipiam enarrare & explicare; scilicet explanabo loca Scripturæ, ubi horum fit mentio. Sic de illis loquitur auctor tertii Regum in capite septimo 24. *Et sculptura subter labium circuibat illud decem cubitis ambiens mare: duo ordines sculpturarum striatarum erant fusiles.* Interpres Latinus hîc sibi multùm indulsit. Junius & Tremellius fontem sic exprimunt. *Colocynthides autem subter labium ejus circumquaque cingebant ipsum, denæ in cubitum ambiebant mare circumquaque: duobus ordinibus colocynthides fusæ in figurâ ejus.* Cùm nomen פקעים *pechagnaim* sit incertæ significationis, ideò Vulgatus Interpres solùm indicavit fuisse quidpiam ornamenti, nempe aliquam sculpturam. *Et sculptura subter labium.* Græci eo in loco interpretantur ὑποστηρίγματα, quasi fulcimenta, & veluti fascias quæ cingebant, & quasi vinciebant mare. Alibi ab iisdem Græcis nomen *pechagnaim* redditur τολύπη ἀγρία; ita habuerunt pro flore quodam agresti. Alibi Κολόκυνθαι *cucurbitæ.* Quidquid sit *pechagnaim*, habendum pro ornamento; sed quale, ignoratur. Buxtorfius post Pagninum putavit significare colocynthidas agrestes; & in eâ significatione certò occurrit alibi in Scripturâ.

Ergo concipio circa labium maris ænei duplicem ordinem colocynthidarum, cum pampinis repentium. Chaldæus interpretatur ovum. Colocynthidis agrestis formâ oblongâ est, instar ovi. Non multùm interest scire quæ præcisè fuerit forma horum ornamentorum. Erant tubercula similia vel ovis vel cucurbitis, vel colocynthidibus, quæ fusa erant cum ipso mari. Difficultas autem versatur circa locum parallelum Paralipomenorum lib. 2. cap. 4. v. 3. *Similitudo quoque boum erat subter illud & decem cubitis quædam extrinsecùs cælaturæ, quasi duobus versibus alvum maris circuibant.* Pro *pechagnaim* Regum hîc in Paralipomenis legitur בקרים *Becharim*, id est, *boves.* Nondum autem ibi fit sermo de bobus qui sustinebant mare. Sunt qui putant in tuberculis, sive ovis formata fuisse boum capita; ita ut subter labium maris in duobus ordinibus apparerent duo ordines capitum bovinorum, quæ cum ipso vase fuerant fusa. Ubi nec bonis moribus nec sanæ doctrinæ ullum oritur incommodum, labi potuêre qui exscripsere sacros codices. Ergo sunt qui non refugiunt dicere פקעים mutatum in בקרים. Hæc quidem loca Regum & Paralipomenorum ita sunt parallela, sive similia, ut ex uno in alterum locum eadem verba videantur transcripta, exceptione factâ istius vocis de quâ quæstio est; ideò fieri potuit ut lapsus sit Librarius, & mutaverit quod scriptor Regum primariò scripserat. Hanc mutationem secuti sunt Græci scribentes καὶ ὁμοίωμα μόσχων &c. Lapsus eo in loco fuit facilis propter literarum ב & פ similitudinem, & similem sonum. Facilior

A insuper erat lapsus, si olim Judæi uterentur caracteribus Samaritanorum; viri enim docti similitudinem advertunt inter *Beth* Samaritanorum & *Pe* Hebræorum; nec horum *Resc* multùm discedit ab Hebræo *Ain.*

Quod dicit Vulgatus Interpres in hoc loco Regum, *sculptura subter labium circuibat illud decem cubitis ambiens mare.* Et in Paralipomenis, *& decem cubitis quædam extrinsecùs cælaturæ . . . alvum maris circuibant.* Ille, inquam, circuitus decem cubitorum sensum non admittit. Quomodo enim decem cubiti ambirent mare, cùm ex ipsâ Scripturâ circuitus ejus esset saltem triginta cubitorum? Alii respondent, quòd cùm vas semper angustius fiat, versùs fundum, ubi ad decem cubitos redactus erat
B ambitus, cælaturam adhibitam fuisse. Sed illa responsio non valet; cùm cælaturæ essent circa labia maris. Alii hunc locum sic reddunt. *Et hoc ipsum mare, quod decem cubitos patebat, cingebant cælaturæ.* Id est, licet mare haberet decem cubitos, nempe in diametro, & ita circuitus ejus esset magnus, nihilominus per totam illam magnam circumferentiam cingebatur cælaturis.

Veritas Hebraïca ad verbum reddi potest: *Et colocynthæ desubter labium ejus circum circumdantes illud, decem in cubito ambientes mare circum.* Illud decem in cubito Δέκα ἐν πήχει, ut ibi habent Græci, mihi indicare videtur uno quoque cubito, sive in singulis cubitis fuisse dena *pechagnaim*, sive illa fue-
C rint ova, sive cucurbitæ, vel colocynthides. Talia ergo ornamenta erant ad minimum trecenta. Et satis convenit illa mensura. Quodque enim ovum poterat esse latum duobus pollicibus; sic excedebant magnitudinem ordinariam: etenim ornamenta in alto posita, non debent esse exilia. Omnia illa *pechagnaim*, quæquæ sint, fusa fuerant in fusurâ maris; cùm scilicet mare fusum est. Jam dixi Interpretem Vulgatum id tantùm habuisse in mente, ut significaret mare fuisse ornatum; & ideò pro his verbis fontis: *duobus ordinibus colocynthides fusæ in fusurâ ejus*, posuit: *duo ordines sculpturarum striatarum erant fusiles;* Id est, sculpturarum habentium *strias.* Sunt autem striæ canaliculi aut sulci, qui per
D lignum aut æs ducuntur ad elegantiam; ita ut una pars emineat, altera subsidat: quod advertere est in illis Architecturæ ornamentis, quæ dicuntur *ova*, vernaculè *des oves.* Juvat exscribere ex Aristæa, quæ dicit de ornamentis hujus mensæ, quam Ptolomæus dono misit ad summum templi Sacerdotem. Indè enim lux accedet ornamentis maris ænei. Sic loquitur Latinus Interpres Aristææ de coronâ quæ ambiebat dictam mensam. *Circa partem autem coronæ ad aspectum eminentis, per obliquum in circuitu erat ex lapidibus pretiosis contecta quadam ovorum facies, cum effigie extante & virgulis exculptis, ad formam continui & densi inter se sitûs,* πυκνὴν ἐχόντως, τὴν πρὸς ἄλληλα θέσιν περὶ τὴν ὅλην τὴν τράπεζαν, *quæ ambibat totam mensam. Sub hac lapideâ ovorum effigie artifices*
E *fecer ant* πάγκαρπον *coronam feracem omnium frugum, ita ut illi fructus extarent & conspicui essent: ut botri, spicæ, palmæ, poma, olivæ, punica mala, & id genus alii fructus.*

Quæ sequuntur in codice sacro, non spectant ornamentum maris, sed fulcimentum; nempe duodecim illos boves super quos recubabat; de quibus cum sequenti articulo disseram. Prætermittens sequentes versus ubi fit sermo de illis, transibo ad vigesimum sextum versum, ubi agitur de crassitudine maris. *Grossitudo autem luteris*, hoc est, hujusce maris ænei, *trium unciarum erat.* In fonte, mensura ejus *tophac*, quæ est pars sexta unius cubiti. Cubitus autem dividebatur in viginti quatuor

digitos: ita *tophac* æqualis quatuor digitis; juxta A calculos nostros, tribus pollicibus cum lineis Parisinis quatuor. Interpres Latinus *tophac* expressit per tres uncias, quia pes Romanus dividebatur in sexdecim digitos, vel in duodecim uncias, quarum quæque unius est digiti, & tertiæ partis digiti; ita ut tres unciæ æquent quatuor digitos Sed nomine tenus tres illæ unciæ exprimunt valorem mensuræ *tophac*; nam cùm pes Romanus brevior sit nostro pede, tres unciæ breviores sunt tribus pollicibus Parisinis. Eadem crassitudo assignatur mari æneo in Paralipomenis v. 5. *Porro vastitas ejus habebat mensuram palmi.* In fonte, densitas habebat *tophac* Subjungit Scriptura in libro Regum; *labiumque ejus, quasi labium calicis, & folium repandi lilii: duo* B *millia batos capiebat.* In Paralipomenis. *Et labium illius erat quasi labium calicis & repandi lilii; capiebatque tria millia metretas.* Calices modicè flexi erant in exteriorem partem, perinde ac flores lilii. Hoc cernere est in delineatione maris, quam proponimus.

SECTIO V.

Duodeni boves mare æneum fulciebant. Forma eorum, situs, dispositio describuntur. Proponitur imago totius hujusce vasis, quæ verisimilior visa est.

DUodecim boves Salomon mari æneo apposuit. C Voluit Rex sapientissimus; postquam Deus sedes quietas dedisset templo, consecrare in eo memoriam omnium quæ olim deservierant Tabernaculo, quod portatile templum fuit. Quoties movebantur castra, labrum Mosaïcum trahebatur à bobus, forsan duodenis, ob magnum pondus. Itaque & duodenos boves pondere maris ænei oneravit, ut & ea in re fieret allusio ad duodecim boves, quos legimus in Numeris cap. 7. à duodecim principibus Israël oblatos. Narrat Herodotus in lib. 4. magnum craterem æneum à Samiis exornatum fuisse & dedicatum in templo Junonis. Οἱ δὲ Σάμιοι τὴν δεκάτην τῶν ἐπικερδέων ἐξελόντες ἓξ τάλαντα, ἐποιήσαντο χαλκήϊον, κρητῆρος Ἀργολικοῦ τρόπον; πέριξ δὲ αὐτοῦ, γρυπῶν κεφαλαὶ πρόκροσσοί εἰσι. Καὶ ἀνέθηκαν ἐς τὸ Ἥραιον, ὑποστήσαντες αὐτῷ τρεῖς χαλκέους κολοσσοὺς ἑπταπήχεας, τοῖσι γούνασι ἐρηρεισμένους. D *Ex hoc quæstu Samii decimâ [id est, sex talentis) selectâ, fecerunt aheneum ad exemplum crateris Argolici, gryphinis capitibus in circuitu altrinsecùs obversis: & in templo Junonis collocarunt, sustinentibus illud tribus colossis septem cubitorum genu nixis.* Hocce opus multis post Salomonem sæculis perfectum est. Igitur Græci non Hebræis præiverant exemplo elegantium operum.

Expendamus verba Scripturæ in quibus de duodecim bobus maris ænei agitur in eodem septimo capite tertii Regum, quod pergam illustrare. 25. *Et stabat mare super duodecim boves, è quibus tres respiciebant ad Aquilonem, & tres ad Occidentem, & tres ad Meridiem, & tres ad Orientem, & mare* E *super eos desuper erat: quorum posteriora universa intrinsecùs latebant.* Non dissimilia habentur in Paralipomenis II. cap. 4. 4 *Et ipsum mare super duodecim boves impositum erat, quorum tres respiciebant ad Aquilonem; & alii tres ad Occidentem: porro tres alii Meridiem, & tres, qui reliqui erant, Orientem, habentes mare superpositum: posteriora autem boum erant intrinsecùs sub mari.*

Quæritur 1. utrum quique ternarii boum ad certam cæli plagam sic conversi essent, ut quoad posteriora sua, veluti in unam formam desinerent; aut ita essent dispositi, ut tres lateri, verbi causâ, aquilonari responderent, sicut dicitur in Apocalypsi cap. 21. v. 13. *Ab Oriente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres.* In hac dispositione boves singuli, partes æquas maris ænei portavissent; & id facile, si fundum ejus fuerit planum. Tunc totum requiescebat supra boves, quorum posteriora ideò, ut Scriptura loquitur, non apparuissent, latentia sub fundo, quod æqualiter fuisset divisum in duodecim boves, ut esset cuique liberum spatium. Verum adversatur auctoritas Josephi, quæ adduxit animum ut crederet mare æneum hemisphærio potiùs quàm ulli alteri formæ fuisse simile. Vir doctus & subtilis Geometra in Epistolâ suâ ad Eduardum Bernardum, de mari æneo; quæ epistola attexitur libro de mensuris ejusdem Bernardi, vir, inquam, ille doctus mare æneum contendit assimilandum hemisphærio, sed inverso, quod habeat pro fundo circulum qui in hemisphærio maximus est. Tegitur autem concavâ superficie nisi quod in summo vertice paulò assurgit quædam portio cylindri. Hæc figura tam aliena est à cujuscumque vasis usitatâ formâ, ut sacer Historicus, & post eum Josephus fusiori descriptione eam prosecuti fuissent; præterquàm nullum vetus monumentum similis formæ animo notionem ingerit. Mente suâ illam parturiit auctor suus, ut solveret difficultates; quæ si aliter solvantur, omne ejus fundamentum evertitur. An ita sit de aliis insolitis formis maris ænei, quas quidam comminiscuntur, explorabo, priusquàm formam, quam ipse excogitavi, subjiciam.

Judæi mare æneum judicant fuisse in suâ parte inferiori quadratum, sed in superiori cylindricum. In artibus mechanicis, sicut in geographicis & historicis nihil illi vident, aut certè acutùm non cernunt. Tricarum grammaticalium & consuetudinum suarum tantùm periti, cætera cum ignaris ignarissimi ignorant. Primus inter eos, ut puto, cujus cogitationem subiit ista difficultas, quomodo sub mari æneo boves disponerentur; opinatus est id fieri non potuisse, nisi in figurâ quadratâ. Hac formâ videre est mare depictum in libris de templo Hierosolymitano Jacobi Jehudæ Leonis; qui de illâ formâ sic loquitur lib. 3. cap. 8. *Magnum fuit mare hoc decem cubitos ab unâ orâ ad alteram, altum quinque cubitos, & palmo crassum, rotundum in circuitu intra spatium duorum cubitorum superiorum, & ora ejus duplicata exteriùs elaborata, tanquam poculum germinum & liliorum. Verùm in tribus inferioribus cubitis fabricatum erat quasi figurâ quadratâ, & juxta illud duæ series boum circumcingentes illud, & effundentes aquam ex oribus suis.*

Alii alias formas mari æneo tribuunt. Olim putabam fundum planum habuisse, ita ut esset simile prorsus cylindro sub quo duodeni boves facilè disponebantur; sed auctoritas Josephi, potiùs aperta sententia verborum Scripturæ adduxerunt ut crederem sphæricum. Hanc sententiam secutus est Villalpandus. Etiam quod fecimus huic supponit pollubrum; in quo manus & pedes suos ministri altaris abstergerent. Verum quod nullius antiqui scriptoris auctoritate nititur subjicit mari pedem altum, huicce pedi duodenos boves, & istis dictum pollubrum veluti magnam pelvim. Vides, Lector, ob oculos tuos mare illud Villalpandeum. Ut taceam de ornamentis, in quibus effingendis mihi videtur Villalpandus audacior, sic in circuitu collocat duodenos boves, ut æqualibus intervallis inter se distinguantur; nec ex illis constituantur ternarii, plagam aliquam orbis particularem respicientes.

Jam nostram sententiam exponamus, expendendo primûm quæ senserit Josephus. Περιειστήκεσαν δὲ περὶ αὐτὴν μόσχοι δώδεκα πρὸς τὰ κλίματα τῶν τεσσάρων ἀνέμων ἀποβλέποντες, καθ' ἕκαστον αὐτῶν τρεῖς, ἔσω τὰ ὀπίσθια νενευκότες, ὥστ' αὐτοῖς ἐπικαθίζεσθαι ἡμισφαίριον κατὰ περιαγωγὴν ἔνδον ἐπινεῦον. *Id la-*

brum circumſtabant duodecim juvenci ad tractus quatuor ventorum obverſi terni, quorum poſtica introrſum ſubſidebant, ut eis orbiculare illud vas incumberet in medio ſui depreſſius. Sic ſolet intelligi Joſephus, ut ſecundum partes ſuas poſticas boves inclinarentur, quaſi preſſi pondere maris; ita ut poſteriora eorum laterent; quod videtur ſignificare Scriptura. Illud autem κατ' ἕκαστον αὐτῶν τρεῖς, demonſtrat non fuiſſe æqualiter diſtantes, ſed veluti in quatuor terniones diſtributos, qui ſimul fuſi, & ſine confuſione propriæ formæ conflati, conjunctique eſſent. Scilicet quatuor illi terniones faciebant, quod vernaculè ſolet appellari *quatre groupes.*

Non dubito quin Eupolemus in deſcriptione maris ænei, quam partim protulimus, fuerit intuitus duodecim boves; ſed qui ſcriberet non viſa ſed audita, quippe Ethnicus, ideò forſan non expreſſit nomen boum, quia Judæus cujus viderat commentarios, putaverat reticendum eſſe formas animalium à Salomone in templo repræſentatas. Id, inquam, tantùm auditu acceperat Eupolemus, circa mare fuiſſe duodecim fulcra, optimè cælata, altitudine hominis. Ποιῆσαι δὲ καὶ τὰς βάσεις τοῦ λουτῆρος τορευτὰς, χωνευτὰς δώδεκα, καὶ τῷ ὕψει ἀνδρομήκεις. Καὶ στῆσαι ἐξ ὑστέρου μέρους ὑπὸ τὸν λουτῆρα ἐκ δεξιῶν τοῦ θυσιαστηρίου. Legendum putarem τορευτὰς a verbo τορεύω, quod juxta Heſychium idem ſonat ac γλύφω, & τορευτὰ idem ac γλυπτά. Etiam loco ὑστέρου lubentius legerem ἑκάστου vel ἑκατέρου. Sicque Eupolemum interpretarer. *Fecit autem & baſes duodecim cælatas & fuſas.* Nempe cælatæ figuræ erant, fuſæ, *altitudine hominis aſſurgentes, & eas utrinque poſuit ſub labro, quod erat ad dexteram altaris.* Mirum eſt quàm longè à mente Eupolemi aberret Interpres ejus apud Euſebium. *Eidem gradus tornatiles, fuſileſque duodecim, cum juſtâ hominis magnitudine adæquati, ad partem illius poſteriorem, altaris verò dexteram ſuppoſiti.* Nimirum, ut jam animadvertimus, Interpres ille opinatur Sacerdotes intra ipſum mare manuum & pedum ſordes depoſuiſſe; & ut ſcanſile eſſet, neceſſarios fuiſſe gradus. Quidquid ſit, non poſſunt illæ duodecim baſes Eupolemi eſſe aliquid aliud quàm duodecim boves, altitudine ἀνδρομήκεις, quos ideò ſtatui trium cubitorum Hebræorum, qui faciunt quinque pedes Pariſinos. Hujuſce altitudinis boves noſtros expertus ſum. Boves maris inclinati repræſentari poterant, quaſi preſſi maris pondere. Præterea ſi Joſepho credimus, non boves ſed tauri erant, qui non ita alti ſunt; & ut innui, non tam ad portandum mare, quam ad illud fulciendum appoſiti, *pour l'acôter.* Inſpice, Lector, utramque noſtram delineationem maris ænei. In primâ quam ſupra propoſui, ſimplices lineæ ductæ ſunt. Exhibetur mare hemiſphærium. A D altitudo ejus quinque cubitorum, A B latitudo totidem cubitorum. Craſſitudo B C ſex digitorum Hebræorum, ſive tophac. Repræſentatur pavimentum templi, ſupra quod extabat mare, infra quod erat profunditas pollubri R P, quæ erat cubiti unius: ſic E F altitudo baſis ſupra quam ſitum mare. Hanc ſtatuamus duorum cubitorum. P p eſt latitudo vaſis, ſive pollubri, quod erat infra mare. Circa hoc pollubrum erat limbus P R. Cogita, Lector, poſt primum maris cubitum D G ductam lineam H h parallelam pavimento, quæ ſit diameter circuli tranſeuntis per H & h; ita F G trium cubitorum altitudo boum. Suppono igitur ſub hoc circulo horum terga ſuppoſita. Cùm ergo linea H I ſit trium cubitorum, ſive quinque pedum Pariſinorum, & circulus H h habeat pro diametro lineam H h plus quàm ſex cubitorum, ita circulus ejus ſtatuendus circiter ferè viginti cubitorum, ſive paulo plus quàm triginta trium pedum. Sic ternioni cuique competebat intervallum pluſquàm octo pedum. Non ergo coarctabantur, & tergum boum poterat huic cincturæ ſubjici. Alterum circulum conſidera, Lector; cujus digniter ſit L L; qui tranſeat per K. Linea autem K D eſt duorum cubitorum; ita hic circulus ſubductis calculis reperietur $25\frac{1}{7}$ cubitorum; ſic cinctura exterior huic reſpondens ferè 43 pedum Pariſinorum. In illâ cincturâ pono duodecim epiſtomia eâ diſpoſitione ut emittant aquam in illo intervallo, quo quiſque ternio boum diſtinguebatur; ut ad ea epiſtomia acceſſus pateret; & quiſque Sacerdos ea poſſet reſerare promotâ manu; nam linea N R non altior eſt 3 cubitis, qui faciunt quinque pedes Pariſinos; tum & papillæ epiſtomiorum produci poterant & inclinari versùm limbum N pollubri. Jam oculos, Lector, conjice in aliam delineationem; quâ omnibus ſuis lineis expreſſimus vas illud mirabile, tum magnitudine, tum formâ. Stupenda eſt magnitudo; cùm enim linea P p non poſſit ſtatui minor duodecim cubitis, ambitus pollubri erit $37\frac{5}{7}$ cubitorum, qui faciunt pedes Pariſinos circiter ſexaginta tres. Subſiliente aquâ ex epiſtomiis maris, ergo pluſquam ſexaginta miniſtri pedes & manus in ipsâ aquâ pollubri, uno & eodem momento poterant abluere, ne quis cenſeri poſſet laviſſe ſe aquâ, quæ ab altero fuiſſet facta immunda. Lavacrum patebat pluribus miniſtris.

Cùm tanta moles & tantum pondus fuerit ænei maris, liquet fieri non potuiſſe ut una ſimul, ſive eodem tempore, uno jactu fuſum ſit cum baſi ſuâ [pelvim ſibi ſubjectam intelligo] ſimul & cum duodecim bobus æneis. Ita puto Salomonem diverſis fuſuris, mare ſeorſim, pollubrum pariter & ſingulos boum terniones conflaſſe. Quod quiſque mecum fatebitur, qui rem expenderit. Singuli boum terniones habebant propriam baſim, ſive ſolum cui inſiſtebant; admoti ergo huicce æneo vaſi tum illud ornabant tum fulciebant. Poterant autem terga eorum concurrere ſub vaſe, quod eſſet hemiſphærium; ſufficiebat enim ſpatium, ut vidimus, quod fiebat facilius ſi illi boves fuerint vituli. In fonte appellantur בקרים *Becharim*; ſed nomen illud in Scripturis redditur a Græcis ſenibus μόσχοι; ut eos appellat Joſephus. Præterea tauri Syriaci, ut canit Oppianus lib. 2. de Venatione, non obeſo corpore tardantur.

.... Οὐ πλεῖοι δέμας ἀμφιλαφὲς βαρύνουσιν.
Non obeſi corpore amplo tardantur.

Quin etiam juxta Plinium lib. 8. cap. 45. *Syriacis* bubus, *non ſunt palearia, ſed gibber in dorſo.* Joſephus non appellaſſet μόσχοι, boves qui fulciebant mare æneum, niſi fuiſſent juniores. His omnibus adjungendum, quod cùm nihil imperfectum, nihil mancum liceret in templo offerre, non tauros caſtratos, ſed integros Salomon repræſentandos curavit; vires autem imminuit & adimit Venus. Ideò tauri non adeò pingues ſunt. Quæcum ita ſint, liquet non tantum ſpatii occupatum à duodenis animalibus dictis, ut mari ſphærico ſubeſſe non potuerint. Suberant, & ideò poſteriora eorum latebant. Id tamen non omninò dicit Scriptura, ſed tantùm indicat ſic diſpoſitos, ſive tauros, ſive boves, ut poſteriora eorum verſa eſſent verſus interiores partes maris ænei, ſive verſus fundum ejus. Verba fontis ſunt כל אחריהם ביתה *col achorehem baitha,* quod Græci optimè reddunt in editione complutenſi πάντων τὰ ὀπίσθια εἰς τὸ ἔνδον: in Romanâ εἰς τὸν οἶκον. Quaſi legerint *beieta*; id eſt, *versùs domum,* non *batha*, quod eſt *intus, introrſum.* Non differunt autem illa nomina in fonte, niſi ſubjectis punctis. Chaldæus dixit: *Omnia poſteriora eorum erant intra.*

Lucidiſſima

Lucidissima est Josephi descriptio, & veritati fontis respondens. Ἔσω δὲ ὀπίσθια νενευκότες ὡς αὐτοῖς ἐπικαθέζεσθαι τὸ ἡμισφαίριον. *Posteriora eorum introrsum subsidebant, ut eis orbiculare illud vas incumberet.* Nimirum posteriora eorum mari supponebantur, aut, ut dixi, tergum suum opponebant mari.

SECTIO VI.

De spirâ, sive basi meditullio maris ænei subjectâ, & de origine aquarum, quæ ex eo subsiliebant.

PRæter quatuor boum, sive taurorum terniones, qui erant veluti fulcimentum maris ænei, ejus meditullio subjacebat spira, hoc est basis; de quâ quidem silet codex divinus; sed hanc Josephus adstruit & describit. Ὑπέκειτο δὲ κατὰ τὸ μεσαίτατον τοῦ κύτους σπεῖρα περιηγμένη εἰς ἕλικας δέκα· ἦν δὲ τὴν διάμετρον πήχεος. *Meditullium alvei ejus sustinebatur spirâ decies replicatâ, cujus dimetiens linea fuit cubitalis.* Verba Græca his etiam Latinis reddi possunt. *Meditullium cavitatis ejus sustinebatur spirâ circumductâ in helices decem: erat autem hujus* spiræ *diameter unius cubiti.* Quæritur quid sit illa spira, Græcè σπεῖρα. Hæc vox sæpiùs denotat lineam circumactam in orbem, in se tamen non redeuntem, ut in anguibus & in convolutis funibus. In quâ notione plerique opinati sunt Josephum usurpasse nomen illud; ideò in eorum delineationibus videre est subjectam meditullio maris columnam similem helici. C Ego verò opinor à Josepho indicari basim elegantissimam; in quo sensu vox *spira* usurpatur in architectonicâ arte. Ubi de origine & principiis Architecturæ disseruimus, vidimus domos primùm ligneas ædificatas, serò è lapidibus sectis & quadratis. Tunc columnæ trunci erant; quorum imæ & supremæ partes cœperunt vinciri contortis funibus ne dehiscerent. Igitur à similitudine spiræ, hoc est, convolutorum funium, bases columnarum Architecti appellaverunt spiras. In quacumque autem basi non est linea quæ in se non recurrat: omnes lineæ sunt circulares. Attamen spiræ appellantur tota basis apud Vitruvium lib. 3. cap. 3. *Spirarumque projecturæ non procedant extra solidum.* Et paulò post. D *Sin autem circa ædem ex tribus lateribus podium faciendum erit, ad id construatur, uti quadræ, spiræ, trunci, coronæ, lysis, ad ipsum stylobatam, qui erit sub columnæ spiris conveniant.* Eodem sensu pluries usurpat dictam vocem Vitruvius. Apertum est eamdem in rem testimonium Plinii lib. 36. cap. 23. In Ephesiæ Dianæ æde, inquit, primùm columnis spiræ subditæ, & capitella addita. Ista leguntur in Onomastico Pollucis lib. 7. c. 27. Καὶ στυλοβάτης ἡ τοῦ Δωρικοῦ κίονος βάσις, σπεῖρα δὲ ἡ τοῦ Ἰωνικοῦ. *Et stylobates est Doricæ columnæ basis, spira verò Jonicæ.* Eadem dicit Pompeius Festus de verborum significatione lib. 17. *Spira dicitur & basis columnæ unius tori aut duorum, & genus operis pistorii & funis nauticus in orbem convolutus; ab eâdem omnes similitudine.* E

Quid ergo est illud Josephi σπεῖρα περιηγμένη εἰς ἕλικας δέκα. *Spira circumducta in helices decem.* Eâ ratione quâ plerique rem concipiunt, non decem helices erant, sed una ab imâ parte columnæ ad verticem circumvoluta, quæ constaret decem gyris. Ἕλικες *helices* in Architectura sunt in columnarum capitulis & abacis ornamenta, quæ volutæ dicuntur, à similitudine clavicularum & capreolorum denominatæ. Ἕλιξ enim propriè est clavicula, capreolus, id est, coliculus viteus intortus ut cincinnus, qui vites ut teneat, serpit ad locum capiendum. Helices, teste Festo, usurpabantur à Latinis pro sul- A cis aquariis, per quos aqua collecta educitur è liris. Quod & Columella observat lib. 2. cap. 8. *Sed quamvis tempestivè sementis confecta erit, cavebitur tamen ut patentes liras, crebrosque sulcos aquarios, quos nonnulli helices vocant, faciamus.* Ab hacce similitudine appellaverant Architecti illa ornamenta baseos Jonicæ & Corintiacæ, in quibus quasi sulci circulares observabantur. Non ergo dubito quin Josephus per helices intellexerit varios illos circulos & cincinnos quibus basis exornari potest. Apud Hesychium ἕλιξ est etiam κύκλος circulus, undè & annulus appellatur ἕλιξ. Indicat ergo Josephus basim quam mari subjicit, fuisse elegantissimam, quippe in ea distinguebantur decem helices, sive totidem cincinni, annuli, quot numerarê B est in basi Corinthiâ.

Si auctoritas Rabbi Jacobi Jehudæ Leonis esset alicujus ponderis, verba illa ejus confirmarent hanc meam conjecturam. *Pro sede memorati ænei maris,* inquit, lib. 3. cap. 8. de Templo, *erat lapis quidam ex lapidibus marmoreis, crassus cubito uno, factus tanquam collyra aut placenta carbonibus tosta, quando quidem decies duplicatus esset. Atque super lapide isto subsidebat memoratum æneum mare.* Josephus statuit diametrum spiræ, sive basis fuisse unius cubiti. Intelligenda basis latitudo quæ sufficiebat. Puto fuisse altam duobus cubitis. Unus cubitus erat intra pollubrum, secundus extabat; cùm autem pollubrum depressum esset infra solum templi; ita superficies maris superabat solum tantùm sex cubitis. Quapropter hujus altitudo conveniens erat per respectum ad aquarum receptacula, ex quibus aquæ in mare influebant per occultum, ut videtur canalem, qui latebat intra spiram. Judæi conveniunt derivatos fontes in hocce vas. *Assimile conceptaculo mare Salomonis erat, par hoc enim aqua rivus è fonte* עיטם *Etham perfluebat.* Jacobus Jehuda Leo, in tractatu suo de Templo quod allegavi. *Et intra pedes boum per canales deveniebant ad mare aquæ vivæ ex fonte Etham qui in atrio scaturiebat, quæ aquæ exibant postea per ora boum per duas memoratas series cingentium mare circum aream.* Intelligit non duodecim boves quibus mare portabatur, sed capita illa quæ in Paralipomenis dicuntur disposita circa labium maris. An reipsa labium illud fuerit his capitibus exornatum supra quæsivimus.

Rabbinorum aniles & ineptas fabulas de fonte Etham, exscribit Beckius in annotationibus suis in Paraphrasim Chaldaicam Paralipomenorum. *Babylonici deducebant aquas,* inquiunt, *in se effusas ad fontem Ethan, locum in Palæstinâ excelsissimum, qui fons aquas in baptisterium Pontificis maximi, muro atrii supra portam aquarum adstructum, in die Expiationis deportabat, quemadmodum diximus ad tractatum Joma, fontem Etham solo atrii 23 cubitis altiorem fuisse. Qui verò aquas declivitates illæ deducebant? Scilicet in Euphrate fuerunt canales, scalæ infra fundum maris, & per illas scalas deducebant aquas in Palæstinam, quæ illùc derivatæ emanabant per fontes. Pisces quoque hac scalarum viâ deducebantur, magis gaudentes ascendere, quàm in Euphrate ipso errare.* Alium Rabbinum adducit Beckius asserentem *mare habuisse fossam aquarum derivatam è fonte Etham, atque crura boum in malogranatis perforata fuisse videlicet sub terrâ; sicque ei aquas advenisse, ingressas & ascendentes per crura boum, aperta infernè & perforata.*

Quocumque è fonte, sive proximo, sive longinquo aquæ scaturirent, templum illis abundabat. Primùm ex cisternis & piscinis capacibus, quæ de-

A litescebant intra ejus fundamenta, tanquam è fontibus, puteisve aquæ hauriri poterant; inde educi in superiora receptacula ex quibus in mare influebant. Cùm omnia atria essent strata marmore, omnis qui decideret è cælo imber, facilè colligi poterat & derivari in cisternas. Verùm præter has pluviales aquas, si fidem facimus vetustis scriptoribus, è longinquo deducebantur fontes in partem templi, ubi erat aquarum scaturigo. Etenim licet Hierusalem in montibus sita sit, attamen respectu montium qui ad occiduas ejus partes sunt, depressa est; ut testantur qui loca sancta adierunt. Ex his ergo montibus, ut jam diximus, puta ex monte Gion aqua derivari potuit in templum. Quin & in istâ
B viciniâ sanctæ civitatis, observari potest locus aquis abundans nomine Ethan; neque enim nomen Ethan tam diversum est ab isto Græco nomine Ἤτταν quod legitur apud Josephum in lib. 8. Antiq. cap. 2. Ἦν δὲ χωρίον τι ἀπὸ δύο σχοίνων Ἱεροσολύμων ὃ καλεῖται μὲν Ἠτὰν, παραδείσοις δὲ καὶ ναμάτων ἐπιρροίαις, ἐπιτερπὲς ὁμοῦ καὶ πλούσιον. *Aberat ab Hierosolymis duorum scœnorum spatio prædium nomine Hettan hortis & aquarum fluentis amœnum simul & opulentum.* Ibi Josephus loquitur de horto quo delectabatur Salomon. Situm hujus loci non indicat, sed cùm certum sit ex monte Gion inductas aquas in civitatem, facilè credo fontem Ethan in eodem loco scaturivisse, & indè deductum in necessarios usus templi.

C

LECTIO VII.

An mare æneum confractum à Chaldæis reparaverint Judæi reduces Babylone, & de loco ubi Salomonicum fusum est. An in terra Sochol aut potiùs in terra ex Sochot.

UT finem dicendi faciam de mari & aquis ejus, quæram cùm Salomonicum mare confregissent Chaldæi & æs omne ejus tulissent Babylonem, an simile vas reduces Judæi conflaverint. Tantum opus vix poterant suscipere rerum inopes & artis. Attamen necessarium erat ad mundandos altaris mi-
D nistros. In mentem meam incidit suspicio non quidem à Judæis conflatum fusurâ vas capacissimum, quod esset loco maris Salomonici; copia æris sufficiens non illis suppetebat; verùm malleo æs ductum. Scilicet vas æreum ductile fecerunt arte notâ, quales sunt lebetes & cortinæ, quibus utuntur qui lanas inficiunt & plerique alii artifices. Salomon verò fuderat mare æneum & cætera vasa ænea templi in campestri regione Jordani in argillosâ terrâ, id est, ut fert Hebræus codex 3. Regum cap. 7. v. 46. In terrâ densâ & pingui *terre grasse*, ex quâ terrâ notum est conflari formas vasorum, quorum æs est materia. 17. *In regione Jordanis fudit ea Rex in argillosa terra inter Sochot & Saredatha.* Puta-
E rem fusum illud vas non in terra *Sochot & Saredatha* locis à Jerusalem remotis; undè fuisset difficile advehere; sed in ipsa vicinia sanctæ civitatis; & ex *Sochot & Saredatha* adductam terram argillosam, ex quâ conflati typi, sive conflatæ formæ maris ænei. Fundendo mari & aliis conflandis vasis usus est Sidonio artifice; ut dicitur in eodem loco Scripturæ, Hiram de Tyro misisse ad Salomonem *filium mulieris viduæ de tribu Nephtali patre Tyrio, artificem ærarium, & plenum sapientiâ & intelligentiâ, & doctrinâ ad faciendum omne opus ex ære.* Sidonios, quo nomine Tyrii primùm innotuêre laudat Homerus ob peritiam in conflandis vasis æreis. In libro 23. Iliados inter præmia velocitatis Pelides ponit argenteum cratera fabricatum, qui longè superabat omnem alium cratera.

A ....Ἐπεὶ Σιδόνες πολυδαίδαλοι εὖ ἤσκησαν,
Φοίνικες δ' ἄγον ἄνδρες ἐπ' ἠεροειδέα πόντον.
Quoniam Sidones ingeniosi scitè elaborarunt.
Phœnices autem deduxerunt viri per cæruleum pontum.

Quæ dixi de mari quod reduces Judæi conflare potuerunt: nam æneum confregerant Chaldæi aperient sensum capitis primi Ecclesiastici, quod supra conatus sum explicare, sed novam affero expositionem. In hoc loco Scripturæ, laudatur Simon Oniæ filius Sacerdos magnus quod corroboraverit, & exornaverit templum. *In diebus ipsius*, inquit Sirach auctor hujus libri, *emanaverunt putei aqua-*
B *rum & quasi mare adimpleti sunt supra modum.* In eum sensum acceperant hæc verba, ut cùm imminutum esset aquarum receptaculum, nempe emanarent putei aquarum, Onias reparaverit hos puteos, ut postea facti fuerint quasi lacus. Nunc verò pro ἠλαττώθη, quod in hodierno codice legitur, hoc est *imminutum*, lego cum Scaligero ἐλατώθη, sed relinquens nomen χαλκὸς in nominativo; pro quo Scaliger corrigebat χαλκῷ quasi à Simone laminis æneis instrata fuisset cisterna. Hunc, in quam, locum sic lego ἐν ἡμέραις αὐτοῦ ἐλατώθη εἰς ἀποδοχεῖον ὑδάτων, χαλκὸς ὡσεὶ θαλάσσης τὸ περίμετρον *In diebus illius ductum est malleo ad aquarum receptaculum æs*, nempe in vas ad recipiendas aquas, *cujus vasis ambitus, instar maris*, nempe Salomonici. Infero particulam εἰς; cæ-
C tera immutata servo.

CAPUT VI.

Decem luterum forma, dimensiones, capacitas, usus. Exponitur qui de illis in sacro codice, & in Josepho, sermo fit.

SECTIO I.

Luterum forma non omnibus suis lineis exprimitur in sacro codice; ita nobis relinquitur æstimanda. Primùm de horum usu ad quem conflati sunt.

D

SI veritatem quærere ex conjecturis aliquando liceat, & necesse sit; præsertim cùm suscipimus exponere verba Scripturæ de decem luteribus, quos conflandos Salomon curavit. Tot lineæ deficiunt, quibus horum luterum imago sit absolvenda; ut meritò dici possit quod eam Historicus sacer, reliquerit æstimandam. Interpretes locum intactum prætermiserunt, aut penicillo artificum quibus usi sunt, imagines exhibent dissimiles veris, si quidem sacro codici adversentur & usui, in quem factos esse luteres constare debet.

E Attamen non deterritus exemplo eorum qui operam perdiderunt; imò excitatus ipsâ rei difficultate contendam vires, si possim verum è latebris suis eruere. Nullus autem clamitet latebras à me appellari fontem ipsum veritatis; etenim nemo refragetur sacros scriptores non interpretes agere suorum scriptorum; nec multo sermone exponenda putasse quæ omnibus nota erant tempore, quo scribebant; nobis verò quasi è latebris eruenda sunt. Scilicet descriptio luterum, quam adornavêre, sufficiebat eâ ætate, in quâ non pauci formam eorum visu vel auditione habebant notissimam. Nos verò hanc non possumus assequi nisi conjectando, & undique mutuando lumen; quod nemo in malam partem accipiat, quasi verbum divinum arguerem. Neque enim Deum dicimus egenum, quando ex

penu noſtro dona illi offerimus. Ipſe voluit Scripturas ſacras quibuſdam in locis obſcuras eſſe, ut S. Auguſtinus notat, exercitationis noſtræ causâ; quæ ergo exercitatio, ſive inquiſitio in loca Scripturæ difficilia non illicita eſt, nec ubique pariter periculoſa. Non enim ejuſdem momenti ſunt omnia quæ in illâ occurrunt, ut ubique errare noxium ſit. Etiam ſi a verâ luterum formâ aberraremus, non peccaremus errore reformidando. Præterea ſi non vera, ſaltem veriſimilia proferemus: ſatius autem eſt in ſacri codicis interpretatione, in iis in quibus non agitur de fide, veriſimilia proferre, quàm quæ luce egent, relinquere tenebris obtecta. A

Igitur auſus ſum proponere conjecturas meas de luteribus. Cogitando, meditando, experiendo formam mente conflavi, qualis fortaſſe non alterius Interpretis cogitationibus obverſata eſt. Partus, fateor, eſt mentis meæ; quem nemo meritò dicat eſſe evanidum. Etenim modo animadvertatur in quos uſus parati eſſent luteres, ac ponderentur ſingula verba ſacri codicis originalia, comparentur diligenter verſiones & Paraphraſes antiquæ, tum quæ dicta ſunt à Joſepho, patebit quòd ſi formam luterum veram non exhibeam, ſaltem non poſſit hæc haberi prorſus diſſimilis veræ. Convenit enim ex omni parte cum Scripturâ, & uſu luterum, quem illa indicat; ut liquebit. B

Nomen illud *luteres* λουτῆρες, quod eſt Græcum, docet fuiſſe vaſa deſtinata lavacris. His ſupponebantur baſes, quas Hebræi appellant מכנות *mechonoth*; quod nomen licet ibi uſurpetur in ſuâ ſignificatione tritiſſimâ, attamen quaſi extraordinaria fuiſſet LXX. Interpretibus Græcis, illam non interpretati ſunt, ſed tantùm caracteribus Græcis expreſſêre, ſcribentes μεχωνὼθ, *mechonoth*. Dici poſſet quòd eorum ætate eſſent baſes inconſuetæ formæ, conflatæ causâ luterum, qui ſuperimponebantur. Sæpè luterum nomine, tota ſignificatur compages tum *mechonoth*, tum luterum: ſed magnum diſcrimen intercedebat inter utrumque, nempe inter veritatis Hebraïcæ *mechonoth*, & Græcæ verſionis λουτῆρες *luteres*. Luteribus continebatur aqua ad ablutiones ſacras. Capacia erant vaſa veluti ollæ magnæ χυτρόκαυλοι, ut appellantur à Græcis Interpretibus & a Joſepho. *Mechonoth* verò erant veluti vehicula, quæ uſum baſium præſtabant luteribus, qui vehiculorum beneficio facilè & citò hùc & illuc trahebantur in eas partes atrii templi, ubi lavacro opus erat. Truſatilis erat tota compages; non hærebat ulli loco, ambulatoria propter ſubjectas baſi rotas. C D

Primùm & ſeorſim *mechonoth* deſcribuntur in ſacro codice & pluribus verbis; paucis verò mentio fit vaſorum, quæ imponebantur. Hæc utrobique difficultas occurrit. Forma, dimenſiones luterum & baſeum. Poſtquam quæpiam victima mactata fuerat in holocauſtum, & libatus ejus ſanguis, diſſecabatur in partes, quæ non niſi lotæ deterebantur ad ignem altaris. Apertus eſt eam in rem locus ille ſecundi Paralipomenorum cap. 4. 6. *Fecit quoque* Salomon *conchas* luteres decem *& poſuit quinque à dextris, & quinque à ſiniſtris, ut lavarent in eis omnia, quæ in holocauſtum oblaturi erant.* In fonte *ad lavandum* בהם *bahem in illis* adjungitur ידיחו בם *jadichu bam*; *& immittebant in illos opus holocauſti* quodqui interpretaretur quaſi holocauſtum intruderent in illa vaſa, falleretur; verbum enim דוח *duch* à quo ידיחו *jadichu* non ſignificat *intrudere*, ſed *diſpellere*, & ideò *lavare*, quia lavacrum diſpellit ſordes. Quis ergo ſenſus eſſe poteſt hujus particulæ בהם *bahem*, ſi non intra, ſed extra luteres fieret lotio victimarum? Litera ב *beth* ſervilis eſt, ut non ſemel eſt annotatum; nempe ſervit loco multarum præpoſitionum. Ambigua ergo, & interpretanda ex circumſtantiis in quibus uſurpatur. Eo autem in loco vim habere poteſt particularum *in, per, ex*. Junius & Tremellius ſic exprimunt fontem. *Fecit labra decem .... ad lavandum ex eis, opus holocauſti abluebant ex eis.* Sed cùm licuerit aliis Interpretibus hanc ſervilem literam reddere per particulam *in*; quomodo dicat aliquis, iſta ambiguitas diſpelli poteſt? Plerique ſentiunt in luterum aquis & intra ipſos luteres reipsâ immerſum quidquid lavacro indigeret. Ego verò quod de mari æneo dixi, ſentiendum puto de luteribus: ſicut aquis quæ effluerent ex mari purgabant ſe Sacerdotes; pariter ex aquis luterum, quæ per fiſtulas manarent, partes holocauſtorum fuiſſe ablutas, non in ipſis luteribus. Ipſa eorum forma & altitudo id non patiebatur, ut modo conſtabit. Præterea tanta congeries aquæ, cujus capaces erant, fuiſſet inutilis; neque enim eâ copiâ aquæ opus erat, ut verbi causâ armus dexter vel ſiniſter holocauſti ablueretur; ſi autem immerſus fuiſſet intra aliquem ex luteribus, depoſitis in eo ſordibus ſuis, ſtatim tota aquæ congeries immunda evaſiſſet; ideò jam inutilis; quod pluribus comprobavi, dum agerem de mari æneo. Revocabo in mentem, quod in Commentario in Concordiam Evangeliſtarum obſervatum eſt, idcirco Judæos, dum lavarent manus, extuliſſe eas in altum; ne aqua, quâ ſemel lotæ fuerant, relabens, iterum eas inquinaret, quippe ſordida. His omnibus perpenſis, adduxi animum, ut crederet appoſita ora luteribus cum epiſtomiis, per quæ ſaliret aqua, prout recludebantur ad ſingulas lotiones; ita aqua luterum ſemper munda ſuppetebat diverſorum holocauſtorum partibus abluendis. E

SECTIO II.

Primis ſuis lineis deſcribuntur luteres & baſes eorum. Hæc deſcriptio convenit uſui ad quem parabantur.

PRimùm agrediar deſcriptionem Mechonoth, ſive baſium; deinde de impoſitis luteribus diſſeram: ſed protinus delineabo totius compagis imaginem, quæ conſentanea ſit uſui luterum, & verbis Scripturæ, quibus deſcribuntur in codice ſacro. Lector, conjice oculos in delinationem noſtram. Totâ compage inſpectâ, perluſtra ſingulas ejus partes. Conſtat hæc compages vehiculo, quo defertur vas capax, haud multum diſſimile magnæ ollæ. Hoc vas appellabatur λουτὴρ *luter*, id eſt, vas lotioni deſtinatum. Portabatur coronamento, quod manibus ſuis quatuor Cherubini ferebant; eos dicit Joſephus ignota animalia; certè obſcurus eſt de illis ſermo Scripturæ. Forma quâ illos exhibeo ingrata eſt; ſed non potui aliam excogitare, quæ Scripturis magis congrueret. Omnium pedes vituli ſunt: alas ut aquilæ habent, quæ obtegunt poſteriora eorum. Manus illis inſunt humanæ, & humana brachia. Jubæ illis, ut leonibus. Caput unicuique proprium, plerique adſcribunt, referens caput unius ex quatuor animalibus, ex quibus quaſi conſtant; quod ego olim ſentiebam; ſed meliùs conſultus, dedi cuique Cherubino humanum caput, ne habeantur pro monſtris, quæ horrorem incuſſiſſent. Facies quidem illis inerat quatuor dictorum animalium; quod ſic intelligo, ut in aliquâ ex ſuis partibus quidpiam haberent leoninum, bovinum, aquilinum; in forma hominis ſtantis, ſed paulò inclinati ob pondus quod ſuſtinet. Facies obverſa eſt versùs luterem, ut ſoli appareant humeri,

unde brachia enata videntur.

Quidquid sint Cherubini illi manibus suis sustinebant coronamentum, fulcrum luteris. In quatuor angulis Mechonoth, sive basis stabant; ubi columella quadrata committebat inter se latera quatuor vehiculi. Historicus sacer adstruit totum opus variis & elegantibus cælaturis fuisse exornatum; sed quæ & quales, non satis explicat. Ne crederetur nullas fuisse, apposuimus aliquas pro veris, quæ ignotæ sunt. Non definitur luterum forma. Puto conflatos ex ære ductili, videlicet non arte fusoriâ, sed ope mallei; rotundos, qualia plerumque sunt vasa ærea, quæ fusurâ non conflantur; & ideò leviora. Si luteres cum basibus suis, sive vehiculis multum ponderis habuissent non trusatiles fuissent.

Singuli luteres circa fundum suum habebant ora cum epistomio, quo illa obturabantur, vel laxabantur, prout manus ducebat verticulum ad continendas, vel emittendas aquas; ita aquis ex lutere salientibus poterant Sacerdotes commodè victimas abluere. Tota enim altitudo Mechonoth, quam finiebat illud coronamentum luteris, erat trium cubitorum: sive tot cubitis à solo distabat apex coronamenti, & ideò fundus luterum. Quinque pedibus Parisinis non multò majores sunt tres Hebraïci cubiti; qui sunt ordinaria hominis statura; ut ministri etiam brevioris, paulò elatis manibus possent attingere verticulum epistomiorum & laxare vel arcere aquas.

Vehiculum quo quisque luter ferebatur, quadratum erat, eleganti præcinctum septo, intra quod comprehendebatur apertura qua excipiebantur aquæ salientes ex luteribus. Diameter hujus aperturæ erat quatuor cubitorum, quot constabat longitudo vel latitudo cujusque lateris vehiculi. Ergo capax erat, quippe sex pedum cum duabus tertiis partibus pedis Parisini, ad coercendos impetus aquarum salientium; ne his madefieret minister, qui ad illas victimam abluebat. Apertura enim illa cubito, & semi-cubito alta, hoc est, duobus pedibus cum semi-pede, perveniebat ad umbilicum ejus, ita ab aquarum salientium impetu latera vehiculi defendebant partes inferiores corporis partes, superiores erant liberæ ad motum. Pars, inquam, superior corporis extabat supra latera; etenim umbilicus hominis pars media est, ut cujus statura sit quinque pedum, umbilicus ipse extaret duobus pedibus cum semi-pede. In aere autem libero saliebant aquæ, & partes victimæ, ut opus erat, versare poterant ministri; ab aperturâ enim usque ad pedem luteris vacuum erat intervallum. Omni sermone disertior satis id declarat pictura.

Utrum dicta apertura haberet fundum, sive an ima pars ejus pertusa esset, non liquet. Scriptura tantùm loquitur de ore rotundo in Mechonoth. Crederem aquas liberè perfluisse; alioqui sanies victimarum recèns mactatarum intra breve tempus implevisset vas impervium aquis, quæ èontra perfluentes secum devehebant omnes sordes. Pluribus lavacris luteres sufficiebant; erant enim capacissimi. Quisque continebat quadraginta batos; ut expressis verbis dicitur in sacro codice: undè infra æstimabimus quæ essent cujusque luteris dimensiones. Formam illis indidi, quam judicavi idoneam usibus suis. Si quis à me quærat, quid in luteribus agerent Cherubini; respondebo sustinuisse coronamentum in quo luter requiesceret, cujus velut pes erat. Cur ille pes sic portandus, si quis iterum quærat; revocabo quod sæpiùs dixi, omnem adhibitam artem à Salomone, ut quantùm fieri poterat, templum Tabernaculo persimile esset; & quæ de novo

A fierent, aliquâ similitudine referrent vetera. Cùm ergo olim quoties mutanda castra, tunc luteres, qui fuere in Tabernaculo; neque enim victimæ comburebantur nisi lotæ, cùm, inquam, lute es efferrentur vehiculis; ut hujus rei memoriam servaret Salomon, apposuit mechonoth animalia, & majoris ornamenti gratiâ ea quatuor animalia quibus quadrigam Dei trahi alibi vidimus.

SECTIO III.

Quas formas assignare solent Interpretes luteribus & eorum basibus, ea non conveniunt usui, ad quem parabantur.

B IDeò infeliciter, ut mihi videtur, plerique conati sunt delineare Salomonicos luteres, quòd non animadverterent ea quæ sacer codex dicit de Mechonoth, non intelligenda esse de luteribus. Quid de illis sentiant Interpretes, non vacat singulatim recensere; sed audiamus Tostatum. *Sciendum*, inquit ille, *quòd... luter erat in parte inferiori strictus, & etiam in superiori; in medio autem erat latissimus: undè ibi erat diameter quatuor cubitorum, & in orificio erat diameter unius cubiti, & in pede erat diameter unius cubiti, & in loco in quo aptabatur foramini basis versus medium, erat cubiti & dimidii*, Adjungit Tostatus. *Quòd luter erat quoddam vas longum magis quàm latum, &* C *in medio sui erat latius, quàm in omnibus aliis partibus: undè in medio erat diameter rotunditatis quatuor cubitorum, & cùm procedebatur versus orificium stringebatur semper, &c.*

Inducit Tostatus quemdam Nicolaum huic suæ opinioni adversantem. *Nos*, inquit *posuimus luterem esse in medio cubitorum quatuor in diametro, & in parte superiori unius cubiti; ipse autem* Nicolaus *dicit quòd istud non convenit, quia luteres erant, ut lavarentur in eis hostiæ cremandæ; vas autem quod suprà est strictius, quàm infra, non est aptum ad lavandum ibi aliquid, sed magis debet esse suprà latum & infrà strictum.* In his multipliciter errat Tostatus; & fons erroris sui, quod D opinatur in ipsis luteribus victimas fuisse ablutas. Verum quidem est victimas in partes dissectas fuisse, quæ ergo facilè immitti potuissent in os luteris, quanquam tantum esset unius cubiti; sed nec conveniebat figura quam indidit luteri, venter tumescens quatuor cubitorum, & os angustum, nempe unius cubiti; nam si intra luterem lavabantur hostiæ, debuit habere os patulum, ut in eo liberiùs versarentur partes earum. Sed mentem non advertebat Tostatus ad morem Hebræorum, apud quos tota congeries aquæ unius luteris evasisset immunda semel ac sordibus alicujus partis inquinata fuisset; undè, ut diximus, Judæi quidpiam purgantes cavebant ne primis aquis, quæ usui fuerant, relabentibus in illud, his denuò immundum fie- E ret.

Villalpandus pro magnâ pelvi æneâ habet luteres; in quâ quidem commodè fieri poterat lotio hostiarum. Adducit auctoritatem R. David in libro Radicum. *Non est vas*, loquitur dictus Rabbinus, *in quo jugiter erat aqua, sed in quo lavabatur caro. In priori lavabant Sacerdotes manus ac pedes*, nempe in mari æneo, *& habebat ora, foramina intellige vel fistulas è quibus egrediebatur aqua, quando Sacerdotes lavabant manus, pedesque: in altero lavabatur caro, & non habebat ora, nec jugem aquam.* Loquitur Rabbi David ex opinione propriâ adversus vetustas consuetudines, quas statuimus. Sed etsi non inconsuetum nec illicitum fuisset in iisdem

aquis diversas lotiones facere, ipsa structura mechonoth obstabat. Etenim quamcumque formam haberet luter, similisque fuerit lagenæ, ut quidam falsò autumant, aut ollæ magnæ, quod non abludit à vero: sive jure haberi possit pro pelvi magnâ: certè hîc cæcutierunt perspicacissimi Interpretes; Rabbinos autem ineptire non mirum est. Quod enim dicit Scriptura de mensuris mechonoth, ostendit intra quemquem ex luteribus haud ullas fieri potuisse commodè ablutiones, nisi appositis scalis, quarum nulla est in sacro codice mentio. Etenim altitudo Mechonoth erat trium cubitorum, scilicet intercapedo soli, & coronamenti, quo luter portabatur, erat trium cubitorum, quæ est statura hominis; ut sæpiùs dictum. Cubitos Hebræos majores facit Villalpandus; ideò graviùs peccat. Præter altitudinem mechonoth trium cubitorum, luter habebat mensuram propriam. Quomodo ergo quis Sacerdos insistens solo potuisset quidpiam abluere in pelvi quæ verticem capitis ejus multum superabat; cùm versùs illam oportuit caput esse inclinatum hujus qui accuraret in pelvi lotionem demissis in eam manibus; quæ ergo pelvis non debebat superare umbilicum, sive mediam partem corporis. In delineatione, quam subjicimus oculis, luter ita obturatus erat, ut cùm truderetur, sive traheretur, aquæ subsilire non possent. Obstabat operculum. Hostiæ verò lavabantur in vase subjecto, quod excipiebat aquas exilientes ex lutere, cùm aperiebantur fistulæ ejus. Hanc formam quam nunc dicimus, verisimilem; postea veram comprobabo, quippe consentaneam verbis Scripturæ.

SECTIO IV.

Expenduntur singula verba sacri codicis, quibus Mechonoth, sive luterum bases describuntur.

NOn id mihi sumo ut credam omnibus suis lineis à me delineatos Salomonicos luteres; sed eorum formam eam veram censeo, quæ respondet verbis Hebraïcæ veritatis. Describuntur in tertio Regum capite 7. primùm bases à versu vigesimo septimo usque ad trigesimum octavum: deinde luteres. Nos ergo primùm de Mechonoth, sive de basibus juxta ordinem, quem ipse Historicus sacer secutus est.

Vulgata Versio.	Nova Versio.
27. *Et fecit* Salomon *decem bases æneas, quatuor cubitorum longitudinis bases singulas, & quatuor cubitorum latitudinis, & trium cubitorum altitudinis.*	Et fecit decem mechonoth, id est, *bases* ex ære quatuor cubitorum longitudo singulorum mechonoth, & latitudo quatuor cubitorum, & altitudo trium cubitorum.

Nomen *Mechonoth* derivatur ab Hebræo verbo כון *aptavit, disposuit, statuit.* Ita מכנות *mechonoth* sunt bases, in singulari מכונה *mechuna* basis. Hoc nomen non obscuræ & incertæ significationis est; sed quia insolita structura rei est, & cui non alia esset similis, ideò Græci Interpretes non Græcè reddiderunt hoc nomen, sed Græcis characteribus expressere, scribentes μεχωνὼθ, ut dictum est; quod erat quidem instar basis, verùm non simplex basis supposita luteri, sed vehiculum quo hùc illuc per atrium templi deferebantur luteres. *Mechonoth* illa, sive vehicula quadrata erant, longitudo enim eorum par latitudini, quatuor nempe cubitorum; hoc est juxta calculos nostros, sex pedum cum duabus tertiis partibus pedis Parisini. Altitudo trium cubitorum Hebræorum, & ideò quinque

A pedum Parisinorum.

28. *Et ipsum opus basium, interrasile erat: & sculpturæ inter juncturas.*	Erat autem hujusmodi opus mechonoth, *sive basium.* Clausuræ erant eis, & clausuræ inter columellas, quibus latera conjungebantur inter se.

Sic hunc versum expressit Paraphrastes Chaldæus. *Et hoc est opus basium: clausuræ erant illis; & clausuræ inter commissuras.* Intelligentia hujus loci pendet ex rectâ interpretatione duarum harum vocum מסגרות *misgeroth* & שלבים *schelabim.* Prima vox venit à סגר *sagar concludere, includere.*
B Ita Misgeroth sunt *clausuræ, cincturæ, coronæ, tæniæ, limbi:* συγκλείσματα, στεφάνη, ut illam vocem reddunt Græci Interpretes. Denotat ergo vox prima cincturam, clausuram vehiculi, sed & elegantem, ornatam ornamenti genere, quod tunc usitatum erat. Mensa Sanctuarii habebat tale ornamentum, ut vidimus suo loco. Faber industrius dicebatur מסגר *masegér*, in nostrâ Vulgatâ apud Jeremiam cap. 24. v. 1. *Inclusor.* Ideò Latinus Interpres in isto loco opus de quo loquimur appellat *interrasile*, hoc est, opus limatum, quod Græci dicunt γλυπτόν, sculptum, ut Vulgatus Interpres dicit: *& sculpturæ inter juncturas.*

C Altera vox שלבים *schelabim* significat *commissuras*, sive *juncturas*; quales sunt tabularum quæ sibi adhærent scalari formâ, sive eâ specie incastraturæ, quæ similis est gradibus, cùm alia alteri adjungitur, ut gradus gradui; sive cùm instar graduum jungitur. שלב schalab *scala* est *gradus.* Igitur illa *schelabim* duplicem usum habebant in quatuor angulis *mechonoth*, ut latera eorum committerent, & conjungerent; tum in illis tanquam in gradu consisterent Cherubim, quorum veluti bases erant. Sic olim credebam postea meliùs consultus ex colligatis in unam formam Cherubinis conflari fulcimentum impositi vasis ex quo fluebant aquæ, ad lavanda membra victimæ; Cherubim autem consistunt in ipso fundo pelvis orbicularis, & surgunt ad portandum vas impositum quod plenum erat a-
D quis. Loco tam obscuro lux magna ex Josepho affulget. Etenim describens illas bases libro octavo Antiq. cap. 3. sic loquitur. *Quatuor erant columellæ per totidem angulos dispositæ quadrangulæ, quibus latera basium inserebantur.* Κιονίσκοι *columellæ*, parvæ columnæ, quales inerant throno quem Athenæus describit libro 12. θρόνος χρυσοῦς ἦν, ὃν συνεστήκεισαν τέσσαρες κιονίσκοι. Hanc nostram interpretationem, sive formam *Mechonoth*, quam excogitavimus congruentem Scripturis adverte, Lector, in delineatione nostrâ. Concepimus *schelabim*, ut columellas quadratas, in quibus latera basium inserebantur. Sic *schelabim* commissuræ, juncturæ erant;
E & simul illa *schelabim* velut gradus erant, basis, fundamentum Cherubim, quæ his columnis insistentia eminebant. Quidpiam in quatuor angulis *mechonoth* prominens intellexêre Græci Interpretes, dum sic vertunt τὸ σύγκλεισμ ἀναμέσον τῶν ἐξεχομένων. Habuêre *schelabim* pro rebus prominentibus; nam ἐξέχω sonat apud Græcos quod apud Latinos *emineo, promineo, exto.* Ita dicuntur ἐξεχόμενα quæ eminentia, prominentia sunt.

29. *Et inter coronulas & plectas, leones & boves & Cherubim: & in juncturis similiter desuper & subter leones & boves, quasi lora ex ære dependentia.*	Et supra clausuram quæ erat inter columellas, *quibus latera mechonot conjungebantur,* inerant leones, boves, & Cherubim. Et super columellas basis desuper &

ſubter leones & boves, adjectiones erant ex ære ductili.

In Paraphraſte Chaldæo. *Et ſuper clauſuras, quæ erant inter commiſſuras, formavit leones, boves & Cherubim: & ſuper commiſſuras erat baſis deſuper, & ſubter leones & boves, adjunctum erat opus extenſum.* Ita Paraphraſis non diſpellit omnes hujuſce loci tenbras; quæ non ita denſæ erunt, cùm dies illis illuceſſerit à noſtrâ delineatione. *Schelabim*, commiſſuræ laterum *mechonoth*, inſtar erant columellarum, in quibus Cherubim extabant ſuper *miſgheroth*, id eſt, clauſuram *mechonoth*. Cherubim autem, ut dictum eſt, alia leonis, alia bovis, alia hominis, alia aquilæ formam habebant. Non hæc quatuor nominat codex; ſed intelligenda reliquit; quippe notum Cherubim conſtare his quatuor animalibus. Joſephus inter illa Cherubim nominatim recenſet aquilam.

Poſteriora prioribus adhuc magis obſcura ſunt. Quid enim illud. *Et ſuper ſchelabim baſis deſuper & ſubter leones & boves.* In fonte ועל שלבים כן *vehal ſchelabim chen.* Diximus ſchelabim fuiſſe commiſſuras & ſimul columellas, *chen* baſim ſignificat. Itaque ſupra *ſchelabim* baſis erat, nempe Cherubim conſiſtentium in ea, vel ipſa ſchelabim horum Cherubim baſis erant. Sed quid illud: *deſuper & ſubter leones.* Si hîc ariolari liceat, baſis proximior luteris indicatur. Cherubim, ut Scriptura luculenter ſignificat, portabant pedem luteris; qui pes erat deſuper & ſubter leones, quia manibus ex humero eorum enatis ferebatur; ita erat infra capita Cherubim & ſuper reliquam partem corporis eorum. Vocem כן Paraphraſtes Chaldæus accepit pro baſi; interpretatur enim כנהא *caneta.* Eadem particula ſignificat *ita*, *ſic*, quâ in ſignificatione eam Græci ſumpſêre, vertentes οὕτω *ſic.* Ergo, ni mea me fallat conjectura, Hiſtoricus ſacer declarat modum quo ferebatur luter; nempe baſis coronamento quod Cherubim manibus ſuis portabant.

Et illuſtratione indigent ultima verba illa verſiculi, à quo nondum diſceſſimus. *Adjectiones* erant *ex ære ductili.* In fonte לית מעשה מורד *liot maſſe morad.* Nomen *liot* pro radice habet verbum לוה *lava*, *adhæſit*, *adjunxit ſe.* Ita liot ſunt *adjectiones*, ſive additamenta quæ fierent ornatûs gratia; ut videre eſt in Proverbiis cap. 1. v. 9. ubi præmium proponitur audientibus paternam diſciplinam, nec dimittentibus maternam legem. *Ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* In fonte: *nam* לוית liviat, *adjectio glorioſa capiti tuo, & torques faucibus tuis.* Septuaginta hanc adjectionem gratioſam appellant στέφανον χαρίτων *corona gratiarum.* Idem uſus fit ejuſdem vocis in eodem ſenſu cap. 4. v. 9. Ergo cùm nomen *liot* indicet ornamenta, opinor hîc ſignificari adjectiones elegantiſſimas, factas non opere fuſoriæ artis, ſed mallei; ne totius machinæ, ut diximus, compages eſſet ponderoſior. Adjectiones, inquam, illæ *liot* dicuntur fuiſſe opus מורד *morad.* Græci Interpretes deduxerunt vocem illam à verbo ירד *jarad* deſcendit. Undè ſic interpretati ſunt ἔργον καταβάσεως *opus deſcensûs*, Nos deducendam putamus à verbo רדד *radad extendit.* Ita *morad* idem ſonat quod *diductum*, *extenſum*; quo ſenſu *morad* interpretantur Chaldæi. Quapropter non fuſæ cenſeri debent adjectiones; ſive ornamenta ſuperadjecta non erant fuſa, ſed facta ex ære ductili. Malleo diductum fuerat æs, ex quo conflatum opus. Sed undè in ſenſum tam alienum ab eo, quod verba Hebræa proferre contendimus, abierit Vulgatus Interpres, ſcire aveas, Lector. In eo verſu in quo adhuc verſamur, *miſ*-

A *gherot* interpretatus eſt *coronulas*, ſcilicet quia id unum innuere voluit illa *miſgherot* fuiſſe ornamenta: *ſchelabim* verò, quam vocem primùm reddiderat *juncturas*, hîc nominat *plectas*; quod nomen Græcum potiùs quàm Latinum ſignificat *nexum*, à verbo πλέκω *necto*, *connecto*, πλεκτὴ adjectivè eſt *plexa*; abſolutè eſt *plexa corona.* Ita in verſione Latinâ non aliud hoc nomen *plecta* ſonat quàm primum nomen *junctura*, quo *ſchelabim* iterum reddit Interpres. *Et in juncturis ſimiliter.* Illud autem *ſimiliter*, quod in eodem verſu legitur, reſpondet voci Hebrææ כן *chen*; quam cùm Græci reddidiſſent οὕτω Latinè *ſic*, Vulgatus illos ſequens interpretatus eſt *ſimiliter*. Nos cum Chaldæis in alia ſigni- B ficatione, particulam *chen* accepimus pro baſi, quam & ſignificat. Nomen *liot* idem Interpres Latinus habet pro *loris*, & *morad* pariter cum Græcis derivans à verbo *jarad deſcendit*, reddit *quaſi lora ex ære dependentia*, pro eo quod diximus juxta fontem: *adjectiones erant ex ære ductili.*

30 *Et quatuor rotæ per baſes ſingulas, & axes ærei: & per quatuor partes quaſi humeruli ſubter luterem fuſiles, contra ſe invicem reſpectantes.*

Et quatuor cuique mechonæ rotæ erant, *id eſt, baſi cuique*, & axes ærei; & per quatuor angulos, humeruli ſubter luterem, humeruli ex fuſo *ære:* quique contra alium ſibi oppoſitum.

C Mechona, ut diximus, erat vehiculum, cui ſuppoſitæ rotæ, ex ære fuſo, quippe oporteret eas eſſe ſolidiores. Eamdem ob rationem axes סרנין *ſaranin* ærei. Nomen illud ſignificat viros ſtrenuos, viros principes. Axis in vehiculo eſt res præcipua, quam decet eſſe validiſſimam. Rotæ ſupponebantur quatuor, puto, angulis vehiculi, ut lateribus vacuis, liberior eſſet acceſſus miniſtris ad lavacra. Dum autem mentionem faceret ſacer ſcriptor harum quatuor rotarum, quæ in angulis erant, ſimul & memorat quatuor Cherubim, quæ inerant his angulis: ſed id facit obſcurè; ſatis enim habet nominare eorum humeros, ex quibus, ut dictum eſt, enata brachia attingebant pedem luteris, & eum ferebant. Quod cerne- D re eſt in delineatione, ſeſe invicem reſpiciebant; ſic ſolos ſuos humeros conſpicuos relinquebant, facie versùs interiores partes obversâ. In fonte מעבר איש ליות *meever iſch liot.* Vocem *liot* vidimus ſignificare *adjectiones* ornamenti causâ ſuperadditas. Cherubim addiderat Salomon vehiculis iſtis, ut illa ornaret. Vox *iſch* ſonat idem quod Latinis *homo* & *quiſquis*, & מעבר *meever* idem quod *ex adverſo*, *è regione.*

31. *Os quoque luteris intrinſecùs erat in capitis ſummitate; & quod forinſecùs apparebat, unius cubiti erat totum rotundum, pariterque* E *habebat unum cubitum & dimidium: in angulis autem columnarum variæ celaturæ erant & media intercolumnia, quadrata non rotunda.*

Et os ejus intra coronamentum & elevatio unius cubiti. Et os ejus rotundum, ſicut mechona, altum uno & dimidio cubito: Et etiam ſupra illud os mechonæ cælaturæ; clauſuræ verò *miſgherot*; intra quas illud os, quadratæ non rotundæ erant.

Ubique magna obſcuritas in deſcriptione, quam conamur elucidare. Non liquet quo referendum ſit illud os פיהו *piu*, niſi affixum maſculini generis indicet fieri ſermonem de ore כיר *chior*, quod eſt nomen maſculinum. Illud autem *chior*, id eſt, luter ferebatur מתרת *chetoret*, id eſt, *coronâ*, *coronamento.* Verùm cùm hîc de ipſo lutere agatur, illa non ſpectare poſſunt niſi partem aliquam ejus, quæ ha-

beret eum eo rationem eo in loco explicandam, puta quæ connecteretur cum pede ejus; *Et os ejus intra coronamentum;* quod erat veluti pes luteris. Nempe, ni fallor, foramen quo ex lutere effluebant aquæ, erat intra ipsum coronamentum; ut illud exhibet nostra delineatio. Illud autem coronamentum excelsum erat, sive attollebatur uno cubito. ומעלה *umaela*, vox illa cum punctis hodiernis idem sonat quod *suprà*, sed cum aliis *maale*, quod *ascensus*, *clivus*, *suggestus*. Ergo videtur ibi significari spatium vacuum & liberum quod erat sub coronamento, sive sub pede luteris.

Sequitur ופיה *upiah os ejus*. Cui rei tribuendum illud os, quod in fonte affixum habet femininum? Ego refero ad vocem מכונה *mechona* feminini generis. Necesse est, inquam, ut os apertum, sive foramen haberet *mechona*, sive basis, quo exciperentur aquæ subsalientes ex lutere. Os autem illud, sive foramen rotundum erat, altum altitudine ipsius *mechonæ*, sive basis in hac parte, nempe uno cubito & dimidio. Sic interpretor מעשה-כן *maase chen*, ad verbum, *opus basis;* cujus ea erat altitudo in hac parte.

Satis aperta sunt posteriora verba hujus versiculi. *Et etiam supra illud os cælaturæ.* Scilicet similiter ac reliquum opus exornatum erat illud foramen. *Et clausuræ* misgherot earum partium *quadratæ, non rotundæ*. Scilicet basis *mechona* erat quadrata; ita os illud, sive foramen rotundum erat intra clausuram quadratam. Si quis sagaciùs conjectare potest, palmam accipiat, non invideo. פיה *pie os* non multùm differt ab hisce nominibus פאה & פנה, quæ angulum denotant. Vulgatus Interpres vocem פיה ibi interpretatur *angulum*, quia forsan legerit פנה, aut פיה etiam habuerit anguli sigificationem. Vocem verò *misgherot*, quam supra interpretatus fuerat primò *interrasile*, secundò *coronulas*, reddit hac tertiâ vice *intercolumnia*. Indè sic interpretatur *in angulis autem columnarum variæ cælaturæ erant, & media intercolumnia quadrata non rotunda*. Videre ergo est undè ista versio tam diversa sit à nostrâ, qui presſè fontem sequimur.

32. *Quatuor quoque rotæ, quæ per quatuor angulos basis erant, cohærebant sibi subter basim, una rota habebat altitudinis cubitum & semis.*

Quaternæ autem rotæ illæ, subter *misgherot*, id est, *sub clausuris;* & axes rotarum in mechona, *nempe basi affixi;* & altitudo rotæ unius cujusque erat sesqui cubiti.

Hæc quæ dicuntur de rotis sub *misgherot*, ostendunt illa *misgherot* fuisse clausuram, sive cincturam *mechonæ* nempe basis vehiculi, cui adhærebant axes. Sic enim interpretor ידות *jadot*. Nomen quidem illud venit à יד *jad*, cujus prima significatio, *manus;* indè Græci Interpretes hunc locum sic vertunt. Καὶ χεῖρες ἐν τοῖς τροχοῖς ἐν τῇ μεχωνώ. Verum nomen istud determinatione fœmininâ non usurpatur nisi metaphorice pro *cardinibus*, pro *fulcris*, & similibus aliis rebus. Axes sunt veluti protensæ manus in vehiculo. Vulgatus Interpres accepit *jadot* pro incastraturis, sicut dicitur de tabulis Tabernaculi, quod haberent *manus* quibus sibi invicem adhærebant. Ergo sic vertit. *Quatuor quoque rotæ..... cohærebant sibi subter basim;* quod vix intelligi potest.

33. *Tales autem rotæ erant, quales solent in curru fieri: & axes earum, & radii, & canthi, & modioli, omnia fusilia.*

Eratque opus rotarum simile operi rotæ curruum. Axes earum, & modioli earum, & canthi earum, & radii earum, omnia fusa.

Rotæ, canthi, axes, non poterant esse ductiles; etenim pondus impositum non potuissent ferre; igitur pars illa vehiculi erat fusa. Rotarum autem illarum factura erat ut factura rotæ currûs המרכבה *Hamercava*, quod nomen in genere significat currum; sed hic ה *he* præmissum videtur indicare quempiam insignem currum. Chaldæus Paraphrastes putavit indicari *currum gloriæ*, in quo Deus quandoque apparuit, & quem traherent Cherubim. Sanè videtur Salomon, quantùm potuit, *Mechonot* assimilasse currui gloriæ, si quidem his apponat Cherubim; quod denuo significat sacer Historicus.

34. *Nam & humeruli illi quatuor per singulos angulos basis unius, ex ipsâ basi fusiles, & conjuncti erant.*

Et quatuor humeri ad quatuor angulos *mechonæ*, id est, basis cujusque, ex *mechonâ*, sive basi ipsâ humeri ejus.

Scilicet ex mechonâ ipsâ procedebant humeri; nam Cherubim, quorum humeri apparebant, in ipsâ mechonâ ponebant gressus suos, statuebantur. Hæc quantùm potuisset, non explicat sacer scriptor; imo videtur quasi deditâ operâ obscurare sermonem suum, de Cherubim agens. Sunt qui hunc locum sic interpretantur, quasi scriptor ille voluerit significare Cherubim ex eâdem æris massâ fusa & conflata fuisse; sed, ut opinor, veritas Hebraïca indicat tantùm hos humeros, per quos intelligenda sunt Cherubim, institisse in angulis basis, cujus pars fuerint.

35. *In summitate autem basis erat quædam rotunditas dimidii cubiti, ita fabrefacta, ut luter desuper posset imponi, habens cælaturas suas, variasque sculpturas ex semetipsâ.*

Et in capite hamechona, *sive in summitate basis*, altitudo rotunda dimidii cubiti circumquaque. Et super caput hamechona, fulcra ejus & misgherot *clausuræ* ex eâ.

Certum est hîc describi pedem luteris, sive coronamentum in quo jacebat luter. Ea fuit sententia Interpretis Latini, qui versioni suæ inseruit illud glossema; *ita fabrefacta, ut luter desuper posset imponi;* neque enim id reperitur in fonte. Coronam formæ circularis ibi agnoscit Procopius, qui agens de istis basibus sic Græcè loquitur Εἶχον δὲ αὗται ἄνω χειρῶν ἐκτυπώματα, στεφανοειδῆ φέροντα κύκλον. *Habebant autem illa in superiori parte manuum effigies, quæ circulum, coronæ similem, præferebant.* Coronamentum illud habebat *misgherot*, nempe clausuras elegantes; & his clausuris adhærebant manus, sive fulcra. Sic verti nomen ידותיה *jedothea*, quod venit ab *iad*, id est, *manus*, & in hac terminatione fœmineâ non usurpatur nisi metaphoricè, ut modo dicebam; ita fulcra interpretatus sum. Intelligi quidem possent manus Cherubinorum, quibus portabatur illud coronamentum; quidquid sit, sensus est clausuras, & fulcra, sive manus, omnia quæ erant in capite, sive in summitate Mechonæ, fuisse cum ipsa connexa, vel ex eodem ære conflata. Mechona, rotæ, Cherubim, coronamentum, quod pes erat luteris, hæc omnia inter se cohærebant. Liberrimè postrema verba reddit Latinus Interpres; tantùm significans rotunditatem quæ erat in summitate basis, fuisse cælaturis & sculpturis exornatam.

36. *Sculpsit quoque in tabulatis illis quæ erant ex ære, & in angulis Cherubim & leones & palmas, quasi in similitudinem hominis stantis, ut non cælata, sed ap-*

Et sculpsit supra tabulas fulcra, sive manus, & super clausuras ejus. Cherubim, leones habebant formam hominis stantis, apposita circumquaque, *id est*, in qua-

posita per circuitum viderentur. tuor angulis.

Principium hujus versiculi satis apertum. Verbum quidem פתח *patach* sonat *sculpere*, & *aperire*: hanc postremam significationem secuti sunt Græci; sed prior magis convenit huic loco. Videlicet iterum dicit Historicus sacer omnes partes *mechonæ* fuisse variis cælaturis exornatas. Sculpserat, sive sculpturas addiderat omnibus, quotquot erant, tabulis, & manibus, sive fulcris. Multa significat nomen plurale jadot manus, axes, fulcra, etiam radios, ut diximus. Clausuræ omnes præferebant cælaturas elegantes. Post hæc priora verba apponerem punctum; repetendo, sive subintelligendo *sculpsit* insuper Salomon Cherubim, leones. Sed versio simplicior mihi arrisit. *Cherubim, leones habebant formam hominis stantis*, Sed, bone Deus, quàm immani intervallo hîc discedimus à reliquis Interpretibus! Certè, prout legitur hodierno tempore fons Hebræus, ad verbum locus vertendus esset. *Cherubim, leones, & palmæ secundùm nuditatem cujusque, & addimenta circumquaque.* Hic autem locus mihi suspectus est. Puto depravatum Librariorum tum oscitantiâ, tum imperitiâ; primùm in primis codicibus non fuisse factam mentionem palmarum; scilicet pro hodierno תמרת *timoret*, id est, *palmæ*, lectum המראה *hamarea*. Inter utrumque nomen non tanta dissimilitudo. Scriptoribus labi facile est in literis ה & ת, quia similes sunt, unam pro aliâ exarando. Nomen autem *hamarea* usitatum est pro *visione*, *aspectu*, *vultu*, *specie*. Attamen & Latinus Interpres, Græci Interpretes, Paraphrastes Chaldæus tum & Josephus ibi palmarum mentionem faciunt; quapropter lectio hodierna censeri debet antiquissima; sed & illam quam adstruimus antiquam esse ostendit Vulgata versio *quasi in similitudinem* quod exprimit nomen Hebræum *hamarea*; ut videatur utraque lectio conjuncta. Græci, Josephus & Auctor Vulgatæ in codice quo usi sunt utrumque nomen legerant תמרת *palmæ* & המראה *aspectus*, *visio*; videlicet, quod sæpiùs contigit, unum irrepserat ob similitudinem. Ideò autem ibi puto admissas palmas, quòd Cherubim Oraculi, sive Sanctuarii intermixtas palmas habuerint, ut videbimus suo loco, partem illam templi describentes.

De palmis istis sentiat quisquis quidquid illi libuerit; sed certus sum quod in illo loco fons Hebræus hodiernus non omnino sanus sit. Etenim illud כמער *chemaar*, id est, *secundùm nuditatem*, vel *sicut nuditas*, ægrum est. De ægritudine non dubitaverit, qui expenderit versionem Græcam, & Latinam. Ἑστῶτα Cherubim, id est, *stantia* dixêre Græci Interpretes; Hieronymus verò: *In similitudinem hominis stantis*. Depravatio ergo facta est tum unius literæ transpositione מער pro עמד, tum alterius permutatione, posito ר *resch* pro ד *daleth*, quæ duo elementa distinguuntur apice exiguo, qui oculos fallit. Nomen quod hodie legitur מער *maar* significat nuditatem; sed quod hîc non ampliùs apparet, venit ab עמד *stetit*. Olim ergo lectum est כמעמד *chemeamod*, id est, *sicut stantis*. Lectio hodierna ignota fuit Græcis Interpretibus, D. Hieronymo, & Paraphrastis Chaldæis; qui reddunt hunc locum, prout codicem Hebræum suo tempore legebant, *in gradu uno*. In delineatione nostrâ Cherubim habent similitudinem hominis stantis. Stant in angulis, & apposita non cælata videntur, ut loquitur D. Hieronymus. Vidimus illa ליות *liot* appellata, quia erant additamentum decoris gratiâ. Neque enim huicce machinæ inerant tanquam res necessariæ. Fulcra erant sustinendo luteri apposita in circuitu, in omnibus angulis machinæ. Illa autem fulcra potuissent habere aliam formam.

37. *In hunc modum fecit decem bases, fusurâ unâ, & mensurâ, sculpturaque simili.*

In hanc formam fecit decem mechonoth *bases*: fusura eadem, mensura eadem, cælatura eadem erat ipsis omnibus.

Videlicet decem mechonoth omnino erant similia; ut descriptio unius conveniat cæteris. Nomen קצב *chetzeb* redditum est à Junio *proportio*: meliùs à Vulgato Interprete *sculptura*; derivatur enim à verbo קָצַב, quod est *cadere*, *incidere*, *sculpere*, *cælare*.

SECTIO V.

Brevis est sermo Scripturæ sacræ de luteribus. Capacitatem eorum tantùm definit; relinquit formam cogitandam.

QUi diu in labyrinto laborasset, non exitum reperiret majori cum lætitiâ, aut pedem extricaret ex vepretis in quibus impeditus fuisset, quàm ego dimitto dificillimam descriptionem horum *mechonoth*, in quibus explicandis tandiu hæsi. Luteres, qui his imponebantur, non describuntur quidem tam obscuro sermone; sed nec ille sic apertus est, ut lumine non indigeat. Post hos versus, quos, ut potui, commentario exposui, Historicus sacer, descriptis basibus luterum, de ipsis luteribus subjicit hunc brevissimum sermonem.

38. *Fecit quoque decem luteres æneos: quadraginta batos capiebat luter unus, eratque quatuor cubitorum: singulos quoque luteres per singulas, id est, decem bases, posuit.*

Ex his verbis liquet opera baseum omnino distincta fuisse ab opere luterum. Utrumque & seorsim explicat Historicus. Quod jam observatum est adversùs eos qui, quod dictum est de partibus baseum, interpretarentur de luteribus. Luter autem in fonte nominatur כיור *chijor*; quod nomen in versione Græcâ redditur χυτρόκαυλος, alibi λέβης, sæpiùs λουτὴρ *labrum*, *lavacrum*, quia in eo aqua servabatur ad lavacra. Ænei erant luteres. Historicus scribit factos, non fusos. *Fecit quoque* Salomon *decem luteres*; quia forsan non arte fusoriâ, ut jam dixi, sed ære ductili vasa illa conflata; ne minùs trusatilia essent ob immane pondus, si fuissent ex ære fuso.

Quadraginta batos capiebat luter unus. In libro primo, cùm de ponderibus & mensuris Hebræorum egimus, inter plurimas & incertas opiniones de dimensionibus bati, hanc statuimus verisimiliorem, quod cùm redigeretur in formam cubicam, haberet pro radice suâ, ut loquuntur Mathematici, semicubitum; id est, sua quæque latera essent semicubiti, & ideò decem pollicum Parisinorum, quales viginti continet cubitus Hebræus integer. Ita basis quadrata bati cubici erat centum pollicum, & ideò totus batus mille pollicum. Vas illud notissimum, quod Parisiis appellamus *Pintam*, est quadraginta octo pollicum; cùm ergo singuli luteres caperent quadraginta batos, & ideò capacitas eorum esset quadraginta mille pollicum, capiebant $833 \frac{16}{48}$ pintas Parisinas; nam si numerum 40000 partiaris per huncce numerum 48, quotus numerus exsurget $833 \frac{16}{48}$, sive $833 \frac{1}{3}$. Sic cognoscitur capacitas singulorum luterum. Sed non ita est de eorum dimensionibus; quæ quidem definiuntur, sed tantâ ambiguitate, ut res magis expedita esset, si de illis siluisset Historicus, æstimandas relinquens. Neque enim difficile est huic, qui

qui aliquam peritiam Geometriæ comparavit, veras dimensiones reperire vasis, quod scit continere quadraginta batos, modo bati Hebræi capacitas nota sit. Scriptura dicit. *Quadraginta batos capiebat luter unus, eratque quatuor cubitorum.* Certè hæc descriptio dimensionum luteris deficit; & quacumque scientiâ Lector polleat, hic hæret dubius; ignorat enim cui tribuendi sint hi quatuor cubiti; an diametro luterum, an altitudini. Utramque dimensionem parem credidit Josephus. Singulos luteres facit latos & altos totidem cubitis, quod omnino adversatur sacræ Scripturæ: neque enim fieri potest, ut harum dimensionum vasa non multo plures quàm quadraginta batos caperent; quod juvat demonstrare.

Supponamus luteres cum Josepho fuisse rotundos, veluti ollas magnas latas & altas pari mensurâ, nempe quatuor cubitis, sive octoginta pollicibus. Ea erat longitudo diametri eorum; itaque pro ratione probatâ diametri ad circulum, nempe quæ reperitur inter hosce numeros 7 & 22, circumferentia circuli, id est, fundi luterum erat 251 $\frac{3}{7}$ pollicum; qui per radium ejusdem circuli, sive per 40 pollices multiplicati, neglectâ fractione faciunt 10040, cujus summæ dimidium 5020, ipsa est superficies ejus, ut docetur in elementis Geometriæ. In hanc superficiem, sive in hunc numerum 5020 duc 80 pollices, altitudinem luteris, efficies 401600 pollices; ita luteres talium dimensionum cepissent non quadraginta batos, ut adstruit Scriptura, sed plusquàm quadringentos. Igitur errat Josephus, si codices ejus sani sunt, & ipsi exscriptores non erraverint. Latitudo luterum non potuit esse quatuor cubitorum, & totidem altitudo.

Ergo cùm Historicus sacer, sine ullâ distinctione latitudinis & altitudinis, faciat luteres quatuor cubitorum, locum præbet huic conjecturæ, quòd his quatuor cubitis complectatur simul latitudinem & altitudinem; significans eâ ratione loquendi utramque dimensionem fuisse parem, nempe quamque duorum cubitorum. Non desunt exempla Scripturæ, quibus probari potest hunc morem loquendi fuisse quandoque usitatum. Scriptor enim Paralipomenorum lib. 2. cap. 3. v. 15. dicit duas columnas positas ante fores templi, triginta & quinque cubitos altitudinis habuisse, complectens simul 2 columnarum altitudinem, ut infra demonstraturi sumus.

Experiamur an juxta illam interpretationem, nempe in hypothesi quod singuli luteres lati essent duobus cubitis, & totidem alti, caperent verè quadraginta batos. Positâ cujusque luteris latitudine 2 cubitorum, diameter fundi eorum fuit 40 pollicum. Ergo ex ratione quæ est inter 7 & 22 deducitur circumferentiam circularem fundi luterum fuisse 125 $\frac{5}{7}$ pollicum, & totam superficiem circiter 1250 pollicum, qui multiplicati per altitudinem luteris, sive per 40. pollices efficiunt 50000. Sed in illis calculis facimus luteres perfectè cylindricos; cùm autem in imâ & summâ parte potuerint esse angustiores, & ideò minùs capaces; & jam in eâ hypothesi, quòd singuli bati non haberent plusquàm mille pollices, hùc rem deducere possumus, ut luteres quorum altitudo fuerit duorum cubitorum; & latitudo (nempe ubi laxiores) æqualis, præcisè ceperint quadraginta batos. Si aliter quàm quod fecimus, sumantur illi quatuor cubiti, quos Scriptura assignat singulis luteribus, non potest certò deduci horum forma. Nam vas quod capiat quadraginta batos, potest habere diversas figuras, & tamen in aliquâ ex suis dimensionibus pariter habere quatuor cubitos. Fundum luterum potuit esse angustius, & os magis patulum, latera habuisse

A rectà aut non recta, & ventrem magis vel minùs tumescentem. Cogitari autem potest pelvis latitudine quatuor cubitorum, & eâ altitudine ut præcisè caperet quadraginta batos. Luteres, inquam, potuerunt esse similes vel pelvi vel ollæ. Sed credo haud quaquam luteres assimilari posse pelvibus, quæ quidem fuissent patulæ, sed non multùm profundæ: alioqui, ut vidimus, continuissent plusquàm quadraginta batos. Non video cur Scriptura existimationi permisisset pelvium altitudinem cogitandam. Aliud argumentum duco à nomine כיור *chiior*, quo luter appellatur, & ubique in Scriptura usurpatur pro specie ollæ, in quâ coquebantur carnes. Hujus vasis capacitas pendet ex altitudine;
B sive ollæ solent esse altiores quàm latæ, quia carnes in illis madere non possunt; sive coqui, nisi aqua multùm exsuperet; quod non fit nisi in vase profundiori. Si ergo luteres erant simillimi ollis, latitudo eorum multùm erat infra altitudinem; & ideò pelvi dissimiles. Vidimus thronum Regis & *chijor* appellari, quia nempe quasi in illo infusus Rex sederet; absurdum autem fuisset, latius fuisse hoc sedile, quàm altum. His argumentis adductus ollæ formâ donavi luteres, & imposui operculum; quia id consuetum erat, & quasi præceptum ex lege Dei, ut videre est Numerorum capite 20. v. 15. *Vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam*, quâ nempe operculum cum vase conjun-
C geretur, *desuper, immundum erit.* Supra innui operculum necessarium fuisse luteribus, quia aquis pleni trahebantur per atrium quocumque opus esset lotione. Certè si patuli fuissent & aperti instar pelvium, omnis aqua statim excussa fuisset impetu commotæ baseos.

Luter ergo cùm chijor fuerit; quis fingendi locus factas in eo ipso lotiones. Vas illud, quod Moyses fecit è speculis mulierum, & chijor appellabatur, ut luteres de quibus sermonem facimus; sed demonstravimus non in vase Mosaïco factas lotiones, sed in aquis hujus vasis. Villalpandus pugnat pro sententiâ oppositâ, allegans Rabbi Davidem in libro de Radicibus; qui illud discrimen statuit in-
D ter mare æneum & luteres, quod ex illo per ora, sive foramina egrediebatur aqua, quando Sacerdotes lavabant manus pedesque; in his verò lavaretur caro, nec haberent ora, nec jugem aquam. Rabbi Davidem non moror; qui de re notâ non loquitur. Facilè autem respondebo Villalpando, qui in argumentum, quòd lotiones fierent intra ipsos luteres, adducit pravum facinus filiorum Heli. Illi, ut narratur primo Samuelis capite secundo, in *chijor*, in ollam fuscinulas immittebant, quibus educerent carnes; quæ, inquit Villalpandus, erant causâ lavacri in luteribus, quibus competit nomen *chijor.* Ad puerum quo ministro utebantur filii Heli, dicebant offerentes: *Incendatur primùm juxta morem*
E *hodie adeps, & tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua.* Hoc est, inquit Villalpandus, sine ablui carnes, & ubi adeps incensus fuerit, tolles quidquid desideras.

Fallitur, aut fallit ille. Reipsa in chijor mittebant fuscinulas suas filii Heli; quod nomen chijor redditur eo in loco λουτὴρ *luter* in editione Complutensi; sed in Romanâ meliùs λέβης *lebes.* Nomen chijor propriè denotat *ollam*, & ob similitudinem labrum de quo loquimur, videlicet luterem. Sed ambiguitatem omnem tollunt quæ narrantur de filiis Heli: neque enim ullâ ratione de lavacro agebatur; sed de carnibus quæ in ollis coquebantur. *Quicumque immolasset victimam, veniebat puer Sacerdotis dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu suâ: & mittebat eam in*

lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, five in cacabum; & omne quod levabat fuſcinula, tollebat Sacerdos ſibi. Nomina illa כיור & דוד & קלחת & פרור indicant vaſa apta coquendis carnibus Hieronymus כיור reddit *lebetem.* LXX Romanæ editionis τὸν λέβητα μέγαν, דוד Hieronymus *caldariam*: LXX. τὸ χαλκεῖον *ahenum,* קלחת. Hieronymus *ollam*: LXX. τὴν χύτραν. פרור Hieronymus *cacabum.* Itaque fallitur Villalpandus, cùm ibi labrum intelligit, in quo carnes lavarentur. Arguunt errorem ejus hæc verba pueri Sacerdotum ad offerentes. *Da mihi carnem ut coquam Sacerdoti*; [meliùs juxta fontem, da carnem aſſandam pro Sacerdote] *non enim accipiam à te carnem coctam ſed crudam.*

Tandem revertamur ad verſiculum, quem explicandum ſuſcepimus. Poſtrema illa verba ejus: *ſingulos quoque luteres per ſingulas, id eſt, decem baſes, poſuit.* Illa, inquam, verba admonent luteres omnes diſtinctos fuiſſe à baſi, & ſeparari potuiſſe; undè his curavimus apponi manubria, ſive capulos, quibus manu tenerentur, cùm deponendi erant ex baſi ſuâ, vel rurſus imponendi. Ultimum tandem verſiculum Scripturæ de illis luteribus exponam.

39. *Et conſtituit decem baſes, quinque ad dexteram partem templi, & quinque ad ſiniſtram.* Id eſt, fecit Salomon ut collocarentur, ſive potiùs trahi poſſent. Etenim non ut mare æneum fixas ſedes habebat quiſque luter, ſed ambulatorias. Aliter non baſibus luterum Salomon ſubjeciſſet rotas: quod fecit ut traherentur ad loca, ubi lavacro opus. Conjicio certis temporibus deductos luteres ad conclave putei, ſive ad receptacula aquarum, quæ erant in hoc conclavi, undè per canales ex ſuperioribus receptaculis influebant aquæ in luteres, qui licet pleni deducebantur hùc illùc facili negotio ob ſuppoſitas rotas.

SECTIO VI.

Quam luterum, & baſis eorum deſcriptionem facit Joſephus, convenit delineationi noſtræ.

TOt tantiſque difficultatibus locus Scripturæ, in quo erramus, circumvallatus eſt; & tam longè abimus à cæteris Interpretibus, ut omnia, quibus colluſtrari poſſit locus ille, lumina colligere deceat. Joſephus non curſim perſtrinxit luteres, & baſes eorum. Pro ratione ſtili hiſtorici fuſo ſatis ſermone proſequitur eorum deſcriptionem. Sæpiùs templum ingreſſus fuerat primis annis ætatis ſuæ; & in eo defunctus munere Sacerdotali, ſiquidem ipſe Sacerdos. Ergo viderat luteres, quorum tunc uſus erat, forſan non omnino ſimiles Salomonicis, ſed nec ita abſimiles; ut ex illis non fuerit difficile interpretari loca Scripturæ, ubi antiquorum luterum ſit mentio. Inſuper vel legendo vetuſta monumenta, vel fando potuerat ea reſciſcere, quibus adjutus eſt, deſcribens antiquos luteres. Igitur operæ pretium erit hanc deſcriptionem exponere non ſegniter. Occurrit in libro octavo Antiquitatum Judaïcarum capite tertio. Verba Joſephi integra profero cum interpretatione Latinâ Sigiſmundi Gelenii.

Ἐποίησε δὲ καὶ λουτήρων δέκα βάσεις χαλκᾶς, τετραγώνους. Τούτων ἑκάστη μῆκος μὲν ἦν πηχῶν πέντε, πλάτος τεσσάρων, ὕψος ἕξ.

Fecit præterea labrorum decem baſes æneas quadrangulas. Harum quæque longitudine fuit cubitorum quinque, latitudine quatuor, altitudine trium.

Alias menſuras baſibus luterum aſſignat Scriptu-

A ra; quæ eas facit longas & latas quatuor cubitorum, altas trium cubitorum. Æquum eſt non ipſi Joſepho, ſed Librariis aſcribere hunc manifeſtum errorem. Olim ſcriptores notis numericis utebantur, circa quas ſæpiùs ſcribæ erraverunt.

Συνεκέκλειστο δὲ τὸ ἔργον κατὰ μέρος τετορνευμένον, οὕτως· τέσσαρες ἦσαν κιονίσκοι κατὰ γωνίαν ἑστῶτες, τετραγώνοι, τὰ πλευρὰ τῆς βάσεως ἐξ ἑκατέρου μέρους ἐν αὐτοῖς ἔχοντες ἐξηρμοσμένα.

Hujus operis partes ſeorſim fabricatæ ſic compingebantur. Quatuor erant columellæ per totidem angulos diſpoſitæ, quadrangulæ, quibus latera baſeum utrinque inſerebantur.

Obſcuram vocem *ſchelabim* clarè interpretatur B Joſephus. Columellæ erant juxta illum in quatuor angulis baſeum, quæ totum opus colligabant, & his inſerebantur latera.

Ἦν δὲ ταῦτα τριχῆ διῃρημένα, ἑκάστην δὲ χώραν ὅρος ἐπεῖχεν εἰς ὑπόβασιν κατεσκευασμένον. Ἐφ' οἷς ἐπετόρνευτο, πῇ μὲν λέων, πῇ δὲ ταῦρος καὶ ἀετός.

Erant autem hæc tripartita, & inter juncturas cælaturis diſtincta, alibi leonis effigies, tauri alibi, & aquilæ.

Pro τριχῆ *trifariam*, ultro reponerem τετραχῆ *quadrifariam.* Etenim quatuor angulos habebant illæ baſes, quatuor latera. Forſan deceptus eſt Librarius, quia non memorat Joſephus quartum Cherubim, nempe *hominem.* Verſio Latina manca eſt, non enim exprimit id omne quod auctor dicit; C Ἑκάστην δὲ χώραν ὅρος ἐπεῖχεν εἰς ὑπόβασιν ibi ὅρος ſignificat cippum erectum, qui occupabat quamque regionem, ſive quatuor angulos. Eam ſignificationem habet vox Græca ὅρος. Cippus eſt, ſive quidpiam erectum quo definiuntur limites. Nimirum columella erat in unoquoque angulo præparata, ut eſſet ὑπόβασις *baſis.* Exprimit Joſephus Cherubim, quorum manibus portabatur pes luteris: memorat leonem, taurum, aquilam. Prætermiſit hominem, quia Gentilibus quorum gratia ſcribit, non omnem formam Cherubim explicatam voluit: ideò & ſermonem ſuum aliquâ caligine involvit.

Ἐπὶ δὲ τῶν κιονίσκων ὁμοίως ἐξείργαστο τοῖς κατὰ πλευρὰν τετορνευμένοις.

Columellæ quoque eiſdem cælaturis erant ornatæ.

D

Columellæ ſcilicet pariter cælaturis erant exornatæ.

Τὸ δὲ πᾶν ἔργον ἐπὶ τεσσάρων ἑωρούμενον τροχῶν εἱστήκει. Χωνευτοὶ δ' ἦσαν οὗτοι, πλήμνας καὶ ἄντυγας πήχεως καὶ ἡμίσους ἔχοντες τὴν διάμετρον. Ἐθαύμασεν ἄν τις τὰς ἁψῖδας τῶν τροχῶν θεασάμενος, πῶς συντετορνευμέναι καὶ τοῖς πλευροῖς τῶν βάσεων προσηνωμέναι ἁρμονίως ταῖς ἄντυξιν ἐνέκειντο. Ἦσαν δ' ὅμως οὕτως ἔχουσαι.

Totum verò opus quatuor rotis ſuſpendebatur, quæ fuſiles erant, habebantque modiolos & radios ſeſquicubitali inter utramque extremitatem intervallo. Eratque mirum videre rotarum circumferentiam, quomodo luteribus baſium coaptatæ canthis ſuis inſiſtebant.

E

Similes erant omnes illæ baſes, quas pergit deſcribere Joſephus, commendans artem quâ fuerant elaboratæ.

Τὰς δὲ γωνίας ἄνωθεν συνέκλειον ὦμοι χειρῶν ἀνατεταμένων, οἷς ἐπικάθητο σπεῖρα κατὰ κοῖλον ἐπικειμένη τοῦ λουτῆρος ταῖς χερσὶν ἐπαναπαυομένη ἀετοῦ καὶ λέοντος αὐταῖς ἐφηρμοσμένων, ὡς σύμφυτα ταῦτ' εἶναι δοκεῖν τοῖς ὁρῶσι, μεταξὺ δὲ τούτων φοίνικες ἦσαν τετορνευμένοι.

*Angulos autem ſupernè continebant fuſiles humeruli manuum extenſarum. His impoſita erat ſpira, cui labrum injerebatur, ita ut manibus ſuſtineri videretur, quâ parte effigies leonum & aquilarum ſic erant adaptatæ, ut connatas putares, intervenientibus

inter eas palmarum arbusculis. A

Græcos Gentiles in admirationem adducere satagit Josephus; perfectam verò imaginem non eis subjicit, quasi permiscens omnes ejus lineas, ut dum hæc legerent, conciperent quidem hîc describi rem admiratione dignam, sed neutiquam quid ipsa esset. Non, inquam, satis liquidò dicit Josephus quid sit res ipsa quam describit; sed descriptionem ejus luculenter explicat delineatio nostra. Dictorum Cherubim manibus portabatur pes luteris. Humeri eorum apparebant, quia obvertebant facies versùs hunc pedem. Sic autem conjungebantur partes diversæ, quibus constabant Cherubim, ut connatæ viderentur. Leo, aquila, taurus, homo in singulis Cherubim quasi in unam formam coalescebant. Quod autem ibi memoret palmas Josephus, causam aperuimus. Errorem antiquum scribarum non deprehenderat. B

Τοιαύτη μὲν ἡ κατασκευὴ τῶν δέκα βάσεων ὑπῆρχε. Προσεξειργάσατο δὲ κυθρογαύλους δέκα λυτῆρας στρογγύλους χαλκοῦς, ὧν ἕκαστος ἐχώρει τεσσαράκοντα χόας. Τὸ γὰρ ὕψος εἶχε τεσσάρων πηχῶν, καὶ τοσούτων ἀπ' ἀλλήλων αὐτοῖς διεστήκει τὰ χείλη.

Atque hæc fuit decem basium structura. Deinde ex eodem ære fecit decem labra rotunda conchæ specie, quorum quodque capiebat congios quadraginta. Erat enim altitudo quatuor cubitorum & tantumdem spatii patebat inter margines.

Interpres Latinus dicit hos luteres speciem habuisse *conchæ*; non ea est significatio nominis Græci. Κυθρογαύλοι enim sunt vasa inter ollas numeranda, ut indicat κύθρα, quòd ni fallor ibi ponitur pro χύτρα olla; quo nomine partim componitur κυθρογαύλος. Josephus batos Hebræos appellat Græcè χόας, & Interpres Latinus *congios*. Verùm congius Romanus erat tantùm sexta pars amphoræ; quæ cùm fieret quadrata, sive cubica, habebat in suis lateribus undecim pollices, sive pedem Romanum; batus verò decem pollices; ita batus multò major quàm congius. Supra observatum est Josephum aut ejus exscriptorem errasse assignando dimensiones luterum. C

Τίθησι δὲ τοὺς λυτῆρας τούτους ἐπὶ τῶν δέκα βάσεων τῶν κληθεισῶν μεχωνώθ. Πέντε δὲ λυτῆρας ἐξ ἀριστεροῦ μέρους τοῦ ναοῦ· ἐτέτραπτο δὲ τοῦτο κατὰ βορέαν ἄνεμον. καὶ τοσούτους ἐκ τοῦ δεξιοῦ πρὸς νότον ἀφορῶντας εἰς τὴν ἀνατολήν. κατὰ δ' αὐτὸ καὶ τὴν θάλασσαν ἀνέθηκε.

Ea labra decem illis basibus imposuit, quas mechonoth suâ linguâ appellabant. Horum quinque ad sinistrum latus templi septentrionale collocavit; totidem ad dextrum australe; ita ut Orientem spectarent: quo loco etiam mare dedicavit. D

Hæc nullâ explicatione indigent. Sic collocavit Salomon hos luteres, ut essent in lateribus faciei ædis sacræ, quinque in parte australi, quinque in septentrionali, ita dispositi ut Orientem spectarent. E Coronidem imponamus huicce longiusculæ dissertationi, cum his ultimis verbis descriptionis quam instruit Josephus.

Πληρώσας δὲ ὕδατος, τὴν μὲν θάλασσαν ἀπέδειξεν εἰς τὸ νίπτειν τοὺς εἰς τὸν ναὸν εἰσιόντας ἱερεῖς ἐν αὐτῇ τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας, μέλλοντας ἀναβαίνειν ἐπὶ τὸν βωμόν. τοὺς δὲ λυτῆρας, εἰς τὸ καθαίρειν τὰ ἐντὸς τῶν ὁλοκαυτωματουμένων ζώων καὶ τοὺς πόδας αὐτῶν.

Omnibus deinde aquâ repletis, mare quidem in eum usum assignavit, ut indè Sacerdotes templum ingredientes manus ac pedes abluerent, ad altare ascensuri: labra autem, ut eorum aquâ purgarentur intestina ac pedes animantium ad holocautoma destinatorum.

A Contigit Josepho, & omnibus aliis Hebræis, qui Græcè scripserunt, ut morem consuetum loquendi servarent; nempe Græcè scribendo ipsi hebraïsarent. Itaque cùm in diversos sensus Hebræi usurpent easdem propositiones, sive literas serviles; ita & diversos sensus tribuunt particulis Græcis; promiscuè illis utentes. Vidimus literam ב beth significare *in, per, ex:* ad quod advertentes possumus interpretari Josephum, ut ipsi interpretati sumus fontem, & statuere quòd ἐν αὐτῇ sensum habeat in hoc loco διὰ τῆς αὐτῆς, hoc est, *per illam aquam*. Vidimus enim non in ipsis luteribus lotas carnes, sed aquis salientibus ex illis. Interpres Latinus vertit τῶν ὁλοκαυτωματουμένων *ad holocautoma destinatorum*. Id B rectè; lavabantur enim aquis luterum intestina & pedes victimarum quæ destinabantur flammis altaris. Attexam descriptionem horum luterum compendiosam, quam Theodoretus videtur exscribere ex Josepho, in suis quæstionibus in libros Regum. *Porro Mechonoth liber Paralipomenorum appellavit luteres. Josephus autem Mechonoth dixit bases esse, chytrogaulos autem luteres basibus impositos. In his autem lavabant hostias, & earum intestina & earum pedes. Hoc enim apertè docuit liber Paralipomenon. Ad lavandas enim, inquit, in eis hostias holocaustorum & in eis emundandas. Mare autem ad lavandum in eo Sacerdotes. Has autem luterum bases, quas appellavit Mechonoth, dixit constructas* C *fuisse quadratas, habentes rotas subjectas similes rotis currûs. Ea autem habebant sursum expressas manuum effigies, ferentes circulum, coronæ similem, cui imponebatur luter.* Theodoretus non aliam formam luteribus Salomonicis assignat, quam quæ à nobis repræsentata est.

CAPUT VII.

De facie & decore ædis sacræ; tum de ejus vestibuli gradibus, ornamentis, vite aureâ, & velo Babylonio, quod ante fores expandebatur. D

SECTIO I.

Decora erat facies ædis sacræ, rutilans aureis ornamentis.

IN ordinandâ templi descriptione, non alia methodus mihi visa est perspicuior, quàm partes illius suscipere explicandas eâ serie, quâ mihi occurrerent consideranda, si in perlustrando templo a viro perito & prudenti quasi ducerer manu. Quidquid in atrio Sacerdotum animadversione dignum erat circumspexi, priùs circumlustratis ædificii conclavibus, gazophylaciis quibus illud atrium circumdabatur. E Pergam igitur iter, tandem subiturus, si liceat, sacrum penetrale templi; sed facies ejus, & vestibulum quod ante sacram ædem patebat, admirando suo decore ita perstringunt oculos, ut cogar gradum sistere; nec pedem insistere possim gradibus vestibuli, quin suspexerim priùs decorem hujusce exterioris faciei. Gratissimam fuisse declarat Josephus libro sexto de Bello cap. 6. Τὸ δ' ἔξωθεν αὐτοῦ πρόσωπον, οὐδὲν οὔτε εἰς ψυχῆς, οὔτε εἰς ὀμμάτων ἔκπληξιν ἀπέλειπε. πλαξὶ γὰρ χρυσοῦ στιβαραῖς κεκαλυμμένος πάντοθεν, ὑπὸ τὰς πρώτας ἀνατολὰς, πυρωδεστάτην ἀπέπαλλεν αὐγὴν, καὶ τῶν βιαζομένων ἰδεῖν τὰς ὄψεις, ὥσπερ ἡλιακαῖς ἀκτῖσιν ἀπέστρεφε. Τοῖς γε μὴν εἰσαφικνουμένοις ξένοις πόρρωθεν ὅμοιος ὄρει χιόνος πλήρει κατεφαίνετο. καὶ γὰρ κατὰ μὴ κεχρύσωτο, λευκότατος ἦν. *Exterior autem facies nullâ re carebat, quam animus aut oculi mirarentur; crustis*

enim aureis gravissimis undique tecta, nempe non A tenuibus bracteis aureis, sed laminis ex auro obducta, *circa ortum solis reddebat igneum splendorem*; nempe quia hæc facies respiciebat ortum solis. Male Rufinus interpretatur: *ultra primos ortus igneo splendore lucebat*. ὑπὸ τὰς πρώτας ἀνατολάς. Ibi ὑπὸ cum accusativo casu indicat tempus orientis solis. Pergam novâ versione interpretari quod Græcè protuli. *Ut si qui contenderent intueri, oculi eorum quasi solis radiis averterentur. His autem qui peregrè advenirent, procul monti niveo facies illa videbatur similis; nam ubi deaurata non erat, candida erat*; videlicet constructa ex marmore incomparabilis candoris, adeò ut culmina Libani nive conspersa referre videretur templum; quod propter altitudinem à multis stadiis erat conspicuum. B

Clarè indicat Josephus totam ipsam faciem ædis sacræ non fuisse aureis laminis obtectam; quæ itaque non sine arte dispositæ erant. Frons vestibuli & superliminaria constabant transversis ligneis trabibus, ut modò evincam: trabes autem illæ gravissimis crustis aureis obducebantur; ita non dedecorabant opus. Præterea non solùm zophori [intelligitur pars illa supra epistylium, quæ exornatur interdum animalium imaginibus & diversis scalpturis] sed & tota ipsa facies opplebatur coronis, scutis aureis, & similibus ornamentis, quæ diversis temporibus fuerant superaddita; ut factum narratur à Macchabæis lib. 1. cap. 4. v. 57. Καὶ κατεκόσμησαν τὸ κατὰ πρόσωπον τοῦ ναοῦ στεφάνοις χρυσοῖς καὶ ἀσπιδίσκαις. *Et ornaverunt faciem templi coronis aureis & scutulis*. Id ante Macchabæorum tempora consuetum fuerat. Sic jusserat Deus Zachariæ Prophetæ cap. 6. v. 11. *Et sumes aurum & argentum*, quod illi ex collatione exsulum ferunt in templi, quod jam struetur, ornamentum, *& facies coronas, & pones in capite Jesu filii Josedec Sacerdotis magni*, coronas duas unam videlicet regni & alteram Sacerdotii. Nam is cujus typum gerebat Jesu, sive Josue, simul & Rex erat & Sacerdos. Significabat Zacharias conjunctionem utriusque dignitatis in Christo. Coronæ autem illæ suspendendæ erant in templo, ut innuit Propheta v. 14. *Et coronæ erunt Helem, & Tobiæ, & Idaiæ, & Hem, filio Sophoniæ, memoriale in templo Domini*. Suspendentur in templo, vel potiùs D affigentur faciei templi, annotato nomine eorum, qui eas ritè dicarunt. Non retinuere sibi coronas aut Sacerdos aut princeps. Nam eâ ætate nefas habebatur, ut ad hunc locum annotat Grotius, extra summam & inevitabilem necessitatem, Deo devota in privatos usus vertere; neque is, qui tunc contemptus sit numinis, rerumque sacrarum, invaserat animos.

Id in moribus gentium erat, templa, aras Deorum suorum coronis aureis exornare; quod multis docet Carolus Paschalius in suis libris de Coronâ; quem & honorem conferre voluit templo Hierosolymitano Sosius, priusquàm ab Hierosolymis quæ expugnaverat, discederet Σόσιος δὲ χρυσοῦν ἀναθεὶς τῷ Θεῷ στέφανον ἀνέζευξεν ἀπὸ Ἱεροσολύμων. *Sosius autem consecratâ Deo coronâ aureâ profectus est Hierosolymis*. Hæc Josephus in fine libri decimi quarti Antiquitatum. Quid autem essent illa scutula, quibus Macchabæi putaverunt faciem templi posse decorari? Puto illa scutula detracta fuisse hostibus, quos devicerant, & in monumentum affixa templo; quod & postea fecisse Herodem adstruit Josephus libro decimo quinto capite 14. περὶ δὲ τὸ ἱερὸν παντὸς ἦν ἐν κύκλῳ πεπηγμένα σκῦλα βαρβαρικά, καὶ ταῦτα πάντα βασιλεὺς Ἡρώδης ἀνέθηκε προσθεὶς ὅσα καὶ τῶν Ἀράβων ἔλαβε. *Circum templum affixa erant spolia barbarica, quæ omnia Herodes denuò dedicavit: additis etiam recentibus Arabicis*. Et solebant Gentiles scuta affigere templis Deorum suorum, ut libro superiori diximus. Memorat Herodotus lib. 1. ingentem clypeum ex auro, qui positus erat in vestibulo templi Delphici. Facies templi à primis temporibus exornata erat multo auro; quod Antiochus detraxit & secum asportavit, ut legimus in capite primo primi libri Macchabæorum v. 22. *Et intravit* Antiochus *in sanctificationem*, εἰς τὸ ἁγίασμα, *in locum sanctum, in atria cum superbiâ & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & universa vasa ejus, & mensam propositionis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea, & velum, & coronas, & ornamentum aureum, quod in facie templi erat, & comminuit omnia*. Postrema illa verba legenda sunt in fonte Græco. Καὶ τὸ καταπέτασμα, καὶ τοὺς στεφάνους, καὶ τὸν κόσμον τὸν χρυσοῦν τὸν κατὰ πρόσωπον τοῦ ναοῦ, καὶ ἐλέπισε πάντα. Modò videbimus velum illud, quod erat expansum ante fores ædis sacræ, fuisse pretiosissimum. Multæ coronæ erant dispositæ in illâ templi facie, quæ rutilabat auro, ut vidimus; obducta gravissimis crustis aureis. Illas crustas detraxit Antiochus καὶ ἐλέπισε πάντα, id est, *decorticavit omnia*. Vulgatus Interpres verbum illud Græcum reddit minùs propriè: *Et comminuit omnia*; quasi non potuisset Antiochus detrahere illas aureas crustas, nisi omnia comminueret, atque in minutas partes dissolveret. Illud autem ἐλέπισε *decorticavit*, demonstrat templum tenuissimis bracteolis non fuisse inauratum, quæ ubi superinductæ sunt, haud possunt detrahi. Summum ergo erat pretium harum laminarum aurearum.

SECTIO II.

Quid sit ista aurea aquila, quâ Herodes faciem ædis sacræ decoraverat.

Inter anathemata, sive dona quibus exornata erat facies ædis sacræ, recenseri debet aquila aurea, sive avis fuerit, sive ornamenti quoddam genus dedicatum ab Herode. Hocce anathema ideò Josephus celebravit, quia occasionem dederat seditioni. Cùm enim ista aquila, quæquæ fuerit forma ejus, displicuisset viris piis, hi eam detrahendam susceperunt. Rem narrat Josephus in Antiquitatibus lib. 17. cap. 8. *Judas Sariphæi filius, & Mathias Margalothi doctissimi erant Judæorum, & Interpretes patriæ legis præstantissimi, ob idque cari populo, quòd juventutem disciplinis instituerent. Totis enim diebus eis dabant operam quotquot cupiebant in virtute proficere. Hi postquàm cognoverunt morbum Regis esse incurabilem*, sermo est de Herode, *concitaverunt juventutem, ut sublatis operibus, quæ Rex præter patriam consuetudinem fecerat, propugnatores pietatis se ostenderent, debitum indè expectantes præmium. Nam hanc esse Regi causam cum calamitatum domesticarum, tum postremo præsentis morbi, videlicet quòd contemptis legibus multa novare ausus sit. Nam hac parte multis in rebus pietatem Regis hi doctores desiderabant. Intra cætera, supra majorem portam templi dedicaverat donum pretiosum, aquilam auream magni ponderis*, ὑπὲρ τοῦ πυλῶνος μεγάλου τοῦ ναοῦ ἀνάθημα καὶ λίαν πολυτελὲς ἀετὸν χρυσοῦν μέγαν. Verterem, *super magno vestibulo ædis sacræ donum pretiosum locaverat nempe magnum* ἀετόν. Postea interpretabor hanc vocem Græcam. *Cùm lex nostros homines vetet imagines statuere, aut consecrare animantium effigies. Quamobrem doctores hi auctores erant suis discipulis, ut aquilam illam detraherent.... Hac exhortatione accensis juvenibus, rumor supervenit extinctum Regem nuntians, & propensos jam ad facinus perpulit. Itaque claro meridie ascenden-*

tes detractam aquilam consciderunt securibus, inspectante congregatâ in templum multitudine.

Eamdem rem tractat idem scriptor lib. 1. de Bello cap. 21. Doctores dicti & discipuli eorum, cùm audissent Herodem mœrore ac morbo tabescere, *apud notos loquebantur opportunum jam tempus esse, ut Deus vindicaretur, fabricataque adversùs leges patrias opera destruerentur. Si quidem in templo nefas sit, imagines, aut vultus, aut cujuslibet animalis cognomine aliquod opus reperiri* εἰκόνας, ἢ προτομὰς, ἢ ζώου τινὸς ἐπώνυμον ἔργον εἶναι. *Hoc propterea dicebatur, quòd supra maximam portam templi aquilam collocaverat auream.* Discipuli parentes monitis magistrorum, cùm audissent Regem ferè mortuum, *ipso meridie quum plurima multitudo versaretur in templo* κατὰ τὸ ἱερὸν in atrio, *crassis demissi funibus ex tecto aquilam auream securibus abscindebant.*

Nullus est dubitandi locus quin in facie templi, quam nunc suspicimus, collocata sit aquila aurea. Sæpiùs observatum est à Josepho, etiam à scriptoribus sacris vocem ναὸς non usurpari nisi de æde sacrâ. Itaque dum dicit Josephus positam aquilam supra vestibulum magnum, vel magnam portam τοῦ ναοῦ, necessariò intelligenda est facies ædis sacræ. In nullum hactenus incidi scriptorem, qui hanc aquilam non acceperit pro ave; quam cùm insigne esset Romanorum, Herodes ut his rem gratam faceret, statuerit in ipsâ ædis sacræ fronte. *Præerat aquila*, inquit Josephus lib. 3. de Bello cap. 5. *omnibus apud Romanos agminibus, quod & universarum avium regnum habeat, & sit validissima. Itaque illam & principatûs insigne putant, & omen victoriæ, quoscumque bello petierint.* Poterat quidem Herodes aquilæ imagine, tanquam Romanorum insigni, exornasse faciem ædis sacræ, ut hac re illis se subditum significaret. Verùm priusquàm hanc sententiam, Lector, amplectaris, pensita diversas vocis ἀετὸς significationes, ut judices quæ ibi illi conveniat. Consule lexica, & disces non solùm pro avi, sed & pro fastigio acuminato ædificii usurpari. Ἀετὸς *ædificiorum dicitur* τὸ κατὰ τὴν ὄροφον, *pars illa in tecto, quam nonnulli* ἀέτωμα, *id est, fastigium domûs, aquilæ speciem repræsentans, appellant*, inquit Interpres Latinus Arpocrationis. Citat Pollux veteris Poëtæ illud ἐρέψομεν πρὸς ἀετὸν, quod indicat fastigium tecti. Suidas non aliter definit hanc vocem, cùm sumitur pro parte ædificii. Itaque nomen ἀετὸς ambiguum est; cùm & sumatur pro fastigio, quod eâ formâ est, quæ vulgò dicitur *le fronton.* Sed potissimum significat tympanum, quod triangulare est planum in fastigii coronicibus circumclusum, habens summitatem in medio. Hoc propriè dicebatur ἀέτωμα, quod sic interpretatur Galenus in lexico Hippocratis ἀέτωμα τὸ εἰς ὕψος ἀνατεταμένον τῆς ὀροφῆς ὥσπερ τρίγωνον. Nempe est fastigium habens triangularem formam; quod & confirmat Eustathius, & causam nominis reddit in Iliade Ω. Γέγονεν ὅτι ἐκ τοῦ ἀετοῦ τοῦ ζώου καὶ μέρος τι τῶν ναῶν, οὐ μόνον ἀέτωμα ἐλέγετο, ἀλλὰ καὶ ἀετὸς διὰ τὸ ἐοικέναι φασὶ πτέρυξιν ἀετοῦ. Quia scilicet referret speciem aquilæ dimittentis alas. Itaque ἀετὸς profundior pars est fastigii, Italis *il spondato del frontispicio.* Cùm omni sermone disertior sit descriptio quæ fit lineis, cernis, Lector, ob oculos tuos ἀέτωμα, sive ἀετὸν, nempe tympanum, cujus profundior pars, ut solebat fieri, exornata est aliquibus figuris, quæ memoriale erant.

Ne quis dicat id dici gratis, proferam nonnulla exempla ex Pausaniâ, qui in descriptione Græciæ recenset egregia templa, & in illis peritiorum artificum elegantiora signa, tabellas; quæ omnia appellabantur ἀναθήματα, id est, dona quæ consecrabantur, & sursum ponebantur in templis; ita ut hoc nomine nuncupentur signa, & cætera ornamenta, donaria, quæ dicata Diis, appendebantur parietibus & columnis templi, aut ex lacunaribus suspendebantur. Sæpiùs autem dictus auctor memorat illam partem quæ nominabatur ἀετὸς, & historias quæ ibi exhibebantur ab Architectis, in perenne monumentum. *Sicyonii*, inquit ille in Corynthiacis, *corpus terrâ contegunt, deinde lapideâ basi extructâ columnas erigunt, iisque fastigium imponunt; eo ferè modo quo aquilas in templis.* Καὶ ἐπ' αὐτοῖς ἐπίθημα ποιοῦσι κατὰ τοὺς ἀετοὺς μάλιστα τοὺς ἐν τοῖς ναοῖς. Similiter in Eliacorum priori libro clarè significat ἀετὸν esse fastigium templi; ibi enim dimetiens altitudinem cujusdam templi: *altitudo*, inquit, *ejus ab imâ areâ ad aquilam pedes octo & sexaginta.* Ὕψος μὲν δὴ αὐτῷ τοῦτο ἐς τὸν ἀετὸν ἀνήκον εἰσὶν οἱ ὀκτὼ πόδες καὶ ἑξήκοντα. Latinus Interpres in novissimâ editione cum posuisset, *surgit in altitudinem ab imâ areâ ad aquilas*, addit, *quæ tecti fastigium sustinent.* Quâ additione aperit sibi fuisse ignotum quid per illas aquilas intelligendum esset; in quo idem Interpres peccat in Atticis, eam partem habens pro testitudine. *In eo verò templo, quod Parthenona appellant ac testudinis eâ parte quæ aquilæ dicuntur*, sic interpretatur ἀετοὺς *signa posita sunt ad Minervæ natales pertinentia.* Verus sensus Pausaniæ est; in tympano hujus templi signa fuisse posita, quæ ad natales Minervæ pertinebant. In templis autem, tum anteriori; tum posteriori parte erat tympanum; in utriusque profundiori parte disponebantur signa. Ibi autem narrat Pausanias in postico, id est, in posterioris partis tympano fuisse Minervæ & Neptuni de Atticâ regione certamen. In Corinthiacis ista legimus. Τὰ δὲ ἐν τοῖς ἀετοῖς, Ἡρακλῆς καὶ νίκαι πρὸς τοῖς πέρασιν εἰσιν. *In iis fastigii partibus, quas aquilas vocant, Hercules insistit: in extremis, victoriæ signa.* In priori libro Eliacorum. Τὰ δὲ ἐν τοῖς ἀετοῖς, ἔστιν ἔμπροσθεν Πέλοπος ἡ πρὸς Οἰνόμαον τῶν ἵππων ἅμιλλα. . . . . Διὸς δὲ ἀγάλματος κατὰ μέσον πεποιημένου μάλιστα τὸν ἀετόν. *Sub ipsis templi lacunaribus*, sic ibi reddit Interpres. τὰ ἐν τοῖς ἀετοῖς, *in anticâ parte signa sunt, apparatum certaminis inter Pelopem & Oenomaum testantia. Signo Jovis medius imminet lacunaris vertex.* Non omittenda quæ idem Pausanias paulò post subjicit, ubi Interpres ejus pergit accipere ἀετὸν pro *testudine*, in quo graviter errat; testudo enim in ædificio est interior fornix, sive camera testudinei tegminis instar convexa. Ἀετὸς autem est exterior pars. Sic loquitur Pausanias. Τὰ δὲ ἐν τοῖς ἀετοῖς ἐστιν αὐτῷ Λαπιθῶν ἐν τῷ Πειρίθου γάμῳ πρὸς κενταύρους μάχη. Κατὰ δὴ τοῦ ἀετοῦ μέσον, Πειρίθους ἐστι, &c. *In ipsâ testudine*, potiùs in aquilâ, aut in tympano, *lapithæ cum centauris in Pirithoi nuptiis pugnant. In mediâ lacunaris parte*, aquilæ, *est Pirithous, &c.* Pariter Latinus Interpres ἀετοὺς interpretatur *tholum*, quod nomen ejusdem est significationis ac testudo, nisi quod tholus propriè erat umbilicus testudinis in templis, ex quo donaria suspendi solebant. Ita Pausanias in Beoticis. Θηβαίοις δὲ τὰ ἐν τοῖς ἀετοῖς Πραξιτέλης ἐποίησε τὰ πολλὰ τῶν δώδεκα καλουμένων ἄθλων. *Thebanis sub ipso templi culmine circa tholum*, ita reddit ἀετοὺς Latinus Interpres, *complures ex duodecim Herculis laboribus fecit Praxiteles.* Denique in Phocaicis & aquilarum facit mentionem Pausanias. Τὰ δὲ ἐν τοῖς ἀετοῖς, ἐστιν Ἄρτεμις, καὶ Λητὼ, καὶ Ἀπόλλων, καὶ Μοῦσαι. *In ipsis fastigium sustinentibus aquilis*: sic aquilas interpretatur qui Latinè reddidit Pausaniam, *sunt Diana, Latona, Apollo Musæ . . . . .* τὰ δὲ ἀπολειπόμενα τοῦ ἐν τοῖς ἀετοῖς κόσμου ἐποίησεν Ἀνδροσθένης. *Reliqua aquilarum ornamenta absolvit Androsthenes.*

Hæc omnia testimonia congesti ad elucidationem vocis ambiguæ. Avem indicat & ornamentum, quo vix ullum superbum ædificium carebat; ideò non abludit appositum ædi sacræ ab Herode, qui de more in profunda & plana parte curaverit exprimenda signa. Qualia illa fuerint, nemo nisi va-

tes dicere possit. Forsan inseruit insignia gentis, A leones, boves, aquilas, quæ videbantur in vexillis Judæorum, & alias imagines; quod videtur innuere Josephus lib. 1. de Bello cap. 21. cum occasione τ͂ ἀετοῦ dicit nefas esse in templo cerni ἢ εἰκόνας imagines, ἢ προτομὰς, sic appellantur facies animalium, vel hominum umbilico tenus ἢ ζώου τινὸς ἐπώνυμον ἔργον, aut cujuslibet animalis cognomine opus. Ex his postremis verbis colligo ἀετὸν non fuisse avem, sed opus artificum, nempe partem ædificii; quod mutuaret suum nomen ab aliquo animali, nempe ab ave aquilâ. Tale opus adversabatur legi, quia in eo diversæ figuræ essent cælatæ. Ideò numerabatur inter Herodis opera contra legem. Si quidpiam aliud non fuisset quàm aquila avis, non ita zelus Judæorum exarsisset; si quidem templi Cherubim ex parte aquilis essent similes. B Ipse Josephus, ut vidimus, agnoscit aquilam avem in lateribus, quos fabricaverat Salomon.

Ἀετὸς, sive avis, sive quid piam aliud fuerit, templi fastigium occupabat, ut ex his verbis Josephi liquet in Antiq. μέσης ἡμέρας ἀνελθόντες κατέσπασάν τε καὶ πελέκεσιν ἐξέκοψαν τὸν ἀετόν. *Claro meridie ascendentes*, nempe juvenes, quos excitaverat Dei zelus, & exhortationes magistrorum, *extraxerunt, & securibus conciderunt aquilam* Nec sibi adversatur Josephus, cùm scribit in libro primo de Bello. Σχοίνοις παχέσιν καθιμήσαντες σφᾶς αὐτοὺς ἀπὸ τοῦ τέγους, τὸν χρυσοῦν ἐκεῖνον ἀετὸν ἐξέκοπτον πελέκεσιν. *Crassis demissis ex tecto funibus aquilam illam auream securibus abscindebant.* C Scilicet coronis tympani concludebat profundiorem partem, ubi erant signa qualiacumque fuerint. Quid tot securibus opus ad concidendam avem; quæ si unica fuerit ex solido auro, vix concidi poterat securibus? In nostro systemate, latus locus & capax multorum signorum, quæ potuere esse lignea obducta laminis aureis; undè appellatur à Josepho ἀνάθημα λίαν πολυτελὲς ἀετὸν χρύσεον μέγαν. Nempe dicit Herodem dedicasse donum valdè pretiosum, aquilàm auream magnam; de quâ quid sentiam protuli. Sentiat quisquis quid illi lubebit. In delineationibus faciei hujus de quâ nunc dissero, apposui tympanum, frontispicium ut fieri solet; sed in profundiori parte, non aliud exhibui quam avem aquilam; D ut maneat incertum an illa aquila Herodiana fuerit verè avis, vel pars ædificii hoc nomine vulgò appellata apud veteres Architectos.

SECTIO III.

De gradibus quibus ad vestibulum ædis sacræ ascendebatur. Hi gradus & spatium quod intercedebat inter & altare, fuit locus precum in diebus angustiæ.

COmmoti tam splendidâ ædis sacræ facie abrepti sumus à legitima susceptæ descriptionis serie. Decuisset enim exordium sumere ab ipsis gradibus, E quibus in vestibulum hujus ædis ascendebatur; postea considerare ejus tum mensuras, tum ornamenta. Numerum horum graduum non definit Scriptura, ut postea videbimus, exponentes Ezechielem; Josephus adnumerat duodenos lib. 6. de Bello cap 6 Αὐτὸς δ' ὁ ναὸς κατὰ μέσον κείμενος τὸ ἅγιον ἱερὸν, δώδεκα βαθμοῖς ἦν ἀναβατός. *Ista vero ædes sacra in mediis sanctis atriis posita duodecim gradibus ascendebatur.* Totidem gradus Thalmudistæ agnoscunt, de illis loquentes in codice Middoth, cap. 3. n. 6. *Fuit*, inquiunt, *spatium viginti duorum cubitorum inter altare &* האולם *haulam* (sic vestibulum appellatur in fonte Hebræo, ut modò dicemus) *Ubi duodecim gradus erant. Altitudo gradus erat dimidii cubiti, & retractio cubiti, deinde iterum retractio cubiti, retractio cubiti, postea areola trium cubitorum; iterum retractio cubiti, retractio cubiti, deinde areola trium cubitorum; & supremus gradus, post retractionem cubiti, retractionem cubiti, fuit areola quatuor cubitorum. Rabbi Jehuda inquit, supremus gradus post retractionem cubiti, retractionem cubiti habebat areolam quinque cubitorum.* Latere non potest eos qui Hebraice norunt, repetitionibus istis earumdem vocum significari distributionem horum graduum sic factam, ut post tres gradus quorum singulorum retractio erat unius cubiti, major succederet, nempe trium cubitorum, deinde quatuor cubitorum. A denotat communes retractiones unius cubiti. B duas alias majores trium cubitorum; & C supremum gradum, sive supremam retractionem quatuor cubitorum. Retractiones autem ibi sunt pars graduum ubi illi calcantur; quâ in significatione Vitruvius hocce nomen usurpat.

Audiamus Maimonidem ubi de iisdem gradibus loquitur. Cùm dixisset in tractatu de Domo electâ cap. 6. n. 4. atrium Sacerdotum altius fuisse atrio Israëlitarum, ita ut quispiam procedens versùs ædem, semper ascenderet, viam ejus pergens describere, ait: *per totum atrium Sacerdotum, per locum in quo situm erat altare, & per intermedium altaris & vestibulum spatium rectè procedebat. Hinc ascendebat in vestibulum duodecim gradibus, quorum singulis altitudo semicubitalis erat, & retractio semicubitalis. Vestibulum autem & templum totum in plano erat.* Ibi Maimonides a traditionibus Thalmudicis in retractionum mensurâ abit; quod in aliis quoque eidem insuetum non est, inquit Lempereur ad locum Middoth quem allegavimus ex ejus interpretatione. Latitudinem cujusque gradus facit parem altitudini, nempe semicubitalem. Consentit in altitudine cum Talmude. Area vestibuli, ut videbimus, altior erat atrio Sacerdotum sex cubitis; qui divisi in duodecim gradibus singuli erant altitudinis semicubitalis; quam Vitruvius lib. 3. cap. 3. probat in templorum gradibus. *Crassitudines autem eorum graduum ita finiendas censeo, ut neque crassiores dextante*, id est, 10 pollicibus, *neque tenuiores dodrante*, id est, 9 pollicibus, *sint collocatæ: sic enim durus non erit ascensus.* Semicubitus Hebræus est quidem pollicum decem, sed Parisinorum; qui paulo majores sunt Romanis. Architecti nunquam faciunt graduum latitudinem parem altitudini eorum, quod ibi supponit Maimonides, sed vulgò duplo majorem, quod Thalmudistæ sequuntur. *Retractiones autem graduum*, nempe latitudines *nec minus quàm sesquipedales*, id est, decem & octo pollicum, *nec plus quàm bipedales facienda videntur.* Nec majorum retractionum mentionem facit Maimonides. Attamen hîc obiter annotandum cum Lempereur *quòd Architecti observare soleant, ut Philander apud Vitruvium observavit, ut si pluribus gradibus conscendendum sit, retractio subinde fiat amplior, & velnti areola, ubi fessi respirare & quiescere possint: hoc, inquam, in hisce gradibus non fuisse neglectum, sed accuratiùs quàm in aliis ædificiis observatum. In illis enim post septimum vel nonum gradum areola requiritur; hic verò tertio loco recurrebat.* Talis areola vulgò Gallicè appellatur *Palier.*

Superatis duodecim vestibuli gradibus insistamus limini ejus. Proderit observasse quibus nominibus illud appellatum est. In fonte dicitur אולם *ulam*; quam vocem Symmachus interpretatur πρόπυλον, aquila πρόδομον; Theodotio ipsum verbum Hebraicum posuit, ut notat Hieronymus ad Joelis cap. 2. v. 17. scilicet Theodotio & septuaginta senes vocem Hebræam Græcis caracteribus tantùm expres-

ferunt αἰλὰμ. A Josepho hocce vestibulum appellatur A προπύλαιον & πρόναος. Spatium autem, quod interjacebat vestibulum & altare holocaustorum, videtur destinatum fuisse precibus, nempe in quo starent Sacerdotes, cùm suppliciter Deus orandus erat. Cùm autem usque ad limen orientale atrii interioris, sive Sacerdotum liceret unicuique Israelitæ mundo accedere; ita & cuique Sacerdoti propiùs ad ipsum vestibulum. Indè elicitur sensus horum verborum Joelis Prophetæ capite secundo v. 17. *Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini & dicent: parce Domine, parce populo tuo.* Nempe in die jejunii quod celebrandum dicit Propheta, ministri altaris, Sacerdotes, derelictis solitis muneribus altaris, in huncce locum convenient, inter B altare holocaustorum & vestibulum, forsan in ipsis vestibuli gradibus; & ibi prostrati, genua flectentes, preces cum fletibus effundent coram Deo. Locus ille congruus erat precibus; si quidem proximior ædi sacræ, quam non poterant subire nisi certis horis & vicibus. Tum in gradibus consistentes poterant videri à populo, qui forsan componebat se ad eorum exemplar & pariter lamentabatur. Huncce locum solemnibus supplicationibus destinatum fuisse colligimus insuper ex loco Ezechielis, ubi cap. 8. enumerat abominationes quas viderat in templo. Sic loquitur versu 16. *Et ecce in ostio templi Domini inter vestibulum & altare, quasi viginti quinque viri dorsa habentes contra templum Domini & facies ad Orientem, & adorabant ad ortum solis.* Queritur C Propheta, quod in eo ipso loco ubi ministri conversi ad ædem sacram solebant Deo supplicare; ibi plurimi tergum ipsi ædi sacræ obvertentes adorarent solem orientem.

In isto precum loco interfectus fuerat Zacharias, ut dicit Dominus apud Matthæum cap. 23. v. 35. *Inter templum & altare* μεταξὺ τοῦ ναοῦ καὶ τοῦ θυσιαστηρίου, id est, inter ædem sacram, cui nomen ναὸς proprium est, & altare, & ideo inter vestibulum & altare; quod augebat scelus Judæorum homicidarum. Ideo injustæ cædis memoriam revocabat Christus, sua crudelia facinora Judæis exprobrans. Prædicit eis quòd meritis suppliciis sint puniendi, *ut veniat*, inquit, *super vos omnis sanguis justus, qui effusus est* D *super terram à sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare.* Notus locus altaris ex antedictis; ita & notus locus hujus intercapedinis inter ædem sacram & altare. Sed quæritur quis ille Zacharias filius Barachiæ; qui eo in loco a Judæis occisus fuerit. Legimus in Paralipomenis lib. 2. cap. 24. quòd cùm Zacharias filius Joiadæ Sacerdotis, zelo repletus esset à Spiritu sancto, *stetit in conspectu populi & dixit eis, quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, & dereliquistis Dominum, ut derelinqueret vos? Qui congregati adversus eum, miserunt lapides juxta Regis imperium in atrio domûs Domini.* Hoc est, in area E subdiali, id enim vox Hebræa fontis חצר *chatser* denotat, nempe in atrio Sacerdotum, quod erat ante ædem sacram, quæ propriè dicebatur *domus Domini.* Sequitur in sacro codice: *Et non est recordatus Joas Rex misericordiæ, quam fecerat Joiada pater illius secum, sed interfecit filium ejus.* Non dicit liber Paralipomenorum in quâ parte atrii Sacerdotum interfectus sit Zacharias, sed vel ex aliquibus monumentis quæ non ampliùs extant, vel ex certis traditionibus constabat eâ ætate, quâ Christus versabatur in terris, cædem peractam intra ipsum vestibulum & altare. Scilicet, ut verisimile est, impetitus lapidibus Zacharias confugiebat ad ædem sacram, cùm propè eam obrutus est. Sed quis dicet, hic Zacharias Paralipomenorum nominatur filius Joiadæ, ille autem de quo loquitur Christus in Evangelio, filius Barachiæ. Nomina diversa sunt, sed omnes circumstantiæ unum & eumdem hominem demonstrant. Sæpiùs Judæi erant binomines; & novissimis temporibus, cùm eos magna circa prolationem nominis Dei religio incessisset, mutaverant quædam nomina, veriti ea pronuntiare, in quibus similes literæ nomini divino occurrerent. Sic qui in Evangelio dicitur Judas, pariter & Thadæus appellatur. Nunc Judæi cùm scribunt numeros, literis alphabeti sui ad hoc utentes, cavent ne conjungantur hæ duæ consonantes יה, à quibus incipit nomen Dei Jehova. Illæ duæ literæ conjunctæ notarent numerum quindenarium; pro illis autem literis יה, scribunt טו. Potest ergo fieri ut qui in Scripturis veteris instrumenti diceretur Jehoidas, quia hoc nomen incipit à dictis literis initialibus nominis Dei, jam ætate Domini nostri appellaretur Barachias; sic filius Joiadæ & filius Barachiæ idem est. Cætera quæ spectant hunc locum habentur in Commentariis Harmoniæ Evangelicæ.

Sunt Psalmi qui *graduum* appellantur, quorum primus Psalmus *Ad Dominum cùm tribularer*, in Vulgata 119. in Biblius Hebraicis 120. omnes in vehementi & singulari angustiâ decantati. Crederem ergo reipsâ decantatos aut recitatos in illis gradibus, quibus nunc insistimus, ubi solerent ministri altaris in diebus jejunii & afflictionis plorare & orare. Etenim huicce loco Psalmi illi conveniunt. Scio in codice Middoth cap. 2. locum his canendis Psalmis, assignari in quindecim gradibus, quibus ex atrio mulierum in atrium Israëlis ascendebatur. Tot numerantur Graduales Psalmi. *In summis lateribus læve ac planum erat atrium mulierum, sed id circumscripserunt interno podio, ut mulieres supernè prospicerent; viri autem infernè, ne miscerentur. Et quindecim gradus ascendebant ex ejus medio in atrium Israëlis, respondentes quindecim gradibus, qui in Psalmis occurrunt: in quibus Levitæ canebant.* Hæc suo loco expendemus, & quam parum secum cohæreant videbimus. Quod forsan ex traditione acceperant Misnici doctores, videlicet Psalmos qui dicuntur Graduales reipsâ in gradibus decantatos, corruperunt, ut solet fieri. Paratas puto in gradibus vestibuli retractiones trium cubitorum, quæ est mensura staturæ humanæ, ut directi ad ædem sacram, & toto corpore prostrati in illis orarent.

SECTIO IV.

De vestibuli ædis sacræ dimensionibus, de postium ejus epistylio, sive superliminari.

NUnc vestibulum ædis sacræ subeuntes, mentem & oculos advertamus ad dimensiones ejus, quas breviter definit Scriptura tertio Regum cap. 6. v. 3. *Et porticus*, in fonte Hebræo אולם αἰλὰμ vestibulum, *erat ante templum*, κατὰ πρόσωπον τοῦ ναοῦ ante faciem ædis sacræ, quæ semper ναὸς nominatur, *viginti cubitorum longitudinis juxta mensuram latitudinis templi: & habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi.* Videtur Josephus loqui de hocce vestibulo in lib. 6. de Bello cap. 6. sed non omnino conveniunt mensuræ quas assignat. Forsan Librariorum oscitantia corruptæ sunt. Ἡ πρώτη αὐτοῦ πύλη πηχῶν ἑβδομήκοντα τὸ ὕψος οὖσα, καὶ εὖρος εἴκοσι καὶ πέντε, θύρας οὐκ εἶχε. Τοῦ γὰρ οὐρανοῦ τὸ ἀφανὲς (Rufinus legebat ἀειφανὴς) καὶ ἀδιάκλειστον ἐνέφαινε. Κεχρύσωτο δὲ τὰ μέτωπα πάντα καὶ δι' αὐτῆς ὁ, τε πρῶτος οἶκος ἔσωθεν ἅπας κατεφαίνετο, μέγιστος ὤν,

καὶ τὰ περὶ τὴν εἴσω πύλην, πάντα λαμπόμενα χρυσῷ τοῖς ὁρῶσιν ὑπέπιπτον. *Prima verò ejus porta ſeptuaginta cubitos alta erat, & lata viginti quinque, neque fores habebat. Cœlum enim undique conſpicuum latèque patens ſignificabat. Erantque totæ frontes inauratæ, & per illam aperturam pars prima ædis fiebat tota conſpicua. Et omnia circa interiorem portam auro inaurata erant; ut cernentes admirarentur.* Notas numericas depravatas in hiſce locis oſtendit Joſephus ipſe ſecum comparatus. Etenim in libro octavo Antiquitatum ſic de eodem veſtibulo loquitur. Τὸ δὲ πρόναον αὐτοῦ, προέστησε ἐπὶ πήχεις εἴκοσι τὸ μῆκος, πρὸς τὸ εὖρος τοῦ μήκους τεταγμένον. Ἔχον δὲ πλάτος πήχεις δέκα. Ὕψος δὲ ἀνεγηγερμένον, πηχῶν ἑκατὸν εἴκοσι. *Et veſtibulum in aditu ejus viginti cubitorum longitudinis, juxta menſuram latitudinis templi, lata cubitos decem, ſurgens in altum cubitis centum viginti.* Ita concors eſt Joſephus cum codice ſacro.

Audiamus Judæos; qui ſic loquuntur in codice Middoth capite tertio ſectione ſeptimâ *Oſtium propylæi*, ſive veſtibuli *erat altitudine quadraginta cubitorum, ejuſque latitudo erat viginti cubitorum.* Eaſdem menſuras tribuit huicce veſtibulo Maimonides libro de Domo electâ cap. 4. n. 8. *Oſtium veſtibuli*, inquit, *cubitos erat altum quadraginta, latum viginti: id verò valvis inſtructum non erat.* Alta ergo & lata apertura veſtibuli, per quam non ſolùm quæ in veſtibulo erant, ſed, ut dicit Joſephus, pars prima ædis, cùm ſcilicet portæ ejus reſerebantur, patebat. Cum autem tanta eſſet apertura, poſtes magno intervallo diſtabant, ut quod imponeretur iis epiſtylium neceſſario haberet ultra viginti cubitos. Tot cubitorum ſaxa rarò occurrunt, & ſuo ipſo pondere fatiſcerent, & frangerentur, ſi collocarentur tranſverſa. Olim non eâ cædebantur arte ſaxa, ut quod nunc fit, ex pluribus conjunctim poſitis aptâ cæſurâ, quaſi unicum & grande ſaxum conflaretur. Epiſtylia, inquam, ex unico ſaxo erant, undè miratur Plinius lib. 36. cap. 14 cùm templi Epheſini columnæ ſexaginta pedum eſſent, quomodo his epiſtylia imponi potuiſſent. *Summa miracula, epiſtylia tanta molis attolli potuiſſe.* Subjungit: *difficillimè hoc contigit in limine ipſo quod foribus imponebat* artifex.

Diu etiam poſtquam lapideæ columnæ admotæ ſunt ædificiis, ipſa epiſtylia erant lignea, ſive trabes tranſverſæ, undè, ut ſuo loco animadvertimus, quod columnis ſuperimponitur, architravium nominatur; quaſi primaria trabs. Etiam cum opibus pollerent Romani, Vitruvius, ut ipſe narrat lib. 5. cap. 1. Coloniæ Juliæ Faneſtri Baſilicam collocavit, curavitque faciendam, in quâ epiſtylia erant lignea. *Supra columnas ex tribus tignis bipedalibus compactis trabes ſunt circa collocatæ.* Scilicet plura tigna conjuncta, ne unicum pondere impoſito frangeretur; trabes autem appoſitæ loco ſaxorum, quia vix reperiri poterant ſimul ſatis longa & valida. Hiſce Auguſti temporibus, quibus templum quod adhuc extat, Diis omnibus dedicatum eſt ab Agrippâ ejus genero, trabes æneæ repertæ ſunt in tam ſuperbo & eleganti ædificio, quibus, ut videtur, confirmabatur opus; cùm & alioquin multa ineſſent ærea ornamenta, ex quibus Urbanus octavus ſummus Pontifex Vaticanas columnas æreas & multa bellica tormenta conflavit.

Inde lucem accerſimus Scripturæ, ubi loquitur de poſtibus quinque angulorum & de quadrangulatis lignis. Sic ſcriptor tertii Regum cap. 6. v. 31. *Et in ingreſſu oraculi fecit oſtiola de lignis olivarum, poſteſque angulorum quinque.* Et paulo poſt v. 33. *Fecitque in introitu templi poſtes de lignis olivarum quadrangulatos.* Et capite 7. v. 3. 4. & 5. .... *Unus autem ordo habebat columnas quindecim, contra ſe invicem poſitas, & è regione ſe reſpicientes, æquali ſpa-*A *tio inter columnas, & ſuper columnas quadrangulata ligna in cunctis æqualia.* Hæc tria loca plerique Interpretes prætermiſere intacta. Pro eo quod habet Vulgatus in primo loco, *poſteſque angulorum quinque*, in fonte eſt, ſuperliminare cum poſtibus quinque האיל מזוזות חמשית *hail mezuzoth chamiſchit.* Nomen איל idem ſonat ac *fortitudo, aries, poſtis, limen, ſuperliminare.* מזוזות *mezuzoth*, idem quod *poſtis.* Horum nominum ſatis nota eſt ſignificatio, difficultas verſatur circa tertium nomen חמשית *chamiſchit*, quod eſt fœmininum; ita ut quintam aliquam partem, aut rem quintuplicem adnotet. Junius & Tremellius reddunt *è quintâ* & addunt *parietis.* Græci in editione Complutenſi ſic loquuntur. Τῷ θυρώ-
B ματι τοῦ δαβὶρ ἐποίησε θύρας ἐκ ξύλων ἀρκευθίνων καὶ φλιὰς πενταπλᾶς. *Et oſtio oraculi fecit portas de lignis juniperinis, & limina quintuplicia.* φλιαὶ ex Heſychio ſunt paraſtades, ſive poſtes januæ, tum & ſuperliminare. Quis ergo ſenſus hujus loci? Scilicet poſtes, & quod imponebatur poſtibus, conſtabat ex quatuor vel quinque conjunctis trabibus. Sacer Hiſtoricus intellexit totam iſtam quadraturam, quâ valvæ includuntur; ut liquet ex eo quod de Samſone dicit Joſephus Τὰς πύλας αὐταῖς τε φλιαῖς καὶ μοχλοῖς, ὅσονπερ ἄλλη περὶ αὐτὰς ἦν ξύλωσις, ἀράμενος κατεκόμισεν. *Valvas cum ipſis poſtibus & repagulis, ſive peſſulis, & omnia quæ circa illa erant lignea, &c.* Paraphraſtes Chaldæus tantùm dicit à Salomone ordinatos poſtes cum ſuperliminaribus; ſed non explicat quod dicit textus ori-
C ginalis, hos poſtes & hæc ſuperliminaria fuiſſe quintuplicia: ſcilicet conſtitiſſe quinque tignis.

In ſecundo loco. *Fecitque in introitu templi poſtes de lignis olivarum quadrangulatos.* Pariter intelligo poſtes illos fuiſſe factos ex quatuor ſimul junctis trabibus: in fonte מאת רבעית *meet rebignit* ad verbum *è quartâ parte.* Vulgatus Interpres putavit poſtes fuiſſe quadrangulatos, ſive quadratos; quod aliud eſt, quàm eſſe quadruplices. Ibi Chaldæus habet mezuzoth pro ſuperliminaribus. Græci verò in editione Complutenſi & Romanâ habent στοαὶ τετραπλῶς *porticus quadrupliciter.* Mihi liquet ſenſum hujus loci non alium eſſe quàm ſuperliminaria oſtiorum non fuiſſe ſimplicia, ſed compoſita multis trabibus
D connexis, ut ſuperimpoſito oneri non cederent.

Supereſt tertius locus è capite ſeptimo tertii Regum, quem iterum integrum proponam: *Unus autem ordo habebat columnas quindecim, contra ſe invicem poſitas, & è regione ſe reſpicientes, æquali ſpatio inter columnas, & ſuper columnas quadrangulata ligna in cunctis æqualia.* Sic ad verbum fons reddi poteſt. *Quindecim ordine, & ſchekuphim tres ordine & aſpectus ad aſpectum tribus vicibus. Et omnia oſtia & poſtes quadrati ſakeph & è regione aſpectus ad aſpectum tribus vicibus.* Senſus hujus loci pendet ex ſignificatione nominis Hebræi שקפים *ſchekuphim*, quod quidem derivatur à שקף *proſpexit.* Poteſt ergo ſignificare *proſpectum*; ſed accipitur pro *ſuperliminaribus*; quæ maximè aſpectui patent. משקוף
E quod ejuſdem originis, non ſemel à Græcis redditum eſt φλιά, quandoque μέλαθρον, quod juxta Heſychium eſt τὸ ὑπέρθυρον *ſuperliminare*, nempe trabs tranſverſaria. Procopius nomen Hebræum eo ſenſu accepit ad huncce locum. Καὶ μέλαθροι ἐπ᾽ ἀμφοτέρων τῶν στύλων, interpretatur τὰ ἐπιστύλια; nempe trabes tranſverſarias. Hiſce ergo verbis puto poſſe veritatem Hebraicam exprimi. Illud *quindecim ordine* referrem ad ea quæ præcedunt, & deinde ſic pergerem. *Et ſchekuphim; id eſt, tranſverſaria trabes in triplici ordine: quæ ſeſe apprehenderent triplici vice. Et omnes portæ & poſtes quadruplicem habebant tranſverſariam trabem; quæ trabes ſeſe triplici vice comprehenderent.* Scilicet tranſverſariæ trabes quibus conſtabant

tabant epistylia, pro ratione loci erant vel triplices, A vel quadruplices, etiam quintuplices. Doctores Misnici nobis suffragantur, dum docent epistylium vestibuli, ad quod necesse est ut oratio revertatur, sic contitisse multis conjunctis trabibus. Audiamus eos loquentes ore doctissimi Constantini Lempereur in loco allegato codicis Middoth ubi agitur de epistylio vestibuli *Et quinque* מלתראות *maltheraot*, nomen Græcum est μέλαθρα, id est, *trabes everganeæ*, sive affabrè factæ e ligno gallo, *id est, robore, erant in ejus summitate*, nempe pro epistylio. *Infima redundabat super portam cubito hinc & indè, & hac superior redundabat super ipsam cubito hinc & indè: deprehendebatur supremam esse triginta cubitorum. Seriesque, sive corium lapidum erat inter singulas.* Eadem Maimonides loco citato ex tractatu ejus de B de Domo electâ. *Ostium vestibuli cubitos erat altum quadraginta, latum viginti: id verò valvis instructum non erat. Quercinæ trabes quinæ signis atque picturis ornatæ supra ostii superliminare sic erant dispositæ, ut earum inferior excederet ostium utrinque cubito; & reliquarum deinceps superior proximè inferiores tantumdem excedebant utrinque. Itaque trabium illarum suprema cubitorum erat triginta. Atque inter singulas corium erat lapidum.*

Primitùs ædificia tota lignea erant; & cùm magnificentia crescere cœpit, & pro truncis arborum admotæ sunt columnæ è nativo saxo, epistylia tamen diu fuere lignea. Talia erant epistylia vestibuli juxta Misnicos. C Prima ex quinque trabibus erat longior duobus cubitis, quàm latum illud vestibulum, ut scilicet recumberet supra ejus postes. Secundâ longior duobus cubitis primâ, ut tota non recumberet supra primam; & partim portaretur ab ipsis mœnibus utrique posti ulterioribus. Ita de aliis tribus trabibus, quarum dispositionem hîc in schemate expressam intuere Lector. Inter singulas trabes cernis seriem lapidum, sive, ut loquitur Vitruvius, corium. Igitur non fatiscebat superliminare, quamvis pressum pondere parietis altissimi. Id pro commento Rabbinico non omnino potest haberi; quod factum in templo Salomonico constat. Attestatur Eupolemus, cujus fragmentum Eusebius intexuit libro nono Evangelicæ præparationis cap. 34. Οἰκοδόμησε δὲ ἐναλλὰξ D δόμον λίθινον, καὶ ἔνδεσμον κυπαρίσσινον πελεκίνοις χαλκοῖς ταλαντιαίοις τοὺς β'. δόμους. Quod his verbis interpretatur Vigerus. *Ac structuram quidem universam ita compingi voluit* Salomo, *ut alterni sese lapidum & cupressinarum trabium ordines exciperent, quod utrumque corium aneis quibusdam, iisque talenti pondo, securium instar, vinculis adstringeretur.* Constantinus Lempereur has quinque trabes habet pro quinque zophoris, qui alii aliis superimponerentur. Verum, ut liquet, non in alium finem, quàm quem proposui, dictæ trabes constituebantur. Sed non ideò ipsa facies vestibuli persimilis erat agrestibus tuguriolis, quorum portæ habent superliminaria lignea. Etenim trabes illæ ligneæ templi superabant suo or- E natu saxea epistylia; gravibus enim laminis aureis obtegebantur, cælabantur variis figuris, ut adstruit Josephus Κεχρύσωτο δὲ τὰ μέτωπα *facies vestibuli erat inaurata.* Τὰ περὶ τὴν εἴσω πύλην πάντα λαμπόμενα χρυσῷ τοῖς ὁρῶσιν ὑπέπιπτεν. *Quæque circum interiorem portam erant, utpote auro coruscantia, aspicientibus occurrebant.* Quantum saxis aurum præstat, tantum facies illa vestibuli præstabat cæteris ædificiis etiam marmoreis.

SECTIO V.

Expositio duorum ultimorum versuum Ezechielis, ubi agit de vestibulo ædis sacræ.

PRæcipuum studium nostrum est intelligere, quæ Propheta Ezechiel scripsit de templo: experiamur in eo quod dicit de præsenti vestibulo, an irritus aut fælix sit conatus noster. Deductus Propheta ab Angelo ad vestibulum, metitur illud in fine capitis. 40.

Cap. 40. v. 48. *Et introduxit me in vestibulum templi*, אל אלם הבית *El-ulam habaith* in vestibulum B domûs. Ibi *domus* cum *he* emphatico sumitur pro æde sacrâ, quæ erat domus Dei. *Et mensus est vestibulum quinque cubitis hinc, & quinque cubitis indè, & latitudinem portæ trium cubitorum hinc, & trium cubitorum indè.* Angelus qui deducebat Ezechielem, ingrediens in vestibulum domûs Dei, metitur statim id quod primùm illi occurrebat, scilicet latitudinem muri, qui fungebatur vice postis in ostio vestibuli, quæ latitudo conspicua erat. Hanc deprehendit quinque cubitorum; id est, plus quàm octo pedum; nec mirum est, cùm vestibuli altitudo summa esset, ut suo loco dicemus. Post mensuras crassitudinis parietum vestibuli, metitus est portæ ἐπωμίδας, ut ibi loquuntur Græci. Theodore- C tus appellat ἀγκῶνας *ancones*, id est, locum recurvum. Hanc partem Angelus reperit 3 cubitorum: *latitudinem portæ 3 cubitorum hinc & 3 cubitorum indè.* Jam observavimus vocem שער *schaar*, non tam aperturam portæ, quàm ejus latera significare. Latitudo ergo cujusque lateris, nempe muri qui instar humerorum portæ erant, habebat tres cubitos. Hanc interpretationem Græci secuti sunt; & ipsi addunt hocce glossema; quod scilicet cum illi humeri hinc indè essent trium cubitorum, & tota latitudo haberet viginti cubitos; apertura vestibuli esset quatuordecim cubitorum. Καὶ τὸ εὖρος τοῦ θυρώματος πηχῶν δεκατεσσάρων καὶ ἐπωμίδες τῆς θύρας τοῦ αἰλὰμ πηχῶν τριῶν ἔνθεν καὶ ἔνθεν. *Et latitudinem portæ* reperit *cubitorum quatuordecim: & D humeri ostii alam cubitorum trium hinc & indè.* Glossema dixi; quia explicatio est sumpta ex versu sequenti, ubi longitudo vestibuli statuitur viginti cubitorum. Ergo cùm Josephi ætate, ut in ejus verbis vidimus, vestibulum totâ suâ longitudine pateret, sive omnino apertum esset, quod & adstruunt Misnici Doctores; necesse est ut in templo Ezechielis, non secundùm omnem suam longitudinem reseratum fuerit; sed & indè spatio trium cubitorum quasi promoverentur duo ejus postes, qui sic contrahebant aperturam, ne esset viginti integrorum cubitorum.

49. *Longitudinem autem vestibuli viginti cubitorum & latitudinem undecim cubitorum. Et octo gra- E dibus ascendebatur ad eam. Et columnæ erant in frontibus una hinc & altera indè.* In longitudine istâ omnes conveniunt. Sumitur secundùm latitudinem ædis sacræ, puta à Septentrione ad Meridiem. Non enim semper sumitur longitudo juxta eumdem situm, sive in eodem situ, ut rectè ibi observat Vatablus; nam quod longius est in qualibet re censetur longitudo ejus. De latitudine vestibuli difficultas est non mediocris. Astruitur in codice Hebræo hodierno, in Paraphrasi Chaldaïca, & in Latinâ Vulgatâ undecim cubitorum. Verùm, ut vidimus, hæc in tertio Regum, cap. 6. v. 3. est decem tantùm cubitorum, quod mihi videtur simile vero. Nam illi undecim cubiti non essent pars dimidia longitudinis, ut in vestibulis fieri solet. Præterea

ille numerus *undecim* impar non respondet cæteris dimensionibus. Ergo suspicio esset numeros ibi corruptos, certè alias aliter quàm hodie legebantur. Hanc enim latitudinem faciunt Græci duodecim cubitorum in editione Vaticanâ, decem in editione Vvechelianâ 1597. quæ ultima lectio, si verior est, codex Hebræus hodiernus minùs sanus est in hac parte. Error sic in illum irrepere potuit: cùm bis scriptum esset עשר *decem* à Librario; nec qui exscribebant, advertissent esse vitiosam repetitionem, primum עשי mutavere in עשתי *unum*; sic scripsere עשתי עשר *undecim*. Ne id à me temere dictum quis dicat, afferam criticam observationem B. Hieronymi. Si legatur, inquit, *aste esre*, hoc significat undecim: sin autem pro *esre*, hoc est, *decem*, legamus *eser* non significat *decem* sed pronomen *qui*. Potiùs si legatur אשר *eser* pro עשתי *aste*, sensus erit limpidus: *& latitudinem* nempe mensus est, *quæ decem cubitorum*. Pro verâ hanc probamus latitudinem, nempe latum facimus vestibulum decem cubitis.

Illud Vulgatæ nostræ editionis, *Et octo gradibus ascendebatur ad eam*, non respondet Hebræo. Femininum *ad eam*, quod constanter legitur in manuscriptis, ut dicit Lucas Brugensis, non sanum est; subintelligi enim debet vestibulum. Præterea Ezechiel in veritate Hebraïcâ, non definit numerum graduum quibus ascendebatur in vestibulum. Ergo illud, *& octo gradibus, &c.* irrepsit ex aliquo glossemate marginis in textum; vel ex versione aliquâ Græcâ. Etenim, ut ait B. Hieronymus ad illum locum. *Symmachus quem in hoc loco secuti sumus, octo gradus posuit: septuaginta decem: Theodotio, & Aquila, secunda editio, undecim; prima autem nullum numerum posuit: sed absolutè ait, & gradibus in quibus ascendebatur ad eam.* Sensus itaque juxta fontem hodiernum est, ut puto, verbum præcedens subaudiendo. Adduxit, inquam, me Angelus per gradus illos, per quos ascendebant ad illud vestibulum, vel ad eam portam. Itaque non adversatur Propheta Judæis, qui numerant duodecim gradus quibus ascenderetur ad vestibulum. Numerus enim horum graduum, quotquot fuerit, ibi non declaratur, nec in fonte Hebræo, neque in Paraphrasi Chaldaïcâ. Columnæ illæ de quibus subjungit Propheta: *Et columnæ erant in frontibus una hinc & altera indè.* Sunt illæ duæ quarum una *Boos*, altera *Jachim* appellabatur; de quibus à nobis fit copiosus sermo. Positæ erant אל האילים *El aelim*, id est, ad postes, ut habet Chaldæa Paraphrasis; εἰς παραστάδας ad parastadas portæ, sic loquitur Josephus. Græca versio editionis Regiæ ἐπὶ τῷ αἰλάμ. Erant nempe columnæ dictæ in vestibulo. In editione Romanâ ἐπὶ τὸ αἰλάμ.

SECTIO VI.

De vestibuli ornamentis. Duæ columnæ æreæ in eo erectæ erant. Vitis aurea pendebat supra portam ædis sacræ.

IN omnes vestibuli hujus partes oculos circumferamus. Magnum sane & præcipuum ornamentum ejus erant duæ illæ columnæ, positæ in eo prope utrumque postem januæ ædis in angulo, ut olim putabam, nunc meliùs consultus colloco illas in limine vestibuli, ad latera. Basis illarum occupabat quadraturam duorum cubitorum, ut infra dicitur; cujus quadraturæ latera erant obversa quatuor mundi plagis. Capitulis columnarum pendebant malogranata quæ instar tintinnabulorum sonabant à quolibet agitarentur vento; quod ut fieret, non fuerant concludendæ in angulo, sed necessa-

A riò recedebant à parietibus ut ventus circum eas flare posset. Ideò totum vestibulum patebat, habens in apertura sua viginti cubitos; sic patefaciens omnem suum decorem. Templum secundum his columnis caruit; ideò Ezechiel non illud totum aperit nec facit latiùs quàm quatuordecim cubitis: scilicet hinc indè aliquâ portione parietis occlusum. Salomonicas columnas viderat Propheta in imagine templi, quæ ante mentis oculos ejus posita est; quod argumentum est non aliud illi templum visum quàm Salomonicum; sed in secundo templo quod excitatum est post reversionem Judæorum à captivitate Babylonicâ similes columnæ non comparent; quas tamen Propheta cap. 40. 49. viderat in visione, B *& columnæ erant in frontibus una hinc & altera indè.*

Hæ duæ columnæ Jachim & Booz plures articulos & proprium sibi caput vindicant; reliquam partem præsentis capitis explicandis impendam cæteris ornamentis; quibus vestibulum decorabatur. Non mediocre ornamentum erat vitis aurea, supra fores ædis sacræ suspensa; de quâ sicut de cæteris ornamentis non siluêre Judæi. Sic loquuntur in codice Middoth cap. 3. sect. 8. *Transtra quercina*, inquiunt, *infixa fuere à pariete templi in parietem porticûs, sive propylai, ne pandaretur.* Scilicet trabes illæ vinciebant vestibulum cum parietibus sacræ ædis, *ne pandaretur*, hoc est, ne oneri cederet. *Catenæ aureæ erant infixæ contignationibus porticûs, qui-* C *bus candidati Sacerdotum ascendebant & videbant coronas.* Putant illi Judæi in eâ parte vestibuli positas coronas, quarum vidimus suprà fieri à Zacharia Propheta mentionem. De vite autem aureâ illi sic loquuntur. *Vitis aurea expandebatur super portam templi, erigebaturque super canterios*, id est, tigna quæ pondus universæ ferè contignationis & tecti sustinent. *Quicumque vovebat folium, aut uvam, aut botrum, adducebat, suspendebatque ex eâ. Dixit Rabbi Eliezer filius R. Zadok, evenit ut numerarentur trecenti Sacerdotes in eâ dimovendâ occupati.* Sic exaggerant vitis magnitudinem, & pondus ejus. *Si quis considerans aurum quo templum ornatum erat, voveret aurum*, inquit Lempereur, D *nec vellet permutari à Sacerdotibus, sive alia ejus pretio in templi ornamenta, aliosve usus comparari, eum ex auro conficiebat pampinum, sive folium vitis, aut acinum, vel denique racemum, sive botrum: quæ postea de vite illâ suspenderet.*

Vitis ergo illa produxerat palmites suos, & multùm creverat, *dum*, ut aiunt Judæi, *quidam oblationibus voluerunt fieri folium, quidam racemum, quidam palmitem.* Opus esse Herodis narrat Josippus, sive Pseudogorionides. *Fecit quoque vitem auream*, inquit ille agens de Herode, *opere ingenioso, habentem propagines aureas rutilantes, & palmites aureos subrufos, supernè verò flavescebat aurum, & pendebant botri chrystallini. Erat autem vitis illa tam magna, ut ponderaret mille libras puri auri.* E *Non visa est talis in toto mundo.* Audiamus verum Gorionidem, sive verum Josephum, qui de illâ vite sic breviter in Antiquitatibus lib. 15. cap 14. ubi enarrat quomodo templum instauratum sit ab Herode. Primùm mentione factâ velorum quæ oppandebantur foribus. Καθύπερθεν δὲ αὐτῶν ὑπὸ τοῖς τειχώμασι (legendum τριγχώμασι, ut puto) ἄμπελος διετέτατο χρυσῆ, τοὺς βότρυς ἀπαιωρημένους ἔχουσα, θαῦμα καὶ τοῦ μεγέθους, καὶ τῆς τέχνης τοῖς ἰδοῦσιν, οἷον ἐν πολυτελείᾳ τῆς ὕλης τὸ κατασκευασθὲν ἦν. *Sub tegminibus villosis horum velorum*, si legatur θριγχώμασι, sed si legendum θριγκώμασι, verterem, sub coronâ murorum vestibuli *vitis expandebatur aurea dependentibus botryonibus, mirandum sanè opus tam manûs, quàm materia pretio.* Botrionas, sive racemos

facit pares hominis staturæ in lib. 6. de Bello c. 6. Ἡ δὲ διὰ τοῦ οἴκου πύλη, κεχρύσωτο μὲν ὡς ἔφην πᾶσα, καὶ ὅλος περὶ αὐτὴν τοῖχος. Εἶχε δὲ καὶ τὰς χρυσέας ὑπὲρ αὐτῆς ἀμπέλους, ἀφ' ὧν βότρυες ἀνδρομήκεις κατεκρέμαντο. *Interior verò porta tota inaurata erat, ut dixi, & circum eam auratus paries. Desuper autem habebat aureos pampinos, undè racemi staturâ hominis pendebant.*

Vitis illa procera erat; nec tamen veram magnitudinem multùm superabat, si quidem fuerint vites non inferiores magnitudine. Plinius sic orditur librum decimum quartum. » Vites jure apud prisc» cos inter arbores numerabantur. Jovis simula» crum in urbe Populoniâ ex unâ conspicimus tot » ævis incorruptum; item Massiliæ pateram. Me» taponti templum Junonis vitigineis stetit colum» nis, &c. Hinc ex præstantiâ vitis & palmitum robustâ crassitudine facilè quoque præstantem fructuum magnitudinem collegeris. Colligit hoc inter alios Raschi; qui dicit ideò prænuntiatum à Jacob quòd alligandus esset asinus ad vitem à Judâ, quia sub eo vitis adeò ferax futura esset, ut ex unâ solâ asinus oneraretur. Id tempore Messiæ futurum Talmudistæ asserunt: qui uvam unam vehiculo aut navi apportatum iri suaviter sibi pollicentur; ut videre est in Wagenselio in observationibus ad Sotam. Metrophanes apud Stephanum lib. de Urbibus, nempe ad Eucarpiam minoris Asiæ oppidum testatur tam immanes ibi nasci racemos, ut singuli justa sint singulis curribus pondera, ita ut unius tantùm racemi vecturâ quandoque currus confractus conciderit. Cornelius à Lapide hæc expendens ubi exponit vaticinium Jacobi; *puto*, inquit, *currum ipsum crassiori mendacio quàm uvâ onustum jam pridem concidisse & evanuisse*. Quidquid sit de naturali, sive possibili magnitudine vitis & racemorum ejus, res ipsa, quam adstruimus, constat, nempe vitem auream pependisse in vestibulo; quam cùm Titus Hierosolymorum urbem expugnavit, reperit in templo, ut refert Tacitus quinto libro Historiarum. Verba ejus afferam in fine hujusce articuli.

Quærendum quâ de causâ Judæi dicassent illam vitem auream. Certum est vitem olim inter ornamenta expressam. Athenæus libro undecimo scribit in cubiculo Regis Persarum fuisse vitem auream, gemmis ornatam, super lectum distentam, cujus uvas Amyntas libro de ponderibus & stateris ait ex pretiosissimis gemmis compositas fuisse. Eadem adstruit Athæneus in libro duodecimo. Josephus in decimo quarto Antiq. cap. 5. allegat Strabonem, qui meminit à Judæâ missam Pompeio vitem adeò magnam, ut dubitet an hortum appellet. Istud opus vocabatur τερπωλὴ, id est, *delectamentum*. Hoc donum, inquit Strabo, vidimus etiam nos dedicatum in Jovis Capitolini templo, cum inscriptione Alexandri Regis Judæorum: æstimabaturque quingentis talentis. Fertur autem, addit Josephus, missam hanc vitem à Dynastâ Judæorum Aristobulo; quod sic conciliari potest. Inscripta fuerat hæc vitis nomine Alexandri Jannæ Regis Hassamonæi, cujus filius erat Aristobulus. Pater dedicaverat vitem; filius misit donum Pompeio magno. Inter fercula pompæ, quando ille dux triumphavit, numerat Plinius lib. 37. cap. 2. *montem aureum quadratum, cum cervis & leonibus, & pomis omnis generis circumdatâ vite aureâ.* Locum illum meritò trahit Lipsius ad camdem nobilem vitem; admonens lib. 2. cap. 5. *Electorum*, non vitem simplicem fuisse, sed monti aureo implexam, totumque opus in formam horti flexum. Ideò in Strabonis verbis apud Josephum dictum εἴτε ἄμπελος, εἴτε κῆπος, *sive vitis, sive hortus.*

Quæri potest an illa vitis ita fuerit κειμήλιον, id est, inter pretiosa suppellectilia domûs Hassamonæorum ut non attinuerit ad templum. Fateor, nec Josephum nec alium scriptorem liquidò significare quòd ante instaurationem templi factam ab Herode, vestibulum exornatum sit vite aureâ; attamen ut credam duobus adducor argumentis. Primùm cur tantam auri summam frustra impendisset, sive Alexander, sive Aristobulus filius in parandâ inutili suppellectili? Si autem Herodes novum & insolitum ornamentum apposuisset foribus templi, non id patienter tulissent Judæi, quibus omnis novitas suspecta erat. Certè non siluisset Josephus, dum de istâ vite loquitur, fuisse novum ornamenti genus, hactenus non visum in templo. Igitur verisimilius est non solùm in Herodiano templo, sed in Zorobabelico, etiam in Salomonico quidpiam simile viti fuisse appensum, quod symbolum esset, ut dicturi sumus. Hocce ornamentum auxerat Alexander Jannæus; & ideò potuit ei adscribere nomen suum. Cùm verò Aristobulus & Hircanus filii post mortem ejus de regno contenderent, potuit Aristobulus, penes quem erat urbs Jerusalem, ut liquet ex Josepho lib. 14. cap. 3. detrahere de vestibulo auream vitem, & illam dono mittere ad Pompeium; qui ut rem sacram noluit vertere in proprios usus, sed dedicavit eam in Jovis Capitolini templo, ubi eam se vidisse scribit Strabo. Sic paucos post annos Eleazarus sacri thesauri custos trabem auream, undè pendebant vela, detraxit de vestibulo, & dedit Crasso, ut cæteris thesauris parceret; quod refert Josephus in eodem libro cap. 12. Ergo temerè, ut puto, Josephus Scaliger in Elencho Trihæresii Nicolai Serarii, & Joannes Seldenus lib. 2. de Jure naturæ & gentium cap. 8. decernunt vitem auream, cujus meminit Strabo, non fuisse rem sacram, sed privatum Hassamonæorum cimelium.

Extra rem non erit quærere, undè Judæi, alioqui à quacumque imagine abhorrentes, vitem dicassent. Primùm respondeo non omnes imagines apud Hebræos fuisse in abominatione. Non refugiebant, ut suo loco vidimus, turmas suas distinguere certis signis, & symbolis. Ubique in templo cernebantur palmæ expressæ; quæ arbor insigne est religionis. Totius vero gentis, si mea non me fallat conjectura, symbolum fuit vitis, sub cujus imagine apud Isaiam cap. 5. adumbratur synagoga. *Vinea facta est dilecto meo, &c.* & in Psalmo 79. *vineam de Ægypto transtulisti, &c.* Et alibi passim, quod confirmatur ex pluribus novi Testamenti locis. Usus symbolorum ab antiquis temporibus fuit frequentissimus. Aptum symbolum vitis, cui tota gens comparabatur; quia ut ex uno cespite vitis frugifera, sic gens propagata ex uno Abrahamo; ut canit Psaltes Psal 79. *Extendit palmites suos usque ad mare, & usque ad flumen propagines ejus.* Et Osee cap. 10. 1. *Vitis frondosa Israël.* Itaque ut hanc exhiberent propaginem suam Judæi, quantùm fieri poterat, vitem, de quâ sermo est, magnam effecerant; quasi omen futuri augmenti. Sic Romani aquilam, quæ avium videtur validissima & regnum habere, pro insigni elegerant in principatûs insigne & omen victoriæ, quoscumque bello petierint; ut observat Josephus. Similiter illæ duæ columnæ, quas vidimus appositas foribus ædis sacræ, fuerant à Salomone erectæ in symbolum, quo significaretur semper statuendam & confirmandam à Deo ædem sacram. Forsan, ut quidam opinantur, Moses, sive Salomon simulacrum istius botri, quem exploratores è Palæstina retulerant, ad perpetuam terræ promissionis recordationem conservandam, ex auro conflari curaverat. Quidquid sit, vitis illa aurea typus erat, quem cùm Judæi haberent in

pretio, Dominus in Evangelio Joan. cap. 15. v. 1. A
aebat. *Ego sum vitis vera, & pater meus agricola est.* Vitis autem illa appensa ante fores ædis sacræ locum dare potuit errori Gentilium, qui indè induxerunt animum ut crederent Bacchum à Judæis coli. *Quia Sacerdotes eorum*, loquitur Tacitus de Judæis lib. 5. Historiarum n. 5. *tibiâ tympanisque concinebant, hederâ vinciebantur, vitisque aurea templo reperta, Liberum patrem coli dominatorem Orientis, quidam arbitrati sunt, nequaquam congruentibus institutis. Quippe Liber festos lætosque ritus posuit: Judæorum mos absurdus, sordidusque.* Sic Tacitus abjudicat fabulam, quam initio videbatur probare. Errorem Gentilium, sive iniquas suspiciones confirmarat festum Tabernaculorum, quod agebatur circa tempus vindemiarum, cum thyrsis, & hisce solemnibus, quorum pleraque fiebant in Bacchanalibus. B Undè sic Plutarchus libro quarto sympofiacorum quæstione quintâ. *Maxima & perfectissima Judæorum solemnitatis & tempus & modus congruit. Quod enim ipsi vocant jejunium, id sic celebrant, ut maximè fervente vindemiâ proponant mensas, in quibus expositæ sint omnis generis fruges: & sub tabernaculis desident potissimum è palmitibus & hederâ quæ contexuntur: & diem, quæ festum antecedit, Tabernaculorum nominant. Paucis verò post diebus aliam festivitatem non obscurè sed omninò apertè Baccho nuncupatam celebrant.* Vitem auream & Deo sacram intuebatur Florus cùm de victoriis Pompei Magni agens libro 3. cap. 5. scribit. *Hierosolyma defendere tentavêre Judæi: verùm hic quoque intravit, & vidit illud grande impiæ gentis arcanum patens, sub aureo vitem cælo.* Sic Lipsius emendavit, quod antea legebatur *sub aureo uti calo.* Hæc de viti aureâ satis superque.

SECTIO VII.

De velo, quod erat expansum ante fores ædis sacræ; & cæteris vestibuli ornamentis.

Foribus ædis sacræ infra vitem auream erat oppansum velum, non tam colore suo & arte spectandum, quàm mysteriis suis. Occultabat ædem sacram, quæ typus erat cæli; ut declarant Scripturæ D & sancti Patres, quorum congessimus testimonia in libro tertio, ubi de tabernaculo egimus. Sicut interior domus Dei, nempe ædes sacra latebat, dum ei oppansum fuit velum; ita & cælum non patuit, donec in die Passionis Dominicæ illud velum scissum est, simul & cælum reseratum morte Christi. Tunc verè ablatum velamen; quod obstabat ne filii Dei inspicere possent divina. Hoc, inquam, de quo nunc agemus, ipsum velum est, quod moriente Domino *scissum est in duas partes à summo usque deorsum.* Id comprobaturi sumus; & ut constet magnum & conspicuum fuisse miraculum, decet de magnitudine & decore ejus protinus disserere. Ista magnificentia intelligitur primùm ex pre- E tio trabis ex quâ pendebat. Solida erat ex auro magni ponderis, ut videre est in istâ narratione Josephi Antiq. lib. 14. cap. 12. *Crassus autem expeditionem contra Parthos parans in Judæam pervenit, & pecuniam sacram, quam Pompeius non attigerat, duo millia talentorum abstulit, totoque reliquo auro, cujus summa accedebat ad octo talentorum millia, templum spoliavit. Tulit etiam trabem ex auro solidam, trecentas minas pendentem. Mina autem apud nos constat duabus libris cum dimidiâ. Hanc trabem ei tradidit Sacerdos sacri thesauri custos Eleazarus, non pra malitiâ, (nam erat vir bonus & justus) sed cùm concreditam haberet aulæorum templi custodiam, ex hac trabe pendentium, quorum admiranda pulcritudo erat & apparatus pretiosissimus: videretque Crassum totum esse in colligendo auro, timens omnibus templi ornamentis, trabem hanc redemptionem pro omnibus eis dedit: cùm priùs eum jurejurando obstrinxisset, nihil aliud loco moturum, contentum eo quod ipse traderet, æstimatum plurimis aureorum millibus. Hac trabs inserta erat trabi cavæ ligneæ, quod cæteris omnibus ignotum solus sciebat Eleazarus.*

Licet janua ædis sacræ occluderetur valvis aureis; quia omni arte Salomon studuerat imitari tabernaculum, cujus ostio velum prætendebatur; ideò & velum januæ ædis addidit. Josephus describit velum, quod suâ ætate viderat: appellat Babylonium, quia genus erat peristromatis, quod ab inventoribus Babyloniis nomen acceperat, ut dicit Plinius lib. 8. cap. 48. *Acu facere id Phryges invenerunt, ideòque Phrygiones appellati sunt. Aurum intexere in eâdem Asiâ invenit Attalus Rex: undè nomen Attalicis. Colores diversos picturæ intexere Babylon maximè celebravit, & nomen imposuit.* Hocce nomen jam usitatum apud Romanos. In sticho Plauti Act. 2. Scen. 2, inter divitias, quas advexerat mercator, numerantur.

Tum Babylonica peristromata, consutaque tapetia.

Apud Lucretium *Babylonia* sunt pretiosa vela. Josephus lib. 6. de Bello cap. 6. ubi velum, de quo sermo est, describit, par illud facit januæ; cui enormes mensuras tribuit. Hoc expendemus cùm per illam C januam subintrabimus in ædem sacram. Juvat allegare verba Græca Josephi, quorum novam interpretationem subjiciam Πρὸ δὲ τούτων, ἰσομήκες καταπέτασμα, πέπλος ἦν Βαβυλώνιος, ποικιλτὸς ἐξ ὑακίνθου καὶ βύσσου, κόκκου τε καὶ πορφύρας θαυμαστῶς μὲν εἰργασμένος· οὐκ ἀθεώρητον δὲ τῆς ὕλης τὴν κρᾶσιν ἔχων, ἀλλ᾽ ὥσπερ εἰκόνα τῶν ὅλων. Ἐδόκει γὰρ αἰνίττεσθαι τῇ κόκκῳ μὲν τὸ πῦρ, τῇ βύσσῳ δὲ τὴν γῆν, τῇ δὲ ὑακίνθῳ τὸν ἀέρα, καὶ τῇ πορφύρᾳ τὴν θάλασσαν. Τῶν μὲν ἐκ τῆς χρόας ὁμοιουμένων, τῆς δὲ βύσσου καὶ τῆς πορφύρας, διὰ τὴν γένεσιν, ἐπειδὴ τὴν μὲν ἀναδίδωσιν ἡ γῆ, τὴν δὲ ἡ θάλασσα. Κατεγέγραπτο δὲ ὁ πέπλος πᾶσαν τὴν οὐράνιον θεωρίαν πλὴν ζῳδίων. Ante fores *erat aulæum longitudine pari, hoc est, peplus Babylonius hyacintho, & bysso, & cocco, & purpurâ variatus, mirabili opere factus; in quo permixti colores habent aliquid consideratione dignum: hi enim videbantur omnium rerum imaginem præferre. Cocco enim ignem imitabatur, & bysso ter-* D *ram, & hyacintho aerem, & mare purpurâ, partim quidem coloribus, bysso ac purpurâ origine, quoniam byssum quidem terra, mare autem purpuram gignit. Eratque in eo perscripta omnis cæli ratio, præter animalia zodiaci.* Jam vidimus cur illud velum appellatum sit à Josepho Babylonium. Cur autem utatur hocce nomine πέπλος *peplus?* Frequentiùs enim significat muliebre indumentum; sed & nomen veli est apud Homerum, quo currus & defunctorum cadavera integuntur. Athenis verò, ut ex Suidâ refert Henricus Stephanus, πέπλος peculiariter dictum fuit velum Panathenaicæ navis quam Athenienses quinto quoque anno Minervæ apparabant, festo nimirum Panathenæorum majorum. Id verò, E festo illo magnâ cum pompâ circumferebatur; in eoque pictus erat Enceladus gigas à Minervâ interemptus, nomina item eorum, qui strenuè fortiterque se in bellis gessissent. Josephus ideò usus est voce πέπλος, cùm describeret velum sacrum. Dicit totum cælum in eo peplo fuisse descriptum; excipit ζώδια, id est, animalia cælestia: an & cæterarum stellarum imagines, quærendum ex disciplinâ Judæorum, quam explicat Maimonides in suo tractatu de idololatriâ, ubi sic loquitur cap. 3. n. 212.
« Vetitum etiam facere imagines ornatûs gratiâ, tametsi non fiant ad cultum.... Atque eam ob causam non est formanda è ligno, in pariete, aut è lapide, figura hominis. Sed hoc capiendum de imagi-

» ne quæ protuberat: quales sunt figuræ ac scul- A
» pturæ in palatiis, & his similes. Talem igitur si
» quis fecerit, vapulat. Sin figura sit depressa, vel
» coloribus expressa; uti illæ, quæ in tabulis men-
» sisve fiunt, aut quæ intextæ operi textorio, pro
» licitis habentur. Sed ille liquidò solis & lunæ etiam depressas imagines mox repudiat ut illicitas. *Itidem prohibitum est formare imaginem solis, lunæ, stellarum fixarum vel errantium, ad hæc Angelorum: quando quidem dictum est*, non facietis in Exod. cap. 20. v. 22. mecum: *hoc est, non facietis similitudinem ministrorum coram me famulantium in cælis, ne in tabulâ quidem.* Igitur difficile est statuere quæ ista fuerit descriptio cæli in hoc peplo Ba- B bylonio. His quæ allegata sunt, subjungit Maimonides. *Imagines quadrupedum ac reliquorum animantium, excepto homine, ad hæc figuras arborum, herbarum, rerumque similium, formare licet etiam figurâ gibbâ.* Itaque juxta disciplinam Judæorum, liceret cogitare id totum quod orbe includitur, nec exceptis animantibus, depingi potuisse in velo templi. Floribus omnigenis variegatum fuisse, dicit Josephus Τοῖς τε ἄλλοις ἐνυφασμένον, ἃ κόσμος εἶναι ἔμελλον πλὴν ζώων μορφῆς. *Rebus aliis omnimodis intertextis, quæ ornamento esse possent, exceptis animalium figuris.* Scimus tamen imagines Cherubinorum velis tabernaculi intertexta; sed quia similia omnino animalia non extant in mundo, nulla censebantur, ut alibi C diximus.

Josephus in Antiquitatibus Judaïcis libro 15. cap. 14. paucis verbis de eodem velo loquitur, sed corruptis oscitantiâ Librariorum; à quibus Sigismundus Gelenius Interpres ejus, deceptus est; sicut interpretatione Gelenii Villalpandus. Θύραι δ' ἐπὶ ταῖς εἰσόδοις σὺν τοῖς ὑπερθυρίοις, ἴσον ἔχουσαι τῷ ναῷ, ποικίλοις ἐμπετάσμασι κεκόσμηντο, τὰ μὲν ἄνθη ἁλουργῆ, κίονας δ' ἐνυφασμένοις. Καθύπερθεν δ' αὐτῶν ὑπὸ τοῖς τριχώμασι ἄμπελος. Primam partem hujus loci excutiam, cùm de portis ædis sacræ sermo erit: postrema statim exponam; quæ talia occurrunt in versione Gelenii. *Janua verò penè ipsi templo par, & superliminare aulæis variegatis ornabatur, floribus purpureis distinctis & habentibus columnas intextas, sub quarum capitibus vitis exten-* D *debatur aurea.*. Ex hac versione demonstrandum suscipit Villalpandus, vitem auream non tanti pretii fuisse, sive huic non impensam tantam auri summam, siquidem intexta tantùm esset velo; undè colligit templum Herodianum non fuisse adeo magnificum. *Ecce*, ait Villalpandus tom. 2. pag. 592. *omnem auri gloriam intertextam cum columnis & vite; undè quòd auream dixit Josephus, putandum non est illam fuisse ex auro solido factam, sed ex filo aureo aulæis intexto.* Multipliciter hîc peccatur. Nam in fonte Græco, qualis editus est, vitis aurea non velo miscebatur, sed transtris seu cantheriis suspensa erat. Καθύπερθεν δ' αὐτῶν ὑπὸ τοῖς τριχώμασι ἄμπελος διετέτατο χρυσῆ. Pro θριγκώμασι correctionem Sel- E deni sequentes posuimus θριγκώμασι *cantheriis, coronulis. Supra hæc autem*, (id est, in fronte super fores) *sub muri coronulis vitis aurea distendebatur.* Sed quis in istud velum invexit columnas, sive intexuit cum floribus? Imperita manus vulnus inflixit Josepho, quod non difficile est sanare. Ornabatur velum floribus distinctis, procul dubio qui colore suo commendantur; de quibus Plinius agens lib. 21. cap. 8. ostendit quomodo luxuria vicerit naturam odoratos flores vincens adhuc magis odoratis unguentis, & inveniens colores etiam amœniores. *In quibus vicisse naturam gaudens luxuria, vestibus quoque provocavit eos flores, qui colore commendantur. Hos animadverto tres esse principales: unum in cocco, qui in rosis micat. Gratius nihil traditur aspectu, & in purpuras Tyrias, dibaphasque, ac Laconicas. Alium in amethysto, qui in violâ.* Ergo cùm verisimile sit non abfuisse à velo violas, non dubito quin, ubi nunc est κίονας δ' ὑφασμένοις, legendum sit κ' ἰονιὰ ἐνυφασμένοις. Videlicet velum cum floribus purpureis habebat flores violaceos mixtos.

Sæpiùs animadverti Dæmonem sibi omnia arrogasse quæ sciebat Deo esse dicata; undè & studuit sibi vela pretiosa contexi. Diximus supra de peplo Minervæ, qui in festo hujus numinis, magnâ cum pompâ extendebatur, ut in primo ex suis dialogis significat Plato. *Existimas ne*, inquit Socrates, *verè bellum gravesque simultates, & pugnas inter Deos existere & alia hujusmodi, quæ à Poetis commemorantur? A bonis verò Pictoribus cùm alia apud nos fana variegantur, tum verò magnis Panathenæis eximium illud tapete, rerum hujusmodi emblematis variè refertum sublimi è loco explicatur in arce.* Ὁ πέπλος μεστὸς τῶν τοιούτων ποικιλμάτων ἀνάγεται εἰς τὴν ἀκρόπολιν. Pausanias in priori Eliacorum libro mentionem facit veli pretiosi quod tùm textili Assyriorum opere, tùm Phœnicum purpurâ luculentum dedicavit Rex Antiochus in Olympii templo. Pausanias illud velum vocat παραπέτασμα; de quo ait quod non eo more, quo fit in Dianæ Ephesiæ templo, subter lacunar sursum attollitur, sed ad pavimentum usque laxatis funibus dimittitur.

Sed his dimissis, revertamur ad hocce sacrum velum, quo templum Dei veri erat exornatum. Sive velum, sive aulæum, sive peplus dicatur, cùm esset tantæ magnitudinis & tantæ artis θαυμάσιος τὸ κάλλος, καὶ πολυτελὴς τὴν κατασκευὴν ut loquitur Josephus libro 14. capite 12. Antiquitatum omnium in se procul dubio convertebat oculos: quapropter miraculum scissuræ ejus, quæ in passione Domini fieri contigit, conspicuum & illustre fuit. Neque enim alteri velo convenit quod scribit Matthæus capite 27. v. 51. *Et ecce velum templi* καταπέτασμα τοῦ ναοῦ *scissum est in duas partes à summo usque deorsum.* Vocat illud simpliciter *velum templi* sine ullâ distinctione. Etenim aliud, quod erat expansum ante fores Oraculi, appellatur à Paulò in Epistolâ ad Hebræos cap. 9. v. 3. δεύτερον *secundum*. Primum notius, ut pote sub omnium conspectu expansum, cùm secundum à solis Sacerdotibus videretur, quibus licebat ædem ingredi; quod ergo si fuisset scissum, res potuisset populum latere. Sacerdotes enim qui eâ horâ quâ ad adolendum thymiama, aut ad componendas lucernas ingrediebantur templum, advertissent, haud propalassent miraculum, odio & invidiâ Jesu Christi. Scisso autem velo exteriori, in quod omnes oculos advertebant, ejus suspicientes elegantiam, res omnium oculis patuit; tunc enim cùm Dominus perfecit sacrificium suum, moriens in cruce; ut alibi demonstravimus, Judæi ab omni plagâ mundi frequentes in templo mactabant agnos Paschales. Suffragio B. Hieronymi nitimur. *Mihi videtur*, inquit, *in passione Domini illud velum conscissum quod in tabernaculo & in templo foris positum fuerat, & appellabatur exterius: quia nunc ex parte cognoscimus. Cùm autem venerit quod perfectum est, tunc & velum interius dirumpendum, ut omnia, quæ nunc nobis abscondita sunt domûs Dei, sacra videamus.* Tabernaculum & templum adumbrabant res cælestes. Clarior Dei cognitio nobis affulsit, postquam Christus mortuus est, quàm olim Judæis; ideò primum velum scissum est, dum extremum spiritum agebat: sed restat aliud, quo nobis res cæli occultantur; Sanctum enim Sanctorum ante quod expendebatur velum interius, ut suo loco diximus, erat

figura cæli

Sciſſum velum indicavit commiſſi in Chriſtum facinoris atrocitatem. Locum Scripturæ ubi de hac ſciſſurâ agitur, Grotius exponens, allegat in exemplum rei ſimilis, verba Philippidis in comediâ de Demetrio, qui cùm ſe Diis æquari paſſus eſſet.

Δι᾽ ὃν ἀσεβοῦνθ᾽ ὁ πέπλος ἐῤῥάγη μέσος.
(Ob cujus impietatem diruptus eſt peplus.)

Quam hiſtoriam tangens Plutarchus, *iram*, inquit, *ſuam oſtendit* vis divina. *Nam cùm in peplo juxta Jovem & Minervam ex novo decreto, intexuiſſent Demetrium & Antigonum, ille peplus cùm per Ceramicum tranſduceretur, incidente procellâ, diſruptus eſt in duas partes.* Id vi ventorum jure tribuit Plutarchus; ſed nulla alia cauſa reddi poteſt ſciſſuræ veli in templo, quàm hujus poteſtas, qui iniquo ſupplicio afficiebatur.

Circumferamus oculos in omnes partes hujus veſtibuli intra quod adhuc conſiſtimus; ſi fortè reſtet aliquod ornamentum à nobis ſuſpiciendum. Ex Thalmudiſtis duæ menſæ in illo veſtibulo erant; una marmorea ad latus dextrum, cui imponebantur panes propoſitionis inferendi in ædem; altera aurea ad latus ſiniſtrum, cui imponebantur iidem panes, ſed efferendi. Ligfootius addit ex Thalmude fuiſſe in hoc veſtibulo repoſitum candelabrum aureum, quod Helena Adiabenorum Regina obtulerat. Duæ columnæ Jachim & Booz erant, ut diximus, magnum & præcipuum hujuſce veſtibuli ornamentum, de quibus toto ſequenti capite diſſeremus.

CAPUT VIII.

De duabus columnis Jachim & Booz, quas Salomon ex ære poſuit in veſtibulo ædis ſacræ. De formâ earum & menſuris. Exponuntur Scripturæ loca, ubi dè illis ſermo ſit.

SECTIO I.

De dimenſionibus columnarum Jachim & Booz. De altitudine, ambitu, & craſſitudine earum.

Duas columnas in veſtibulo, ubi nunc gradum ſiſtimus, Salomon poſuerat, tum materiâ, æneæ enim erant, conſpicuas, tum formâ, quæ extraordinaria erat. Neque enim, quod plerique putant, ex ſolitis columnis, quæ trabeationem ſuſtinent, aut ſuſtinere videntur; nam interdum admoventur, cùm jam perfecta ſunt ædificia, tantùm ut decori ſubſerviant. Magnum quidem afferunt ornamentum columnæ; & ideò illas Architecti dimetiuntur diligentiùs, ut congruant operi; & pro altitudine ſuâ & pro ratione ponderis, quo onerantur, convenientem craſſitudinem habeant. Eâ in re ferè omnis ars architectonica verſatur, & ſpectatur. Idcircò, qui illâ delectantur, animum adjungunt his quæ habet Scriptura de dictis columnis, quia ſperant, ut leonem ex ungue, totam rationem & formam templi Hieroſolymitani indè poſſe cognoſcere. Spem illam inanem eſſe, ſermo quem facere incipimus, docebit. Scilicet ignorantes in quem uſum Salomon has columnas conflaverat, & poſuerat in veſtibulo ædis ſacræ, præjudicaverant temerè, ut puto, fuiſſe ſimiles Græcanicis, quarum formam inferunt in ſacrum codicem: hoc eſt, illi vim adhibent, ut videatur deſcribere perſimiles Græcanicis columnas. Ego verò ab ipſo ſacro codice accipiam quæ fuerit forma columnarum, quas deſcribit, & ego explicandas ſuſcipio. Diu eſt quòd oculis mentis meæ obverſantur; ſi fortè formam aſſequerer, quæ quadret cum earum uſu & deſcriptione. Satis clara eſt Scriptura ubi deſcribit earum dimenſiones; in cæteris vero valdè obſcura.

ALTITUDO
Columnarum.

Lib. 3. Reg. c. 7. v. 15.	Lib. 4. Reg. c. 25. v. 17.	Jeremiæ c. 5.
Et finxit Salomon duas columnas æneas, decem & octo cubitorum altitudinis columnam unam.	*Decem & octo cubitos habebat columna una.*	21. *De columnis autem, decem & octo cubiti altitudinis erant in columna unâ.*

In illis tribus locis parallelis definitur altitudo columnarum decem & octo cubitorum, id eſt, juxta calculos noſtros, triginta pedum Pariſinorum: ita non ea mediocris fuit, imo procera pro ratione veſtibuli, in quo ſtabant. Attamen his, qui eas altiores faciunt, favere videretur liber ſecundus Paralipomenorum, ubi iſta leguntur. cap. 3. v. 15. *Ante fores etiam templi duas columnas* poſuit Salomon, *quæ triginta & quinque cubitos habebant altitudinis.* Verùm tam liquidò minores ſtatuuntur in libris Regum, & apud Jeremiam, ut locus ille merito corruptus à Librariis cenſendus ſit, vel interpretandus ſit ille locus Paralipomenon de collectâ duarum columnarum altitudine; ſicut in eodem loco, cùm dicitur (verſu 11.) quòd alæ Cherubim extenderentur viginti cubitis, colliguntur in unam ſummam quatuor alarum longitudines; ſubjungit enim Scriptura unamquamque alam habuiſſe cubitos quinque. Si quis dicat triginta quinque cubitos non facere bis decem & octo cubitos; huic reſpondebunt qui refugiunt dicere notas numerorum etiam in ſacris codicibus quandoque corrumpi Librariorum incuriâ, partem cujuſque columnæ, quæ lateret vel in capitello, vel in baſi fuiſſe ſemicubitalem; quam ideo ibi non numeravit ſcriptor Paralipomenorum, quia non conſpicua erat. Nunc in editione Vaticanâ Græcâ apud Jeremiam ſtatuitur altitudo columnarum fuiſſe triginta quinque cubitorum; ſed error eſt manifeſtus. Etenim in fonte Hebræo concors eſt Jeremias cum libris Regum; his & Joſephus & Theodoretus concordes, ſicut Complutenſis editio. Quis cogitet columnas triginta quinque cubitorum, ſive ſexaginta ferè pedum noſtratium potuiſſe ex fuſo ære conflari.

PERIMETER,
ſive ambitus columnarum.

Lib. 3. Regum cap. 7. v. 15.	Jerem. cap. 52. v. 21.
Et linea duodecim cubitorum ambiebat columnam utramque.	*Et funiculus duodecim cubitorum circuibat eam.*

Ibi Jeremias declarat apertè ambitum cujuſque columnæ, quem metiebatur funiculus duodecim cubitorum. Ita diameter, ſive, ut loquuntur Architecti, modiolus erat paulò minor quatuor cubitis; ſic columnæ ſcapus, propriè στῦλος habebat rationem ad decem octo cubitos, nempe ad altitudinem columnæ, quæ reperitur inter hoſce numeros 4 & 18 vel inter 1 & $4\frac{1}{2}$. An iſta proportio ſit Architectonica, ſive an ad proportionem architectonicam

conflatæ fuerint columnæ, de quibus sermo est, nondum expendimus; sed inquirimus in veras earum dimensiones. Videtur quidem versio Vulgata dicere, quod funiculus duodecim cubitorum ambiret columnam utramque. Ita perimeter singulæ cujusque fuisset sex tantùm cubitorum; ideò diameter, sive modiolus infra duos cubitos. Eam rationem habens ad altitudinem decem octo cubitorum quæ intercedit inter hos numeros 1 & 9. Ratio ista magis est architectonica; sed hîc quærimus quis sacri codicis sensus sit verior. Ad verbum textus Hebræus verti potest: *Et filum duodecim cubitorum ambiebat columnam secundam.* In fonte עמוד השני *amud hascheni.* Vox השני est singularis; ita non duas columnas, sive utramque columnam significat. Videretur Interpres Latinus legisse שנים *schenaim*; sed & legisset non עמוד *amud*, sed in plurali עמודים *amudim*; quod non cohæret. Dici etiam potest aliquam particulam ex hoc loco excidisse; sensus enim imperfectus est: perfectior est in Paraphrasi Chaldaica. *Octodecim cubitorum erat altitudo columnæ unius, & filum mensuræ duodecim cubitorum ambiebat illam, & sic fecit columnæ secundæ.* Similia habet versio Græca in editione Complutensi Δέκα καὶ ὀκτὼ πήχεις τὸ ὕψος τοῦ στύλου καὶ τὸ περίμετρον δύο καὶ δέκα πηχῶν σπαρτίον ἐκύκλου αὐτόν. Καὶ οὕτως ὁ στύλος ὁ δεύτερος. Hanc particulam καὶ οὕτως ὁ στύλος ὁ δεύτερος *& sic columna secunda*, habet etiam editio Romana; sed subjicit assumentum, quod in illam, ut modò dicemus, irrepsit ex aliquâ glossâ. Præterea manifestus error est, quod in hac editione legitur ambitum columnæ fuisse non duodecim, sed quatuordecim cubitorum; quod & habet Theodoretus, deceptus, ut mihi videtur, Librarii alicujus lapsu; textui enim Hebræo concors est Josephus peripheriam columnarum faciens duodecim cubitorum.

Proprio articulo excutiemus quid Villalpandus sentiat de mensuris & formâ columnarum. Interim juvat proferre quo conatu ille torqueat Jeremiam, ne sibi adversari videatur. Etenim Villalpandus partitur inter duas columnas duodecim dictos cubitos; ut quæque habuerit ambitum sex tantùm cubitorum; quem Jeremias docet nos fuisse 12 cubitorum. *Non me latet*, inquit ille, *Jeremiam Prophetam, dum miseram urbis cladem ac templi deploraret incendium, columnarum meminisse, cùm eadem ferè verba Historiæ Regum retulisset:* & funiculus, *inquit*, duodecim cubitorum circuibat eam; *qui cùm lugentis affectum concisis verbis, ac veluti singultibus interruptis exprimeret, quam historia vocavit* [secundam] *hoc est*, utramque, *ipse pronomine quodam duarum literarum, quod affixum vocant, adjuncto,* [eam] *dixit, hoc est, eam utramque, quam dixit historia; atque adeò in idem recidit.* Quid hîc agit Villalpandus, si non ludos facit.

DE CRASSITUDINE
cujusque columnæ.

Jerem. cap. 52. v. 21. *Porro grossitudo ejus quatuor digitorum, & intrinsecùs cava erat.*

Non aliter Græci & Paraphrastæ Chaldæi hîc interpretantur fontem Hebræum, quàm Interpres Latinus. Omnes pariter crassitudinem interiorem columnarum faciunt quatuor digitorum. Neque enim erant solidæ ex ære; sed cavæ. Porrò cùm viginti quatuor digiti sint in cubito, & ideò in viginti pollicibus; crassitudo illa erat trium pollicum & quatuor linearum; undè facile est colligere quantum esset pondus harum columnarum. Josephus in hac mensura sicut in aliis dimensionibus convenit cum fonte & Græcis versionibus. Ex Eupolemo autem apud Eusebium de Præparatione lib. 9. cap. 4. Columnæ erant ex auro purissimo ad digiti crassitudinem. Quæ sit auctoritas Eupolemi suo loco dicetur. Ex hoc loco, ut significavi, in editionis Vaticanæ senum Græcorum versiculum decimum quintum irrepsit hæc particula: τεσσάρων δακτύλων τὰ κοιλώματα. Quatuor digitorum cavitates. In omnibus autem Græcis editionibus Jeremiæ occurrit: καὶ τὸ πάχος αὐτοῦ δακτύλων τεσσάρων κύκλῳ. Et grossitudo ejus digitorum quatuor in circuitu. Abest ergo ab illis vox κοιλώματα *cavitates*; quæ locum dedit Villalpando ut in istis columnis videret vel videre putaret striges, strias, nempe canaliculatam cælaturam, quales cernuntur in quibusdam Græcanicis columnis; de quo ornamento sermonem fecimus, differentes de principiis Architecturæ. Sed etiam si potuerint Salomonicæ columnæ non carere hocce genere ornamenti; quo & illas exornatas exhibemus, attamen certum est vocem κοιλώματα *cavitates* neutiquam, aut non necessario interpretandam de *strigibus*, sive de canaliculatâ cælaturâ. Neque enim dissident inter se Interpretes; & certum est, quisquis ille sit, cujus manus inseruit dictam particulam loco Regum allegato, procul dubio accersisse eam ex Jeremia. Ergo eodem sensu usurpabat eam, quo Interpretes Græci vocem Hebræam עבי, quam optimè reddiderunt πάχος *crassitudo*. Sic cava erat columna, ut crassitudo ejus esset quatuor digitorum. In veteri versione Josephi, quæ Rufino tribuitur, ista quidem legimus: *Fecit Hiramus duas columnas æreas cum canalibus cavatione quatuor digitorum.* Villalpandus, semper aliquid quærens quod conferre posset decorem templo inde columnas striatas cogitavit. Striatæ quidem columnæ, sive virgatæ, & canaliculatæ illæ sunt in quibus apparent quasi virgæ à summo ad imum directæ, & quarum cavum persimile est canali, sive sulco. Tales quidem columnas fons Græcus Josephi non exhibet. Ille exscripsit versionem Græcam Jeremiæ cap. 52. v. 19. usus & verbis ejus cùm de crassitudine columnarum agit: ἔσωθεν τὸ πάχος τεσσάρων δακτύλων, nempe columnarum *interior crassitudo quatuor digitorum.* Igitur striæ in columnis Salomonicis figmentum est: expressimus tamen in delineationibus nostris, quia cùm omni ornamento caruisse non verisimile sit, quale illud fuerit ignorantes, ne nullum esset, aliquod adjunximus.

SECTIO II.

De capitellorum, quæ columnis imponebantur, dimensionibus, formâ, ornamentis.

QUanquam vera sint & sapienter dicta quæ in libro primo de Trinitate D. Hilarii legimus. *Optimus Lector est, qui dictorum intelligentiam expectat ex dictis potiùs quàm imponat, & retulerit magis quàm attulerit: neque cogitat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum.* Licet, inquam, hæc vera sint; attamen occupabo animum Lectoris præconceptâ formâ capitellorum, quorum descriptionem quæ in Scripturis est, explicandam aggredior. Neque enim aliter huicce loco Scripturarum lucem afferre possum, quàm faciendo quod solent Geometræ, ubi rei difficilis veritatem assequi conantur. Hi notis suis eam exprimunt perinde ac si nota esset: deinde obscura cum claris, nota cum ignotis comparando, feliciter eruunt latentem veritatem; quam à se optimè expressam demonstrant. Sic primùm describam hæc capitella, qualia efformavi animo meo; deinde afferam verba Scripturæ, quibus hanc descriptionem evincam convenire.

Immani intervallo discrepant illa capitella Græcanicis, cujus rei gratiâ formam quam habent, & quam illis Salomon indiderit, dicam postea. Nunc, Lector, mentem & oculos adverte ad istam formam, quam illa habuisse puto. Cujusque columnæ capitellum constabat vase rotundo, quod operiebat retiaculum, ex quo pendebant malogranata; tum & coronamento, contexto ex liliis. Hæc omnia ænea erant. Vas pervium erat ventis, propter maculas, sive foramina retiaculi, quo operiebatur. In duobus locis vasis distinguendus quasi circulus, cui inhærebant subtiles catenæ, unde pendebant malogranata, quæ agitari facilè poterant à ventis perflantibus. Duplex erat ordo malogranatorum. Supra hocce retiaculum vas, ex quo videbantur enasci & surgere lilia, quibus totum opus coronabatur. Malogranata non tantummodo decorem, sed & utilitatem præstabant, quod infra observaturi sumus. Lilia verò erant species coronamenti elegantis. Jam Lector experire utrum similis forma conveniat verbis sacris. Licet istâ meâ opinione occupatus illa expendas, errorem tamen fugies, si illam, quam præconceperis formam non credas veram, nisi ubi animadverteris consentaneam locis Scripturæ, quæ hùc afferam spectantia capitellum, de quo quæstio est.

DIMENSIONES CAPITELLI.

Lib. 3. Reg. c. 7. v. 16.	Lib. 2. Paralip. cap. 3. v. 15.	Jerem cap. 52. v. 22.
Duo quoque capitella fecit, quæ ponerentur super capita columnarum, fusilia ex ære. Quinque cubitorum capitellum unum, & quinque cubitorum altitudinis capitellum alterum.	*Porro capita eorum quinque cubitorum.*	*Et capitella super utramque ærea: altitudo capitelli unius quinque cubitorum.*

Quis post tam apertum sermonem dubius hæreret circa dimensiones hujus capitelli, nisi scriptor libri quarti Regum rem faceret incertam, tres tantùm cubitos huic capitello tribuens. lib. 4. Regum cap. 25. v. 17. *Capitellum æreum super se altitudinis trium cubitorum.* In his conciliandis laborant Interpretes. Sunt, ut sæpiùs dico, qui à Librariorum negligentiâ non deffendunt sacros codices, in eo quod spectat depravationem notarum numericarum. Verùm difficultas aliter solvi potest. In quarto Regum scilicet, tantùm pars superior capitelli numeratur: in illo enim duæ partes sunt distinguendæ. Forsan inferior, ubi duo malogranatorum ordines, non altior erat duobus cubitis: superior verò tribus; nempe coronamentum ex liliis, altum erat tribus cubitis: cujus coronamenti nomine pariter alibi significatur totum capitellum; quippe eo quasi coronabatur quæque columna. Lilia etiam nominantur coronamentum, quod sine distinctione statuitur quinque cubitorum. lib. 3. Reg. cap. 7. v. 19. *Capitella autem* כתרת *cotharoth*, id est, coronamenta, *quæ erant super capita columnarum quasi opere lilii fabricata, erant in porticu quatuor cubitorum.* Ultima verba *in porticu*, &c. infra exponuntur.

DE RETIACULO.

capitelli, & malogranatis.


Prosequamur quæ habent sacri codices de capitellis columnarum; comparando inter se loca omnia, ut se se invicem collustrent.

Libro 3. Reg. capite 7. v. 17.	Libro 4. Reg. cap. 25. v. 17....
Et quasi in modum retis & catenarum sibi invicem miro opere contextarum.	*.... Et retiaculum, & malogranata super capitellum columnæ, omnia ærea: similem & secunda columna habebat ornatum.*
Jerem. cap. 52. v. 22...	2. Paralip. cap. 3. v. 16.
Et retiacula & malogranata super coronam in circuitu, omnia ærea. Similiter columnæ secundæ & malogranata nonaginta sex dependentia, & omnia malogranata centum, retiaculis circumdabantur.	*Nec non & quasi catenulas in oraculo, & superposuit eas capitibus columnarum: malogranata etiam centum, quæ catenulis interposuit.*

Certa ab ambiguis distinguenda sunt. Certum primò est in his capitellis, quæcumque fuerit forma eorum, fuisse retiacula aut quidpiam simile. Vox שבכים *sebachim*, quæ eadem est ac סבכים, significat quid implexi, ש & ס *schin* & *samech* sunt literæ ejusdem soni. Retia constant implexis funibus; undè nomen Hebræum redditum est *δίκτυα retia.* Secundò memorantur clarè malogranata, sive mala punica רמנים *rimonim*; quæ erant dependentia. Tertiò duo ordines erant horum malorum. *Dependebantque indè duæ series malorum punicorum ducentorum numero* Τούτου δ' ἀπήρτηντο κατὰ διστιχίαν, καὶ ῥόαι διακόσιαι. Verba sunt Josephi. Similiter Theodoretus adstruit impositum à Salomone columnis *retiaculum quoddam ornamentum appensa habens malæ punica.* Δικτύου εἶδός τινα κόσμον ῥόας ἐξηρτημένας ἔχοντα. Quartò catenulæ erant, sive funiculi, quibus suspendebantur mala punica. Ergo certum est in his locis mentionem fieri retiaculorum & catenarum & malogranatorum. Fecit Salomon 3. Reg. cap. 7. v. 17. *Et quasi in modum retis & catenarum sibi invicem miro opere contextarum*, &c. hoc est, ut habet fons: *Retiacula opere retiaculi: funes opere catenarum.* Nimirum aliquid simile retiaculis & catenis. Quid aliud sunt גדלים *ghedilim*, id est, *funes*, qui ex ære erant, quàm catenæ?

Huicce loco tertii Regum parallelum est quod dicitur in 2. Paralip. cap. 3. v. 16. *Nec non & quasi catenulas in oraculo*, ut loquitur Vulgatus Interpres. In fonte בדביר *badevir*, id est, *in oraculo.* Nomen illud sic vertendum, quando legitur cum punctis, quibus nunc afficitur. In versione Græcâ, juxta editionem Regiam, sive Complutensem. Καὶ ἐποίησεν ἁλυσιδωτὰ ἐν τῷ δαβείρ: juxta Romanam; Καὶ ἐποίησε σερσερὼθ ἐν τῷ δαβίρ. Nempe hîc voces Hebræas, quippe obscuras, Interpres Græcus sat habuit exprimere Græcis caracteribus. Paraphrasis Chaldæa hujus loci, quem edidit Beckius, nomen דביר *δαβίρ* interpretatus est de eâ parte templi, ubi erat Propitiatorium בבית כפורי *Bebeth caphore*, id est, *in æde propitiatoriâ.* Juxta vulgatiorem interpretationem sensus est, ad suspendenda malogranata catenulas factas à Salomone, persimiles illis, quæ erant appositæ in ea parte templi, quod appellabatur דביר *oraculum.* Pro hac interpretatione confirmandâ allegatur caput sextum tertii Regum v. 21. *Domum quoque ante oraculum operuit auro purissimo, & affixit*

...raphia, à Ortographia b Capituli, vnius e Columnis æneis vestibuli ædis sacræ, et ...li siue trabeationis eodem Capitello superimpositæ, ex Villalpande. Col. 1051.






Capitellum, seu pars superior vnius e duobus Columnis æneis in vestibulo ædis sacræ à Salomone consecratis. Col. 1040.




...sis vnius è columnis vestibuli, ex Villalpando. Col. 1051.






1 2 3 4 Cub. heb.

...lineatio Ædis sacræ et appendicum eius, juxta Judæos. Col. 1057 et seq. 1060 et seq.




Scala pedalitorum hebræorum



ΑΕΤΟΣ, siue tympanum figuris exornatum. Col. 1018.



Vestibuli ædis sacræ nudum Epistylium, constans quintuplici trabium et quadruplici lapidum ordine. Col. 1026.



...monce del.

Tab. XVIII.



fixit laminas clavis aureis. Sic Junius & Tremellius vertunt hunc locum. *Fecit interjectum* punctem *præter funes aureos ante adytum: quem similiter obauxit auro.* Vox רתיקות *rathikoth* funes & catenas significat; sed & *catenas* bene interpretatus est Vulgatus noster. Venit vox illa à רתק quod sonat, *ligari, vinciri, concludi.* Occurrit apud Ezechielem cap. 7. v. 23. ubi à Symmacho & Theodotione redditur καθήλωσις, confixio quæ clavis fit. His insuper non legitur in loco Paralipomenorum ubi moramur, sed שרשרות, ut frustra quis dicat, in capitellis fuisse catenulas similes his, quæ erant in oraculo; quoniam ibi nullæ erant.

Quis ergo sensus particulæ hujus: *nec non & catenulas quasi in oraculo.* Conjectarem a primis temporibus factam aliquam mutationem, & pro בדביר legendum כדבר. Neminem fugit nomen דבר *davar* esse multiplicis significationis apud Hebræos: pro *sermone, verbo, re, more, opere* usurpatur. Ergo scriptor Paralipomenorum eadem diceret, ac ille qui scripsit tertium Regum, nempe fecisse quidpiam simile catenis, opus perplexum, catenatum, in more catenarum, vel veluti opus quo catenæ fiunt. Sic loqui Hebræi amant. Quidquid sit de ista conjectura, in hoc ipso loco Paralipomenorum clare indicatur pensile opus fuisse. *Nec non & catenulas in oraculo, & superposuit eas capitibus columnarum. Malogranata centum, quæ etiam catenulis interposuit.* Lata est significatio verbi Hebræi נתן nathan. Sæpiùs usurpatur pro *Do*, interdum pro *pono, appono, impono, suppono, infero.* In secundo Regum capite 18. v. 9. redditur à Græcis per verbum κρεμάσομαι *suspendor.* Ita verti poterat locus in quo versamur; *Et apposuit, vel suspendit eas catenas capitibus columnarum. Malogranata centum, quæ catenis suspendit.* Hæc sunt quæ clare exhibentur in delineatione nostrâ. Pergamus exponere, quæ subjunguntur in libro tertio Regum cap. 7. v. 17.... *Utrumque capitellum columnarum fusile erat: septena versuum retiacula in capitello uno, & septena retiacula in capitello altero.* Omnia ex ære erant, etiam retiacula. In fonte: *septem coronamento uni, & septem coronamento secundo.* Ad quid referendum sit illud *septem*, non liquet; neque enim septem erant coronamenta, ut innuere videtur Chaldæus Paraphrastes; si quidem *chethoreth* fontis, id est, *coronamentum* in numero singulari est. Si autem fuissent numero plura coronamenta, legeremus *chethoroth.* Vulgatus Interpres dicit septena fuisse versuum retiacula. Non expressit fontem ad verbum: *septem coronamento uni, & septem coronamento alteri.* Sic Junius & Tremellius. Credo ibi numerum septenarium positum pro indefinito; ut sensus sit hæc retiacula habuisse innumeras maculas. Versio Græca in editione Regia sequitur fontem. Romana editio prætermisit numerum septenarium. Quod autem in utraque editione Græci dicunt Salomonem fecisse duo retiacula περικαλύψαι τὸ ἐπίθεμα τῶν στύλων *ad operiendum additamenta columnarum*, impulit in errorem plerosque, qui sic capitella repræsentant, quasi malogranata obtecta fuissent retiaculo; cui & errori dedit locum versio Latina sequentis versus.

18. *Et perfecit duas columnas & duos ordines per circuitum retiaculorum singulorum, ut tegerent capitella, quæ erant super summitatem malogranatorum: eodem modo fecit & capitello secundo.* Fons Hebræus reddi potest: *Et fecit columnas & duos ordines circumquaque super retiaculum unum, ad tegenda coronamenta quæ super caput* columnarum, *malogranatis.* Hoc est, faciendo duas columnas, fecit duos ordines ex malogranatis, quæ tegerent capi-

A tella columnarum. Miris modis delineationem nostram confirmat id quod habet versio Græca, non respondens quidem textui Hebræo, sed clarè demonstrans interpreti Græco similem formam huic quâ donamus hocce capitellum, fuisse objectam. Καὶ ἔργον κρεμαστὸν δύο στίχοι ῥοῶν χαλκῶν, δεδικτυωμένοι, ἔργον κρεμαστὸν στίχος ἐπὶ στίχον. *Et opus pensile: duo ordines malogranatorum æneorum reticulati, opus pensile, ordo super ordinem.* Favet & quod in allegato loco Paralipomenorum legimus; pro eo enim quod est in versione Latinâ: *Malogranata etiam centum, quæ catenulis interposuit.* Editio Romana habet, Καὶ ἐποίησε ῥοΐσκους ἑκατὸν, καὶ ἔθηκεν ἐπὶ τῶν χαλαστῶν. *Et fecit malogranata centum, & posuit super catenas dependentes.* B Hæc versio graphicè depingit quod præconcepimus. Nec omittenda Paraphrasis Chaldaica, quæ idem sonat: *Effecitque malogranata centum, atque catenulis appendit.*

DE CORONAMENTO
superiori: de liliis, quibus constabat; & de numero malogranatorum. Tum de vase, quod his omnibus suberat.

Lib. 3. Regum cap. 7. v. 19. *Capitella autem, quæ erant super capita columnarum, quasi opere lilii fabricata erant, in porticu quatuor cubitorum.* In Paraphrasi Chaldaica: *Et coronæ, quæ erant super caput columnarum, erant opus liliacei floris.* Licet cogitare capitellum ornatum liliis, quæ illud co- C ronarent, superstarent, ut dicit Josephus Χωνευτὸν δ' ἐφ' ἑκατέρᾳ κεφαλῇ κρίνον ἐφειστήκει τὸ ὕψος ἐπὶ πέντε πήχεις ἐγηγερμένον. *Utrique columnæ capiti superstabat lilium fusile surgens ad altitudinem quinque cubitorum.* Illa altitudo ad totum capitellum attinebat; partemque ejus vindicabat sibi vas rotundum, de quo modo fiet sermo. Supra illud surgebant lilia magna, ut illa exhibet schema nostrum. Optimè Theodoretus distinguit lilia à cætero capitello Τούτοις καὶ κεφαλίδας ἐκ τῆς αὐτῆς ὕλης ἐπέθηκε, καὶ κρίνα μέγιστα ταῖς κεφαλίσι. *Imposuit etiam illis columnis & capitella ex eadem materia & lilia maxima capitellis.* Quod in Josepho, Theodoreto, & in Vulgatâ versione capitellum dicitur, respondet voci Hebrææ כתרת *cothereth* à כתר D *chiter, cinxit.* Undè patet illud capitellum fuisse aliquid rotundum, quod imponeretur vertici columnarum. Græci vocem Hebræam non vertunt, tantùm eam exprimentes suis caractèribus, appellantes χωθὰρ: quandoque reddunt ἐπίθεμα, hoc est, aliquid quod super imponeretur; quod neutiquam definit formam capitelli. Appellatur in Paralipomenis צפת *tzepheth*, id est, *operimentum.* Cujuscumque fuerit formæ capitellum; certè operiebat capita columnarum.

Illa particula versûs decimi noni capitis septimi libri tertii Regum. *In porticu quatuor cubitorum*, hunc quidem sensum habet; scilicet columnæ positæ erant in porticu אלם *oulam*, αἰλὰμ; sic appellatur vestibulum ædis sacræ; & una quæque colum- E na occupabat spatium quatuor cubitorum, sive quadraturam tot cubitorum; quod constat. Etenim cùm ambitus cujusque esset duodecim cubitorum, necesse est, ut juxta rationem perimetri ad diametrum, qualis ratio tunc temporis probabatur; necesse, inquam, est ut diameter columnarum fuerit quatuor cubitorum. Sic diameter maris ænei statuitur decem cubitorum, & perimeter triginta. Verùm etiam si sensus ille apertus sit, videtur ibi textus mancus & perturbatus; quod agnoscitur comparando textum hodiernum cum optimis Græcis editionibus; quod declaratur in scholiis Romanæ editionis. *Hæc omnia in codicibus variè sunt posita, coagmentata, repetita, mutilata, inquiunt editores.*

SECTIO III.

De numero malogranatorum quæ pendebant de capitello, de liliis quæ in illo surgebant, & de formâ totius vasis.

PRosequamur verba tertii Regum in capite septimo. Sic pergit loqui scriptor hujus libri.

20 *Et rursum alia capitella in summitate columnarum desuper juxta mensuram columnæ contra retiacula: malogranatorum autem ducenti ordines erant in circuitu capitelli secundi.*

Ad fontem recurrendum est, quem sic reddo. *Et coronamenta super duas columnas, etiam desuper,* nempe *è regione ventris*, quo nempe vas, quod diximus subtitiisse retiaculo, tumescebat, *trans retiaculum* duo erant *malogranatorum ducentorum ordines circumquaque. Sic super coronamentum secundum.* Delineatio nostra demonstrat hanc interpretationem ab omni parte esse perspicuam. Cùm in utraque columna essent duo ordines malogranatorum, & in uno ordine centum, in duabus columnis erant quadringenta; quod in eodem capite Regum v. 41. adstruitur. *Columnas duas* fecit Hiram *& funiculos capitellorum super capitella columnarum duos: & retiacula duo, ut operirent duos funiculos, qui erant super capita columnarum.* 42. *Et malogranata quadringenta in duobus retiaculis: duos versus malogranatorum in retiaculis singulis, ad operiendos funiculos capitellorun, qui erant super capita columnarum.*

Hæc omnia indigent aliquâ elucidatione; neque enim liquet quid sit intelligendum per *illos funiculos capitellorum*, & quomodo retiacula *operirent duos funiculos qui erant super capita columnarum.* Incassum quæreretur in illis verbis sensus secum cohærens. Ibi Latinus Interpres sequutus est Græcos, qui procul dubio pro hodierno nomine גלת *ghuloth*, id est, *vasa rotunda*, legerunt גדילים *ghedilim*, id est, *fila intorta*; undè verterunt στρεπτὰ *vertibilia, intorta.* Chaldæus Paraphrastes vocem *ghuloth* interpretatur *vasa rotunda.* Fontis, ut nunc legitur, sensus apertus est. *Columnas duas* fecit Hiram, *& vasa rotunda*, nempe aliquid rotundum, quæ *erant imposita capitello columnarum duarum, & retiaculum ad tegendum duo vasa quæ erant imposita capitello columnarum.* Cùm enim retiacula subtilia essent, quidpiam validius subesse oportebat, cui superextenderentur. Illa autem fulcra referebant formâ suâ vas rotundum, lecythum, lenticulam, quod vox Hebræa significat.

Lectionem hodiernam fontis Hebræi ipsa versio Græca Romanæ editionis confirmat. In loco enim parallelo 2. Paralip. cap. 4. v. 12. vocem eamdem Hebræam גלת sic bis exprimit Græca hæc editio Græcis caracteribus, nomen Hebræum γωλὰθ scribens; ut nullus dubitationis locus sit, quin hodierna lectio fontis magis sit probanda. In editione Complutensi vox ista גלת *ghuloth* redditur βάσεις non malo sensu. Vasa enim rotunda erant veluti bases capitellorum, fulcra eorum, fundamentum. Locus afferendus integer, quoniam nemo percipiat ullum sensum in descriptione hujus capitelli, quam facit Scriptura, nisi concipiat quid sit illud vas rotundum. *Fecit autem Hiram....* v. 12. *columnas duas, & epistylia*, in fonte; *duo vasa rotunda, & capita*, in fonte: & coronamenta super capita columnarum duarum *& quasi quædam retiacula quæ capita tegerent super epistylia.* B. Hieronymus eo in loco nomen *ghuloth* intepretatur *epistylia* nullo commodo sensu. Forsan legebat עבות *aboth*, id est, *trabes, epistylia.* Juxta hodiernum fontem decet interpretari duo vasa rotunda. 13. *Malogranata quoque quadringenta, & retiacula duo, ita ut bini ordines malogranatorum singulis jungerentur quæ protegerent epistylia*, nempe *ghuloth*, sive duo vasa rotunda *& capita columnarum*, in fonte: quæ super caput columnarum.

Huicce numero malogranatorum videtur Jeremias quædam detrahere. Sic loquitur cap. 52. v. 23. *Et fuerunt malogranata nonaginta sex dependentia, & omnia malogranata centum retiaculis circumdabantur.* Fontem sic reddere possumus. *Erantque malogranata nonaginta sex in plagam* quamque: *omnia malogranata centena in retiaculo circumquaque.* Versio Græca non dissidet Καὶ ἦσαν αἱ ῥοαὶ ἐνενήκοντα καὶ ἓξ τὸ ἓν μέρος. καὶ ἦσαν πᾶσαι αἱ ῥοαὶ ἐπὶ τοῦ δικτύου κύκλῳ ἑκατόν. Illud τὸ ἓν μέρος reddendum *in latere uno*, ut Paraphrastes Chaldæus interpretatus est vocem Hebræam רוחה, quæ idem sonat ac Latinè *ad ventum* Ut sensus sit, ad quatuor plagas mundi; ventus enim sumitur pro una ex quatuor plagis mundi. Nisi velimus dicere a Prophetâ significari malogranata exposita fuisse vento ut agitari possent. Unde autem Jeremias dicit malogranata fuisse nonaginta sex, & postea centum? Duo erant ordines, & in primo & in secundo erant centum malogranata, ita in duabus columnis quadringenta sint numeranda. Undè ergo Propheta subducit de hocce numero? Hi respondent scribam errasse: alii centum dici rotundandi causâ numeri: sunt & qui sentiant tantùm nonaginta sex malogranata fuisse in quocumque ordine conspicua; quatuor reliqua visum latuisse in angulo parietum, inter quos posita erat columna. Corpus sphæricum aspici undique non potest uno obtutu. Malogranata angulorum non subjiciebantur vento; à quo igitur tantùm nonaginta sex poterant commoveri.

Etsi penderent malogranata ex retiaculo; tamen totum illud retiaculum, etiam capitellum considerari potest quasi calathus, canistrum, sive vas quodpiam reticulatum, plenum malis punicis. Calathi pomorum non rarò sunt reticulati, *les corbeilles de fruits sont faites d'osiers tissus à jour.* Calathi pleni malogranatis, supra verticem columnæ, nempe expositi in alto loco, oculos jucundo aspectu recreabant, simul & nasum odore suo. Non dubito quin inter alia quæ Salomon sibi proposuerat, confians capitella columnarum, in animo habuerit in ornamentum exhibere calathos horum pomorum, quales singulis annis in primitias offerebantur templo, sicut & aliorum pomorum & cæterorum ficuum. Hæ primitiæ deponebantur coram Deo; ut videre est apud Jeremiam in visione, quam describit 24. 1. *Ostendit*, inquit, *mihi Dominus: & ecce duo calathi pleni ficis, & positi ante templum Domini.* Quos scilicet quis agricola in primitias Domino obtulerat. Calathi illi in fonte appellantur דודאים *dudaim*, quod nomen multa significat, sed in primis *calathum, canistrum, sportam*; quod cùm derivetur à voce דוד *dud*, quæ idem sonat ac *amicus, amor*, possumus cogitare hos calathos, quibus fructuum primitiæ portabantur ad templum, fuisse eleganter elaboratos, jucundos aspectu, amabiles. Ex hoc more natum illud ornamentum quod dicitur *Encarpus* ab Architectis, qui quantùm potuêre in operibus suis opera naturæ expressêre. Encarporum meminit Vitruvius libro quarto capite primo. Qualia sint ornamenta declarat Philander ad hunc locum Vitruvii. *Encarpus* ἔγκαρπος *Græcis fructuosum significat. Hoc loco ornamentum est, florum frondiumque & pomorum implexus atque contextus, coronario luxu foliis flores & fructus incursantibus, & loro, sive*

fasciâ circumcinctis & advolutis. Cujus modi sunt, quæ serta & corollas triumphales nostri vocant. Itali ghirlandas & festones à festivitate.

Non hæc dico quasi assimilem capitella columnarum, de quibus sermo est, Encarpis Græcorum; sed ut indè Lector judicet nativum illud esse ornamentum, quo Salomon eas columnas ornatas esse voluit. Huic loco inseram quod legimus in Proverbiis 25. 11. *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.* In fonte *mala aurea cum* Maskijoth *figuris argenteis, est verbum dictum suis modis.* Vocem illam Maskijoth Maimonides in præfatione Doctoris perplexorum sic interpretatur. *Sunt corpora sculpta sculpturis perplexis, vel retiaculis subtilibus & perforatis, adinstar operis aurifabrorum; vocanturque ita, quia per illa visus transit & penetrat. Nam verbum Hebræum* Nischaph *vel* hischk ph *prospicere & respicere in Targum transfertur per* isteche אסתכי *(undè illud* Maskijoth *derivatur.) Dicit ergo mala aurea operi tali argenteo: reticulato & perforato inclusa parabolam esse verbi suis modis dicti.* Mala illa aurea habere possumus pro malis granatis. Herodotus narrat libro 7. Persicos milites fuisse qui in lanceis pro coronis gestarent mala punica aurea.

Sunt, ut innui, qui capitella dicta concipiunt tanquam calathos, quibus continerentur malogranata inclusa retiaculo cum liliis. Interdum sic abaci, impositis similibus calathis, exornantur. Dum hæc cogito, recordor Virgiliani carminis,

Huc ades, ô formose puer, tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphæ calathis, &c.

Lilia quæ coronabant opus Salomonicum, non mediocrem illi decorem conferebant. Flos enim lilii gratus est; non ita utilis ac malogranata: sed & fructus jucundè miscentur cum floribus. Ita videre est in illo versiculo Cantici Canticorum cap. 7. *Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis.* Fruges coronabantur floribus lilii; ita & Salomon coronavit malogranata fructus liliis; quæ cùm sint candida, mixta aut adjuncta malogranatis, gratissima esse debent. Malogranatum idem est quod malum punicum, sic dictum, non ideò quod reperitur apud Pœnos circa Carthaginem, ut Plinius opinatus est lib. 13. cap. 19. sed ob nucleorum suorum ruborem, sive Punicum colorem; quem celebrat Ovidius 4. lib. de Ponto, Eleg. 15.

Punica sub lento cortice grana rubent.

Tum lilia, tum malogranata capitelli, quæ ærea essent, non diversos colores admovebant sensibus; sed duorum colorum ruboris & candoris, qui cùm miscentur, gratissimi sunt, memoriam renovabant. Arte, ingenio miris modis placebat illud capitellum.

SECTIO IV.

In hocce capitello non solùs ornamenti gratiâ pendebant malogranata, sed in usum necessarium; nempe ut abigerentur fœdæ aves à vestibulo ædis sacræ.

NOn inane fuit ornamentum, quod fecit sapiens Architectus. Scilicet in ornando illo capitello quod describimus, non tam decoris, quàm necessitatis, rationem habuit. Omni curâ cavebant Judæi ne templum ullâ immunditie fœdaretur. Eâ de causâ, ut infra dicturi sumus, tectum ejus horrebat acutis verubus, ne huic insiderent aves. Vestibulum ædis sacræ patebat apertum, laquearia habens
A altissima; quibus in locis fœdas aves videmus impunè volitare, & ponere nidos. Sic veris tempus describit Virgilius.

Ante novis rubeant quàm prata coloribus, ante
Garrula quàm tignis nidum suspendat hirundo.

Similiter Ovidius.

Et luteum celsâ sub trabe figit opus.

Bubo, noctua, vespertilio, & aliæ similes aves templa noctu potissimum frequentant, & domorum magnificarum tecta; à quibus si illæ non deterreantur, stercore suo omnia inficiunt. Inter mala, quibus affligenda erat Jerusalem, prædicebat Sophonias
B cap. 2. v. 14. *Et accubabunt in medio ejus greges: omnes bestiæ gentium: & onocrotalus & ericius in liminibus ejus morabuntur: vox cantantis in fenestrâ; corvus in superliminari, &c.* Eisdem malis affligendam Babylonem prænuntiat Angelus Apocalypseos c. 18. 2. *Et exclamavit in fortitudine dicens: Cecidit, cecidit Babylon magna: & facta est habitatio Dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi* φυλακὴ, id est, receptaculum, *& custodia omnis volucris immundæ & odibilis* φυλακὴ παντὸς ὀρνέου ἀκαθάρτου καὶ μεμισημένου.

Ne id contigeret in vestibulo ædis alto & patenti. Imprimis ne fœdaretur illud pretiosum velum expansum ante fores, rem Salomon excogitavit ad aves expellendas idoneam. Usum istum præstabant
C malogranata ænea, quæ pendula ex subtilibus catenis, facilè commovebantur vento, cui pervium illud reticulum, quo vas circumdatum malogranatis operiebatur. Cùm essent numero centum vel ad minus nonaginta sex in uno ordine, sic sibi vicina, statim ac levi motu impellebantur, se se invicem percutiendo edebant sonum; qui ideò ferè continuus erat, quia omnibus ventis malogranata obnoxia ab aliquo ex illis impellebantur; ita perpetuò resonabant. *Inter omnia enim metalla æs vocalius est, & tinnit clariùs, & sonitus ejus longè latèque diffunditur.* Ut observat B. Hieronymus in caput tertium Danielis. Vera, inquam, erant tintinnabula ista malogranata; undè vocem רמונים *rimmonim*, quæ
D propriè significat illa mala, Græci 2. Paralip. cap. 4. v. 13. vertunt κώδωνας, id est, tintinnabula, quæ interdum referunt illorum figuram. Ea consuetudo pervetusta est, etiam in templis Gentilium, ut aliquâ arte indè arcerentur fœdæ aves. Talem adhibuerant Pergameni, referente C. Julio Solino lib. 3. cap. 30. *Ut ædem Apellis manu insignem*, nempe tabulis ejus exornatam, *nec araneæ intexerent, nec alites involarent, cadaver* Basilisci serpentis, cujus reliquias amplo sestertio comparaverant, *reticulo aureo suspensum ibidem locaverant.* Non alienum ab hoc loco quod memorat Plinius lib. 36. cap. 13. de monumento prope Clusium, ubi erant pyramides, « ita fastigiatæ, ut in summo orbis æneus & petasus unus omnibus sit impositus, ex quo pen- «
E deant catenis tintinnabula; quæ vento agitata, « longè sonitus referant, ut Dodonæ olim fac- « tum. «

Mentio Dodonæ revocat in mentem quæ Erasmus & alii referunt, interpretantes proverbium illud *æs Dodonæum*; & ea quæ de Dodonâ urbe observat Stephanus in fragmento quod publicavit Thomas de Pinedo in suâ editione operis Stephani de Urbibus « Dodonæ duæ sunt columnæ parallelæ & invicem propinquæ, & in alterâ quidem æneum « vas est non magnum, hodiernis lebetibus affimi- « le; & in alterâ verò puerulus in manu dextrâ fla- « gellum habens, cujus ad dextram partem stabat « columna pelvim habens. Cùm igitur contingat «

» ventum flare, flagelli lora ænea, quæ sunt simi- A
» lia veris loris, cùm à vento attollebantur, percu-
» tiebant vas æneum illud, & hoc indesinenter facie-
» bant, quousque ventus perseverabat. Græca legi possunt in ipso auctore in editione Græco-Latinâ, quam vulgavit Pinedo. Singulis diebus animadvertimus adhiberi ab hortulanis terriculamenta, quæ continuò moveantur à ventis, ad arcendas aves, ne comedant grana matura, maturosve fructus. Sed ne quis dicat non ideò minus fictitium esse quod proponimus de usu malogranatorum illorum, de quibus sermo est, afferam testimonium quod nobis Eusebius servavit in fragmentis, ex quibus contexuit suos libros Evangelicæ præparationis. Apud eum sic loquitur Eupolemus lib. 9. c. 34. enarrans B quæ opera à Salomone in templo perfecta fuerint. Ποιῆσαι δὲ καὶ δακτυλίους δύο χαλκοῦς ἁλυσιδωτοὺς, καὶ στῆσαι αὐτοὺς ἐπὶ μηχανημάτων ὑπερεχόντων τῷ ὕψει τὸν ναὸν, πήχεις κ΄, καὶ σκιάζειν ἐπάνω παντὸς τοῦ ἱεροῦ. Καὶ προσκρεμάσαι ἑκάστῃ δικτύϊ, κώδωνας χαλκοῦς ταλαντιαίους τετρακοσίους. Καὶ ποιῆσαι ὅλας τὰς δικτύας, πρὸς τὸ ψοφεῖν τοὺς κώδωνας, καὶ ἀποσοβεῖν τὰ ὄρνεα, ὅπως μὴ καθίζῃ ἐπὶ τοῦ ἱεροῦ, μηδὲ νοσσεύῃ ἐπὶ τοῖς φατνώμασι τῶν πυλῶν καὶ στοῶν, καὶ μολύνῃ τοῖς ἀποπατήμασι τὸ ἱερόν. *Postremò annulos ex ære geminos, catenis implicitos, machinis quibusdam supra templi fastigium viginti cubitis extantibus imposuit, quorum umbra in totum desuper culmen incumberet; èque singulis retibus seu catenis ænea tintinnabula, talenti pondo, quadringenta suspendit, quæ catenis commotis impulsa, tinnitu ac strepitu volucres abigerent, ne vel insiderent templo, vel nidos in valvarum vel porticuum tabulatis construerent, ædemque sacram sordibus inquinarent.* C Eo in sermone non pura elucet veritas, si quidem permixta mendacio eorum, qui rem Eupolemo referebant, audita enim non visa enarrat. Non mirum est res Judaïcas ab alienigenâ, qui eas tantùm ex famâ didicerat, non omninò incorruptas tradi. Ex his verò quadringentis tintinnabulis, quæ Eupolemus numerat, colligi potest, partem narrationis attinere ad capitella, quibus describendis immoramur. Tintinnabula referre similitudine malogranata discimus, ex eo quòd dicit Scriptura fuisse permixta malogranata in veste pontificiâ cum tintinnabulis, ut quoties summus Pontifex progrederetur ad ædem sacram, sonitu D horum tintinnabulorum populus admoneretur & excitaretur ad preces. Undè autem illa permixtio, nisi ob similitudinem formæ illa commisceri & conjungi eleganter potuissent?

Non solum capitellum columnarum vestibuli, ut ita dicam, vocale erat, sed & ipsæ columnæ; quando scilicet percutiebantur. Æneæ enim & cavæ longo etiam post percussionem tempore adhuc tremulæ sonabant. Quin cùm proceræ essent, editus in imâ parte motus, augebatur versùs verticem; ita ut mediocris ictus concuteret totum capitellum, & sic efficeret ut malogranata omnia valde commoverentur, & se invicem pulsarent. Hinc subit animum cogitatio, cùm legerem apud Amos 9. 1. E hunccе Prophetam jussum à Deo, qui apparebat ei stans supra altare, ut percuteret הכפתור *hacapthor*. Subiit, inquam, animum, quòd hocce nomine significari possent malogranata columnarum, quibus commotis magnus edebatur sonus. *Percute . . . . . . & commoveantur superliminaria*, inquit Dominus. Beatus Hieronymus interpretatur *cardinem*. Ibi legerunt Græci כפרת *caphoreth*, undè vertunt ἱλαστήριον *Propitiatorium*. Nomen Hebræum iterum occurrit apud Sophoniam cap. 2. v. 14. Ubi B. Hieronymus interpretatur *limen*, Græci verò φατνώματα. quæ vox in antiquâ versione Italicâ redditur *præsepia*. Nempe φάτνη stabulum est; sed φατνώματα, sive à φάτνη, sive ab alia quacumque origine deriventur, significant *lacunaria*, *laquearia*. Juxta Pagninum, & ex sententiâ Judæorum quos allegat, *capthor* est pomum, vel quod instar est pomi rotundum, ut fit in picturis, in sculpturis, in quibus fiunt poma, malogranata & id genus. B. Hieronymus in Exodo, ubi non semel eadem vox repetitur, interpretatur *sphærulas*. Alii in loco Amos & Sophoniæ habent pro *superliminaribus*, quæ sic appellantur eo quòd sculpant in eis poma floresque, inquiunt Rabbini. In lexicis כפתר est *malum*, *pomum*, *malogranatum*. Undè Junius & Tremellius sic interpretantur Amos. *Percute istud malogranatum ut commoveantur postes ipsi.* Pariter hunc locum Sophoniæ, quem supra allegavimus. *Et accubabunt in medio ejus greges: omnes bestiæ gentium: & onocrotalus & ericius in liminibus ejus morabuntur.* Dicti Interpretes Junius & Tremellius alia animalium nomina substituunt; & pro *in liminibus ejus morabuntur*, ut B. Hieronymus vertit בכפתריה ילינו *Becapthrea jalinu*, hi interpretantur *in malogranatis ejus pernoctabunt*. Si illa fuerint malogranata in capitello pendentia, sensus utriusque Prophetæ apertus est. Quomodo Amos potuisset percutere superliminare, excelsiùs quàm ut illud posset attingere? Si verò percussisset cardinem, undè tanta fieri potuisset commotio, ut & postes moverentur? Sed vel imam columnam æneam percutiendo virgâ ferreâ vel aliquo alio instrumento, simul agitabat omnia malogranata capitelli; & ideò eum sonum excitabat, quo & commoveri videbantur postes templi, sicut æneorum tormentorum strepitu ædes integræ concutiuntur. Prædictio autem Sophoniæ magnam desolationem denuntiabat; siquidem noctuæ, onocrotalus, pelicanus, & aliæ aves in ipsis malogranatis, quorum sonitu alioqui abigendæ erant, pernoctaturæ essent. Scilicet adeò deserenda erant templi vestibula, ut & sonitui malogranatorum assuescerent aves, quæ desertis locis delectantur.

SECTIO V.

Columnæ æneæ Jachin & Booz positæ erant in monumentum; neque enim factæ ulli oneri ferendo, sive trabeationi sustinendæ.

Postquam perfectæ sunt æneæ columnæ, de quibus sermonem facimus, eas Salomon posuit in vestibulo ædis sacræ, & utrique proprium nomen dedit. lib. 3. Reg. cap. 7. v. 21. *Et statuit duas columnas in porticu templi: cùmque statuisset columnam dexteram, vocavit eam nomine Jachin: similiterque erexit columnam secundam & vocavit nomen ejus Booz.* Nomina ista exprimebant votum Salomonis pro templo. יכין *Jachin*, id est, *confirmet, statuat*; quasi Rex ille dixisset: utinam stabiliat Deus hanc domum & perpetuam faciat. בועז *Booz* significat *fortitudinem, robur, vigorem*. Quasi dixisset, utinam sit in ea domo vigor perpetuò; sitque in fortitudine.

Quæritur an hæc nomina Salomon inscripserit his columnis, scapo vel basi earum. Id suadere videtur, quod in Apocalypsi Dominus dicit, alludens ad has columnas cap. 3. v. 12. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei: & scribam super eum* (meliùs super eam, scilicet columnam, ἐπ' αὐτὸν, nempe στύλον, quod nomen Græcum masculini est generis.) *Nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei, novæ Jerusalem.* Quidquid sit, columnæ illæ erant symbola simul & certum vaticinium, quòd Deus sacram ædem statueret & confirmaret. Sed hæc templo competebant, quatenus ty-

pus erat Ecclesiæ Christianæ; *quæ est*, ut scribit A Apostolus ad Timotheum Epist. 1. cap. 3. v. 15. *columna & firmamentum veritatis*. Eversum est templum, quod nunquam excitabitur; stabit autem Ecclesia, non corruet: nunquam enim adversùs eam prævalebunt portæ inferi. Itaque columnæ illæ symbola erant Ecclesiæ. Forsan ad illas alludebat Paulus, cùm scribebat Jacobum & Joannem videri Ecclesiæ columnas.

Jachin & Booz columnas habendas esse pro symbolis eo argumento probamus, quia non pars erant necessaria ædificii. Non oneri ferendo conflatæ; etenim non subjiciebantur alicui epistylio, sive nulla super eas trabeatio imposita erat. Pro ratione suæ peripheriæ, sive ambitus, breviores erant, quam solent cæteræ, quæ secundùm regulam architectonices fiunt ad fulcienda ædificia. B Ita altitudo earum docet bases potiùs fuisse; quippe crassiores pro altitudine suâ quàm fieri solet. Capitellum verò res erat tenera; ut in illo non liceat aliquam partem cogitare, in quâ residere potuerit abacus, & super abacum epistylium. Id unum sibi Salomon proposuerat repræsentare, symbolum aliquod firmitatis & perpetuitatis, quo significaretur quod Deus nunquam suo auxilio desereret ædem, quam jussu ejus ædificaverat. Ergo non habebat in animo his columnis ædificium roborare. Contrarium tamen suadere conatur Villalpandus, omni machinâ satagens Lectores suos adducere in suam opinionem, quòd hæ duæ columnæ essent velut omnium columnarum templi norma & modulus. C Non æquum est temerè discedere à sententiâ viri doctissimi, qui tantùm studii & temporis impendit in scrutandis mensuris templi. Rem igitur adhibitâ diligentiâ expendam.

In columna primùm est basis, quæ suis mensuris constat, quadrata plintho, & in orbem ductis decem spiris, si columna Corinthia est. Basi superstat scapus, sive stylus. Summo scapo imponitur capitellum: atque tres dictæ partes simul columnæ nomine plerumque censentur. Capitello insistit epistylium, sic dictum quòd super stylo, hoc est, super columnâ statuatur. Succedit epistylio zophorus; zophorum denique complet & honore summo D afficit corona. Hæc omnia quærit Villalpandus in Jachin & Booz. De altitudine nobiscum & cæteris Interpretibus convenit. Agnoscit enim eas columnas fuisse decem & octo cubitorum; & in libro Paralipomenorum, ubi triginta quinque cubiti numerantur in his columnis, utramque simul scapi utriusque altitudinem indicari, demptâ tamen utraque plintho, quod ultrò concedimus. Verùm præterquam cubitos Hebræos majores faciat, quàm decet, ut putamus, in multis longè dissentimus; maximè in eo quòd statuat altitudinem columnarum parem templo, innixus testimonio Eupolemi. Ποιῆσαι δὲ δύο στύλους χαλκοῦς, καὶ καταχρυσῶσαι αὐτοὺς χρυσίῳ ἀδόλῳ, δακτύλῳ τὸ πάχος. Εἶναι δὲ τοὺς στύλους τῷ ναῷ ἰσομεγέθεις, τὸ δὲ πλάτος, E κύκλῳ ἕκαστον κίονα πηχῶν δέκα. Στῆσαι δὲ αὐτοὺς, τοῦ οἴκου, ὃν μὲν ἐκ δεξιῶν, ὃν δὲ ἐξ εὐωνύμων. *Columnas prætereà duas in templo statuit, æreas quidem illas, sed auro purissimo ad digiti unius crassitudinem inductas, à dextris unam, alteram à sinistris; ambas autem ejusmodi, quæ longitudine tectum ipsum attingerent, ambitu cubitos decem implerent.* Hæc Eupolemus loquens de operibus quæ perfecit Salomon. Quid de illo scriptore sentire deceat, suprà declaratum est. Id quod illi relatum fuerat, nisi ipse primùm sit deceptus, in miraculum corrumpit. Æreæ tantùm erant columnæ, nec ad digiti crassitudinem auro inductæ; quod non siluisset scriptor libri Regum, & Paralipomenorum, nec Josephus. Certum est, non refragante Villalpando, columnas Jachin & Booz non fuisse altiores decem & octo cubitis; vestibulum autem, in quo erant erectæ, erat plusquam triginta cubitis, ut in sequenti capite videbimus. Neutiquam ergo columnæ pares erant templi altitudini. Apud Josephum in Vulgatâ ejus editione videtur innui illas fuisse æquales parastadibus januæ templi, sive quasi parastades, sive instar postium. Sed vitiosa est ista lectio, ἔστησε τῷ προπυλαίῳ παραστάδων quæ sic sanari potest legendo ἔστησε κατὰ τοῦ προπυλαίου παραστάδα: hoc est: *has columnas posuit ad postes vestibuli.*

In statuendâ crassitudine columnarum longè absumus à Villalpando. Duodecim cubitorum ambitum, quem singulis tribuit Scriptura partitur duabus, ut quæque perimetrum habeat sex tantùm cubitorum; id confutavimus. Talis quidem perimeter congruit altitudini decem & octo cubitorum in columnis quæ sustinent tectum; quas sic Plinius lib. 36. cap. 23. distinguit. *Genera earum quatuor. Quæ sextam partem altitudinis in crassitudine ima habent, Doricæ vocantur: quæ nonam, Jonicæ: quæ septimam, Thuscanicæ. Corinthiis eadem ratio, quæ Jonicis.* Columnæ Jachin & Booz sesquitertiam partem altitudinis habent crassæ duodecim cubitis, altæ decem & octo; quam rationem nullus Architectus probaret, si non aliud fuisset genus columnæ, scilicet quæ essent symbolum firmitatis, oportebat illas esse crassiores. Quo enim crassior est columna pro altitudine suâ, firmior est.

Multipliciter peccavit Villalpandus in describendis his columnis. Primùm Scriptura statuit perimetrum utriusque duodecim cubitorum, non sex, ut ille vult. Altero loco, quæ de striis earum commentus est, demonstravimus inane esse commentum. Quæ de trabeatione adjecit, tam futilia sunt, ut puderet me his argumentis immorari; nisi tanti viri labores eam laudem mererentur, ut quidquid dixerit, non sit silentio prætermittendum; maximè cùm fidem invenit, ob elegantiam delineationum, quas hîc subjicio. In illis videre est Jachin & Booz columnas ab auctore fieri quàm simillimas his quæ in ordinibus Græcorum usitatæ sunt. Basis subjacet, & imponitur trabeatio.

Basis multos orbes, sive plurimas spiras habet; capitello autem superimponitur epistylium; super quod zophorus, & super zophorum coronis & projectura, sub cujus lacunaribus malogranata pendent inclusa retiaculo, eâ formâ, cui aliquid non omnino dissimile cernitur in trabeatione Græcâ. Hæc grata sunt oculis, & consentanea regulis, quas Græci Architecti statuere; sed scriptores sacros, nisi obtorto collo, Villalpandus non potest trahere in suam sententiam. Certè non illi ullum locum dederunt hisce omnibus excogitandis; nec ipse Josephus, qui non tacuit pedes mensæ panum propositionis similes fuisse his qui lectis Doriensibus subjicerentur; & dum fecit sermonem de porticibus ab Herode exornatis, dicit columnas in illis more Corinthio fuisse elaboratas. Undè colligo quod ab ipso hæc forma non fuisset prætermissa.

Pro suâ sententia affert eruditus auctor quod habent Græci Interpretes in hisce locis Scripturæ, ubi describuntur columnæ Jachin & Booz. Vox quidem כתרת *cotheret*, quod sonat *coronamentum*, ab his sæpiùs redditur ἐπίθεμα, id est, *additamentum*, quidpiam quod superimponitur; juxta quod Ἐπιθέματα Procopius habet ἀντὶ τοῦ, ἐπίστυλα, nempe agnoscit epistylium super columnas. Eo in loco liquet Procopium falli; neque enim *cothereth* accipi potest pro epistylio, sive pro trabe extensâ, quæ semper recta est; vox enim illa denotat aliquam rotundita-

tem. Attamen fatendum eſt Græcos ſic interpretari hanc vocem, ut intelligi poſſit epiſtylium. Vertitur quidem ab illis apud Jeremiam cap. 52. v. 19. γεῖσος; Græcis autem γεῖσον vel γεῖσσον *ſuggrundatum* eſt, nempe pars tecti prominens, quâ ſtilicidia à parietibus arcentur. Sed iidem Græci 3. Reg. cap. 7. v. 20. eamdem vocem vertunt μέλαθρον. Quod enim Vulgatus Interpres juxta fontem Hebræum dicit, *Et rurſum alia capitella in ſummitate columnarum*, Græci ſic exprimunt: Καὶ μέλαθρον ἐπ' ἀμφοτέρων τῶν στύλων. *Et trabs ſuper ambas columnas*. Intelligendum, inquit Procopius, τὸ ἐπίστυλον. Hæc omnia certè comprobant Procopium & Interpretes Græcos trabeationem agnoviſſe ſuper Jachin & Booz; ſed ſimul apparet deceptos omnes: vox enim Hebræa *cothereth*, ut dixi, nullo modo indicat trabem rectam quale eſt epiſtylium. Non diffiteor vocem hanc *epiſtylium* occurrere in Vulgatâ noſtrâ in Paralipomenis; locum ſuprà adduximus. Vocem *ghuloth*, id eſt, vas rotundum, interpretatus eſt B. Hieronymus *Epiſtylium*. Alia forſan legebat, ut innuimus. Certum eſt *ghuloth* eſſe vaſa rotunda.

Non mihi ſoli fictitia viſa eſt quam Villalpandus formavit columnarum Jachin & Booz figuram. Ludovicus Alcaſar, vir ejuſdem Societatis, qui eruditos commentarios in Apocalypſim ſcripſit, loquens de iſtis columnis Apocalyp. cap. 3. v. 12. non quidem nominat Villalpandum; ſed inſectatur ejus opinionem, ante hos dies inauditam, inquit, nempe duas columnas æreas Booz & Jachin factas eſſe ad ſuſtinendum ædificium. Eadem ſentit Gaſpar Sanctius etiam Jeſuita. *Non hic laboro*, inquit in cap. 7. v. 15. lib. 3 Reg. *an juxta architectonicem hæc ſit apta atque legitima columnarum ſymmetria. Neque enim hæ aliquod præſtant columnarum officium, cùm nullum ſuſtineant pondus, neque illarum capitella ejus ſint figuræ, quæ magnam aliquam molem ſuſtentare poſſint. Dicuntur autem columnæ, quia moles, quæ ſurſum attolluntur, longè magis quàm latæ. Quomodo complura alia, quæ magis à columnarum lege atque menſurâ recedunt, columnæ nihilominus appellantur*. Spernit Alcaſar judicium eorum qui cenſent valdè eſſe deformem columnam, cujus longitudo non ſit pluſquam quintupla ad craſſitudinem; & nihil ejuſmodi cogitandum eſſe de Salomonis ſapientiâ. Hæc quidem proportio in columnis, quæ partes fuiſſent ædificii, non conveniret; ſed erant columnæ alterius generis, quæ non utilitatis causâ ſtatuebantur; quas adſcribit luxui Seneca, dum enarrat & inſectatur epiſtolâ 86. quæ à Romanis fierent. *Quantum eſt*, inquit, *ſtatuarum: quantum columnarum eſt nihil ſuſtinentium, ſed in ornamentum poſitarum, impenſæ causâ?* Id eſt, non in uſum, ſed ad oſtentationem opum. Et in eum luxum invehitur Plinius lib. 36. cap 6 *columnis demum utebantur in templis, nec lautitiæ causâ, nondum enim iſta intelligebantur, ſed quia firmiùs aliter ſtatui non poterant*. In ſcriptis veterum peregrinus eſt, qui vocis στήλη ignorat latiſſimam eſſe ſignificationem, ſive multiplicem eſſe columnarum uſum. Στήλη in genere lapis eſt munitionis vel ſigni gratiâ erectus. Sæpè ſumitur pro *cippo* vel columnâ quæ in ſepulcris ſtatuitur; quæ ut firmiter ſtet, neceſſe eſt craſſiorem fieri. Theodoretus exponens illam inſcriptionem στηλογραφία Pſalmi decimi quinti, ait huncce Pſalmum prædicere mortem & reſurrectionem Domini. Δηλοῖ δὲ ἡ ἐπιγραφὴ πρὸς τῷ θανάτῳ καὶ τὴν νίκην. Στήλη γὰρ οὐ τάφοις ἐπιτίθεται μόνοις, ἀλλὰ καὶ νικῶσιν ἀνίσταται καὶ γράμματι δέχεται τὴν νίκην τοὺς ἀγνοοῦντας διδάσκοντα. *Columnæ autem inſcriptio non ſolum mortem, ſed etiam victoriam demonſtrat. Neque enim columna ſepulcris ſolis imponitur; verùm vincentibus etiam eri-*

A *gitur, literaſque ſculptas habet, quæ victoriam doceant eos, quibus ignota eſſet*. Innumera ſuppetunt quibus conſtat leges publicas, decreta ſolemnia ſolitos veteres inſcribere columnis, quæ juxta aras Deorum in templis collocabantur.

Memorat Philoſtratus in templo Herculis in inſulâ versùs Gades, columnas non multùm altiores cubito, quadrangulares velut incudes quarum capita literis inſcripta eſſent. Forſan non caret mendis locus Philoſtrati; ſed non excelſæ erant columnæ illæ; alioquin inſcriptio à nemine legi potuiſſet, quâ vertex ejus erat de more inſcriptus; quod animadverti legens dialogum Critiam Platonis. Ibi fit mentio ſacrificii quod perageretur in templo Nep- B tuni. Nimirum victimam contis & laqueis venabantur, qui ſacra erant facturi; quem verò taurum cepiſſent, ad columnam adductum in ipſius columnæ vertice, in ipsâ penè literarum inſcriptione mactabant. Ὃν δ' ἕλοιεν τῶν ταύρων, πρὸς τὴν στήλην προσαγαγόντες, κατὰ κορυφὴν αὐτῆς ἔσφαττον κατὰ τῶν γραμμάτων. Inter has ſtatuas quæ in diverſis locis Græciæ viſebantur, Pauſanias plurimas recenſet, columnis impoſitas. Moris originem, ſive quibus temporibus apud Romanos ſic erigi cœperunt ſtatuæ, quærit Plinius, & multas ſimiles enumerat lib. 34. cap. 5. & 6. Apud Gruterum videre eſt formam columnæ, quæ ſignabat milliaria, cui ſubjicitur baſis Corinthia, ſupra capitellum ejus poſitus eſt globus, repræſentans orbem terrarum à Romanis devictum.

C Quid in Gentilium monumentis quærimus exempla columnarum extra ædificia; quæ ſcilicet in monumentum tantummodo erigerentur? Ponamus ante oculos noſtros magnificum illud ſepulcrum quod Simon ædificavit ſuper ſepulcrum patris ſui & fratrum ſuorum ex lapide polito, ſuper illud erigens ſeptem pyramides, & circumdans magnis columnis, περιθεὶς στύλους μεγάλους, quas Joſephus dicit fuiſſe μονολίθους. Deſcribitur hocce monumentum in primo Macchabæorum cap. 13. 27. *Et ædificavit Simon ſuper ſepulcrum patris ſui & fratrum ſuorum ædificium altum viſu lapide polito retro & ante*. 28. *Et ſtatuit ſeptem pyramidas, unam contra* D *unam patri & matri, & quatuor fratribus, & his circumpoſuit columnas magnas, & ſuper columnas arma ad memoriam æternam, & juxta arma naves ſculptas quæ viderentur ab omnibus navigantibus mare*. Verba fontis Græci adducere viſum eſt quæ malè ut videntur reddita ſunt. Καὶ ἐποίησεν ἐπὶ τοῖς στύλοις πανοπλίας εἰς ὄνομα αἰώνιον, καὶ παρὰ ταῖς πανοπλίαις πλοῖα ἐπιγεγλυμμένα εἰς τὸ θεωρεῖσθαι ὑπὸ πάντων τῶν πλεόντων τὴν θάλασσαν. Vulgatus Interpres non ſatis vim hujus vocis πανοπλίας expreſſit; quæ ſignificat omnem armaturam, enſem, tela, galeam, thoraca, clypeum, quibus exſculptis & colligatis conſtabant tropæa. Nempe columnæ illæ erant tropæa, exhibentes, ut ſolet fieri in tropæis, omnem armaturam: quale illud e- E rat quod Virgilius lib. 11. Æneidos deſcribit erectum ab Æneâ poſt devictum Mezentium.

Ingentem quercum deciſis undique ramis
Conſtituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezenti ducis exuvias; tibi, magne, tropæum,
Bellipotens: aptat rorantes ſanguine criſtas,
Telaque trunca viri, & bis ſex thoraca petitum
Perfoſſumque locis: clipeumque ex ære ſiniſtræ
Subligat, atque enſem collo ſuſpendit eburnum.

Simon verò, εἰς ὄνομα αἰώνιον, ut monumentum eſſet æternum, non ingentem quercum, ſed altam columnam delegit, in qua vel ſuſpendit, vel potiùs repræſentandam curavit πανοπλίαν, nempe omnem armaturam, quod fecit Æneas. Inter autem illa diverſorum armorum genera, ſive rerum, quarum u-

jus est in armis, etiam exculpsit naves καὶ παρὰ ταῖς πανοπλίαις πλοῖα, quod obscurè reddidit Latinus Interpres, *& juxta arma naves*. Meliùs, *in illis panopliis etiam exculpsit naves*. Sic iter agendo lucem afferimus Scripturæ; hæc ergo à scopo non aliena sunt. Ut redeam ad Villalpandum, æquus Lector non ampliùs putaverit descriptionem columnarum Jachin & Booz quam adornavit, idcirco veriorem esse, quia gratior oculis eorum, qui mentem non advertunt ad id quod omnibus in rebus maximè considerandum est in quem finem sint paratæ. Ad columnarum Jachin & Booz, sive finem, sive usum haud pertinet quam his Villalpandus superstruxit trabeationem.

CAPUT IX.

De æde sacra, & partibus ejus, & harum partium dimensionibus, tum & forma, & ornamentis.

SECTIO I.

Soli Sacerdotes intrabant in ædem sacram ministrandi causâ, & tantùm in primam ejus partem; solus enim Pontifex ingrediebatur sanctiorem, & id semel in anno. An hac lege solutus sit sanctus Jacobus, qui dicitur frater Domini.

SAcra ædes, cujus in limine stamus, protinus eam subituri, repræsentabat tabernaculum, quod jussu Dei Moyses erexerat. Juxta morem loquendi nunc usitatum, hæc ædes erat templum propriè dictum. Neque enim hoc nomine appellamus atria & ædificia, quibus alicubi ædes sacræ circumdantur; id nobis templum est, quod parietibus inclusum sub tecto est, ubi res sacræ peraguntur & continentur, quæ sanctiora sunt. Multo etiam discrimine à nostris templis hæc ædes discrepabat. Etenim intra illam non fiebant sacrificia, nec admittebantur populi quacunque ex causâ, sive orationis, sive oblationis. Ergo haud necesse erat ut tanto spatio pateret, quanto nostræ Ecclesiæ. Plerique cùm id non advertant, præconceptam de templo Hierosolymitano magnam existimationem deponunt, statim ac audiunt id quod in eo potissimùm rationem templi habebat, tam angustis fuisse coarctatum limitibus. Etenim ultra sexaginta cubitos non extendebatur ædes sacra, lata viginti tantùm cubitis; quæ dimensio ad usus, in quos parata sufficiebat: solis quippe Sacerdotibus patens, cæteris Israëlitis occlusa erat. De Tabernaculo constat non admissos intra illud Israëlitas, qui non erant de Levitica tribu: ædes, seu Sanctum Sanctorum, Tabernaculum referebat; proinde illam Israëlitis intrare nefas. Duabus partibus constabat; prima, dicebatur Sanctum; secunda Sanctum Sanctorum. Sanctum solis patebat Levitis: in Sancto Sanctorum summus Pontifex solus intrabat; idque semel in anno; teste Paulo Apost. Epist. ad Heb. cap. 9. v. 6. & 7. Attamen Hegesippus, Epiphanius, & B. Hieronymus, scribunt id concessum Jacobo qui frater Domini dicitur ut usque in adyta penetraret. Hæc Hegesippus apud Eusebium lib. 2. Hist. Eccl. cap. 23. *Ecclesiæ*, inquit ille, *administrationem unà cum Apostolis suscepit Jacobus frater Domini, qui jam indè à Christi temporibus ad nostram usque ætatem justus cognominatus est. Nam multi quidem eodem nomine Jacobi vocantur; sed hic ab ipso matris utero sanctus fuit. Nec vinum unquam bibit,*

A *nec siceram: ab animantium carnibus penitus abstinuit. Comam nunquam totondit. Neque unquam ungi, neque lavare balneo corpus unquam solitus est. Unus ex omnibus in intimum templi Sanctuarium ingrediendi jus, facultatemque habebat. Neque enim lanicio, sed lineâ tantùm veste utebatur. In templum solus intrare, atque ibi genibus flexis pro peccatis populi supplex Deum orare consueverat.* Hisce verbis Latinis Valesius interpretatus est Græca Hegesippi; postrema proferam. Τούτῳ μόνῳ ἐξῆν εἰς τὰ ἅγια εἰσιέναι. οὐδὲ γὰρ ἐρεοῦν ἐφόρει, ἀλλὰ σινδόνας. καὶ μόνος εἰσήρχετο εἰς τὸν ναόν. Ηὑρίσκετό τε κείμενος ἐπὶ τοῖς γόνασι, καὶ αἰτούμενος ὑπὲρ τοῦ λαοῦ ἄφεσιν. Paulo liberior est Valesiana interpretatio; neque enim dicit Hegesippus Jacobo fuisse jus & facultatem intrandi *in intimum templi Sanctuarium*; sed tantùm εἰς τὰ ἅγια *in Sancta*. B Etiam sancta erant Israelitarum atria; sed subjungit Hegesippus: καὶ μόνος εἰσήρχετο εἰς τὸν ναόν, quod necessario accipiendum de æde sacra, ut sæpiùs observavimus; sed neutiquam dicit admissum Jacobum intra Sanctum Sanctorum. Nec Græcus scriptor hunc dicit consuevisse orare in templo; sed quod reperiretur prostratus & flexis genibus orans pro salute populi; nempe sæpiùs, & ubicunque locorum oraret. Unde subdit Hegesippus. *Adeo ut genua ipsius instar cameli occalluerint, dum assidue Deum venerans, & pro salute populi vota faciens humi sterneretur.* Non innuit Hegesippus has preces fusas in templo; quod à Sacerdotibus fuisse observatum nullus Scripturæ C locus nos docet. Locus precum erant potiùs gradus, quibus ad sacram ædem ascendebatur; & illud intervallum quod erat inter templum & altare. Locum hunc Hegesippi adduxit B. Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi videtur pariter cum Valesio in eam partem accepisse verba ejus, quasi nullâ parte ædis sacræ exclusus fuerit Jacobus. *Huic soli licitum erat ingredi in Sancta Sanctorum. Si quidem vestibus laneis non utebatur; sed lineis, solusque ingrediebatur templum, & flexis genibus pro populo deprecabatur: in tantum, ut camelorum duritiem traxisse ejus genua crederentur. Dicit & alia multa, quæ enumerare longum esset.* Hæc Hieronymus citans Hegesippum; D qui cùm vicinus fuisset Apostolorum temporibus, apud eum invenerat fidem, sicut & apud Epiphanium, qui intelligens non aliis quàm Sacerdotibus reclusa limina ædis sacræ, ideò opinatus est Jacobum fuisse Sacerdotem. Sic enim de eo loquitur in hæresi trigesima nona. *Cum* (Jacobus) *Josephi naturalis esset filius, Domini frater ob id vocatus est, quod in ejus convictu ac consuetudine versaretur. Hic enim Josephi ex aliâ fuit, quàm Maria, conjuge filius: id quod pluribus locis à me commemoratum est, manifestiùsque disputatum. Quin etiam è Davidis genere propagatum illum reperimus, ut potè Josephi filium, eumdemque Nazaræum. Nam Josephi liberorum hic primus, ac consecratus fuit. Imo & Sacerdos ex veteris illius ritu Sacerdotii* E *fuisse perhibetur. Quamobrem semel quot annis in Sancta Sanctorum concessum est ingredi, quemadmodum summis Sacerdotibus lege esse præscriptum è sacris literis didicimus.*

Multa sunt in narratione Hegesippi quorum fides suspecta est; ut quod dicit rogatum Jacobum à Scribis & Pharisæis, ut ascenderet ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ, *supra pinnaculum templi*, in solemnitate Paschatis ut audiente frequenti populo declararet Jesum non esse verum Christum; an verisimile est Scribas & Pharisæos ignorasse quæ esset fides Jacobi, ut sperarent ex ore ejus elicere posse tale testimonium. Addit Hegesippus, quod cùm contra Scribarum & Pharisæorum expectationem Jaco-

bus declaraſſet Jeſum vere eſſe Chriſtum deturbatum ab illis ex pinnaculo & præcipitem datum; quo caſu cùm ſtatim non obiiſſet, quod nec veriſimile eſt; pavimentum enim erat ſtratum marmore, obruerant eum lapidibus, & tandem fullo, fuſte quo veſtes exprimere ſolebat, percuſſit caput ejus; quod & falſi arguitur; nam fulloni, & cuicumque alteri opifici non licebat intrare in atria cum inſtrumentis ſuis, ut in Commentariis in Harmoniam Evangelicam vidimus.

Non diffiteor nonnulla vel ab Hegeſippo prodita, vel ab aliis inſerta, quæ parùm probabilia videantur. Verba ſunt Petavii in animadverſionibus ſuis ad Epiphanii locum quem exſcripſimus. Subjicit ille: *ſed totam ipſam hiſtoriam nego propterea damnandam eſſe. Nam pleraque in illa vera ſunt, aut veris certe ſimillima: quædam ſubabſurda, præſertim quæ ab aliis addita fuerunt.* Certè hujus generis ſunt quæ ingreſſum Jacobi in ædem ſacram ſpectant; quem arguit Scaliger in animadverſionibus ſuis Euſebianis ad annum MMLXXVII. Videtur Hegeſippus innuere licitum Jacobo in Sancta ingredi, quia non lanea ſed linea induebatur. » Ergo omnibus, qui lineâ veſte uterentur, ait Scaliger, licebat ingredi. Atqui uni ſummo Pontifici, idque ſemel in anno conceſſum erat. Jacobus verò multùm abeſt ut Sancta poſſet ingredi, qui ne Levita quidem eſſet. Nullum enim Apoſtolum de ſtirpe Levi Domino fuiſſe tam certum eſt, quàm dubitare abſurdum. Aperto Ezechielis & Joſephi teſtimonio evincit Scaliger uſum lineæ veſtis conceſſum ſolis Sacerdotibus eo tempore, quo miniſtrabant; & ab illis depoſitam, cùm egrederentur ex atrio Sacerdotali, quod ſuo loco dicemus.

Narrationem Hegeſippi impetit Scaliger non levibus argumentis. Ut huic reſpondeat Petavius, dicit non in ipſum Sanctum Sanctorum aditum conceſſum Jacobo juxta Hegeſippum, ſed tantùm εἰς τὰ ἅγια in Sanctum, ut nos dicebamus. Fatetur, inquam, Petavius, cùm Hegeſippus ἅγια ſola nominaſſet, addidiſſe Epiphanium & Hieronymum τῶν ἁγίων *Sanctum Sanctorum*; ſed contendit ab illis ſcriptoribus per illud *Sanctum Sanctorum* non aliam partem templi intellectam, quàm quæ dicebatur Sanctum. Quid ſit ſentiendum de horum opinione, & integrâ Hegeſippi narratione, ſtatuere licet juxta leges in ſacro codice ſcriptas, ſolis Sacerdotibus licitum fuiſſe ſubire ædem; & illam nec Judæos nobiliſſimos intraſſe, niſi fuerint Sacerdotes: ut expreſſis verbis ſignificat Joſephus libro ſecundo contra Appionem; ex eâ re arguens turpi mendacio hunc Grammaticum Alexandrinum, qui, ut infra dicemus, commentus fuerat deprenſum à quodam Zabido peregrino in adyto templi caput Aſini. Non prætermittam illa egregia verba Philonis in libro Offerentium victimas. Loquitur de altari aureo quod, inquit, ἵδρυται δ' ἐν ἀδύτῳ εἴσω τοῦ ἐσωτέρου καταπετάσματος, ὃς οὐδενὶ τῶν ἄλλων ἐστὶν ὁρατὸς, ὅτι μὴ τοῖς ἁγνεύουσι τῶν ἱερέων. Altare aureum *intra primum velum, in loco inacceſſo eſt, quem videre nemini mortalium licet, niſi Sacerdotibus, cùm in caſto ſunt.*

SECTIO II.

De ædis ſacræ januâ & januæ menſuris, de materiâ valvarum, ornamentis, & ratione quâ recluderentur. Exponuntur de eâ re Judæorum opiniones.

IN limine ædis ſacræ conſiſtentes, illud prætergredi non decet, quin priùs januam ejus attentè conſideraverimus, valvas, & harum materiam, & A menſuras. Thalmudici in codice Middoth cap. 4. n. 1. definiunt menſuras hujus januæ, inſuper docent quomodo valvæ recluderentur. *Portæ templi,* inquiunt, היכל *Hekal*, ſic vidimus ædem ſacram appellari, *altitudo erat viginti cubitorum: habebatque quaternas valvas, binas intùs, & binas foris: quia dicitur bina valva Hekal & chodeſch*, id eſt, *Sancto.* Sic prima pars ædis ſacræ appellabatur. Hæc autem verba, quæ Ezechielis ſunt, intra exponam « Exteriores aperiebantur intra portam tegendo muri craſſitiem; interiores verò aperiebantur intra ædem, obtegendo quod à tergo erat valvarum: quia tota ædes erat obducta auro præterquam à tergo valvarum. « Singulæ valvæ erant B quinque cubitorum; & murus in ea parte ſex cubitorum; aſſignato igitur uno cubito cardinibus, valvæ illæ tegere poterant craſſitiem muri. « Rabbi Jehuda inquit; intra portam conſiſtebant, erantque ſimiles ſcamno plicatili ſpondæ, & retro plicabantur ſingulæ ad duos cubitos cum dimidio (præterea hinc indè poſtes dimidii cubiti) quia dicitur (binæ valvæ binis foribus, valvæ verſatiles) unis foribus duæ valvæ & duæ valvæ alteris. «

De his valvis non omnino inter ſe conveniunt Judæi, quorum ſententias diligenter & diſerte, ut ſolet, refert Conſtantinus Lempereur ad tractatum Middoth. Fores erant duplices; hæ exteriores, ſive C in Sancti muro exteriori: aliæ interiores, in muro interiori. Quære, Lector, inter ſchemata, hæc quæ exhibent Sanctum. Cùm exteriores aperiebantur, tegebant quinque cubitos a b muri, cujus latitudo A C erat ſex cubitorum. Nam cùm apertura A B eſſet decem cubitorum, ſingulæ valvæ latæ erant quinque cubitis; adeòque præter cubiti ſpatium obtegebant parietis craſſitiem. Ad extremitatem internam oſtii, alteræ valvæ, non intra portam, ut priores, ſed ad muri ſuperficiem internam collocatæ erant; ſuperficiem C D muri obtegentes, quando aperiebantur intra ipſam ædem. Rabbi Juda valvas interiores ad craſſitiei extremitatem internam non collocat: adeòque ipſas dimidio cubito intra oſtii lumen (ſive aperturam) pro- D movens, eas ſecundum interiorem muri ſuperficiem duci & flecti non permittit. Hæc ipſius erat ſententia, valvas ab utrâque oſtii parte, id eſt, interiori & exteriori paululùm intra lumen, ſive aperturam promoveri, nimirùm ad dimidium cubitum; ideòque parieti intra valvas ſolummodo quinque cubitos, qui illis tegi poſſent, reſtare. Quapropter hic valvas cùm exteriores, tùm interiores facit bifores, ut plicari ſingulæ poſſent: undè ex ejus ſententia, cùm panderentur plicatæ & in ſe reductæ dimidium illius ſpatii quinque cubitorum ſolummodo implebant. Singulæ, inquam, ſic plicabantur, ut quinque earum cubiti ad duos cum dimidio redigerentur; quò exteriores & interiores, cùm panderentur, intra murum ſolummodo quinque cubitos occuparent. Hæc tanti non ſunt, ut diligentiùs exponenda ſint.

In libro tertio Regum cap. 6. fit mentio valvarum biforum. 33. *Fecitque* Salomon *in introitu templi.* לפתח ההיכל ad oſtium hekal, *poſtes de lignis olivarum quadrangulatos.* Supra expoſuimus huncce verſiculum. Ibi ſacer Hiſtoricus loquitur de ſuperliminaris trabibus, quæ erant quintuplices; ſive quinque conſtabant trabibus. Sequentes verſus ſpectant illas duplices valvas.

34. *Et duo oſtia de lignis abiegnis altrinſecùs: & utrumque oſtium duplex erat, & ſe invicem tenens aperiebatur.*

Græci ita exprimunt fontem Hebræum. Ἐν ἀμφοτέροις

φοτέραις ταῖς θύραις ξύλα πεύκινα, δύο πτυχαὶ ἡ θύρα ἡ μία, καὶ στροφεῖς αὐτῶν, καὶ δύο πτυχαὶ ἡ θύρα ἡ δευτέρα. *In ambabus januis ligna abiegna, duæ plicæ janua una, & cardines earum, & duæ plicæ janua secunda.* Scriptura videtur innuere quòd cùm paries ædis latus esset sex cubitis, reipsâ tum exteriùs, tum interiùs appositæ fuerint valvæ, intra quas esset inane spatium; & sic lumen, sive apertura januæ dupliciter clauderetur. Græci agnoscunt duplex ostium, scilicet ad partem exteriorem A B portæ fuisse duas valvas, sive duas plicas, & pariter ad interiorem C C duas valvas, sive duas plicas. Decet mentem advertere ad singula verba, tum Vulgatæ Latinæ, tum Hebræi codicis. *Et duo ostia de lignis abiegnis altrinsecùs.* Illud *altrinsecùs* non est fontis sed Interpretis, qui sic ἑτέρωθεν accepit quasi ex una & altera parte ostium appositum fuerit; ita duplex, quia tum exteriùs tum interiùs clauderetur lumen januæ. *Et utrumque ostium duplex erat.* In fonte quod ibi occurrit nomen צלעים *tzelaim*, latioris significationis est. Redditur à Græcis modò πλευρὰ *latus*, modò κλίτος *latus*, etiam μέρος *pars*, ibi πτυχὴ *plica*. Ergo fons reddi potest uni ostio *duæ costæ*, vel duæ plicæ, vel duæ partes גלילים *ghelilim volubiles*. Constabat quodque ostium duabus partibus, duabus plicis, id est, duabus valvis. Illud Vulgatæ, *Et se invicem tenens aperiebatur*, exprimit utcumque vocem *ghelilim*. Græci reddunt στροφεῖς *cardines*. Duæ scilicet partes, sive duæ valvæ in suis cardinibus vertebantur. Utrumque ostium erat plicatile, & habebat vertebras quibus una pars tenebat aliam. In fonte Hebræo & in versione Græca repetitio est, quam non expressit Interpres Latinus. Δύο πτυχαὶ ἡ θύρα ἡ μία καὶ στροφεῖς αὐτῶν, καὶ δύο πτυχαὶ ἡ θύρα ἡ δευτέρα. Ibi certè Græci legerunt bis צלעים *tzelaim* πτυχαὶ *plicæ*. Nunc in fonte secundâ vice est, קלעים *Kelaim*, id est, *sculpturæ*, quæ lectio posterior est, si quidem Græci Interpretes aliter legerint, & Chaldæus Paraphrastes; tum est sensus apertior, & Hebræorum more significatur distributio earumdem vocum repetitione. *Et binæ fores è lignis abiegnis: duæ valvæ foribus unis versatiles, ac duæ valvæ foribus alteris versatiles erant.*

34. *Et sculpsit Cherubim & palmas & cælaturas valdè eminentes, operuitque omnia laminis aureis opere quadro ad normam.* Ergo materia harum valvarum erat lignum ברושים *Beroschim*, alii abietem, alii buxum, alii fraxinum intelligunt. Qualecumque fuerit, laminis aureis exornatum erat & cælaturis. Nempe accommodabantur istæ laminæ his ligneis tabulis; quod opus significatum voluit Interpres Latinus, dum dicit *opere quadro ad normam.* Opus, inquam, quadrum illud sic intelligo, ut postquam in ligno cælata fuerant Cherubim, & cælatæ palmæ, aurum deduceretur & justificaretur, ut quadraret cum mensura sculpturæ, & sic illi conveniret. Ita Græci hunc locum intelligunt χρυσίῳ καταγομένῳ ἐπὶ τὴν ἐκτύπωσιν *auro deducto super sculpturam.* Auro adaptato ad sculpturam, ut Junius & Tremellius vertunt. Alibi de Cherubim disseruimus. Palmæ erant insignia Judææ; quibus idcirco omnia in templo decorabantur.

Iterùm expendamus mensuras portæ, intra quam versamur. Juxta Misnicos Doctores, ut vidimus, lata erat decem cubitos, alta viginti. Hanc ei latitudinem tribuit Ezechiel. Alias mensuras, & abnormes assignat Josephus diversis in locis, ubi ipse sibi non cohæret, nisi illa discordia sit à Scribis Sic in Antiquitatibus loquitur lib. 15. cap. 14. in Geleniana versione. Janua verò penè ipsi templo par, & superliminare aulæis variegatis ornabatur. Græca verba sunt Θύρας δὲ ἐπὶ τοῖς εἰσόδοις σὺν τοῖς ὑπερθυρίοις ἴσον (suple ὕψος) ἐχούσας τῷ ναῷ ποικίλοις ἐμπετάσμασι κεκόσμητο. Quod Latinè reddo. *Januas cum suis superliminaribus parem templo habentes altitudinem variis aulæis exornaverat* Herodes. Complectitur in ista magnitudine Josephus παραστάδας καὶ ὑπέρθυρα, postes, & superliminaria, quæ auro induerat Herodes, ut scribit in sexto libro de Bello cap. 6. Nempe, ut observatum est, superliminaria & postes erant ex ligno; sed non ideò minus magnificæ erant januæ templi, quæ omnes auro & argento obductæ erant: Ὁμοίως τε παραστάδες καὶ τὰ ὑπέρθυρα. Excipit Josephus portam Corinthiam de quâ suo loco diximus. Addit de januâ de quâ nunc sermo est. Ἡ δὲ τοῦ οἴκου πύλη κεχρύσωτο μὲν πᾶσα, καὶ ὅλος περὶ αὐτῆς τοῖχος. *Porta verò domûs* nempe ædis sacræ *tota deaurata erat & totus etiam circa eam murus.* Non dissimulandum quod subjungit Josephus, hanc portam habuisse in altitudine quinquaginta quinque cubitos, in latitudine sexdecim; quæ mensuræ, ut dixi, abnormes sunt, nec consentiunt cum mensuris quas designat in secundo libro contra Appionem. Τοῦ ναοῦ αἱ θύραι τὸ μὲν ὕψος ἦσαν ἑπτὰ πηχῶν, εἴκοσι δὲ τὸ πλάτος ... κεχρύσωντο δὲ πᾶσαι καὶ μικροῦ δεῖν σφυρήλατοι. *Januæ verò templi altitudine quidem erant cubitorum septem* (juxta hodiernos codices Rufinus numerat sexaginta) *omnes deauratæ & penè auro puro confectæ.*

Potuit Josephus rem non habuisse satis exploratam, memoriâ lapsum fuisse, vel auxisse mensuras, dum ex portarum magnitudine & pondere vellet confutare Appionis commentum de zabido, qui clam ingressus in sacram ædem, abstulisset indè caput asini, quod à Judæis colebatur. *Has januas*, pergit loqui Josephus, *claudebant non minùs quàm viri ducenti diebus singulis, & relinquere eas apertas nefandum nimis erat. Facilè igitur eas lucernifer ille aperuisse creditur, qui solus etiam habuisse asini caput æstimabatur.* Certè à paucis numero janitoribus portæ, licet non altiores viginti cubitis, sed auro puro confectæ, non facili negotio recludi, vel occludi poterant. Sed & vix concipi potest, quomodo ducenti janitores manus simul portæ decem vel sexdecim cubitorum admovere potuissent. Minor numerus sufficere videtur impellendis, vel circumagendis valvis, quæ suis cardinibus innituntur. Verumtamen procul omni dubio stridebant illi cardines, juxta morem dicendi Virgilianum libro 1. Æneidos.

...... *foribus cardo stridebat ahenis.*

Stridor autem illæ portæ magnæ dum reserabatur, tantus erat, si credamus Thalmudistis, ut Hierichuntini *audire poterant strepitum templi, cùm recludebatur.* De hac porta intelligendum quod in tractatu Tamid cap. 3. dicunt: *Qui victimam mactaturus erat, eam non mactabat donec audivisset strepitum apertionis magnæ januæ.* Modum quo fieret ista apertio, explicant Misnici in eodem codice Middoth cap. 4. cujus sectionem primam protulimus; subjiciam secundam. *Duo ostiola erant portæ magnæ: unum ad Aquilonem; alterum ad Austrum: per id quod ad Austrum, nemo ingreditur in æternum. Et de eo hoc explicatè traditum est per Ezechielem: nam dictum est.* Et dixit mihi Deus, hoc ostium clausum erit; non aperietur, nec quisquam per id ingredietur, quia Deus Dominus Israëlis intrat per istud; eritque clausum. *Sumit quis clavem, aperitque ostiolum, ingrediturque in thalamum, & ex thalamo in templum. R. Jehuda dicit, quod eat per medium densitatis muri donec consistat inter binas valvas; aperiatque exteriores intrinsecùs & interiores extrinsecùs.* Delineatio ædis sacræ juxta Thalmudicos demonstrat murum

Xxx

templi circa januam fuisse cavum, sive occultam viam e e fuisse. Ostium erat E in appendicibus, per quod ingressus erat in spatium vacuum K. Indè per ostiolum f transibatur in cellam F in qua ostium e deducebat in viam e. Itaque cùm porta aperienda esset, Sacerdotum aliquis per ostium E lateris aquilonaris in thalamum F ingressus, iter flectebat per vacuum spatium e e in aperturam magnæ portæ, & progrediebatur donec consisteret intra valvas exteriores nempe quæ erant in A B & interiores C C. Tunc remotis pessulis, sive vectibus, quibus fores occludebantur, impulsæ extrinsecùs ab aliis Sacerdotibus, recludebantur. Illi pariter impellendo interiores fores aperiebant eas, versùs parietem C D cui applicabantur.

Primis temporibus fores magnæ non occludebantur nisi intus oppositis repagulis, quod & nunc fit in villulis & villularum ædibus sacris. Cavi sunt parietes, sive in parietibus cavitates sunt ex quibus vectis longus educitur, qui dum manet appositus foribus, illæ nec impelli, nec referari possunt. Vectis ille dicitur Latinis *pessulus*, Hebræis נעל, quod redditur *clausit obseravit, pessulum obdidit*, item *calceavit*, undè in Deuteronomio 33. 25. inter benedictiones Aser dicit Vulgatus: *ferrum & æs calceamentum ejus.* Potuisset interpretari *ferrum & æs pessulus ejus.* Scilicet abundabit ære & ferro ut vectes alibi è ligno in tribu Aser futuri sint ferrei, & ærei.

Vectem quo fores obserabantur nomine clavis significabant veteres. Κλεῖς tota abscondebatur intra parietes; undè nomen accipiebat à verbo κλείω *claudo, obsero.* Nam, ut ait Theon, Οὐχ' ὡς νῦν, ἐκτὸς ἦσαν αἱ κλεῖδες, ἀλλ' ἔνδον τὸ παλαιόν. *Olim non erat clavis extùs sed intùs.* Ut & apud Plautum in Cassina Act. 5. scen. 2. *Ubi intrò hanc novam nuptam deduxi, viâ rectâ clavem obduxi.* Clavis *sera* ab Ovidio dicitur *excute poste seram.* Certè apud Homerum κλεῖς non est aliud quàm vectis, quo, ut dixi, obducto clausæ tenebantur fores. In postremo libro Iliados v. 445.

Ἄφαρ δ' ὤιξε πύλας, καὶ ἀπῶσεν ὀχῆας.
Moxque aperuit portas & amovit vectes.

Et paulò post v. 453.

. . . Θύρην δ' ἔχε μοῦνος ἐπιβλὴς
Εἰλάτινος, τὸν τρεῖς μὲν ἐπιρρήσσεσκον Ἀχαιοὶ
Τρεῖς δ' ἀναοίγεσκον μεγάλην κληῖδα θυράων
Τῶν ἄλλων Ἀχιλεὺς δ' ἄρ' ἐπιρρήσσεσκε καὶ οἶος.
Januam autem continebat unus obex
Abiegnus, quem tres quidem claudebant Achivi;
Tresve aperiebant magnum claustrum januarum
Aliorum nempe hominum. *Achilles verò claudebat etiam solus.*

Nempe quia fortior tribus viris. Eustathius ad huncce locum describit vectem, ut modò faciebamus, qui è muro ad murum, sive ab uno poste ad alterum pertingeret, cui movendo tres viri necessarii essent. Exponit Eustathius, aut Hadrianus Junius qui Eustathium contraxit, quid sit ἐπιβλής. Dicit fuisse ξύλον συνέχον ἐπικεκλεισμένας τὰς θύρας ἐν ᾧ ἀπὸ τοίχου εἰς τοῖχον ἢ ἀπὸ ξύλου εἰς ξύλον τῇ θύρᾳ ἢ ταῖς θύραις ἐπιβάλλεσθαι. ὁ δὲ ποιητὴς ἑρμηνεύων τὴν λέξιν, καὶ μεγάλην κληῖδα θυρῶν αὐτὴν φησί. ταῦτον εἶναι κληῖδα καὶ ἐπιβλῆτα παραδίδες, ἀμφότερα δὲ μοχλὸν δηλοῦσιν. Addit Eustathius quòd illæ voces sint synonimæ μοχλὸς, ὀχεὺς, ἐπιβλὴς, κληῒς, καὶ κλεῖθρον. Isti vectes, quibus claudebantur januæ, erant magni ponderis; undè in eodem Homeri libro v. 567. dicit Achilles.

. . . Οὐδέ κ' ὀχῆας
Ῥεῖα μετοχλίσσειε θυράων ἡμετεράων.
Neque obices facile reserasset portarum nostrarum.

A Non me piget ex Antiquitatibus Homericis adducere vetustos mores, quibus non cognitis, multa ignorantur. Ista observatio de clavibus veterum lucem affert huic monito sapientis Sirach cap. 28. v. 28. in Latina versione, *ori tuo facito ostia & seras.* Hæc Latina clara sunt; sed obscura sunt quæ ipse Sirach Græcè dixit τῷ στόματί σου ποίησον θύραν καὶ μοχλόν, *Ori tuo fac ostium & vectem*, nisi observassemus olim post ostium vectes appositos quo clauderetur.

Illustrabitur hacce observatione historia Aod, qui interfecit Eglon Regem Moabitarum, & ejus jugo liberavit Israëlem. Narratur hæc historia in libro Judicum capite tertio. Eglon erat in æstivo cubiculo solus Aod fixit sicam in ventrem ejus: pos-
B tea 23. *clausis diligentissimè ostiis cœnaculi & obfirmatis serâ per posticum egressus est.* In fonte ונעל *venaal*, id est, pessulum obdidit. Græci καὶ ἐσφήνωσε. Græcis σφὴν est cuneus; cuneo adacto occlusit fores cœnaculi, ut non recludi possent, nisi ab eo qui intra cœnaculum penetrasset.

24. *Servique Regis ingressi viderunt clausas fores cœnaculi, atque dixerunt, forsitan purgat alvum in æstivo cubiculo.*

Pulsaverunt ostia & nemo aperiebat.

25. *Expectantesque diu donec erubescerent, & videntes quod nullus aperiret, tulerunt clavem, & aperientes invenerunt Dominum suum in terra jacentem mortuum.*

26 *Aod autem dum illi turbarentur, effugit*, sci-
C licet ut supra dicitur in fonte המסדרונה *hamisedrona.* Nomen illud factum ex סדר *seder* quod est *ordo, series* & indicat ædificia ordinata, longas porticus, exhedras, qualia ædificia plurima habet palatium Regis. Auctor libri Judicum non rem omnem explicavit: reticuit quòd servi Regis eandem viam, quâ aufugerat Aod, insistentes penetraverint in cubiculum Regis, & tunc *tulerint clavem.* Verbum Hebræum verti poterat *abstulerint* nempe vectem, cuneum, qui occludebat fores; & sic aperto ostio omnes ingressi sunt, & invenerunt *dominum suum in terra jacentem mortuum.*

Istum articulum concludens observabo Judæos aberrasse à clara mente Ezechielis; quæ enim di-
D xit ille Propheta de portâ orientali, tribuunt huic ostiolo secreto, quo per densitatem parietum templi perveniri poterat ad valvas templi. Ezechiel autem loquitur, ut suo loco vidimus, de porta orientali atrii interioris, juxta quam thronus Regis erat, per quam ille ingrediebatur & egrediebatur.

SECTIO III.

De partibus ædis sacræ. De prima, quæ Sanctum dicebatur. De dimensionibus Sancti, formâ, ornamentis. Undè lux huic illucescebat; an fenestras habebat sacra ædes.

ÆDem sacram tandem subingrediamur. Ha-
E bebat duas partes, primam, quæ Hebræis dicitur היכל *hekal*, Græcis Interpretibus, & Philoni, & Josepho ναός. Latinus Interpres utitur promiscuis nominibus; quorum ambiguitate falluntur qui non adeunt fontes. Circa mensuras totius ædis, & parietum ejus nulla est difficultas; illas liquidò Scriptura definit lib. 3. Regum cap. 6. v. 2. *Domus autem quam ædificabat Rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos in longitudine.* Scriptor complectitur utramque partem sanctam & sanctiorem. *Et viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine.* Cùm dixisset secundam partem, sive Sanctum Sanctorum habuisse viginti cubitos adjungit v. 17. *Porro quadraginta cubitorum erat ip-*

sum templum pro foribus Oraculi. In fonte nominatur היכל *hekal*, nempe pars sancta, quæ erat pro foribus Sancti Sanctorum, quod & Oraculum nominabatur, ut suo loco dicemus. Nunc deest in fonte דבר δαβὶρ *Devir*, quam ibi vocem legit Hieronymus & ante eum Græci Interpretes; ut ipsâ re constet etiam sacros codices, tum ipsum fontem, tum versiones ejus non in omnibus æqualiter defendi ab incuriâ Librariorum. Eædem dimensiones adstruuntur in Paralipomenis 2. lib. cap. 3. v. 3. *Et hæc sunt fundamenta quæ jecit Salomon, ut ædificaret domum Dei, longitudinis cubitos in mensurâ primâ sexaginta, latitudinis cubitos viginti.* Illud *in mensurâ primâ* diversimodè explicatur. Mensuram alii primam appellant, quam in tabernaculo construendo Moses secutus est, quæ progressu temporis mutata est. Alii eam mensuram dictam volunt primam, quæ sacra esset, major communi mensurâ. Vatablus interpretatur eam mensuram primam, sive priorem, quâ primùm tota ædes mensurata est. Neque simul jacta sunt fundamenta *Hekal & Devir*; nec statim separatæ sunt duæ illæ partes, ut cuique tribueretur sua dimensio; nempe Sancto Sanctorum, sive Oraculo 20 cubiti, & 40 Sancto. His 20 & 40 cubitis addenda latitudo muri, quem litera G designat; qui sanctum à Sancto Sanctorum separabat. Hunc Judæi faciunt unius tantùm cubiti, nos vero duorum cubitorum, sed cum latitudini H I vestibuli tribuant illi undecim cubitos. Nos autem decem tantùm, deinde coincidimus in easdem mensuras. Ponimus latitudinem H I vestibuli fuisse decem cubitorum; &, ut dicemus, Ezechiel in muro G enumerat duos cubitos. Itaque totam longitudinem interiorem ædis cum pariete intergerino, quam Judæi faciunt 61 cubitorum, statuimus 62 cubitorum.

Qui de æde sacrâ ex hodiernis ædificiis judicant, non eam dignam suo opifice arbitrarentur, si aliquod ornamenti genus illi deesset: idcirco affingunt ei omnia, quæ nunc præclara habentur, columnæ, trabeationes, coronices, ac similia. Verùm fictitio decore domus Dei non eget. Ista omnia quæ nunc affectant Architecti, sunt repræsentationes ligneorum ædificiorum haud necessariæ. Verus decor cum utilitate conjungitur; ut quæ finem non promoveant, in quem ædificium paratum est, non desideranda sint cùm absunt, adesse autem non necessum est. Quid opus erat columnis, & parastatis? Solidi erant parietes, ut videbimus, sex cubitorum; nec tabulata fulcienda columnis, quæ non latiora essent cubitis vicenis. Columnarum & parastatum intra ædem sacram nulla prorsus fit mentio. Etiam incertum est an habuerit fenestras. Nominantur quidem in Vulgata Latina Reg. 3. cap. 6. v. 4. *Fecitque* Salomon *in templo fenestras obliquas.* In fonte fecit חלונות *calonoth.* Nomen illud pro radice habet חלל *calal perforare.* Ita significare potest fenestras, quæ foramina sunt in parietibus; sed quæ sequuntur voces obscuræ & incertæ significationis sunt. שקפים אטמים *sekuphim athumim.* Plerique vertunt fenestras prospectivas & occlusas. Prima vox derivatur à שקף *schakaph spectavit, prospectavit, prospexit, respexit.* Altera vox ab אטם *atam clausit, occlusit, obturavit.* Quæ duo cùm diversa sint, ut conciliarentur, alii dixerunt has fenestras fuisse cancellatas. Græci senes in editione Complutensi interpretati sunt θυρίδας δεδικτυωμένας κρυπτάς. *Fenestras cancellatas secretas.* Quia scilicet cancelli partim admittunt lumen, partim excludunt. Alii interpretantur has fenestras fuisse intrinsecùs latas, sive laxiores, extrinsecùs angustas; quem sensum sequitur Paraphrastes Chaldæus. *Et fecit domui fenestras*

A *apertas intrinsecùs, & clausas forinsecùs.* Ita latera harum fenestrarum non erant recta sed obliqua, sive foramina erant pervia fumo candelabrorum & odoramentorum quæ incendebantur in illa æde, sed obliquitate suâ prospectum excludebant. Græci senes in editione Romana exprimunt hunc sensum. Καὶ ἐποίησε τῷ οἴκῳ θυρίδας παρακυπτομένας κρυπτάς. *Et fecit domui ostiola obliqua occulta.* Sed & dici potest ideò has fenestras, sive angustas, sive obturatas ex parte; ut odoramenta quæ incendebantur citò non evanescerent; & fumus eorum non aliam viam patentem inveniens, quam templi januam effunderetur versùs atrium ubi altare. B. Hieronymus ad caput quadragesimum Ezechielis, ubi ille Propheta
B v. 16. nominat fenestras אטמות athumoth, id est, *clausas, absconditas*, juxta significationem verbi primitivi appellat eas obliquas, & addit: *quas septuaginta absconditas, Symmachus τοξικὰς vocat.* Mox, *quæ fenestræ obliquæ, sive τοξικαὶ, idcirco à sagittis vocabulum perceperunt, quòd instar sagittarum angustum in ædes lumen immittant, & intrinsecùs dilatentur.* Aliud etymon proponit Fullerus in Miscellaneis sacris lib. 6. cap. 13. τοξικὰς θυρίδας, *id est fenestras sagittarias*, inquit, *non à lucidorum radiorum immissione, sed à sagittarum in hostes emissione, nomen traxisse apparet. Id quod nuperrimè monuit nobilis Architectus Leo Albertus Florentinus, de murorum munitionibus verba faciens. Sunt, inquit, de Re ædificatoria lib. 4. cap. 4 per murum aptis locis relictæ fis-*
G *suræ, undè furtim à sagittariis incautus & properans hostis sauciretur.* Nempe fenestræ illæ similes erant aperturis illis quas Gallicè appellamus *Embrasures*, quæ extrinsecùs quasi tenues rimæ sunt, intrinsecùs dilatantur. Tales aperturæ frequentes sunt in antiquis urbium mœnibus. Olim templa lumen accipiebant ab aperturâ tecti; ut in illo quod memorat Vitruvius lib. 3. cap. 1. in fine. *Medium autem sub divo est sine tecto.* Plutarchus in vita Periclis inventionem illam tribuit Xenocli Τὸ δ᾽ ὀπαῖον ἐπὶ τοῦ ἀνακτόρου Ξενοκλῆς ὁ Χολαργεὺς ἐκορύφωσε. *Fastygio adyti fenestram addidit Cholargensis Xenocles.* Sic Interpres Latinus. Nomen ὀπαῖον significat propriè foramen ollæ: item foramen per quod fumus è fur-
D no aut ex camino exit. Sed non tale foramen erat in tecto templi: occlusæ fenestræ, qualescumque fuerint erant in parietibus. Primitus fenestræ erant angustæ; laxiores à luxu inventas dicit Seneca Epist. 86. comparans recentiora ædificia cum antiquis. *In hoc balneo Scipionis minimæ sunt rimæ, magis quàm fenestræ muro lapideo insectæ, ut sine injuria munimenti lumen admitterent. At nunc blattaria vocant balnea, si qua non ita aptata sunt* (legerem aperta sunt) *ut totius diei solem fenestris amplissimis recipiant,* Tales fenestræ cogitari non possunt in æde sacra. Cingebatur cellis, quæ locum non dabant fenestris patentibus: sed nec indigebat templum lumine solis, compluribus lucernis collustratum; & ipsâ auri undique renidentis coruscans lu-
E ce. Tabernaculum non aliam lucem habebat, quàm quæ ex aureo candelabro, & à parietibus ejus auro tectis affulgebat.

Qui tabernaculum imitari studebat Salomon, decuit eum inducere auro parietes; quod ab eo factum legimus in capite allegato Regum v. 9. *Et ædificavit domum & consummavit eam; texitque domum laquearibus cedrinis.* In fonte גבים ושדרות בארזים. Nomen illud גבים *ghevim* significat *foveas, fossas*, etiam *fornicem*; quâ in significatione acceperunt Græci, qui verterunt Καὶ ἐκοιλοστάθμησε τὸν οἶκον ἐν κέδροις *& in laquearibus domum texit in cedris.* In Chaldæa Paraphrasi: *operuit domum trabibus cavatis.* Hæc non interpretarer de fornice, sed de ipsis parietibus

in quibus erant partes eminentes & depreſſæ, veluti foveæ, vel lacunæ שדרות *ſederot* ſunt ordines. Nempe ordinatæ erant tabulæ cedrinæ variis figurarum ordinibus, ut nunc fit. Gallicè *il y avoit differens compartimens.* Certum eſt parietes tabulis cedrinis obtectos fuiſſe, ut pergit Scriptor ſacer v. 15. *Et ædificavit parietes domûs intrinſecùs tabulatis.* In fonte בצלעות, id eſt, in coſtis, ſive tabulis, *cedrinis à pavimento domûs uſque ad ſummitatem parietum & uſque ad laquearia, & operuit lignis cedrinis intrinſecùs, & texit pavimentum domus tabulis abiegnis.* Verùm tabulæ illæ, quanquam è pretioſo ligno, ſubdebantur laminis aureis, ut in eodem Regum capite dicitur v. 21. *Domum quoque ante Oraculum.* videlicet partem illam ædis quam nunc conſideramus, *operuit* Salomon *auro puriſſimo & affixit laminas clavis aureis. Nihil erat in templo, quod non auro tegeretur.* Adjungitur v. 30 *ſed & pavimentum domûs texit auro intrinſecùs & extrinſecùs* Græci clariùs exprimunt fontem Καὶ τὸ ἔδαφος τοῦ οἴκου περιέχε χρυσίῳ τοῦ ἐσωτέρου καὶ τοῦ ἐξωτέρου. *Et pavimentum domûs texit auro interioris & exterioris*, nempe tam pavimentum Sancti quàm Sancti Sanctorum. Sanctum dicebatur pars exterior per reſpectum ad Sanctum Sanctorum, quod erat interius. In hunc locum congerendum eſt quod dicitur in Paralipomenis libro 2. capite 3. v. 7. *Porro aurum erat probatiſſimum, de cujus laminis texit domum & trabes ejus & poſtes.*

Cùm penes Herodem non tanta eſſet auri copia, templum quod inſtauravit baud potuit ſuperare magnificentiâ Salomonicum, quod auro ſolido fuit exornatum non bracteolis tenuibus, ſive foliis, arte quæ poſtea innotuit. Diſcimus enim ex Plinio lib. 30. cap. 3. Adeò aurum dilatatum & diviſum, ut uncia in ſeptigenas, pluresque bracteas quaternûm, utrinque digitorum ſpargeretur. Tunc lignum inducebatur, ut nunc fit, glutino, quod Plinius lib. 35. appellat *leucophorum*, ſive ut critici corrigunt, *chryſophorum.* Quidquid ſit de templo Herodiano, certum eſt quod in Salomonico tabulæ aureæ, quibus obtegebantur parietes omnes ædis ſacræ, etiam pavimentum non erant tenues bracteæ, ſi quidem affixæ erant clavis aureis quorum pondus notabile declarat Scriptura in Paralip. ibidem v. 9 *ſed & clavos fecit aureos; ita ut ſinguli clavi ſiclos quinquagenos appenderent.* Quod facit duas marcas auri cum ſeptem unciis duobus groſſis & octo granis, hoc eſt ferè tres marcas pondus centum octo Ludoviſiorum aureorum. Quis in dubium revocabit tantum pondus; ſed ſenes Græcos ibi Interpres Latinus ſequitur. Ὁλκὴ τῶν ἥλων, ὁλκὴ τοῦ ἑνὸς πεντήκοντα σίκλοι χρυσίου. Fons ſic verti poteſt, & vertitur in Paraphraſi Chaldaïca. *Pondus verò pro clavis* erat *ſiclorum quinquaginta auri.* Ex tot ſiclis fecit omnes clavos quis dicat; ſed & pariter abſimile eſt vero, ut omnes clavi neceſſarii tot affingendis tabulis non ultra quinquaginta ſiclos appenderint. Itaque quoquo modo accipiatur ille Paralipomenorum locus, non mihi videtur carere omni labe, quæ acceſſerit ex Librariorum oſcitantia. Pro חמש chameſch *quinque* potuit irrepere חמשים *chamiſchim*, id eſt, *quinquaginta.* Satis pretioſi fuiſſent ſinguli clavi quinque ſiclorum, ſive quinque ſemiunciarum Romanarum, quæ pares ſunt duabus unciis Pariſinis cum uno groſſo, uno denario & duodecim granis; quod pondus eſt ferè decem Ludoviſiorum aureorum. Adjungitur: *Cœnacula quoque texit auro*, id eſt, ſuperiora tabulata pariter auro obtecta ſunt. De his tabulatis infra dicturi ſumus.

Nec tantùm materiâ, ſed & opere commendabatur domus iſta. Deſcribitur illud opus loco Regum allegato lib. 3. cap. 6. v. 18. *Et cedro omnis domus intrinſecùs veſtiebatur, habens tornaturas & juncturas ſuas fabrefactas, & cælaturas eminentes. Omnia cedrinis tabulis veſtiebantur; nec omnino lapis apparere poterat in pariete.* Quæ eſſent iſtæ tornaturæ, ſive cælaturæ, quod idem eſt; nam *tornus* & *cælum* non diverſa ſonant: inſtrumentum eſt, quo cælantur metalla. Quæ, inquam, eſſent iſtæ cælaturæ paulò poſt declaratur v. 29. *Et omnes parietes templi per circuitum ſculpſit variis cælaturis, & torno. Et fecit in eis Cherubim, & palmas, & picturas varias, quaſi prominentes de pariete & egredientes.* In diverſis tabularum ordinibus, in earum lacunis, ſive foſſis, ut ſupra obſervatum eſt, extabant figuræ Cherubim & palmarum. Delectabantur ſymbolis Hebræi. Cherubicæ effigies, ut vidimus, compendio exhibebant quatuor præcipua vexilla totius exercitûs Iſraël, ſive Dei, qui cùm apparuit in forma viſibili, ſæpiùs viſus eſt exercitu ſuo circumdatus, inter Cherubim; ut olim ipſe habitare voluerat inter vexilla Iſraëlitarum exercitûs. Moyſes tapetes tabernaculi decoraverat Cherubicis imaginibus, quas his tapetibus intexendas curaverat. Has exprimere ſtuduit Salomon in parietibus templi. Similiter & palmas effinxit, quarum fructus colore ſuo imitabantur præcipuum colorem, qui lucebat in tapetibus tabernaculi. Palma, ut ſæpiùs diximus, erat Judææ ſymbolum; ideò ubique in templo, in ligno, in metallis palmæ expreſſæ. De hiſce cælaturis ſermo fit in Paralipomenis lib. 2. cap. 3. v. 5. *Domum quoque majorem*, hoc eſt, partem ſanctam, quæ major erat parte ſanctiori, *texit tabulis ligneis abiegnis, & laminas auri obrizi*, id eſt, boni *affixit per totum, ſculpſitque in ea palmas & quaſi catenulas ſe invicem complectentes.* In fonte: *Fecerat ut eminerent* in ea palmæ & catenæ. Opus illud erat catenatum, ſcilicet implexæ ſibi invicem erant palmæ, ſimul & illigatæ Cherubinis.

SECTIO IV.

De iis quæ in Sancto continebantur, de candelabris, de menſa altaris thymiamatis, & menſa panum propoſitionis.

IN libro hujus operis tertio, expoſuimus formam & materiam candelabri, altaris aurei, ſive thymiamatis, & menſæ panum propoſitionis, quæ in hac parte templi erant. Cùm dictis pauca habeam ſuperaddenda, præſens articulus brevis erit. Unum erat candelabrum in tabernaculo, fecit alia Salomon, ut eſſent decem numero, quinque à dextris, & quinque à ſiniſtris. Quippe cùm locus eſſet magis ſpatioſus, plura poſtulabat, quibus ſic multiplicatis, multo & miro ſplendore Sanctum colluſtrabatur, etiamſi nullas haberet feneſtras, ſaltem quæ non admitterent aliud lumen, quam incertum & exile. In candelabris ſingulis erant ſeptem lucernæ; ita ſeptuaginta numero univerſæ omnes in ſpatio quadraginta cubitorum; quarum ſplendor augebatur, & innumeris modis multiplex fiebat, ſiquidem laminæ aureæ parietum, & laquearium, etiam pavimenti inſtar erant ſpeculorum innumerorum, à quibus repercutiebatur millies lux cujuſque lucernæ.

De his decem candelabris loquitur ſcriptor Paralipomenorum lib. 2. cap. 4. v 7. *Fecit autem & candelabra aurea decem, ſecundùm ſpeciem quâ juſſa erant fieri*, juxta formam præſcriptam, ſive à Deo, ſive à Davide, *& poſuit ea in templo.* in hekal *quinque à dextris, & quinque à ſiniſtris.* 8. *Nec non & menſas decem, & poſuit eas in templo*, in hekal, id

eſt, in Sancto, *quinque à dextris, & quinque à ſiniſtris: phialas quoque centum.* Rabbini movent difficultatem circa ſitum tum candelabrorum, tum menſarum; ſi quidem lex præceperat ut candelabrum locaretur è regione menſæ, ad latus tabernaculi, Auſtrum versùs. Nolunt ergo poſita decem candelabra quinque à dextris januæ, & quinque à ſiniſtris januæ; ſed à dextris & à ſiniſtris Moſaici candelabri. Eadem dicunt de decem menſis, quoniam ex juſſu Dei diſpoſita fuerat menſa panum propoſitionis ad latus tabernaculi, versùs Septentrionem. Quo autem fine menſas illas conflandas curaverat Salomon? An quia multiplicatum fuerat candelabrum, & neceſſe ut multiplex fieret menſa panum propoſitionis; priùs unica, ut unicum candelabrum. Forſan his temporibus, cùm major erat numerus Sacerdotum, plurimi panes offerebantur, ſive ante Deum proponebantur, è quibus ablatis veſcebantur Sacerdotes. Rabbini id innuunt; & factum dicunt à Salomone, ut multiplicarentur ſata, ſive ſemina, quæ agris mandantur.

Illud, quod additur, *Phialas quoque centum*, pertinere videtur ad illas menſas decem, in quibus offerebantur panes. Ex Joſepho lib. 3. Antiq cap 7. diſcimus panes propoſitionis diſpoſitos fuiſſe duobus ordinibus, ſupra quos ponerentur duæ phialæ aureæ thure plenæ. Ὑπὲρ δὲ τῶν ἄρτων ἐπέθεντο φιάλας δύο χρυσέας λιβάνου πλήρεις. Phialæ illæ in fonte nominantur מזרקים, quod nomen ſolet à Græcis Interpretibus reddi ubique fere φιάλη *phiala.* Deducitur a verbo Hebræo זרק *ſpargere.* Scilicet apponebantur panibus propoſitionis phialæ plenæ odoramentorum ſuaviſſimi odoris, quæ tamen, ut obſervatum eſt, fumum odoriferum non ſpargebant, ſi quidem his non ſubdebatur ignis. Errant ergo qui illas repræſentant emittentes fumum; ſed non ideò minùs gratum odorem diffundebant per ſanctam ædem; cùm eſſent centum. Undè autem ille numerus centenarius quem adſtruit Scriptura. Cùm quæque ordinatio panum haberet unam phialam, & in una menſa panum propoſitionis duæ eſſent ordinationes, decem menſæ indigebant viginti tantùm phialis; crederem ego multiplicatas, ut odor gratior afflaretur ſacræ ædi.

De altari aureo alibi fusè diſſerui. Hîc tantùm quæram an, ut in tabernaculo, ita & in Salomonico templo poſitum fuerit extra Sanctum Sanctorum. Sunt loca Scripturæ, quæ contrarium ſuaderent, niſi explicarentur. In libro tertio Regum c. 6. v 21. ubi de Oraculo ſermo fit, dicitur: *ſed & altare veſtivit cedro;* & paulò poſt v. 23. *ſed & totum altare Oraculi texit auro.* In Paraphraſi Chaldaica: *totumque altare, quod erat in Oraculo, texit auro.* Dici poſſet quod altare aureum, licet in Sancto poſitum, reputaretur Sancti Sanctorum, quia eſſet ad fores ejus: undé auctor Epiſtolæ ad Hebræos dicere potuit cap. 9. v. 3. & 4. *Poſt velamentum autem ſecundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, aureum habens thuribulum.* χρυσοῦν θυμιατήριον. De vero ſenſu verborum Apoſtoli diſputatum in libro tertio. Quis ſenſus eſt locorum tertii Regum? Pro eo quod habet fons Hebræus hodiernus, & Vulgata Latina *ſed & altare veſtivit cedro*, in Græca verſione legimus. Καὶ ἐποίησε θυσιαστήριον κατὰ πρόσωπον τοῦ δαβὶρ, καὶ περιέσχεν αὐτὸ χρυσίῳ. *Et fecit altare ante faciem Oraculi, & operuit illud auro.* Alter locus: *ſed & totum altare Oraculi texit auro*, non comparet in verſione Græca, niſi quis cogitet ex duobus propoſitis locis unum conflatum à Græcis. Aliter autem quàm fecit Latinus Interpres, licet interpretari verba fontis Hebræi. Litera ſervilis ל *lamed* uſurpatur ab Hebræis pro *in* & *ad*, ita ut illud אשר לדביר verti poſſit, *quod ad Oraculum;* ſcilicet Salomon & auro texit altare *quod ad Oraculum*, nempe quod proximum Oraculo erat ante fores ejus. Potuit ergo Apoſtolus ad Sanctum Sanctorum referre altare thymiamatis; niſi quis malit dicere non de altari agere, ſed de ſimplici vaſe in quo ſuffitus fiebat; quod ut in libro tertio demonſtravimus aperto teſtimonio Philonis, inferebat in Sanctum Sanctorum ſummus Pontifex in die feſto Expiationis, & ibi deponebat, donec anno revoluto aſportaret, novum afferens. θυμιατήριον vas erat ſimplex, quod manu præferri poterat. Non in alio ſenſu accipitur illud nomen in verſione Græca. Sic 2. Paralip. cap. 26. v. 19. *Iratuſque Ozias tenens in manu thuribulum* θυμιατήριον *minabatur Sacerdotibus.* Et in Ezechiele cap 8. v. 11. *Unuſquiſque habeat thuribulum* θυμιατήριον *in manu ſua.* Nuſquam vero θυσιαστήριον ab illis Interpretibus ponitur niſi pro altari. Fatendum tamen eſt à Joſepho libro tertio Antiquitatum cap. 7. & lib. 6. de Bello cap. 6. altare thymiamatis appellari θυμιατήριον Jam innuimus non ſolùm fumo odoramentorum, quæ in eo incendebantur, impletum Sanctum, ſed indè quaſi effuſum odorem impleviſſe etiam atria templi, præſertim Sacerdotum, ubi fiebant ſacrificia: cùm enim feneſtræ, ſi aliquæ fuerint, anguſtæ eſſent, patens autem eſſet janua, omnis odor thymiamatis ferebatur versùs altare holocauſtorum; ſic expellebat ingratum odorem carnium quæ cremabantur, & cruoris victimarum.

SECTIO V.

De Sancto Sanctorum, de nominibus ejus, dimenſionibus, & Cherubinis ejus.

PArs ſanctior ædis ſacræ dicebatur Sanctum Sanctorum; & דביר *Devir*, hoc eſt, *Oraculum*, ſive *locutorium;* quia indè Deus edebat oracula ſua, cum his colloquens à quibus conſulebatur, ad quod alludit Joannes in Apocalypſi cap. 16 1. *Et audivi vocem magnam de templo, dicentem ſeptem Angelis, ite & effundite ſeptem phialas iræ Dei in terram:* iſta vox egrediebatur ἐκ τοῦ ναοῦ ex templo, quod ναὸς dicebatur ut intelligenda ſit ſacra ædes, ex qua audiebatur vox Dei; quod dicit Joannes cap. 11. 19. *Et apertum eſt templum Dei in cælo.* Vox ναὸς & ibi occurrit, *& viſa eſt Arca teſtamenti ejus in templo ejus* ἐν τῷ ναῷ, *& facta ſunt fulgura; & voces, & terræ motus, & grando magna.* Pariter ira Dei ut & benignitas ex Oraculo depromebatur.

Joſephus & Sanctum Sanctorum ἄδυτον nominat; quia nulli licebat in illud penetrare, niſi ſoli ſummo Pontifici. Idem ſcriptor hanc appellat ἅγιον τοῦ ἁγίου *Sanctum Sancti*, quia adhuc ſanctior primâ parte, quæ Sancta erat. Sanctum autem Sanctorum, juxta morem loquendi Hebræorum, idem ſonat ac Sanctiſſimum. Interdum in fonte dicitur *domus interior.* Tota ædes ſacra reputabatur domus Dei; pars prima dicebatur exterior comparata ſecundæ, quæ interior magis. Diſtinguebatur muro & velo à reliqua parte ædis. De hac ſeparatione loquitur Joſephus in Antiquitatibus lib. 8. cap. 4. *Et in pariete adytum à reliquo ſeparante fores appoſuit Salomon cedrinas, has quoque cælatas & inauratas. Eas prætexuit velis pictûratiſſimis, hyacintho, purpurâ, cocco, byſſoque ſplendidiſſimo ac molliſſimo diſtinctis.* Sic decebat fieri, quoniam in Tabernaculo tale velum pandebatur ante fores hujuſce ſanctioris loci. Judæi volunt in ſecundo templo, quod ſub Zorobabele ædificatum eſt, duo fuiſſe vela Cauſam aperit, ſive veram, ſive fictitiam Maimonides de Do-

mo electa cap. 4. n. 2. » In æde prima, inquit, murus erat inter Sanctum, & Sanctum Sanctorum, » qui murus cubitum unum spissus erat. Ædes verò secunda cùm ædificaretur, addubitatum est u- » trum fuisset ejus muri spissitudo ex spatio Sancti, » an ex spatio Sancti Sanctorum. Attribuerunt igi- » tur longitudini Sancti Sanctorum viginti cubitos » integros, & cubitos integros quadraginta longitu- » dini Sancti, & spatium insuper unius cubiti me- » dium reliquerunt inter Sanctum & Sanctum Sanc- » torum. Murum igitur inter Santum & Sanctum » Sanctorum intergerimum in æde secunda omni- » no nullum ædificaverunt. Verùm vela sunt adhi- » bita duo: unum ab extrema parte Sancti; & al- » terum ab extrema Sancto Sanctorum. Hæc inter » medium erat spatium unius cubiti; idque vacuum, » quod illius in æde prima muri latitudinem repræ- » sentabat. Nam in æde prima velum erat omnino » unum. Hisce Talmudicis traditionibus eam tantùm fidem, quæ illis debetur, adhibemus.

Dimensiones partis sanctioris intra quam versamur, clarè definiuntur in sacro codice, & ejus ornamenta explicantur. A pavimento usque ad summitatem parietum, laquearia omnia erant operta tabulis cedrinis; & his affixæ laminæ aureæ, quas variæ cælaturæ exornabant. 3. Reg. cap. 6 v. 16. *Ædificavitque* Salomon *viginti cubitorum ad posteriorem partem templi tabulata cedrina à pavimento usque ad superiora, & fecit interiorem domum Oraculi in Sanctum Sanctorum.* Fontem sic expressêre Junius & Tremellius. *Contabulavit verò viginti cubitos ad latera ipsius domûs tabulis cedrinis à solo usque ad ipsos muros; contabulavit, inquam, ipsum intra adytum in Sancto Sanctorum,* Hæc postrema verba *in Sancto Sanctorum* ostendunt ibi non indicari hasce cellas, quæ ædi sacræ adhærebant; quas perinde ac totam ædem auro decoravit Salomon, ut suo loco dicetur. Paucis interjectis subjicitur in codice sacro v. 19. *Oraculum autem in medio domûs in interiori parte fecerat, ut poneret ibi Arcam fœderis Domini. 20. Porrò Oraculum habebat viginti cubitos longitudinis & viginti cubitos latitudinis, & viginti cubitos altitudinis: operuitque illud atque vestivit auro purissimo.* Eadem leguntur in Paralipomenis lib 2. cap. 3. v. 8. *Fecit quoque domum Sancti Sanctorum: longitudinem juxta latitudinem domûs cubitorum viginti*; nam illa erat latitudo ædis, *& latitudinem similiter viginti cubitorum. Et laminis aureis texit eam quasi talentis sexcentis.* Indè liquet quàm immane pondus auri impensum fuerit in tota æde sacra; quæ in angusto Oraculi spatio tot tantasque opes coacervatas continebat. Quod aliud ædificium posset magnificentiâ certare? Si quidem sexcenta talenta ככרים *Kikarim*, in solo Sancto Sanctorum consumpta sunt, quæ faciunt multo plus quàm viginti septem milliones nostrarum librarum Turonensium. Quales erant illæ laminæ intelligitur ex eo quod Scriptura addit v. 9. *Sed & clavos fecit aureos, ita ut singuli clavi siclos quinquagenos appenderent. Cœnacula quoque texit auro.* Oportebat laminas non esse tenues, quæ figerentur clavis tanti ponderis. Etsi hic locus fortè non caret mendâ, ut supra animadvertimus. Quid autem illud est, quod additur? *Cœnacula quoque texit auro.* Fons Hebræus habet והעליות חפה זהב Ad verbum Latinus Interpres reddidit. Græci verò vertunt καὶ τὸ ὑπερῷον ἐχρύσωσεν. Nempe Græci legerunt in recto; & sic legendum opinor; nunc enim verisimile est omnia cœnacula, sive superiora ædificia fuisse auro obtecta; sed unum cœnaculum τὸ ὑπερῷον, nempe cœnaculum quod emphaticè sic appellaretur; quippe præcipuum & ce-

A leberrimum: cœnaculum, sive superius ædificium ædis sacræ, quod postea descripturi sumus. Illud, inquam, cœnaculum templi exornavit pariter laminis aureis. Cùm ibi scriptor Paralipomenorum loquatur de æde sacra, non aliud cœnaculum intelligi potest, quàm superius ejus ædificium. Revertemur ad librum tertium Regum, ubi enarrantur quæ fecerit Salomon in Sancto Sanctorum. Pergit loqui hujus libri scriptor cap. 6. 23. *Et fecit in Oraculo duos Cherubim de lignis olivarum, decem cubitorum altitudinis. 24. Quinque cubitorum ala Cherub una, & quinque cubitorum ala Cherub altera, id est, decem cubitos habentes à summitate alæ unius usque ad alæ alterius summitatem. 25.*
B *Decem quoque cubitorum erat Cherub secundus: in mensura pari, & opus unum erat in duobus Cherubim. 26. Id est, altitudinem habebat unus Cherub decem cubitorum, & similiter Cherub secundus. 27. Posuitque Cherubim in medio templi interioris.* Fons habet *in medio domûs interioris*, hoc est in Oraculo. *Extendebant autem alas Cherubim, & tangebat ala una parietem, & ala Cherub secundi tangebat parietem alterum: alæ autem alteræ in media parte templi*, in fonte *domûs*, id est, Oraculi *se invicem contingebant* alarum extremitatibus, ut modo dicturi sumus. 28. *Texit quoque Cherubim auro.*

Similia occurrunt in Paralipomenis lib. 2. cap. 3. v. 10. *Fecit etiam in domo Sancti Sanctorum Che-*
C *rubim duos opere statuario & texit eos auro.* Aliter olim legerunt hunc locum Græci Interpretes, pro hodierno מעשה צעצעים *maase tzatzeim*, cùm verterint ἔργον ἐκ ξύλων. Viderunt, inquam, in codice, quo usi sunt, מעצים *meetzim*, id est, *ex lignis.* Quæ lectio est apertior. Vox fontis hodierni valdè obscura est; & pro variis suis originibus, quæ ei tribuuntur, diversimodè redditur. Alii significatum putant hos Cherubim eâ arte factos, ut sponte mobiles esse & vagari viderentur. Alii interpretantur eam formam habuisse, ut referrent pueros. Ibi limpidior Græca versio, quæ dicit Cherubim factos de lignis imputribilibus; quæ ligna texit auro Salomon.

D 11. *Alæ Cherubim* nempe duorum *viginti cubitis extendebantur, ita ut una ala haberet cubitos quinque, & tangeret parietem domûs: & altera quinque cubitos habens, alam tangeret alterius Cherub.*

12. *Similiter Cherub alterius ala, quinque habebat cubitos, & tangebat parietem: & ala ejus altera quinque cubitorum, alam Cherub alterius contingebat.*

13. *Igitur alæ utriusque Cherubim expansæ erant, & extendebantur per cubitos viginti.* Versio illa eam notionem videtur indere, quod Cherubini duo alas suas expansas haberent, quam notionem secutus est Villalpandus. Verùm fons Hebræus sic verti potest. *Alæ Cherubinorum istorum expandebant*
E *se in cubitos viginti.* Cùm scilicet expandebant se aut expansæ erant, occupabant viginti cubitos. Quem sensum Græci senes secuti sunt. Καὶ αἱ πτέρυγες τῶν Χερουβὶμ τούτων διαπεπταμέναι πηχῶν εἴκοσι. *Alæ horum Cherubinorum expansæ viginti cubitis.* Tollit ambiguitatem Josephus, qui libro octavo Antiquit. cap 3. dicit has Cherubinorum effigies, conjunctis alarum extremitatibus, sic enim illas artifex fecerat, Arcam velut sub umbella aut tholo protexisse. Αἱ δὲ τὰς πτέρυγας συμπλέξασαι, καὶ γὰρ οὕτως ἦσαν ὑπὸ τοῦ τεχνίτου κατεσκευασμέναι, τὴν κιβωτὸν ὡς ὑπὸ σκηνῇ τινὶ καὶ θόλῳ κατεσκίαζον. Ita delineatio Villalpandi fallit nos. Prosequamur textum sacri codicis. *Ipsi autem stabant erectis pedibus, & facies eorum erant versæ ad exteriorem domum.* In hisce ultimis verbis difficultas est. Salo-

mon voluit imitari duos Cherubim qui erant super Arcam; quos majores fecit, quia in majori loco. Cherubini autem Arcæ, ut dicitur in Exodo cap. 25. v. 20. respiciebant se mutuo versis vultibus in Propitiatorium, quo operiebatur Arca. Verisimile ergo est & se respexisse Cherubinos Salomonicos. Id nos docet veritas Hebraïca. פני הם לבית. Notum enim est בית non solùm domum significare, sed sonare idem quod particula *intus*; in quo sensu vocem illam accepit Paraphrasis Chaldæa hujus loci: *vultus verò eorum introrsùm*, supple, respiciebant, nempe internam partem Sancti Sanctorum, ubi Arca sita erat. Latinus verò Interpres Græcos secutus, dictæ vocis alteram significationem expressit, nempe *domum*, *facies eorum erant versæ ad interiorem domum*, hoc est, ad Sanctum Sanctorum. Duos illos Cherubinos Villalpandus facit stantes in medio Oraculi ad latera Arcæ. Præterea alios binos in uno quoque ex quatuor lateribus Oraculi exhibet, paris magnitudinis & formæ, quemque inter duas palmas contra fidem Scripturæ quæ duos Cherubinos tantùm memorat, quos inter palmas arbores haud collocat. Verùm quidem est Salomonem palmas & Cherubinos intexuisse parietibus, etiam velis, ut pergit dicere scriptor Paralipomenorum. Sed illa parietum & velorum Cherubim videntur habuisse formam diversam ab Oraculi Cherubim. Saltem alia erat magnitudo.

14. *Fecit quoque velum ex hyacintho, purpurâ, cocco, bysso: & intexuit ei Cherubim.*

Hùc pertinet locus Regum lib. 3. cap. 6.

31. *Et in ingressu Oraculi fecit ostiola de lignis olivarum, postesque angulorum quinque.* Hunc versum suprà exposuimus, & vidimus in fonte describi superliminaria, quæ constabant quinque trabibus, ut non fatiscerent pondere muri desuper extructi.

32. *Et duo ostia de lignis olivarum: & sculpsit in eis picturam Cherubim, & palmarum species, & anaglypha valdè prominentia: & texit ea auro, & operuit tam Cherubim quàm palmas & cætera auro.* Porta Oraculi unica erat; sed hæc habebat duas valvas, in quibus extabant cælaturæ palmarum & Cherubinorum.

SECTIO VI.

De Arca; an præter tabulas lapideas quidpiam aliud continuerit? Quid huic obigerit, postquam templum à Chaldæis incensum fuit.

IN Sancto Sanctorum reposita erat Arca. Hanc descripsimus in libro tertio; sed de ea quæpiam addi possunt ratione loci, in quem translata est à Salomone. Ubi templi perfectum est opus, prout narratur à sacro Historico lib. 3. Reg. cap. 8. v. 6. *Et intulerunt Sacerdotes Arcam fœderis Domini in locum suum, in Oraculum templi in Sanctum Sanctorum subter alas Cherubim.* Videlicet horum duorum Cherubinorum, quos articulo superiori descripsimus. Itaque ex hisce verbis colligimus, hos Cherubinos non inhæsisse parieti; sed aliquantisper ab eo avulsos, sive remotos, & erectos stetisse in pedes. Respiciebant autem Arcam, quam suis alis videbantur protegere; quod textus Scripturæ indicat.

7. *Si quidem Cherubim expandebant alas super locum Arcæ, & protegebant Arcam, & vectes ejus desuper.* Etiam protegebant vectes ejus, quia non educti sunt ex annulis Arcæ ab ea die quâ in templum intulerunt illam Sacerdotes. Ibi versio Græca non memorat vectes. Καὶ ἐπὶ τὰ ἅγια αὐτῆς ἐπάνωθεν, *Et super Sancta ejus desuper.*

8. *Cùm eminerent vectes, & apparerent summitates eorum foris Sanctuarium ante Oraculum, non apparebant ultra extrinsecùs, qui & fuerunt ibi usque in præsentem diem.* Hoc quod dicitur de his vectibus valdè obscurum est. Diversimodè Fons redditur ab Interpretibus. Græci, ut dictum est, non memorant vectes. Loquuntur de sanctificatis, καὶ ὑπερεῖχον τὰ ἡγιασμένα, *& eminebant sanctificata, &c.* Verba Hebræa licet interpretari sic. *Et ordinaverunt*, sive prolongaverunt *vectes* eo modo Sacerdotes, *ut apparerent principia vectium à Sancto*, id est, versùs Sanctum, *coram Oraculo:* & tamen *non apparebant extra* Sanctum Sanctorum. Dixerat Historicus quòd alæ Cherubim Arcam & vectes ejus operiebant; ibi autem addit ita ordinatos vectes, ut extremitas eorum appareret è Sancto; scilicet quando in Oraculum fiebat ingressus, sive ingredienti in Oraculum occurrebat, sive cernebatur extremitas vectium; quorum reliquam partem simul & Arcam alæ Cherubinorum tegebant. *Prolongaverunt*, inquam, ita *hos vectes, ut viderentur capita eorum è sanctitate super faciem Oraculi & non apparebant extrinsecùs.* Sic & reddi potest fons Hebræus. *Non exibant vectium extremitates extra oraculum, nec apparebant.* Eo autem fine sic dispositi videntur vectes illi, ut Pontifex cùm ingrediebatur in Oraculum, ad locum Arcæ deducerent eum; locus enim ille prorsus obscurus erat, qui Solis radiis non esset pervius; nec ullâ aliâ luce collustraretur. Vectes non amoti sunt ab Arcâ, quia sic præceperat Moyses.

9. *In Arca autem non erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israël, cùm egrederentur de terra Ægypti.*

Hîc adscribam locum parallelum secundi Paralipomenorum cap. 5. v. 7. *Et intulerunt Sacerdotes Arcam fœderis Domini in locum suum, id est, in Oraculum templi, in Sancta Sanctorum subter alas Cherubim.*

8. *Ita ut Cherubim expanderent alas suas super locum, in quo posita erat Arca, versùs interiorem partem, & ipsam Arcam tegerent cum vectibus suis.*

9. *Vectium autem quibus portabatur Arca, quia paululùm longiores erant, capita parebant ante Oraculum: si verò quis paululùm fuisset ex rinsecùs, eos videre non poterat. Fuit itaque Arca ibi usque in præsentem diem.*

10. *Nihilque erat aliud in Arca nisi duæ tabulæ quas posuerat Moyses in Horeb, quando legem dedit Dominus filiis Israël egredientibus ex Ægypto.* Adverte, Lector, *Horeb* & *Sina* non esse diversos montes, nec duo ejusdem montis juga. *Horeb* significat *desertum*, & *Sina* locum qui abundat rubis, *Sina* est rubus. Ita Scriptura indicat legem datam in deserto. Scriptor autem Regum & Paralipomenon eadem dicunt, videlicet nihil aliud fuisse in Arca præter legis tabulas. Cùm Josephus scribebat non aliud sentiebant Judæi. Certè juxta hanc sententiam loquitur Josephus in Antiquitatibus libro 8. cap. 3. in quo cùm descripsisset quâ pompâ Salomon curavit transferri Arcam, & in adytum inferri: subdit. *Continebat hac nihil aliud quàm duas tabulas lapideas, quæ decem præcepta, Dei ore in monte Sina prodita, insculpta eis servabant.* Hæc absque omni ambiguitate excludunt ab Arcâ aliam quamcumque rem præter duas tabulas lapideas. At scriptor Epistolæ ad Hebræos non minùs dilucidè videtur contrarium adstruere cap. 9. v. 4. nam inter ea quæ haberet Sanctum, numerat *Ar-*

cam testamenti circumtectam ex omni parte auro, A *in qua*, inquit, *urna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti, superque Cherubim.* De urnâ aureâ constat eam depositam ab Aarone ex Dei jussu in Tabernaculo. Sic præceperat Deus in Exodo cap. 16. v. 33. *Sume tibi vas unum & mitte ibi man, quantùm potest capere gomor, & repone coram Domino, ad servandum in generationes vestras, sicut præcepit Dominus Moysi. Posuitque illud Aaron in Tabernaculo reservandum.* Quod reservatur absconditur; ita manna repositum in urna aurea erat verè absconditum; quapropter non dubito quin Joannes in Apocalypsi cap. 11 17. hocce manna intueatur, cùm Jesum sic inducit loquentem *vincenti dabo manna absconditum*, & Græcus fons habet δώσω αὐτῷ φαγεῖν ἀπὸ τοῦ μάννα κεκρυμμένου, *dabo illi edere de manna abscondito.* Id est, de vero manna quale fuit illud quod Moyses ex jussu Dei reposuit & abscondidit in urna aurea quam collacavit in Sancto Sanctorum in ipsa Arca aut juxta Arcam. Olim in ludis, in certaminibus publicis victores excipiebantur epulis. Jesus Christus admittet ad mensam qui mundum vicerint, & pascet eos verè pane cælesti.

Deus etiam jusserat Moysi ut in Tabernaculo reservaret, & conservaret virgam Aaronis, quæ floruerat. Numer. cap. 17. 10. *Dixitque Dominus ad Moysem: refer virgam Aaron in Tabernaculum testimonii.* Sed Scriptura non dicit urnam in qua man, C & virgam Aaronis fuisse intra Arcam. Buxtorfius in historia Arcæ, allegat Doctores Judæos, qui id sentirent; sed plures alios in contraria sententia fuisse declarat, prolatis testimoniis. Maimonides in tractatu de Domo electa cap. 4. Juxta latus Arcæ, sive prope Arcam disponit hanc urnam cum Aaronis virga. *Lapis*, inquit, *fuit in Sancto Sanctorum, in parte ejus occidentali, cui imposita fuit Arca; & ante eam, urna mannæ, & virga Aaronis.* Hæc sententia cùm sit verisimilior; & idcirco ab ea non possit alienus censeri scriptor dictæ Epistolæ sic eum interpretari decet, ut sermo ejus cohæreat cum paginis veteris Testamenti, quæ omnem rem aliam præter tabulas lapideas excludunt ab Arca. Res D constat, si particula ἐν ᾗ στάμνος χρυσῆ, *in qua urna aurea*, &c. referatur ad id quod sermonis argumentum est, nempe *ad Sanctum Sanctorum*; Græcè σκηνὴ ἡ λεγομένη ἅγια ἁγίων; quare Interpres Latinus potiùs debuisset dicere non *in qua*, sed *in quo*, usus antecedenter nomine Tabernaculi, quod neutrius est generis. Verum obstat quod sequitur: *superque eam erant Cherubim gloriæ.* Hæc enim verba ostendunt quòd ipse scriptor epistolæ, sicut Interpres ejus Latinus, particulam *in qua urna aurea*, retulerit ad ipsam Arcam; super quam erant Cherubim gloriæ. Illa, inquam, verba tollunt ambiguitatem, & admonent illud ἐν ᾗ non posse intelligi nisi de Arca, quæ Græcè dicitur κιβωτὸς fœminini generis.

Attamen benignâ interpretatione conciliari posset E locus ille novi Testamenti cum antiquis Scripturis; illud ἐν ᾗ non strictè sumendo pro *in qua*, vel *intra quam*, sed laxiùs pro *cum* ex Hebraïsmo, in quo præpositio ב *beth* non solùm significat *in*, sed & *cum, ad, prope, juxta*, ut sciunt qui primis labris literas Hebræas degustavère. Sed quibusdam videtur durum in uno & eodem loco in geminâ significatione adhiberi illud ἐν ᾗ; nempe pro *juxta, prope*, ubi sermo est de urna & virga, & statim pro *in* cùm scriptor nominat tabulas lapideas. Verùm istâ libertate scriptores utuntur, quando agunt cum hominibus quibus aliundè res nota est. Hebræi, quibus scribebat auctor Epistolæ, versabant assiduò Scripturas, sicque potuit urnam, & virgam & tabulas lapideas conjungere simul. Alii hanc difficultatem sic solvunt. Dicunt ante ædificatum templum res istas simul fuisse conjunctas intra Arcam, quando Tabernaculum loco sæpiùs movebatur; sed ubi Sanctuarium stabile fuit & spatiosius, distinctis locis repositas. Cùm ergo de primis temporibus loquatur scriptor Epistolæ, non adversatur his quæ adstruuntur in libris Regum ac Paralipomenorum.

Pertinet ad huncce locum, ut quæramus quid Arcæ obtigerit, cùm templum Salomonicum incensum fuit à Chaldæis; in secundo enim templo nulla memoratur Arca. Certum est primam absconditam. Quo in loco, omnino incertum est. De ejus latebris juvat audire Maimonidem in tractatu B de Domo electâ, cap. 4. « Quoniam igitur Salomon, ait ille, cùm ædificaret templum, cernebat « futurum esse, ut aliquando templum hoc suum « disturbaretur, jussit Arcæ fieri latebram penitùs « in terra abditam inter multiplices recessus & tortuosos. In hac latebrâ Salomonis jussit Arcam abs- « condi Rex Josias, de quo scriptum legitur 2. Paralip. cap. 35. v. 3. Levitis quoque, ad quorum « eruditionem omnis Israël sanctificabatur Domino, « locutus est: ponite Arcam in Sanctuario templi, « quod ædificavit Salomon filius David Rex Israël, « nequaquam enim eam ultrà portabis: nunc autem « ministrate Deo vestro, &c. ac cum Arcâ simul « virga Aaron, urna mannæ, & oleum unctionis « absconditum est, quorum omnino in secundo templo restitutum est nihil. « Quidquid sit de absconsione Arcæ, Maimonides aberrat à verâ mente Josiæ. Significabat enim ibi, ille Rex Levitis, quod cùm non haberent onus in humeris, sive non illis ampliùs incumberet necessitas Arcam portandi, sua convertere deberent studia ut populum sanctificarent

Verisimilius est quod narratur in libro secundo Macchabæorum cap. 2. videlicet cùm transmigrarent Judæi, ducti captivi in Babylonem, quosdam ex illis, hortante & duce Jeremiâ, Arcam detulisse ad montem ex quo Moyses vidit hæreditatem Dei. *Veniens ibi Jeremias invenit locum speluncæ: & Tabernaculum*, quod forsan aliquâ religione servatum fuerat, *& Arcam & altare incensi intulit il-* D *luc, & ostium obstruxit. Et accesserunt quidam simul, qui sequebantur, ut notarent sibi locum, & non potuerunt invenire. Ut autem cognovit Jeremias, culpans illos dixit: quòd ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat*, &c. Vaticinium illud impletum est; hactenus enim locus ille latet. Convenit inter omnes auctores Judæos reduces à captivitate non habuisse Arcam. Nulla ejus facta est mentio in secundo templo; nec ejus meminit Josephus. Si eam deprehendisset Titus, cùm templum invasit, pompam sui triumphi tam decorâ supellectili decorasset, & curasset gestandam inter fercula pompæ; quod de mensâ aureâ & de candelabro ab eo factum narrat Josephus, & horum imaginem exhibet arcus quem ille Imperator, sibi erigi voluit in monumentum captæ urbis Jerusalem. Arca erat typus Christi, qui est verbum Dei. Eo appropinquante typus evanuit, ut sole oriente umbræ pelluntur. Res exitum habuit, quem Jeremias prænuntiaverat cap. 3. 16. *In diebus illis, ait Dominus, non dicent ultra, Arca Testamenti Domini: neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius.* Deus citò submovit typos oculis Judæorum, ut protinùs discerent in Messiam venturum convertere omnem suam religionem. Ita in secundo templo Sanctum Sanctorum nullam habuit Arcam. Vacuum illud deprehensum scribit Tacitus lib. 5. histor. n. 9. *Romanorum primus* Cn. Pompeius Judæos domuit: *templumque jure victoriæ ingressus*

ingressus est. Inde Vulgatum, nullâ intus Deûm effigie vacuam sedem & inania arcana. Non sibi constat Tacitus, qui simul dicit in hoc templo repertum caput asini; quam fabulam confutaturi sumus.

SECTIO VII.

Confutantur Historici Gentiles, qui narrant repertum caput asini in adyto templi Hierosolymitani. Quæ res huic ineptæ fabulæ locum præbere potuerit?

JOsephus Appionem Alexandrinum facit auctorem ridiculi commenti. Sic ille, contra hunc Appionem scribens lib. 2. » In hoc enim sacrario Appion præsumpsit dicere. Asini caput collocasse Judæos, & id colere, ac dignum facere tantâ religione: & hoc affirmat fuisse propalatum dum Antiochus Epiphanes & expoliasset templum, & illud caput invenisset ex auro compositum. Non Appion, sed Diodorus Siculus qui ætate præcessit Appionem, prior rem commentus est, aut ab aliis fictam narravit. Etenim in Eclogis hujus Historici, quæ reperiuntur in editione Franco-furtensi pag. 90. hanc fabulam legimus in Eclogâ ex lib. 34. Ἀντίοχος γὰρ ὁ προσαγορευθεὶς Ἐπιφανής, καταπολεμήσας τοὺς Ἰουδαίους εἰσῆλθεν εἰς τὸν ἄδυτον τοῦ θεοῦ σηκὸν οὗ νόμιμον εἰσιέναι μόνον τὸν ἱερέα. Εὑρὼν δὲ αὐτῷ λίθινον ἄγαλμα ἀνδρὸς βαθυπώγωνος, καθήμενον ἐπ᾽ ὄνου μετὰ χεῖρας ἔχον βιβλίον. *Antiochus enim cognomento illustris, Judæis bello subactis, inaccessum Dei adytum ingressus est, quo tamen Sacerdoti tantùm penetrare lege permissum erat. In quo viri prolixâ barbâ imaginem ex lapide reperisset asello insident*, &c. Judicavit Antigonus subdit Diodorus quod hæc imago fuerit Moysis, qui Hierosolyma condiderat. Sed ipse Diodorus arguitur proprio suo testimonio, qui in Ecloga libri quadragesimi dicit à Moyse nullam esse fabricatam imaginem; quomodo ergo suam permisisset fabricari? Sed etsi contra ipsas leges Moysis inducta esset hæc imago in adytum templi; eam Pompeius cùm templum ingressus est, deprehendisset. Sedes autem vacua erat, ut dicit Tacitus; qui & ipse parum sibi constat. Priusquàm enim de Pompeii victoriis in Judæos egisset, loquens de origine & institutis gentis, eodem libro allegato n. 4. effigiem asini dicit sacratam in penetrali; in memoriam accepti beneficii cùm Judæi ejecti Ægypto vagarentur per deserta, fatigarenturque aquæ inopiâ, adverterunt gregem asinorum agrestium, qui è pastu in rupem nemore opacam concedebant. *Secutus Moses*, inquit Tacitus, *conjecturâ herbidi loci, largas aquarum venas aperit.* Postea subjicit Tacitus, *Effigiem animalis, quo monstrante errorem sitimque depulerant, penetrali sacravêre.* Huic fabulæ fidem adhibuit, & Plutarchus, & omnes Antichristiani.

Primùm vulgata est hæc calumnia adversùs Judæos, postea derivata in Christianos, qui à Gentilibus habebantur pro Judæis. Idcirco qui defensionem Christianorum suscepêre hanc fabulam confutare fategerunt. Tertullianus lib. 1. ad Nationes cap. 11. » Somniastis, inquit, caput asininum esse Deum nostrum; hanc Cornelius Tacitus suspicionem fecit. Is enim in quintâ historiarum suarum decade, ubi de Bello Judaïco disserit, ab origine gentis exorsus, & tam de ipsâ origine, quàm de nomine religionis, ut voluit, argumentatus, Judæos refert in expeditione vastis in locis aquæ inopiâ laborantes, onagris, qui de pastu aquam petituri æstimabantur, indicibus, fontibus usos evasisse; ita ob eam gratiam consimilis bestiæ superficiem à Judæis coli. Indè opinor præsumptum nos quoque, ut Judaicæ religionis propinquos, eidem simulacro initiari. « Eadem dicit in Apologetico cap. 16. quo in loco queritur de quodam nebulone, qui Christum depinxerat auribus asininis, pedum altero ungulatum, librum gestantem & togatum cum hujusmodi inscriptione. *Deus Christianorum o onychites.* Vossius censet legendum *Onocorsites*, ἀπὸ τῆς τοῦ ὄνου κόρσης, *ab asini capite.* N. Rigaltius legit *Onochoetes* ἀπὸ τῆς τοῦ ὄνου κοίτης, hoc est asininæ prosapiæ. Ethnici proprio suo testimonio confutabantur, ut dixi; nam ipsi attestantur Judæos carere imaginibus. Ideò Tertullianus loco citato ait. « At enim idem Cornelius Tacitus, sane ille mendaciorum loquacissimus, oblitus affirmationis suæ in posterioribus refert, Pompeium magnum Judæis debellatis, captisque Hierosolymis templum adiisse, & perscrutatum nihil simulacri reperisse. Ubi ergo is Deus fuerit? utique nusquam magis quàm in templo tam memorabili, præsertim omnibus præter Sacerdotibus clauso, quo non vererentur extraneum Sacerdotibus adire licitum: etiam conspectus cæteris velo oppanso interdicebatur. «

Unde nata occasio Gentilibus, ut tam impiâ superstitione insimularent Judæos? Credo primùm Gentiles ex suis moribus eos spectasse. Etenim in adytis templorum suorum non effigies tantùm bestiarum, sed ipsas vivas colebant bestias. Juvat præclarum locum hùc adducere ex Clemente Alexandrino lib. 3. Pædagogi cap. 2. Ubi describit templa Ægyptiorum. « Apud eos, inquit, templa, eorumque porticus, vestibula, ac luci magnificè instructi, eorumque atria multis columnis cincta sunt: parietes autem lapidibus externis ac artificiosè depictis resplendent; ita ut nihil desit. οἱ ναοὶ ædes autem auro, argento, & electro collucent, & ex Indiâ ac Æthiopiâ variis fulgentibus lapillis; τὰ δὲ ἄδυτα, a lyta vero intextis auro obumbrantur peplis. Sed si penetralia templi ambitûs subieris, & ad ejus quod est præstantius spectaculum properans, imaginem quæ templum habitat quæsieris, Sacerdos quispiam ex iis qui in templo sacrificant, gravi & venerando vultu aspiciens, & Ægyptiorum linguâ concinens, cùm veli aliquantulum contraxerit, tanquam Deum ostensurus, magnam suppeditat occasionem irridendi numinis; neque enim intùs invenitur Deus, qui quærebatur, ad quem festinabamus, sed felis, vel crocodilus, vel serpens indigena, vel aliqua ejusmodi bellua, quæ templo quidem est indigna, sed antro, speluncæ ac cæno dignissima. Apparet Deus Ægyptiorum bellua, quæ super vestem stragulam purpuream volutatur. «

Ethnici similia de Judæis præjudicantes, ausi sunt de templi eorum adyto, fingere in eo sacratum animal. Nicolaus Fullerus in Miscellaneis lib. 3 cap. 8. huicce opinioni ansam dedisse putat quod legitur in Genesi cap. 36. v. 24. *Iste est Ana qui invenit aquas calidas in solitudine, cum pasceret asinos patris sui.* Verus hujusce versiculi sensus esse potest Anam novas aquarum venas, vel fontes aperuisse, cùm in deserto pascendis patris asinis præesset. Vox ימם *jemim*, quæ hìc legitur in fonte, *mulos* significat, sed & pro aquis sumi potest, si puncta varientur, nempe si efferatur *jamim.* Undè alii interpretantur ab Anâ inventos novos fontes. Alii primùm ab illo admissos onagros ad asinas; sive istius modi reperisse concubitum, ut velocissimi ex his asini nascerentur, qui vocantur *jamim.* Hæc Hieronymus in quæstionibus, sive traditionibus Hebraïcis in Genesim. Notum autem est literam Hebæam ע *ain* respondere elemento

alphabeti Græci *o omicron*. Ita *Ana* poterat pronuntiari *ona*; undè factum ὄνος: five contigit ut aliquis Ethnicus in hunc Scripturæ locum incidens, commentus sit fabulam de asino, ut conjecit Fullerus. Sed hanc conjecturam risu excipit Tanaquillus Faber. » O risus, ô joci! quàm id belle! quam » id concinnè excogitatum fuisset! exclamat ille in epistolâ suâ ad Cabrolium, cavillans Fullerum. » Sed audi mirificam argumentationem, pergit ille. » Moyses scripsit alicubi Anam patris asinos pascen- » tem mulos invenisse; factum itaque ex eo vide- » tur, ut vulgò crediderint Ethnici, asellum à Ju- » dæis consecratum. Ibi potiùs ridendus criticus: etenim cùm vocem Hebræam ימים pro *aquis* liceat accipere, & pro *Anâ* legere *Ona*, potuêre Ethnici de asino fabulam narrare; ut liquet ex eo quòd suprà protulimus, ex Tacito. Cùm Judæi ducem Moysem sequerentur incurrerunt in multas difficultates. » Sed nihil æquè, ait Tacitus, quam ino- » pia aquæ fatigabat. Jamque haud procul exitio, » totis campis procubuerunt; cùm grex asinorum » agrestium è pastu in rupem nemore opacam con- » cessit. Secutus Moses, conjectura herbidi soli lar- » gas aquarum venas aperit. Id levamen; & conti- » nuum sex dierum iter emensi, septimo pulsis culto- » ribus, obtinuere terras, in quibus urbs & templum » dicata sunt... Effigiem animalis, quo monstrante » errorem sitimque depulerant, penetrali sacravere.

Eâdem autem epistolâ, quâ Tanaquillus Faber arguit Fullerum, conjecturam proponit, quæ & ipsa sub ingenii specie multùm blanditur. Constat ex Josepho ab Oniâ conditum in Ægypto templum, annuente Ptolomæo Philadelpho. » Onias filius » Pontificis Oniæ Ægyptum transmigrans in He- » liopolitano pago [νόμῳ, id est, in Heliopolitanâ præfecturâ] civitatem sui nominis condidit, » templo ad similitudinem patris constructo. Hæc Eusebius in Chronico, Interprete Hieronymo. » Cùm Judæi Ægyptii, ait Faber, templum illud » Heliopolitanum petebant, quid aliud, quæso, u- » bi quis ipsos quò pergerent rogabat, respondisse » existimas, nisi πορευόμεθα εἰς τὴν Ονίου imus in terram » Oniæ, aut πορευόμεθα εἰς τὸ Ονεῖον, urbem Oniæ peti- » mus..... At verò & Ονίας & Ονεῖον, si Græcam ety- » mologiam sequamur, asinos, asinale, asinarium, » aut quid tale significabant, ab ὄνος scilicet Ecquid » igitur dubitas quin Alexandrini, atque adeò alii » Græculi, genus hominum σκωπτικὸν, quique Ju- » dæos infesto quodam odio persequebantur, sibi » per quam ingeniosi, per quam faceti viderentur, » cùm ὄνον seu asellum in templo Judæorum præci- » puâ quâdam religione coli dicerent? Hem! aie- » bant, quid illuc εἰς τὴν Ονίου, & εἰς τὸ Ονεῖον? Quis un- » quam asellos in templis adoratos meminit? Quæ » istæc religio? Itaque placuit Fabro causam cur Ethnici caput aselli in adyto templi Judaïci sacratum dixerint, esse ambiguitatem nominis quo urbs & ædes sacra ab Oniâ ædificata in Præfecturâ Heliopolitanâ, vocitabatur.

Vormius tertiam conjecturam proponit fundatam in similitudine duarum vocum Hebraïcarum, quæ pro diversitate punctorum diversimodè efferuntur. חמר *chamor*, id est, *asinus*, & חומר *chomer*, id est, *mensura*, *urna*. Vidimus appositam à Mose ex Dei jussu in Sancto Sanctorum urnam plenam mannâ. Cùm ergo quis Gentilis fortè id legisset in Sancto Sanctorum fuisse חומר, vocis ambiguitate deceptus, fabulam de capite asini adinvenit. Quin voces חמר & חומר negotium facessebant ipsis Judæis; in primò enim Samuelis cap. 16. v. 20 ubi legimus: *Tulit itaque Isai asinum* חמור *plenum panibus & lagenam vini*, videmus Græcos ibi loqui de

A urna: Καὶ ἔλαβεν Ιεσσαὶ γόμορ ἄρτων καὶ ἀσκὸν οἴνου. *Et sumpsit Jesse gomor*, id est, *vas plenum panibus & utre vini*. Ergo si ipsi Judæi dubitaverint an vox Hebræa sumenda esset, vel pro *asino* vel pro *urna*, potest fieri ut Ethnici audientes in Sancto Sanctorum fuisse חומר, intellexerint, aut intelligere voluerint asinum fuisse in Sancto Sanctorum. Si quis aliquando indagavit vetustas Græcarum fabularum origines, expertus est plerasque, ne dicam omnes deduci posse à vocibus Hebræis & Græcis, sic in alienum sensum detortas. Multa de ista fabula capitis asinini habet Bochartus in libro secundo primæ partis cap 18. Jerozoici.

Adrianus Relandus fabulæ hujus de capite asinino B originem adstruit ex ambiguitate nominis חומר; quo Hebræi significant urnas, & amphoras, in quas reconditum manna. Græci appellabant Διώτας quia δύο ὦτα ἔχον duas aures habebant; & illas non ineleganter ὄνους *asellos* appellabant; quare non aliam ob causam Silenum Bacchi famulum *asello* vehi tradidisse videtur antiquitas, quàm quòd vinum è doliis in amphoras, sive aurita vasa talia diffundi soleret, & in illis veheretur. Hanc amphoram mannæ ob insignes aures duas eodem modo per lusum & contemptum ὄνον, sive asinum dici potuisse mihi persuadeam, inquit Relandus, & asinum penetrali sacrasse Judæos, quia scilicet legebant Ethnici in penetrali templi servatum חומר *chomer* urnam, C quæ vox facilè confunditur cum חמר *chamor* asinus, cujus nomine ob duas prægrandes aures suas appellaretur vas illud. Quis dicat in templo secundo non fuisse vas manna plenum; sed non ideo minus in memoriam insignis beneficii manna insculptum est nummis Hebræorum, ut diximus, de Tabernaculo loquentes vas auritum, quod cùm diceretur *chomer* Græcis occasionem dedit commento.

SECTIO VIII.

Exponuntur quæ Ezechiel dicit cap. 41. de Sancto, & de Sancto Sanctorum.

Ezechiel plerisque videtur non tam protulisse in lucem templum, quam involvisse tenebris. Ex- D periamur si his quæ narrat de Sancto & Sancto Sanctorum, ea quæ dicta sunt afferant lucem.

1. *Et introduxit me in templum, & mensus est frontes, sex cubitos latitudinis hinc, & sex cubitos indè, latitudinem Tabernaculi.* Deducitur Propheta ab Angelo in templum אל ההיכל *el haheeal*, Græcè εἰς τὸν ναὸν, nempe in ædem sacram; primùm ad portam primæ partis, quæ dicebatur Sanctum. Statim Angelus mensus est *frontes*: in fonte *Elim*, nempe, ut jam sæpiùs observavimus, januæ postes qui ostendunt muri crassitudinem; quam Angelus reperit in utroque poste parem, nimirum sex cubitorum. Illud *latitudinem Tabernaculi*, non caret difficultate; neque enim hîc agitur de ullo Tabernaculo. Capellus vocem אהל *ohel* fontis interpre- E tatur de superliminari portæ; quia, inquit, vox illa videtur in primitivâ significatione indicare expansionem; sed nullum potest afferre exemplum, quo probet dictam vocem *ohel* sumi quandoque pro superliminari. Villalpandus hæc verba conjungit cum versu sequenti, ubi porta statuitur lata decem cubitorum, quanta erat latitudo Tabernaculi. Non incommoda est hæc explicatio; sed omnem difficultatem non solvit. Ista enim collatio Tabernaculi Mosaïci cum templo, quam à se fieri nullibi notat Angelus, omnino aliena est. Ergo juvat potiùs dicere antiquum codicem, quo senes Græci olim usi sunt, saniorem fuisse codice hodierno, & ipso quem Latinè expressit B. Hieronymus. Græca versio Com-

plutenſis editionis, ſequitur exemplaria Hebraïca τὸ εὖρος τῆς σκηνῆς. *latitudo Tabernaculi*. Scilicet Complutenſes illi editores putabant emendandos codices Græcos, ne diſcreparent Hebraicis. Contra verò editores Romani in Vaticanâ editione repoſuerunt τὸ εὖρος τοῦ αἰλὰμ ἔνθεν. *menſus eſt Ælam, cubitorum ſex latitudinem hinc, & cubitorum ſex latitudinem Ælam inde* nempe utriuſque poſtis latitudinem Angelus reperit ſex cubitorum. Videlicet illi Græci legerant non אהל ſed אלים αἰλὰμ, quæ lectio ſanior.

2. *Et latitudo portæ decem cubitorum erat: & latera portæ quinque cubitis hinc, & quinque cubitis indè. Et menſus eſt longitudinem ejus quadraginta cubitorum, & latitudinem viginti cubitorum.*

In eo Judæi conveniunt latitudinem portæ *hekal* fuiſſe decem cubitos latam. Latera portæ appellantur in fonte כתפות *Kitphoth*, in Græcâ verſione ἐπωμίδες, id eſt, humeri: quas partes ſæpiùs Theodoretus appellat ἀγκῶνας *Ancones*; quæ vox propriè ſignificat flexuram cubiti, ſive locum ſinuoſum cubiti. Ibi ergo latera portæ ſunt reliqua pars muri ab oſtio ad angulos interioris domûs; quæ cùm lata eſſet viginti cubitis, apertura verò portæ decem cubitorum, ea pars muri quæ reſtabat, erat hinc indè quinque cubitorum, quæ cum aperturâ faciebant viginti cubitos. Omnes ſine ullâ controverſiâ tribuunt Sancto longitudinem quadraginta cubitorum, & viginti cubitorum latitudinem.

3. *Et introgreſſus intrinſecùs menſus eſt in fronte portæ duos cubitos: & portam, ſex cubitorum: & latitudinem portæ ſeptem cubitorum.*

Angelus cum Ezechiele ingreditur *intrinſecùs*, hoc eſt, in Sanctum Sanctorum. Græca verſio habet; Εἰς τὴν αὐλὴν τὴν ἐσωτέραν, *in atrium interius*. Decepti ſunt Græci Interpretes, ſi intellexerint locum ſubdialem; ibi enim de Sancto Sanctorum liquet fieri ſermonem. Protinus menſus fuerat Sanctum, videlicet portam Sancti, foresejus & humeros portæ. Nunc metitur frontem portæ איל *el*, nempe poſtem portæ, quâ fiebat ingreſſus in Sanctum Sanctorum; in quâ fronte apparebat craſſitudo muri, qui ſeparabat Sanctum a ſanctiori. Reperit Angelus illam craſſitudinem fuiſſe duorum cubitorum. Judæi iſtam craſſitudinem non faciunt majorem uno cubito; concordes erunt cum Ezechiele, ſi illius verba ſic accipiamus, ut latitudinem poſtium collectivè ſumptam repererit duorum cubitorum; ut muri ſpiſſitudo fuerit unius cubiti, duarum verò frontium, ſive poſtium ſimul ſumpta duorum cubitorum. Si, inquam, in dimetiendis poſtibus Angelus reperiat duos cubitos, non in ſingulis, ſed in duobus. At veriſimilius eſt reipſâ deprehenſam ab Angelo muri latitudinem fuiſſe duorum cubitorum; quam ideò Judæi dimidiarunt, quia codex, quo utebantur, faceret latitudinem veſtibuli undecim cubitorum. Ergo ut non excederet centum cubitos; quos numerat Propheta in longitudine templi ab Occidente ad Orientem, minorem faciunt latitudinem dicti muri, quia uno cubito latius veſtibulum admittebant, ut ſuprà obſervavimus.

Porta Sancti Sanctorum erat ſex cubitorum, videlicet apertura ejus; ſed verba Vulgatæ negotium faceſſunt. *Et latitudo portæ ſeptem cubitorum.* Eadem habet hodiernum Hebraïcum exemplar. Græca verſio ibi limpidior eſt: Καὶ τὰς ἐπωμίδας τοῦ θυρώματος πηχῶν ἑπτὰ ἔνθεν. *Et humeros portæ cubitorum ſeptem hinc.* Legerunt ergo hujus verſionis auctores כתף pro hodierno פתח. Vel benignâ interpretatione ibi פתח ſumendum eſt pro lateribus portæ: quod eſſe faciendum ipſa res docet; cùm enim latitudo interioris ædis, ſive Sancti Sanctorum eſſet viginti cubitorum; apertura portæ in medio ſex cubitorum, neceſſe erat ut humeri, ſive reliqua pars muri ſeparationis inter Sanctum & Sancta Sanctorum eſſet hinc indè ſeptem cubitorum. Bis ſeptem cubiti cum ſex cubitis faciunt cubitos viginti. Sic hunc locum interpretatur Theodoretus. *Et vidi*, inquit, *alteram quoque portam; illam interiorem, cujus latitudo erant cubiti ſex, & ab utrâque parte ancones cubitorum ſeptem. Sex igitur cubiti quatuordecim additi, viginti perficiunt.* Reperit Angelus Sanctum Sanctorum eſſe quadratum.

4. *Et menſus eſt longitudinem ejus viginti cubitorum, & latitudinem ejus viginti cubitorum ante faciem templi: Et dixit ad me: hoc eſt Sanctum Sanctorum.*

Poſtrema hujus commatis verba non patiuntur dubitare quin agat ibi Propheta de Sancto Sanctorum; cujus nemine refragante latitudo ante faciem templi, ſive *hekal*, quam vocem fons Hebræus habet, erat viginti cubitorum, ſicut & latitudo. Quæ proximè ſequuntur in Ezechiele, pertinent ad illas breves cellas, quas videbimus ædi ſacræ circumpoſitas. Pauci olim in has cellas pedibus ingrediebantur: ſed pauciores in eas animo penetrant; adeò illarum deſcriptio obſcura & difficilis eſt. Itaque fruſtra contenderem reddere clara & aperta verba Prophetæ, ubi de illis agit; niſi primùm conatus ſim aſſequi veram earum notionem. Ergo ſuperſedebo proſequi ex ordine ſequentes verſus Prophetæ: in præſentiarum prætermittens eos in quibus agit de illis cellis. A quarto verſu tranſiliam ad 18. relictis per aliquod tempus intermediis.

18. *Et fabrefacta Cherubim, & palmæ: & palma inter Cherub & Cherub, duaſque facies habebat Cherub.*

Non ibi, ut opinor, deſcribit Ezechiel duos illos Cherubinos, qui expandebant alas ſuas ſuper Arcam; ſed illos omnes quos in parietibus ſculpendos curaverat Salomon. Omnia, ut diximus, operta erant tabulis ligneis obductis auro, & in illis cælata erant Cherubim. Quodque ex illis conſtabat duabus faciebus; nempe duo animalia exhibebat. Neque enim omnia Cherubim ſimilia; alia ſimpliciora, alia magis compoſita. Verſus ille explicatur ab eo qui ſubſequitur.

19. *Faciem hominis juxta palmam ex hac parte, & faciem leonis juxta palmam ex aliâ parte expreſſam per omnem domum in circuitu.*

Incertum eſt an Propheta ſignificet quoſque Cherubinos fuiſſe bicipites; ita ut unum caput hinc palmam, alterum caput reſpiceret alteram palmam; aut cùm unicùm cuique Cherubino caput eſſet, in quaque intercapedine palmarum, hîc eſſet Cherub habens caput hominis, illic Cherub leonini vultûs. Etiam liceret cogitare omnes illos Cherubinos fuiſſe compoſitos ex quatuor formis hominis, leonis, bovis, & aquilæ; & ſic diſpoſitos, ut in quatuor intervallis, alius quo ad vultum ſimilis eſſet homini, alius leoni, alius bovi, alius aquilæ; ita ut quod dicit Propheta, ſit tantùm pro exemplo, nominans hominem & leonem; quia alioqui notum erat Judæis quadruplices eſſe Cherubinorum formas. Nobis verò ignotam & incertam eſſe Cherubinorum formam iterum fatemur.

20. *De terrâ uſque ad ſuperiora portæ Cherubim & palmæ cælata erant in pariete templi.*

Ibi Græca verſio limpidior eſt; abeſt enim ab eâ nomen פתח *porta*, quæ obſcurat huncce locum. Ἐκ τοῦ ἐδάφους ἕως τοῦ φατνώματος, τὰ Χερουβὶμ, καὶ οἱ φοίνικες διαγεγλυμμένοι. *A pavimento uſque ad laquearia Cherubim & palmæ cælata.* פתח *petach* porta non multum removetur à פתוח *pethuach*, ſculptura. Dici

poſſet ab Ezechiele factam mentionem portæ, ut A indicaret non eam ſolam, ſed & omnes parietes habuiſſe cælaturas Cherubinorum & palmarum. Credo ultimam vocem hujus verſûs, nempe *templi* attinere ad verſum ſequentem, cum quo conjungitur in verſione Græcâ Romanæ editionis.

21. *Limen quadrangulum, & facies Sanctuarii, aſpectus contra aſpectum.*

Fons ſic redditur à Junio & Tremellio. *Templo* היכל *haheical, erat poſtis quadratus & parti interioris loci ſancti, hujus aſpectus, ſicut aſpectus illius.* Verſio Græca Romanæ editionis quæ reperitur apud B. Hieron. in comm. in Ezech. hæc habet Καὶ τὸ ἅγιον καὶ ὁ ναὸς ἀναπτυσσόμενος τετράγωνα κατὰ πρόσωπον τῶν ἁγίων ὅρασις ὡς ὄψις. *Et Sanctuarium, & templum*, id eſt, Sanctum Sanctorum & Sanctum, *aperiebatur per quatuor an-* B *gulos contra faciem Sanctorum viſio quaſi ſpecies.* LXX. poſtrema hæc verba conjungunt cum verſu ſubſequenti. Viſio quaſi ſpecies nempe *altaris*, quod in ſequenti verſu exprimitur. Ibi Propheta, ut mihi videtur, ſignificat ſuperliminare portæ Sancti & Sancti Sanctorum conſtitiſſe quatuòr trabibus. Vidimus nomen מזוזת ſumi non ſolùm pro poſtibus, ſed & pro ſuperliminari; & ſuperliminare רבעה *rebua*, id eſt, quadrigonum, vel quadratum, ſic dictum quia conſtaret quadruplici ordine trabium, ut ſuo loco dictum eſt. Interpretatur Villalpandus poſtem utrumque portæ latum fuiſſe quartâ parte latitudinis, unuſquiſque octavâ. Sic ego fontem exprimerem. *Templo* hekal erat *ſuperliminare qua-* C *druplex & facies ſanctitatis aſpectus, ſicut aſpectus.* Hoc eſt, facies ſanctitatis, ſive Sancti Sanctorum, ſicut aſpectus Sancti. Paribus decorabantur ornamentis. Poſtrema verba hujus verſûs conjungunt Græci cum verbis ſequentis.

22. *Et altaris lignei trium cubitorum altitudo: & longitudo ejus duorum cubitorum: & anguli ejus & longitudo ejus & parietes ejus lignei. Et locutus eſt ad me: hæc eſt menſa coram Domino.*

Poſtrema, inquam, verba verſus præcedentis in Græcâ verſione conjunguntur cum ſubſequentibus verbis in Latinâ verſione Ὅρασις ὡς ὄψις θυσιαστηρίου ξυλίνου. *Viſio quaſi ſpecies altaris lignei.* Nempe ſubjicit Propheta ſibi viſum videre altare ligneum; quod D non eſt aliud quàm incenſi, ſatis diſtinctum eo quod dicit *coram Domino* nempe coram Arcâ; cùm altare æneum, ſive holocauſtorum eſſet locatum ante faciem veſtibuli ædis ſacræ. Græci pro eo, quod Latinus Interpres dixit, *& anguli ejus*, poſuerunt καὶ κέρατα εἶχε. Nam iſti anguli erant cornua altaris, quod Salomon potuit facere majus eodem aureo altari Moſaico. Habebat enim tantùm duos cubitos in altitudine, in longitudine cubitum unum, & parem menſuram in latitudine. Complectitur Propheta quæ viderit in Sancto & in Sancto Sanctorum, oſtia & altare, duas portas nempe Sancti & Sancti Sanctorum.

23. *Et duo oſtia erant in templo & in Sanctuario.* E

24. *Et in duobus oſtiis ex utrâque parte, bina erant oſtiola, quæ in ſe invicem plicabantur: bina enim oſtia erant ex utraque parte oſtiorum.*

Sancti & Sancti Sanctorum oſtium unumquodque fuit clauſum binis foribus. Quæque porta habebat duas valvas plicatiles. Græca verſio clare id ſignificat. Δύο θυρώματα τῷ ἁγίῳ τοῖς δυσὶ θυρώμασι τοῖς στροφωτοῖς. Δύο θυρώματα τῷ ἑνὶ, καὶ δύο θυρώματα τῇ θύρᾳ τῇ δευτέρᾳ. Miſnici Doctores duas valvas ponunt in introitu Sancti; unam exteriorem, alteram interiorem; per quarum intercapedinem ſecretâ viâ intra muri craſſitudinem, & oſtiolo ingrederentur Sacerdotes, quibus cura ædis occludendæ & recludendæ erat demandata. Codex Middoth capite 4. ſectione 1. *Habebatque* templum, *quaternas valvas, binas intùs & binas foris, quia dicitur*, in Ezechiele *binæ valvæ templo & ſanctitati.* Sed duæ voces diverſæ להיכל ולקדש *lehekal ulechodeſch* admonebant Prophetam loqui de portâ primæ partis templi, quæ dicebatur *hekal*, ſimul & alterius partis quæ potiſſimum erat Sancta *chodeſch*, quod tamen dicunt Miſnici de viâ in craſſitudine muri, per quam ſecreto oſtiolo Sacerdotes ingrederentur, tum ut ædem occluderent, tum ut recluderent, non omninò reprobavi. Etenim vectis portæ non poterat vel admoveri, vel removeri niſi ab his qui intra ædem erant. Quæ ſequuntur demonſtrant de quibus valvis fiat ſermo.

25. *Et cælata erant in ipſis oſtiis templi Cherubim & ſculpturæ palmarum, ſicut in parietibus quoque expreſſæ erant: quamobrem & groſſiora erant ligna in veſtibuli fronte forinſecùs.*

In hunc finem loquitur Ezechiel de valvis, ut oſtenderet ſimiliter exornatas, ut parietes templi. Quo ad poſtremam partem: *quamobrem & groſſiora erant ligna, &c.* Fons ſic exprimitur à Junio & Tremellio: *Etiam denſo ligno in fronte veſtibuli extrinſecùs.* Sed & ſic reddi poteſt: *Et trabs ligni ad facies veſtibuli forinſecùs.* Vidimus in codice Middoth fuiſſe ligneas trabes, quibus veſtibulum cum parietibus ædis vinciretur. B. Hieronymus exponens hunc locum: *Multùm*, ait, *in hoc loco ſeptuaginta editio ab Hebraïca veritate diſcordat: unde hoc ſolum admonebo, quòd pro craſſioribus lignis,* σπουδαῖα, *hoc eſt, neceſſaria, ſive curâ digna, tranſtulerint.* Id quod dicit B. Hieronymus diligenter animadvertendum; ſcilicet trabes illas tantummodò à Græcis indicari bonas, pròbatas, validas, ſive neceſſarias, dum appellant ligna σπουδαῖα, σπουδαῖον μέλι mel eſt bonum, probatum, laudatum. Quid ergo ſentiendum de delineationibus illis, quas nobis exhibet Villalpandus, ſanè quam elegantiſſimas, ſed neutiquam veras? Etenim pleræque fundantur in falſis interpretationibus; verbi causâ hocce loco: quia illa ligna de quibus agit Propheta, appellantur à Septuaginta σπουδαῖα, in illis intuetur ornamenti genus quod in ordine Dorico præſtant trabium capita, quæ in zophoris conſpiciuntur, operta tabulis triſulcis, ſive ut Architectis loqui mos eſt, *triglyphis.* Videre eſt inſuper in Villalpandi delineatione inter triglyphos ſpatia quadrata, ſive metopas ubi ſunt Cherubinorum capita. Harum elegantiarum nulla alia habet fundamenta, præter dictum nomen Græcum. Sic ſæpiùs futili, ſive potiùs nullo ſuperſtruuntur fundamento decora templi Villalpandæa.

26. *Super quæ feneſtræ obliquæ, & ſimilitudo palmarum hinc atque indè in humeris veſtibuli, ſecundùm latera domûs, latitudinemque parietum.*

Vidimus quid ſit intelligendum per feneſtras illas obliquas, quæ in fonte Hebræo appellantur *clauſæ.* Ibi autem indicat Propheta palmas cælatas fuiſſe ubique in têmplo, in omnibus partibus ejus, in parietibus, in trabibus circa feneſtras. Veritatem Hebraïcam ita reddunt Junius & Tremellius. *Et feneſtris quoque palmæ, hinc & indè in lateribus veſtibuli, & ſubſtructionibus domûs, denſiſque trabibus.* Hæc ſatis ſuperque à nobis ſuprà fuêre explanata.

CAPUT X.

De ædis sacræ altitudine de costis, sivè erismis ejus, quarum intercapedine breves cellæ intercipiebantur. De scalis quæ præbebant ascensum ad cœnaculum; de cujus situ differitur, & de forma ejus.

SECTIO I.


De altitudine ædis sacræ: de tecto ejus, & verubus aureis, quibus horrebat ad abigendas fœdas aves.


PEnetravi ad intimas partes ædis sacræ; cætera ejus loca perlustrans, & illustrans non omninò infeliciter; nunc in ea loca deveni, ubi non secus ac in mediâ & profundâ nocte apertis oculis nihil video. Undè hoc? Procul dubio ex Scriptorum sacrorum brevi nec non obscuriori sermone. Etenim cùm agatur de rebus quarum similem formam nusquam oculis vidimus, nec forsan mente excogitavimus, indigeremus fusiori expositione; quæ non perindè olim necessaria erat his qui ædem sacram propriis viderant oculis, vel ejus structuram didicerant ex narratione eorum qui visa narrabant. Nec tantùm ex parco & breviori sermone oritur difficultas, sed ex ipsa re. Omnia quæ intra hæcce duo postrema capita concludimus de ædis sacræ contignationibus, appendicibus, remota sunt à cæteris ædificiis, quæ unquam oculis nostris subjecta sunt, aut menti alicubi clarè descripta: Non despondendum tamen; sed molem ædificiorum in partes dividamus; ne sub onere totius fatiscamus. Agendum primò de altitudine ædis sacræ, de contignationibus ejus, tabulatis, tecto.

Videntur inter se dissentire auctor libri tertii Regum & scriptor secundi Paralipomenorum; discordia enim illa non potest esse nisi verbis tenùs. Sic de altitudine ædis sacræ sermo fit in tertio Regum cap 6. v. 2. *Domus autem, quam ædificabat Rex Salomon Domino habebat sexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine.* Liber verò secundus Paralipomenorum cap. 3. v. 4. loquens de porticu, hanc altitudinem ei tribuit. *Porro altitudo hujusce porticus, centum viginti cubitorum erat.* Immanis esset ista discrepantia, nisi locus Regum intelligi posset non de tota altitudine ædis, sed de primo ejus tabulato; neque enim verisimile est ædem tam humilem fuisse. In Paralipomenis autem innuitur tota ejus altitudo. Videbimus modò multas fuisse contignationes, diversa tabulata, si fides adhibeatur Judæis. Præterea diversis temporibus, quibus ædes sacra ædificata est, instaurata, restaurata, potuêre multa permutari; ut non mirum sit non ubique convenire inter se scriptores; qui non scribunt de re, quæ prorsus eadem sit. Utrum quæ legimus in Paralipomenis, conveniant soli porticui, incertum est. Altitudinem centum viginti cubitorum toti ædi tribuere videtur Josephus. Loquitur de æde sacrâ, quam Salomon struxerat. lib. 8. Antiq. cap. 1. Τὸ μὲν οὖν ὕψος ἦν ἑξήκοντα πηχῶν, τῶν δ' αὐτῶν, καὶ τὸ μῆκος, εὖρος δ' εἴκοσι. *Hujus ædificii altitudo fuit cubitorum sexaginta & totidem longitudo, latitudo verò viginti.* Ibi autem non ipsum ædificii verticem à se designari, clarè significat Josephus, protinus addens κατὰ τοῦτο δ' ἄλλος ἦν ἐγηγερμένος ἴσος τοῖς μέτροις, ὥστε εἶναι τὸ πᾶν ὕψος τοῦ ναοῦ, πηχῶν ἑκατὸν καὶ εἴκοσι *Super hoc autem erat*
A *aliud ædificium pari mensurâ, ita ut tota altitudo templi centum viginti cubitis constaret.* Denique cùm separatim dicat porticum ædis fuisse centum viginti cubitorum, huic non solùm vindicat istam altitudinem; sed parem facit totius ædis summitati. *Et porticus in aditu ejus erat viginti cubitorum longitudinis, juxta mensuram latitudinis templi, lata cubitos decem, surgens in altum cubitis centum viginti.* Ubique eâ in re secum cohæret Josephus, cùm de altitudine ædis sermonem facit. Etenim in Antiquit. lib. 15. cap 14. Salomonico templo centum viginti cubitos iterum tribuit; narrat enim templo secundo, quod scilicet postliminio reversi à captivitate Babylonicâ Judæi restauraverunt, defuisse ad priscam altitudinem viginti cubitos; quæ
B res movit Herodem ut novum excitaret templum paris altitudinis, quod à Salomone extructum fuerat videlicet centum viginti cubitorum, ut ibi declarat Josephus. *Sublatis*, inquit ille, *veteribus fundamentis, & novis repositis desuper templum extruebat Herodes longitudine centum cubitorum, altitudine totidem & viginti ampliùs. Qui viginti cubiti aliquantò post subsidentibus fundamentis decesserunt, eosque denuò addere decreverunt nostri Neronis temporibus.* Verba ipsa auctoris sunt. Τὸ δ' ὕψος καὶ περιττοῖς, οὓς τῷ χρόνῳ συνιζησάντων τῶν θεμελίων ὑπέβη. καὶ τοῦτο μὲν κατὰ τοὺς Νέρωνος καιροὺς ἐπεγείρειν ἐγνώκειμεν. Legendum putarem οἳ τῷ χρόνῳ συνιζανόντων τῶν θεμελίων ὑπέβησαν.

Res est inaudita & nulli Architecto credita, tam
C æqualiter & tam altè subsidere posse fundamenta ædificii tantæ molis, ut continuo non corruat. Prætereà subsidere omninò non poterat ædificium ædis sacræ; nam ut ipse Josephus loco, quem modo allegavimus, observat, tumulus ubi illud ædificium locatum est, erat petricosus, λόφος ἦν πετρώδης. Quomodo ergo fundamentum ejus infra rupem subsedisset, cùm in multam longitudinem pateret, nempe in centenos cubitos, juxta eumdem Josephum. *Et à fronte quidem altitudo ejus & latitudo centum cubitos habebat.* Καὶ τὸ κατὰ πρόσωπον ὕψος τε καὶ εὖρος, ἴσον ἀνὰ πήχεις ἑκατόν. Hæc in libro sexto de Bello ubi loquitur de æde sacrâ, qualis erat cùm eversa est à Romanis; tunc non altior centenis cubitis. Idcirco
D non censendus est sibi diffidere Josephus, qui scripsit decrevisse Judæos ut adderent altitudini templi viginti cubitos qui deciderant; sed non dicit reipsâ addidisse. Forsan Herodes nec altiorem fecerat ædem; ut pro inani vulgi rumore habendum sit quod narrat Josephus viginti cubitos subsedisse.

Misnici, qui scilicet acceptas ab antiquis patribus traditiones mandaverunt scripto, eam centum cubitorum altitudinem, qui faciunt plusquam centum sexaginta quinque pedes Parisinos, sic in partes distribuunt in codice Middoth cap. 4. sect. 6. *Templum* Hekal *erat latitudine & longitudine centum cubitorum, cum altitudine centum. Solum* האוטם huthum *sex cubitorum.* Nempe sex cubitorum erat illa pars templi, extans supra pavimentum atrii Sa-
E cerdotum infra pavimentum ædis; ut illud *hutham* fuerit quasi fundamentum ejus. De istâ parte, & nomine *hutham* supra disseruimus. Lector, conjice oculos in orthographiam ædis, quam juxta Judæorum calculos digessimus, & vides in hac pagina in proprio schemate, æneo quod exprimit has dimensiones, ut ita loquar ad longum. Partem illam infimam *Hutham* designat linea A B sex cubitorum. *Altitudo deinde quadraginta cubitorum.* B D repræsentat istam altitudinem, supra quam erat contignatio unius cubiti. *Trabes evarganeæ cubiti*, id est, elaboratæ trabes. Judæi ibi utuntur hac voce כיור quæ in Scripturis significat aliquod vasis genus; sed in Talmude, ut videre est in lexico Talmudi-





co Buxtorfii, uſurpatur pro pictura, pro vaſe. In propria & ordinaria ſignificatione pro fornice, qui habet formam vaſis inverſi, ſive conchæ inverſæ. Trabes autem quibus laquear contexebatur, unius erant cubiti. Hanc craſſitudinem exhibet linea D E. *Et duorum cubitorum intertignium.* Nempe ſpatium E F vacuum erat inter duas contignationes; nam primam ſtatim altera ſubſequebatur. *Deinde coaxatio unius cubiti* F G, id eſt, opus conſtans axibus qui tranſverſis tignis impoſiti ſolum contignationum fulciunt. *Et nucleus cubiti* G H. Sic Conſtantinus interpretatur vocem מעזבה. Derivatur à

A voce עזב quam in Nehemia cap. 3. v. 8. Rabbini accipiunt pro *viam ſternere.* Ibi ergo indicatur pavimentum, tectorium quod à Vitruvio appellatur *Nucleus.* Nempe proviſum fuerat ne contignatio perplueret, ideo inducta ei cruſta. Spatium vacuum E F, ſive intertignium ab aliquibus appellatum *impluvium*, ſive locus ſtillicidii. Nomen quidem Hebræum דלפה ſignificat & *conjunctionem* & *ſtillicidium.* Sicut non uno tapete Tabernaculum operiebatur; ita & templum non uno quaſi operimento obtegebatur, ne imbres uſque ad ædem ſacram defluerent.

Diverſæ illæ contignationes repræſentabant, ut puto, quatuor diverſa Tabernaculi integumenta.
B De ruderatione, ſive tectorio inducendo multis agit Vitruvius in ſuo libro ſeptimo; ubi utitur voce *Nuclei*, quam Philander definit, maximè reſiſtentem cruſtam, ſive corium, id eſt, medium, ſive interius pavimentum. Ad rem hanc illuſtrandam afferam verba Plinii lib. 36. cap. 25. « Neceſſarium binas per diverſum coaxationes ſubſterni, capita « earum præfigi ne torqueantur, & ruderi novo « tertiam partem teſtæ tuſæ addi: deinde rudus, in « quo duæ quintæ calcis miſceantur, pedali craſſi- « tudine fiſtucari. Tunc nucleo craſſo ſex digitos « induci, & ex teſſera grandi non minùs altâ duos « digitos ſtrui. «

Præter cauſas diverſarum harum contignationum, hanc dare poſſumus ne videretur Sanctum proculcari ab his qui ſuperius ædificium pedibus tererent;
C undè aliqui argumentùm petunt adversùs hocce ſuperius ædificium, ſive adversùs uſum illius. Inter utrumque ædificium erant plura tabulata. Proprium erat Sancto in qua candelabrum, menſa aurea, menſa panum propoſitionis. Supra illud erat tabulatum extenſum quod illi proprium erat & ſecundum, quod ſubjiciebatur pedibus eorum qui limina, pavimenti ſuperioris ædificii terebant. Sic diſtincto tabulato cavebant Judæi, ne injuria fieret loco ſancto, & communis fieret, ſive profanus. Hæc cauſa videtur diverſarum contignationum, quæ interpoſitæ fuerant inter utramque ædem inferiorem & ſuperiorem. Utramque adſtruunt Joſe-
D phus & Judæi, quæ pares erant; & eaſdem habebant dimenſiones, & ſimilem formam, ſi fidem adhibeamus Talmudicis, qui ſic loqui pergunt in codice Middoth. *Altitudo autem cœnaculi quadraginta cubitorum* H I, *& ulterius erant unius cubiti trabes everganeæ.* I K *duorum cubitorum intertignium* K L *coaxatio unius cubiti* L M *& cruſta cubiti* M N. Hæc omnia ſimilia ſunt contignationi primæ. Supremum autem tectum cingebatur loricâ, ſive podio trium cubitorum. *Trium cubitorum erat lorica* N O. Notum ex lege præceptum omnibus Judæis præcingere tecta ſua aliquo ſepto; ſcilicet ne in illis deambulando, quis imprudens decideret. *Denique cubiti unius erat* O P *tania vel.*
E *potius acroterium* כלה עורב, id eſt, *conſumens corvum.* Ratio nominis ab effectu, quia corvum, aliaſque aves acumine ſuo ab ædis tecto prohibebat earum pedes diſcindens verubus quæ ibi extabant. Summa partium quibus hæc ædis altitudo conſtabat, ſic erat centum cubitorum.

A B	6
B C	30
C D	10
D E	1
E F	2
F G	1
G H	1
H I	40
I K	1
K L	2
L M	1
M N	1
N O	3
O P	1
	100

Juvat his attexere eandem ejuſdem rei deſcriptionem ex Maimonide tractatûs de Domo electâ cap. 4. ſect. 3. *Quod reduces à captivitate templum ædificaverunt, id partes in omnes centum erat cubitorum. Atque hac ratione ejus erat deſcripta altitudo ac diſpoſita. Principio baſis erat alta cubitoo ſex, quæ ſolida prorſus atque oppilata erat, quaſi fundamenti loco.* Hæc pars eſt quam vidimus in codice Middoth appellari hutham. *Deinde parietes ædis excitabantur ad altitudinem quadraginta cubitorum. Tum erat cælatum atque laqueatum tabulatum altitudine cubiti.* Ibi Maimonides videtur planum facere laquear ædis, quod inſtar fornicis fuiſſe veriſimilius eſt, ſi verè fuit ſimile inverſo vaſi. *Super hoc duorum cubitorum relinquebatur vacuum, quod quoniam pluviæ guttæ inſtillarent, impluvium nominabatur. Tum altitudine cubiti tabulatum erat, & altitudine cubiti tectorium supernè inductum. Præterea cænaculum exurgebat, cujus parietes quadraginta cubitos erant alti, cui cælatum & laqueatum erat altitudine cubiti tectum, & ſuper hoc duorum cubitorum altitudine impluvium: rurſuſque unius cubiti tabulatum, & unius cubiti tectorium. Tum erat podium altitudine trium cubitorum, ex quo denique ferrea quædam lamina cubitum alta, & eadem veluti gladius peracuta undequaque ſurgebat, quæ volucres impediret, quominus in podio reſiderent. Hæc corvi conſumptor appellabatur.* Quoniam corvorum & cæterarum avium acquieſcentium pedes findebat. *Sic erant cubiti centum altitudinis deſcripti.* Innuit ibi Maimonides illas ferreas & acutas laminas ſoli podio infixas. Verùm ſignificat Joſephus lib. 6. de Bello cap. 6. totum tectum ædis ſacræ his obtectum. Κατὰ κορυφὴν δὲ χρυσέους ὀβελοὺς ἀνεῖχε τεθηγμένους, ὡς μηδενὶ προσκαθεζομένῳ μολύνοιτο τῶν ὀρνέων. *In ſummo autem* templum *aureis verubus horrebat acutiſſimis, ne ab inſidentibus avibus pollueretur.* Quod contigiſſet, ſi verubus à ſolo podio repulſuiſſent. Sed veruum erat multus numerus; ut idem Joſephus indicat lib. 7. cap. 11. narrans quomodo Sacerdotes conſcendentes in tectum templi, primùm verubus, itemque ſedibus ſuis, quæ ex plumbo factæ erant, avulſis in Romanos pro miſſilibus ſuis uſi fuerint.

Hæc omnia quæ enarrant Judæi, non poſſunt falſa reputari; neque enim prorſus diſſona ſunt ſacro codici. Altam quidem triginta cubitorum ædem ſtatuit divinus codex; ſed illi cubiti numerabantur à pavimento uſque ad fornicem; qui cùm perfectè circularis, haberet diametrum viginti cubitorum, quæ erat latitudo ædis: Fornix, inquam, ille decem cubitos altus erat; qui adjecti triginta cubitis quos Scriptura adſcribit parietibus, complent numerum quadraginta cubitorum, quos Judæi adnumerant. Illud autem intertignium, ſive ſpatium vacuum, quod illi agnoſcunt, & à Maimonide impluvium dicitur, admittebat profundio-

A res partes laquearis, quas in ſchemate repræſentamus; neque enim læve erat, ſed in eo lacunæ, ſive profundi lacus βαθυξύλα habebat, ut loquitur Joſephus, agens de laquearibus porticuum. De illis autem quæ pertinent ad ædem ſacram à Salomone conſtructam, hæc dicit: Τὴν δ' ὑπὸ ταῖς δοκοῖς στέγην τῆς αὐτῆς ὕλης ἐποίκιλλε πᾶσαν ἐξεσμένην εἰς φατνώματα, καὶ πρὸς κόλλησιν χρυσοῦ. *Trabibus verò fornicem ſubjecit* Salomon, *ex eâdem materiâ, eumque in laquearia expolitum cum juncturis aureis.* φάτναι ſunt cavitates, in quas dentes infixi ſunt: unde φατνώματα dicuntur iſtæ laquearium, ſive coaxationum partes inferiores, quas contignationum cælos vocant, inquit Conſtantinus in ſuo lexico; cavitates nimirum, quas ordine diſpoſita tigna tranſverſa conficiebant.
B In eum finem paratæ diverſæ illæ contignationes, & coaxationes, ut eſſent multæ & altæ concavitates; quales eas exhibemus in hacce delineatione.

Paucis verbis hæc omnia complexus eſt ſcriptor tertii libri Regum cap. 6. v. 9. *Et ædificavit domum* Salomon, *& conſummavit eam: texit quoque domum laquearibus cedrinis.* Id eſt, texit partem ſuperiorem ejus ædis trabibus incurvis, hoc eſt, inſtar fornicis incurvatis. Deſcribuntur laquearia, quæ habebant quaſi foveas גבים *ghevim*, ut eſt in fonte, quæ vox idem ſonat ac fovea. Laquear deducitur à lacu, quia in laqueari ſunt partes profundiores. Fons ſic reddi poteſt, *Et ædificavit domum & perfecit eam, & texit domum teſtudinibus*, ſive
C laquearibus, *& ordinibus cedrorum.* Hoc eſt, multi erant ordines aſſerum ex cedro, quibus conſtabant laquearia. Hoc ſic exprimunt Græci. Καὶ ἐκοιλοστάθμησε τὸν οἶκον κέδροις. *Partes effecit cavas, diſponendo ligna cedrina.*

Hæc quæ ſequuntur, attinent ad cœnaculi tectum. A pavimento numerabantur quadraginta cubiti, ſed uſque ad locum unde fornix cœperat incurvari, triginta tantùm cubiti, tecti vero craſſitudo D H erat quinque cubitorum quod codex adſtruit v. 10. *Et ædificavit tabulatum ſuper omnem domum quinque cubitis altitudinis, & operuit domum lignis cedrinis.* Ibi tota contignatio, ſive totum tabulatum deſcribitur, cujus omnis craſſitudo D H erat quinque cubitorum. Nomen היציע quod Latinus Inter-
D pres benè reddidit *tabulatum*, derivatur à verbo יצע *ſtravit, ſubſtravit, ſtratum poſuit.* Itaque יציע *ſtratum* eſt, & *ſolum*. Diverſis partibus totum illud tabulatum conſtabat, trabibus & aſſeribus, quibus laquear confectum fuerat. Pro eo quod Latinus Interpres dixit; *& operuit domum lignis cedrinis.* Interpretarer *& apprehendit*, id eſt, confirmavit, roboravit *domum in lignis cedrinis.* Videlicet omnes illæ trabes, quibus componebatur trabeatio, colligabant & confirmabant parietes oppoſitos. Eum in ſenſum Græci Interpretes acceperunt huncce locum. Καὶ ᾠκοδόμησε τοὺς ἐνδέσμους δι' ὅλου τοῦ οἴκου πέντε ἐν πήχει τὸ ὕψος αὐτοῦ, καὶ συνέσχε τὸν σύνδεσμον ἐν ξύλοις κεδρίνοις. *Et ædificavit ligamenta per totam domum: quinque cubito-*
E *rum altitudo ejus* nempe συνδέσμου colligamenti, *& concluſit colligaturam in lignis cedrinis.*

SECTIO II.

De appendicibus ædis ſacræ: nempe de eriſmis ejus, & cellis aureis brevibus quæ huic circumpoſita erant.

Ædes ſacra, ſive in centum viginti, ſive tantùm in centum cubitos ſurgeret, quæ hujuſce eſſet altitudinis, oportebat fulciendam hinc inde eriſmis, vel ædificiis quæ eriſmarum loco eſſent. Inter illas eriſmas opinor à Salomone ſtructas cel-

las, ad decorem, ad fulcimentum ejus, & ad usus quosdam necessarios. Fuisse breves cellas circa ædem eo tempore quo templum eversum est à Romanis, dubitare non sinit Josephus, narrans quomodo incensum fuerit. Id contigisse dicit cùm miles Romanus in unam ex illis brevibus cellis injecisset titionem ardentem, lib. 7. de Bello cap. 10 *Militum quidam non expectato cujusquam edicto, neque tantum facinus veritus, sed divino quodam motus impetu, à contubernali suo sustollitur, & ex ardente materiâ raptum ignem in fenestram inserit auream, undè ad domos circum templum ædificatas de septentrionali regione aditus erat.* Τὸ πῦρ ἐνίησι θυρίδι χρυσῇ, καθ' ἣν εἰς τοὺς περὶ τὸν ναὸν οἴκους εἴσιτον ἦν ἐκ τοῦ βορείου κλίματος. In ichnographia nostra templi vides, Lector, ab occiduo latere hujus tetragoni, intra quod erat ædes sacra B fuisse tantùm loricam, quæ non multùm extabat à solo pavimenti atrii Israëlitarum. Hanc miles sublatus manibus sociorum superavit. Inter dictam loricam & ædem sacram breve erat intervallum. Itaque potuit ille injicere titionem ignitum in apertas fenestras cellarum aurearum, quæ erant in appendice boreali ædis sacræ.

Antequam, Lector, pergas audire Josephum hasce cellas describentem, consilium do ut oculos conjicias in figuras quas doctâ & peritâ manu curavi efformandas. Animadvertes primùm tales cellas contulisse decorem ædi sacræ, & illam firmasse. Secundò non adversari verbis sacri codicis, imò nisi C quæpiam similia ædificia cogitentur, tenebrosos esse sacros codices, & pariter quæ ipse scribit Josephus, & scribunt Judæi obscuriora esse ipsis tenebris. Dictas cellas describit Josephus in Antiquitatibus lib. 8 cap. 3. Περιῳκοδόμησε δὲ τὸν ναὸν ἐν κύκλῳ τριάκοντα βραχέσιν οἴκοις, οἳ συνοχή τε τοῦ παντὸς ἔμελλον ἔσεσθαι διὰ πυκνότητος καὶ πλῆθος ἔξωθεν περικείμενοι, καὶ δὴ καὶ τὰς εἰσόδους αὐτοῖς δι' ἀλλήλων κατεσκεύασεν. ἕκαστος δὲ τῶν οἴκων τούτων εὖρος μὲν εἶχεν εἴκοσι πέντε πήχεις, μῆκος δὲ τοὺς αὐτούς, ὕψος δὲ εἴκοσι. *In circuitu deinde templi* Salomon *construxit triginta breves domos, sive cellas, quæ inter se constipatæ externè parietes templi fulciebant. Erantque inter se perviæ, & patebant singulæ in longum viginti quinque cubitos, ac totidem in latum, & viginti cubitis attollebantur.* Ibi profectò à Librariis æger est Josephus; neque enim eo D in loco quem exscribimus sibi constaret, appellans breves domos, quibus longitudo competeret viginti quinque cubitorum, hoc est, pedum Parisinorum circiter quadraginta duo, & par latitudo. Præterea triginta numerat tales cellas; quarum tres solæ occuparent unum ex lateribus ædis. Triginta illæ cellæ, distribuendæ quidem sunt in duo latera, ut quodque habuerit quindecim cellas. Harum erant tres ordines: sed præterquam unus ordo supra alium, ita ut in inferiori quinæ essent; quibus adnumerandæ intermediorum parietum quibus separabantur latitudo. Ergo quinque cellæ unius lateris occupassent longitudinem plusquàm 124 cubitorum: quodque autem latus ædis non erat mul- E to longius centum cubitis. In latitudine error adhuc major est. Totius ædis cum suis appendicibus latitudinem non majorem auctor facit septuaginta cubitis, ut infrà videbimus. Detrahe ex hoc numero latitudinem interiorem ædis, quæ erat viginti cubitorum & parietum ejus, quæ erat duodecim cubitorum, remanent 38 cubiti; quos si partiaris in duo latera; singula ponenda decem & novem cubitorum; ergo non sani sunt codices Josephi qui solas cellas faciunt viginti quinque cubitis latas. De ternario earum ordine sic loquitur. Ἐπῳκοδόμηντο δὲ τούτοις ἄνωθεν οἶκοι ἕτεροι, καὶ πάλιν ἄλλοι κατ' αὐτῶν ἴσοι καὶ τοῖς μέτροις καὶ τῷ ἀριθμῷ, ὡς τὸ πᾶν ὕψος αὐτοὺς λαβεῖν τῶν κάτωθεν οἴκων παραπλήσιον. ὁ γὰρ ὑπερῷος οὐκ ἦν περιῳκοδομημένος. *Super has,*


A nempe supra primam cellarum seriem, *alia series cellarum erat extructa, supra quam rursum aliæ; ita* tres erant cellarum ordines. *Omnes inter se numero & amplitudine pares; ita ut conjunctæ inferius ædificium æquarent altitudine; nam superius*, id est, cœnaculum, *non erat circum ædificatum.*


Illud inferius ædificium ipsa est ædes sacra, ubi in Sancto, candelabrum, altare aureum, & mensa panum propositionis. Hæc inferior ædes, erat alta quadraginta cubitis; quam fulciebant cellæ dictæ, & huic erant loco erismarum, sive anteridum, sive pilarum, ut loquimur; neque enim sine illis ædes alta centum cubitis, hoc est, plusquàm centum sexaginta quinque pedibus, diu stare potuisset. Erismæ illæ, nempe cellæ perveniebant tantùm ad cœnaculum εἰς ὑπερῷον; quod sic, ut dicit Josephus, non circumdabatur cellis. Itaque tota altitudo trinæ seriei cellarum statui non potest major quadraginta quinque cubitis; si testimonio Judæorum standum sit, qui inferiorem ædem cum sua trabeatione faciunt quadraginta quinque cubitorum. Sed huic parti tributos à Salomone sexaginta cubitos adstruit Josephus, ut vidimus; cui numero congruit quod dicit cellas fuisse altas viginti cubitis; nam trium sibi invicem impositarum altitudo sic æquabat inferiorem ædem, quæ erat sexaginta cubitorum. Pergam exscribere Josephum de istis cellis loquentem. Ὄροφος δ' αὐτοῖς ἐπεβέβλητο κέδρου. καὶ τοῖς μὲν οἴκοις ἴδιος οὗτος ἦν ἑκάστῳ, πρὸς τοὺς πλησίον οὐ συνάπτων. *Et cellæ quidem suum quæque tectum habebant, non proximo contiguum.* Τοῖς δ' ἄλλοις ὑπῆρχεν ἡ στέγη δι' ἀλλήλων διαβεβλημένη μηκίσταις δοκοῖς, καὶ διηκούσαις ἁπάντων, ὡς τοὺς μέσους τοίχους ὑπ' αὐτῶν συνεχομένους ξύλων, ἐρρωμενεστέρους διὰ τοῦτο γίνεσθαι. Cæterùm tabulatum στέγη sic interpretor Josephum, *consertum erat ex longis trabibus ad utrumque latus pertingentibus; ita ut ipsi parietes hoc pacto confibulati firmiores redderentur.* Deinde agit de cellarum ornamentis. Clara sunt quæ dicit. *His trabibus subnexa erant laquearia politissima, cælaturis & bracteis aureis ornata. Parietes etiam cedrinis tabulis auro illitis erant incrustati, ita ut omnia renitetent auro, & intrantium oculos fulgor undique occurrens perstringeret.* Ita domus illæ verè erant aureæ.

Easdem cellas describit Josephus in libro septimo de Bello cap. 6 sed breviori stylo. Περὶ δὲ τὰ πλευρὰ τοῦ κάτω ναοῦ δι' ἀλλήλων ἦσαν οἶκοι τρίστεγοι πολλοί, καὶ παρ' ἑκάτερον εἰς αὐτοὺς ἀπὸ τῆς πύλης εἴσοδοι. *Circa latera verò inferioris templi*, intelligit inferiorem ædem sacram, sive inferius tabulatum, *multa erant conjuncta domus triplicis tecti*, potiùs triplicis tabulati; quia videlicet, ut ex dictis constat, tres erant cellarum series; *& ad utramque latus in eas introitus à porta patebat.* Hæc obscura sunt. Sic intelligo, ut ex una cella in quam primùm intrabatur, pateret introitus in sequentes cellas. Vel quæque haberet propriam portam in singulis lateribus templi. Illud δι' ἀλλήλων interpretatus est Gelenius, quasi Josephus voluisset dicere has domos fuisse pervias; undè sic reddit. *Circa verò latera inferioris templi, multa erant membra pervia triplici tecto suspensa.* Josephus, ut mihi videtur, significat domos illas fuisse conjunctas, nempe ut fulcirent templum. Adjungit, quod pariter dixerat in Antiquitatibus. Τὸ δ' ὑπερῷον μέρος, τούτους μὲν οὐκ εἶχε τοὺς οἴκους, παρόσον ἦν καὶ στενότερον ὑψηλότερον δ' ἐπὶ τεσσαράκοντα πήχεις, καὶ λιτότερον τοῦ κάτω. Συνάγεται γὰρ οὕτω πρὸς ἑξήκοντα τοῖς τοῦ ἐπιπέδου πηχῶν ἑκατὸν τὸ πᾶν ὕψος. Sic locus ille vertitur in versione Rufini *Superior autem pars eadem membra non habebat, quominus erat angustior, celsior autem quadraginta cubitis, nec ita ut inferior ambitiosa. Colligitur enim centum cubitorum celsitudo universa, cùm in solo quadraginta cubitos habuerit.* Sic exprimo mentem Josephi ex anteobservati

Back of
Foldout
Not Imaged


Ichnographia seu Vestigium Templi ejus que appendicum. figura Prima.





Scenographia Templi ab Oriente ad Occidentem, Sanctuarii partem interiorem exhibens. figura quarta.

Scenographia Templi ejus que appendicum à Meridie ad Septentrionem figura secunda.



Ortographia frontem Templi versus Orientem, seu aream Sacerdotum exhibens. figura quinta.



Ortographia lateris Templi versus Septentrionem, cui similis est lateris Meridiem spectans. fig. sexta.


Ortographia Templi ejus que appendicum versus Occidentem fig. tertia.

Scala octoginta cubitorum hebræorum

5 10 20 30 40 50 60 70 80

Scala centum et octaginta pedum Francorum

5 10 20 40 60 80 100 120 140 160





F. De la Monce del.

Tab. XIX

EXPOSITIO TABULÆ DECIMÆ NONÆ.

Primo schemate, quod partem Tabulæ superiorem ad lævam obtinet, habes ichnographiam seu vestigium Templi & appendicum ejus.

Ad majorem hujusce schematis intelligentiam animadvertendum 10. muros Sanctuarii duplici incisurâ notatos fuisse, ædificia tristega, incisurâ unicâ: Quæ unam tantum habent contabulationem, sicut & mænia secundæ & tertiæ contignationis, nec non & gradus quibus ex primâ ad secundam & tertiam contabulationem ascenditur, punctis expressa fuisse. Notandum 20. ædificia Templi solo contigua litteris majusculis, primæ contabulationis caracteribus Romanis, Italis secundæ, numeris vero Arabicis quæ Templo adjacent fuisse designata.

A Devir, seu Sanctum Sanctorum.
B Hexal, seu Sanctum.
C Porta quâ ex Sancto in Sanctum Sanctorum datur ingressus.
DD Murus Sanctuarii.
EE Erismata sexdecim quæ murum Sanctuarii hinc inde fulciebant, ac veluti alas efformabant.
F Vestibulum Sancti.
GG Atrium Sacerdotum.
H Gradus quibus ad Sanctum ascendebatur.
I K Columnæ Jachin & Booz in vestibulo Sancti à Salomone erectæ.
L L Ostiola quibus é vestibulo in conclavia MM datur aditus.
M M Quatuor conclavia.
N N Gazophylacia duodecim in quibus varia Templi supellex recondebatur.
O O Impluvia, seu areæ inter murum Templi ac murum gazophylaciorum ad excipiendam pluviam.
P P Ostiola quibus ex uno in aliud gazophylacium ingredi licebat.
Q Q Areæ ante gazophylacia.
R R Podia quibus ex gazophylaciis descensus in aream permittitur.
S S Viæ quibus Laïci accedebant ad gradus per quos ascendebatur in cœnaculum.
T T, V V Gradus ad cœnaculum & ad conclavia superiora.
a a Conclavia primæ contignationis supra gazophylacia.
bb Scalæ ad Sationem *a*.
a Statio scalæ b b ad scalam *f*.
b b Conclavia secundæ contignationis.
c c Ostiola per quæ transeundo sub scalâ *hh* ad portulas *dd* penetratur.
d d Portulæ quibus in conclavia secundæ contignationis permittitur ingressus.
e e Ostiola in ipsis erismis Templi excavata ad intrandum ex uno conclavi in aliud.
f Gradus ad stationem *g*.
g Statio gradus *f* ad gradus *hh*.
h h Gradus ad tertiam contignationem seu ad tertium menianum, per quod in cœnaculum, seu partem Templi superiorem intrabant Judæi.
i i Ostiola per quæ ad menianum tertiæ contabulationis proceditur.
1. 1. Areæ porticibus quatuor circumdatæ, in quarum medio ignis accendebatur.
2. 2. Ædificia quæ areas cingebant, & quorum muri columnis porticuum incumbebant.
3. 3. Columnæ seu ligneæ seu lapideæ, æquali inter se distantiâ positæ, porticus efficientes quibus ædificia superiora nitebantur.
4. 4. Atriola celiis octo circumdata.
5. 5. Areæ seu viæ per quas itur ad cœnacula 8, 8. & ad gradus *6*, *6*.
6. 6. Podia per quæ ex atrio Sacerdotum in atrium Israëlitarum descenditur.
7. 7. Atrium Israëlitarum.
8. 8. Cœnacula.

Secundo schemate habes sectionem seu scenographiam ædificiorum Templi a Septentrione ad Meridiem, id est, secundùm latitudinem omnium ædificiorum ejus.

A Hexal seu Sanctum in testudinem concameratum, muros habens opere quodam musivo aureis tabulis ornatos.
B Velum ante portam Sancti oppansum.
C Cœnaculum in testudinem concameratum & à Sancto duplici laqueari sejunctum: muri ejus auro renitent, & fastigium ferreis cuspidibus quibus aves arcerentur armatum conspicitur.
D D Fenestræ declives in muris E sex cubitos crassis excavatæ.
E E Mænia Sanctuarii.
F F Erismata muros Templi fulcientia.
G G Gazophylacia, seu cellæ Templi solo contiguæ quindecim cubitos latæ.
H H Exhedræ seu conclavia primæ contabulationis decem cubitos latæ, quinque cubitis meniano L deputatis.
I I Cellæ secundæ contignationis quinque cubitos latæ, detractis ad menianum M quinque cubitis.
K K Impluvium seu areola ad excipiendam stillicidiorum fluxionem.
L L Menianum seu solarium ambiens cellas primæ contignationis.
M M Menianum quo in cellas secundæ contignationis introitur.
N N Fastigium cellarum I I. seu menianum quo in cœnaculum penetratur.
O O Areæ ante gazophylacia GG.
P P Gradus è gazophylaciis GG in areas OO.
Q Q Viæ per quas laïci ad gradus cœnaculi penetrabant.
R R Areæ culinarum.
S S Porticus.
T T Columnæ quibus incumbebant ædificia VV.
V V Cellæ seu apothecæ tam primæ quam secundæ contignationis.

Schema tertium exhibet ortographiam seu prospectum Templi versùs Occidentem.

A Templi facies posterior.
B Podium quo ad superiora ædificia & ad ipsum cœnaculum ascenditur.
C C Muri gazophylaciorum & conclavium Templi.
1. 1. 2. Scalæ punctis expressæ, quia muri CC earum conspectum impediunt. His ascenditur ad menianum seu stationem 3.
3. 3. Menianum primæ contignationis per quod in

cellas gazophylaciis superiores & in podium B patet aditus.

4. 4. Gradus à meniano seu solario 3. ad stationem 5.

5. Statio podii B ex quâ per gradus 7. ad stationem 8. & per ostiola 6. 6. ad meniana secundæ contignationis DD pervenitur.

6. 6. Ostiola quibus ad meniana DD per fornicem sub scalis 9. 9. excavatam penetratur.

7. Gradus à statione 5. ad stationem 8.

8. Statio inter scalas 7. & 9.

9. 9. Scalæ per quas à statione 8. ad meniana seu retractiones FF per portas GG in erismis excavatas datur ingressus.

D D Meniana secundæ contignationis in quæ per fornices sub gradibus 9. 9. excavatas introitur.

E E Anterides latus Templi occidentale fulcientes, paululum excavatæ, ut à statione 5. per ostiola 6. 6. ad meniana DD, & à gradibus 9. 9. per ostiola GG ad meniana FF perveniatur.

F F Meniana seu fastigia tertiæ contabulationis per quæ in cœnaculum introitur.

G G Ostiola in anteridibus excavata quibus è scalis 9. 9. ad solaria FF pervenitur.

Quartum schema exhibet scenographiam seu sectionem Templi ab Oriente ad Occidentem.

A Devir, seu Sancti Sanctorum pars interior. Muri ejus conspiciuntur vestiti laminis aureis, Cherubim & palmis ex eodem metallo ad ornatum prominentibus.

B Porta inter Hexal & Devir.

C Murus Sanctum seu Hexal à Devir seu Sancto Sanctorum dirimens.

D Hexal seu Sanctum: illius mœnia laminis & palmis aureis prominentibus decorata visuntur.

E Vestibulum Sancti auro undique tectum.

F Columna ærea, cui similis ex adverso respondebat.

G Sectio muri supra portam atrii ad Orientem erecti. Murus ille quinque longissimis transversis trabibus, tot lapidum ordinibus intersectis, super atrii parastadas incumbentibus, ad cœnaculi menianum attollebatur.

H Gradus ex atrio Sacerdotum ad vestibulum Sancti.

I Pars ædificiorum quæ atrium Sacerdotum ambiebant.

K Pars porticuum quæ atrium Sacerdotum cingebant.

L Cœnaculi pars interior.

M Area seu agger ante portam cœnaculi.

N N Fenestræ declives per quas in cœnaculum lumen admittitur.

O O Camera seu testudo cœnaculi & Sanctuarii.

P Sectio materiariæ Templi structuræ.

Q Fastigium Templi verubus armatum.

R Pars interior gazophylacii occidentalis.

S. Pars interior seu sectio cellæ primæ contabulationis.

T V X Gradus per quos ascenditur ad stationem Y; punctis notati sunt quia post cellas R S positi, videri non possunt.

Y Statio à gradibus T V X ad scalas ZZ.

Z Z Scalæ quibus transeundo per ostiolum in anteride excavatum pervenitur ad fastigium meridionale tertiæ contignationis & per illud ad aream seu menianum M ante cœnaculum L.

Schema quintum frontem Templi versùs Orientem exhibet

A Podium seu gradus ad vestibulum Sancti.

B C Duæ columnæ æneæ in vestibulo à Salomone erectæ.

D E Antes, seu postes vestibuli quibus innititur murus H.

F Bifores argenteæ Hexal.

G Tabula ex auro quatuor cubitos alta vitem pampinis & racemis onustam referens.

H Murus supra vestibuli parastadas erectus.

I Valvæ cœnaculi.

K K Sectio ædificiorum quibus atrium Sacerdotum cingebatur.

L L Porticus seu statio laïcorum victimas offerentium.

M Orchestra, seu sedes cantorum, tibicinum, &c.

Schemate sexto exhibetur ortographia laterum Templi.

A Cœnaculi prospectus versùs Septentrionem.

B C D Gazophylacia à solo ad tertiam contignationem elata.

E F G Meniana seu solaria super cellas B C D cincta loricâ seu ferreâ seu lapideâ ne quis ex menianis in pavimentum decideret.

H H Scala per quam ad meniana ascenditur.

I I I Sectio cellarum contiguarum Sanctuario.

K K Porticus & ædificia atrium Sacerdotum circumdantia.

ſervatis claram. *Cœnaculum non erat cinctum domibus; ideò hac in parte templum anguſtius, quod etiam ſurgebat quadraginta cubitis ſupra inferiorem partem, quæ erat ſexaginta cubitorum; ut tota templi celſitudo fuerit centum cubitorum.* Hæc verba non ſinunt dubitare quin ſupra templum inferius aliud fuerit excitatum ſuperius, ſive excelſius, quod idcirco ὑπερῷον *cœnaculum* appellaretur.

SECTIO III.

Cellarum dimenſiones juxta Miſchnam; & appendicum ædis ſacræ.

ISTas cellas agnoſcunt Judæi in codice Middoth B veluti ædis ſacræ appendices. Harum trinam ſeriem circumponunt templo; triginta numerant in duobus lateribus ejus. Verùm octo alias addunt in poſteriori parte templi, quarum mentionem Joſephus non facit; haſque appellant תאים, quo nomine uſus eſt Ezechiel ad ſignificandas cellas quæ erant in veſtibulis atriorum. Sæpiùs vox illa occurrit in Scripturis, ubi ſolet reddi *thalamus.* Ergo ſic ineunt numerum cellarum, ſive thalamorum, in codice Middoth c. 4. ſect. 3. » Ibi erant triginta octo thalami, quindecim ad Septentrionem & quindecim ad Auſtrum, octo ad Occidentem. Eorum, qui ad Septentrionem & Auſtrum, quinque erant impoſiti aliis quinque, deinde quinque ſuperimpoſiti iſtis. Eorum, qui ad Occidentem, tres impoſiti tribus, deinde duo ſuperimpoſiti iſtis Tres C portas habebant ſinguli: unam ad thalamum dextrum; alteram ad thalamum ſiniſtrum; tertiam ad thalamum ſuperiorem. Et in angulo inter Orientem & Septentrionem erant quinque portæ: una ad thalamum dextrum; altera ad thalamum ſibi impoſitum; tertia ad ſcalas cochlides; quarta verſùs oſtiolum; ultima ad ipſam ædem. Juvat & attexere eorumdem thalamorum deſcriptionem ex Maimonide cap. 4. de Domo electâ n. 10. » Thalamorum igitur templo circumdatorum quinque ſiti erant in parte aquilonari, in Auſtrali quinque, & in Occidente tres. Atqui horum thalamorum erant tabulata tria, ſuper alio aliud, ita ut in par- D te auſtrali eſſent thalami quindecim: nempe ſuper quinque inferioribus alii quinque, & ſuper his etiam quinque alii. Erant item quindecim ad Septentrionem. In Occidente verò erant omnino octo; nam duo inferiora tabulata continebant quodque tres, & ſupremum duos. Itaque omnes omnino thalami erant duodequadraginta. Thalamorum ſingulis erant januæ tres: una quæ aperiebatur in thalamum dextrum: altera quæ in lævum: tertia quæ aperiebatur in thalamum proximè ſuperiorem. Ad angulum verò Orienti & Septentrioni intermedium thalamo medii tabulati januæ erant quinque: una aperiebatur in thalamum dextrum, altera in ſuperiorem: tertia in thalamum, E cui à gradibus nomen erat. Videlicet ubi ſcala. Quarta in thalamum, in quo & parvum erat oſtiolum; quinta in templum ipſum aperiebatur.

In delineatione templi Talmudicâ quam ſuprà propoſuimus, vides, Lector, in uno quoque latere ædis ſacræ quinque cellas, ſive thalamos ad Septentrionem & ad Meridiem; quæ ter repetitæ, tria enim erant tabulata, faciunt triginta thalamos. Unicuique thalamo tribuuntur à Judæis pro latitudine ſex cubiti. In poſtico ædis ſunt in ſolo tres thalami, ſive cellæ. In ſecundo tabulato, his tribus cellis tres aliæ imponebantur, & in tertio duæ aliæ, quæ cum ſex inferioribus faciebant octo cellas. Videre eſt has omnes cellas pervias inter ſe. Quæque

A habent tres januas, unam in dextrum thalamum, aliam in ſiniſtrum, tertiam in ſuperiorem thalamum.

De appendicum latitudine non convenit inter Joſephum & Thalmudicos. Hanc Joſephus ſtatuit ſexaginta cubitorum, Thalmudici verò faciunt ſeptuaginta cubitorum. Verba Joſephi ſunt lib. 6. de Bello cap. 6. Καὶ τὸ κατὰ πρόσωπον ὕψος τε καὶ εὖρος, ἴσος ἀνὰ πήχεις ἑκατόν. κατόπιν δὲ τεσσαράκοντα πήχεσι στενότερος. ἔμπροσθεν γὰρ ὥσπερ ὦμοι παρ' ἑκάτερον, εἴκοσι πήχεις διεσώμενοι. *Et à fronte quidem altitudo ejus*, loquitur de templo, *& latitudo centenos cubitos habebat: pone autem quadraginta cubitis anguſtius erat. Frons enim veluti quibuſdam additis humeris utrinque vicenorum pedum producebatur.* Illi humeri juxta Thalmudicos non erant viginti, ſed quindecim cubitorum; ita ut juxta eos poſteriora templi non quadraginta cubitis, ſed triginta anguſtiora eſſent, ſive poſteriora templi erant præcisè ſeptuaginta cubitorum, juxta Joſephum ſexaginta.

Ezechiel, ut vidimus, favet in hac parte Thalmudicis: ſed nec adverſatur Joſepho, qui ſexaginta cubitos numerat in ſolo; quos Judæi numerant in tabulatis; quæ utrinque promovebantur quinque cubitis. In capite quarto libri Middoth ſect. ſeptima *Ab Aquilone ad Auſtrum ſeptuaginta cubiti. Murus ipſius circuitûs;* quo ſcilicet muro claudebatur illud ſpatium, quod dicitur מסיבה *meſibah:* alii ſcalam intelligunt, quæ ibi incipiebat; alii viam quâ circuibatur ædes. *Et circuitus*, ſive ſcala quâ aſcendebatur in cænacula, *tres cubiti. Murus thalami*, ſive cujuſque cellæ, *quinque cubiti, & thalamus ipſe ſex. Murus ædis ſex, & fanum ipſum viginti cubitorum, murus ædis ſacræ ſex. Thalamuſque ſex, & murus thalami quinque. Impluvium autem trium cubitorum. Murus denique impluvii quinque cubitorum.* Judæi dicunt exceptas eo in loco aquas imbrium. *Porticus, ſive* πρόναος *fano amplius erat ac latius quindecim cubitis à Septentrione & quindecim cubitis à Meridie: nomen iis, ſeceſpitarum repoſitorium; quia eò congerebant ſeceſpitas*, nempe cultros ſacros, quorum uſus erat in ſacrificiis. *Templum erat anguſtum à parte poſteriori, ſed latum ab anteriori; referebatque leonis figuram, quia dictum eſt*, væ Ariel, Ariel, civitati ubi caſtrametatus eſt David: *quemadmodum leo arctior eſt à parte poſteriori, latior autem ab anteriori; ita templum anguſtius à poſteriori, latius verò ab anteriori parte erat.* Vox illa *Ariel* ſignificat *leonem Dei*, ſive *leonem fortem.* Teſtimonium illud ſumptum eſt ex Iſaiâ cap. 29. v. 1. Quem locum Chaldæus Paraphraſtes intelligit de altari.

Quantùm fieri poteſt, à notioribus initium duco; ideò non ex ordine exſcribo codicem Middoth, quem totum congero in meos libros. Hæc, quæ modò protulimus, ſatis aperta; & delineari facilè potuerunt. Non ita eſt de ſectione quartâ ejuſdem capitis, quam ideò prætermiſeram. *Pteroma infimum quinque cubitorum erat, & tabulatum ſex; medium deinde ſex cubitorum, ejuſque tabulatum ſex cubitorum; ſupremum denique ſeptem cubitorum, quia* 1. Reg. cap. 6. *dicitur: Pteron infimum erat quinque cubitorum latitudine ſuâ; & medianum ſex cubitorum latitudine ſuâ; tertium verò ſeptem cubitorum latitudine ſuâ.* In textu Miſnæ non eſt ullum nomen quod ſonet *pteroma.* Leguntur iſta התחתונה חמש *infimum quinque*, nempe cubitorum. Sed propter locum Regum qui allegatur, addit Interpres tractatûs Middoth illud nomen *pteroma* πτέρωμα, id eſt, *pinnaculum*, ſive menianum opus, nempe *podia, pergulæ*, quæ projiciuntur extra muros & mutulis firmiſſimis quieſcunt & nituntur. Ita Inter-

pres putavit Judæos, & ſcriptorem primi, ſive tertii Regum deſcribere aliquod ſimile opus, videlicet tabulata quædam projecta extra murum, *comme des galeries, des terraſſes, des balcons en l'air.* Locus Regum ſic exprimitur in noſtrâ Vulgatâ cap. 6. v. 5. *Et ædificavit* Salomon *ſuper parietem templi* ædis ſacræ, *tabulata per gyrum in parietibus domûs per circuitum templi* Hecal *& Oraculi, & fecit latera in circuitu.* In fonte, *Et ædificavit ſuper parietem domûs*, vel *ad parietem domûs tabulatum* יצוע *Jatznang.* Vox illa derivatur à יצע *jatzang*, id eſt, *ſtravit, ſubſtravit.* Itaque intelligendum eſt à Salomone circa ædem ædificata tabulata; veluti deambulacra, ſive pergulas, *des galeries en l'air, des balcons.* Pro eo, quod habet Vulgata: *Et fecit latera in circuitu*, reponere poſſumus ex fonte. *Et fecit coſtas in circuitu.* צלעות *tſelagnoth.* Vox illa dicitur de animalium coſtis. Græci Καὶ ἐποίησε πλευρὰς κύκλῳ.

Pergit loqui ſcriptor Regum 6. *Tabulatum quod ſubter erat, quinque cubitos habebat latitudinis, & medium tabulatum ſex cubitorum latitudinis, & tertium tabulatum ſeptem habens cubitos latitudinis.* Plerique, ne dicam omnes Interpretes opinantur ibi mentionem fieri de cellis, quas ædi ſacræ circumpoſitas fuiſſe conſtat; & ideò ſuperiores faciunt inferioribus latiores; quia ſcilicet prout ſurgerent muri, recedebant, ſive in illis erant retractiones. Ita cùm prima cella, ſive tabulatum primæ cellæ latum eſſet quinque tantùm cubitis, tabulatum ſecundæ, ſive ſecundi ordinis cellæ ob retractiones dictas, latum erat ſex cubitis & quia iterum in tertio ordine hinc indè muri recedebant ſemicubiti ſpatio, ibi tabulatum latius erat, quippe latum ſeptem cubitis.

SECTIO IV.

Cellæ circumpoſitæ templo erant inſtar coſtarum; & imitamenta appendicum Tabernaculi.

ID quod ſentio de cellis circumpoſitis templo, cùm clariùs aperuero, decorem conferet ædi ſacræ, & lucem ſacro codici; nempe ſenſum in verbis ejus latentem & obſcurum proferet in apertum diem. Appendices illæ erant, ut jam dixi, pro eriſmis, ſive anteridibus, quæ veluti coſtæ animalis corpus, ita ædem roborarent. Per illa ergo *tſelagnoth*, quæ nominantur in Scripturâ *latera*, πλευραὶ, *coſtæ*, puto intelligendas eriſmas, ſive anteridas neceſſarias, confirmando templi ædificio. Inter has coſtas quod intervallum vacuum ſupererat, præbebat locum cellis. In unoquoque latere, in pavimento quinque intervalla ſunt vacua; totidem in ſecundo tabulato, & par numerus in tertio. Ita triginta erant cellæ in duobus lateribus.

Illæ coſtæ conſtituebant id quod appellabamus appendices templi; quæ quò altiores eò erant latiores, proximior ædi ſeptem cubitorum, altera minus alta, ſex tantùm cubitis; denique tertia non latior quinque cubitis. Has coſtas parallelas conjungebant tranſverſæ trabes & tria faciebant tabulata, triplicemque ſeriem cellarum. Trabes enim quæ requieſcebant in loculis inferioris coſtæ componebant primum tabulatum ſub quo inferior cella. Trabes reſidentes in loculis ſecundæ coſtæ faciebant ſecundum tabulatum, ubi cellæ ſecundi ordinis; ſicut trabes in tertia coſta tertium tabulatum, ſic tabulata ſuperiora latiora erant. Tertii tabulati latitudo eſt 7 cubitorum, ſecundi tabulati latitudo 6 cubitorum; & primi quinque ſolummodo cubitorum. Quæque cella habebat ſibi proprium tectum, quod aſtruitur à Joſepho; nam illis ſtratum quod projiciebatur, pro tecto haberi poterat; trabes autem tranſverſæ quibus fiebat illud ſtratum, ſive tectum, conjungebant omnes coſtas, & fulciebant validiùs ſacram ædem. Coſtæ attingebant tantummodo cœnaculum ſuperius, non ultrà ſurgebant; ſic tantùm inferior ædes cellis cingebatur. Quindecim erant versùs Meridiem; quindecim versùs Septentrionem; octo tantùm ad Occidentem. Quæque harum appendicum viginti quinque cubitos lata erat juxta Thalmudicos & Ezechielem. Perviæ erant omnes cellæ, ut dixi: id videre eſt in ichnographia templi, in qua cella quælibet duas habet januas P P, quibus ex una in aliam datur tranſitus. Credo latus cujuſque cellæ extimum non habuiſſe murum; ſed lignea clauſtra; undè tam facilè flammam corripuêre cellæ, cùm in eas titionem ardentem injecit Romanus miles. Jucundus autem erat proſpectus harum omnium cellarum. Etenim in uno quoque tabulato projiciebatur podium; ut fieri tunc ſolebat, altum tribus cubitis, quod & ſtatuit Scriptura in libro tertio Regum, horum tabulatorum faciens ſuperiora latiora. *Trabes autem poſuit in domo per circuitum forinſecùs ut non hærerent muris templi.* Fons Hebræus reddi poteſt: *Quoniam diminutiones poſuit domui circumquaque extrinſecùs, ut non apprehenderent parietes domûs.* Græci ibi habent: Ὅτι διάστημα ἔδωκε τῷ οἴκῳ κυκλόθεν ἔξωθεν τοῦ οἴκου ὅπως μὴ ἐπιλαμβάνωνται τῶν τοίχων τοῦ οἴκου. *Quoniam intervallum dedit domui in circuitu ab extra ipſius domûs: ut non hærerent muris domûs.* Neque in fonte Hebræo, neque in verſione Græcâ trabium mentio fit. Attamen omnes Latini Interpretes, etiam qui deditâ operâ ſcripſerunt adversùs Vulgatum Interpretem, ut Amama, admittunt locum eum intelligendum eſſe de aliquâ certâ diſpoſitione trabium. *Mirari aliquis meritò poſſit*, inquit ille, *quâ ratione latitudo ſuperiorum domuncularum ſumpſerit incrementa; uſitatum enim magis eſt ut latitudo ædificiorum, quæ aliis ſuperædificantur contrahatur.* Amama & alii Interpretes non aſſecuti ſunt veram formam tabulatorum illorum, & veram rationem cur ſuperiora latiora, quia ſcilicet decebat altiores coſtas & latiores eſſe. Hanc rationem reddit Amama, *quod Salomon noluerit partem exteriorem parietis perforari. Cùm ad quintum cubitum parietis perventum eſſet, juſſit parietis craſſitiem uno cubito retrahi, quæ contractio, ſeu retractio referebat quodammodo gradum aliquem ſeu præbebat ſpatium, quo tanquam fulcro ſuſtentabantur capita trabium. Unde ſecunda concameratio, ſeu potiùs contignatio ob cubitalem illam retractionem parietis lucrabatur in latitudine cubitum unum; atque ita habebat latitudinem ſex cubitorum, &c.* Ita & Junius, *quino quoque cubito aſſurgentis parietis, craſſitiem ejus uno cubito diminuerat extrinſecùs, ut projectura illæ muri eſſent cubilia ſubſtructionis trabibus, ut trabes illæ exemptiles eſſent ſine damno templi, & tantùm projecturis incumberent.*

Eodem Junio Interprete, id unum in fonte dicitur: *nam contracturas* מגרעות mighroth *indiderat domui circumquaque extrinſecùs ne hærerent muris domûs.*

Senſus apertior eſt in ſiſtemate noſtro. Poſtquam ſcriptor Regum dixit in tabulatis contracturas factas, addit, quia nolebat Salomon ab iſtis appendicibus totam ædem comprehendi. Scilicet coſtæ diminutæ ſunt; & tantummodo ſurgebant ad cœnaculum ædis ſacræ, ut dicit Joſephus. Non igitur, ut Vulgatus Interpres & cæteri opinati ſunt, contracturæ factæ, ut tranſverſæ trabes requieſcerent; nec fuit neceſſe foramen ullum fieri in parietibus ædis in quod capita trabium immitterentur; illæ enim requieſcebant in coſtis parallelis.

Liceat hic mihi proponere conjecturam quæ animum ſubiit, has templi appendices fuiſſe imitamenta appendicum Tabernaculi; ſive brevium tentoriorum quibus circumdabatur. Revoca illa in mentem, Lector; ſive conjice oculos ad ſchema quod repræſentat velamina quæ Tabernaculum operiebant. Suſtinebantur illa funibus, quibus adversùs tempeſtates firmabantur tabulæ Tabernaculi, ſic quod ſupererat tegendo Tabernaculo ex ſuis operimentis, faciebat circa illud tentoriolum; quod pervium erat; inter enim operimentum & tabulas aureas intercipiebatur ſpatium vacuum, latius in ſolo anguſtius in cælo. Salomonicæ cellæ omnes erant perviæ inter coſtas, quæ repræſentabant funiculos, quibus firmabatur Tabernaculum; in pede ſuo magis removebantur ab ædis ſacræ parietibus ad quos eo magis accedebant, quò erant altiores. Ita figuram exhibebant funiculorum, & formam harum appendicum, ſicut antiquum uſum; tum & decorem. Appendices illæ indè concludebantur tabulis inauratis Tabernaculi, & inter pretioſiſſimum tapetem. Salomonicas illas cellas appellat Joſephus *breves domos* & aureas, quales fuerant Moſaicæ appendices; quas vidimus inſerviiſſe reponendis vaſis aureis & argenteis quorum uſus erat in ſacrificiis, & cultris, quibus cædebantur victimæ, in deſcriptione autem Thalmudicâ in fine libri ſuperioris animadvertimus, duo conclavia, appoſita ſacræ ædis veſtibulo, & quæ pronai, ſive veſtibuli quaſi duo brachia, ſive duo humeri erant fuiſſe repoſitorium ſeceſpitarum, id eſt, ſacrorum cultrorum, quod indè Sacerdotes depromerent cultros ad mactationem victimarum, & ſacrificiis peractis hùc reponebant. Illa duo conclavia adjuncta veſtibulo repræſentant appendices Tabernaculi, ſub quibus etiam cultri reponebantur; undè non malè, ſed ex vetuſta traditione ſeceſpitarum repoſitorium collocaverant in dictis cochlearibus, quæ cum reliquis aureis cellis erant templi appendices.

SECTIO V.

De ſcalis quibus aſcendebatur in cœnaculum ædis ſacræ. De cochleâ quam Salomon excogitavit.

IN his appendicibus Scriptura celebrat ſcalam, quâ ex inferioribus ad ſuperiora aſcenſus fiebat; quæ fuit peculiare inventum Salomonis, inquit Joſephus. Ἐφιλοτέχνησεν δὲ βασιλεὺς ἄνοδον εἰς τὸν ὑπερῷον οἶκον. Id eſt, *ingenioſè, artificioſè commentus eſt Rex Salomon aſcenſum in cœnaculum.* Verbum ἐφιλοτέχνησεν ſignificat non vulgarem induſtriam. Certè his temporibus non tanta erat, quanta noſtrorum Architectorum, in diſponendis ſcalis ſolertia. Mirum eſt in ipsâ Regiâ Circes non alias ſcalas deſcribi ab Homero, quàm quæ tuguriis villicorum apponuntur; ex quibus retrogradè deſcendendum eſt. In decimo libro Odyſſeæ Elpenor dormiens in ſuperiori cellâ, cùm ſtrepitum & tumultum audiiſſet, ſomno excitatus.

Ἐξαπίνης ἀνόρουσε, καὶ ἐλάθετο φρεσὶν ᾗσιν
Ἄψορρον καταβῆναι ἰὼν ἐς κλίμακα μακρὸν
Ἀλλὰ καταντικρὺ τέγεος πέσεν, ἐκ δέ οἱ αὐχὴν
Ἀστραγάλων ἐάγη.

Repentè ſurrexit, & oblitus eſt mente ſuâ
Retrogradè deſcendere profectus in ſcalam longam
Sed è regione tecti cecidit, ejus autem cervix
Ex juncturis fracta eſt.

Quin & extra ædes appoſita erat ſcala illa, ſiquidem è regione tecti ceciderit Elpenor. Ubi ſermonem fecimus de turri Babylonicâ, vidimus ſcalas fuiſſe extra illam projectas. Extra etiam ædem ſaciam erat ſcala, quam excogitavit Salomon, ſed & intra muros latebat; his enim verbis eam deſcribit Joſephus lib. 8. Antiquit. cap. 3. Ἐφιλοτέχνησε δὲ βασιλεὺς ἄνοδον εἰς τὸν ὑπερῷον οἶκον διὰ τοῦ εὔρους τοῦ τοίχου &c. Latinè ſonant juxta Gelenium *Porro aſcenſum in ſuperiorem templi partem ſic commentus eſt Rex, ut cochleam in hunc uſum craſſitudine parietis includeret. Hæc enim pars non habebat ab Oriente magnam januam ut inferiores, ſed à lateribus inerant parva oſtiola.* Hoc quod inſerit Gelenius de cochleâ, inducere poſſet in errorem. Iſta enim legens quiſpiam credat ſcalam fuiſſe turri incluſam, ut nunc fieri ſolet. Sed nullius cochleæ mentionem fecit Joſephus; id unum dicit, quòd Salomon arte fecerit ut per muri latitudinem διὰ τοῦ εὔρους τοῦ τοίχου aſcenderetur in ſuperiora ædificia. Vidimus ſcalas à Thalmudiſtis locari in vacuo intervallo, quod erat parallelum ædi ſacræ; ita ut ſcalæ illæ diſpoſitæ ſecundum longitudinem lateris borealis, poſtea flecterentur juxta latus occidentale; deinde aſcenderent per latus meridionale; ita circuirent ædem: undè à Thalmudicis hæc ſcala dicitur מסיבה *meſibah*, à verbo סבב *ſavau*, id eſt, *circuivit.* Attentis oculis conſidera, Lector, parietes ædis, & in illis obſerva ſcalam, qua circuitur ipſa ædes, & in ejus aſcenditur ſuperiora. Audiamus Thalmudicos de iſtâ ſcalâ diſſerentes in codice Middoth cap. 4. ſect. 5. *Cochlea ſurgebat*, in fonte מסבה *meſiba* (nomen cochlea non ibi aptum eſt, & in errorem induceret) *à cornu cæciam ſpectante inter Orientem & Septentrionem versùs cornu caurum ſpectans inter Septentrionem & Occidentem, quâ aſcendebant in thalamorum tecta.* Sic circuibatur ædes. Exponunt quo ſitu, ſive ad quas plagas mundi faciem obverteret incipiens aſcendere. *Aſcendebat quis per oſtiolum facie ſuâ Occidenti obverſâ.* Nempe intrabat per illud interſtitium ubi ſcala, ſive gradus excitabantur gradiens ab Oriente versùs Occidentem: *Ibatque per totum latus ſeptentrionale donec perveniret ad Occidentem. Ubi perveniſſet ad Occidentem, obvertebat faciem Auſtrum versùs; ibatque juxta Occidentem donec perveniret ad Auſtrum. Cùm perveniſſet ad Auſtrum, facie ad Orientem obverſâ ibat ſecundùm Auſtrum donec perveniret ad portam cœnaculi,* ὑπερῴου, *nam porta* ὑπερῴου *versùs Auſtrum aperiebatur.* Hæc deſcriptio viri aſcendentis ad hoc cœnaculum exhibet nobis diſpoſitionem graduum, qualem diximus, circumeuntium totam ædem. Pergunt loqui Thalmudici. *Et in portâ* ὑπερῴου *erant duæ trabes cedrinæ, quibus aſcendebant in tectum* ὑπερῴου. *Atque proceribus, ſive trabium capitibus diſtinguebant in cœnaculo inter Sanctum & Sanctum Sanctorum. Foramina etiam erant aperta in cœnaculo ad Sanctum Sanctorum, per quæ catenis demittebant fabros in arcis, ne eorum oculi nutrirentur è Sancto Sanctorum.* Scilicet ita deſcendebant, ut ex illis arcis ea tantùm viderent ſpatia, ubi quid ſarcire & reſtaurare debebant; ſic non paſcebant oculos ſplendore divinæ præſentiæ.

Iiſdem ferè verbis eadem leguntur in capite 4. Maimonidis de Domo electâ n. 12. « Gradus erant ſenſim excitati ab angulo inter Orientem & Sep- « tentrionem medio ad communem Septentrioni & « Occidenti angulum, per quos aſcenſus dabatur in « tecta thalamorum. Per hos gradus qui aſcendebat, « is ſpectans ad Occidentem latus aquilonare peram- « bulabat: & cùm latus Occidentis attigerat, tum « ore ad Auſtrum verſo totam Occidentis partem « perambulabat: poſt cùm ad latus auſtrale perve- « nerat Orientem ſpectans ſecundùm auſtrale latus « ambulabat uſque ad cœnaculi januam, quæ versùs « Auſtrum aperiebatur. In iſtâ cœnaculi januâ ce- «

„ drinæ trabes erant duæ, quibus in tectum cœna- A
„ culi nitebantur. Scala erat ex his duabus trabibus inter quas gradus scalares concludebantur. „ Jam in
„ cœnaculo summa trabium capita dividebant tec-
„ tum Sancti à tecto Sancti Sanctorum. Præterea
„ autem erant in eodem cœnaculo ostiola quædam
„ aperta in Sanctum Sanctorum. Per hæc enim fa-
„ bri dimittebantur arcis inclusi, ut ne Sancto Sanc-
„ torum pascerent oculos.

Pars ædis sacræ quæ erat infra cœnaculum circumdabatur trina cellarum serie, quæ erant ædis appendices; & veluti alæ πτερώματα, *pinnæ, pinnacula.* Illa prout surgebant, latiora fiebant, ut vidimus; sed verisimile est cælum cellarum quæ in illis erant: quod solet fieri, humilius fuisse in secun- B da serie & in tertia. Scilicet cùm tota altitudo appendicum esset quadraginta quinque cubitorum, sic statuo de altitudine cæli in omnibus cellis, ut in primis altum esset decem & octo cubitis, in secunda serie quindecim cubitis, & in tertia duodecim cubitis.

Jam non erit omnino difficile sensum deprehendere in versu octavo capitis sexti ex tertio Regum, ubi de hacce cochlea fit sermo. His concipitur verbis in Vulgatâ versione Latinâ. 8. *Ostium lateris medii in pariete domûs dextræ, & per cochleam ascendebant in medium cœnaculum, & à medio in tertium.* Græca versio d monstrat olim aliter lectum Hebræum codicem. Καὶ ὁ πυλὼν τῆς πλευρᾶς τῆς ὑποκάτωθεν, C ὑπὸ τὴν ὠμίαν τοῦ οἴκου τὴν δεξιάν· καὶ ἑλικτὴ ἀνάβασις εἰς τὸ μέσον, καὶ ἐκ τῆς μέσης ἐπὶ τὰ τριώροφα. *Et ostium lateris quod subtus, sub humero domus dextro, & cochlearis ascensus ad medium, & à medio ad tertia conclavia.* Fons Hebræus pro ut nunc legitur. *Ostium costæ mediæ ad humerum domûs dextrum, quâ per cochleas ascendebant ad medianum; & à mediano ad tertiana cubicula.* Olim vero pro hodierno התיכנה, id est, *mediæ*, Græci Interpretes & Paraphrastes Chaldæus legebant התחתונה, hoc est, *inferioris.* Quæ lectio magis probanda est; clarè enim indicat locus ille fuisse ostium in latere boreali ædis, versùs humerum dextrum, ad angulum orientalem, quo intrabatur in locum ubi scalà erat disposita; & ex inferiori parte ascendebatur D ad medium tabulatum, sive ad cellas secundæ seriei, & ex illis ad tertium tabulatum. Quæ omnia ex antedictis aperta sunt. Nomen autem לולים, quod à Græcis Interpretibus redditur ἑλικτὴ ἀνάβασις *cochlearis ascensus*, & à Latino Interprete, qui secutus est Græcos, *cochlea*; quidpiam aliud significat quàm nomen illud *cochlea*, prout sumitur pro turri in quâ sunt gradus dispositi in lineâ spirali, qualis notatur in cochlea. לולים *lulim*, sunt ansulæ. Extra hunc locum לול *lul* vertitur semper à Græcis ἀγκύλη. Ansulis quodammodò similes sunt scalares gradus, etiamsi in rectâ lineâ dispositi. Ergo in isto loco Regum non intelligenda est turris, in quâ essent cochleares gradus. בלולים *belulim*, id est, *in gradi-* E *bus*, scilicet ascendebatur. In Chaldæo Paraphraste במסבתא *bemesibatha*; quo nomine Thalmudici appellant gradus de quibus nunc sermo est; & indicant gradus illos circumdedisse ædem sacram. Nec, ut videtur, alia mens erat Græcis; nam ἑλικτὴ ἀνάβασις, ascensus est qui volvitur, qui girat, à verbo ἑλίσσω; quod fiebat in his gradibus. Forsan nec apto nomine *cochleæ* & *cœnaculi* Latini Interpretes usi sunt. Fons Hebræus & Græca versio dicunt tantùm ex inferiori cubiculo fuisse gradus dispositos ad medium, id est, ad conclavia secunda, sive ad secundum tabulatum, quod medium appellabatur, quia inter primum & tertium tabulatum occurrebat. Non est ibi ulla vox in fonte cui respondeat *cœnaculum*; quod ergo gratis addidit Interpres.

An gradus illi fuerint lapidei an lignei, nemo, nisi qui vates sit, dicere potest. Ultrò putarem gradus ligneos fuisse; nam lignei erant quibus ascendebatur in tectum cœnaculi; si credamus Thalmudicis. Plurimus fuit ligni usus in istis ædis sacræ appendicibus; alioqui non tam facilè ignem corripuisset; &, ut ita dicam, in cineres abiisset. In latere boreali Thalmudici, ut diximus, viam notant trium cubitorum, ubi locant scalam; in australi viam æqualem faciunt locum impluvii. Potuit Salomon hùc deduxisse canales, qui aquas tectorum omnium ædis & appendicum ejus deferrent in puteum, sive locum subterraneum, in quo aquæ colligerentur, & cùm opus erat derivarentur in mare æneum; quod ad humerum sinistrum ædis locatum erat. Locus aquarum sex cubitis altior erat atrio Sacerdotum; ideò poterat aquas sufficere mari æneo in lavacrum pedum & manuum Sacerdotum.

SECTIO VI.

De cœnaculo templi ejus situ & dispositione.

Ex dictis liquet fuisse ædi sacræ superpositam aliam ædem sacram, sive fuisse duplex templum, unum superius, alterum inferius. Utrumque Josephus distinguit. Postquam enim illud descripsit, in quo erat Arca, mensa aurea, candelabrum (in Antiquitatibus libro 8. cap. 4.) addit *super hoc autem*, nempe inferius templum, *erat aliud templum pari mensurâ.* In sexto libro de Bello cap. 6. dicit cellas ædificatas circa latera τοῦ κάτω ναοῦ inferioris templi; ita superium agnoscit angustius *Cœnaculum non erat cinctum domibus* intelligit breves cellas; *ideò hac in parte templum angustius; quod etiam surgebat supra templum inferius quadraginta cubitis.* Itaque videre est hanc superiorem ædem quasi liberam surgere supra inferiorem; circa quam erant, ut vidimus, pteromata, sive pinnacula. Hæc pars superior dicebatur Hebræis עליה *aliah*, quam vocem Judæi Hellenistæ reddiderunt ὑπερῷον, Latini cœnaculum. ὑπερῷον autem, ut notat Eusthatius λέγεται τὸ ὑπερκείμενον οἴκημα superpositum ædificium, inferiori ædificio ὡς γὰρ κατὰ τὴν γλῶσσαν τὰ οἰκήματα. Itaque ædificium illud habendum non solum pro superiori ædificio, sed indicat aliud inferius superiori suppositum; quod ut dicit Phavorinus in lexico ad hanc vocem ὑπερῷον egebat scala, sive gradibus tum ad ascensum tum ad descensum.

Cœnaculum numeratur inter opera quæ à Davide præscripta fuerant facienda, ut declaratur in Paralipomenis lib. 1. cap. 11. *Dedit autem David Salomoni filio suo descriptionem porticûs & templi & cellariorum, & cœnaculi, & cubiculorum in adytis.* Non mihi videtur verisimile, porticum, sive vestibulum, quod ante januam inferioris templi erat, ad tantam altitudinem, quantam ei assignat Josephus exaltatam. Ascendebat tantùm usque ad cœnaculum; cujus fuerit vestibulum. Scilicet tectum hujus porticûs quod ante portam orientalem cœnaculi faciebat aream patentem in quâ consistere poterant qui ingressuri erant in cœnaculum. Ibi in parte anticâ, sive orientali, aperiebatur ingens porta non dissimilis portæ inferioris templi; per quam intrabatur in superius illud templum; quod magnitudine & ornamentis non dispar erat. Nam, ut vidimus 2. Paralipomenon cap. 3. 9. pariter inauratum erat. Pii autem & casti Israëlitæ, ut opinor, non prohibebantur ab hocce superiori templo; etenim per posticum hujus inferioris templi ingressi subibant cochleam templi; quâ ascendebant super

tecta ædificiorum, quæ circumdabant inferius templum; ſupra quod ſurgebat cœnaculum, veluti ſuperius templum, impoſitum inferiori. Illud ſubibant tempore orationis vel lectionis Scripturarum. Neque enim lecti & culinæ in hoc loco erant, ut noctes dieſque quiſpiam verſari poſſet. Ibi, inquam, cogebantur frequentes Iſraëlitæ, ut cùm actum eſt in libro 1. Eſdræ cap. 10. 9. de matrimoniis, quæ cum alienigenis inita fuerant. *Convenerunt igitur omnes*, inquit, *viri Juda & Benjamin in Jeruſalem tribus diebus, ipſe eſt menſis nonus; vigeſimo die menſis: & ſedit omnis populus in plateâ domûs Dei, trementes pro peccato & pluviis*, ut fert fons, trementes ſuper re & propter pluvias. *Et ſurrexit Eſdras Sacerdos, & dixit ad eos: vos tranſgreſſi eſtis, & duxiſtis uxores alienigenas.* Illa *platea domûs Dei*, ea ipſa eſt quæ patebat ante faciem ſuperioris templi, ſive cœnaculi. Joſephus rem eamdem narrans, dicit tranſactam in cœnaculo templi, dixiſſet in aliquibus cœnaculis, ſi non aliquod ſpeciale cœnaculum & celeberrimum indicaſſet; Antiquit. libro 11. cap. 5. Καθισάντων δὲ ἐν τῷ ὑπερῴῳ τοῦ ἱεροῦ, παρόντων ἅμα καὶ τῶν πρεσβυτέρων, καὶ ὑπὸ τοῦ κρύους ἀηδῶς διακειμένων, ἀναστὰς Ἔσδρας ᾐτιᾶτο ἐκείνους, λέγων παρανομῆσαι γήμαντας οὐκ ἐξ ὁμοφύλων. *Cumque conſediſſent in ſuperiore templi* in cœnaculo, ut ipſe loquitur Joſephus, *præſentibus etiam ſenioribus, & frigus propter anni tempus eſſet moleſtum; ſurgens Eſdras accuſavit eos qui contra legem duxiſſent uxores alienigenas.* Nominat ὑπερῷον *cœnaculum* Joſephus, quod Eſdras *plateam* uſus generali voce; nam lata eſt nominis רחב *rechob* ſignificatio. Locum dicit latum & ſpatioſum, quale eſt advertere in proſpectu frontis ædis ſacræ, ante portam cœnaculi. Joſephus ἐν τῷ ὑπερῴῳ τοῦ ἱεροῦ non τοῦ ναοῦ, quâ voce utitur cùm loquitur de æde ſacrâ, ubi Arca; diſtinxit utramque ædem inferiorem & ſuperiorem, quia ab inferiore arcerentur laici qui admittebantur intra ſuperiorem.

Rem enarrat Eſdras in libro 2. cap. 8. quam & tangit Joſephus loco quem modò allegavimus, tranſactam ut puto, in eodem cœnaculo, de quo nunc ſermo eſt. Rogatus à plebe Eſdras legit librum legis in loco excelſo. Adducam primum textum Joſephi. » Septimo autem menſe, inquit Joſephus, » dum ſcenopegiæ feſtum celebratur, & fer» me totus populus convenit accedentes ad pate» tem templi portam, quæ orientalem portam ſpec» tat, rogaverunt Eſdram ut eis legem Moyſis le» geret: quod & fecit, ſtans in medio multitudinis, » a mane uſque ad meridiem. Animus advertendus ad ipſa verba Græca Joſephi. Καὶ σχεδὸν παντὸς τοῦ λαοῦ συνεληλυθότος ἐπ' αὐτὸν, ἀνελθόντες εἰς τὸ ἀνειμένον τοῦ ναοῦ πρὸς τὴν πύλην τὴν ἐπὶ τὴν ἀνατολὴν ἀποβλέπουσαν. *Cùm fermè omnis populus ad eum conveniſſet, aſcendentes* εἰς τὸ ἀνειμένον τοῦ ναοῦ; quid illud eſt τὸ ἀνειμένον? Nomen illud Græcum indicat partem aliquam conſecratam, relictam; quam non aliam puto ab iſtâ plateâ, quæ erat ante portam cœnaculi relicta; ad quam aſcenderit populus; quippe alta. Illa erat ad portam cœnaculi & ſpectabat Orientem. Scilicet in areâ illâ, quæ veluti veſtibulum cœnaculi erat, legit Eſdras legem Dei. Jam audiamus Eſdram. *Et venerat menſis ſeptimus: filii autem Iſraël erant in civitatibus ſuis, congregatuſque eſt omnis populus quaſi vir unus, ad plateam quæ eſt ante portam aquarum, & dixerunt Eſdræ Scribæ, ut afferret librum legis Moyſi, quam præceperat Dominus Iſraëli. Attulit ergo Eſdras Sacerdos legem coràm multitudine virorum & mulierum, cunctiſque qui poterant intelligere, in die primâ menſis ſeptimi, & legit in eo apertè in plateâ quæ erat ante portam aquarum de mane uſque ad meridiem. Et aperuit Eſdras librum coràm omni populo: ſuper univerſum quippe populum eminebat; & cùm aperuiſſet eum, ſtetit omnis populus. Et benedixit Eſdras Domino Deo magno: & reſpondit omnis populus: Amen, Amen: elevans manus ſuas, & incurvati ſunt, & adoraverunt Deum proni in terram. . . . . Levitæ ſilentium faciebant in populo ad audiendam legem: populus ſtabat in gradu ſuo. Et legerunt in libro legis Dei, diſtinctè & apertè ad intelligendum, & intellexerunt cùm legeretur.* Joſephus collocat Eſdram legentem Scripturas εἰς τὸ ἀνειμένον τοῦ ναοῦ. Quiſquis ſit ille locus, pars erat templi; quapropter ſuſpicor non ſanum eſſe à ſcribarum incuriâ quod dicit Eſdras rem factam in plateâ portæ aquarum. Puto vocem מים *maim*, id eſt, *aquæ* irrepſiſſe pro מעינים *meinim*, habitacula. Nomen מען *maon* ſignificat non quæcumque habitacula, ſed præcipua; ideò in Scripturâ ſæpè uſurpatur ad ſignificandam Dei manſionem, ut Samuelis 1. Reg. cap. 2. v. 32. Ita videtur proprium cœnaculo. Apud Zachariam in fine capitis ſecundi fons Hebræus כי נעור ממעון קדשו *chi neyor mimeon chedcho* quod Vulgatus reddit ad verbum *quia conſurrexit de habitaculo ſancto ſuo*, nempe Deus. Græci verò verterunt ὅτι ἐξεγήγερται ἐκ νεφελῶν ἁγίων αὐτοῦ. Dominus *conſurrexit ex nubibus ſanctorum ejus.* Hæc deſcriptio habitaculi Dei convenit cœnaculo, quod elevabatur inter nubes. Conjicio ergo מים *meim*, id eſt, *aqua* irrepſiſſe pro מעינים *meinim*, id eſt, habitacula. Qui quia ſit, ſtatuo lectionem factam ab Eſdrâ εἰς τὸ ἀνειμένον τοῦ ναοῦ, ut loquitur Joſephus, in plateâ quæ erat ante faciem cœnaculi. Sed quis dicat quomodo Levitæ ſtatuti in tam excelſo loco potuiſſent pulſare populi aures & ab iis audiri? Primùm plurimi aſcenderunt ad cœnaculum, deinde ut loquitur Eſdras. *Et aures omnis populi erant erectæ ad librum. Stetit autem Eſdras Scriba ſuper gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum.* Præterea Eſdras, & Levitæ erant interpretantes quæ legebantur: intendebant vocem qui legebant, ut perferri poſſet lectio ad aures omnium.

Etſi omnia quæ circa duo loca Eſdræ memorata ſunt pro incertis haberentur, extra omnem dubitationem eſt ſuperſtructam ædi inferiori ſacræ alteram ædem, quæ nomine cœnaculi intelligenda eſt; in quâ Apoſtoli die Pentecoſtes, ut opinor, aſcenderant. A die quidem Aſcenſionis Dominicæ non exierant templo; ſed veriſimile ubi inſtitit feſtum Pentecoſtes, & horâ precum, ab aurorâ potiſſimum uſque ad tertiam, ingreſſos in cœnaculum. Tunc illapſus eſt in eos ſpiritus Dei: *Et factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquam advenientis ſpiritûs vehementis, & replevit totam domum ubi erant ſedentes. Et apparuerunt illi diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum.* Itaque licet plures alii Iſraëlitæ tunc occurrerint in cœnaculo, quod omnibus patebat; tamen agnoſcebatur illapſus Spiritûs ſancti proprius fuiſſe Apoſtolis & aliis Chriſti Diſcipulis; ſi quidem ſederint ſupra illos linguæ ignis. Tum & populi ex omni natione, qui forſan & in eodem cœnaculo tunc erant, mirati ſunt Apoſtolos loquentes linguis ſuis. Commotio autem magna fieri potuit; nam cœnaculum nullis præcinctum ædificiis citò commoveri potuit, & hujus commotionis ſonus latiùs audiri, cùm excelſum eſſet. Illapſus Spiritûs ſancti certè contigit fieri in aliquo cœnaculo templi; maximè in celeberrimo: illud autem cœnaculum ſuperſtructum ædi ſacræ, ſitu ſuo & ornamentis convertebat in ſe omnium oculos. Vidimus cùm inferioris templi parietes & pavimentum obtegeret auro Salomon, quod & pariter inauraverit cœnaculum; quod idcirco idoneum fuit, ex quo emitteretur in univer-

ſum orbem Spiritus.

Dicat aliquis cœnaculum locus erat plebi interdictus, quomodo ergo potuiſſent in eo convenire; quin nec in illud penetrabant. Sacerdotes impercommixti erant plebi, quæ culpam contraxiſſet, ſi etiam caſu veſtes ſacras attigiſſet non commentum eſt Rabinicum. Dei lex eſt apud Ezechielem cap. 44. 19. de Sacerdotibus loquitur ille Propheta. *Cùmque egredientur*, inquit, *atrium exterius ad populum, exuent ſe veſtimentis, in quibus miniſtraverunt, & reponent ea in gazophylacio Sanctuarii, & veſtient ſe veſtimentis aliis; & non ſanctificabunt populum in veſtibus ſuis.* Ne populus, cui fas non eſt, veſtes ſacras tangens noxam contrahat; quod non effugiſſet penetrans, ſive iter faciens ad cœnaculum; nam culinæ Sacerdotum erant in iſta regione templi in poſtico ejus; ibi ergo frequentiores Sacerdotes occurrebant; & ita populi ſanctificati eſſent.

Ut hac propoſitâ difficultate non revocetur animus à noſtra ſententia adverte, Lector, in ichnographia poſtici templi viam in partibus meridionalibus & borealibus, quam ſignat elementum S, latam quinque cubitis. Illa deducebat ad gradum T & V, per quem ad cœnaculum populus aſcendebat; ſed ibi obſerva viam 5 decem cubitorum per quam Sacerdotes ibant ad culinas ſuas. Obſerva, inquam, viam S & gradus T T V V. Hancce viam populus inſiſtens pergebat ad poſticum ædis, ubi ſcalæ f h h quibus aſcendebant Iſraëlitæ ad cœnaculum impermixti Sacerdotibus; nam cœnaculum videtur proprius locus piis laicis; & ne viderentur proculcare ædem inferiorem; plura erant tabulata. Non terebant illud quod eſſet laquear ædis ſacræ, ſed aliud ſuperſtratum.

CAPUT XI.

De ædibus circumvicinis ædi ſacræ: de Area quâ circumdabatur, & de Sacerdotum culinis & lectis. Expoſitio Ezechielis.

SECTIO I.

Exponitur Ezechiel à verſu quinto capitis quadrageſimi primi uſque ad verſum decimum ubi de appendicibus ædis loquitur.

Ut finem dicendi faciam de templi ædificio, quæ de illo adhuc dicenda ſuperſunt hocce capite expediam; ea nempe quæ circa appendices ſacræ ædis coram oculis Ezechielis Angelus menſus eſt. Supponimus Prophetam deductum in iſtam aream, quæ pone eſt ædem; & hinc habet ædem; & ex altera parte ædificia, ubi erant culinæ Sacerdotum paſtophoria eorum, & etecæ. Quale fuerit illud ædificii genus quod dicebatur etecæ, infra exponam. Angelus, quoſdam parietes metitur, qui ad ædem pertinent.

5. *Et menſus eſt parietem domûs ſex cubitorum: & latitudinem lateris quatuor cubitorum undique per circuitum domûs.*

Parietum, quibus ædes continebatur, craſſitiem Angelus reperit ſex cubitorum, eamdem quam deprehenderat in pariete, in quo erat porta ædis. Ita omnium parietum craſſities habebat ſex cubitos. Protinus demetitur Angelus appendices ædis, quarum præcipua pars illæ coſtæ, quæ antæ, ſive anterides erant ædis. Meritò nomine coſtarum appellatæ: ut enim navis latera coſtis ligneis, & anima-

A lis pectus coſtis oſſeis; ita & domus hæc illis antis, ſive eriſmis ſuſtinebatur, quæ obſtabant ne trabium pondere & ipſâ ſuâ celſiori altitudine depreſſi muri ab invicem diſſilirent, atque panderentur. Poſtulabat, inquam, ſumma altitudo ædificii validas anteridas. In noſtrâ autem delineatione videre eſt ſingulas coſtas, quarum latitudo hîc deprehenditur quatuor cubitorum. Pes earum longus erat decem & octo cubitos, qui faciunt triginta pedes Pariſinos. Sic hinc indè validè fulciebatur ædes. Coſtæ autem illæ attingebant uſque ad cœnaculum.

6. *Latera autem latus ad latus, bis triginta tria.* Ibi Propheta init numerum הצלעות *tzelaoth* laterum, ſive coſtarum de quibus nunc ſermo eſt. Sic
B reddi poteſt fons. *Et coſtæ, coſta ad coſtam tribus & triginta vicibus.* Nomen quidem פעמים *peamim* haberi poteſt pro *pede, paſſu*; quâ in ſignificatione eo in loco Villalpandus illud accipit; & putat ab Ezechiele dictarum coſtarum, quas pro anteridibus habet, declarari latitudinem, quæ eſſet triginta trium pedum. Verum etiam ſi dictum nomen eo in ſenſu quandoque uſurparetur in Scripturis, ſed non eo in loco à Prophetâ quin ullibi pedem in menſuram adhibet. Potius decet accipere illud nomen in ſignificatione ſuâ frequenti, pro vicibus. Denotat Propheta diſtributionem aliquam, ſcilicet illas triginta tres coſtas ſic diſpoſitas, ut coſtæ unius lateris reſponderent coſtis alterius lateris. Triginta in meâ delineatione numerantur; quindecim in uno
C quoque latere: ita triginta in duobus lateribus, & in poſtico tres ſupponi poſſunt. In unoquoque latere tres ſunt cellarum ſeries: in unaquaque ſerie quinque cellæ ſunt; quot ſunt intervalla inter coſtas; quæ vacua cellis præbent locum, quæ in pavimento utriuſque lateris quinæ ſunt; ita cùm eſſet triplex earum ordo ſunt quindecim numero. Olim & numerabam 33 cellas, nempe quindenis cujuſque lateris, addebam tres alias in poſtico; ſed licet ſic interpretari Ezechielem ut illud *ter vicibus* indicet quòd coſtæ laterum non eſſent ſimplices; ſed una quæque in tres diſtinctas divideretur. Quinque erant in uno quolibet latere; ſed cùm illæ triplices
D conſtarent tribus coſtis, ſumma omnium erat triginta. Græca verſio habet: Καὶ πλευρὰ, πλευρὸν ἐπὶ πλευρὸν τριάκοντα τρὶς δίς. *Et latera latus ad latus triginta ter, bis.* Illud τρὶς *ter*, denotat triplicem fuiſſe quamlibet coſtam; illud verò δὶς *bis*, in duobus lateribus fuiſſe ſimiles coſtas. Vulgatus Interpres poſuit *bis triginta tria*, mutuans ex verſione Græcâ *bis* quod non reperitur in fonte Hebræo. Hocce additamentum turbat omnia. Pergamus tamen juxta hunc Interpretem proponere quod dicit Propheta.

Et erant eminentia, quæ ingrederentur per parietem domûs, in lateribus per circuitum, ut continerent & non attingerent parietem templi. Locus ille parallelus eſt loco Regum, quem expoſuimus ſu-
E prà; undè apertum eſt fieri ibi mentionem appendicum; quæ conſtabant primùm ex coſtis; quarum altitudo cùm creſceret, prout ædi erant proximiores, ſuſtinebant diverſa tabulata, ſcilicet tria in delineatione. Intervallum coſtarum faciebat diverſas cellas, ut vidimus. Cùm ergo tum tabulata, tum cellæ conſtituerentur à coſtis, Ezechiel ſolas coſtas ibi nominat. Sic fons exprimendus *Et venientes in pariete* qui *erat domui coſtæ* לצלעות *(ad coſtas) circum circa, ut eſſent apprehenſæ*, vel *ut hærerent.* Scilicet fulcientes domum veluti anterides, eriſmæ. *Et non apprehenſæ*, ſive non hærerent *in pariete domus.* Hærebant in coſtis, ſed non in pariete domûs. Paraphraſtes Chaldæus pro צלעות, ponit מחיצא, hoc eſt, aliquid exterius; ita interpretatur Prophetam de appendicibus. Nomen illud Chaldaïcum ſignifi-

cat etiam *plateam*, *tabulatum*. Unde Paraphrasis A illa sic reddita est. *Tabulata autem, tabulatum super tabulatum, triginta tria, undena per ordinem, defixa parieti intra tabulata per circuitum, ut capita trabium requiescerent super illud, quod eminebat, neque trabes penetrarent per parietes domûs.* Locum hunc Græci his interpretantur verbis. Καὶ πλευρὰ πλευρὸν ἐπὶ πλευρὸν τριάκοντα τρεῖς δίς· καὶ διάστημα ἐν τῷ τοίχῳ τοῦ οἴκου ἐν τοῖς πλευροῖς κύκλῳ τοῦ εἶναι τοῖς ἐπιλαμβανομένοις ὁρᾷν, ὅπως τὸ παράπαν μὴ ἅπτωνται τῶν τοίχων τοῦ οἴκου. *Et latera, latus ad latus triginta trium bis; & intervallum in pariete domûs in lateribus per circuitum, ut essent apprehendentibus ad videndum, ut omnino non attingerent parietes domûs.* Hujus loci cùm scribæ non viderent sensum, malè forsan eum exscripse- B runt; sicut & Interpretes, qui cùm rem non haberent satis perspectam, claro eam sermone exprimere non potuerunt. Versio Syriaca videtur clarior: *Et quidem costæ erant costa super costam triginta tribus vicibus; & ingrediebantur hæ costæ in parietem domûs circumquaque, ita ut firmæ quidem essent, sed separatæ à pariete.* His omnibus conveniunt delineationes nostræ; saltem non adversantur.

7. *Et platea erat in rotundum: ascendens sursum per cochleam, & in cœnaculum templi deferebat per gyrum: idcirco latius erat templum in superioribus: & sic de inferioribus ascendebatur ad superiora in medium.* Lux petenda huic loco ex descriptione tabulatorum, quæ circuibant totam ædem usque ad superiora ejus, id est, ad cœnaculum. Tria erant C tabulata; quæ, ut videre est in sequentibus delineationibus, totam ædem circumdabant; superiora tabulata erant latiora inferioribus. Cuique costæ respondebat costa parallela; parallelas verò costas transversæ trabes sic committebant ut has costas pertransirent, & in illis residerent, nec attingerent parietem ædis sacræ. Erant tria tabulata L L M M N N Fig. 2. quæ crescebant surgendo; inferius enim latum erat solummodo quinque cubitis, secundum sex cubitis, ultimum latius, quippe septem cubitorum.

Jam paulò clariora erunt verba originalia Prophetæ, quæ sic ad verbum reddi possunt. *Et dilatabatur & circuibat desuper, desuper costas, quia* D *circumdata domus desuper, desuper circum circa domui.* Aperta descriptio tabulatorum; quæ erant supra costas & totam ædem circumdabant; qualia ista exhibemus. Vulgatus Interpres non legebat מוסב *musab*, id est, circumdata sed מסבה *mesiba*; quâ voce vidimus significari à Judæis ascensum cochlearem; quia gradus scalares circumdarent domum; neque enim in unicâ turri includebantur, ut in scalis cochlearibus hodiernis. Mox in fonte sequitur: *Idcirco latitudo domûs ad superius*; erat nempe latitudo, sive tabulatum, sive tabulata, quibus ad superius ascenderetur: *Et sic inferius ascendebat super superius ad medium*; nempe ex tertio tabulato & infimo, per medium ascendebatur ad ter- E tium. Nullus est dubitandi locus, quin ibi sermo fiat à Prophetâ de tabulatis illis tribus, quæ costis innitebantur, & circuibant totam domum. Videre est has costas utcumque repræsentasse funes, quibus Tabernaculum confirmabatur adversùs ventorum vim.

8. *Et vidi in domo altitudinem per circuitum, fundata latera ad mensuram calami sex cubitorum spatio.* Dum Angelus versaretur in his tabulatis, mensurat latitudinem eorum. Sensus esse potest: cùmque ædis altitudinem spectarem, nempe costarum, quarum summitas erat ipsa latitudo tabulati superstructi, tunc versans in medio tabulato, deprehendi quod fundamentum costæ secundæ, sive latitudo hujus tabulati esset sex cubitorum. Nulla circumstantia est quæ nos doceat Angelum tunc temporis versatum in secundo tabulato. Omnes costæ pares erant quo ad latitudinem, nempe quatuor habebant cubitos. In fonte nomen אצילה, cui in Latinâ editione respondet *spatio*, reddi potest *usque ad alam*, id est, usque ad pleroma, sive pinnaculum hujus secundi tabulati, quod ut alia habebat pinnaculum nempe quidpiam quod illi esset instar pennarum, sive alarum. Tabulatum medium excepto suo pinnaculo erat latum sex cubitis, quæ mensura erat fundamenti costæ secundæ. In Græcam versionem irrepsit nomen θραὴλ *Thrael*, *quod nescio quid significat apud illos*, inquit Hieronymus. *In Hebræo legitur* ואיתי, *quod nos & cæteri transtulerunt* ET VIDI. Forsan aliter locus ille olim legebatur. Sed ut confessus sum non liquet tunc Angelum fuisse in secundo tabulato, & illud mensurasse. Solummodo constat ibi fieri sermonem de tabulatis, & quæ sequuntur respiciunt infimum tabulatum.

9. *Et latitudinem per parietem lateris forinsecùs quinque cubitorum: & erat interior domus in lateribus domûs.* Ad verbum: *latitudo parietis qui costæ ad extra, quinque cubitorum.* Interpretor hæc de infimo tabulato; ut sit sensus: latitudo, sive crassitudo parietis costæ, qui erat extrinsecùs; sive extra costam secundi tabulati, erat quinque cubitorum; quod de infimo tabulato constat. Paries costæ, ipsa est costa. Metitur Angelus illam costam, quæ exterior erat. Hujus autem parietis mensuram, nempe longitudinem ostendebat summitas ejus, nempe tabulati latitudo; nam costarum latitudinem abscondebat. Ex his duabus costis poterant intelligi dimensiones tertiæ costæ; quam idcirco Angelus non satagit mensurare. Explorat autem magnitudinem cellarum, quæ erant in intervallo duarum costarum. Id, ut videtur, significat Propheta verbis sequentibus. *Et erat interior domus in lateribus domûs.* In fonte; *Et quod derelictum domûs appendicum quod intrinsecùs.* In Græcâ versione Καὶ τὰ λοιπὰ ἀναμέσον τῶν πλευρῶν τοῦ οἴκου. *Et reliqua quæ inter latera domûs.* In Paraphrasi Chaldaicâ. *Et locus relictus in loco tabulatorum intrinsecùs.* Hæc, ut mihi videntur, respiciunt intervalla, quæ erant relicta inter costas. Hæc omnia à se visa significat Angelus; & relinquit eorum mensuras æstimandas. Si quis sagacior sit, ultrò palmam concedam.

SECTIO II.

Ezechiel in decimo versu usque ad decimum septimum capitis quadragesimi primi, loquitur de ædificiis, & areis ædi sacræ vicinis.

ATtentis oculis, Lector, perlustra ichnographiam ædis & appendicum ejus. Facies ejus est centum cubitorum; & posteriorum partium ejus, latitudo septuaginta cubitorum. Hinc indè area est Q Q, quam interiorem appello; in quâ lorica quæ excludebat multitudinem à Sacerdotibus. Inter loricam & pastophoria via est S quinque cubitorum; quâ populus poterat pergere, ut diximus, ad cœnaculum, nec viam pergendo attingere Sacerdotes sacris vestibus indutos. Gazophylaciorum autem latitudo censeri potest quinquaginta cubitorum; sed huic latitudini adscribere oportet opus menianum, sive aerium quinque cubitorum quod projicitur super aream interiorem Q Q.

10. *Et inter gazophylacia latitudinem viginti cu-*

bitorum in circuitu domûs undique.

Hæc gazophylacia הלשכות *halesachoth*, non alia sunt, quam quibus cingebatur ista area interior in quâ sita ædes sacra cum appendicibus suis. Metitur ergo Angelus intervallum illud quod erat ab appendicibus ædis usque ad proxima conclavia, sive gazophylacia, sive cubicula. Græci hîc habent Καὶ ἀναμέσον τῶν ἐξεδρῶν εὖρος πηχῶν εἴκοσι, τὸ περιφερὲς τοῦ οἴκου τῷ κύκλῳ. *Et inter exhedras, latitudinem cubitorum viginti, circumferentiam domui in circuitu.* Sed id facessit negotium quòd Propheta agnoscat istam latitudinem *in circuitu domûs undique.* Post tergum autem ædis juxta Thalmudicos erat spatium tantummodo cubitorum undecim, quod Ezechielis dimensiones non ferunt. Nullus Scripturæ locus ostendit fuisse in latere occiduo ulla gazophylacia; ita illud fontis סביב סביב accipi debet pro *hinc indè.* Posticum & appendicum ædis latitudo est 70 cubitorum. Et viginti cubiti hinc indè in area interiori, in quibus complector decem cubitos utriusque operis meniani, quod projiciebatur super aream interiorem faciunt centum cubitos, quos ichnographia templi habet. Non dubito quin istâ areâ repræsentatam voluerit Salomon aream pariter viginti cubitorum, quæ erat in lateribus Tabernaculi.

11. *Et ostium lateris ad orationem: ostium unum ad viam Aquilonis, & ostium unum ad viam australem: & latitudinem loci ad orationem, quinque cubitorum in circuitu.*

Quærendum primò quid sit illud latus צלע. Vidimus hac voce costam designari; sed ibi est in singulari numero, & cum literâ ה præpositâ, quæ vim nominis auget; ut הצלע significet præcipuam aliquam costam; cujus, ut mihi videtur; ostium nominatur in tertio Regum cap. 6. v. 8. ut hoc loco פתח הצלע *ostium lateris.* Per illud juxta Judæos intrabatur in locum vacuum, ubi scala erat. Forsan indicat Ezechiel ostium ad scalas cœnaculi, in quo Judæi orationi vacabant. Vulgatus Interpres olim legebat מנחה quod in Scripturâ primitus significat *oblationem;* sed invaluit apud Judæos ut sumatur pro illâ oblatione quæ fiebat vesperè; undè significabat tempus orationis vespertinum. Deduci potest à נוח *quiescere.* Dictum cœnaculum locus erat quietis, in quo quieti longè à tumultu orabant viri pii. Nunc legitur, & olim Græci Interpretes legebant למנח *derelicto* ἐπὶ τὸ λεῖπον *ad derelictum;* nec aliter Paraphrastes Chaldæus. Derivari potest מנח à verbo ינח *dimittere, relinquere.* Et cœnaculum locus erat derelictus qui cedebat viris religiosis, ut Deum colerent. Olim credebam locum derelictum statuendum ad humeros templi, in illis exhedris quæ erant anterides vestibuli ædis, & quasi humeri ejus. Sic has exhedras nominat Josephus lib. 6. de Bello cap. 6. ὥσπερ ὤμοι παρ' ἑκάτερον εἴκοσι πήχεις διέβαινον. *Frons templi veluti quibusdam humeris utrinque vicenis cubitis producebatur.* Per illa autem ostia, quæ notant literæ p p, ingressus erat in hunc locum derelictum M M. Græca versio mihi favet. Καὶ αἱ θύραι τῶν ἐξεδρῶν ἐπὶ τὸ ἀπόλοιπον τῆς θύρας τῆς μιᾶς τῆς πρὸς βορρᾶν, καὶ ἡ θύρα ἡ μία πρὸς Νότον. καὶ τὸ εὖρος τοῦ φωτὸς τοῦ ἀπολοίπου πηχῶν πέντε πλάτος κυκλόθεν. *Et portæ exhedrarum ad reliquum, portæ unius quæ ad Aquilonem: & ostium unum ad austrum, & latitudo luminis* (in fonte loci) *reliqui cubitorum quinque latitudo in circuitu.* Circumquaque locus relictus cubitos quinque latus est S S.

12. *Et ædificium, quod erat separatum, versumque ad viam respicientem ad mare, latitudinis septuaginta cubitorum. Paries autem ædificii, quinque cubitorum latitudinis per circuitum: & longitudo ejus nonaginta cubitorum.*

Ambigua est illa versio; recurrendum necessariò

A ad fontes. *Et ædificium ad facies* הגזרה haghiserah, *angulo viæ maris*, id est, respiciens mare, *latitudinis septuaginta cubitorum.* His primùm immoremur, reliquam partem versiculi postea satagemus exponere. בנין *bineian* ædificium quidem significat; sed & indicat peculiarem structuram parietis, quo fieret separatio quædam, ut discimus a Græcis Interpretibus sacri codicis, à quibus *bineian* redditur semel προτείχισμα *propugnaculum, antemurale, lorica* quæ proponitur in vertice murorum. Sæpiùs διορίζον *separans;* quod nomen ejusdem est significationis, quatenus septum indicat & loricam, quâ terminatur separatio. Liquet ibi sermonem fieri à Prophetâ de aliquâ separatione. *Et ædificium quod erat*
B *separatum versumque ad viam respicientem ad mare.* In fonte & *bineian* quæ ad faciem *hagizra.* Quærendum qui sit ille locus, sive quid הגזרה *haghizrah.* Nomen illud venit à גזר, quod est *secare, finire.* גזרה *ghizerah* est *segmentum, septum.* Paraphrastes Chaldæus accipit pro septo. Nomen illud à Græcis redditur ἀπόσπασμα *avulsio*, διάστημα *spatium*, ἀπόλοιπος *reliquus;* ut non latere possit quis sit ille locus, quem nunc Angelus metitur. Jam innui ex illâ areâ, in quâ ædes erat ædificata cum suis appendicibus, fuisse loricam; quæ inter se & gazophylacia relinqueret spatium quinque cubitorum. Ghizerah Ezechielis est illud spatium derelictum & lorica; quæ apud Josephum nominatur γεῖσος. Nomen illud reperitur in Græcâ versione scriptum γεῖσος,
C forsan primò dictum γείσορος; ut sit ipsa vox Hebraica. De istâ etymologia disseruimus in libro quinto. Metitur ibi Angelus faciem illam posteriorem ædis, & appendicum ejus, quæ respiciebat loricam occiduam. Notum *Mare* designare in Scripturis plagam occiduam; quia respectu Judææ & Hierosolymarum, mare erat ad illam plagam. Faciem posticam ædis & appendicum ejus reperit septuaginta cubitorum, quam latitudinem suprà adstruximus.

Reliquam partem versiculi exponamus. *Paries autem ædificii quinque cubitorum latitudinis per circuitum; & longitudo ejus nonaginta cubitorum.* Paries ille ædificii dicitur in fonte קיר הבנין. Modò vidimus בנין *beneian* significare *loricam septum.* Ibi
D ergo loquitur Propheta de loricâ, cujus paries non erat crassus quinque cubitis; sed indicat totam latitudinem, quam decerpebat inter se & gazophylacia; qui locus dicebatur derelictus. *Et longitudo ejus nonaginta cubitorum*, nempe hujus loci derelicti V b ab V inter gazophylacia & loricam longitudo est præcisè nonaginta cubitorum; nam via S S decerpebat ex cubitis centum gazophylaciorum cubitos decem.

13. *Et mensus est domûs longitudinem, centum cubitorum: & quod separatum erat ædificium, & parietes ejus, longitudinis centum cubitorum.* Metitur Angelus longitudinem ædis ab Oriente ad Occidentem; & deinde ab Aquilone ad Austrum. In
E fonte: *& mensus est domum: longitudo ejus centum cubitorum.* Murus vestibuli quinque cubitorum, vestibulum ipsum decem, murus ædis sex, Sanctum quadraginta, paries intergerinus duo cubiti, Sanctum Sanctorum viginti, paries ædis occiduus sex, & appendices undecim cubitorum, faciunt præcisè centum cubitos. Pono in posticâ parte ædis costas, quarum latitudo à pariete templi versùs Occidentem est sex cubitorum. Spatium f quinque cubitorum est, supra quod aliquod tabulatum potuit projici; ut videre est in delineatione. In fonte: *Et haghizerah & ædificium & parietes ejus longitudo centum cubitorum.* Videlicet latitudo ædis & appendicum ejus, jam deprehensa fuit septuaginta cubitorum.

cubitorum. His adde latitudinem areæ, quæ erat inter geiſon, ſive loricam & appendices, nempe hinc indè quindecim cubitorum; deprehendentur centum cubiti longitudo totius ædificii, & ſegmentorum areæ quam terminabat ghizerah.

14. *Latitudo autem ante faciem domûs & ejus quod erat ſeparatum contra Orientem, centum cubitorum.* In fonte, *Et latitudo facierum domus & haghizerah ad Orientem centum cubitorum.* Intelligere decet faciem orientalem ædis, & humeros ejus qui reſpondebant huic parti, quæ *ghizerah* appellatur, & reſpondet exhedris M & M. Eadem eſt menſura.

15. *Et menſus longitudinem ædificii contra faciem ejus, quod erat ſeparatum ad dorſum: ethecas ex utrâque parte centum cubitorum: & templum interius, & veſtibula atrii.* Revertitur Angelus ad poſteriora templi; poſteriora intelligo, ea omnia quæ erant ponè faciem orientalem ædis; jam enim menſus eſt poſticum; nunc metitur illa gazophylacia quæ reſpiciebant latera appendicum. Fontem licet ſic exprimere. *Et menſus eſt longitudinem ædificii ad faciem ghizerah, quod ſuper poſteriora ejus.* Nempe ædificiorum quæ ſeptum & area ſeparabant ab appendicibus. *Et ethecas ejus hinc & indè*; quæ erant tum in latere boreali, tum in auſtrali, & reperit hæc ædificia longa eſſe centum cubitis. Et menſus eſt *templum interius & veſtibula atrii.* Omnia ſcilicet Propheta menſus eſt. Quid ſint èthecæ, quas ille nominat; quod ædificii genus, quæram articulo ſequenti.

16. *Limina & feneſtras obliquas, & ethecas in circuitu per tres partes, contra uniuſcujuſque limen, ſtratumque ligno per gyrum in circuitu: terra autem uſque ad feneſtras, & feneſtræ clauſæ ſuper oſtia.* Videlicet hæc omnia menſus eſt Angelus, limina, feneſtras obliquas, id eſt, clauſas, ſive potius cancellatas, ut ſuo loco dictum eſt, & ethecas, quæ erant pergulæ aeriæ, ut dicturi ſumus. Harum ethecarum triplex ordo erat. Fons habet, *Et ethecas in circuitu in tribus ipſis.* Mox exponemus quæ ſint illa tria. Illud autem: *contra uniuſcujuſque limen ſtratumque ligno per gyrum in circuitu* non attinet ad ethecas: ſed, ut mihi videtur, Propheta voluit indicare omnia quæ eſſent *contra*; nempe conſpicua, נגד *coram*, hæc fuiſſe ligno operta à terra, ſive à pavimento uſque ad feneſtras. Quin & ipſæ feneſtræ, ſive ornamenta feneſtrarum omnia ligno ſuper inducta erant, ut lapis non apparere poſſet. Sic hunc locum intellexere Græci Interpretes. Καὶ ὁ οἶκος καὶ τὰ πλησίον ἐξυλωμένα κύκλῳ, καὶ τὸ ἔδαφος, καὶ ἐκ τοῦ ἐδάφους ἕως τῶν θυρίδων. *Et domus & ea quæ proxima erant, ſtrata ligno per circuitum, & pavimentum, & de pavimento uſque ad feneſtras.*

17. *Et uſque ad domum interiorem, & forinſecùs per omnem parietem in circuitu intrinſecùs, & forinſecùs ad menſuram.* In fonte: *ſuper deſuper oſtium & uſque ad domum interiorem, & forinſecùs & in omni pariete circumcirca in interiori & exteriori juxtà menſuras*, id eſt, convenientiſſimè. Omnia tabulatis ligneis operta erant; undè facilè ignis corripuit templum, cùm huic Chaldæi flammas ſubjecerunt.

SECTIO III.

Quid ſint ethecæ? Quod ædificii genus? Expoſitio Ezechielis à primo verſu capitis 43. uſque ad decimum quintum.

Hic deſpondent omnes ferè Interpretes. *Cætera in hoc capite ingenioſiori Lectori expendenda relinquimus*; ait Munſterus. *Nam quaſdam habet difficultates inſuperabiles, ut & Kimhi hic ſcribit: Ego non potui intelligere ædificium horum leſachoth, Sed & R. Salomo, qui commentatus eſt in totum Talmud, non putat extare, quod hujus adjuvet intelligentiam; undè confitetur ſe neque ſuopte ſtudio, neque operâ alterius quicquam conſecutum, quo ædificium iſtud perſpicaciùs intelligeret. Dicit etiam ſe neſcire quid propriè fuerit* אתיק. Uſurpatam illam vocem *athic* jam vidimus; derivatur illa à verbo נתק *nathac*, hoc eſt, *abrupit, rupit, diſrupit, avulſit*; ut *athic* ſit *avulſio*, ſive certum opus avulſum, & ſeparatum. Aliquando Interpretes, ut B. Hieronymus, Latinis tantùm caracteribus exprimunt hanc vocem, ſcribentes *etheca.* Græcis Interpretibus ſonat diverſimodè ὑπόφαυσις *ſubdiluculum*, στοὰ *porticus*, ἀπόλοιπον *reliquum* redditur ab illis; à Chaldæo Paraphraſte זויא *tziveia*, id eſt, *angulus*; ubi Pagninus ſtatuit ex melioribus exemplaribus legendum זיזיא *tzizaia*; quæ vox tabulas ex pariete prominentes ſignificat; videlicet ſolaria de cœnaculorum parietibus eminentia; ut dicit B. Hieronymus ad hunc locum. *Ἐκθέτας autem Romæ appellant ſolaria de cœnaculorum parietibus eminentia, ſive meniana ab eo, qui ea primus invenit, quæ nonnulli Græcorum vocant* ἐξώστας.

Cùm hæc area, ubi ſacra ædes ſita, non multùm pateret, lata tantùm viginti cubitis; ut illa liberiori aere frueretur, neceſſarium fuerat prout ædificia oppoſita ſurgerent, ea à ſe invicem recedere, ſive gradatim ſurgere. Hoc demonſtratum eſt de appendicibus ædis: ſuperioriora cubicula contrahebantur, & recedebant. Hoc etiam factum opinor in gazophylaciis, ſive conclavibus, quæ erant è regione appendicum. Gazophylacia 4. contrahebantur prout ſurgebant. Inferius ſub tecto ſuo latum erat quadraginta quinque cubitorum; ſed tectum ejus, ſive ſecundum tabulatum propter projecturam ſuam, erat quinquaginta cubitorum. Secundi gazophylacii minor erat latitudo; quæ minuebatur in ſupremo, ut in delineatione videre eſt. Hac factâ hypotheſi, concipi poſſunt quæ Propheta ſubjicit

1. *Et eduxit me in atrium exterius per viam ducentem ad aquilonem, & introduxit me in gazophylacium, quod erat contra ſeparatum ædificium, & contra ædem vergentem ad Aquilonem.*

Egreditur Propheta cum Angelo ex areâ, ubi ſita ædes ſacra, ſive ex atrio interiori in quo ædificata ædes, & iter tendens versùs atrium exterius ingreditur in gazophylacia, ſic diſpoſita ut ex uno latere reſpicerent *hagizerah*, ſeptum illud quo ædes cingebatur; ex alio autem latere ſpectabant *ædem vergentem ad Aquilonem.* In fonte: contra הבנין *habinian ad Aquilonem.* Haghizerah & habinian videntur indicare tum loricam, tum & aream puram, quæ decerpebatur.

2. *In facie longitudinis, centum cubitos oſtii Aquilonis: & latitudinis quinquaginta cubitos.* Gazophylacium illud, de quo quæſtio, in facie ſuâ, ſive aperturâ ſuâ versùs aquilonem habebat centum cubitos in longitudine, & quinquaginta in latitudine. Delineationes noſtræ exhibent in utroque latere appendicum ædis duo gazophylacia 44. & 11 hujuſce menſuræ. Sed horum latitudo menſuranda eſt

non in pavimento, ſed in tabulato primo, cujus tabulæ eminebant uſque ad quinque cubitos; opus enim erat menianum, ſive habebat pergulam projectam, Gallicè *des balcons*. Videre eſt non aditum patuiſſe in hæc gazophylacia ex atrio interiori: ideò flectit iter Angelus ad atrium exterius, ut in illa intraret, quorum aperturæ reſpiciebant Aquilonem.

3. *Contra viginti cubitos atrii interioris, & contra pavimentum ſtratum lapide atrii exterioris, ubi erat porticus juncta porticui triplici.*

Situs ejuſdem gazophylacii indicatur. Reſpondebat hæc areæ puræ viginti cubitorum ad latus aquilonare ædis ſacræ; quæ area pars erat atrii interioris. Altera verò facies hujus gazophylacii reſpiciebat pavimentum atrii exterioris. In illo autem gazophylacio erat *porticus juncta porticui triplici*. In fonte *Athic ad Athic in tribus*. Nempe triplex ordo *athichim*. Horum *athichim* formam exhibuimus. Sicut tabulata appendicum contrahebantur in ſuperioribus; ita & in hoc gazophylacio: ut in unoquoque ordine relinqueretur ſolarium. Sic appellabant Romani menianum opus, ſive prominentes, ut diximus, tabulas, in quibus homines ſolebant apricari.

4. *Et ante gazophylacia deambulatio decem cubitorum latitudinis, ad interiora reſpiciens viæ cubiti unius. Et oſtia eorum ad Aquilonem.* In fonte, *Et ad facies gazophylaciorum erat deambulatio* πλάτους *decem cubitorum*. Nam menianum opus, quod reſpondebat longitudini gazophylaciorum erat latum decem cubitis. Addunt Græci, quod ab Hebræo codice abfuiſſe B. Hieronymus obſervat, *per centum cubitos* πλάτους πηχῶν δέκα, τὸ πλάτος ἐπὶ πήχεις ἑκατὸν τὸ μῆκος. Certe quidem illud ambulacrum diſpoſitum erat ſecundùm longitudinem gazophylaciorum. Sed quid illud: *ad interiora reſpiciens viæ cubiti unius*, ſive ut fons poteſt reddi: *ad interius via cubiti unius?* Quod in hanc partem aliqui accipiunt, ut illud deambulatorium reſpexerit atrium interius, & uno cubito prominuerit; quippe proſiliebant uno cubito trabes, quibus incumbebat hoc deambulacrum. Ego verò crederem fontem hîc perturbatum à Librariis; & veriorem eſſe eam lectionem, quam expreſſerunt Græci ſenes. Ibi habent, ἐπὶ πήχεις ἑκατὸν τὸ μῆκος, in cubitos centum longitudo. Ita legerunt פני אמות מאת. Nunc in codice eſt הפנים דרך אחת. Totum hunc locum permutavêre amanuenſes. Antiqua lectio Græcorum apertior eſt. Repetit Propheta aperturas, ſive portas horum gazophylaciorum fuiſſe ad Aquilonem; ut in hæc deambulatoria, quæ erant ex adverſo ædis, nemo veniret, niſi qui primùm divertiſſet ad Aquilonem.

5. *Ubi erant gazophylacia in ſuperioribus humiliora: quia ſupportabant porticus, quæ ex illis eminebant de inferioribus, & de mediis ædificii.* In fonte, *& ſuperiora leſachoth*, id eſt, cubicula, conclavia *breviora*. Cauſa aperta eſt; quia portio ex illis quaſi avulſa erat. Videlicet ibi erant *Athichim*, ſolaria, quæ portionem cubiculorum capiebant; ut liquido dicitur in fonte, *quia capiebant athichim ex ipſis ex inferioribus & mediis*. Gazophylacia illa habebant tria tabulata; & in unoquoque erant *athichim*, ſolaria, deambulacra, quæ prout ſurgebat ædificium, retrahebantur.

6. *Triſtega enim erant, & non habebant columnas, ſicut erant columnæ atriorum: propterea eminebant de inferioribus & de mediis à terrâ cubitis quinquaginta.*

Gazophylaciis triſtegis, ſive tria tabulata habentibus proprium erat diſcrimen; quod ut cætera non haberent columnas versùs illud atrium interius, de quo nunc agitur. Alia præcincta erant periſtyliis; ſed hæc habebant deambulacra pendula, quæ projiciebantur nullis columnis ſuffulta, qualia ſunt opera quæ *meniana* appellantur. Illa Vulgatæ verſionis: *propterea eminebant de inferioribus & de mediis à terrâ*. Illa, inquam, mutari poſſunt in hæc verba, quæ fonti magis conſentanea ſunt. *Propterea retractum eſt ab inferioribus & à mediis à terrâ*. Prout ſurgebat ædificium, retrahebatur. Abeſt autem à textu originali, à verſione Græcâ, & à Chaldaicâ Paraphraſi illud quod infarſit Vulgatus Interpres: *cubitis quinquaginta*. Forſan irrepſit illud additamentum ex ſequenti verſiculo, cui aptè convenit.

7. *Et peribolus exterior ſecundùm gazophylacia, quæ erant in viâ atrii exterioris ante gazophylacia: longitudo ejus quinquaginta cubitorum.* Ibi Ezechiel opus haberet vate; quia, ut diverſæ lectiones ſuadent, ægri ſunt ejus codices à ſocordi manu Librariorum. *Peribolus* ille in Hebræo codice nominatur גדר *ghader*; in Græcâ verſione φῶς lumen. Poſtquam diu anceps fluctuavit animus, tandem in eam abivit ſententiam, quòd deſcriberetur ſepimentum cujuſdam viæ, quâ ex atrio interiori, ubi ædes ſacra, iretur in atrium exterius, quam viam deſignat elementum 5. *Ghader* eſt *maceria, ſeptum, murus, paries*. Illa autem interior aperiebatur aliquâ aperturâ; & hoc eſt quod Græci forſan voluerunt ſignificatum, utentes voce φῶς *lumen*. Hoc autem ſeptum, hic paries oſtendebat menſuram gazophylaciorum ex hac parte: ſecabat enim illa; ut hîc dicitur. *Et maceria quæ forinſecùs*; quæ ſcilicet deducebant ad atrium exterius, *contra* vel juxta gazophylacia, de quibus nunc ſermo eſt *viâ atrii exterioris ad facies gazophylaciorum, longitudo* ejus *quinquaginta cubitorum*. Nempe hæc via erat ſecundùm gazophylacia quæ ſecabat; & iſta via erat quinquaginta cubitorum; quia hæc pars gazophylaciorum, nempe ſectio eorum, & latitudo erat tot cubitorum, ut mox ſubditur.

8. *Quia longitudo erat gazophylaciorum atrii exterioris, quinquaginta cubitorum: & longitudo ante faciem templi, centum cubitorum.*

Quomodo eadem gazophylacia in facie habebant centum cubitos; & in alterâ facie quinquaginta cubitos? Hoc non concipitur, niſi dicatur iſta facies quinquaginta cubitorum, quæ propriè erat latitudo eorum, reſpondiſſe maceriæ, quæ deducebat ad atrium exterius. Aliter legebant Græci. Καὶ αὗταί εἰσιν αἱ ἀντιπρόσωποι ταύταις. τὸ πᾶν πηχῶν ἑκατόν. Et hæc ſunt contra faciem: omnes cubitorum centum. Pro ההיכל *hahekal* templum, legebant הכל *hakol*, id eſt, πᾶν omne.

9. *Et erat ſubter gazophylacia hæc introitus ab Oriente ingredientium in ea de atrio exteriori.* Cùm quis ex atrio exteriori ingrederetur in aulam interiorem, ubi ſita ædes ſacra, poſtquam emenſus erat viam 5. quæ, ut diximus, erat ſubter gazophylacia; ſi progrederetur, ibat ab Oriente, tergum obvertens Orienti incedens circa hoc ſeptum, quod *ghezira* appellatur, viâ S quinque cubitorum.

10. *In latitudine periboli atrii, quod erat contra viam orientalem, in faciem ædificii ſeparati, & erant ante ædificium gazophylacia.* Fons hæc habet. *In latitudine ghader*, id eſt, maceriæ, *atrii viæ orientalis ad facies haghizera*, nempe ſepti, quod terminabat aream, ubi ædes ſacra. *Et ad facies ædificii leſachoth gazophylacia*; ubi nempe appendicibus templi reſpondent gazophylacia. Saltem hæc, quæ dicimus, ſecum cohærent; ergo veriſimilia: ſed non ideo contenderem vera eſſe. Olim iſtam maceriam *ghader*, circa quam præcipua in hoc loco difficultas

est, collocabam in ipso atrio exteriori; quod in partes divideret. A Sed ista opinio non ita concors est cum verbis Prophetæ, quorum aliqua potuerunt excidere ex ejus codice; indè obortæ tenebræ. Propheta à septentrionali parte ad australem deducitur; ubi omnia paria reperit.

11. *Et via ante faciem eorum, juxta similitudinem gazophylaciorum, quæ erant in viâ Aquilonis: secundùm longitudinem eorum, sic & latitudo eorum: & omnis introitus eorum, & similitudines & ostia eorum.*

Eadem omnium ratio in gazophylaciis illis australibus ac borealibus.

12. *Secundùm ostia gazophylaciorum, quæ erant in viâ respiciente ad Notum: ostium in capite viæ:* B *quæ via erat ante vestibulum separatum per viam orientalem ingredientibus.* Sic vertitur fons. *Et sicut ostia lesacboth* cubiculorum, gazophylaciorum *quæ* via Austri, *ostium in capite via, via in faciebus ghader* maceriæ *elegantis, via Orientis in ingrediendo ipsa.* Pro הגינה *elegantis*, videntur Græci legisse הקנה καλάμου.

13. *Et dixit ad me: gazophylacia Aquilonis, & gazophylacia Austri, quæ sunt ante ædificium separatum: hæc sunt gazophylacia sancta: in quibus vescuntur Sacerdotes, qui appropinquant ad Dominum in Sancta Sanctorum: ibi ponent Sancta Sanctorum, & oblationem pro peccato, & pro delicto: locus enim sanctus est.* C

Hæc australia & aquilonaria gazophylacia, quæ sunt *ante ædificium separatum.* In fonte, *ante haghizera* nempe in lateribus ædis sacræ, sancta sunt, & in his vescuntur Sacerdotes, qui propinqui Domino, videlicet qui funguntur ministerio in suis vicibus; manducabunt *sanctificationes sanctificationum*, id est, res sanctissimas. Sensus est Hebræi codicis; neque enim Sacerdotes appropinquabant, sive intrabant *in Sancta Sanctorum*; quod videtur dicere Latinus Interpres. *Ibi ponent*, id est, reponent in his gazophylaciis *Sancta Sanctorum*; meliùs *sanctificationes sanctificationum*, id est, res sanctissimas; nempe carnes horum sacrificiorum, quæ dicuntur *haminecha* oblatio, *peccatum*, id est, τὰ περὶ ἁμαρτίας D sacrificium pro peccato & delicto; quia locus sanctus, in quo hæc omnia sacrificia comedenda esse lex præcipit in Levitico cap. 6. v. 26. In *athichin*, nempe in his solariis, Sacerdotes comedere poterant eodem modo, quo olim in istâ areâ, cujus in medio positum erat Tabernaculum: ut perindè ac in istâ areâ in conspectu Tabernaculi sub dio coram Domino, ut loquitur Scriptura; sic & pariter in conspectu Domini, sive ædis sacræ comederent Sacerdotes.

14. *Cùm autem ingressi fuerint Sacerdotes, non egredientur de Sanctis in atrium exterius: & ibi reponent vestimenta sua, in quibus ministrant, quia sancta sunt: vestienturque vestimentis aliis, & sic* E *procedent ad populum.*

Quoniam hæc gazophylacia sancta sunt, Sacerdotes dum in illis commorabuntur, indutos decet esse vestibus, quæ suo ordini congruant; quibuscum vestibus non egredientur in atrium exterius, ubi vulgus.

15. *Cumque complesset mensuras domûs interioris, eduxit me per viam portæ, quæ respiciebat ad viam orientalem: & mensus est eam undique per circuitum.*

Hæc demonstrant non immeritò nos interpretatos esse Ezechielem de ipsâ sacrâ æde, appendicibus ejus & proximis gazophylaciis: cætera suo loco exposita sunt.

SECTIO IV.

Expositio versuum 19. & 20. capitis 46. Ezechielis. De loco culinarum ubi Sacerdotes coquebant carnes sanctas.

INsistimus quidem vestigia Angeli, qui Ezechielem quasi manu deducebat; sed non eodem temporis ordine, ut præmonuimus. Alia est enim nostra conditio, qui non vidimus templum Hierosolymitanum; alia Ezechielis, qui illud frequentaverat. Tenemur ergo ita res ex ordine considerare, ut priùs in illas convertamus oculos, quæ notæ deducant in scientiam magis abditarum. Videlicet is ordo servandus, quo ipsum templum perlustrandum esset novo & curioso hospiti, qui intra illud admissum fuisset. Ergo etiamsi Angelus, quem vidimus articulo superiori metientem appendices ædis sacræ & areas, vicinaque gazophylacia, his egrediatur locis, paulisper tamen adhuc immorabimur; quia ibi restant advertendæ culinæ Sacerdotum. Illæ necessariæ erant intra intimius septum. Neque enim licebat Sacerdotibus extra sibi destinata atria comedere carnes sanctas; quæ & iisdem in locis erant coquendæ. Disertis verbis harum culinarum sedem indicat Ezechiel, nempe gazophylacia Aquilonis Sacerdotalia, & horum partem occiduam. Non dicit Propheta in altero latere meridiano fuisse similes culinas; attamen propter ingentem numerum Sacerdotum in festis solemnibus verisimile est latus meridianum suis culinis non caruisse. Expressimus illas in nostrâ delineatione. Si quis credat nullas fuisse, nisi aquilonares, transverso calamo deleat meridianas. Loquitur Propheta cap. 46.

19. *Et introduxit me per ingressum, qui erat ex latere portæ, in gazophylacia Sanctuarii ad Sacerdotes, quæ respiciebant ad Aquilonem: & erat ibi locus vergens ad Occidentem.*

Satis luculenter designat Propheta quâ viâ deductus sit in hunc locum, ubi erant culinæ Sacerdotum; sive quis ille ingressus, sive aditus, quem duce Angelo inierit. *Erat*, inquit, *ex latere portæ.* Intelligit sanè præcipuam portam; quæ ergo alia non est, quam vestibuli ædis sacræ. Illa duo ædificia, quæ hinc indè huic vestibulo adhærebant, velut laterales costæ appellantur כתפות, hoc est *humeri* Sic in Paralipomenis lib. 2. cap. 4. v. 10. Mare dicitur positum *in latere dextro* secundùm Vulgatam nostram; in fonte verò *in humero dextro.* Itaque ibi agitur de uno ex his duobus humeris vestibuli. Videre est hac in parte viam esse, sive ingressum quinque cubitorum inter loricam & gazophylacia. Hac viâ deductus est Ezechiel ad portam occiduam horum gazophylaciorum; quæ respiciebant Aquilonem, nempe erant in latere aquilonari ædis sacræ. In fine autem horum gazophylaciorum *erat ibi locus vergens ad Occidentem.* In fonte, *Erat ibi locus in duobus lateribus versùs Occidentem.* Etenim nomen ירכתים *jarcataim* est in duali numero. Ita licet videatur Propheta disertè loqui tantum de parte aquilonari; tamen innuit similes culinas, de quibus loquitur, repertas in extremitate meridianorum gazophylaciorum pariter versùs Occidentem, ubi notantur in delineationibus nostris. De gazophylaciis, quæ pertinebant ad Sacerdotes, liquet fieri sermonem.

20. *Et dixit ad me: iste est locus ubi coquent Sacerdotes pro peccato & pro delicto: ubi coquent sacrificium, ut non efferant in atrium exterius, & sanctificetur populus.*

Sacrificia levia poterant coqui in culinis, quæ A erant in atriis Israëlitarum; majora verò sacrificia & sanctiora, ut אשם quod dicebatur ὑπὲρ ἀγνοίας pro ignorantiâ, pro peccato, & החטאת ὑπὲρ ἁμαρτίας pro delicto, coquenda erant intra atria Sacerdotibus destinata; sicut & המנחה τὸ μαναὰ *minnecha*; Latinus Interpres simpliciter reddit *sacrificium*. Non licebat Israëlitis promiscuè participes esse omnium sacrificiorum. Quis contraxisset noxam, sive reus factus fuisset, si particeps fuisset sacrificiorum, de quibus illi non licebat comedere. Ergo Sacerdotes jubebantur carnes sanctas comedere in atriis sibi propriis; nec permittebantur eas portare foras, ne populus sanctificaretur, sive existimaret eas carnes sibi quoque esse licitas. Illud *sanctificetur* accipi potest per oppositum, nempe ne populus attrectando quod illi nefas erat, reus fieret. Lex enim ordinaverat quorum sacrificiorum populus poterat esse particeps; B quæ attingere illi haud erat licitum.

Præstantissima erat illa dispositio culinarum, quæ usui Sacerdotum destinatæ erant; nam ut Cicero observat in secundo de Naturâ Deorum, laudans sapientiam naturæ in aptè locandis partibus corporis. *In ædificiis Architecti avertunt ab oculis & naribus dominorum ea, quæ profluentia necessariò tetri essent aliquid habitura: sic natura res similes procul amandavit à sensibus.* Simili sapientiâ dispositæ culinæ Sacerdotum, subducebant oculis & naribus id omne quod sensus offendere posset. Qui ex illis odor poterat effluere, haud perveniebat ad ædem sacram; etenim semotæ erant, & spectabant plagas oppositas.


Hîc animadvertendum Prophetam aliter loqui de Sacerdotum culinis, quàm de his quæ erant Israëlitarum. Has locat in atriolis, nempe, ut puto, in locis subdialibus; sed culinas, de quibus nunc fit sermo, videtur intra ipsa gazophylacia statuere. Vidimus differentes de culinis populi, usum infumibulorum olim fuisse ignotum; quomodo ergo intra ipsa gazophylaciorum conclavia strui potuissent tot foci, ignis ollis subjici, & his locis Sacerdotes præ fuligine commorari? Idcirco adductus sum ut crederem culinas illas Sacerdotum usui destinatas fuisse quidem intra gazophylacia; sed conclavia, ubi erant, fuisse aperta, sive fuisse patentes porticus pervias contrariis ventis, ut ollarum fumus non permaneret intra culinas, expulsus ab illis ventis, quicumque flarent. Porticus illæ poterant exornari; quapropter licet posteriora ædis sacræ occuparentur culinis, gratus erat prospectus hujus partis, sive decora facies ædis cùm prospiciebatur ab Occidente. Grata, inquam, erat facies appendicum ædis sacræ, quæ constabant diversis tabulatis, pergulis theatrali formâ dispositis. Recedebant superiora tabulata, prout surgebant; quod & fiebat in vicinis gazophylaciis meridionalibus, & septentrionalibus, quæ veluti cedebant ædi sacræ, & ab eâ recedebant, dum surgerent, quasi ut liberiori aere frueretur, quod tuis oculis, ô Lector, conspicuum est in delineatione. Conveniunt omnes mensuræ, quas Propheta enuntiat; ut quamquam temerarium esset nobis audacter asserere non omnino aliam fuisse formam templi Hierosolymitani, quàm quâ à nobis descriptum est; & nobis liceat statuere descriptionem nostram non adversari his quæ de eo scripta sunt in sacro codice; ita ut ædificium mensuris, quas assignavimus, perfectum, posset & verbis describi, quibus usus est Ezechiel, cùm de illo suscepit sermonem.

Finis Libri sexti.



DE TABERNACULO FŒDERIS, DE CIVITATE SANCTA JERUSALEM, ET EJUS TEMPLO

LIBRI SEPTEM.



LIBER SEPTIMUS.

De Religione ejus & ministerio.

CAPUT I.

De Religione Judæorum erga templum. Extra illud, & sine eo sacrificare non licebat. Ideò ex toto orbe, dum stetit, ad illud omnes confluebant adducentes munera, victimas, primitias, decimas, pensiones annuas, quæ à singulis Israëlitis debebantur.

SECTIO I.

Suscipiuntur in hocce septimo libro tractanda omnia, quæ intra templi limites religiosè fiebant, & sine illo, & extra illud non poterant exerceri.



NON suscepimus templum Hierosolymitanum verbis excitare eo solo animo, quod persæpè innuimus, ut præclari alicujus ædificii imagine oculos pasceremus. Conamur quæ veteris legis sunt, illustrare; undè & lux affulgeat religioni Christianæ. Ergo non tantùm templi parietes juvat repræsentare; sed & res sacras, quæ ibi fierent; quâ consideratione, ipsum magis innotescet; tum & plura patebunt, quæ scire prodest ad Scripturas intelligendas. Illæ ubique loquuntur de templo; quapropter, etsi corruit, scire interest ejus ministerium de quo acturi sumus. Ne quis autem operis jam
A prolixioris pertæsus fastidiat molem hujus postremi libri, sciat hunc innumera scitu digna complecti. Saltem, Lector, conjice oculos in lemmata sequentium capitum, & articulorum; ex quibus intelliges, sicuti ab atriorum templi descriptione, ita ab expositione muniorum sacrorum multam sacris paginis lucem oboriri. Præterquàm illa sunt typi, quorum videmus complementa in Ecclesia Christiana: nam illa in templo nata: formata quoad ministerium suum, ad exemplar Levitici ministerii; quod ergo scire Christianorum refert.

Animadvertam primùm quo desiderio, quo tremore erga sacram ædem afficerentur Israëlitæ: quo affectu ab omni orbis plagâ ad illam confluerent, & deferrent munera sua, vota, victimas, primitias, decimas, pensiones annuas, & quâ pompâ, quàm frequenti comitatu id facerent. Postea omne templi ministerium ex ordine exponam; quod
B cum parietibus ejus, ut ita dicam, arctè conjunctum erat. Interminatus enim erat Deus ne alibi sibi sacrificaretur; undè cùm siverit illud everti, sibi autem constet, deduximus illud non in æternum fuisse paratum, sed in aliquod tempus per quod in Judæâ coli vellet, donec Jesus Christus Dominus noster excitaret novum templum, nimirum Ecclesiam Christianam. Ipse Dominus, ut jam diximus, litem de loco adorationis propositam à muliere Samaritanâ diremit secundùm Judæos. Illa experta eum verè Prophetam rogaverat ut veterem controversiam secarèt. *Video*, inquiebat Joan. cap. 4. v. 19. *quia Propheta es tu*, 20. *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis quia Jerosolymis est locus ubi adorare oportet.* 21. *Dicit ei Je-*

ſus: Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando A *neque in monte hoc, neque in Jeroſolymis adorabitis patrem.* 22. *Vos adoratis quod neſcitis: nos adoramus quod ſcimus, quia ſalus ex Judæis eſt.* Satis declarabat Dominus veritatem doctrinæ & cultûs Dei fuiſſe penès Judæos. Itaque pluribus verbis non opus eſt, ut adſtruamus præcipuos Moſaïcos ritus coërcitos templi parietibus; quos ergo pariter cum his parietibus ipſe deſtruxit. Ipſi hodierni & veteres Judæi non diffitentur; ubi templum abolitum eſt, ceſſaſſe vetera ſacrificia. Philo in libro de ſomniis expendens quo ſenſu nominetur in ſacro codice τόπος, triplicem ejus ſignificationem agnoſcit. Sumitur, inquit, primùm pro ſpatio quod corpus implet; ſecundò per excellentiam B ſignificat locum, in quo ſolo permiſit Deus ſacra fieri ἐν ᾧ μόνῳ καὶ ἱερουργεῖν ἀφῆκεν. Pergit loqui Philo in ſuo Interprete. *Præceptum enim eſt aſcendere in locum quemcunque elegerit Dominus Deus, & ibi ſacrificare, holocautomata & pro ſalute, cæteraſque integras victimas adducere. Tertio ſignificato ipſe Deus vocatur locus, eò quòd omnia contineat,* &c. Pariter à Philone ὁ θεῖος λόγος *divinum verbum* appellatur *locus*, quem Deus incorporeis potentiis implevit. Ætate Juſtini Martyris, Judæi non licitum ſibi putabant ullum opus quod ex lege fieri debebat in templo, ſuſcipere extra illud: verbi causâ facere Paſcha, quia, ut aiebat Tryphon, unus ex illis cum quo C colloquebatur ſanctus Martyr, non licet ἀλλαχόσε θύειν *alibi ſacrificare*, intelligebat templum. Et ſic mos eſt loqui omnibus Rabbinis. בחוץ aut ſimpliciter חוץ *foris*, quod cùm ſimpliciter ponitur, intelligendum eſt templum. Suppetunt multa teſtimonia: ſit inſtar omnium, quod Maimonides cenſet inter peccata, quæ hominem faciunt reum mortis ſacrificare ſancta בחוץ *bachuts*, id eſt, *extra*; procul dubio *extra templum.* Quin Judæi cùm in memoriam antiqui Paſchatis comedunt agnum, cavent omni modo ne habeatur pro ſacrificali Paſchate.

Dicit quidem Julianus Apoſtata Judæos domi ſacrificaſſe: ſed ita ut fateatur non vera fuiſſe ſacrificia. Locus integer proferendus eſt ex libris quos D ſcripſit adversùs religionem Chriſtianam: hos verò Cyrillus Alexandrinus confutavit. Sic Apoſtata in libro nono alloquitur Chriſtianos, & quærit ab eis. *Cur enim cùm à nobis defeceritis, Judæorum legem non amplectimini, neque ſtatis illius præceptis? Inquiet forſan aliquis paulò acutior: neque enim Judæi ſacrificant. At ego ipſum valdè cæcutire coarguam. Primùm quidem quòd alios Judæorum ritus nec obſervatis vos quidem. Deindè verò quòd ſacrificant quidem in ſuis domibus Judæi, & nunc etiamnum victimis veſcuntur, & precantur antequàm ſacrificent, & dextrum armum primitias dant Sacerdotibus: ſed orbati templo & altari, aut, ut vulgò appellant, Sanctuario, impediuntur quominùs Deo victimarum primitias offerant. Vos autem, qui novum ſacrificii genus adinveniſtis, quum nihil indigeatis Hieruſalem,* E *quamobrem non ſacrificatis?* Quod Judæi in domibus ſuis faciebant, non habebat ſpeciem aut rationem ſacrificii; &, ut diximus, ne hoc nomine appellaretur cavebant diligentiſſimè.

SECTIO II.

Quæ eſſet templi ſanctitas: modus quo Judæi in illud intrarent & in eo ſe gererent. Non audebant curioſiùs in illud oculos conjicere.

PRæcipuum miniſterium quod in templo obibant Aaronici Sacerdotes, erat animalium mactatio: quo tunc non erat aliud Deo acceptius: quippe animalium ſanguis, typus pretioſiſſimi erat ſanguinis, quem filius ejus in arâ crucis erat effuſurus. Hinc tanta ſanctitas templi. In eo Deus ſe præſentem teſtabatur conſpicuis ſignis, non dedignatus appellare ſuam domum. Non ergo mirum eſt ſi tanta religio indita fuerit animis Judæorum erga illud: ſi omnibus ſuis deſideriis, tum amoris, tum tremoris affectibus in illud ferrentur: quod Pſaltes hiſce verbis ſatis ſignificat. Pſal. 83. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini .... Beati qui habitant in domo tuâ Domine.* Forſan hæc primum decantata ſunt, dum adhuc ſtaret antiquum Tabernaculum: ſed attinuêre ad templum, ſtatim ac ædificatum eſt. Non itinerum difficultate, longitudine, & periculis deterrebantur Judæi quominùs illud frequentarent. Ab omnibus orbis plagis etiam remotiſſimis catervatim confluebant: impediti verò ne id facerent, ubicumque deprehenderentur, orabant convertentes ora versùs ſanctiſſimam ædem.

Vix dici poteſt quantâ cum reverentiâ templum ſubirent. Diverſos autem diſtinguebant in illo ſanctitatis gradus quos explicabo verbis Maimonidis, ſive potiùs Latini Interpretis, qui in tractatu de Domo electâ, ſic loquitur cap. 7. ſect. 15. « Sanctior Hieroſolymâ mons ædis eſt: juxta hunc enim ſeminis fluxione laborantes, menſtruales mulieres, & puerperæ non ingrediuntur. Hominem mortuum tamen intra montem ædis inferri licet, & multò etiam magis ingredi funeſtum. Monte ædis ſanctius eſt ſpatium intermurale: in hoc enim neque Gentiles neque funeſti, nec qui cum muliere menſtruali conſueſcat, ingrediuntur. Et hoc intermurali ſpatio ſanctius eſt atrium mulierum. In id nec de die lavandus ingrediatur: id verò ex ſapientum inſtitutis interdictum eſt. Etenim homini de die lavando ut ingrediatur in caſtra Levitarum è lege quidem licet. At qui funeſtus in atrium ingreſſus, non eſt adſtrictus ſtatæ hoſtiæ pro peccato. Atrio mulierum ſanctius eſt atrium Iſraëlitarum, in quod non ingrediatur is, qui piaculi indiget: funeſtus autem ſi ſit ingreſſus pœna erat Keret, id eſt, pœna exciſionis, ſive mortis. Et hoc ſanctius eſt atrium Sacerdotum: in id enim Iſraëlitarum introeat nemo, niſi tum, cùm neceſſariò requiruntur aut ad imponendas hoſtiæ manus, aut ad expiationem faciendam, aut ad mactandam victimam, aut ad agitandum ſacrum. Hoc etiam ſanctius eſt ſpatium id, quod inter veſtibulum & altare intereſt: in hoc enim nemo corporis vitio affectus introeat, nemo introeat capite aperto (nam caput obvelabant Sacerdotes, ut ſupra obſervavimus in libro tertio) & laceratis veſtimentis. Atque hoc ſpatio inter veſtibulum & altare intercedente ſanctius eſt templum, in quod niſi lotis manibus & pedibus introeat nemo. Et iſto denique ſanctius, & auguſtius eſt Sanctum Sanctorum, in quo nemo introeat præter ſummum Sacerdotem; nec is quidem niſi una ſolemnitate expiationum ad rem divinam faciendam. »

Qui ſacris liminibus cuſtodiendis præpoſiti erant, arcebant pollutos, nec ſinebant ultra vetitos limites tranſgredi. Verùm quorum pollutio inſpici non poterat, ipſi ſe continebant extra hos limites metu pœnarum quas dediſſent deprehenſi, potiſſimùm earum quas Deus ipſe repetebat, interdum ſubitâ morte puniens violatores legis ſuæ. Non ſolùm Sacerdotes reverebantur in illas peccare quibus Deus vitam interminatur in Levitico cap. 22. 9. *Et moriantur in Sanctuario, cùm polluerint illud.* Iſraeli-

tæ, qui ab extremis orbis plagis Jerosolymam ve- A nerant ut viderent templum, non indulgebant desiderio suo, dicit Josephus, si contigisset illis aliqua occulta immunditia.

Summa esse debet reverentia erga loca, quæ Deus incolit. Ipsi Gentiles non aliter sentiunt. Seneca libro septimo naturalium quæstionum cap. 30. *Egregiè, ait Aristoteles, nunquam nos verecundiores esse debere, quàm cùm de Diis agitur. Si intramus templa compositi, si ad sacrificium accessuri vultum submittimus, togam adducimus, si in omne argumentum modestia fingimur*, &c. Certè Judæi adeuntes templum in omne argumentum modestiæ fingebantur. *Præceptum est jubens*, dicit Maimonides de Domo electâ cap. 7. *Ut Sanctuarium illud vereamur:* B *scriptum est enim*, Levit. cap. 26. v. 2. *Et pavete ad Sanctuarium meum. Nec verò Sanctuarium est quod metuitur, sed is, qui de metu Sanctuarii præcipit. Qualis igitur erit metus ille? Ut in montem ædis introeat nemo cum baculo, calceis, zonâ, cum pulvere pedibus inhærente, aut cum pecuniâ in vestimento colligatâ. Id verò nec dici quidem necesse est, interdictum esse, ne in omni monte ædis despuatur, sed hic ambulanti, cùm necesse fuerit, in linteum suum screandum; ut ne per montem ædis compendiariam instituat viam, introeundo per portam unam, & per adversam exeundo; sed montem extrinsecùs circumeat: denique ut intra montem ingrediatur nemo, nisi propter rem piam & laudabilem.* Dominus in Evangelio Marci cap. 11. 16. *Non sinebat ut quisquam transferret vas per templum.* C Juxta Judæos vetitum erat cum pecuniâ subire in montem ædis. Quomodo ergo pauperes ad portas templi stabant, accepturi eleemosynas, & gazophylacia exposita, in quæ conjiceretur pecunia à religiosis viris feminisque? Intelligenda sanè pecunia parata ad negotiationem: templum non erat domus negotiationis.

Maimonides in tractatu de adeundo templo, prosequitur quæ spectant sanctitatem ejus. » Porro cuivis interdictum erat, Sacerdoti juxta atque Israëlitæ, ne vino usus, & quacumque ratione temulentus, neu incultè atque horridè capillatus, aut pannis obsitus omnino in templum veniret, ne intra primum quidem illud atrium Israëlitarum. D Id enim lege sancitum non erat; verùm gloria & reverentia hujus magnificæ ac sanctæ domûs non patiebatur in eam quemquam intrare sordidum. Atqui hominem Israëlitam, cui coma existebat prolixa quidem, sed quasi calamistro ad ornatum intorta, in quâ ratione nihil inculti, nihil horridi, hunc in atrium Israëlitarum introire licebat. Hùc pertinet quod idem Maimonides animadvertit in libro *de Domo electâ* cap. 7. » Ante portam in Oriente atrii sitam, quæ est porta Nicanoris, nemo, fronte protervâ versetur. Est enim ea porta directò contra Sanctum Sanctorum. Et in atrium quicumque ingressurus est, placidè pergat eò loci E quò jus eundi habeat. Tum etiam persuasus sit animo se in præsentiâ esse Dei, qui cùm de templo loquitur, ita dicit: & erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus. 3. Reg. capite 9. v. 3. Porrò quisque cum terrore, formidine ac tremore incedat, si quidem scriptum est. Psal. 54. v. 15. In domum Dei ambulabimus cum perturbatione. In atrio sedere concessum est nemini præter Reges è stirpe Davidis. Ob istam religionem, qui post rem divinam abibant, hi non ita discedebant è templo ut ei tergum verterent, sed retrocedentes paulatim sese movebant: tum sensim gradiebantur in latus quoad discessissent ex atrio. Item viri curiæ sacra administrantis, de horum ministerio infrà agemus, ex Sanctuario sese recipientes, sic ut post solemnem illam precationem solent, retrorsum redibant; & hæc omnia præ metu Sanctuarii. «

Non licebat Judæis curiosiùs intueri interiora ædis sacræ; quapropter quoties Sacerdos ingrediebatur in illam, ministerii obeundi causâ, recedebat populus à conspectu ejus. Sic cùm Zacharias ingressus est εἰς τὸν ναὸν in sacram ædem, *omnis multitudo populi erat orans foris ἔξω horâ incensi.* Quispiam ergo dicat: si quid vetustate collaberetur quomodo opifices hoc resarciebant? Herodes à quo suscepta instauratio templi, adhibuit ipsos Sacerdotes Sacerdotalibus vestibus indutos: propterea hi excolebant artes, cœmentariam, & lignariam fabricam, ut scribit Josephus Antiquit. 15. cap. 14. observans, nec ausum Herodem ingredi interiora templi toto eo tempore, quo instaurabatur. Fabri autem, cùm aliquod opus suscipiebant in Sancto Sanctorum dimittebantur in illud arcis inclusi, inquit Maimonides (cap. 4. de Domo electâ.) Nunc Judæi amissum templum lugentes, cùm domum novam ædificant, tenentur saltem in aliquâ parte imperfectam relinquere in signum luctûs sui, ut discimus ex eodem Maimonide in tractatu *Taanith*, sive de Jejunio cap. 5. Interdictum sibi putant ad similitudinem templi domum ædificare, vel habere mensam quæ similitudine referat mensam templi. (de Domo electâ cap. 7.) Quin etiam eam cautionem adhibent dum vacant muniis naturæ, somno, & aliis, ne in eo reperiantur situ, qui proprius erat templo.

SECTIO III.

Non solos Sacerdotes, sed & quoslibet Israëlitas verisimile est non usos calceis in templi atriis.

ID mirum videbitur quod proponimus laicos nudis pedibus institisse pavimento templi. Id demonstratum est de Sacerdotibus; quos ideò viscerum torminibus sæpiùs ægrotasse referunt Judæorum libri, quia pavimentum marmoreum frigidum erat, & quia tempore vicis suæ abstinebant vino. Idcircò præfectus erat ægrorum, cujus mentio fit in Misna in codice *schekalim*, sive de siclis. *Filius Achia constitutus erat ut curam haberet eorum qui viscerum dolore laborant.* Fusiùs rem explicat Bartenora his verbis: *Quia Sacerdotes semper discalceati incedunt super pavimentum, multas carnes comedunt, & aquam bibunt, sæpè viscerum dolore laborant; ideò necesse est ut semper habeant medicum, qui illis dicat: hoc medicamentum bonum est visceribus.*

Israëlitis autem calceatos apparere in templo nullibi in sacro codice prohibitum est; sed hoc illis saltem majorum suorum sanctionibus vetitum fuit, si quidem Maimonides tractatu de Domo electâ c. 7. *Nemo*, inquit, *in montem templi veniat cum baculo, aut calceamentis pedum.* Hoc Misna præcipit in tractatu de Benedictionibus cap. 9. *Nemo intrabit montem templi cum baculo suo, aut calceo suo, aut marsupio suo, aut pulvere super pedes suos, nec sputo inquinabit illum.* Hæc religio inciderat in Judæorum animos, quia Deus cùm in rubo ardenti apparuit, præcepit Moysi ne accederet propiùs, nisi exuto calceamento. Exod. cap. 11. v. 5. *Ne appropies*, inquit Deus, *hùc: solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est.* Similiter Deus, cùm Josue se conspicuum præbuit c. 5. 16. ait: *Solve calceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, sanctus est.* Terra quævis præ alia non sanctior est; Domini enim est plenitudo ejus; sed quilibet locus, ubi Deus se præsentem testatur, dignior est reverentiâ. Inhabitat autem

Deus templum, manifestis signis ostendens suam præsentiam. Eam religionem etiam injecerat Dæmon in animos Gentilium erga aliquas idolorum ædes. Vetus est symbolum Pythagoræ ἀνυπόδητος θῦε καὶ προσκύνει *nudis pedibus adorato atque sacrificato.* Apud Cretenses, qui Dianam venerabantur, inquit Solinus cap. 17. *ædem numinis præterquàm nudus vestigia, nullus licitò ingreditur.* Apud Romanos, ædes Vestæ Deæ nudis pedibus matronas adiisse ex Ovidio discimus 6. Fastorum. Turcæ Moschæas suas non intrant nisi calceamenta exuerint. Exemplum Moysis & Josue permovit Christianos Æthiopes ut templa non adeant nisi discalceati, uti refert eorum legatus apud Damianum Goesiem *Nobis non datur potestas templum adeundi nisi nudis pedibus, neque nobis licet in ipso ridere, loqui, ambulare, quia templa similia sunt monti Sinai, ubi Dominus Moysi dixit, solve calceamentum.*

Mentem adverte, Lector, ad verba B. Augustini *Serm. 42 de Sanctis*, ne religionem erga sacra loca negligas. *Quid tam terra sancta, quàm Ecclesia? In illâ ergo stemus, & calceamenta solvamus, id est, mortuis operibus renuntiemus.* Videlicet exuendi sunt pravi affectus, dum sacras ædes subimus; sed antiquâ lege tenebantur Judæi variis ceremoniis significare mentis affectus. Discalceatum incedere, apud eos signum erat pœnitentiæ; inde, ut infra observaturi sumus, in magno die jejunii non utebantur calceis; pariter dum gravis casus aliquis inciderat. David 2. Samuelis cap. 15. 30. fugiens Absalonem, ascendebat montem Olivarum flens, nudis pedibus incedens, & operto capite. De Berenice, quæ Regis Agrippæ soror erat, narrat Josephus in libro secundo de Bello cap. 15. *Venerat autem Hierosolymam* Berenice, *ut vota Deo solveret. His enim qui morbo, vel aliis necessitatibus implicantur, mos est orare per triginta dies, antequàm immolent hostias. abstinere quoque vino, & capillos radere. Quem morem Berenice Regina illis exercens diebus, nudipes etiam ante tribunal stetit deprecans Florum, &c.* Consuetum ergo erat Judæis calceos deponere in luctu; indè Ezechiel cap. 24. v. 17. eum quem revocabat à luctu, admonet ut apponat pedibus suis calceos.

SECTIO IV.

Quis habitus corporis Judæorum, dum in templo orarent. Stabant extensis brachiis; quandoque humi prosternentes se.

JUdæorum religio inprimis se conspicuam faciebat dum orarent & adorarent in templo. Quis autem tunc corporis habitus? Maimonides in tractatu *Thephilla*, sive de Precibus dicit virum orantem stare debere pedibus juxta se invicem positis, oculos dejicere, cor verò sursum tollere, manibus pectori impositis, ita ut sinistra sit sub dexterâ. Non licebat orare capite aperto. Tecta facies, caput opertum in veterum sacris non majestatem, sed animi indicabant demissionem, ut ostendunt illa Plauti in Mostelaria.

Quin etiam hoc illi dicito
Facturum me, ut ne etiam adspicere ædes audeat,
Capite obvoluto ut fugiat cum summo metu.

Et illa Senecæ in Hercule furente. Act. scen. 3.

Namque ipsa tristis vestis obtentu caput
Velata, juxta præsides astat Deos.

Plutarchus in quæstionibus Romanis inter causas, quare velato capite non aperto Diis sacra fierent, primum facit, eo habitu animi fassos esse demissionem. Alia fuit Christianorum consuetudo. *Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum*, inquit Apostolus 1. *Corinth.* cap. 11. 4. Hanc rationem deinde reddit. *Vir quidem non debet velare caput suum: quoniam imago & gloria Dei est.* Hanc rationem allegat Tertullianus in Apologetico cap. 20. *Illuc* (scilicet ad cælum) *suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocui, capite nudo, quia non erubescimus; denique sine monitore* (alludit ad mores Ethnicorum qui præeunte aliquo Sacerdote concipiebant vota & preces.) *Quia de pectore oramus, precantes sumus omnes semper pro omnibus.* Cùm autem Judæi Dominum adorabant in templo, genua flectebant, etiam prostrabant se humi, capite pavimentum attingentes *Ceciderunt in faciem suam super terram*, dicitur de Machabæis 2. Macch. cap. 4. 40. Quando voluerunt Deum sibi placatum reddere; & 2 lib. c. 10. 25. *deprecabantur Dominum caput terrâ aspergentes, lumbosque ciliciis præcincti ad altaris crepidinem provoluti, ut sibi propitius, inimicis autem eorum esset inimicus & adversariis adversaretur.* Et cap. 13. 12. *Petentibus à Domino misericordiam cum fletu & jejuniis per triduum prostratis.* Stantes orabant Judæi, quia eo in habitu videntur Patriarchæ orasse: legimus enim in Genesi cap. 19. v. 27. *Abraham autem consurgens mane, ubi steterat priùs cum Domino.* De Phinees dicitur in Psalmo 105. v. 30. *Et stetit Phinees & placavit: & cessavit quassatio*, id est, oravit. Sic consuevisse Judæos colligitur ex eo quod ipse Christus dicit apud Matthæum cap. v. 5. *Et cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ qui amant in synagogis & in angulis platearum stantes orare.* Tum ex eo quod narrat de Pharisæo & Publicano apud Lucam cap. 18. v. 10. *Duo homines ascenderunt in templum ut orarent: unus Pharisæus, & alter Publicanus. Pharisæus stans hæc apud se orabat. Deus gratias ago tibi, &c.... Et Publicanus à longè stans nolebat nec oculos ad cælum levare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* Necessarium autem erat, si Maimonidi credimus, ut, qui orabat, sic aptaret pedes suos, unum juxta alterum, & dimitteret oculos suos deorsum, ut qui aspicit terram; cor autem converteret sursum, quasi consistens in cælo. Stabit veluti servus coram Domino suo cum terrore, trepidatione & timore. Indè nomen istud *statio* usurpatum est pro publicâ oratione, quacum conjungerentur jejunia non solùm apud Judæos, sed apud Christianos. Hæc vox statio eo sensu, à scriptoribus Ecclesiasticis frequenter usurpatur.

Quod dicit Maimonides solitos precantes manum sinistram cordi imponere, dextram verò sinistræ, debemus intelligere de illo tempore, quo manus non expanderent. Expandebat manus Moyses orans adversùs Amalechitas, ut dicitur in Exodo capite 17. v. 11. *Cùmque levaret Moyses manus, vincebat Israël; sin autem paululùm remisisset, superabat Amalech. Manus autem Moysi erant graves: sumentes igitur lapidem, posuerunt subter eum, in quo sedit: Aaron autem & Hur sustentabant manus ejus ex utrâque parte.* Indè factum ut orantes expanderent manus suas versùs cælum. Psal. 87. v. 10. *Expandi ad te manus meas.* Huicce consuetudini testimonium perhibet Josephus in libro primo contra Appionem. *Qui*, inquit, *vocantur Judei, habitant omnium munitissimam civitatem, quam vocare Hierosolymam provinciales solent. Hi vacare consueti sunt septimâ die, & neque arma portare in prædictis diebus; neque alterius cujuspiam rei curam habere patiuntur. Sed in templis extendentes manus adorare usque*

ad

ad vesperam soliti sunt. Hoc innatum videtur, ut supplicantes sustollamus manus versùs locum undè auxilium expetimus, & expectamus. Ita apud Homerum in sexto Iliados versu 301. Trojanæ mulieres.

Ὀλολυγῇ πᾶσαι Ἀθήνῃ χεῖρας ἀνέσχον.
Cum ejulatu omnes Minervæ manus sustulerunt.

Apud Virgilium.

Ad cælum tendens ardentia lumina frustra:
Lumina: nam teneras arcebant vincula palmas.

Apud Horatium.

Cælo supinas si tuleris manus.

Sæpè Judæi cum expansione manuum conjungebant genuum flexionem, quod factum est à Salomone, cùm benedixit populo, qui in templo congregatus erat 2. Paralipomenorum cap. 6. 13.... *Flexis genibus contra universam multitudinem Israël & palmis in cælum levatis ait: Domine Deus Israël non est similis tui Deus, &c.* Et capite sequenti versu 3. ubi narrat Scriptura quomodo gloria Domini descenderit in templum adjicit, quod cùm viderent Israelitæ *corruentes proni in terram super pavimentum stratum lapide adoraverunt, & laudaverunt Dominum.* Hoc solitum Judæis cap 20. v. 18 *Josaphat ergo & Juda, & omnes habitatores Jerusalem, ceciderunt proni in terram coram Domino & adoraverunt eum.*

Flexionis, sive incurvationis genuum crebra est in Scripturis mentio; ideò nemo jure repudiaverit tanquam falsum quod B. Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis memorat de Jacobo flexis genibus pro populo deprecatum, *in tantum ut camelorum duritiem traxisse ejus genua crederentur*; sed & genua flectentes Judæi prosternebant se, & capite pavimentum attingebant. Videlicet adorantes Deum cadebant in faciem suam; ut innuitur in Scripturæ locis quæ allegavimus, ex veteri Testamento, & quæ licet proferre ex novo 1 Corinthiorum c. 14 25.... *Et ita cadens in faciem adorabit Deum.* In Apocalypsi cap. 11 v. 16 *Et viginti quatuor Seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, & adoraverunt Deum.* In faciem suam ἐπὶ πρόσωπον cadere alibi quàm in templo non licitum fuisse putant Judæi; maximè in locis, qui sternebantur lapidibus figuratis, ne quis hæc agens videatur eos adorare. Hoc, inquam, pœnâ dignum statuit Maimonides in *Avoda zara*, hoc est, in tractatu de alieno cultu, sive de Idololatriâ capite 6. *Quisquis se incurvat super lapide figurato, de quo lex loquitur, etsi verò id Deo præstet, vapulat. Quia dictum est* Levit. cap. 26. v. 1. Neque figuratum lapidem ponite in terrâ vestrâ, ut vos incurvetis super eo. *Id enim in idolorum cultu obtinebat, ut lapis poneretur, super quo sese prosternerent. Ac propterea nefas id agere in veri Dei cultu. Nec tamen vapulabit, nisi manibus pedibusque super lapide prostratus jacuerit. Hujusmodi enim incurvationem lex designat. Hæc de reliquis locis capienda: in Sanctuario autem licet Dominum adorare super lapide. Quia dicitur* in vestris terris, *hoc est, nequaquam vos in terris vestris prosternetis super lapide, ut prosternitis super sanctuarii lapide glabro & nullam effigiem habenti.* Adorare censentur illi, qui incurvant se. Verbum שחה *curvari, incurvari, incurvare se, deprimi, dejici,* sæpiùs à Latino Interprete redditur *adorare.* Quoties ergo Israëlitæ in templo tenebantur adorare Deum prosternebant se.

Quæritur quî id fieri posset, cùm in atriis templi adeò conferti essent Israelitæ, ut vix digitus inA ter duos Israëlitas inseri posset. Id quidem miraculo tribuunt Judæi, quoties Dominus adorandus esset prostratione necessariâ, locum non defuisse, in quo corpus quisque Israëlita totum sternere posset. Erant quatuor venerationis genera 1. קדד, verticis erat inclinatio. 2. כרע demissio capitis cum superiori corporis parte. 3 ברך, genuum flexio. 4. השתחויה totius corporis extensis manibus pedibusque in faciem prostratio. Judæi preces reputabant Deo acceptissimas, quæ fierent in templo. Erant autem orationis tempora, ad quæ videre est Apostolos in Actis ascendentes in templum. Ubi non erat templum, Judæi orabant in synagogis, etiam in plateis cùm synagogæ multitudinem orantium non capiebant. Dum de synagogis disserebamus suprà in B fine libri quarti plura protulimus, quæ spectarent Judæorum preces solemnes, in quibus observavimus Christianos quod bonum erat in synagogæ ritibus retinuisse. Complurium consuetudinum Ecclesiæ Christianæ non alibi origo quærenda est quàm in synagogâ.

SECTIO V.

Judæi, quoquo loco deprehenderentur, orabant conversi ad templum.

Judæus, qui versabatur extra solum Israël, convertebat faciem suam versùs illud, quoties oraret. Qui in illo solo degeret, dirigebat faciem C versùs Hierosolymam. Qui Hierosolymæ, versùs templum. Qui in templo, versùs Sanctum Sanctorum. A primis temporibus viguit hæc consuetudo. Etenim cùm Darius statuisset ne quis suppliciter Deum oraret, hancque legem constitutam rescivisset Daniel, ut ipse narrat Prophetiæ 6. 10.... *Ingressus est domum suam: & fenestris apertis in cœnaculo suo contra Jerusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua & adorabat, confitebaturque coram Deo suo, sicut & ante facere consueverat.* Theodoretus ad hunc locum observat Danielem sic orasse in edito & excelso loco, & fenestris apertis, ut omnibus conspicuus esset; non solùm accusatores provocans, sed & contra Jerusalem respiciendo antiquam legem observans. Salomon enim cùm temD plum ædificasset, & dedicationis ejus per. gerer publicum conventum, supplicaverat divinam gratiam implorans, ut eâ templum compleretur, ac præter alia plurima, hoc quoque adjecit 3. Reg. cap. 8. *Et erit,* inquit, *si tradideris populum tuum coram inimicis suis, & captivum duxerint ipsum captivantes in terram longinquam, vel propè, & converterint corda sua in terrâ transmigrationis ipsorum, dicentes peccavimus, iniquè egimus, impiè gessimus; & reversi fuerint ad te in toto corde suo, & in totâ animâ suâ, in terrâ inimicorum suorum, quò traduxisti eos, & oraverint ad te viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, & civitatis quam elegisti, & domus quam ædificavi nomini tuo, & exaudies de cælo, de* E *parato habitaculo tuo & propitius eris peccatis eorum, quæ peccaverunt tibi, & secundùm omnes iniquitates eorum, quibus prævaricati sunt in te, & dabis eos in miserationes coram illis, qui eos captivos habuerint* His autem instructus beatus Daniel, pergit loqui. Theodoretus, contra Jerusalem conversus precabatur.

Hunc eumdem locum commentario illustrans Hieronymus de illâ oratione Danielis dicit. *Orat autem secundùm præceptum Dei, dictaque Salomonis, qui contra templum orandum esse admonuit. Tria autem sunt tempora quibus Deo flectenda sunt genua. Tertiam horam, sextam, & nonam, Ecclesiastica traditio intelligit.* Animadversione dignus est

locus in Græco codice Tobiæ 3. 10. quem non expressit Vulgatus Interpres. *Ad hanc vocem perrexit in superius cubiculum domûs suæ, & tribus diebus & tribus noctibus non manducavit, neque bibit, sed in oratione persistens cum lacrymis deprecabatur Deum.* Ille Interpres prætermisit quod in fonte Græco est *καὶ ἐδεήθη πρὸς τῇ θυρίδι, & oravit ad fenestram;* quæ nempe aperta erat versùs Hierosolymam: quod & postea innuitur etiam in Latinâ versione. *Ad te Domine faciem meam converto, ad te oculos meos dirigo.*

Ea ergo erat Judæorum religio, dum ad precandum consistebant, ut si essent extra terram Israël, converterent faciem suam versùs terram Israël, & dirigerent etiam animum versùs Hierosolymam & Sanctuarium & Sanctum Sanctorum, ut dictum est. Indè constat Israëlitas mentem & oculos in precibus intentos habuisse in Sanctum Sanctorum, non aliam ob rationem, quàm quia ibi erat כפרת ἱλαστήριον *Propitiatorium*, nempe arcæ operculum aureum, summum mysterium universæ religionis Judaïcæ. Sicuti tota Arca typus erat Christi; ita præsertim τὸ כפרת Arcæ operculum adumbravit ἱλασμὸν *propitiationem*, quam habemus in Christo nostro apud patrem suum intercessore & mediatore, ut dicit B. Paulus ad Romanos cap. 3. v. 25. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Et Joannes 1. Epist. cap. 2. v. 2. *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Ita cùm veri Israëlitæ faciem converterent versùs Propitiatorium, intendebant in Christum, qui cogitationibus eorum semper obversabatur. Dicunt Judæi eum qui non posset attendere ad plagas, id est, ad terram Israël debuisse dirigere cor suum ad Patrem suum, qui in cælis est. Christus Dominus, cùm fideles novi Testamenti nollet ampliùs certam aliquam plagam Cæli in precibus suis respicere, in formulâ orationis suæ sic docuit: *Pater noster qui es in Cælis.* Antea Judæos excitabat Deus ut orando converterent se ad templum suum; quod observavit Rex Ezechias. Cùm eum ægrotantem convenisset Isaias, & monuisset ut præciperet domui suæ, quippe statim moriturus plus ille Rex 4. Regum cap 20. 2. *convertit faciem suam ad parietem, & oravit Dominum.* Paries ille domus est Sanctuarii, juxta Paraphrasim Chaldaïcam. In fonte הקיר. Omnem quidem parietem notat illud nomen; sed in hoc loco cum ה paragogico, innuit excellentem parietem, nempe templi versùs cujus ædificium religiosus Ezechias orans faciem suam de more dirigebat. Eusebius libro 3. Historiæ cap. 6. refert, quod in strage Hierosolymitanâ, cùm Judæi à Romanis expugnati sunt, *morientium singuli cùm seditiosos sibi superstites relinquerent, fixis oculis templum spectabant.*

SECTIO VI.

Ab omnibus orbis plagis Judæi veniebant ad templum in comitatu cum lætitiâ, gestientes & canentes sacros hymnos.

PRæceperat Deus Judæis apparere in templo, pœnas intentans his qui non parerent apud Zachariam 14.

16. *Et omnes qui reliqui fuerint de universis gentibus, quæ venerunt contra Jerusalem, ascendent ab anno in annum, ut adorent Regem Dominum exercituum, & celebrent festivitatem Tabernaculorum.*

Post bella, de quibus Propheta sermonem fecit, ipsi Gentiles sponte Deo se subjecturi erant, & templum frequentaturi *ab anno in annum*, saltem unâ A vice. Etenim benignâ interpretatione lex intelligenda, quæ præcipiebat ut Israëlitæ ter in anno; nempe quantùm fieri poterat se sisterent coram Domino.

17. *Et erit, qui non ascenderit de familiis terræ ad Jerusalem, ut adoret Regem Dominum exercituum, non erit super eos imber.*

Familiæ illæ sunt, quarum habitatio erat *in terrâ* nempe Israëliticâ aut vicinâ ejus; undè sine nimio incommodo venire poterant ad templum.

18. *Quod etsi familia Ægypti non ascenderit, & non venerit: nec super eos erit, sed erit ruina, quâ percutiet Dominus omnes gentes, quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem Tabernaculorum.*

B Hîc Ægyptus nominatur pro quacunque regione remotâ, ex quâ præcipit Dominus ut quisque fidelis ascendat ad templum in festo Tabernaculorum, alioquin non descendet super terram eorum imber.

19. *Hoc erit peccatum Ægypti, & hoc peccatum omnium gentium, quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem Tabernaculorum.*

Ibi accipiendum peccatum pro peccati pœnâ, quâ afficiet Deus eos qui saltem in anno semel non venient ad templum.

Qualis ergo & quantus concursus Judæorum properantium ad sanctam civitatem! Nam in extremas orbis plagas pervaserat religio Judaïca. Verisimile autem Judæos quibus eadem causa erat itineris suscepti, sibi adjunxisse socios & catervatim profectos C Hierosolymam, in comitatu magno, qui, ut scribit Josephus *Antiquit.* 18. cap. 12. quandoque constabat multis hominum myriadibus adversùs latronum incursus. Talis comitatus appellatur in fonte Græco Evangelii Lucæ 2. 44. συνοδία. Cùm ascendisset Jesus ad templum, & in eo substitisset, redeuntibus Mariâ & Joseph, putavêre illum esse ἐν τῇ συνοδίᾳ *in comitatu*, & revertentem Jerosolymis adjunxisse se his, qui erant in comitatu, nimirùm notis & cognatis quibuscum ascenderant. Sic sumitur συνοδία apud Nehemiam in versione Græcâ cap. 7. quo & redditur Hebræum nomen יחש *genealogia*, genus, συνοδία Ergo cùm dicitur in Evangelio parentes requisivisse Jesum *inter cognatos & notos*, intel- D ligendi illi ex quibus constabat eorum comitatus.

Ibant autem Judæi in illis peregrinationibus religionis ergo, lætando, tripudiando, cantando hymnos sacros, ut dicit Josephus 8. *Antiquit.* de illis qui interfuerant dedicationi templi, quam egerat Salomon. Τὴν δὲ πορείαν ποιοῦντο μετὰ χαρᾶς καὶ παιδιᾶς ὕμνους εἰς τὸν Θεὸν ᾄδοντες, &c. *Faciebant autem iter gaudentes ac gestientes, hymnosque sacros canentes, ita ut præ gaudio nullum viæ tædium in revertendo sentirent.* Sic loquitur 11. cap. 4. de profectione Judæorum Hierosolymam, cùm Babylone reversi sunt. « Duces Hierosolymitanæ profectionis ex suâ quemque tribu elegerunt, comparatis jumentis quæ uxores ac liberos veherent: deducentibusque quos Darius ad hoc ipsum miserat, genialiter viam emetieban- E tur hilares, personantibus omnia tibiis, & cymbalis perstrepentibus, prosequente per lusum & lætitiam & reliquâ Judæorum multitudine. »

Ad illam lætitiam iter agentium Judæorum, cùm Jerosolymam proficiscebantur, alludit Isaias capite 30. v. 29. *Canticum erit vobis sicut nox sanctificatæ solemnitatis, & lætitia cordis sicut qui pergit cum tibiâ, ut intret in montem Domini ad fortem Israël.* Volunt totâ nocte, quæ præcederet festivitatem, lætatos Judæos. Animadvertendum Græcos Interpretes ibi *noctis* non facere mentionem Μὴ διαπαντὸς δεῖ ὑμᾶς εὐφραίνεσθαι, καὶ εἰσπορεύεσθαι εἰς τὰ ἅγιά μου διαπαντὸς, ὡσεὶ ἑορτάζοντας, καὶ ὡσεὶ εὐφραινομένους εἰσελθεῖν μετὰ αὐλοῦ εἰς τὸ ὄρος Κυρίου πρὸς τὸν Θεὸν τοῦ Ἰσραήλ. *Nunquid semper oportet*

vos lætari & ingredi in sancta mea jugiter, quasi festa celebrantes, & quasi gaudentes ingredi cum tibiâ in montem Domini ad Deum Israel. Igitur pro hodierno כליל *sicut nox*, putarem olim Interpretes Græcos legisse בחליל *in tibiâ*. Neque enim alibi fit mentio canticorum per noctem. Clarè autem indicat Isaias eos, qui ad montem Dei iter facerent, adhibuisse tibias, & hùc ivisse lætantes, choros agentes, ἑορτάζοντες. Quod faciebant virgines Silunitinæ, sive illæ quæ properabant in Silo, ubi erat Arca Judic. 21. ut diximus, in libro tertio cùm sermonem faceremus de religione Israëlitarum erga Tabernaculum. In istis itineribus virgines induisse pretiosos calceos; innuit Paraphrastes Chaldæus, ad illud septimi Canticorum. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis?* Sic illa verba exponit *Quàm pulchri sunt pedes Israelis* (magnatum nempe in illo populo) *cùm ascendunt ut appareant coram Domino tribus vicibus in sandaliis sasgona*, hoc est, coccineis.

Viæ Jerosolymorum personabant canticis & exultare videbantur quasi participes lætitiæ eorum qui festinabant ad templum. Jeremias cùm lugeret neglectas solemnitates, inducit vias Sionis lugentes, quod & ipsæ non ampliùs tererentur ab hisce qui lætantes ibant in domum Domini. Lamentat. 1. 4. *Viæ Sion lugent, eò quòd non sint qui veniant ad solemnitatem.* Desertæ sunt, quia nulli veniunt ad solemnia festa. Psalmi pleni sunt desideriis, virorum piorum ad templum & crebra in illis mentio tum lætitiæ, quâ festinantes iter emetiebantur, tum & difficultatum, quæ occurrebant exsuperandæ: Psalmo 41.

2. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.*

3. *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum; quando veniam & apparebo ante faciem Dei.*

Postrema illa verba neminem sinunt dubitare quin Psaltes toto corde desideraret apparere coram Deo, id est, venire ad Tabernaculum, vel ad templum, si illud extructum fuit, cùm primùm edidit hocce canticum. In fonte אראה *videbo*. Verbum proprium. Tenebantur Judæi ter in anno videre faciem Dei, sive apparere coram Domino Hæc obligatio dicebatur *apparitionis, comparitionis* ראיה *visionis*.

4. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie: ubi est Deus tuus.*

Dolebat Psaltes quòd tamdiu abesset, sive non interesset Tabernaculo; dum quotidie Gentiles inter quos degebat, interrogarent eum: Tu qui non vis nostra templa frequentare, ubi est ergo Deus quem colis?

5. *Hæc recordatus sum & effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum Tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.*

Recordatus sum Tabernaculi & signorum quibus in eo se præsentem exhibet Deus; ideò effudi animam meam, quasi deliquium passus sum, vel hacce cogitatione totus occupatus sum: quando potero Jerosolymam proficisci ad domum Dei, ad Tabernaculum quod mirabilibus signis fulget? Sic LXX. Græci σκηνῆς θαυμαστῆς. sic legerunt אדרת *adereth*, mirabile. In hodierno codice est אדדם & Hebraïsantes interpretantur *carram cum eis*. Præcedit nomen סך *sac* quod denotat mixtam turbam. אדדם deducunt à verbo דדה *dada* vagari, incedere. Ibi futurum est cum affixo, ut אדדם positum sit pro אדדה עמהם, *progrediar cum illis*. Itaque sensus hujus loci juxta hodiernos codices: utinam me adjungam socium comitatui eorum qui ad domum Dei properant: incedam cum his turmis. Harum lætitiam exprimit Psaltes verbis quæ sequuntur. *In voce exultationis, & confessionis: sonus epulantis.* In fonte: in voce jubili רנה, nempe cantici quod decantaretur altâ voce. תודה *thodah* significat laudationem, quâ celebratur Deus declaratione, sive confessione beneficiorum ejus. *sonùs epulantis*: in Græcâ versione ἤχου ἑορτάζοντος. Sic in Latinâ versione *sonùs* est in genitivo. In fonte המון חוגג *turba, tripudians, festum agens*; sed & המון significat sonitum. Ibi autem המון, ut puto, potiùs accipiendum pro turbâ; quoniam sermo est de illis turmis, quæ lætando, canendo, tripudiando ibant catervatim ad domum Dei.

Psalmus 83. pertinet ad illa suspiria quibus viri pii anhelabant ad domum Dei.

2. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum:*

3. *concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.*

Non vacat totum hunc Psalmum enarrare.

6. *Beatus vir, cujus est auxilium abs te.*

Quem roborasti, ut iter susciperet ad Tabernaculum tuum. *Ascensiones in corde suo disposuit.*

Græci ἀναβάσεις disposuit; nempe statuit in corde suo ascendere ad Tabernaculum tuum. In fonte: *via strata in corde eorum.* Scilicet insistunt vias stratas versùs domum tuam.

7. *In valle lacrymarum in loco quem posuit.*

Fons reddi potest: Transeuntes in vallem, sive per vallem *Habbacha*. Nomen potest esse proprium; sed & illud denotat fletum: ita accipi potest pro valle durâ & difficili. *Fontem ponent eam.* Id est, ea utentur tanquam aquoso loco. Quasi dicat Psaltes. Etiam si in itinere occurrant loca siticulosa, Deus illis pluviam dabit pro fontibus. Græci non legerunt מעין *fontem*, sed מעון *habitaculum, locus.*

8. *Etenim benedictionem dabit legislator. Ibunt de virtute in virtutem.*

Sensus in his quærendus, qui connectatur cum præcedentibus verbis. Idem nomen ברכות cum diversis punctis *Berachoth* significat benedictiones, & *Berechoth* piscinas. Nomen etiam מורה *moreh* ambiguum est; & modò denotat *pluviam*, modò *doctorem, legislatorem.* Quapropter sensus hujus loci conjunctus cum ipsâ re: *etiam piscinas* (faciunt vallem eam) *quas operiet pluvia.* Nunc fons redditur ad verbum: *etiam benedictionibus operietur docens*; sed alia interpretatio limpidior est de pluviis quibus Deus recreat religiosos viatores. Illi *ibunt de virtute in virtutem*: id est, subindè novas induunt vires ad continuandum iter, quod susceperunt. מחיל אל חיל *de robore ad robur*, nempe crescunt horum viatorum vires. *Videbitur Deus Deorum in Sion.* Sic à Deo adjuti poterunt durum & difficile iter conficere, & pervenire ad Tabernaculum, & videre Deum, sive apparere coram Deo.

SECTIO VII.

Adducebant aut mittebant Judæi ad templum primitias, decimas, tributum debitum, dona, victimas cum celebri pompâ.

NOn vacui apparebant coram Deo Judæi; munera, & quæ debebant Deo secum ferebant, primitias, decimas, & alia, aut per alios mittebant Tob. 1. 5. .... *Cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat Rex Israël, hic solus fugiebat consortia omnium. 6. Sed pergebat in Jerusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israël, omnia primitiva sua, & decimas suas fide-*

liter offerens. Id à Judæis fiebat celebri pompâ, A quam intelligere possumus ex iis quæ novimus observata ab Ethnicis. Cùm enim falsorum Deorum cultus fuerit imitamentum Judaïcæ religionis, hæc innotescere potest ex superstitione ethnicâ. Scimus autem sacrificia, & ea quæ cum sacrificiis offerebantur, delata ad aras cum magno apparatu, quod Athenienses fecisse adstruit Plato, quos in Alcibiade II. sic inducit loquentes. » Omnium Græcorum studiosissimè & plurimas & maximè opimas » hostias Diis procuramus, & donariis ipsorum fana exornamus, si qui omnium mortalium, magnificentissimis: pompasque & sumptuosissimas, & » augustissimas quotannis celebramus, & pendimus » majorem vim pecuniæ, quàm cæteri omnes Græ- B » ci. Lacedemonii contrà nullam istarum rerum curam gerunt, & tam negligentes sunt in divino » cultu procurando, ut mutilas etiam hostias quotidie Diis offerant: denique in omni reliquo ceremoniarum apparatu sunt nobis longè parciores; » cùm tamen opum magnitudine à nobis minimè » superentur. Pompæ illæ erant sacra dona, quæ ferebantur cum ostentatione. *Pompa*, inquit Isidorus, ἀπὸ τοῦ πομπεύειν, *hoc est, publicè ostentare.* Deductio, traductio, vel transvectio erat solemnis per publicas urbis vias à loco in alium locum; ut indicat illud Propertianum carmen lib. 11. 13.

Nec mea tunc longâ spatietur imagine pompa.

C Magna impendebatur magnificentia, quæ ut animadverteretur, lento gradu omnia ferebantur: undè Horatius loquens de viro, cujus tardior gressus lib. 1. Satyra 3.

...... *Sæpè velut qui Junonis sacra ferret.*

Ornamenta victimarum in his pompis erant ταινίαι, ζῶναι, δεσμοί, διαδήματα, nempe *teniæ, vittæ, infulæ, lora, fasciæ*; ut videre est in antiquis marmoribus, quæ repræsentavit Cholius in suis libris de antiquâ Romanorum religione. Saubertus in libro de sacrificiis veterum, plurima loca congerit ex Poëtis, qui vetera sacrificia describunt, & horum ornamentorum mentionem faciunt, ut Virgilius Æneid. 11.

Et salsæ fruges & circum tempora vittæ.

Ut Ovidius Metamo. 15.

Victima labe carens & præstantissima formâ
Sistitur ante aras, vittis præsignis & auro.

Indè B. Hieronymus meretrices qui perindè ac hostiæ essent ornatæ, appellat *libidinum victimas.* Boum, caprarum, & arietum cornua sæpè deaurabantur; ut constat multis testimoniis Æneid. 9.

Et statuam ante aras auratâ fronte juvencum.

In pompis, cùm portabantur sacra, imprimis spectandæ erant virgines, quæ *canephoræ* dicebantur; de quibus Cicero sextâ oratione in Verrem: E *quæ manibus sublatis sacra quadam more Atheniensium virginum reposita in capitibus sustinebant, canephoræ ipsæ vocantur.* Canistra numerantur à Polluce inter sacrificiorum vasa. Apud Suidam Κανηφόροι *canephoræ* sunt nobiles virgines, quæ canistra ferent Deæ Minervæ, in quibus inerant ea quæ ad Panathenæorum, & aliarum pomparum sacra pertinebant. Eadem dicit Hesychius. Κανηφόροι ἐν ταῖς πομπαῖς αἱ ἐν ἀξιώματι παρθένοι ἐκανηφόρουν. Similiter Arpocration in suo lexico. De istis canephoris plura dicere extra metas esset; sed non prætermittam similem pompam, quam Ovidius describit lib. 3. Amorum Elegiâ 13. in quibusdam editionibus 12.

Hic ubi personuit solemni tibia cantu,
It per velatas annua pompa vias.
Ducuntur niveæ populo plaudente Juvencæ.

Ne omnia carmina Ovidii afferam, attexam sequentia.

Quâ ventura Dea est, juvenes timidæque puellæ
Præbuerant latas veste jacente vias.
Virginei crines auro gemmâque premuntur,
Et tegit auratos palla superba pedes.
More patrum sanctæ velatæ vestibus albis
Tradita supposito vertice sacra ferunt.
Ore favent populi tunc cùm venit aurea pompa.

Haud dissimili pompâ Judæorum primogenita, primitias, & victimas deductas ad templum testatur Plutarchus; agens de Antiocho. Cùm, inquit Rex ille, Jerosolymam obsideret, & septem dierum inducias poposcissent Judæi, ut festivitatem celebrarent; *Non id modò concessit, sed & tauros auratis cornibus aptavit, aromatumque copiam, & usque ad portas cum pompâ deduxit, traditâque ipsorum Sacerdotibus victimâ, in castra rediit.* Sed hæc ipsis Judæis consueta esse docet sacer codex, qui mentionem facit canistri, sive cartalli, quo primitiæ portabantur. *Deuteron. 26. 4. Suscipiensque Sacerdos cartallum,* in fonte טנא *Thena,* corbem, canistrum, *de manu tuâ, ponet ante altare Domini Dei tui.* Et 28. 5. *Benedicta horrea tua.* In fonte: Benedictus טנא *thena*, corbis tuus, canistrum tuum. *Benedictæ reliquiæ tuæ.* Vulgatus Interpres nomen משארה *mischearah* interpretatur *reliquias.* Venit quidem à שאר, quod sonat *reliquum esse, superesse:* sed & significat *mactram*, etiam *fermentum.* Ita sensus esse potest. Benedicat Deus canistro, quod offers, & omnibus vasis tuis. Ibi canistrum, & mactra ponuntur pro quibuscumque vasis. Tractatus est de בכורים, id est, de primitiis, in Thalmude, ex cujus capite tertio afferam pompam quâ Judæi ascendebant ad templum. Primitiæ fructuum constabant ex his speciebus, tritico, hordeo, uvis, ficubus, malis punicis, olivis, dactylis. Tibicen eos D qui hæc deferebant munera, anteibat, usque dum Jerosolymis appropinquarent. Omnes urbes quæ ad tractum aliquem pertinebant, conveniebant ad præcipuam hujus tractûs urbem; pernoctabant autem in plateis, ne ingrediendo in ædes polluerentur. Matutino autem tempore præses, seu præcipuus inter cæteros hisce verbis cœtum alloquebatur: *Surgite eamus Sionem ad Dominum Deum nostrum*; quâ voce auditâ omnes viam ingrediebantur, recinentes prima verba Psalmi 121. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*, &c. Nec ibant die unico plusquàm per spatia tantùm bina. Cùm erant vicini Hierosolymæ, mittebant nuntium, qui eos adventare referret. Tunc floribus « ornabant canistra, & pulcherrimos fructus expo- « nebant oculis, ut primitiæ pulchriores apparerent. « Bos præibat illis, cujus cornua erant auro oper- « ta, cum coronâ oleaginâ in capite ejus: tibia re- « sonabat ante eos, donec appropinquassent Jero- « solymam; & quando propiùs accedebant, Jero- « solymam mittebant ad eos qui coronabant primi- « tiva. Duces, inspectores, præfecti ærarii illis ob- « viam ibant, & juxta honorem intrantium exibant, « & omnes opifices, qui inveniebantur Jerosolymis « consistebant ante eos, & salutabant dicendo, Fra- « tres nostri viri loci NN. venite in pace. Tibia an- « te eos sonabat usque dum pervenissent ad mon- « tem templi, si perveniebant ad montem templi, « etiam Rex Agrippa levabat canistrum in hume- «

« rum & intrabat, donec attigisset atrium.

Canephori, sive qui primitias portabant, simul ac portas intrabant urbis, inchoabant versiculum secundum dicti Psalmi. *Stabunt pedes nostri in portis tuis, ô Hierusalem.* Deinde, præeunte tibicine, ibant usque ad montem templi, Ibi unusquisque eorum canistrum suum [ditior in aureo, aut argenteo, pauperior in vimineo] manu suâ prehendens, Psalmum canebat 150. integrum: *Laudate Dominum*, laudate Deum in Sanctuario suo, usque dum accederent ad atrium, ubi Levitæ canebant Psalmum trigesimum. Canephori primitias dabant Sacerdotibus; juxta id quod præcipitur omni Israëlitæ Deuteron. 26.

2. *Tollis de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo, pergesque ad locum quem Dominus tuus elegerit ut ibi invocetur nomen ejus.*

3. *Accedesque ad Sacerdotem qui fuerit in diebus illis, & dices ad eum: profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quòd ingressus sum in terram, pro quâ juravit patribus nostris, ut daret eam nobis.*

4. *Suscipiensque Sacerdos cartallum de manu tuâ, ponet ante altare Domini Dei tui.*

Dum canephorus offerret canistrum suum, tenens ejus ansas seu labra, Sacerdos ponebat manum suam sub eo, & ventilabat illud usque dum legisset totam periocham Deuteronomii, quæ illam spectabat oblationem, nempe quas laudes & preces continet illa periocha à versu quinto usque ad finem dicti capitis. Deponebatur canistrum ad latus altaris, inclinabatur & effundebatur quidquid in eo erat. Primitiæ pertinebant ad classem Sacerdotum, quæ tum ministrabat, ut quidam sentiunt. Opinarer repositas in aliqua cella, ut aliæ classes harum participes essent.

Qui ipsi non poterant afferre, delegabant viros conspicuos, quos Philo appellat ἱεροπομποὺς, quasi dicas viros missos ad fererenda sacra cum pompâ. Erat quasi quædam legatio, cui non obstabant Imperatores Romani. Augustus eis faverat, inquit ille libro de Legatione ad Caium. *Cognito quòd negligerentur sacræ primitiæ, per literas mandavit* hic Imperator *provinciarum Asiæ procuratoribus ut finerent Judæos solos in synagogis cœtus facere. Non enim hæc esse Bacchanalia, vel seditiosorum conventicula, turbandæ pacis causâ, sed scholas justitiæ, temperantiæque, in quibus studium virtutis floreat: primitias verò quotannis conferri undè fiant sacrificia, missâ in hoc sacrâ legatione.* Στέλλοντες ἱεροπομπους εἰς τὸ ἐν ἱεροσολύμοις ἱερόν.

CAPUT II.

De gloriâ templi, & miraculis. Quâ in re primi templi gloria major fuerit, quàm secundi. De utriusque opibus, supellectili, vasis aureis, argenteis, thesauris, reditibus.

SECTIO I.

Magna fuit gloria templi Salomonici, quod illustratum est multis miraculis. Major autem gloria Zorobabelici, quia Christus ad illud venit. Aquæ zelotypiæ haberi possunt pro miraculo.

AD institutum pertinet enarrare quæ fuerit gloria templi, quàm conspicua fierent in eo miracula; quàm immensæ ejus opes; quàm ampli reditus, quot cellaria, quot apothecæ vini, salis, olei, similaginis, ligni; tum & enumerare immensam & necessariam supellectilem, vela portarum, ministrorum sacras vestes, musica instrumenta, vasa tum aurea tum argentea sacrificiis apta, ollas, sartagines, & cætera quæ apparatus sacrificiorum complectitur. Protinus autem agendum de gloriâ templi, quæ non ducitur tantùm ab amplitudine atriorum, à porticuum magnificentiâ, structurâ eleganti, & totius operis mole, quocum nullum aliud ædificium potuit unquam contendere. Gloria, inquam, templi non repeti debet à suis parietibus, licet aureis; sed à Dei præsentiâ, quæ nomine *gloriâ Dei* significatur in Scripturis. *Apparuit gloria Dei*, videlicet in templo Deus se præsentem ostendit conspicuis signis, verbi causâ igne misso cælitùs, qui devoravit victimarum carnes in altari. Gloria Dei erat manifesta in Sancto Sanctorum ex quo de medio Cherubim, ad aures summi Sacerdotis personabat vox Dei, cùm ad Arcam accedens Deum consulebat.

Plura miracula Judæi venditant, decem numerant; non omnia indubitata, sed de quinque sequentibus res certa est. 1. Arca sacra cum operculo, Propitiatorio & Cherubim. 2. Ignis cælestis. 3. Majestas divina. 4. Spiritus sanctus. 5. *Urim* & *Thummim*. Templum his certo inclaruit; nam de medio Cherubim respondebat Deus, quoties consulebatur. Audiebatur indè vox propter quam pars illa templi, ubi Arca, dicebatur *Oraculum*. Igne cælitus demisso vidimus holocausta consumpta in altari. Per *majestatem divinam* quam habent pro tertio miraculo, intelligunt Judæi nubem gloriæ, quâ olim Deus Tabernaculum obtegebat, & implevit templum eâ die quâ dedicatum est à Salomone. A Judæis & Paraphrastis Chaldæis illa majestas Dei, sive præsentia ejus, dicitur שכינא *schekina*, id est, *habitatio*. Etiam nomine hoc Hebræo significant Rabbini Spiritum sanctum; quo afflante olim Isaias & alii prophetaverunt. Sub templo secundo Aggæus, Zacharias, & Malachias prophetaverunt; sed, inquit Rabbi Bechai, non habitavit in hoc templo jugiter majestas Dei ut in primo. Nihil addam his quæ observata sunt de miraculo *Urim* & *Thummim*, quo deprehendebantur occulta. Tum fulgor sardonychis, quem Pontifex gerebat in humero dextro; tum *Essen*, sive pectorale desiit lumen emittere annis ducentis antequàm Josephus scriberet, ut vidimus in libro tertio.

Exscribam verba Thalmudis in codice *Aboth*, sive in tractatu *de Patribus* & sub finem Gemaræ cap. 1. codicis Joma, pro ut illa Latinè reddita sunt à Constantino Lempereur in præfatione sui Middoth. « Decem miracula majoribus nostris edita sunt in templo. Non abortivit fœmina ex odore carnis sanctæ [correpta scilicet summo ejus desiderio:] nec caro sancta unquam fœtuit: nec musca ulla in poparum loco visa fuit: nec gonorrhæa contigit Sacerdoti magno expiationis die. Præterea imbres non extinxerunt ignem lignorum, quæ in foco altaris erant: nec ita invaluit ventus ut fumi columnam dimoveret. Nec unquam inventum fuit vitium, quo contaminaretur primitiarum manipulus, aut duo illi panes Levit. cap. 23. 17. aut denique panes propositionis. Insuper stabant arctissimè pressi, & tamen cùm sese prosternerent, erant sufficienti spatio separati: nec serpens vel scorpio quemquam Jerosolymis læsit unquam: nec denique quisquam dixit proximo suo, angustior est locus, quàm ut pernoctare possim in urbe Jerusalem. «

Hæc miracula primo & secundo templo propria fuisse Judæi censent. Mirum quidem est in poparum loco, nempe ubi victimarii cædebant victi-

mas, non ullas muscas occurrisse. Ut suis altaribus abigerentur, Ethnici Sacerdotes sacrificabant Deo Μυιάγρῳ, nempe qui abigeret muscas, de quo hæc Pausanias in Arcadicis, sive in libro octavo, loquens de nundinis quæ celebrabantur in honorem Minervæ *In iis nundinis*, ait, *uni ante omnes* Myiagro *rem divinam faciunt, heroemque super hostiis precati, & Myiagri nomine implorato, securitatem sibi fore inter immolandum ab omni muscarum protervitate pro certo habent.*

Magnum insuper miraculum fuit, quod locus mactationis non exhalaret odorem teterrimum. Quæ enim alia laniena cruentabatur tantâ sanguinis copiâ? Atrium quidem Sacerdotum subindè abluebatur aquis. *Pavimentum*, inquit Aristæas loquens B de templo, *totum est lapide constratum, tractusque habet aquæ immittendæ ad loca certa: quæ immittitur ad abluendum sanguinem hostiarum.* Sed pavimentum etiam aquis ablutum, cùm recenti & perpetuo sanguine respergitur, suo odore offendit nares. Si quis dicat tetrum hunc odorem fugatum fuisse absque ullo miraculo suave olentibus thymiamatis, quæ copiosè singulis diebus incendebantur in templo: huic non refragabor.

De uiset potiùs Judæos inter miracula templi recensere aquas amaras, sive zelotypiæ; quarum virtus non potest tribui rebus quæ illis admiscebantur; etenim potæ pariter læsissent omnes mulieres; solis autem nocebant, quarum fides non erat illi- C bata. Miraculum autem illud ideò pertinet ad templum, quia, ut Maimonides testatur in tractatu de Synedrio capite quinto, judicium de muliere suspectâ alibi fieri non poterat quàm coram judicibus synedrii magni, ideòque in templo; quod ipsa sacra Scriptura luculenter declarat cap. 5. Num. sistenda erat mulier suspecta coram Deo.

16. *Offeret igitur Sacerdos & statuet coram Domino.*

Igitur res transigebatur in templo.

17. *Assumetque aquam sanctam in vase fictili, & pauxillùm terræ de pavimento Tabernaculi mittet in eam.*

Judæi sentiunt aquam illam hauftam fuisse ex D labro æneo, quod erat ante Tabernaculum, in latere dextro. Mischna in tractatu *sota*, sive de uxore adulterii suspectâ, cap. 2. dicit in templo fuisse fossulam, quæ unum cubitum longa erat lataque. Huic imponebatur tabula marmorea, quam tollens Pontifex, infixus enim erat ei annulus, depromebat indè pulverem.

18. *Cùmque steterit mulier in conspectu Domini, discooperiet caput ejus, & ponet super manus illius sacrificium recordationis, & oblationem zelotypiæ, ipse autem tenebit aquas amarissimas, in quibus cum execratione maledicta congessit.*

Dicunt Judæi in Mischna positam oblationem per manus mulieris suspectæ, ut fatigaretur, & E fracta viribus fateri occiperet; corbem enim salignam in quâ erant munera, quæ maritus zelotypus offerebat, mulier tenere coacta fuit toto illo tempore, quo sacra ista res peragebatur. Aquæ amarissimæ dicuntur ob maledicta, quæ super illas Sacerdos pronuntiabat.

19. *Adjurabitque eam, & dicet: si non dormivit vir alienus tecum, & si non polluta es, deserto mariti thoro, non te nocebunt aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta congessi.*

Sic loquitur Vulgatus: *non te nocebunt* pro *non tibi nocebunt*. Mischna loco citato distinguit quæ fuerint illa maledicta, quæ scriberet in pergameno Sacerdos, & postea abrasa mitteret in vas plenum aquâ. Verba illa sequentia sunt: *Ponat te Do-* A *minus in maledictionem: ingrediantur hæ aquæ maledictionem illaturæ in viscera tua, ad tumidum reddendum ventrem tuum*, &c. Multa dicunt Thalmudici de istâ scriptione, quæ congessit Vageinselius in suo docto opere de *sota*, sive de muliere adulterii suspectâ.

20. *Sin autem declinasti à viro tuo, atque polluta es & concubuisti cum altero viro,*

21. *his maledictionibus subjacebis: Det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo suo: putrescere faciat femur tuum, & tumens venter tuus disrumpatur.*

22. *Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, & utero tumescente putrescat femur. Et respondebit mulier, amen, amen.*

Has maledictiones scribendas in pergameno priùs recitabat Sacerdos, audiente muliere; quæ respondebat *amen*, id est, fiat γένοιτο: ita mihi contingat, ut dicis, si peccavi.

23. *Scribetque Sacerdos in libello ista maledicta, & delebit ea aquis amarissimis, in quas maledicta congessit.*

Nempe in cartâ, sive pergameno; *& delebit ea*, ut fons reddi potest, *ad aquas amarissimas* אל-מים, sive schedam discerptam in aquas projiciet, vel literas inscriptas eradet, & rasuram ipsam in aquas mittet, ut mulier omnem quasi maledictionem hauriat. Non in tabulâ ligneâ scribendum erat, sed in volumine, nempe in convolutâ membranulâ factâ ex animali puro, ut volunt Thalmudici.

24. *Et dabit ei bibere, quas cùm hauserit.*

25. *Tollet Sacerdos de manu ejus sacrificium zelotypiæ, & elevabit illud coram Domino, imponetque illud super altare; ita duntaxat ut priùs,*

26. *pugillum sacrificii tollat de eo quod offertur, & incendat super altare: & sic potum det mulieri aquas amarissimas.*

Hactenus mulier portabat corbem, in quâ erant munera in sacrificium zelotypiæ oblata. Tollebat Sacerdos id ex quo debebat fieri suffitus, nimirùm portiunculam, quæ de oblatione incendenda erat. In eo Scripturæ loco, sacrificium *recordationis*, sive *memoriale*, idem est quod *sacrificium suffitûs*. Nomen Hebræum אזכרה sonat idem quod *memoria*, sive *monumentum*, etiam *suffimentum*, sive *odoramentum*. Hoc facto suffimento, potum dabat mulieri Sacerdos.

27. *Quas cùm biberit, si polluta est, & contempto viro adulterii rea, pertransibunt eam aquæ maledictionis, & inflato ventre computrescet femur: eritque mulier in maledictionem & in exemplum omni populo.*

Penetrabunt aquæ in intima viscera ejus; & computrescente femore ejus; nempe pœnam patiens in eâ parte corporis, quâ peccavit, morietur. Mischna in citato tractatu cap. 5. adstruit adulterum eâdem horâ mortuum, & quæ mulieri, eadem ei contigisse mala.

28. *Quod si polluta non fuerit, erit innoxia, & faciet liberos.*

Magnum certè miraculum, easdem aquas femur reddidisse putridum vel fecundum, pro ut rea vel innocens mulier. Aquæ enim non impediebant quominùs faceret liberos si innocens; imo efficiebant fecundiorem; quo miraculo, illustratum est templum, donec multiplicatis adulteriis, inquit Jochanan Ben Zacai, defecerunt aquæ amaræ.

Aggæus vaticinatus erat majorem futuram gloriam templi secundi. Quo sensu id dixerit meritò quæritur. Etenim copiâ auri & argenti, & dictis miraculis fuit infra templum Salomonicum; sed, ut suo loco diximus, dum historiam templi pertexe-

bamus, secundum templum omnem suam gloriam habuit à Jesu Christo Domino nostro, qui verus Deus in eo præsens interfuit, carne suâ indutus; ita verè præsentior Deus censendus est illud habitasse; quod nec caruit miraculis, si quidem plurima ipse Christus fecit in templo. Pristina illa miracula tunc temporis erant inutilia; nec enim ampliùs opus Oraculo, nec Arcâ, nec Propitiatorio, cùm ipse Deus præsens, Verbum Dei caro factum ipse homines compellaret; nec luce *Urim* & *Thummim* indigebant Apostoli, collustrati donis Spiritûs sancti. Ignis, inquam, cælo delapsus non ampliùs necessarius, quod jam nullæ essent victimæ, & cælestis flamma, nempe charitas, quam infundebat Spiritus, corriperet corda hominum. Ideò desiêre antiqua miracula; sicut & ipsum templum eversum est, cùm jam typis in eo edendis locus non superesset.

Quodlibet ædificium suam habet gloriam à sapientia, quâ structum est in certos usus; quos ubi præstat, tum opus, tum opifex jure laudantur. Neque enim insanæ illæ moles, in quibus tantùm apparent opes & labores immensi, sive potiùs inepti, ullis laudibus dignæ sunt. Cùm ergo miris modis inservierit templum prænuntiando & significando Jesu Christo Domino nostro, indè suam gloriam habuit. Josephus Jachides in Paraphrasi suâ Danielis agnoscit Tabernaculum & templum habendum esse tanquam librum sapientiæ altioris, & rei gloriosæ; & compellans fratres suos, *vos estis*, inquit, *templum Dei.* Ad eam doctrinam, aut ad ipsum templum, à quo omnem pollutionem abesse oportebat, alludebat B. Paulus, cùm ex eo quòd vas nostrum, nimirùm corpus nostrum sit templum Spiritûs sancti, concludit castum illud esse servandum. *Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Abarbanel commentus est vaticinium Aggæi attinere ad tertium templum, quod excitandum sit sub Messia, quem adhuc Judæi expectant.

SECTIO II.

De reditibus templi, tum ex spontaneis donis, tum ex vectigalibus, quæ Judæi templo pendere tenebantur. Opes illæ impendebantur ad sarta tecta templi.

Opibus, gazis templum constat fuisse refertum. Reditus ejus immensi erant omnes necessarii ad sarta tecta, ad pretiosam supellectilem, ad tot vasa, & alia decora jam enumerata, aut enumeranda. De illis loquitur Philo in libro de Monarchia. » Reditus autem templum habet non solùm à Latifundiis, sed & multos potiores alios, nullo unquam interituros tempore. Donec enim genus humanum permanebit, perpetuò reditus hi cum mundo stabunt incolumes. Institutum est enim quot annis offerri primitias ab omnibus, qui annum vigesimum attigerint. Has redemptionum λύτρα vocant; ac proinde volentes, libentes summâ cum alacritate offerunt, quasi hoc pacto suam libertatem, sanctitatem, salutemque redempturi in posterum. Cùm autem hæc gens sit populosissima, procul dubio hæ primitiæ maximam rerum copiam suppeditant. Quocirca penè oppidatim sunt sacra æraria, ubi mos est deponi primitias; quam sacram pecuniam certis temporibus legati ad templum perferunt, delecti ex cujusque civitatis optimatibus committentis huic legationi spes suas, quas in religione, oblatisque ritè primitiis collocant.

A Judæ. omnes debebant Deo fructuum omnium primitias, pecorum, frugum, arborum; ut vidimus explicantes Tabernaculum, & ea quæ ad illud pertinebant. Cùm non poterant deferre res ipsas ob itinerum longinquitatem & difficultates; deferebant pretium. Sed præter primitias Judæi statim ac vigesimum annum attigerant, tenebantur viritim solvere semi-siclum; quam legem exposuimus suo loco, dum ageremus de Tabernaculi opibus & reditibus. Tributum hoc quod Tabernaculo debebatur, postea templo solutum, & post ejus eversionem Capitolio; ut dicit Josephus lib. 7. de Bello cap. 26 « Cæsar, inquit, stipendium ubicumque degerent Judæis indixit; binasque drach- « mas singulis annis deferre in Capitolium jussit, «
B ita ut Hierosolymorum templo antehac pendebant. « Illud est tributum quod appellabatur δίδραχμον, cui obnoxius erat omnis Israëlita à vigesimo anno, ut præscribitur in Exodo cap. 30. v. 14...... *Media pars sicli offeretur Domino, Qui habetur in numero à viginti annis & supra dabit pretium.* Siclus, ut in libro primo declaravimus, par erat quatuor drachmis Atticis; ita dimidia pars ejus, sive semi-siclus duabus drachmis. Nehemias ad hanc annuam pensionem solvendam cùm Hierosolyma reversus est se & populum addixit, cap. 10. 32. *Et statuemus super nos*, inquit Nehemias, *præcepta, ut demus tertiam partem sicli per annum ad opus domûs Dei nostri.* Nimirùm ultra dimidium sicli, quod lex Moysis exigit, tertiam insuper partem sicli solvemus quam impendemus ædificando templo. Ex hoc tributo, & ex decimis & primitiis redibant ingentes reditus: nam in omnem terrarum orbem pervaserant Judæi; adeò ut, licet exiguum vectigal penderent, incredibilis copia auri & argenti redundaret in templi thesauros. Statuebant autem quasdam urbes munitissimas, ubi deponerentur collecta vectigalia, postea deferenda in sacram urbem. Ex hisce urbibus in Asiâ fuêre Neerda & Nisibis, quæ hostium assultibus non subjacebant: « Quapropter, ait Josephus Antiq. 18. cap. 12. Judæi freti locorum naturâ, « sacrum didrachma (nempe tributum dimidii sicli) « quod Deo ex more solent offerre, cæteramque «
D votivam pecuniam, in his urbibus deponebant, « tanquam in communi ærario; indè suo tempore « transferendam Hierosolyma: quæ deinde à mu- « tis hominum myriadibus illò deducebatur, me- « tuentium latrocinia Parthorum, quorum ditioni « tum suberat Babylonia. «

Itaque thesauros templi implebant missa ab omni orbe tributa, ait Josephus lib. 6. de Bello cap. 6. Παρὰ τῆς οἰκουμένης δασμοὶ πεμπόμενοι τῷ Θεῷ. Loquens de illis immensis aggeribus, qui spatium dedere atriis & ædificiis templi *Spe*, inquit, *majus opus constructum est, in quo longa sæcula consumpta sunt, omnesque thesauri sacri, quos toto orbe missa munera repleverant;* & in Antiquitatibus lib. 14 cap. 12. mentionem faciens istius trabis solidâ ex auro, quam
E Judæi dederunt Crasso, ut parceret cæteris templi thesauris; *Nec est mirandum*, inquit, *tantas divitias in nostro templo fuisse, cujus Deum cùm omnes ubique terrarum Judæi venerentur & colant, tam ex Europâ quàm ex Asiâ longo tempore huc eas contulerant.* Tacitus templum Hierosolymitanum scribit fuisse immensæ opulentiæ.

Hùc facit quod de Judæorum frequentia dicit Philo in libro de sua legatione ad Caium. Indicat quantùm terroris incutere potuissent Judæi Romanis, si bellum à quo erant alieni, suscipere voluissent. Ideò Petronius qui procuraverat Judæam, noluerat Judæos exacerbare. « Cogitabat enim quam populosa esset hæc natio, non ut aliæ comprehen-

sa unius regionis spatio, sed totum pene orbem passim incolens. Diffusa est enim per continentis provincias omnes, atque insulas, adeò ut non multò pauciores sint indigenis. Tam multas hostium myriades in se provocare an non periculosa videri poterat alea? ne fortè illis per omnes terras conspirantibus, & ad vim arcendam certatim in unum confluentibus, bellum exoriretur insuperabile: absque eo quod ipsam Judæam innumera multitudo incoleret, viri tum corpore valentissimi, tum animo fortissimi. . . . . . Terrori etiam transeuphratenses copiæ Nam Babylonem & multas alias Satrapias à Judæis teneri, non auribus solùm, sed & oculis compertum habebat: quòd singulis annis sacra pecunia mitteretur indè in templum primitiarum nomine. Quàm latè diffusa esset Judæorum natio, ut significaret idem Judæus, ostendit sanctam civitatem Jerusalem « esse metropolim non unius regionis Judææ, sed & multarum propter colonias olim indè deductas, vel propiùs in finitimam Ægyptum, Phœnicem, Syriam, tum cæteram, tum eam quæ Coele cognominatur: vel longiùs in Pamphyliam, Ciliciam, plerasque Asiæ partes usque Bithyni m, & Ponti sinus intimos. Pari modo in Europæ Thessaliam, Boëtiam, Macedoniam, Ætoliam, Atticam, Argos, Corinthumque, Peloponesi partes præcipuas Nec tantùm continentis provinciæ plenæ sunt coloniis Judaicis, sed & insularum celeberrimæ Eubœa, Cyprus, Creta, ne quid dicam de Transeuphratensibus. Exceptâ enim parvâ parte Babylonis & aliarum præfecturarum, omnes urbes, quæ bonum agrum habent, à Judæis incoluntur. Hæc quæ dicit Philo confirmantur à B. Luca qui innuit in Actis c. 2. Judæos Hierosolymis repertos qui eo festo, quo Spiritus Sanctus descendit in Apostolos, hùc venerant ex omnibus mundi plagis.

9 *Parthi, & Medi, & Ælamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Judæam & Capadociam, Pontum & Asiam.*

10 *Phrygiam & Pamphyliam, Ægyptum & partes Lybiæ, quæ est circa Cyrenen, & advenæ Romani.*

11. *Judæi quoque & proselyti, Cretes & Arabes audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.*

Philo memorat Augustum permisisse Judæis ut trans Tiberim urbis partem magnam tenerent, nec vetuisse quominùs primitiæ ab omni orbe deferrentur ad templum; quin ipse jussit » cognito quod negligerentur sacræ primitiæ, per literas mandavit provinciarum Asiæ procuratoribus, ut sinerent Judæos solos in synagogis cœtus facere.... primitias verò quotannis conferri, unde fiant sacrificia, missâ in hoc sacrâ legatione ad templum Hierosolymitanum. Dein edicit ne quis sit impedimento Judæis cœtus, collectasve facientibus, aut Hierosolyma eas mittentibus more patrio. Videre est apud Ciceronem in Oratione pro Flacco quosdam fuisse qui obstarent; & ipse Flaccus obstabat. » Cùm, inquit Cicero, aurum Judæorum nomine, quotannis ex Italia & ex omnibus vestris provinciis Hierosolymam exportari soleret, Flaccus sanxit edicto, ne ex Asia exportari liceret. Verùm istam consuetudinem postea edicto Augustus confirmavit, quod Josephus refert Antiquit. 16. cap. 10. » Quoniam Judæorum gens semper fida & grata fuit populo Romano, non nunc tantùm, sed & superiori etiam tempore, præcipuè patri meo Imperatori Cæsari sub Hircano Pontifice: placet mihi de communi jurati senatûs sententiâ, Judæos uti propriis ritibus ac legibus, sicut utebantur tempore Hircani Pontificis Dei maximi, & fanis eorum jus asyli manere: liceréque eis votivam pecuniam per certos homines mittere, &c. « Illud rescriptum in columna in templo Cæsaris inscriptum dicit Josephus « Cæsar Norbano Flacco salutem Judæis ubicumque terrarum degentibus sacram pecuniam ex veteri instituto Hierosolyma mittere nemine prohibente liceat. «

Ne quis dicat hæc dici, sive potiùs fingi à Judæis ad gentis suæ gloriam, audiatur Dion Cassius in libro 37. loquens de Judæis. « Judæa gens, Judæi appellantur. Id cognomenti undè initium cœperit haud scio. Equidem & alii homines qui secundùm eorum statuta vivunt, id gerunt, quamquam alienigenæ. Est id genus hominum apud Romanos etiam, atque tametsi sæpè numero imminutum fuerit, ita tamen auctum est ut legum quoque potestatem vicerit. « Verterem postrema verba Græca Dionis ὥστε καὶ ἐς τὴν παῤῥησίαν τῆς νομίσεως ἐκνικῆσαι, ut vi obtinuerit exercitium legum suarum. « Eadem ferè dixerat Seneca, cujus fragmentum B. Augustinus inseruit cap. 11. libri sexti de Civitate Dei. Cùm interim usque eò sceleratissimæ gentis consuetudo convaluit, ut per omnes jam terras recepta sit: victi victoribus leges dederunt. « Hæc durioribus verbis exprimit Rutilius in itinerario, sed elegantibus.

Atque utinam nunquam Judæa subacta fuisset
Pompei bellis, imperioque Titi.
Latiùs excisæ pestis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit,

Non sine Dei nutu, & magnâ providentiâ id contigit. Etenim quoniam magna Judæis erat Christi venturi expectatio, & semper eum in ore habebant, sparg bant per orbem famam ejus; Apostoli paratas omnes gentes ad excipiendum Evangelium invenerunt. Ostendebant Jesum, quem prædicabant, ipsum esse Christum, quem Judæi juxta Prophetarum vaticinia jam jam venturum sperabant.

Revertamur ad tot tantosque reditus templi. Qui eos percipiebant, tenebantur præstare templum sartum tectum; quod cùm facere neglexissent, regnante Athaliâ impiâ muliere, Joas Rex piissimus curavit ne alibi quàm ruinis templi reparandis impenderentur. Res enarratur in quarto Regum capite 12.

4 *Dixitque Joas ad Sacerdotes: omnem pecuniam sanctorum, quæ illata fuerit in templum Domini, à prætereuntibus, quæ offertur pro pretio animæ, & quam sponte, & arbitrio cordis sui inferunt in templum Domini.*

Pecunia Sanctorum, id est, destinata ad res sanctas, ad cultum Dei. Illud *à prætereuntibus*, interpretor pecuniam, quæ viritim solvebatur ab iis qui censebantur. Alii intelligunt pecuniam quæ offerebatur à piis alienigenis, qui adoraturi veniebant ad templum. *Pro pretio animæ suæ*, ad redimendam animam suam, ut cùm pro primogenito filio dabatur certum pretium. *Et quam sponte* scilicet dona spontanea. Joas complectitur omnes templi reditus, sive omnes opes quas vult colligi à Sacerdotibus.

5. *Accipiant illam Sacerdotes juxta ordinem suum, & instaurent sarta tecta domûs, si quid necessarium viderint instauratione.*

Illud juxta ordinem suum obscurum est: clarior fons Hebræus *à noto suo*, sive a notis sibi. Græci vertunt ἀπὸ τῆς πράσεως αὐτοῦ *à venditione suâ*, id est, ex pretio, quo res offerenda æstim batur. Vox מכר quæ legitur in fonte derivari potest à נכר *agnovit*: undè מכר *notus*, vel à מכר *vendidit*; quòd Græci secuti sunt. *Et instaurent sarta tecta*, ut reparent ruinas domûs Dei.

6. *Igitur*

6. *Igitur usque ad vigesimum tertium annum Regis Joas, non instaurarunt Sacerdotes sarta tecta templi.* A

7. *Vocavitque Rex Joas Joiadam Pontificem & Sacerdotes dicens: quare sarta tecta non instauratis templi? Nolite ergo ampliùs accipere pecuniam juxta ordinem vestrum, sed ad instaurationem templi reddite eam.*

Suspicatus est Rex Sacerdotes pecuniam in suum vertisse commodum

8. *Prohibitique sunt Sacerdotes ultra accipere pecuniam à populo, & instaurare sarta tecta domûs.*

9. *Et tulit Joiada Pontifex gazophylacium unum, aperuitque foramen desuper, & posuit illud juxta altare ad dextrum ingredientium domum Domini, mittebantque in eo Sacerdotes, qui custodiebant ostia, omnem pecuniam, quæ deferebatur ad templum Domini.* B

Illud *gazophylacium* in fonte nominatur ארון *aron*, id est *Arca*. Ob istam Arcam, locus ad portam orientalem atrii Sacerdotum, ubi locata est, appellatus est *gazophylacium*; in quo Jesus C. sermonem habuit ad Judæos. *Posuit illud juxta altare.* Sic interpretandum, ut Arca posita fuerit juxta portam, quâ intrabatur in atrium Sacerdotum ubi altare; ut liquidò dicitur in loco parallelo Paralipomenorum. 8. *Præcepit ergo Rex & fecerunt Arcam, posueruntque eam juxta portam domûs Domini forinsecùs.* Scilicet in loco ad quem accedere poterant laici, quibus non licebat in limine portæ orientalis atrii Sacerdotum consistere nisi ad imponendum manum victimis suis. Ipsi, inquam, laici dona sua conjiciebant in hanc Arcam; vidimus in Evangelio, viduam fecisse. In eandem Arcam mittebant acceptam pecuniam Sacerdotes, *qui custodiebant ostia.* In fonte custodientes סף, id est, *limen* nempe ingressum; quæ vox usurpatur in eo sensu in libro Esther cap. 2. 21. *Qui janitores erant & in primo palatii limine* סף *præsidebant.* Locus ille in porta orientali atrii Sacerdotum præcipuum erat limen, sive præcipuus introitus ad quem accedebant Israëlitæ, ut vidimus, dum eo in loco suprà versabamur. C

10 *Cùmque viderent nimiam pecuniam esse in gazophylacio* in Arcâ, *ascendebat scriba Regis, & Pontifex.* Inspectorem habere ille voluit, ne quâ suspicione aspergeretur. *Effundebantque & numerabant pecuniam, quæ inveniebatur in domo Domini.* D

11. *Et dabant eam juxta numerum atque mensuram in manu eorum qui præerant cæmentariis domûs Domini: qui impendebant eam in fabris lignorum & in cæmentariis iis, qui operabantur in domo Domini.*

12. *Et sarta tecta faciebant: & in iis, qui cædebant saxa. & ut emerent ligna & lapides, qui excidebantur, ita ut impleretur instauratio domûs Domini in universis quæ indigebant expensâ ad muniendam domum.*

Ædificia templi corruebant, neglecta à tempore Athaliæ. E

13. *Verumtamen non fiebant ex eâdem pecuniâ hydriæ templi Domini, & fuscinulæ, & thuribula, & tubæ, & omne vas aureum & argenteum, de pecuniâ quæ inferebatur in templum Domini.*

Non tam necessaria vasa quàm instauratio parietum qui corruebant; & hæc erat præcipua intentio horum qui offerebant hæc munera. Postea, ut mox dicemus, etiam vasa conflata sunt.

14. *Iis enim qui faciebant opus, dabatur ut instauraretur templum Domini.*

15. *Et non fiebat ratio iis hominibus, qui accipiebant pecuniam ut distribuerent eam artificibus, sed in fide tractabant eam.*

Non cogebantur quæstores ad rationes accepti & expensi reddendas

16 *Pecuniam verò pro delicto & pecuniam pro peccatis non inferebant in templum Domini, quia Sacerdotum erat.*

Sacerdotes emebant victimas in illa sacrificia; & quod supererat pecuniæ in eorum utilitatem cedebat. Hæc eadem enarrantur libro 2. Paralipomenorum cap 24.

4. *Post quæ placuit Joas ut instauraret domum Domini.*

5. *Congregavitque Sacerdotes & Levitas, & dixit eis: egredimini ad civitates Juda, & colligite de universo Israël pecuniam ad sarta tecta templi Dei vestri, per singulos annos, festinatòque hoc facite: porrò Levitæ egêre negligentiùs.*

6. *Vocavitque Rex Joiadam principem, & dixit ei: Quare tibi non fuit curæ, ut cogeres Levitas inferre de Juda, & de Jerusalem pecuniam, quæ constituta est à Moyse servo Domini, ut inferret eam omnis multitudo Israël in Tabernaculum testimonii.*

Indicatur causa, quâ Joas urgeret Sacerdotes & Levitas.

7. *Athalia enim impiissima & filii ejus destruxerunt domum Dei, & de universis quæ sanctificata fuerant in templo Domini, ornaverunt fanum Baalim.*

8. *Præcepit ergò Rex, & fecerunt Arcam: posueruntque eam juxta portam domûs Domini forinsecùs.*

9. *Et prædicatum est in Juda & in Jerusalem, ut deferrent singuli pretium Domino, quod constituit Moyses servus Dei super omnem Israël in deserto.*

Cùm data est lex & Israëlitæ peregrinarentur in deserto.

10. *Lætatique sunt cuncti principes & omnis populus: & ingressi contulerunt in Arcam Domini, atque miserunt ita ut impleretur.*

Lubenter conjecerunt in Arcam quod priùs conferebant in manus Sacerdotum

11. *Cùmque tempus esset ut deferrent Arcam coram Rege per manus Levitarum (videbant enim multam pecuniam) ingrediebatur scriba Regis, & quem primus Sacerdos constituerat, effundebantque pecuniam, quæ erat in Arcâ: porrò Arcam reportabant ad locum suum: sicquè faciebant per singulos dies, & congregata est infinita pecunia.*

12. *Quam dederunt Rex & Joiada his, qui præerant operibus domûs Domini: at illi conducebant ex eâ cæsores lapidum & artifices operum singulorum, ut instaurarent domum Domini: fabros quoque ferri & æris, ut quod cadere cœperat, fulciretur.*

13. *Egeruntque hi qui operabantur industriè, & obducebatur parietum cicatrix per manus eorum, ac suscitaverunt domum Domini in statum pristinum, & firmiter eam stare fecerunt.*

14. *Cùmque complessent omnia opera, detulerunt coram Rege, & Joiada reliquam partem pecuniæ de quâ facta sunt vasa templi in ministerium, ad holocausta, phialæ quoque & cætera vasa aurea & argentea.*

Post completam instaurationem, quæ magis urgebat, conflaverunt vasa; quæ dilata fuerant sic quartus Regum & secundus Paralipomenorum secum non pugnant, dum primus dicit vasa non facta, nempe ante instaurationem domûs, alius facta celebrat post instaurationem. De istis vasis protinùs sermonem faciam.

SECTIO III.

Supellex templi erat infinita vela pretiosa singulis portis oppandebantur: diversis vestibus ministri pro dignitate induebantur. Vasa parva & magna ex omni metallo, & formæ diversæ, pro usu ad quem conflata vix numerari possunt.

CUm tot tantique essent templi reditus, non solùm ad ejus sarta tecta opes suppetebant, sed ad omnem impensam ad supellectilia, & ea singula quibus opus erat in sacrificiorum apparatu. Aulæis quidem non erant obtegendi parietes ædis sacræ, satis decori aureis laminis; sed portis singulis atriorum oppandebantur vela. Fusè locuti sumus de magno illo velo ædis sacræ. Etiam ostio Oraculi appositum erat velum: ita opus pluribus velis; & his magnis, quia ostia magna. Inter præfectos templi unum videbimus præfuisse textoribus, qui aulæa, sive vela conficiebant, & resarciebant. Pretiosa erant, tum arte, tum materiâ. Alteri præfecto vestium Sacerdotalium cura demandata erat. Ministri omnes sacri non poterant defungi munere suo, nisi induti vestibus quæ ordini suo congruerent. Omnes autem Sacerdotum classes ministrabant in festis solemnibus, ut in Paschate. Et Levitæ non serviebant Sacerdotibus, nisi amicti veste sacrâ. Triginta autem millia forsan & ampliùs numerari possunt; totidem ergo vestibus vestiarium refertum erat. Josephus in libro 8. Antiquitatum sacras vestes numerat, ubi recenset quæ parata fuerant à Salomone in usum templi. » Paratæ erant, inquit, stolæ Sacerdotales principibus Sacerdotum, annumeratis talaribus, & epomididibus atque pectorali » cum suis gemmis, in universum mille. Corona » verò, in qua Moyses Dei nomen inscripsit, unica » fuit, & usque in hodiernum permansit. Stolas autem Sacerdotales è bysso fieri curavit, cum decies mille zonis purpureis, & tubarum, quales » Moyses præscripsit, ducenta millia. Item alias stolas byssinas Levitis hymnorum cantoribus, numero ducenta millia.

Munus sacrorum Ministrorum erat parare, curare, perficere sacrificia, decantare hymnos sacros. Differemus proprio capite de Cantoribus sacris, de illorum numero, de forma & usu instrumentorum, quibus uterentur in templo. Hic tantùm exponam, quod de horum instrumentorum numero dicit Josephus; qui sic pergit loqui de his quæ paraverat Salomon » Instrumentorum præterea musicorum, » quæ naula & cinnyræ vocantur, in usum hymnodiarum ex electro confecit quadraginta millia. » Quæ omnia Salomon ad honorem Dei magnificè » paravit; nullis parcens sumptibus: sed omni liberalitate usus, hæc in thesauris Dei condidit.

Ipsa verò sacrificia, quæ fierent multo apparatu, egebant innumerâ supellectili. Primùm non sacrificabant Sacerdotes, nec intrabant in sacram ædem, nisi mundi, ablutis pedibus & manibus; ideò necessaria multa pollubra. De mari æneo, & de luteribus diligenter diximus. Hæc vasa erant maxima; sed minora requirebantur numero infinita. Cultri qui formam propriam habebant, si ex Gentilium sacris conjecturam ducere liceat, proprio loco asservabantur juxta ædem ad latera vestibuli; in loco qui in Talmudica delineatione templi appellatur בית החילפות *Beth ha chillophoth*: culter Arabicè appellatur *chilloph*. Constantinus Lempereur vertit, *secespitarum, sive sacrorum cultrorum repositorium*. Secespita à secando. Cultrum ferreum erat oblongum quo Pontifices ad sacrificia utebantur. In

A In illa domo, sive in illo loco cultrorum erant viginti quatuor risci. Riscus est locus concavus intra parietem: fenestella, *une armoire*. Riscus à *ῥύομαι custodio*. Ita vocem Hebræam חלון *chalon* rectè vertit Lempereur *riscus*. In dicto loco viginti quatuor erant tales fenestellæ, in quibus ministri reponebant secespitas, sive cultros sacros.

Formam sacrorum cultrorum, quorum erat usus in Judæorum sacrificiis, ex nullo monumento eruere possumus; sed illi quibus Gentiles utebantur, inveniuntur expressi in plerisque antiquis marmoribus, & in vetustis nummis, ut videre est apud Choulium & alios, qui de Gentilium sacrificiis disseruerunt. Vaginam, seu thecam cultrorum in columna Trajani victimarius de zona pendentem B gestat. Secespitæ, secures & alii cultri sacri, Lector, tibi ob oculos depicta exhibentur. Inter cultros sacros erant qui utrinque habebant aciem, hos Græci *δίστομοι*, Latini ancipites, nos *couteaux à deux tranchans* appellamus. Horum major usus apud Hebræos, qui ut infra dicemus, cùm victimas mactabant utrumque jugulum, asperam arteriam, & esophagum manu apprehendentes simul & uno ictu secabant. Itaque necesse erat ut culter penetraret & utrinque acie sua secaret. Huic cultro comparat Verbum Dei Paulus ad Hebræos cap. 4.

12. *Vivus est enim sermo Dei & efficax* ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ constat ibi fieri sermonem de Filio Dei. ὁ λόγος Θεοῦ sermo quidem est Dei: sed clariùs ibi redderetur C *Verbum Dei*. Expendenda quæ sequuntur *& penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritûs, compagum quoque ac medullarum & discretor cogitationum & intentionum cordis*. Significat Apostolus: omnes intimas cogitationes nostras Verbo Dei patere, & illi esse notissimas; quod sequentibus verbis Apostolus declarat 13. *Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis est sermo*. Juxta fontem Græcum prosequitur Apostolus alludere ad sacrificia. *Omnia nuda* καὶ τετραχηλισμένα. Nomen est sacrificiale, inflectebant & resupinabant Sacerdotes collum victimæ ut jugulum ejus pateret; quod expressimus in tabula instrumentorum quibus utebantur Sa- D cerdotes in sacrificiis & in musicis cantibus. Gladius ille anceps pertingebat usque ad divisionem animæ & spiritûs. Ad esophagum quo alimenta recipimus & vivimus: ad arteriam asperam, quâ spiritum ducimus.

Gentes utebantur & malleis, quibus percussæ victimæ & obstupefactæ patiebantur cultros. *Malleus* ille dicitur à Græcis σκυτάλη, ῥόπαλον. Malleolorum non erat usus apud Hebræos, ut vidimus. Cavebant enim ut sanguis totus effunderetur ex victima; quæ cùm malleo percutitur, concrescit ex livore sanguis affusus & non effluit.

Plura erant instrumenta ænea, quorum non inibatur numerus; quia tunc temporis nullum erat æ- E ris pretium; adeò abundabat. Palarum ænearum usus erat ad removendos cineres altaris, & ad purgamenta exsportanda. Fecit Salomon, dicit scriptor tertii libri Regum cap. 7. 49. *Lucernas desuper aureas: & forcipes aureos, 50. & hydrias & fuscinulas, & phialas, & mortariola, & thuribula, de auro purissimo: & cardines ostiorum domûs interioris Sancti Sanctorum, & ostiorum domûs templi, ex auro erant*. Horum numerus infinitus.

Ex iis quæ de ratione faciendorum sacrificiorum observavimus, liquet vasis imprimis opus fuisse ad excipiendum sanguinem, qui ex victimâ hauriebatur, & deferebatur ad altare, ubi effundebatur. Hæc vasa à Latinis *pateræ*, nominantur.

Vasa erant propria libationibus, sive ex aqua, sive ex vino, ut minutatim funderent: à guttis *gutum* appellarunt, ait Varro libro 4. de Lingua Latina; sicut quod sumebant minutatim à sumendo *sumpulium*. In tabula sacrificalium instrumentorum exhibuimus illud simpulum.

Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem
Suscipiunt pateris, &c. *Æneid.* 6.

Pateræ autem deferebantur ad altare his: libabant sanguinem. *Æneid.* 12.

& tempora ferro
Summa notant pecudum, paterisque altaria libant.

Nomen autem *pateræ* non usurpat Latinus Interpres. Vas illud quo fiebant aspersiones altaris cum sanguine victimæ, nominatur in fonte Hebræo מזרק *Mizrach*; quod a Græcis sæpiùs redditur φιάλη *phiala*.

Prosecabantur, sive in partes dissecabantur victimæ super mensas; quæ prout exigebat ratio sacrificii, aliæ destinabantur foco altaris, aliæ Sacerdotibus, aliæ ipsis laicis qui obtulerant. Itaque in lancibus disponebantur variis. Sed & pelvibus opus erat, ut priùs membra victimæ lavarentur, abluerentur. Virgilius describit sacrificium lib. 5. 101.

onerantque aras, mactantque juvencos.
Ordine ahena locant alii, fusique per herbam
Subjiciunt verubus prunas & viscera torrent.

Et libro primo,

Pars in frusta secant, verubusque trementia figunt:
Littore ahena locant alii, flammasque ministrant.

His ahenis, inquit ibi Servius. *utebantur, non ad elixandas carnes, sed ad se lavandos. Heroicis enim temporibus carne non utebantur elixâ.* Verùm primis temporibus Reipublicæ Israëliticæ certum est carnes sacris epulis appositas fuisse quæ in ollis coctæ fuerant, ut demonstrat historia filiorum Heli, qui ex ipsis ollis, antequàm coquerentur, eas educebant.

Victimæ exenterabantur. Exta *disco*, sive *lance* reponebantur cum adipe: cujusque autem pecoris adeps flammis altaris incendendus erat; ita, necessarii complures disci, sive lances. Apud Ethnicos disci variis figuris exornabantur, ut cum majori pompa fieret sacrificium; quod postquam peractum fuerat disci appendebantur in templis in tænia ordinis Dorici. Testimonium non impensis mediocribus victimas oblatas fuisse. *Salinum* & *patella* vasa erant, quibus sal ad mensæ & sacrificiorum usum imponebatur. Sine sale nullum sacrificium fiebat. Sæpiùs thus adhibebatur in arcula, quæ à Latinis dicitur *acerra*; quæ erat, ait Servius *arca thuralis*. In Exodi capite 25. 29. mentio fit quorumdam vasorum, ad quæ juvat hîc mentem advertere. Dominus alloquitur Moysen, & præcipit quæ debeat præparare ministerio Tabernaculi. *Parabis & acetabula ac phialas, thuribula & cyathos, in quibus offerenda sunt libamina.* Primum ex illis vasis in codice Hebræo appellatur קערות *Kearoth*; quod nomen constanter redditur in Græca versione τρυβλία: in Vulgata Latina, *acetabula*, at in Numeris 4. 7. *thuribula*. Τρύβλιον apud Græcos genus erat vasis capacioris, quo illi utebantur in libationibus & solemnioribus epulis ad commiscendum aliquid. Commixtiones similæ, olei, thuris in lege

A præscribebantur in Levitico cap. 2. קערה *Kearah* fuisse vas notabilis capacitatis, adstruit pondus ejus quod definitur in Numeris 7. ubi recensentur dona principum Nathanaël dicitur unum obtulisse, quod ponderabat 130 siclos, ponderis Parisini 7 marcas, 4 uncias, 3 grossos, 3 denarios, 18 grana. Acetabulum dicitur ab aceto, quod primum huic vasi infundebatur. Deserviebat & ad alios usus. Sunt qui volunt dictum quasi *acceptaculum*: sed cùm de vasis Scripturæ sermo est, mens non advertenda ad nomina quibus in quacumque versione nominantur. Vas de quo quæstio, ponderosius videtur, quam ut haberi possit pro vasculo. In libro tertio vidimus קערה *Kearah* vas fuisse, in quo formarentur panes propositionis.

B Alterum vas, cujus fit mentio in loco Exodi in quo versamur, nominatum est כפות *Kappoth* à כף, quod propriè significat cavitatem manûs, & in genere quidquid cavum, sive curvum est. Græci interpretantur θυίσκη, vas in quod conjiciuntur suffimenta. B. Hieronymus כפות interpretatus est *thuribula*, id est, vas suffimenti. In Numeris cap. 7. 20. idem vas כף interpretatur *mortariolum aureum*, cujus pondus ibi dicitur fuisse decem siclorum, id est, 4 unciarum, 5. grossorum, 18 granorum. Illud autem vas sic dicebatur, quia volam manûs imitabatur. Rabbini illud habent pro cochleari.

Tertium vas in fonte nominatum est קשות *chesoth*; juxta Græcos σπονδεῖα, vas in libationibus usitatum. C Illud est quod Vulgatus Interpres censendus est reddidisse *phialas*. Dum ageremus de mensa panum propositionis, vidimus juxta Judæos *chesoth* fuisse baculos aureos, quibus innicerentur ordinationes panum propositionis. Ibi nulla fiebat libatio; quapropter כשות neutiquam pro vase libatorio accipiendum.

Quartum denique vas nominatur מנקיות *menachioth*; a Græcis Κύαθοι, ut & a Latino Interprete. Judæi non intelligunt vas, sed aureos calamos, qui medii ponerentur inter panes propositionis ne mucidi fierent. Certè non aliis vasis opus erat in mensâ dictâ, quàm quibus reponeretur thus, quod imponendum erat panibus, & catinis qui subjiciebantur panibus. D Non ergo phialis locus erat, quo nomine Græci & Latinus Interpres vertunt Hebræum מזרק *mizrach*; vas, ut notat origo ejus זרק *aspergere, respergere*, aptum aspersioni sanguinis, quo nimirùm aspergebatur altare. Tale vas argenteum offertur in capite 7. Numerorum v. 19. quod erat 70 siclorum, qui faciunt 4 marcas, 4 grosses, 2. denarios, 6 grana. Ita vase illo poterat excipi victimæ sanguis, ad altaris pedem effundendus.

Inter vasa quæ abstulerat Nabuchodonosor de Jerusalem, & posuerat in templo Dei sui: Cyrus autem Judæis restituenda curavit illa nominantur in libro Esdræ primo cap. 1.

9. *Et hic est numerus eorum: phialæ aureæ triginta, phialæ argenteæ mille, cultri viginti novem,* E *scyphi aurei triginta.*

10. *Scyphi argentei secundi quadringenti decem: vasa alia mille.*

11 *Omnia vasa aurea & argentea, quinque millia quadringenta.*

Esdras numerat אגרטלים *agarthalim* 30 aureos & mille argenteos. Vulgatus interpretatus est phialas: Græcis sunt ψυκτῆρες; quo & nomine utitur Josephus, enumerans vasa templi; in his pocula abluebantur, & vinum refrigerabatur, juxta Suidam: juxta Athenæum, vas in quo vinum cum aquâ miscebatur: juxta Hebræos *pelvis, polubrum*, vas abluendis manibus & pedibus. Esdras post *agarthalim* nominat מחלפים *Machalaphim* viginti novem: Vulgatus cul-

A tres intelligit. Ibi Græci ponunt *παρηλλαγμένα mutatoria*. Hebræi habent pro cultris quibus victimæ cæderentur חלף *mutavit, permeavit, exscidit*. Sic cultri dicti *machalaphim* ab *incidendo*. Josephus reddit nomen illud Θηρίκλεια, quasi & θὴρ *fera*, & κλείω *claudo*. Post duo dicta vasa in Esdra nominantur כפורים, in Vulgata *scyphi argentei triginta*. Græci exprimunt Græcis literis nomen Hebræum, scribentes Κεφουρὲς. In Josepho sunt Κάδδοι, quos dicit fuisse aureos numero quinquaginta. Fons agnoscit tantùm triginta. Nomen Hebræum כפר *expiare, purgare*, indicat vasa in quibus mundabant se ministri, & expurgabant sordes. Talia vasa aurea erant triginta numero pro primariis Sacerdotibus. B Vulgatus Interpres deceptus nominum similitudine hæc vasa כפורים *chephurim* in Paralipomenis lib. 1. cap. 28. 17. interpretatus est leones, ut sequenti articulo videbimus.

Cùm Josephus init numerum vasorum quæ præparaverat Salomon, ab eo primùm numeratur Οἰνοχόος, quod nomen calicem & pincernam significat; Hebraïce שר המשקים *pincernarum princeps*. Phialas nominat, de quibus satis locuti sumus; quas, ubi de Esdrâ agit, distinguit à vasis quæ appellat *σπονδεῖα vasa libatoria*. Phialarum, ut vidimus, usus erat in effundendo sanguine ad pedem altaris; sed præterea fiebant in altari libationes, ad quas faciendas propriis vasis opus erat. Libationes vini erant in sacris Gentilium frequentissimæ. Nimirùm in ipsum ignem altaris minutatim fundebant liquorem. Innumera suppetunt testimonia: instar sint omnium illa Virgilii carmina in quarto Georgicorum.

Ter liquido ardentem perfudit nectare vestam:
Ter flamma ad summum tecti subjecta reluxit.

Vasa quibus utebantur Romani appellabantur *guttus* & *sumpulium*. *Ut vinum*, ait Varro, *minutatim funderent, à guttis* guttum *appellarunt; quod sumebant minutatim à sumendo* sumpulium *nominarunt. In hujusce locum in conviviis successit Epichysis*, (nempe vas quo liquor superfunditur) *&* Cyathus; *in sacrificiis remansit guttus & sumpulium*. Alii nomen sumpulii accersunt ab alia origine. Vides hîc formam horum duorum vasorum quæ deserviebant ad libationes. Libamenta Ethnici acceperant ex vetusta traditione Patriarcharum. Ubique advertere est in sacro codice vinum effusum in sacrificiis. Præcipit Deus in Exodo cap. 29. 40. in quotidiano agnorum sacrificio, *decimam partem similæ conspersæ oleo tuso, quod habeat mensuram quartam partem hin & vinum ad libandum ejusdem mensuræ in agno uno*. De libationibus lex iteratur in Numeris cap. 15. v. 9. cap. 28. 14. *Libamenta autem vini, quæ per singulas fundenda sunt victimas, ista erunt: media pars hin per singulos vitulos*. Deus enim voluerat sibi offerri ea, quæ maximè victui sunt necessaria. Non itaque solùm carnes ovillas, vitulinas, bubulas, arietinas sibi esse apparandas significaverat; sed & sal, oleum, vinum, sine quibus vix fit convivium. Libationes non memorantur factæ in Sancto, in altari aureo, vel in mensa panum propositionis. Attamen sic loquitur Josephus in libro 1. de Bello cap 5. Pompeius unà cum suis comitibus in templum ingressus, *spectavit quæ intus erant candelabra cum lychnis & mensis, in quibus libare atque adolere moris est, & vascula ex auro cuncta, & mensam, & vasa libatoria, & thuribula*. Nomen Hebræum *chesoth*, quod Judæi interpretantur baculos illos aureos, quibus strues panum propositionis nitebatur, Josephus cum senibus Græcis interpretatur σπονδεῖα; minùs benè, ut vidimus. Cùm Deus ordinat sacrificiorum leges de similæ, vini, & olei oblationibus præscribit mensurandos liquores mensurâ *hin*: fruges, nempe similam mensurâ, quæ Hebraïcè dicitur *Omer*, Græcè ἀσσάρων. Ad supellectilem templi attinent ollæ, in quibus carnes victimarum erant quandoque coquendæ; nam agni Paschales assabantur. Ethnici in sacrificiis suis utebantur verubus, ut docent illa ex libro 2. Georgicorum.

Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis.

Id est, in verubus ex corylo. Quodlibet veru, Græcè ὀβελὸν, non habebat eandem formam. Veru dicebatur πεμπώβολον, in quo erant quinque ὀβελοὶ, quinque cuspides; quod sic concipio, ut in craticula B quinque extarent cuspides, quibus caro assanda infigebatur. Hac formâ fiebant craticulæ, quibus carnes in templo assabantur. Alia est forma craticularum nostrarum.

SECTIO IV.

Vasorum templi numerus juxta Josephum.

QUodlibet sacrificium indigebat pluribus vasis ad excipiendum victimarum sanguinem, & ad effusionem ejusdem sanguinis; ad lavanda victimarum exta, ad recipiendos adipes & deferendos ad altare. Offerebantur simul simila, vinum, oleum. C His singulis propria vasa destinabantur, ejusdem formæ plura numero; ut observat Maimonides in tractatu *Chelim*, hoc est, *de vasis templi*, sectione 19. *Quæcumque erant in Sanctuario vasa, omnia dupla, vel etiam tripla erant, ut si prima pollucerentur, eorum loco adhiberentur secunda*. Die quâ Salomon Arcam induxit in templum, 3. Regum cap. 8. immolavit oves & boves absque æstimatione & numero. Mactavit hostias pacificas boum viginti duo millia & ovium centum viginti millia. Eo festo Paschatis quod celebratum est Hierosolymis, dum Cestius sub Nerone Judæam procurabat, Judæi hostias Paschales mactaverunt 256300. Tot agnorum sanguis ad pedem altaris fuit effundendus, & ideò à mactationis loco portandus. Quot pateD ris, phialis opus erat ad hocce ministerium? Adeps eorum erat ad focum altaris deferendus, & ibi igne consumendus. Adipes 256300. agnorum plurimas numero lances onerabant; ideò in Paralipomenis, ubi agitur de apparatu rerum quæ necessariæ erant templo, significatur lib. 1. cap. 28. multas ideo coacervatas divitias à Davide.

14. *Aurum in pondere per singula vasa ministerii. Argenti quoque pondus pro vasorum & operum diversitate.*

15. *Sed & ad candelabra aurea, & ad lucernas eorum, aurum pro mensura uniuscujusque candelabri & lucernarum. Similiter & in candelabra argentea, & in lucernas eorum, pro diversitate men-*E *suræ, pondus argenti tradidit.*

16. *Aurum quoque dedit in mensas propositionis pro diversitate mensurarum: similiter & argentum in alias mensas argenteas.*

17. *Ad fuscinulas quoque & phialas & thuribula ex auro purissimo, & leunculos aureos, pro qualitate mensuræ pondus distribuit in leunculum & leunculum. Similiter & in leones argenteos diversum argenti pondus separavit.*

Innui Hebræis כפיר *cephir*, sonare leonis catulum; & כפר *Kephor* vasis genus ad expiationem, ut vidimus. Hacce nominum similitudine deceptus Vulgatus Interpres posuit leunculos. In fonte est כפורי, quam vocem Græci Interpretes retinuerunt scribentes κεφουρί. Theodoretus interpretatus est vasa

in quibus simila cum oleo miscebatur. Hebræi magistri intelligunt fuisse crateras.

Josephus Antiquit. 7. cap. 2. numerat vasa templi parata à Salomone. » Cantharorum vinariorum, » fons appellat οἰνοχόας, octoginta millia Rex comparavit, & phialarum φιάλων aurearum millia decem, » argentearum verò alterum tantùm. Lancium autem aurearum πινάκων ad offerendam in eis similam » maceratam ad altare octoginta millia, duplum verò argentearum. Mensurarum verò quales Moysi » hin vocantur, & assaron, aurearum erant viginti » millia, & duplicatus numerus argentearum. Acerræ quoque aureæ, θυμιατήρια, quibus odora» menta in templum inferri solent, erant numero » viginti millia: & aliæ quibus deferebatur ignis à » magno altari in parvum intra templum situm, » quinquaginta millia. Exponit idem scriptor Antiquit. 11. cap. 1 quæ Esdras Babylone secum reportavit vasa Jerosolymam; quorum numerus exhibet Josephus. » Psycteres aurei L, argenti CCCC. » Thericlea pocula aurea L, argentea CCCC. Situlæ aureæ L, argenteæ D. Libatoria aurea » XXX, argentea CCC. Phialæ aureæ XXX, argenteæ MMCCCC. Præterea vasa alia magna » mille. Hos numeros visum est oculis subjicere hac dispositione, quæ occurrit apud Villalpandum in secundo tomo; quæ præter dicta vasa complectitur alia templi instrumenta.

VASA TEMPLI.

	Aurea.	Argentea.
Pateræ	20000	40000
Candelabra	10000	20000
Canthari	80000	160000
Phialæ	100000	200000
Lances	80000	160000
Crateres	60000	120000
Mensuræ	20000	40000
Acerræ	20000	
	50000	
Tubæ		200000
Instrumenta		400000
	440000	1340000

Numerus ille vasorum demonstrat quanta fuerit opulentia templi. Ex antedictis & infrà dicendis constabit non ostentationi illa parata fuisse; sed conflata, quia his indigebat ministerium templi. Hæc autem quæ observata sunt, lucem afferent postremis verbis Zachariæ Prophetæ in ultimo capite.

20. *In die illâ erit, quod super frænum equi est, Sanctum Domino: & erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ coram altari.*

Ibi significat Zacharias donis cumulatum iri templum. Ipsa equorum מצלות *metzilloth*, id est, *tintinnabula*; (Vulgatus secutus est Græcos, qui nomen illud interpretati sunt χαλινὸν *frænum.*) Illa, inquam, ornamenta consecrabuntur Deo; ita fient sancta. Solent illa esse ex ære; ex quo ergo tot lebetes conflari poterunt, ut numerus eorum adæquare possit numerum phialarum, aurearum & argentearum triginta mille. Lebetes & ollæ vasa erant magna, ut tantus horum vasorum numerus ostendat magnificentiam templi, simul & multitudinem sacrificiorum. Phialæ illæ in fonte dicuntur מזרקים *mizrachim*, quo nomine, ut vidimus, significantur vasa ex quibus sanguis victimarum effundebatur ad pedem altaris, quod ita respergebatur sanguine. Venit hoc nomen a זרק *sparsit*. Ita vaticinii sensus est: tam multi erunt lebetes, quàm multæ & innumeræ sunt phialæ, quæ adhibentur cûm sanguine victimarum altare spargitur. Hæ phialæ, quæ huic usui inserviebant, meritò dicuntur *phialæ coram altari*; deferebantur enim plenæ sanguine ad altare.

21. *Et erit omnis lebes in Jerusalem & in Juda sanctificatus Domino exercituum, & venient omnes immolantes, & sument ex eis, & coquent in eis: & non erit mercator ultrà in domo Domini exercituum in die illo.*

Prædicit Zacharias omnes se addicturos cultui Domini, ita ut non alterius rei satagerent, desertis propriis laribus habitaturi intra templum. Ideò omnes lebetes, quorum extra templum nullus futurus est usus, huic dicabuntur, & sic sancti erunt. Omnes in illud confluent, immolabunt, & partes victimarum, quæ immolanti cedunt, coquent in sacris ollis, & comedent in Sancto. Sive tantus erit advenarum colentium Dominum numerus, ut ornamenta ærea equorum convertenda fuerint in vasa sacra, in lebetes sacras; quia infinitus erit victimarum numerus. Et non erit ultrà mercator, à quo pretio comparentur vasa, & victimæ, quia advenæ dono offerent, & suppeditabunt Israëlitis. Alludit Zacharias ad id quod fiebat in templo, ut qui abundarent divitiis, exciperent sacris epulis, & participes admitterent carnium, quas coxerant, Levitas & alios. Tot ergo futuri erant sacrificantes, ut ex ollis, lebetibus abundè sufficeret cibus Judæis, & ideò jam mercatoribus non futurus esset locus in domo Domini, eò quòd gratis omnia donarentur. Non prætermittendum silentio hæc omnia vasa Levitis custodienda fuisse commissa, ut in 1. Paralip. cap. 9. 28. dicitur *De horum genere erant & super vasa ministerii: ad numerum enim & inferebantur vasa & efferebantur.*

SECTIO V.

De templi apothecis, cellariis, gazophylaciis. Auxerant opes templi Sacerdotes injectâ falsâ religione circa prolationem vocis corban.

Certis & aptis in locis hæc omnia quibus abundabat templum, reponebantur. Ad hoc paratæ apothecæ, cellaria, promptuaria, gazophylacia. Etenim præter illa multiplicia & patentia conclavia, quibus aulæ, atria circumdabantur, erant hypogæa, nempe ædificia sub terrâ, in quibus condi poterat frumentum, vinum, oleum, lignum, sal; quæ cuncta indè depromebantur ad usus templi necessarios, ad alimoniam tot Sacerdotum & Levitarum, qui ministrabant in templo, tum & omnium Israëlitarum, qui frequentes illùc conveniebant, & noctu diuque ibi perseverabant. In descriptionibus Talmudicis templi notantur conclavia, in quibus opes, cibaria, annona servabantur; & indicantur, qui hisce conclavibus præerant, verbi causâ, memoratur conclave salis, in quo reponebatur sal pro oblationibus. Aliud erat conclave dictum Happaruæ, in quo sale condiebantur pelles victimarum. Conclave ligni, in quo Sacerdotes, qui solitis muneribus defungi non poterant, vermes in lignis perscrutabantur: omne enim lignum, in quo vermis esset, rejiciendum erat ab altaris tecto.

Nunc potissimùm agimus de locis illis, in quibus recondebantur opes; quæ ab illo usu dicebantur gazophylacia: sed & hocce nomen commune erat

mu tis aliis conclavibus, quæ in versione Latinâ dicuntur æraria, thesauri, in fonte אוצרות *otzeroth*, à verbo אצר *recondidit*, *reposuit*. Non semel nominantur in sacro codice *thesauri Domini*. Ubi narrata est dedicatio templi Salomonici, 3. Reg. cap. 7. in fine concludit scriptor.

51. *Et perfecit omne opus quod faciebat Salomon in domo Domini, & intulit quæ sanctificaverat David pater suus, argentum & aurum & vasa, reposuitque in thesauris domûs Domini.*

In Paralipomenis lib. 1. cap. 28. v. 12. distinguuntur thesauri domûs Domini, & thesauri הקדשים: in Vulgata *thesauri domûs Dei*, & *thesauri Sanctorum*. Intelligo ipsum ærarium, simul & conclavia in quibus reponebatur omnis aurea & argentea supellex; nempe sacra, sive usui sacro dicata, quæ in eo Paralipomenorum loco numeratur. Dederat David Salomoni descriptionem templi, porticûs, & omnium quæ cogitaverat, atriorum, & exhedrarum per circuitum in thesauros domûs Domini, & in thesauros Sanctorum, & in omnia opera domûs Domini, & in universa vasa ministerii templi Domini; nempe in omnem necessariam supellectilem, quâ thesauri abundabant, & enumerantur in hocce loco.

14. *Aurum in pondere per singula vasa ministerii.*

Nempe David dedit auri pondus quod sufficiebat.

Argenti quoque pondus pro vasorum & operum diversitate.

15. *Sed & ad candelabra aurea, & ad lucernas eorum aurum pro mensura uniuscujusque candelabri & lucernarum. Similiter & in candelabra argentea & in lucernas eorum pro diversitate mensuræ, pondus argenti tradidit.*

Siquidem candelabra quæ erant in Sancto Sanctorum, erant aurea, indè concludimus illa quæ hîc nominantur argentea, fuisse usui in conclavibus diversis. Quin & quorumdam conclavium videntur aurea fuisse; nam, ut vidimus, numerabantur mille aurea candelabra, & bis mille argentea.

16. *Aurum quoque dedit in mensas propositionis pro diversitate mensurarum: similiter & argentum in alias mensas argenteas.*

In fonte in mensas המערכת *hamaaracheth*, id est, *dispositionis*, à verbo ערך *arach* disposuit. Observavimus mensam panum propositionis ab Hebræis appellari *dispositionis*, *ordinationis*, quia multo ordine disponebantur panes. Plures autem erant mensæ in quibus panes collocabantur, prout aut novi inferebantur, aut removebantur veteres. Tum & necessariæ in atriis templi plures mensæ, in quibus partes victimarum offerendæ disponebantur. Aliæ aureæ, aliæ argenteæ erant, plures marmoreæ.

17. *Ad fuscinulas quoque & phialas, & thuribula ex auro purissimo, &c.*

De hisce instrumentis quæ subsequuntur, jam sermonem fecimus. Et ex dictis satis intelligitur quam referti essent auro & argento dicti thesauri, quos direptos fuisse à Rege Ægypti Scriptura narrat, non longo post mortem Salomonis tempore, sub Roboam filio ejus. 3. Reg. cap. 14.

25. *In quinto autem anno regni Roboam, ascendit Sesac Rex Ægypti in Jerusalem:*

26. *Et tulit thesauros domûs Domini, & thesauros Regios, & universa diripuit, scuta quoque aurea, quæ fecerat Salomon.*

Dum in terris versabatur Dominus ἱερὸς θησαυρὸς, *thesaurus sacer*, ut loquitur Josephus, libro secundo de Bello cap 8. appellabatur *corbona*, Græcè κορβανᾶς; Hebraicè, sive potius Syriace קרבנא ab Hebræo nomine קרבן *corban*, id est, *donum*, *munus*, *oblatio*. Videlicet sacer thesaurus eo nomine appellabatur, quia oblationes in illum congerebantur. Idcirco cùm Matth. cap. 27. v. 6. Judas proditor retulisset triginta argenteos, pretium proditionis suæ, Sacerdotes noluerunt *eos mittere in corbonam*, quia turpe lucrum non licebat offerri in templo, juxta illam legem Deuteronomii capite 23. v. 18. *Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui.*

Sacer thesaurus corbona innumeras habebat divitias, quia ubi semel emiserant votum de offerenda aliqua pecunia Judæi, sic alligabantur, ut ex illa non liceret aliquid decerpere etiam in alimoniam parentum. Vox illa *Corban* facta erat species juramenti. De quacumque re, etiam de seipso, si quis emisisset hanc vocem *corban*, rem illam & seipsum debebat, ut dicit Josephus in Antiquitatibus libro 4. cap. 4. *Qui corban Dei seipsos profitentur*, δῶρον, *id est*, *donum*, Græci hanc vocem vertunt, *si velint à ministerio, ad quod se ultrò obligaverunt, dimitti, Sacerdotibus pecuniam numerare*; tenebuntur. In libro primo contra Appionem idem Josephus adstruit apud solos Judæos κορβᾶν *corban* fuisse speciem juramenti. Scilicet Sacerdotes, ut sacer thesaurus augeretur divitiis, illam religionem injecerant animis Judæorum, ut pro juramento haberetur dicta vox; quam qui emisisset, tenebatur ad rem præstandam tanquam juratam. Hæc religio inducta fuerat ab avaris Sacerdotibus; quam ergo illi exprobravit Dominus non semel, ut apud Matthæum cap. 15. ubi dicit eos suis traditionibus violare legem Dei, qui sic loquitur. *Honora patrem & matrem; & qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: quicumque dixerit patri vel matri, munus quodcumque est ex me, tibi proderit*, Sententia hujus loci ideò obscura est, quia Interpres Græcus Matthæi, nam ille Evangelista Hebraïcè scripsit, non servavit vocem Hebræam *corban*, sed Græcam loco ejus posuit δῶρον *munus*. Pendet autem sententia ex prolatione vocis *corban*, quæ erat juramentum; quam expressit Marcus licet Græcè scriberet cap. 7. 11. *Vos autem dicitis si dixerit homo patri aut matri, corban (quod est donum) quodcumque ex me, tibi profuerit.* 12. *Et ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo, aut matri.* Videlicet ubi semel aliquis nominaverit, *corban* bona quæcumque, quibus postea pater, vel mater ejus indigerent, & quibus eos juvare posset, tenebatur ex Pharisæorum sententia, dare sacro thesauro, & deserere patrem & matrem.

Licet conjectare parem obligationem eos contraxisse qui nominarent aurum templi vel altaris; ita ut qui dixisset bonum *meum sit aurum templi*, *vel aurum altaris*, pariter ac si dixisset bonum meum sit *corban*, astringeretur, sive utriusque prolationis par fuerit obligatio, quam Dominus repudiat apud Matthæum cap 23. 16. *Væ vobis duces cæci, qui dicitis: quicumque juraverit per templum, nihil est: qui autem juraverit in auro templi, debet.* Id est, qui promittens munus pronuntiaverit *aurum templi*, statim reus est voti: & solvere tenetur. 17. *Stulti & cæci: quid enim majus est, aurum, an templum, quod sanctificat aurum?* Sic Dominus ostendit vanam esse distinctionem utriusque prolationis 18. *Et quicumque juraverit in altari, nihil est; quicumque autem juraverit in dono, quod est super illud, debet.* Puta dixerit bonum meum sit altari corban; vel sit inter dona altari dicata, tenetur illud consecrare altari. 19. *Cæci: Quid enim majus est donum, an altare, quod sanctificat donum?*

Innumeræ opes ex hac religione Judæorum de-ceptâ coacervatæ erant in thesauris templi, sicut Zacharias prædixit cap. 14. v. 14. . . . *Et congregabuntur divitiæ omnium gentium in circuitu aurum & argentum & vestes multæ satis.* Juvat exscribere partem capitis 12. ex libro 14. Antiquitatum Judaïcarum. Ex tabulis, quas subduximus, constat talentum Hebræum auri ponderasse circiter sex mille aureos Ludovisios; ita mille talenta aurea ponderabant 6000000, & octo millia talenta 48000000 Ludovisios aureos. Et si Ludovisius æquaretur tantùm decem libris Turonensibus, summâ illa est 480000000; hoc est, quadringentorum & octoginta millionum. Æstima, Lector, quot & quantæ fuerint opes templi. » Crassus autem expeditionem contra Parthos parans in Judæam pervenit, » & pecuniam sacram, quam Pompeius non attigerat, duo millia talentorum abstulit, totoque » reliquo auro, cujus summa accedebat ad octo talentorum millia, templum spoliavit. Tulit etiam » trabem ex auro solidam, trecentas minas pendentem. Mina autem apud nos constat duabus libris » cum dimidia. Hanc trabem ei tradidit Sacerdos » sacri thesauri custos Eleazarus, non præ malitia, » nam vir bonus erat & justus; sed cùm concreditam haberet aulæorum templi custodiam, ex hac » trabe pendentium, quorum admiranda pulcritudo erat, & apparatus pretiosissimus: videretque » Crassum totum esse in colligendo auro, timens » omnibus templi ornamentis, trabem hanc, redemptionem pro omnibus ei dedit; cùm priùs » eum jurejurando obstrinxisset, nihil aliud loco » moturum, contentum eo, quod ipse traderet æstimatum pluribus aureorum millibus.

Postea, ne tot tantæque divitiæ incredibiles viderentur, subjungit Josephus. » Nec est mirandum » tantas divitias in nostro templo fuisse, cujus » Deum cùm omnes ubique terrarum Judæi venerentur ac colant, tam ex Europa quàm ex Asia, » longo tempore hùc eas contulerant. Nec ad jactationem conficta est prædicta summa, nec caret » testibus: sed cùm alii multi, tum Strabo Cappadox attestatur nobis his verbis. *Mithridates autem misit in Coum insulam, qui afferrent sibi indè pecuniam, quàm Cleopatra Regina ibi deposuerat, & Judæorum octoginta talenta.* » Nobis autem nulla » est publica pecunia præter hanc Deo sacram: & » satis apparet, quod hanc Judæi ex Asia Coum deportaverant metu belli Mithridatici. Non est verisimile eos qui Judæam habitabant, habentes urbem adeo munitam & templum, pecuniam in » Coum misisse. Sed nec Alexandrinos Judæos hæc » fecisse est credibile, quibus nihil erat à Mithridate periculi.

SECTIO VI.

Cùm Heliodorus ingressus esset templum, volens illud expoliare suis opibus, pœnas dedit flagellatus.

SEcundum templum non tot opibus quot primum abundabat; quod Chaldæi evertêre & spoliavêre. Attamen non multò post restaurationem ejus tot tantæque opes in illud congestæ sunt, ut moverint avaritiam Regum Asiæ; quæ excitata est malis artibus impii Simonis de tribu Benjamin, filii Tobiæ. Res narratur in secundo Macchabæorum cap. 3. Reges & principes Asiæ hactenus magnis muneribus templum illustraverant.

3. *Ita ut Seleucus Asiæ Rex de reditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificio-*

A *rum pertinentes.*

4. *Simon autem de tribu Benjamin præpositus templi constitutus, contendebat, obsistente sibi principe Sacerdotum, iniquum aliquid in civitate moliri.*

Non erat στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ Prætor templi; sed προστάτης Advocatus, ut dicit Grotius, nempe qui templi jura apud Reges & Regios magistratus defendebat, quales Christiani Græci ἔκδικοι, Latini Defensores vocabant. Nunc fons Græcus habet διηνέχθη τῷ ἀρχιερεῖ περὶ τῆς κατὰ τὴν πόλιν παρανομίας. *Contendebat, obsistente sibi principe Sacerdotum iniquum aliquid in civitate moliri.* Conjicit Grotius legendum περὶ τῆς κατὰ τὴν πόλιν ἀγορανομίας. Scilicet Simon ambibat τὴν ἀγορανομίαν præfecturam urbis, & tulerat repulsam, obstante sibi auctoritate principis Sacerdotum.

B 5. *Sed cùm vincere Oniam non posset, venit ad Apollonium Tharseæ filium qui eo tempore erat dux Cœlesyriæ & Phœnicis.*

6. *Et nuntiavit ei, pecuniis innumerabilibus plenum esse ærarium Jerosolymis, & communes copias immensas esse, quæ non pertinent ad rationem sacrificiorum: esse autem possibile sub potestate Regis cadere universa.*

Simon nuntiavit Apollonio *communes copias* πλῆθος τῶν διαφόρων *immensas esse.* Vox διαφόρων sumitur in scriptore hujus libri pro divitiis. Simon notum faciebat ærarium esse refertum immensis divitiis: *quæ non pertinent ad rationem sacrificiorum.* Hoc addebat ne videretur suadere sacrilegium.

C 7. *Cùmque retulisset ad Regem Apollonius de pecuniis quæ delatæ erant, ille accitum Heliodorum, qui erat super negotia ejus, misit cum mandatis, ut prædictam pecuniam transportaret.*

Περὶ τῶν μηνυθέντων αὐτῷ χρημάτων ἐνεφάνισεν; pecunias, quarum ei cognitio delata fuerat, notas fecit.

8. *Statimque Heliodorus iter est aggressus, specie quidem quasi per Cœlesyriam & Phœnicem civitates esset peragraturus, reverâ autem Regis propositum perfecturus.*

9. *Sed cùm venisset Jerosolymam, & benignè à summo Sacerdote in civitate esset exceptus, narravit de dato indicio pecuniarum, & cujus rei gratiâ adesset, aperuit; interrogabat autem, si verè*

D *hæc ita essent.*

10. *Tunc summus Sacerdos ostendit deposita esse hæc, & victualia viduarum & pupillorum.*

Mos erat vetustus omnium propè gentium in templis deponere quæ benè servata vellent. Onias dicebat has pecunias ad nutriendas viduas alendosque pupillos depositas, Deique tutelæ commissas ac creditas.

11. *Quædam verò esse Hircani Tobiæ viri valdè eminentis, in his quæ detulerat impius Simon: universa autem argenti talenta esse quadringinta & auri ducenta.*

In his quæ *detulerat impius Simon.* Ὡς διέβαλλεν *calumniatus fuerat* improbè ac malitiosè.

E 12. *Decipi verò eos qui credidissent loco & templo, quod per universum mundum honoratur, pro sui veneratione & sanctitate omnino impossibile est.*

Jurisconsulti *impossibilia* vocant ea quæ honestè fieri non possunt.

13. *At ille pro his, quæ habebat in mandatis à Rege, dicebat omni genere Regi ea esse deferenda.*

Dicebat has opes ærarii templi in ærarium Regis esse inferendas.

14. *Constitutâ autem die intrabat de his Heliodorus ordinaturus. Non modica verò per universam civitatem erat trepidatio.*

Intrabat, aut intraturus erat; quæ de his facienda essent consideraturus aut constituturus.

15. *Sacerdotes autem ante altare cum stolis Sa-*

cerdotalibus jactaverunt se, & invocabant de cælo A *eum, qui de depositis legem posuit, ut his qui deposuerant ea, salva custodiret.*

Abjicientes seipsos, id est, prosternentes se humi, atque se humi iantes ad miserationem ciendam.

16. *Jam vero qui videbat summi Sacerdotis vultum, mente vulnerabatur: facies enim & color immutatus declarabat internum animi dolorem.*

17. *Circumfusa enim erat mœstitia quædam viro, & horror corporis, per quem manifestus aspicientibus dolor cordis ejus efficiebatur.*

18. *Alii etiam gregatim de domibus confluebant, publicâ supplicatione obsecrantes, pro eo quòd in contemptum locus esset venturus.*

Etenim polluebatur templum si quispiam gentilis in illud penetraret, quod Heliodorus facere meditabatur. B

19. *Accinctæque mulieres ciliciis pectus, per plateas confluebant. Sed & virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam, aliæ autem ad muros, quædam verò per fenestras aspiciebant.*

Quæ conclusæ erant κατάκλειστοι. expressa est vis nominis Hebræi עלמות *alamoth*. Sic dicuntur virgines quia *latent* conclusæ in thalamis, ut additur in tertio libro Macchabæorum. Tunc non concludebantur quæ muros conscendebant, aut per fenestras aspiciebant: non, nunquam latebant. Suprà observavimus, ex hoc loco male deduci in templo conclusas virgines in aliquibus cellis velut moniales. Si quæ fuerint, non sequitur ex hocce nomine *conclusarum virginum*, quod epithetum, omnium virginum ætatem, non conditionem denotat. Omnes virgines dicuntur *alamot*, id est, latitantes. C

20. *Universæ autem protendentes manus in cælum deprecabantur.*

21. *Erat enim misera commistæ multitudinis & magni Sacerdotis in agone constituti expectatio.*

22. *Et hi quidem invocabant omnipotentem Deum, ut credita sibi, his qui crediderant, cum omni integritate conservarentur.*

23. *Heliodorus autem quod decreverat, perficiebat eodem loco ipse cum satellitibus circa ærarium præsens.*

Ita Heliodorus cum satellitibus suis sacrum locum ingressus erat ubi ærarium; γαζοφυλάκιον *gazophylacium*, ut in fonte Græco dicitur. D

24. *Sed Spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis evidentiam, ita ut omnes, qui ausi fuerant parere ei, ruentes Dei virtute in dissolutionem & formidinem converterentur.*

Spiritus Dei manifestam fecit potestatem suam, pœnas sumens de sacrilegis. Ἐξουσίας δυνάστης ἐπιφάνειαν μεγάλην ἐποίησεν. Deus potestatis potentissimæ ostensionem magnam fecit.

25. *Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus: isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit, qui autem ei sedebat, videbatur arma habere aurea.* E

Ἐνίσσει τῷ Ἡλιοδώρῳ τὰς ἐμπροσθίους ὁπλάς. *illisit Heliodoro priores ungulas.*

26. *Alii etiam apparuerunt duo juvenes virtute decori, optimi gloriâ, speciosique amictu: qui circumsteterunt eum, & ex utraque parte flagellabant, sine intermissione multis plagis verberantes.*

27. *Subitò autem Heliodorus concidit in terram, eumque multâ caligine circumfusum rapuerunt, atque in sellâ gestatoriâ positum ejecerunt.*

In Græco fonte & in feretrum φορεῖον imponentes, quod sequentia innuunt, ejecerunt extra sacrum locum.

28. *Et is, qui cum multis cursoribus & satellitibus prædictum ingressus est ærarium, portabatur nullo sibi auxilium ferente, manifestâ Dei cognitâ virtute.*

Qui ingressus fuerat γαζοφυλάκιον *gazophylacium*, sacrum locum μετὰ πολλῆς παραδρομῆς καὶ δορυφορίας magnâ hominum comitante catervâ, tanquam mortuum cadaver efferebatur extra sanctum locum.

CAPUT III.

De viris religiosis qui vel voto vel devotione mancipati erant templo. De ejus præfectis, de portarum, thesaurorum, conclavium custodibus.

SECTIO I.

De viris, qui absentium Israëlitarum vices obibant in templo stantes; unde dicebantur stationarii. Stabant & piæ mulieres ad ostium Tabernaculi orantes & jejunantes.

Tota gens Israëlitarum militare Deo & templum ejus frequentare tenebatur; quod cùm omnes facere non possent, nam plerique detinebantur in regionibus longinquis; aut non exercitati, quippe non consueverant, nec didicerant: idcirco nomine totius gentis deligebantur, qui illam repræsentarent, pro illâ starent in templo & adimplerent eam partem ministerii, quæ spectabat quemque Israëlitam. Hi nominantur viri *stationis*. Lege sancitum erat ut qui Deo victimam, donumque offerret sacrificio ejus interesset. Quoniam verò sacrificiis, quæ totius gentis nomine fiebant, civium multitudo, non poterat interesse, institutum fuerat uti ex Israëlitis viri summæ integritatis & religionis quasi legati universitatis essent. Sic olim ad solemnes Græcorum festivitates, quibus adjuncta spectacula, mittebantur ab omnibus Græciæ populis legati, quos Strabo appellat θεωρὸς, id est, *spectatores*, & σπονδοφόρους, qui nomine gentis suæ sacrificarent. De hisce legationibus vertendus locus ejusdem Strabonis in libro decimo Geographiæ, ubi de Delo loquitur; quam, inquit, circumpositæ insulæ cycladès celebrem fecerunt, Πέμπουσαι δημοσίᾳ θεωρούς τε, καὶ θυσίας, καὶ χορὺς παρθένων, πανηγύρεις τε ἐν αὐτῇ συνάγουσαι μεγάλας. *Publice mittentes qui sacra frequentarent, tum victimas, choros virginum, & solemnes ibi magnos agitantes conventus.*

Virorum stationariorum celebris fit mentio in tractatu Misnico *Taanith*, sive *de jejunio*, capite quarto. « Tribus distinctis anni temporibus, puta in jejuniis, stationibus, & in die expiationum, « quater in die manus tollunt Sacerdotes, nempe in « precatione matutinâ, superadditâ pomeridianâ « Ibi per *superaddita* intelligere decet precationem, quæ comitabatur superaddita ordinariis sacrificia. Stationes autem sunt quatuor dies distincti hebdomadis, per quos viri qui ad stationem vice suâ tenebantur jejunabant. Præstat hæc omnia exponere verbis Maimonidis, qui sic caput quartum Mischnæ explicat. « Viri stationis אנשי המעמד fuerunt omnes legati Israëlitarum, quorum mens & intentio tota « erat occupata in cultu divino & precibus; ne- « que ullatenus vacabant negotiis suis, sed cor & co- « gitatio ipsorum tota erat in sacrificiis. «

In libro tertio vidimus pias fuisse mulieres, quæ etiam obibant munia horum stationariorum. Jejunabant, orabant, intererant omnibus Tabernaculi orationibus, sacrificiis, militantes Deo, & die noctuque non indè discedebant. Virorum stationariorum non fit mentio in quinque libris Moysis. Tunc Israël

Israël nondum excreverat in gentem, quæ totum orbem pervasisset; ita viris stationariis aliis quàm Levitis non opus erat. Horum vices implebant piæ mulieres; sed verisimile est loco earum delectos pios Israelitas, à quo tempore filii Eli in omne malum facinus prorumpentes concubuerant cum his mulieribus, quæ militabant ad ostium Tabernaculi. Ex his stationibus Judaicis, animadvertam ortam consuetudinem stationum in Ecclesiâ, per quas Christiani primitùs jejunio & orationi vacabant; militum enim stationibus nec ortum, nec nomen suum debent. De stationibus Christianis loquitur Tertullianus in libro de Jejuniis adversùs Psychicos. *Arguunt nos*, inquit, *quòd jejunia propria custodiamus, quòd stationes plerumque in vesperam producamus, quòd etiam Xerophagias observemus, siccantes cibum ab omni carne, & omni jurulentiâ*, &c. Stationes illæ erant exercitationes sacræ precum & jejuniorum; ut intelligere est ex eodem Tertulliano, qui ad uxorem scribens conatur eam revocare ab ineundis unquam cum viro Ethnico nuptiis, quòd his exercitationibus vacare non posset. lib. 2. cap. 4. *Domino certè non potest pro disciplinâ satisfacere, habens in latere diaboli servum, procuratorem Domini sui ad impedienda fidelium studia & officia; ut si statio facienda est, maritus de die condicat ad balneas: & si jejunia observanda sunt, maritus eâdem die convivium exerceat: si procedendum erit, nunquam magis familiæ occupatio obveniat.* Illud *si procedendum* interpretor ex veteri consuetudine; indicebatur aliquis locus, ad quem Christiani convenirent, sive collectam facerent, undè apud veterem Interpretem Concilii Laodiceni cap. 7. σύναξις redditur Latinè *processio*. In processionibus autem sanctus Ambrosius Epist. 7. describit Christianos Psalmos canentes: in quo consuetudinem Judæorum imitabantur; ibant enim viri pii, quales erant stationarii, ad templum decantantes Psalmos.

De stationariis egregius est locus apud Maimonidem in tractatu *Chelim*, sive de vasis templi cap. 6. sectione 1. » Nullus, viri Israëlitæ, omninò sacrificium fieri potuit, quin huic interesset. Cùm igitur Ecclesiæ sacrificia cunctorum forent Israëlitarum, nec fieri posset ut omninò omnes Israëlitæ in atrio assisterent divinis, à priscis institutum vatibus erat, ut ex Israëliticâ gente totâ viri deligerentur idonei, plurimùm à peccato abhorrentes, qui gentis universæ legati divinis assisterent. Hi nimirùm illi sunt, qui viri stationis appellantur. Atque ut Sacerdotes & Levitas in curias, item istos in stationes descripserant quatuor & viginti. Earum ex unaquaque unus erat præfectus omnibus. Is vocabatur stationis antistes. Singulis igitur sabbatis conveniebant omnes illi viri stationis, qui per hebdomadem erant officio functuri. Ex his qui erant Hierosolymæ, aut propiùs aberant, introibant in hamichdas *in locum sanctum* unà cum Sacerdotum curiâ & Levitarum, qui per eandem hebdomadem sacra erant administraturi; & qui procul essent dissiti, ubi suæ stationis appetiisset tempus, in ejus, quem incolebant loci, synagogam coibant.

Munera stationariorum describere sic pergit Maimonides. » Quid igitur faciebant homines illi, vel Hierosolymæ, vel in synagogis longè dissitis? Primùm jejunabant suæ hebdomadæ die secundo, item tertio, quarto ac quinto. Nam vigiliâ sabbati propter honorem sabbato habendum non jejunabant; neque porrò die primo hebdomadæ, qui dies Dominica nostra est, ne de summis sabbati deliciis protinùs in jejunium transirent. Porrò quovis die ejus hebdomadæ, quâ rebus divinis assistebant, die, quatuor ad Deum precationes fundebant, matutinam, vespertinam, ac clausulam; atque inter matutinam & vespertinam addebant aliam quamdam, quæ sanè quidem illis erat peculiaris. Tum Sacerdotes ter in die manus tollentes populo benedicebant, ad precem matutinam, item ad præcipuam illam precationem, atque clausulam. Præterea bis in die tres homines de libro prælegebant aliquid è lege, scilicet ad precem matutinam, & ad eam quam diximus addi precationem. Nam ad precem vespertinam aliquid è lege recitabatur, non de libro, sed memoriter, ut ferè recitatur illa sectio. AUDI ISRAEL. Jam vigiliâ sabbati non conveniebant ad vespertinam precem, quippe cùm essent admodum occupati in apparatu rerum, quæ ad sabbatum ritè agendum requiruntur. Pergit loqui Maimonides. Horum igitur hominum tum ipsa convocatio ad unam quamque earum, quas commemoravi, precationum, tum etiam ad precandum, orandum, & obtestandum Deum, legendamque legem commoratio, statio vocabatur. Denique addit Maimonides. Viris stationis interdictum erat, neve barbam & capillum tonderent, neve lavarent per totam hanc, quâ ministrabant, hebdomadam. Rursus enim ut die quinto ejusdem hebdomadæ id facerent, propter honorem sabbato habendum, concessum erat. Quod autem interdictum esset ne hoc idem reliquâ hebdomadâ suâ facerent, id causæ fuit, ut in stationem ingrederentur non inculti & horridi, sed jam tonsi & lauti. «

Qui hæc attentus perlegerit, haud dubitabit de verâ origine stationum Christianarum. Legati universitatis, sic Cunæus appellat viros stationum, si Jerosolymæ aut in propinquo habitabant, tenebantur convenire in templum unà cum Levitarum & Sacerdotum geminis classibus, quarum vices in eam hebdomadam inciderant. Aut si procul essent ab urbe, adibant synagogam. Omnes Christiani pariter pro legatis universitatis sese gerebant, sectati pium Israëlitarum institutum, & jejuniis & precibus vacabant in loco, quem antistites indicabant, nempe ad quem fieri statio deberet. Res & nomen adhuc manet in libris liturgicis. Ab everso templo Hierosolymitano, cùm non liceret Christianis palam conventus agere, necesse fuit ut indicarentur loca occulta, puta Cryptæ, in quibus clam congregarentur.

SECTIO II.

Pertinet ad huncce locum sermo de Nazaræorum instituto, de oblationibus eorum, & solemni post Nazaræatûs dies tonsione.

NAzaræi Deo colendo se astringebant solemni quodam ritu qui fiebat in templò; & ut loquitur Philo lib. de *Sacrif.* perinde ac primitiæ & decimæ huic dicabantur. *Cùm aliquis sacravit omnium rerum suarum primitias ac decimas, non habens ampliùs materiam, in quâ pietatem exerceat, seipsum dedicat: ideò magnum hoc votum appellatur. Nihil enim quisquam possidet seipso pretiosius, quâ possessione ceditur. Hujus voti reo præcipiuntur hæc: primùm ne mero utatur*, &c. Ex his verbis satis liquet Philonem loqui de Nazaræis: qui ergo partem in opere nostro debent habere; siquidem unum ex conclavibus templi appellabatur eorum nomine, ut suo loco vidimus. Hûc afferam ex libro Numerorum ferè totum caput 6 in quo Nazaræorum institutum, obligatio, abstinentia, sacrificia solvenda proponuntur. Adjungam breves

aut longiores notas, prout opus erit. Caput 6.

1. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:*

2. *Loquere ad filios Israël, & dices ad eos: vir, sive mulier, cùm fecerint votum ut sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare.*

Nazaræatus erat votum. Porro duo Nazaræorum genera erant, Nazaræi dierum, quorum votum temporale; Nazaræi *olam*, id est, *sæculi*: qui per totum vitæ tempus, Deo se mancipabant. Nazaræatus, emphaticè dicebatur à Judæis Græcè loquentibus εὐχὴ *votum*, quia cæteris votis præstabat: sed ipsa verba, quibus Moyses usus est, expendenda sunt. Verbum פלא significat, tum *magnificare*, tum *mirificare*, tum *separare*; nam פלא sumi potest pro פלה Indè Græci vertunt Ἀνὴρ ἢ γυνὴ, ὃς ἂν μεγάλως εὔξηται εὐχὴν, *vir, aut mulier, quicumque voverit votum.* Pagninus verò, *vir, vel mulier, cùm mirificaverit vovendo votum.* Vulgatus non expressit verbum פלא *palah*; quod & videretur indicare ipsam speciem voti, de quo quæstio, quo nempe aliquis separabatur à vulgo & totus Deo consecrabatur: in fonte est נזיר להזיר ליהוה *Nazir le Hazir lajehova*, id est, *separati ad separandum se Domino.* Nempe, ut locus integer vertitur à Pagnino. *Vir, aut mulier, cùm mirificaverit vovendo votum separati ad separandum Domino.* A nomine *Nazir*, id est, *separatus*, perinde ac נזור *Nazour* à verbo נזר *separavit*, factum nomen *Nazaræi*, aut ut plerumque viri docti scribunt, *Naziræi.* Verbum הזיר est transitivum in conjugatione *hiphil*, in quâ deductum à נזר significat ipse *se separavit.* Ita Naziræatus erat Deo consecratio; quæ in Græcâ versione dicitur ἁγνεία, & in Vulgatâ *sanctificatio.* In Scripturis, quæ separantur Domino, solent appellari *sancta.*

3. *A vino & omni quod inebriare potest abstinebunt. Acetum ex vino, & ex qualibet aliâ potione, & quidquid de uvâ exprimitur, non bibent: uvas recentes siccasque non comedent.*

4. *Cunctis diebus, quibus ex voto Domino consecrantur, quidquid ex vineâ esse potest, ab uvâ passâ usque ad acinum non comedent.*

Hæc non indigent expositione. Id omne quod inebriare potest, prohibetur; & ideò vinum, omniaque quæ oriuntur ex vite, ita ut etiam זג *zagh*, id est, cortex uvarum, Græcis γίγαρτα vetitus esset Nazaræo. Latinus Interpres id non satis expressit: *Acinus* enim, granum est uvæ cum vino suo; *zagh* verò tantùm cutis exterior uvarum. Paraphrastes Chaldæus: *à granulis ad folliculos.* Scilicet, ut sanâ & integrâ mente essent, debebant Nazaræi abstinere ab omni re inebriante; ebrietas enim morbus est mentis. Undè toto eo tempore, quo Sacerdotes obibant munia sua in templo, tenebantur vino abstinere. Ne ullo prætextu Nazaræi vinum degustarent, vetitum illis erat ullâ re uti, quæ oriretur ex vite.

5. *Omni tempore separationis suæ novacula non transibit per caput ejus, usque ad completum diem, quo Domino consecratur. Sanctus erit, crescente cæsarie capitis ejus.*

Diversæ fuêre populorum consuetudines circa capillos. Alii resecabant, alii promittebant & alebant. Ægyptii Sacerdotes tertio quoque die per totum corpus solebant radi, ut docet Herodotus. Eum fuisse Israëlitarum morem ut tonderent caput, nec capillos promitterent, ostendit ista lex posita Nazaræis, qui alioqui promissis suis capillis non fuissent separati & distincti à cæteris Israëlitis; ideò lex hoc discrimen interposuit de non tondendis capillis cùm Israëlitæ sæpiùs intra mensem præberent caput tonsori.

6. *Omni tempore consecrationis suæ super mortuum non ingredietur, ne polluatur.*

7. *Nec super patris quidem, & matris, & fratris, sororisque funere contaminabitur, quia consecratio Dei sui super caput ejus est.*

Hæc funera licuit Sacerdotibus curare; non item Nazaræo, quia imponebatur capiti ejus נזר *Nezer* Dei sui. Nomen illud denotare potest *separationem* & ideò consecrationem; sed & significat coronam, diadema; ita ut capilli Nazaræorum essent veluti coronamentum & diadema. Græci habent, quia εὐχὴ *votum* Dei est super caput ejus. Videntur legisse נדרו *votum ejus*, nempe *daleth* pro *zain*.

8. *Omnibus diebus separationis suæ sanctus erit Domino.*

9. *Sin autem mortuus fuerit subitò quispiam coram eo, polluetur caput consecrationis ejus: quod radet illico in eâdem die purgationis suæ, & rursùm septimâ.*

Hujus versiculi postrema pars sic reddi potest. *Radet caput suum* nimirùm quia pollutus est, *die purificationis suæ: die septimâ radet*, nempe caput. Noster Interpres sic hunc locum accepit, ut primùm Naziræus raderet se die purgationis suæ, & secundò die septimâ. Joannes Clericus vertit hunc locum *in die purificationis suæ, die nimirùm septimo.*

10. *In octavâ autem die offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ, Sacerdoti in introitu fœderis testimonii.*

Ad ostium Tabernaculi.

11. *Facietque Sacerdos unum pro peccato, & alterum in holocaustum, & deprecabitur pro eo, quia peccavit super mortuo: sanctificabitque caput ejus in die illo.*

Ut sequentia admonent: tunc die illo iterùm sanctificabit, sive consecrabit caput suum Nazaræus; crescere sinet capillos suos.

13. *Et consecrabit Domino dies separationis illius, offerens agnum anniculum pro peccato: ita tamen ut dies priores irriti fiant, quoniam polluta est sanctificatio ejus.*

Nimirùm voti sui alios dies inchoabit, non numeratis prioribus, quia intervenerat pollutio.

13. *Ista est lex consecrationis. Cùm dies, quos ex voto decreverat, complebuntur: adducet eum ad ostium Tabernaculi fœderis.*

Ista lex est Nazaræatûs, &c. Nazaræus adducet seipsum, sic Vulgatus loqui debuisset, posuit *eum* pro *seipsum.* Nazaræus tenebatur venire ad ostium Tabernaculi, sistere seipsum ante ostium Tabernaculi.

14. *Et offeret oblationem ejus Domino, agnum anniculum immaculatum in holocaustum, & ovem anniculam immaculatam pro peccato, & arietem immaculatum, hostiam pacificam:*

15. *canistrum quoque panum azimorum, qui conspersi sint oleo & lagana absque fermento, uncta oleo, ac libamina singulorum:*

Videre est sacrificium illud fuisse solemni apparatu completum cum multis impensis.

16. *Quæ offeret Sacerdos coram Domino, & faciet tam pro peccato, quàm in holocaustum.*

17. *Arietem verò immolabit hostiam pacificam Domino, offerens simul canistrum azimorum, & libamenta quæ ex more debentur.*

Ubi de sacrificiis disseruimus in libro tertio, tum sacrificiorum species, tum ritus singulos exposuimus.

18. *Tunc radetur Nazaræus ante ostium Tabernaculi fœderis cæsarie consecrationis suæ: tolletque capillos ejus, & ponet super ignem, qui est suppositus sacrificio pacificorum.*

Tunc Nazaræus præbebat capillos suos tondendos, quos voverat non depositurum ante hancce diem, & conjiciebat in ignem qui erat *subter sacrificium pacificorum*, nempe sub ollis in quibus coquebantur carnes pacifici sacrificii. Pars hujus sacrificii cedebat ei qui obtulerat; de quâ epulabatur cum amicis.

19 *Et armum coctum arietis, tortam que absque fermento unam de canistro, & laganum azimum unum, & tradet in manus Nazaræi postquàm rasum fuerit caput ejus.*

Ut illa Nazaræus offerat Deo, & pro se accipiat ea Sacerdos.

20. *Susceptaque rursùm ab eo, elevabit Sacerdos in conspectu Domini, & sanctificata Sacerdotis erunt, sicut pectusculum, quod separari jussum est & femur. Post hæc potest bibere Nazaræus vinum.*

Nam solutus est voto.

21. *Ista est lex Nazaræi, cùm voverit oblationem suam Domino tempore consecrationis suæ, exceptis his, quæ invenerit manus ejus. Juxta quod mente devoverat, ita faciet ad perfectionem sanctificationis suæ.*

Nazaræi præter illas victimas in lege præscriptas, alias etiam poterant offerre. Hinc intelligere licet, ut notat Clericus, votum Nazaræatûs non fuisse hominis pauperis. Josephus in libro 2. de Bello cap. 26. mentionem faciens Reginæ Berenices, scribit eam *venisse Hierosolymam ut* εὐχὴν *votum Deo solveret*; intelligendum est magnum votum. *His enim qui morbo vel aliis necessitatibus implicantur, mos est orare per triginta dies, antequàm immolent hostias: abstinere quoque vino & à tonsione capillorum.* Inter tractatus Misnicos unus est de Naziræatu; in quo videre est Naziræis non licuisse commorari extra terram Israël. Certè votum non poterat perfici nisi in templo cum impensis magnis, quas aliquando suppeditabant qui Nazaræatum non suscipiebant, sed volebant commendare suam religionem: quod fecit Paulus *Act.* 21. ut opinionem amoveret de se conceptam, quod à ritibus Judaicis alienum animum gereret. Cùm venit Hierosolymam enuntiavit à se impensas faciendas pro Nazaræis, qui votum suum soluturi erant, consilium fratrum secutus. 23 *Hoc ergo fac*, inquiebant, *quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor votum habentes super se.* εὐχὴν ἔχοντες ἐφ' ἑαυτῶν. Ibi εὐχὴ intelligi debet votum magnum Nazaræatûs, cui reddendo erant obnoxii viri quatuor forsàn pauperes, qui itaque in promptu oblationes non habebant 24. *His assumptis, sanctifica te cum illis: & impende in illis ut radant capita, & scient omnes quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem.* Adjunge te illis, & sanctifica te, præbens impensas victimarum quas debent offerre, ut illis liceat caput suum radere.

Samuel Petitus in variis lectionibus cap. 2. dicit Paulum non tunc temporis Naziræum fuisse, sed tantùm suppeditasse impensas: id infert ex verbis Maimonidis in capite 8. tractatûs ejus de Naziræatu. *Si quis dixisset*, inquit Maimonides, *ecce ego impendam in Nazaræo ut radat caput, tenebatur impendere. Quod si quis dixisset se velle dimidium tantùm impensæ in victimas faciendæ præstare, Nazaræus quod erat reliquum præstabat.* Sacrificiis autem nemo interesse poterat, nisi purus; itaque sanctificavit se Paulus, servans eos ritus quibus sanctificatus censeretur, & denuntiavit Sacerdotibus impensas se facturum pro quatuor Naziræis. Attamen puto & ipsum Paulum fuisse alligatum voto Naziræatûs, ideò ascendisse Hierosolymam, ut declaratur in iisdem Actibus 18. 18. *Paulus verò cùm adhuc sustinuisset dies multos, fratribus valefaciens, navigavit in Syriam (& cum eo Priscilla & Aquila) qui sibi totonderat in Cenchris caput: habebat enim votum.* Ibi εὐχὴ votum sine addito indicat Nazaræatum.

Opinor etiam Apostolos, dum alter templi non eversum fuit, suppeditasse impensam in victimas. Sed quid illud? *Qui sibi totonderat in Cenchris.* Nazaræi enim deponebant capillos in templo post peractum sacrificium? Certè fons Græcus sic intelligi potest, ut ipse sit Paulus, qui tonsus fuerit in Cenchris: *navigavit in Syriam & cum eo Priscilla & Aquila.* Κειράμενος τὴν κεφαλὴν ἐν Κεγχρεαῖς *tonsus caput in Cenchreis.* Causam eam supponit Samuel Petitus: quia hactenus cum Græcis versans comatus vixerat; ubi verò in Syriam navigabat, nolebat aliis moribus uti quam Judæorum, qui non alebant capillos, quod consuetum erat Græcis. Licet id utrumque dem Petito, scilicet Græcos promisisse capillos, quos tonderent Judæi, durum est quod dicit ille, *habebat enim votum* referendum esse ad navigationem Pauli in Syriam, & non ad capillorum tonsuram immediatè præcedentem. Ego verò opinor reipsâ Paulum, cùm susciperet iter, priùs se totondisse in Cenchris, non quidem pro completo voto, quod ritè facere non poterat nisi Hierosolymis in templo, sed à die quo primùm tonsus fuerat, à quo numerandi erant dies Naziræatûs. Nam, ut vidimus, die purificationis suæ Nazaræus radebat caput suum, & indè inchoabat Nazaræatum, quo impleto tondebatur olim in Tabernaculo, posteà in templo. Capilli priores quasi impuri censebantur; ideò non capaces Naziræatûs: ubi verò purgatio facta fuerat, & quasi nova & pura cæsaries incipiebat crescere. Vide versum nonum sexti capitis Numerorum, quod exposuimus. Omnia sic cohærent. Scilicet totonderat se Paulus in Cenchris, quia habebat votum, nempe voverat Nazaræatum, ut cùm pervenisset Hierosolymam, post impletos dies vota solveret; quod Hierosolymitani Christiani scientes, eum hortati sunt ut assumeret quatuor alios Nazaræos. Apostoli & cæteri Christiani primis illis temporibus ultrò usurpabant quæ piè & religiosè fiebant in Judaïcâ lege, donec templum stetit.

Hos Nazaræos Hebræorum Gentiles imitati sunt; erant enim inter eos, qui pascerent capillitium, & hoc diis suis consecrarent, ad quem morem alludebat Virgilius 7. 391.

...... *sacrum tibi pascere crinem.*

Quod Græci appellabant κομᾶν τῷ θεῷ.

SECTIO III.

Rechabitæ erant veluti Nazaræi perpetui. Origo eorum, & vitæ ratio.

ERant inter Hebræos viri religiosi Rechabitæ qui censeri possunt quasi perpetui Nazaræi, vino per totam vitam abstinentes. Jeremias cap. 35. eorum institutum (& quà id faciat occasione) exponit, jussus a Deo.

1. *Verbum quod factum est ad Jeremiam à Domino, in diebus Joakim filii Josiæ Regis Juda, dicens:*

2. *Vade ad domum Rechabitarum; & loquere eis, & introduces eos in domum Domini, in unam exhedram thesaurorum, & dabis eis bibere vinum.*

3. *Et assumpsi Jezoniam filium Jeremiæ filii Absaniæ, & fratres ejus, & omnes filios ejus, & universam domum Rechabitarum.*

4. *Et introduxi eos in domum Domini ad gazophylacium filiorum Hanan, filii Jegedeliæ hominis Dei, quod erat juxta gazophylacium principum; super thesaurum Maasiæ filii Sellum, qui erat custos vestibuli.*

Plura erant in templo conclavia nominibus eorum, qui ea habitabant appellata.

5. *Et posui coram filiis domûs Rechabitarum scyphos plenos vino, & calices: & dixi ad eos: bibite vinum,*

6. *qui responderunt: non bibemus vinum: quia Jonadab filius Rechab pater noster, præcepit nobis, dicens: non bibetis vinum vos & filii vestri usque in sempiternum:*

7. *& domum non ædificabitis, & sementem non seretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis: sed in Tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, ut vivatis diebus multis super faciem terræ, in quâ vos peregrinamini.*

Jonadab non primus est auctor instituti Rechabitarum; sed inter illos inclaruit, ut postea dicemus.

8. *Obedivimus ergo voci Ionadab filii Rechab, patris nostri, in omnibus, quæ præcepit nobis, ita ut non biberemus vinum cunctis diebus nostris, nos & mulieres nostræ, filii & filiæ nostræ:*

9. *& non ædificaremus domos ad habitandum: & vineam & agrum, & sementem non habuimus.*

10. *Sed habitavimus in tabernaculis, & obedientes fuimus juxta omnia, quæ præcepit nobis Ionadab pater noster.*

11. *Cùm autem ascendisset Nabuchodonosor Rex Babylonis ad terram nostram, diximus, venite & egrediamur Ierusalem à facie exercitûs Chaldæorum, & à facie exercitûs Syriæ, & mansimus in Ierusalem.*

Cùm præcepisset pater Rechabitarum ne habitarent domos, cur ergo intra Hierosolyma commorabantur? *à facie exercitûs Chaldæorum*, inquiebant, præsidium quærimus. Juvat rem altiùs de Rechabitis inquirere. Origo eorum repetitur à socero Moysis qui in Exodo appellatur Raguel & Jethro; capite enim secundo Moyses dicitur uxorem duxisse filiam Raguelis, & tertio capite pavisse oves Jethro soceri sui. Ita Raguel & Jethro non sunt diversi homines, nisi alter ex duobus avus sit. Quidquid sit in *Numeris* 10. 29. Hobab filius Raguelis Madianitæ appellatur cognatus Moysis à quo impetravit ut cum Israëlitis maneret; scilicet ne Moyses familiam ejus cum cæteris Madianitis deleret. Igitur Hobab adjungens se Israëlitis, cum illis profectus est, & eandem sortem habuit. Progenies Hobab ipsi sunt Cinæi, quos Balaam *Num.* 24. 21. intituitus est vaticinium edens; & primo capite Judicum appellantur cognati Moysis qui habitaverunt ad Meridiem Judæorum. Etiam fit mentio eorum in primo libro Paralip. cap. 2. 55. *Hi sunt Cinæi qui venerunt de calore patris domûs Rechab.* De *calore*, in Hebræo codice legitur *chama*. Hocce nomen deducitur à verbo חמם *calefieri* sonat *calor*, sed & accipi potest pro חמת *socer*. Ut sensus sit: hi sunt Cinæi qui veniunt de socero, nempe Moysis, qui fuit pater domûs Rechabitarum.

Nullus ergo dubitandi locus est quin Cinæi ortum ducant ex socero Moysis; & quoniam admissi sunt inter Israëlitas, par est credere eos Deum Israëlis coluisse. In quarto Regum capite 10. 15. Jehu Rex Israël circa annum mundi 3120 accepit Jonadab filium Rechab in comitem & adjutorem cùm interfecit omnes Sacerdotes Baal. Nempe Jonadab institutum Rechabitarum observans ob zelum suum Regi fuit commendatus.

Ad huncce Jonadab Jeremias videretur referre institutum Rechabitarum nisi verba ejus accipi possent non de primo auctore instituti sed de instauratore vel restauratore, qui ante ducentos aut trecentos annos claruisset. Jethro ipse vel Hobab qui fuit cognatus Moysis censendus est pater Cinæo-A rum: quos vixisse more Rechabitarum colligo ex eo quod narrat Scriptura *Iudic.* 4. 11. de Cinæis, nempe de filiis Hobab qui fuit Moysis cognatus. *Haber autem Cinæus recesserat quondam à cæteris Cinæis fratribus suis filiis Hobab cognati Moysis, & tetenderat tabernacula usque ad vallem quæ vocatur Sennim & erat juxta Cedes.* Verisimile est unum ex illis Cinæis nomine Haber recessisse à fratribus suis, quoniam ipsi recesserant à doctrina & moribus parentum suorum. Inter domum Haber & Jabin Regis Azor fuisse pacem dicit Scriptura; nec id mirum; si more patrum vivebant sub tentoriis sine cupiditate. Facilè obtinebant pacem à Jabin qui tunc temporis premebat Israëlitas servitute, à quâ Jahel B uxor Haber eos liberavit. Debora Prophetissa excitavit populum Dei ut jugum Jabin excuteret; & reipsâ vicit Sisaram principem exercitûs Regis Jabin. Jahel occurrens fugienti Sisaræ cui nota erat, excepit illum in suo tentorio, quo utebatur pro domo ut solebant Rechabitæ. Sisara ab illa aquam petiit; sciebat enim in domo ejus vinum non reperiri. Pro aqua autem Jahel lac obtulit; pascebant enim pecora Rechabitæ.

Tempore Jeremiæ cùm Babylonii grassarentur per Judæam. Rechabitæ, qui hactenus non ædificaverant domos ad habitandum, & vineam & sementem non habuerant coacti sunt ingredi urbes, & se receperunt Hierosolymam. Hos Jere-C mias, ut ipse narrat cap. 35. admisit in templo, & collocavit in proprio conclavi, quod erat filiorum Hanan. Rechabitæ non erant nati ex Abraham, sed proselythi quia omnem justitiam legis adimplebant; nimirùm erant proselythi justitiæ, & tanquam verè filii Abrahæ poterant templum ingredi. Post captivitatem Babylonis institutum eorum dissolutum est, nisi sub nomine Essenorum, ut aliqui putant, floruerint; de quibus differere extra nostrum institutum est.

SECTIO IV.

D *De Nathinæis, sive de deditis templi ministris.*

Nathinæi, à verbo נתן *nathan*, id est, *dedit*, sic dicti, quia erat dedititia gens, ut modò dicemus, vel quia hos dederat David Levitis ad eorum labores sublevandos, ut dicit Esdras 1. cap. 8. 20. *Et de Nathinæis quos dederat David, & principes ad ministeria Levitarum.* David ipse & principes οἱ ἄρχοντες *viri principes*, ut versio Græca ibi habet, sic ordinaverant ut Nathinæi, nempe gens Gabaonitarum, quam Josue admiserat in fœderis & sacrorum societatem, ministraret Levitis, ut Levitæ Sacerdotibus. Notum quomodo Gabaonitæ, reveriti ne Israëlitæ eos pariter delerent ac cæteros vicinos E populos, mentiti sunt se advenas è regione longinquâ; quorum fraudem cùm animadvertisset Josue, propter jusjurandum quo se astrinxerant Israëlitæ non illis se necem illaturos, ipsis quidem vitam condonavit, sed perpetuæ addixit servituti domûs Dei; & ministeriis sacris sed humilioribus. Historia illa Gabaonitarum, quomodo instituti sunt lignatores, & aquatores domûs Dei, enarratur in capite nono libri Josue. Protinùs Israëlitæ terram, quàm Deus illis promiserat, ingressi urbem Hierico destruxerunt, interferunt incolas ejus, & expugnatâ Haï Regem illius suspenderunt. Hoc facinus terrorem injecit Gabaonitis vicinis, qui similem casum dolo subterfugerunt Jos. 9.

3. *At hi qui habitabant in Gabaon, audientes cuncta quæ fecerat Iosue Iericho & Haï,*

4. *Et callide cogitantes tulerunt sibi cibaria, & saccos veteres asinis imponentes, & utres vinarios scissos, atque consutos,*

5. *calceamentaque perantiqua, quæ ad indicium vetustatis pittaciis consuta erant, induti veteribus vestimentis: panes quoque quos portabant ob viaticum, duri erant, & in frusta comminuti:*

6. *Perrexeruntque ad Iosue, qui tunc morabatur in castris Galgalæ, & dixerunt ei, atque simul omni Israëli: de terrâ longinquâ venimus, pacem vobiscum facere cupientes. Responderuntque filii Israël ad eos atque dixerunt:*

7. *Ne fortè in terrâ, quæ nobis sorte debetur, habitetis, & non possimus fœdus inire vobiscum.*

In fonte. *Et dicebat quisquis Israëlita ad Hævæum, fortasse intra me habitas.* Gabaonitæ erant ex gente Hevæorum; ita ex illis populis, quorum misereri, & quibus cum fœdus percutere non licebat.

8. *At illi ad Iosue; servi, inquiunt, tui sumus. Quibus Iosue ait: Quinam estis vos? Et undè venistis?*

9. *Responderunt: de terrâ longinquâ valdè venerunt servi tui in nomine Domini Dei tui. Audivimus enim famam potentiæ ejus, cuncta quæ fecit in Ægypto,*

10. *Et duobus Regibus Amorrhæorum, Seon Regi Hesebon, & Og Regi Basan qui erat in Astaroth.*

Inde liquet Gabaonitas non solùm non detractasse jugum Israëlitarum, sed amplexos esse cultum Dei, religionem omnem; ad quam tum metus, tum fama Dei Israel eos adducebat.

11. *Dixeruntque nobis seniores & omnes habitatores terræ nostræ: Tollite in manibus vestris cibaria ob longissimam viam, & occurrite eis & dicite: servi vestri sumus, fœdus inite nobiscum*

12. *En panes quando egressi sumus de domibus nostris, ut veniremus ad vos, calidos sumpsimus, nunc sicci facti sunt, & vetustate nimiâ comminuti.*

13. *Utres vini novos implevimus; nunc rupti sunt & soluti. Vestes & calceamenta, quibus induimur, & quæ habemus in pedibus, ob longitudinem longioris viæ trita sunt & penè consumpta.*

14. *Susceperunt igitur de cibariis eorum, & os Domini non interrogaverunt.*

Israëlitæ explorantes cibaria Gabaonitarum, eos vera dicere, crediderunt, quia os Domini, sive Deum non consuluerant, qui solebat respondere clara voce, quæ audiebatur ex Propitiatorio.

15. *Fecitque Iosue cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus est, quod non occiderentur: principes quoque multitudinis juraverunt eis.*

Illi principes apud LXX. appellantur οἱ ἄρχοντες; quapropter hos intuebatur Esdras, cùm dicebat Davidem, & principes τοὺς ἄρχοντας dedisse Nathinæos ad ministeria Levitarum.

16. *Post dies autem tres initi fœderis, audierunt quod in vicino habitarent, & inter eos futuri essent.*

17. *Moveruntque castra filii Israël, & venerunt in civitates eorum die tertio, quarum hæc vocabula sunt, Gabaon, & Caphira, & Beroth, & Cariathiarim.*

18. *Et non percusserunt eos, eò quòd jurassent eis principes multitudinis in nomine Domini Dei Israël. Murmuravit itaque omne vulgus contra principes.*

19. *Qui responderunt eis: juravimus illis in nomine Domini Dei Israel, & idcircò non possumus eos contingere.*

20. *Sed hoc faciemus eis: Reserventur quidem ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur, si pejeraverimus.*

21. *Sed sic vivant, ut in usus universæ multitudinis ligna cædant, aquasque comportent. Quibus hæc loquentibus,*

22. *vocavit Gabaonitas Iosue, & dixit eis: cur nos decipere fraude voluistis, ut diceretis: procul valdè habitamus à vobis, cùm in medio nostri sitis?*

Calonum & lixarum, sive lignatorum & aquatorum deterrimam fuisse conditionem, & omnium infimam observat Masius & probat ex illis verbis Moysis in Deuteronomio cap. 29. v. 11. *Liberi & uxores vestræ, & advena, qui tecum moratur in castris, exceptis lignorum cæsoribus, & his qui comportant aquas.* Huic ergo servitio subdidit Josue Gabaonitas; sed potissimùm addixit domui Dei, ut ligna cæderent & comportarent aquas, cùm iis opus erat.

23. *Itaque sub maledictione eritis, & non deficiet de stirpe vestrâ ligna cædens, aquasque comportans in domum Dei mei.*

24. *Qui responderunt: nuntiatum est nobis servis tuis, quòd promisisset Dominus Deus tuus Moysi servo suo, ut traderet vobis omnem terram, & disperderet cunctos habitatores ejus. Timuimus ergo valdè, & providimus animabus nostris, vestro timore compulsi, & hoc consilium inivimus.*

25. *Nunc autem in manu tua sumus: quod tibi bonum & rectum videtur, fac nobis*

26. *Fecit ergo Iosue, ut dixerat, & liberavit eos de manibus filiorum Israël, ut non occiderentur.*

Ideo Dominus præceperat occidi Chananæos, ne Israëlitæ cum illis pacem inirent, abducerentur pessimo eorum exemplo ad colenda idola; sed ipsi Gabaonitæ verum Dei cultum amplectebantur; cujus & ex parte adsciscebantur ministri. Protinùs Josue declaraverat eos futuros pro totâ multitudine lignatores & aquatores, ut compesceret murmur, sed cùm id fieri non poterat; tribus enim modo separandæ erant ac dividendæ; idcirco Gabaonitas non quidem exemit servitio multitudinis, sed servos domûs Dei fecit

27 *Decrevitque in illo die eos esse in ministerio cuncti populi & altaris Domini, cædentes ligna, & aquas comportantes usque in præsens tempus, in loco quem Dominus elegisset.*

In Tabernaculo priùs, deinde in templo, ubi extructum est & ministerium ejus ordinatum à Salomone, juxta id quod præceperat David; qui ideò censetur dedisse Gabaonitas Levitis in subsidium: indè dicti sunt Nathinæi, hoc est, dedititii.

SECTIO V.

De templi regimine, de Magistratibus, & præfectis qui præerant operibus, & omnia curabant.

TEmplum erat veluti civitas magna plena populis; ab omni enim plagâ orbis non solùm Judæi, sed & plerique Gentiles in illud confluebant; & non pauci in eo diu noctuque commorabantur. Ita non tantùm propter ædificiorum multitudinem, sed & propter incolarum frequentiam, templum erat civitas magna, instar arcis, quæ toti urbi Jerusalem dominaretur. In loco autem sancto, ne tumultus fieret, decuit omnia regimine certo ordinata esse, sive administrari legibus optimis. In Evangelio videre est templum habuisse suos magistratus, quos Lucas cap. 22. v. 52. appellat στρατηγοὺς τοῦ ἱεροῦ *magistratus templi*, ut loquitur Vulgatus Interpres; vox autem Græca denotat munus militare. *Dixit autem Iesus ad eos qui venerant ad se, principes Sacerdotum & magistratus templi, & seniores: quasi ad latronem existis cum gladiis & fustibus.* Scilicet templum habebatur pro castris Dei: Deus ipse erat summus Imperator; sed necesse erat ut alius esset

dux exercitûs στρατηγὸς. Sic nominatur ab eodem Lu- A
câ in Actuum cap. 5. v. 24 *Ut autem audierunt hos sermones* στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ *Magistratus templi & principes Sacerdotum ambigebat de illis quidnam fieret.* Satis innuit facer codex fuisse viros qui præficerentur diversis templi operibus, qui singuli curarent; sed discendum à Judæis, qui & quot essent illi præfecti, & quibus rebus singuli præessent.

Maimonides in tractatu *chelim*, sive de Vasis cap. 7. quem ejus Interpres inscripsit de Apparatu templi, numerat quindecim ממונין *Mammonin*, hoc est, præfectos » Erant, inquit, in Sanctuario præfecti » quindecim. Etenim quindecim rerum istarum » suum cuique præfectum semper esse necesse erat: » Descriptioni temporum: claudendis portis: custo- B
» diis agendis: Cantoribus: cymbalo, cæterisque fi- » dibus: sortibus: pullorum nidis: sigillis: libationi- » bus: ægrotis: aquis: propositionis panibus efficien- » dis: suffimento componendo: texendis velis: ves- » timentis Sacerdotalibus apparandis. Maimonides horum præfectorum munera fusiùs prosequitur; undè intelligi potest quo ordine omnia peragerentur in templo, & quanta esset illius magnificentia. Pergit loqui. » Atque horum cuique Præfectorum multi » erant homines subjecti, qui hoc, cui ille præfectus » erat, opus efficerent. Is igitur qui temporibus des- » cribendis præerat, una cum suis observabat tem- » pora; utque sacrificiorum venerat hora, vel ejus » permissu aliquis è subditis magnâ voce pronuntia- » bat: ad sacrificia Sacerdotes, ad suggestum Levi- C
» tæ, & ad stationem Israëlitæ; cujus ut esset audi- » ta vox, quisque munus aggrediebatur. Qui por- » tis claudendis præerat, is claudi portas jubebat a- » peririque, nec harum ad aperturam clangebant » buccinatores, nisi ejus permissu. Etenim quotidie » cùm aperirentur templi portæ, buccinâ terni e- » debantur sonitus, æquabilis, infractus, æquabilis. » Qui præpositus erat custodiis, hic vir ille montis » ædis erat, id est, appellabatur vir montis ædis, » nempe Moriæ montis in quo ædes Dei erat; qui » dicebatur mons domûs. Hic, inquam, vir nocte » totâ Levitas excubias agentes lustrabat: quorum si » reperiret aliquem in statione suâ dormientem, » baculo tondebat, & vestes ejus adurebat.

Prætermitto quæ dicit Maimonides de præfecto Cantorum; ista enim referentur in cap. seq. Deinde loquitur de præfecto sortium, de quibus etiam infrà agemus. Postea de præfecto pullorum; undè discimus à quibus venderentur columbæ in templo, & quorum Dominus taxans avaritiam, everterit cathedras in quibus exponebant pullos venales, ut dicitur apud Matthæum c. 21. v. 12. cui loco Scripturæ hæc quæ subjicit Maimonides, lucem afferunt. » Qui præfec- » tus erat pullis, cum eo paciscebantur ut tot pro si- » clo pullos in sacrificia venderet: si quis igitur aut » duos turtures, aut columbæ pullos pro sacrificio » debuisset, hic illorum pretium afferret in Sanctua- » rium: tum his, qui ista faciebant sacrificia, ho- » minibus pullos suppeditabat præfectus ille, cui » posthac quæstores relatis rationibus pecuniam » solvebant. Jam de pretio pullorum tricesimo quo- » que die pactio fiebat. Quod si pactionem conse- » cuta fuisset vilitas, eo pro viliori daret pretio: » contra si fuisset consecuta caritas, eos pro pacto » pretio venderet; semper enim ærarii sacri condi- » tio superior est. Idem etiam si pulli reperirentur » vitiosi, vel si vitio afficerentur antequàm essent » immolati, pro his tenerentur dare alios. In hisce sordida exercebatur mercatura; qua propter Dominus arguebat Sacerdotes quod domum Dei facerent locum negotiationis; quod liquet ex iis quæ addit Maimonides. » Qui præfectus erat sigillis, is

accipiebat libationum pretia ab his qui libationes « facere deberent, quibus ipse suas dabat tesseras: li- « bamina verò tradebat ille, qui præfectus ipsis erat. « Erant igitur in Sanctuario sigilla quatuor, quo- « rum in uno scriptum erat VITULUS: in altero « MAS: in tertio HOEDUS, & in quarto PEC- « CATOR. Omnes igitur qui sacrificia in Sanctua- « rium afferebant, libationum pretia dabant ei, qui « sigillis erat præfectus, qui tesserulas singulis pro « ratione sacrificiorum dabat. Ac homini quidem le- « proso & eidem diviti tesserulam dabat, quâ ver- « bum illud erat inscriptum PECCATOR. Por- « rò suas quisque tesserulas portabat præfecto liba- « tionum, qui pro numero & inscriptione tesseru- « larum cuique libamina præbebat: vesperè conve- « niebant hi duo præfecti: reddebat hic tesserulas, « solvebat ille pecunias. Si quid pecuniæ superesset, « manebat ærario sacro: sin pecunia deficeret, hic « qui sigillis præerat, reliquum de suo solvebat: si « quis suam amitteret tesserulam, expectabat ad ves- « perum. Nam si tantum argenti superesset, quan- « tum erat acceptæ tesserulæ pretium, redderetur « illi: sin minùs, nihil reddebatur. Erat etiam in u- « nâ quaque tesserulâ ascriptum nomen diei prop- « ter fraudulentos homines, ut ne tesserulæ retine- « rentur ab his usque dum libamina cariori vende- « rentur pretio. Tricesimoque die pactio de vini & » similæ pretio fiebat cum eo qui libaminibus præes- « set. Ac si pactionem esset consecuta libaminum « caritas, nihilominùs ea pro constituto pretio sup- « peditaret. Sin autem consecuta vilitas esset, pre- « tio daret ea viliori. Quod igitur ærario lucri fie- « bat è variis istis pretiis, id reliquiæ libaminum ap- » pellabatur: impendebatur autem in ea holocausta, « quibus altare donabatur: ab universâ ecclesiâ æs- « tivo tempore. Atque inter hæc altaris æstiva mu- « nera, quibus donabatur altare, non erat unquam « holocaustum ex ave quia in sacrificiis publicis avi « locus non erat. «

Rationem reddit Maimonides cur præfectus destinatus fuerit ægrotis curandis. « Sacerdotes, quo- « niam in pavimento semper insistebant, carnis ede- « bant multùm, & cùm sacris operarentur, unâ om- «
D nino tunicâ tegebantur, sæpè dolore viscerum « laborabant. Quâ de causâ præfectus erat, qui Sa- « cerdotes viseret, ægrotantes curaret, atque ad ho- « rum conservationem se totum applicaret, & om- « nes qui ei parebant, homines. «

Deinde disserit Maimonides de reliquis præfectis. Præterea autem præfectus erat, qui cùm novos « puteos, cisternasque fodiendas, tum veteres, si « corrumperentur publici putei, reficiendos cura- « ret, quò cunctis Hierosolymæ incolis, & univer- « sis etiam ad solemnitates eò venientibus copiosa « suppeteret aqua. Quidam cunctis panum propo- « sitionis artificibus præfectus erat, qui quidem ar- « tificium panis ejus totum ordinabat ipse. Porrò « quidam cunctis suffimenti artificibus præfectus e- «
E rat, qui item ejus artificium ordinabat & institue- « bat ipse. Quem autem diximus velis texendis præ- « positum, is cunctis textoribus & acupictoribus ve- « lorum præfectus erat. Huic id erat curæ, ut ab il- « lis templi, portarumque vela pararentur ad tem- « pus. « Suo loco protulimus nonnulla quæ Maimonides subjicit de velis. De quinto decimo & ultimo præfecto hæc ille. « Qui Sacerdotalium vestium apparatui præpositus erat, is Sacerdotum privato- « rum juxta, atque summi Sacerdotis vestes cura- « bat apparandas & texendas: ac quidquid ad rem « istam spectabat, id omne fiebat hujus præfecti cu- « râ & jussu. Atque etiam proprium erat huic in « Sanctuario conclave. «

SECTIO VI.

Ministri templi non censebantur, nisi qui ex tribu Leviticâ erant. Horum autem ministerium aliud fuit in Tabernaculo aliud in templo. Numerus eorum & distributio in classes sub Davide.

VIri stationis propriè non ministrabant in templo, sed astabant ministrantibus; Nathinæi verò servi erant ministrantium. Deus tribum Levi selegerat, a quâ administraretur cultus ejus; familiam autem Aaronis ornaverat Sacerdotio; quo ergo non omnis Levita, sed soli qui nati erant ex stirpe Aaronis, poterant defungi. De Levitis & Sacerdotibus sermonem fecimus in libro tertio, ubi exposuimus ministerium Tabernaculi; sed & tunc temporis ea suscipimus dicenda quæ conveniunt Levitis & Sacerdotibus, quatenùs non Tabernaculi, sed templi ministris. De Levitis observat Maimonides non spernenda. In suo tractatu *chelim*, id est, de vasis templi capite 3. ostendit Levitas sic addictos & consecratos ministerio sancto, ut, vellent nollent, parati esse deberent huic ministerio, quod his verbis explicat. » Hæc igitur eorum erant offi» cia atque munera ut Sanctuarium custodirent, ut » partim eorum Janitores essent, qui Sanctuarii por» tas aperirent & clauderent, partim Cantores, qui » quotidie canerent ad rem divinam. Est enim in » lege Deut. cap. 18. v. 7. Ministrabit in nomine » Domini Dei sui, sicut omnes fratres ejus Levitæ. Non ministrabant autem nisi priùs edocti ministerium suum. » Nemo Levita, Maimonides loqui» tur, munus suum effecturus admittebatur in a» trium, quin priùs esset quinquennio ministerium » edoctus: habemus enim in lege Num. 8. v. 24. » Hæc est lex Levitarum à viginti quinque annis, » &c. Atque alio loco à lege dicitur, ibidem cap. 4. » v. 3. A trigesimo anno, &c. Quo igitur pacto lex » sibi concilietur? Nempe quinquennium illud in » addiscendâ ministerii ratione ponebatur. Etenim » ministerium inire non poterat, quin jam vir gran» dis esset, quippe cùm scriptum sit ibidem v. 49. » virum virum secundùm officium suum. Quod au» tem de Levitis in lege dicitur, Num. cap 8. v. » 25. Cùmque quinquagesimum annum ætatis im» pleverint, servire cessabunt, præceptum in id » tempus erat, quo Sanctuarium seu Tabernaculum » deportaretur ex uno loco in alium; non item in » ea, quæ post insecuta sunt, tempora. Nam pos» tea Levitam neque anni, neque corporis vitium » ministerio faciebant inhabilem. Vox erat una, quæ » cùm in Levitâ confecta senio foret, hominem » suis Sanctuarii muneribus faceret inhabilem. Ac » mihi quidem sic videtur omnino carmini canendo » deinceps hunc haud idoneum esse, verùm ido» neum fuisse, qui poneretur etiam in numero Ja» nitorum.

Ubi non ampliùs Tabernaculum movendum fuit loco suo, alia facta est distributio Levitarum; quorum diversæ cognationes addictæ erant diversis supellectilibus portandis. Maimonides his quæ protulimus subtexit. *Samuel vates, itemque Rex David omnes omninò Levitas distribuit in curias viginti quatuor. Earum una quæque plenam hebdomadam ministrabat: tum verò princeps cujusque curiæ cunctos curiales suos distinguebat in familias. Jam singulis hebdomadæ diebus ministrabant certi quidam, atque hisce diariis ministris suum cuique munus assignabant familiarum principes. Omnibus autem Levitis erat interdictum ne altaris obirent munera.* Quæ fuerint munia Levitarum, postquàm templum ædificatum est, & cætera quæ eos spectant, declarat primi Paralipomenorum caput 23. quod ergo hùc afferre decuit.

1. *Igitur David senex & plenus dierum, Regem constituit Salomonem filium suum super Israël.*

1. *Et congregavit omnes principes Israël, & Sacerdotes atque Levitas.*

3. *Numeratique sunt Levitæ à triginta annis & suprà: & inventa sunt triginta octo millia virorum.*

Hinc discat Lector, quanto apparatu, & quantâ majestate Deo suus cultus exhiberetur. Sed hîc advertendum, quod infrà ostendemus, in hocce numero comprehendi Sacerdotes; etenim illi & erant filii Levi, & ideò Levitæ, sive ex tribu Leviticâ.

4. *Ex his electi sunt & distributi in ministerium domûs Domini viginti quatuor millia, præpositorum autem & Judicum sex millia.*

Ex hocce numero assumpti sunt, tum Sacerdotio functuri, tum cæteri Levitæ qui non erant ex Aaronis familiâ, & idcircò non jus habebant sacrificandi. Ex illis autem 38000 delegit sex millia, qui præessent operibus & judicarent. In fonte שטרים, id est, moderatores, præfecti; Juxta LXX. Interpretes γραμματεῖς scribas, apparitores. שפטים, id est, Judices κριταί. Nimirùm è Levitis David elegit sex millia virorum quibus commisit munia quæ tantùm exercere poterant qui litteris essent imbuti.

5. *Porrò quatuor millia Janitores: & totidem Psaltæ, canentes Domino in organis, quæ fecerat ad canendum.*

De Janitoribus & Cantoribus postea agemus. Ex illis Levitis, qui non fungebantur Sacerdotio, fecit quatuor millia Janitorum, & quatuor millia Cantorum; ita ut singulis hebdomadibus non minùs quàm centum & sexaginta sex Levitæ portas custodirent, & totidem canerent.

6. *Et distribuit eos David per vices filiorum Levi, Gerson videlicet, & Caath, & Merari.*

In distributione classium rationem habuit David familiarum quibus constabat tribus Levi. Hæ familiæ ibi recensentur, quas non opus est exscribere. Postea subjicitur.

24. *Hi filii Levi in cognationibus, & familiis suis, principes per vices, & numerum capitum singulorum, qui faciebant opera ministerii domûs Domini, à viginti annis & suprà.*

Principes familiarum, & curiarum sic distributi fuerant, ut certis vicibus obirent munia sua. Ita ibi loquitur Chaldæus Paraphrastes. *Atque hi fuerunt Levitæ, secundùm familias paternas, nominum atque capitum recensionem, ministri ministerii cultûs Sanctuarii Domini, ab ætate viginti & plurium annorum.* Horum Levitarum mutatum est ministerium: nova subiêre munia, primis exonerati à tempore quo requiem Israëlitis dedit Deus

25. *Dixit enim David: Requiem dedit Dominus Deus Israël populo suo, & habitationem Jerusalem usque in æternum.*

Elegit Deus urbem Jerusalem locum habitationis suæ *usque in æternum*, nempe per totum tempus, quod effluxit usque ad dies Messiæ.

26. *Nec erit officii Levitarum ut ultra portent Tabernaculum, & omnia vasa ejus ad ministrandum.*

Neque enim templi à Salomone ædificandi mutabitur sedes, ut supellectilia de loco in locum portanda sint.

27. *Juxta præcepta quoque David novissima supputabitur numerus filiorum Levi à viginti annis & suprà.*

Salomon distribuit Levitas, & ordinavit minis-

terium eorum juxta præcepta quæ illi a patre moriente data ſunt.

28. *Et erant ſub manu filiorum Aaron in cultum domûs Domini, in veſtibulis, & in exhedris, & in loco purificationis, & in Sanctuario, & in univerſis operibus miniſterii templi Domini.*

In fonte. *Statio eorum ad latus filiorum Aaron;* nempe ſtabunt ad latera Aaronitarum, ut capeſſant eorum mandata. Curam habebunt conclavium, cellarum, & omnis penoris, vini, olei, ſalis. Horum erit omnem ſupellectilem mundam ſervare ab omni inquinamento, & præeſſe omni operi quod in Sanctuario fit.

29. *Sacerdotes autem, ſuper panes propoſitionis, & ad ſimilæ ſacrificium, & ad lagana azima, & ſartaginem, & ad torrendum, & ſuper omne pondus atque menſuram.*

Hæc Sacerdotum munia infrà explicabuntur.

30. *Levitæ verò, ut ſtent manè ad confitendum, & canendum Domino: ſimiliterque ad veſperam.*

De Cantoribus diſſeremus capite ſequenti; proximo autem articulo de Janitoribus.

SECTIO VII.

Unum ex muneribus Levitarum fuit portarum cuſtodia; & quibuſdam portis cuſtodiendis etiam præficiebantur Sacerdotes. Cuſtodia theſaurorum, vaſorum attinebat ad Janitores.

EX viginti quatuor Levitarum millibus, quos Salomon fecit miniſtros templi, deſtinavit quatuor millia in Janitores; quem numerum ſi partiaris in viginti quatuor claſſes, reperies in unâquaque fuiſſe ſaltem centum ſexaginta ſex præpoſitos januis cuſtodiendis. Sunt qui hanc diſtributionem Levitarum ſic factam concipiunt. David eos recenſendo triginta octo millia invenerat; ex quibus viginti quatuor millia pro miniſterio templi, ſex millia qui præeſſent cæteris. Ita conficiuntur triginta millia. Reſtant octo millia; quorum quatuor millia facti ſunt Janitores, quatuor millia Cantores. In hoc capite 8. primi Paralipo. enarratur quomodo Salomon juxta mandata David patris ſui omnia ordinaverit.

14. *Et conſtituit juxta diſpoſitionem David patris ſui officia Sacerdotum in miniſteriis ſuis: & Levitas in ordine ſuo, ut laudarent, & miniſtrarent coram Sacerdotibus juxta ritum unius cujuſque diei: & Janitores in diviſionibus ſuis per portam & portam: ſic enim præceperat David homo Dei.*

15. *Nec prætergreſſi ſunt de mandatis Regis tam Sacerdotes quàm Levitæ ex omnibus quæ præceperat, & in cuſtodiis theſaurorum.*

Munus Janitorum erat aperire & claudere portas montis domûs, ſive atrii gentium, & alias quæ committebantur eorum cuſtodiæ; nam aliquas cuſtodiebant ipſi Sacerdotes. Adſtabant totâ die Janitores portis, obſervantes ne locus contaminaretur; ne quis in illum irrumperet vir, quem lex arceret. Tria atria Gentilium, Iſraëlitarum, & Sacerdotum ſingula habebant portas tum & plura gazophylacia, quæ ſervanda erant à ſingulis Janitoribus. Diebus ordinariis tot numero Janitoribus non opus erat; ſed ſolemnibus feſtis, quando magnus populorum concurſus, ſimul omnes claſſes miniſtrabant. Quin & alicubi Sacerdotes Levitis Janitoribus adjungebantur. Maimonides in tractatu de Apparatu templi c. 7. ſect. 4. obſervat hunc, quem appellat *virum montis domûs*, vnâ quaque nocte circumiſſe omnes excubias; ſi quem verò opprimeret dormientem, verberabat eum, & poterat veſtibus ejus ignem injicere; ad quam conſuetudinem forſan alludebat Dominus, cùm dicit in Apocalypſi 16. 15. *Ecce venio ſicut fur. Beatus qui vigilat & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus.* Videre eſt in libro 1. Paralipomenon cap. 9. quâ in ſtatione portarum quæque cognatio Levitica eſſet; ſimul opera templi fuiſſe ſuſcepta & perfecta ab ipſis Levitis; hos fabros illos lignarios, alios cæmentarios fuiſſe. Poſtea enumerantur plerique Janitores, quorum indicatur ſtatio.

17. *Janitores autem: Sellum, & Accub, & Thelmon, & Ahimam, & frater eorum, Sellum princeps.*

In fonte, *& fratres eorum Sallum caput.* Nimirùm Sallum erat caput, ſive princeps horum Janitorum.

18. *Uſque ad illud tempus, in portâ Regis ad Orientem obſervabant per vices ſuas de filiis Levi.*

Uſque ad tempus quo Judæi captivi abducti ſunt, vel hùc uſque munus ſuum extendebant Levitæ, ut cuſtodirent portam Regis, quæ erat in Oriente. Eam portam intelligo quæ erat in orientali latere atrii Sacerdotum, ad ingreſſum hujus atrii, ubi thronum Regis vidimus locatum. Pro eo quod habet Vulgata: *obſervabant per vices ſuas de filiis Levi.* In Græca verſione & textu originali legimus: *Ipſi Janitores ad caſtra filiorum Levi.* Templum repræſentabat caſtra Iſraëlitarum, quorum pars intima, ubi Tabernaculum, juxta quod Levitæ figebant tentoria, appellabatur *caſtra Dei.*

19. *Sellum verò filius Core, filii Abiaſaph, filii Core cum fratribus ſuis, & domo patris ſui. Hi ſunt Coritæ ſuper opera miniſterii, cuſtodes veſtibulorum Tabernaculi: & familiæ eorum per vices caſtrorum Domini cuſtodientes introitum.*

Sellum & filii Abiaſaph, filii Core per domos cognationum ſuarum ſerviebant. Coritæ verò erant ſuper opus miniſterii. Scilicet vel fabri erant, vel præerant fabris; nam & fabriles artes Levitæ exercebant. Illi, ut habet fons, cuſtodiebant limina ספים *ſaphim* Tabernaculi. Indicatur eorum antiquum munus ante extructum templum; vel ipſa ejus ædes ſacra eo nomine ſignificatur, quia repræſentabat Tabernaculum. Vidimus סף *ſaph* propriè eſſe limen quod calcatur. Igitur limini atrii Sacerdotum cuſtodiendo videntur illi præpoſiti, quod hæc verba declarant: *Et familiæ eorum per vices caſtrorum Domini cuſtodientes introitum.* Nempe cavebant ne quis prætergreſſus leges, intraret in caſtra Dei, in eam partem templi quæ repræſentabat locum ubi Tabernaculum & Levitæ reſidebant, qui locus dicebatur caſtra Dei.

20. *Phinees autem filius Eleazari erat dux eorum coram Domino.*

Ibi fit ſermo de primis temporibus, cùm Tabernaculum erectum eſt, & Phinees ſummus erat Sacerdos, ita omnium Levitarum princeps.

21. *Porrò Zacharias filius Moſollamia, Ianitor portæ Tabernaculi teſtimonii.*

Quando erectum eſt Tabernaculum, Zacharias cuſtodiebat portam tentorii conventûs, ut habet fons. Intelligerem portam atrii, in cujus medio olim ſitum Tabernaculum; quæ porta ſolet appellari conventûs, quia ſcilicet ad illam conveniebant pii Iſraëlitæ, dona ſua oblaturi, vel oraturi.

22. *Omnes hi electi in oſtiarios per portas, ducenti duodecim, & deſcripti in villis propriis, quos conſtituerunt David & Samuel videns, in fide ſuâ.*

Samuel Videns, id eſt, Propheta, *in fide ſuâ*, nempe fidelis, & ipſe David miniſtrandi vices conſtituerunt. Omnes autem qui electi fuerant in Janitores, בספים *Baſiphim*, id eſt, *in liminibus*; non quarumlibet portarum, ſed earum, quæ erant limina, ut puto, atrii Sacerdotum; vel qui ex quatuor dictis

Janitoribus

Janitoribus ortum ducebant, nempe ex Sellum, A Accub, Thelmon, & Ahimam, reperti sunt ducenti duodecim horum liminum custodes; nam vidimus fuisse quatuor millia Janitorum. Illud autem, *descripti in villis suis*, valde ambiguum est, limpidior fons: *in villis suis genealogizando eos*; id est, tot numerati sunt, quando genealogia eorum recensita est per villas, in quibus habitabant; & indè veniebant ad templum, cùm vices eorum recurrebant. Ex hoc loco discimus Samuelem incubuisse in id negotii, ut omnia quæ ad Tabernaculum pertinebant, essent quàm optimè ordinata.

23. *Tam ipsos quàm filios eorum, in ostiis domûs Domini, & in Tabernaculo, vicibus suis.*

Samuel & David, hos & filios eorum constitue- B rant, ut ipsi & prosapia eorum essent Janitores in domo Domini, in Tabernaculo, simpliciter in fonte, sine *&* conjunctivo, nempe in Tabernaculo, quod tunc temporis domus Dei erat.

24. *Per quatuor ventos erant ostiarii, id est, ad Orientem, & ad Occidentem, & ad Aquilonem, & ad Austrum.*

25. *Fratres autem eorum in viculis morabantur, & veniebant in sabbatis suis de tempore ad tempus.*

Omnes, sive Levitæ, sive Sacerdotes serviebant per vices, hebdomade integrâ, à sabbato ad sabbatum. Janitores ergo, impletâ hebdomade ministerii sui revertebantur in villas suas; quæ assignatæ eis erant ad habitandum. Versu decimo septimo nu- C merati sunt quatuor primarii Janitores, Sellum, Accub, Thelmon, Ahimam, quorum unusquisque unum templi latus obtinuerat, & regebat cæteros sui lateris Janitores, qui in viculis habitabant, cùm ipsi commorarentur, ut videtur, in domo Dei aut juxtà.

26. *His quatuor Levitis creditus erat omnis numerus Janitorum, & erant super exhedras & thesauros domûs Domini.*

Erant super *leschachoth* nempe conclavia, & super thesauros. Commissa curæ eorum supellex sacra; & quoniam multi se recipiebant in ista conclavia, & in illis commorabantur, necesse erat ut Levitæ providerent ne quid peccaretur.

27. *Per gyrum quoque templi Domini moraban-* D *tur in custodiis suis, ut cùm tempus fuisset, ipsi manè aperirent fores.*

In fonte ילינו *pernoctabant*, agebant excubias in omnibus portis, per quas ab omni plagâ intrabatur in domum Dei, in circuitu domûs Dei. Versio Græca & Chaldaïca Paraphrasis habet: *Et hi super claves manè manè ad aperiendum portas templi.*

28. *Et de eorum grege erant & super vasa ministerii, ad numerum enim & inferebantur vasa & efferebantur.*

Incredibilis erat, ut dictum est, argenteorum & aureorum vasorum numerus; quæ depromebantur ex thesauris, & postea reponebantur curâ Levitarum. E

29. *De ipsis, & qui credita habebant utensilia Sanctuarii, præerant similæ, & vino, & oleo, & thuri, & aromatibus.*

Nempe erant ex horum numero œconomi.

30. *Filii autem Sacerdotum unguenta ex aromatibus conficiebant.*

Materiam suppeditabant Levitæ, ex quâ Sacerdotes ipsi conficiebant unguenta aromatica, nimirùm thymiama; nam Levitæ præerant thuri & aromatibus. Servabant thus & aromata, ex quibus unguentum aromaticum conficiebatur.

31. *Mathatias Levites primogenitus Sellum Coritæ, præfectus erat eorum, quæ in sartagine frigebantur.*

Mathatias ipse asservabat quæ offerebantur Deo ut in sartagine frigerentur. Non dubito quin & Levitæ præessent culinis. Cætera quæ sunt in hocce capite nono 1 Paralipomenorum, non spectant Janitores. Totum caput vigesimum sextum de illis est; quod ergo huicce loco intexendum. Caput 26.

1. *Divisiones autem Janitorum: de Coritis Meselemia, filius Core, de filiis Asaph.*

Hæ fuerunt divisiones eorum, qui in Janitores electi sunt.

2. *Filii Meselemiæ: Zacharias primogenitus, Jadiel secundus, Zabadias tertius, Jathanaël quartus.*

3. *Ælam quintus, Johanan sextus, Elioënai septimus.*

4. *Filii autem Obededom: Semeias primogenitus, Josabad secundus, Joaha tertius, Sachar quartus, Nathanaël quintus.*

5. *Ammiel sextus, Issachar septimus, Phollathi octavus: quia benedixit illi Dominus.*

Id est, filios ejus multiplicavit, sive dedit illi multam prolem. Filii numerosi pro magnâ felicitate habebantur.

6. *Semei autem filio ejus nati sunt filii, præfecti familiarum suarum: erant enim viri fortissimi.*

Verbum Hebræum משל significat *dominari* & *assimilari*. Quidam vertunt filios illos fuisse similes patribus suis; erant enim ipsi robore præstantes. Valvæ templi erant magnæ & graves. Janitorum officium multùm roboris requirebat.

7. *Filii ergo Semeiæ: Othni, & Raphaël, & Obed; Elzabad & fratres ejus viri fortissimi: Eliu quoque, & Samachias.*

8. *Omnes hi, de filiis Obededom: ipsi, & filii, & fratres eorum fortissimi ad ministrandum, sexaginta duo de Obededom.*

9. *Porrò Meselemiæ filii, & fratres eorum robustissimi, decem & octo.*

10. *De Hosâ autem, id est, de filiis Merari: Semri princeps (non enim habuerat primogenitum, & idcircò posuerat eum pater ejus in principem.)*

Quia primogenitus non fuit ad illud munus idoneus; ideò illius loco robustiorem constituit.

11. *Helcias secundus, Tabelias tertius, Zacharias quartus. Omnes hi filii & fratres Hosa, tredecim.*

12. *Hi divisi sunt in Janitores, ut semper principes custodiarum, sicut & fratres eorum, ministrarent in domo Domini.*

Hæ sunt divisiones, sive classes Janitorum, ex principibus virorum, sive ex præcipuis viris.

13. *Missæ sunt ergo sortes ex æquo, & parvis, & magnis, per familias suas, in unam quamque portarum.*

Per parvum & magnum intelligendæ familiæ pauperes & dites. Ordo postulabat ut quique scirent quibus præessent portis. Tum quæque familiæ exercitatiores erant in obeundis muniis suis, quia ad illa quasi natæ.

14. *Cecidit ergo sors orientalis, Selemiæ. Porrò Zachariæ filio ejus, viro prudentissimo & erudito, sortitò obtigit plaga septentrionalis.*

15. *Obededom verò & filiis ejus ad Austrum: in quâ parte domûs erat seniorum concilium.*

In fonte בית האספים *Beth assuppim*, ἀσεφίμ. Hanc vocem plerique interpretantur *collectionem*, sive *thesaurum*, à verbo אסף collegit. Aliis placet significari limina portarum, ut apud Nehemiam cap. 12. v. 53. ubi dum nominantur Janitores custodiam agentes legere est hæc verba באסיפי השערים.

Eeee

16. *Sephim & Hosa ad Occidentem juxta portam, quæ ducit ad viam ascensionis: custodia contra custodiam.* A

De hac porta suo loco dictum est. Ibi propter frequentiam videtur gemina fuisse custodia. Custodia ex adverso custodiæ agebatur, ut textus originalis innuit. Plurimi enim ex hac parte ad templum ascendebant. Alii portam ascensionis interpretantur eam per quam ibatur ad altare holocaustorum. Nomen עולה significat & *ascensum* & *holocaustum*.

17. *Ad Orientem verò Levitæ sex: & ad Aquilonem, quatuor per diem: ad Meridiem similiter in die quatuor: & ubi erat concilium, bini & bini.*

Custodia diurna erat ibi quatuor Janitorum, & similiter ad *suppim*, quam vocem Latinus Interpres vertit *concilium*. Nempe locus erat ærarii; vel limen erat *asuppim*, ubi bini & bini solebant apponi custodes. B

18. *In cellulis quoque Janitorum ad Occidentem quatuor in via, binique per cellulas.*

Locum hunc sic vertunt Junius & Tremellius. *In parte exteriore & ad Occidentem: quaterni ad aggerem; bini ad portam exteriorem.* Interpretantur vocem פרבר partem exteriorem, ut composita illis visa sit ex פרד *divisit* & בר *extra*. Eam vocem reddidit Vulgatus *cellulam*. Ex Janitoribus autem alii extra ipsas portas, alii intra, custodiam agebant. Non est hominis amovere omnem caliginem ab hisce Scripturæ locis; sed ex observationibus nostris, si non omnis, saltem aliqua lux illis infertur. C Enumerantur deinde Levitæ, qui diversis thesauris præpositi essent, & variis operibus.

19. *Hæ sunt divisiones Janitorum, filiorum Core & Merari.*

20. *Porrò Achias erat super thesauros domûs Dei, & vasa Sanctorum.*

21. *Filii Ledan, filii Gersonni: de Ledan principes familiarum, Ledan, & Gersonni, Jehieli.*

22. *Filii Jehieli: Zathan, & Joel fratres ejus, super thesauros domûs Domini,*

23. *Amramitis, & Isaaritis, & Hebronitis, & Ozihelitis.*

24. *Subael autem filius Gersom, filii Moysi, præpositus thesauris.* D

25. *Fratres quoque ejus Eliezer, cujus filius Rahabia, & hujus filius Isaias, & hujus filius Joram, hujus quoque filius Zechri, & hujus filius Selemith.*

26. *Ipse Selemith & fratres ejus, super thesauros Sanctorum, quæ sanctificavit David Rex, & principes familiarum & tribuni, & centuriones, & duces exercitûs.*

Peculiaris erat ille thesaurus, in quem congestæ, erant opes, quas consecraverat David, & obtulerant duces & milites ex spoliis hostium.

27. *De bellis & manubiis præliorum, quæ consecraverant ad instaurationem & supellectilem templi Domini.*

28. *Hæc autem universa sanctificavit Samuel Videns, & Saul filius Cis, & Abner filius Ner, & Joab filius Sarviæ: omnes qui sanctificaverant ea per manum Selemith & fratrum ejus.* E

Dabantur hæc omnia Selemith administrò, quoniam scilicet thesauris sanctis præfectus erat. Qui consecraverat quidpiam, deponebat in manum ejus.

29. *Isaaritis verò præerat Chonenias, & filii ejus ad opera forinsecùs super Israël, ad docendum & judicandum eos.*

Illi præerant operibus quæ fierent extra urbem; dirigebant operarios: præfecti & judices erant.

30. *Porrò de Hebronitis Hasabias, & fratres ejus viri fortissimi, mille septingenti, præerant Israëli trans Jordanem contra Occidentem, in cunctis operibus Domini, & in ministerium Regis.*

Ad parandum ligna & lapides templo, ad colligendum tributa regni usibus destinata. Præfectura horum Levitarum erat trans Jordanem, sed in eâ regione transjordanicâ, quæ est ad Occidentem.

31. *Hebronitarum autem princeps fuit Jeria, secundùm familias & cognationes eorum. Quadragesimo anno regni David recensiti sunt, & inventi sunt viri fortissimi in Jazer Galaad,*

32. *fratresque ejus robustioris ætatis, duo millia septingenti principes familiarum. Præposuit autem eos David Rex Rubenitis, & Gadditis, & dimidiæ tribui Manasse, in omne ministerium Dei & Regis.*

Hæc omnia jam à diebus Davidis Regis erant ordinata. Attexendum hîc esset totum caput octavum Maimonidis tractatûs de Ædificio templi. « Templum, inquit ille, custodire sancitum est, etsi nihil neque ab hostibus timeretur, neque à grassatoribus; ejus enim custodia hanc duntaxat habet rationem, ei ut habeatur honos: neque enim ad palatium præsidio munitum comparandum est id, quod præsidio careat. Hæc igitur custodia in noctem est sancita totam: & custodes sunt Sacerdotes & Levitæ. Pergit loqui Maimonides. Custodia ejus sic descripta sit. Oportet, ut Sacerdotes custodiant intùs & foris Levitæ; & singulis noctibus perpetuò custodiant quatuor & viginti manipuli in locis diversis, & quatuor viginti manipuli in locis diversis viginti quatuor: in tribus videlicet Sacerdotes, & Levitæ in viginti uno reliquis. Excerpo quædam ex Maimonide, non illum exscribo. « Custodes illi Sacerdotes non dormiebant, inquit, vestes induti Sacerdotales: has enim complicatas apponebant ad caput: tum suâ veste vestiti humi cubabant. Eâ sunt enim conditione omnes in Regum aulis excubias agentes, ut in lecto non cubent. Levitæ positi erant ad quinque portas, quæ in monte ædis erant; & intra montem ad 4 ejus angulos, & ad 4 angulos atrii videlicet extrinsecùs. « Levitæ custodiebant etiam conclave oblatorum, conclave veli, & posticam partem Propitiatorii. Plura alia dicit Maimonides, quæ singula referre nullum operæ pretium esset.

CAPUT IV.

De Levitis Cantoribus, eorum divisione, classibus: de Hebræorum canticis, musicâ, instrumentis. Cantorum officium erat Psalmos in templo canere. De Psalmorum auctoribus, & Psalmodiâ.

SECTIO I.

De Levitis Cantoribus, numero eorum, & classibus. Nec mulieres, nec etiam virgines admittebantur ad cantandum in templo.

Inter Levitas, quibus creditum est ministerium templi sub Sacerdotibus, electi sunt, qui confiterentur Domino in canticis & organis, nempe qui laudarent Deum, recitantes laudes ejus cum cantu & musicis instrumentis. Quatuor millia erant canentium Domino in organis, ut dicitur 1. Paralipomen. 23, 5. ubi sermo est de musicis instrumentis quæ David præparaverat, sicut & cætera quorum futurus erat usus templo condito. Cantores autem omnes assumpti ex certis familiis, ut adf-

truitur in iiſdem Paralipomenis lib. 1. cap. 25.

1. *Igitur David, & magiſtratus exercitûs ſegregaverunt in miniſterium filios Aſaph, & Heman, & Idithun: qui prophetarent in citharis, & pſalteriis, & cymbalis ſecundùm numerum ſuum, dedicato ſibi officio ſervientes.*

Lata eſt ſignificatio vocis *exercitus*. Per principes exercitûs licet hic intelligere principes exercitationis canendi, quorum conſilio adjutus eſt David, cùm conſtituit viros cytharis הנבאין *prophetantes*. Hujus vocis *Propheta* lata eſt ſignificatio. Non rarò idem ſonat quod Doctor. Scilicet tres viros illos Aſaph, Heman & Idithun ſelegit David, qui eſſent magiſtri ſymphoniæ, & cantum edocerent. *Et fuit numerus eorum, viri operis ad ſuum ſervitium.* Sic fons verti poteſt. Senſus autem eſt: fueruntque numerati inter eos idonei ad opus miniſterii ipſorum.

2. *De filiis Aſaph: Zacchur, & Joſeph, & Nathania, & Aſarela, filii Aſaph: ſub manu Aſaph prophetantis juxta Regem.*

Aſaph fuit Propheta, id eſt, magiſter ſymphoniæ juxta Regem; in fonte ביד *beiad*, *ad manum Regis*, id eſt, ex præſcripto Regis. *In manu Moyſis* dicitur pro per *Moyſen*. Multipliciter enim uſurpatur illud *in manu*; vel pro poteſtate & gubernatione, *ut cor Regis in manu Dei*. In Jeremiâ cap. 38. 10. In Vulgatâ eſt: *Tolle tecum hinc triginta viros.* In fonte, Tolle *beiad* in manu tuâ triginta viros Illud autem *prophetantis juxta Regem*, poteſt habere hunc ſenſum, ut Aſaph fuerit primus Cantor, proximior Davidi, nempe à quo adjutus David compoſuit & ordinavit Pſalmodiam.

3. *Porrò Idithun: filii Idithun Godolias, Sori, Ieſeias, & Haſabias, & Mathathias, ſex: ſub manu patris ſui Ithidun, qui in citharâ prophetabat ſuper confitentes & laudantes Dominum.*

Idithun magiſter erat hujus ſymphoniæ, quæ adhibebatur in laudibus Dei. Hic & filii ejus canebant Pſalmos, qui *Hodu* incipiunt, id eſt, *confitemini* & Pſalmos qui per *Halleluia* inchoantur, aut eum titulum habent.

4. *Heman quoque: filii Heman Bocciau, Mathaniau, Oziel, Subuel, & Jerimoth, Hananias, Hanani, Eliatha, Geddelthi, & Romemthiezer, Jeſbacaſſa, Mellothi, Othir, Mahazioth:*

5 *Omnes iſti filii Heman Videntis Regis in ſermonibus Dei, ut exaltaret cornu: deditque Deus Heman filios quatuordecim, & filias tres.*

Heman erat *Videns*, id eſt, Propheta, vir doctus, unus è tribus, quos adhibuerat Rex David ad pſalmodiam ordinandam. *In ſermonibus Dei*, fons verti poteſt, *in rebus Dei* Rerum divinarum erat peritus; ideò eum David adhibuerat, *ut exaltaret cornu*: ad laudibus extollendam potentiam Dei, tum gloriam ejus, tum magnificentiam. Alii dicunt electum Heman ut ſtatis temporibus, corneis tubis altâ voce buccinaret. Tubæ quidem quandoque erant corneæ; ſed ſæpiùs per methaphoram accipitur קרן *Keren* cornu ad ſignificandum *robur*, *potentiam*. Nec quæ ſequuntur in ſacro codice indicant Heman fuiſſe buccinatorem. Ita forſan ille invenerat modos horum Pſalmorum, in quibus tollitur Dei potentia.

6. *Univerſi ſub manu patris ſui ad cantandum in templo Domini diſtributi erant in cymbalis, & pſalteriis, & citharis, in miniſteria domûs Domini juxta Regem.*

Ibi ſermo fit de filiis Aſaph, Idithun, & Heman, qui ſub manu patrum ſuorum diſtributi erant in claſſes, ut cantarent voce, & inſtrumentis. *Juxta Regem.* Sacra Scriptura ſemper refert pſalmodiam ad Davidem, ut ad auctorem ſuum. Omnia fiebant ex præſcripto Davidis. Filii autem trium Vatum dictorum erant viginti quatuor. Nempe, ut vidimus, Aſaph habebat quatuor filios, Idithun ſex, & Heman quatuordecim; quorum ſinguli præfuerunt viginti quatuor claſſibus, in quas Cantores diſtributi ſunt, ut mox dicetur.

7. *Fuit autem numerus eorum cum fratribus ſuis, qui erudiebant canticum Domini, cuncti doctores, ducenti octoginta octo.*

Non hi ſoli filii Aſaph, Idithun, & Heman erant periti Cantores; ſed plerique alii fratres eorum, ſive cognati, quippe omnes Levitæ, *docti in cantico Jehovæ*; qui apprimè noverant cantare cantica Domini, & alios edocere. Tales erant ducenti octoginta octo; ſed cæterorum Cantorum numerus major erat. Vidimus quater mille numeratos. Sed magiſtri ſymphoniæ non plures erant quam ducenti octoginta octo.

8. *Miſeruntque ſortes per vices ſuas, ex æquo tam major quàm minor; doctus pariter & indoctus.*

Cùm Cantores diſtribuendi fuêre in viginti quatuor claſſes, commiſſum eſt ſorti ad quam quiſque claſſem referretur; ut ſciret quibus temporibus vices ſuas eſſet obiturus. Sic autem compoſitæ erant claſſes, ut in illis parvi & magni, docti & indocti, ſive potiùs, ut habet fons Hebræus, intelligens, ſive doctor & diſcipulus reperirentur. In unaquaque claſſe erant viri duodecim primarii Cantores: qui numerus duodenarius multiplicatus per numerum claſſium, facit illos ducentos octoginta octo præclaros Cantores, quos modò numerabamus totidem ſymphoniæ magiſtros. Cùm eſſent quatuor millia Cantorum, ſaltem erant in unaquaque claſſe centum ſexaginta ſex Cantores; ſed non neceſſe eſt ut omnes claſſes eundem numerum cantorum habuerint. Ordo eorum non pendebat ex ætatis ratione; neque enim verbi causâ major filius Aſaph, qui nominatus eſt Zacchur, fuit princeps primæ claſſis.

9. *Egreſſaque eſt ſors prima Joſeph, qui erat de Aſaph. Secunda Godoliæ, ipſi & filiis ejus & fratribus ejus duodecim.*

Illa prima ſors obtigit Joſepho & filiis ejus, & fratribus, qui erant duodecim. Nempe in illâ primâ claſſe erant duodecim Cantores primarii cum Joſeph & filiis & fratribus ejus.

10 *Tertia Zacchur, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

11. *Quarta Iſari, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

12. *Quinta Nathaniæ, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

Videre eſt has claſſes non ordinatas ratione ætatis principum; ſive juxta ordinem, quo filii Aſaph, Idithun, & Heman nati ſunt.

13. *Sexta Bocciau, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

14. *Septima Iſraëla, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

15. *Octava Jeſaiæ, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

16. *Nona Mathaniæ, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

17. *Decima Semeiæ, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

18. *Undecima Azareel, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

19. *Duodecima Haſabiæ, filiis & fratribus ejus duodecim.*

20. *Tertiadecima Subael, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

21. *Quartadecima Mathathiæ, filiis, & fratri-*

bus ejus duodecim.

22. *Quintadecima Jerimoth, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

23. *Sextadecima Hanania, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

24. *Septimadecima Jesbacassa, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

25. *Octavadecima Hanani, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

26. *Nonadecima Mellothi, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

27. *Vigesima Elsatha, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

28. *Vigesima prima Othir, filiis & fratribus ejus duodecim.*

29. *Vigesima secunda Geddelthi, filiis & fratribus ejus duodecim.*

30. *Vigesima tertia Mahazioth, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

31. *Vigesima quarta Romemthiezer, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

Præclarus hic ordo erat; nam præterquàm quod quisque noverat quo illi munere defungendum, tum ad illud natus erat & edoctus ab incunabulis. His omnibus Cantoribus præerant tres viri, dicti ob artem & doctrinam Videntes seu Prophetæ, ut dicitur in 2. Paralip. cap. 5. 12. *Tam Levitæ quàm Cantores, id est, qui sub Asaph erant, & qui sub Eman, & qui sub Idithun, filii & fratres eorum, vestiti byssinis, & cymbalis, & Psalteriis, & citharis concrepabant*, &c. Ibi dicuntur Levitæ vestiti בוץ bysso; quod vestis genus aliud erat, quàm quod ex בד lino. Nam Josephus libro 20. Antiquit. cap. 8. dicit Leviticæ tribûs homines, quorum erat sacros hymnos in templo canere, obtinuisse ab Agrippâ Rege, ut synedrium eis decerneret usum stolæ lineæ, φορεῖν λινὴν στολὴν, quæ tum solis erat concessa Sacerdotibus.

Animadvertendum duos primarios symphoniæ magistros Asaph, Heman, & tertium Idithun, quem infrà evincemus non distinguendum ab Ethan, fuisse singulos ex unâ tribu ex tribus familiis Leviticis. Levi tres filios habuit Gerson, Caath, & Merari. Heman ex Caathitis, Asaph ex Gersonitis, Idithun, sive Ethan ex Meraritis fuit; ut videre est in genealogia filiorum Levi, quæ reperitur capite sexto primi Paralipomenorum.

Dum numeramus Cantores templi, quærendum an inter illos Scriptura recenseat Cantatrices. Negant Judæi: sunt Christiani qui id credunt & allegant primi Paralipomenorum caput 25. 5. *Deditque Deus Heman filios quatuordecim, & filias tres.* Sed ille locus non facit ad rem. Dum recensentur filii Heman dicit Scriptura illum & tres filias habuisse, sed non adstruit fuisse Cantatrices templi. Memorat plures virginum choros Scriptura; sed illos ducebant extra templum, cùm ad illud frequentes ibant. Scilicet ibant psallendo, & cantando cum instrumentis musicis; sed hos choros, qui constabant ex religiosis feminis, admissos fuisse inter Cantores templi nullus locus admonet. Potuere tamen cum omni plebe commiscere voces suas, iterantes *Alleluia.* Quidam quidem allegant quod Salomon dicit in Ecclesiaste 2. 8. *Coacervavi mihi argentum & aurum, & substantias Regum ac Provinciarum: feci mihi Cantores & Cantatrices, & delicias filiorum hominum.* Ibi loquitur Salomon de musicâ quâ se oblectabat in suo palatio, in quâ re vanitatem agnoscit. Non ergo hæc spectant musicam templi, quæ, cùm Deo dicaretur, vana non erat.

Insuper allegant ex 2. libro Esdræ c. 7. versum 67. in quo recensentur reduces ex captivitate cum jumentis eorum *Absque servis & ancillis eorum qui erant septem millia trecenti triginta septem, & inter eos Cantores & Cantatrices ducenti quadraginta quinque.* Undè tantus Cantorum & Cantatricum numerus, inquiunt, si his Judæi non usi fuissent in canticis Domini decantandis? Codex Hebræus habet hodie משררים ומשררות meschorerim & mescheroroth Cantores & Cantatrices. Sed forsan olim lectum משרת *mescharet*: quo nomine indicatur ministerium quod plures erigebat. In hoc loco Nehemiæ servi & jumenta recensentur. In versione Syriacâ Latinâ hujus loci non fit mentio Cantorum & Cantatricum, sed ministrorum & ministrarum.

SECTIO II.

De Hebræorum canticis, Psalmis, carminibus, arte quâ pangebantur. Carminibus multa additur gratia ex cantu.

Laudes Dei Levitæ Cantores voce & organis celebrabant. Hæ conceptæ erant oratione solutâ, vel strictâ, nempe vel prosâ, vel versu. Potest quidem soluta oratio & libera cani voce, quam & comitentur cithara & tibia; sed hoc fit jucundiùs & faciliùs cùm oratio vincitur certis mensuris, nimirùm cùm verba quibus contexitur, eam habent pronuntiationem, cujus tempora respondeant certis numeris, sive possint exprimi numeris. Puta, cùm duorum sonorum tempora sunt paria, vel unius tempus est duplum alterius. Arbores versibus consitæ magis placent, quàm temerè hac illac plantatæ sine ordine. Ordo in omni re servatur, cùm optima ratio potest reddi dispositionis. Arbores in versus directæ & æquis intervallis inter se dissitæ, æqualiter succum terræ trahunt, nec sibi officiunt. Similiter sonus certis distinctus intervallis, cùm coalescit, nec sibi ipse diffidet, numerosâ partium temporis partitione aures recreat, maximè si adsit varietas, quâ fit ut eodem sono non obtundantur. Id experimur in fabrorum malleis, qui cùm incudem certis spatiis temporum percutiunt, placent; & ab illis artis musicæ origo accersitur; ut refert Macrobius libro secundo in somnium Scipionis capite 1. *Cùm enim casu præteriret Pythagoras in publico fabros ignitum ferrum ictibus mollientes, in aures ejus malleorum soni certo sibi respondentes ordine repentè ceciderunt: in quibus ita gravitati acumina consonabant, ut utrumque ad audientis sensum statâ dimensione remearet; & ex variis impulsibus unum sibi consonans nasceretur.*

Esto, apud Græcos Pythagoras habeatur musicæ inventor, qui ut huic studerent excitaverit discipulos suos; sed infrà afferemus Hebræis hanc quam Macrobius tribuit Pythagoræ, quippe à rerum initio omnes gentes expertæ sunt ordinatos sonos jucundè afficere aures. Hebræi autem, cæteris gentibus antiquiores, censendi sunt primi certos numeros indidisse sermonibus, quibus quidpiam magnum significabant, & decantandum suscipiebant. Scilicet hos mensuris astrinxerunt ut sonus vocum quibus texeretur sermo esset ordinatus, & certâ lege recurreret ad aures. Sermo, inquam, constat sonis, quorum singuli notantur literâ velut signo. Unicuique literæ pronuntiandæ impenditur certum tempus æquale aut inæquale; quo fit ut apud Græcos & Latinos aliæ longiores, aliæ breviores sint syllabæ.

Apud Hebræos & in vernaculis linguis omnium syllabarum idem est tempus, singulæ autem voces ubique distinguntur elatione aut positione. Etenim ut ambulantes modò pedem tollimus, modò poni-

mus; pariter loquendo vocem intendimus, & remittimus, intervalla reſpirationis locantes ubi clauditur ſententia. Quæ enim conjuncta concipimus, ſic eloquimur, ut in oratione conjungantur, nec ducamus animam, ſive omninò vox non quieſcat, niſi ubi abſoluta eſt ſententia rerum, quarum elaborabamus ſignificationem.

Hæc reſpirationis intervalla certis legibus ſunt diſponenda; Nam ſi rudis & indocta putanda eſt, utor verbis Ciceronis in tertio de Oratore, illa ſine intervallis loquacitas perennis & profluens, quid eſt aliud cauſæ cur repudietur, niſi quod hominum aures vocem naturâ modulantur? Quod fieri, niſi ineſt numerus in voce, non poteſt. Numerus autem in continuatione nullus eſt. Diſtinctio & æqualium & ſæpè variorum intervallorum percuſſio numerum conficit: quem in cadentibus guttis, quòd intervallis diſtinguntur, notare poſſumus, in amni præcipitante non poſſumus. Sermo diverſas partes habet quibus componitur, ut corpus membris; & has complectitur ſub unâ ſententiâ quæ & ſuis membris conſtat. Reſpirationis intervalla debent congruere tum ſpiritui ejus qui pronuntiat, tum auribus audientium, quas prolixior ſermo fatigaret; quæ varietate recreandæ ſunt. Utriuſque æqualitatis & varietatis conjunctio parit voluptatem; quæ occurrit cùm æqualia ſunt pronuntiationis intervalla, & propter varios ſenſus, ſive propter rerum ſignificatarum varietatem. In æquali tempore ſyllabarum etiam reperitur varietas; nam eadem menſura poteſt conſtare vel duabus longis ſyllabis, vel unâ longâ & duabus brevibus, quarum tempus par eſt tempori unius ſyllabæ longæ. Hac arte conficiuntur verſus Græci & Latini, ut diximus, in libris de arte dicendi. Alia vero eſt ratio carminum noſtrorum; quæ tota pendet ex æquali ſyllabarum numero, quam claudat finis cujuſpiam ſententiæ, tum & idem ſonus, vernaculè *la rime*. In illis intervalla reſpirationis æqualia ſunt, propter parem numerum ſyllabarum, quæ in ſermone noſtro omnes ferè ſunt æquales, ſive non diſtinguntur temporis quantitate, ut apud Græcos & Latinos. Sonus idem, videlicet rithmus, *la rime*, in clauſulâ recurrens facit ut aures tum æqualitatem, tum diſtinctionem deprehendant. Sic vetuſta Hebræorum carmina rithmis tantùm & ſyllabarum certo numero diſtinguebantur. Alia ergo ratio Pſalmorum Davidis, & Odarum Pindari, Horatii. Philo quidem ſentit Eſſenos ceciniſſe hymnos multiplici genere metrorum conſcriptos. Gomarus in ſuâ lyrâ Davidicâ, quo in libello diſſerit de poeticâ Hebræâ, profert teſtimonia Philonis & aliorum qui adſtruunt Hebræam poeſim conſtitiſſe metris. Joſephus Hiſtoricus dixit canticum quod ſoror Moyſis cecinit in Exodo, fuiſſe hexametro verſu compoſitum. Eadem dicit de Cantico Moyſis in Deuteronomii capite 32. Davidem verò Odas in Dei laudem & hymnos metro vario compoſuiſſe: quoſdam quidem trimetros, alios verò tetrametros: Conſentiunt ſancti Patres, Euſebius in libro 11. cap. 3. de præparatione, Theodoretus, & alii; ſed præſertim B. Hieronymus, qui de Jobo ait: *Proſâ incipit: verſu labitur: pedeſtri ſermone finitur.* Ac de Davide *David Simonides noſter, Pindarus & Alcæus, Flaccus quoque, Catullus, atque Serenus Chriſtum lyra perſonat, & in decachordo Pſalterio ab inferis excitat reſurgentem.* Ita pariter Auguſtinus ſcribens Memorio Epiſcopo. Epiſtolâ, quæ nunc eſt CI *Quibus numeris conſiſtant verſus Davidici, non ſcripſi, quia neſcio. Neque enim ex Hebræâ linguâ, quam ignoro, potuit etiam numeros Interpres exprimere, ne metri neceſſitate ab interpretandi veritate ampliùs quàm ratio ſententiarum ſinebat, digredi cogeretur: certis tamen eos conſtare numeris, credo illis, qui eam linguam probè callent. Amavit enim vir ille ſanctus muſicam piam, & in ea ſtudia nos magis ipſe quàm ullus alius auctor accendit.*

Gomarus de ſyllabarum quantitate, variiſque pedum & carminum generibus canones tradit, quos ſubjectis exemplis è ſacris carminibus conatur demonſtrare, analyſim horum ſacrorum carminum juxta traditos canònes inſtituens. Eum confutavit Ludovicus Capellus, quod omnes illi canones ſupponant hodiernum codicem Hebræum totidem apiculis & punctis fuiſſe diſtinctum, quibus olim ſcriptus fuerat: de quo dubitant viri docti; imò falſum putant. Licet metra habuiſſent Hebræi, vix nunc diſtingui poſſent; Etenim non conſtat Maſſoretas, qui puncta appoſuerunt codici Hebræo, ſervaviſſe antiquam tum lectionem, tum pronuntiationem; ita ut ſermo Hebræus nunc affectus legatur eâdem ſyllabarum quantitate, quâ olim; undè tamen pendent metra. Viri docti Philonem & Joſephum negant Hebraïſmi fuiſſe peritos; auctoritas tamen eorum, induxit Origenem, Euſebium & alios in opinionem, cujus fundamenta non ſcrutati erant. Moyſes quidem omnium Poëtarum vetuſtiſſimus, carmina Deo cecinit, ſed illa alterius generis fuiſſe cenſet Auguſtinus Steuchus Epiſcopus Eugubinus. Carmen Hebraïcum, inquit ille in Præfatione ſuâ in Pſalmos, non idem eſt atque Græcorum, Latinorumque: ut neque Italicum, ſive Etruſcum, idem atque Latinum. Ac potiùs cum Italico, quàm cum Latino ſimilitudinem habet Hebraïcum. Latinum ad imitationem Græci, tempora ſyllabarum obſervat: Hebraïcum nulla tempora; ſed numerum duntaxat, atque ſimilitudinem cadentium ſyllabarum. Ut non eſt in Italico carmine ſpondæus, trocheus, dactylus, ſed numeratio tantùm ſyllabarum, & obſervatio ut ſimiliter deſinant: ſimile quiddam ſequitur Hebraïcum. Quare cùm Hieronymus ſcribit aut Job, aut Pſalmos dactylo, ſpondæoque decurrere; & in præfatione de Job dicit; verſu labitur: quæque Auguſtinus cum cæteris de carminibus Hebræorum teſtantur, noris non ipſos præcisè pedes noſtrumque carmen ab eis, ſed ſimile quiddam, deſignari. Itaque neque heroicum carmen apud Hebræos extat, neque Jambicum, aliaque genera, ſed ſimile quiddam & quale barbari diverſis ritibus canunt. Pſalmi, Job, libri Salomonis, & Prophetarum rationem carminis præ ſe ferunt, ſed neque Latini, neque Græci. Numeroſum quiddam, & ab oratione ſolutâ parumper recedens ſermonis genere, figuriſque poëticis, verbiſque minùs uſitatis obſcuriores. Pſalmi præterea non eodem auctore, nec eodem fortaſſe tempore, nec eodem modulatu, ut nec eodem ſubjecto ſemper perſpiciuntur. Steuchi ſententiam comprobavit Joſephus Scaliger in animadverſionibus in Euſebium; demonſtravit Joannes Clericus in tomo 9. Bibliothecæ univerſalis.

Cantica, quæ continentur in ſacro codice; neque enim de aliis hîc loquor, non ſolis ſuis menſuris diſtinguuntur, ſed & genere ſermonis, qui multùm diſtat ab uſitato. Omnes prout affecti ſunt loquuntur, qui tranquilli ſunt utuntur ſermone placido, & ut ita dicam, pedeſtri, quoniam non aſſurgit; ubi verò commoventur, ſive novitate rerum, ſive majeſtate, amore, vel religione, oratio eorum præ ſe fert commotionis indicia. Neque enim verba communia illis ſufficiunt. Animus commotus hùc illùc abripitur; nec uno tenore loquitur, ſed variis figuris utitur. Cùm materia extraordinaria eſt conſuetæ voces non videntur aptæ, alie-

næ igitur adhibendæ & à conſueto uſu detorquendæ, quod ſæpiùs contingit in ſtrictâ oratione, quæ ideò obſcurior, ut dicit Eugubinus Præfatione in Pſalmos. *Principio omnium generatim carminum major eſt, quàm orationis ſolutæ obſcuritas. Plus illic artis adhibetur: quæruntur nomina, ſenſuſque à conſuetudine remotiores: omnes loquendi figuræ, varietaſque adhibentur. Hujus modi eſt apud Græcos Pindarus, Alcæus, Lycophron, quos etiam adhibitis Interpretibus vix intelligas.*

Non eadem eſt Poëſis apud omnes populos, ſcilicet quia non eadem eſt pronuntiatio. Græci & Romani plaudendo pronuntiabant; veluti cantus erat ſermo eorum. In genere carmen eſt oratio numerata; quod fit repetitione unius ejuſdemque literæ vel ſyllabæ, obſervata ſingularum vocum quantitate, diſpoſitione intervallorum in quibus interſiſtit ſpiritus, & quieſcit pronuntiatio. Qui primi pangebant carmina, id non faciebant ſtudio, ſive non dabant operam ut carmen pangerent; ſed cùm placeret, quod fecerant, licet adhuc inconditum, poſtea excoluerunt, voluptatem ſectantes prout ex pronuntiatione ſequebatur, & ſe aſtrinxêre ſeverioribus legibus. Carmina Hebræi codicis conſtant oratione figuratâ, ſententiosâ, quæ numeris non caret. Talia ſunt verba Lamech ad uxores. Geneſ. 4. 23. *Dixitque Lamech uxoribus ſuis Adæ & Sellæ: Audite vocem meam, uxores Lamech, auſcultate ſermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in livorem meum. Septuplum ultio dabitur de Cain: de Lamech verò ſeptuagies ſepties.* Hæc conciſè dicta ſunt, & in Hebræo ſermone ferè ſimiliter deſinunt; quod faciebat Lamech, ut verba ſua memoriæ faciliùs mandarentur. Vaticinium Jacob de ſorte duodecim filiorum ſuorum habetur carmen, pariter & canticum Annæ matris Samuelis; quod non ſtudio & tranquilla compoſuit, ſed effudit plena ſpiritu Dei. Verba non vulgaria ſequebantur non vulgarem commotionem; nempe commotior erat ejus oratio; remotior ergo à conſuetudine loquendi.

Carmina metrica eo ſolo ſermone condi poſſunt, in quo magna eſt varietas ſyllabarum brevium & longarum, quæ nulla eſt in ſermone Hebræo, ſicut nec in vernaculo; ideò verſus noſtri pedes non habent, ſicut nec Hebraici. Quanquam inter Grammaticos Hebræos aliqui dactylos, ſpondæos, & alios Græcanicæ poëſeos pedes agnoſcunt; eos falli arguit Capellus, hocce argumento quòd illa carmina condi non poſſint, niſi liceat voces interdum loco uſitato movere; alioqui lex carminis ſæpè ſæpiùs impediretur. Sermo autem Hebræus, ſicut & vernaculus non admittit iſtam vocum trajectionem; undè verſus omnes diſtinguuntur ſolâ repetitione vel ejuſdem literæ, vel ſyllabæ, & ideò ſimilitudine ſoni. Plures Pſalmi in fonte Hebræo ſunt alphabetici, ſive, ut loquimur, *Abecedarii*; itaque conſtare debet Vates ſacros luſiſſe in literulis, ſive ſtuduiſſe ut fieret ejuſdem ſoni repetitio, præſertim in clauſulis, ubi vox quieſcit. Clericus plura exempla profert ex Canticis & Pſalmis, quorum ſententias ita feliciter ſecat, ut ſimiliter deſinant; quod dicit ſe oſtendere poſſe in pluribus aliis, qui ideò non apparent rithmici, quia Librarii illos malè ſecando, fecerunt ut nulla videatur ſoni ſimilitudo; quam ille alicubi reſtituit probans ex antiquis verſionibus quaſdam literas permutatas, quaſdam demptas è loco proprio.

Carminibus, ut dixi, multa additur gratia ex cantu, cùm aptè ſic ſyllabæ collocantur, ut & cantari poſſint. Cantus majorem vim habet nudâ & ſimplici pronuntiatione; quia vox quæ vi erumpit ex gutture, magis aures afficit. Olim qui carmina pangebant dicebantur Muſici; quippe illa decantabant, ſive recitabant adjunctis muſicis inſtrumentis; quod & faciebant Oratores; adhibebant enim poſt tergum tibicines qui eis præcinebant; ut vernaculè loquimur, *qui leur donnoient le ton.* Sic Orator & tibicen conſonabant, hic tibiam remiſsè vel fortiter, ille verò vocem ſimiliter flectens. De Choneniâ principe Levitarum dicitur 1. Paralip. 15. 22 *Prophetiæ præerat, ad præcinendam melodiam: erat quippe valdè ſapiens.* In fonte בםשא יםר במשא *in elevando erudiebat ad elevandum.* Verbum Hebræum venit à נשא quod multiplicis eſt ſignificationis. Reddi poteſt, *portavit, tulit, levavit, elevavit.* Scilicet, ut dixi, *tonum dabat*, quia in ea re intelligens. Uſu, ut ita dicam, potiùs quàm peritiâ diſcebatur cantus. Etenim opinor viros Prophetas, ſive cantandi peritos cantica ſua compoſuiſſe vel ad tibiam, vel ad fides, quibus aptabant verba. Poſtea repertæ certæ notæ, quæ vocis gradus notaverunt, ut ſicut dum oculi perlegunt literas, mens percipit ſenſum ſcriptoris, qui illas exaravit, ita vox poſſit formare, & inſonare auribus cantum, quem ſignificatum voluit vir cantandi peritus, qui quaſi ſcripſit quod decantandum ſuſcepit.

Rerum initio Poëtæ, ſive muſici ope inſtrumentorum, tibiarum, vel fidium carmina componebant. Nervi, qui intenduntur, pro diverſa longitudine aut craſſitudine diverſos edunt ſonos, cùm pulſantur. Nervis brevioribus aut longioribus, aut craſſioribus poteſt ſonus menſurari & numerari. Tibiæ pariter, & omnia organa quæ inflantur, pro longitudine & laxioribus aut anguſtioribus aperturis varios edunt ſonos; undè fiſtula ſeptem compacta cicutis, ſive inæqualibus cannis, quarum unaquæque habebat ſonum ſuum, exprimere poterat ſeptem vocum diſcrimina; quod faciunt hodiernæ tibiæ diverſis ſuis foraminibus cùm illa digitorum preſſione, aut elatione occluduntur, vel recluduntur.

Hæc animadverto, ut liqueat quomodo ars muſica inchoata ſit ab inſtrumentis, & his muſici uſi ſint pro notis; quod illud Horatianum carmen videtur indicare.

Nolis longa feræ bella Numantiæ,
Nec dirum Annibalem, nec ſiculum mare
Pœno purpureum ſanguine, mollibus
Aptari citharæ modis.

Guido Aretinus circa annum æræ Chriſtianæ 1024. aptavit hymno ſancti Joannis Baptiſtæ omnes, ut ita dicam, cantûs, ſive vocis gradus per quos fit aſcenſus & deſcenſus in muſica. Hos, inquam, gradus his voculis expreſſit *ut, re, mi, fa, ſol, la;* quas ſumpſit ex primis ſyllabis hemiſtichiorum dicti hymni.

UT *queant laxis,* RE*ſonare fibris*
MI*ra geſtorum* FA*muli tuorum*
SOL*ve polluti* LA*bii reatum,*
Sancte Joannes.

Additus eſt ſeptimus gradus, qui ſumptus eſt ex eodem hymno, & dictus *ſi*, quia ſequitur *Sancte Joannes.* Notus erat dicti hymni cantus ex uſu, ita valor dictarum vocum non ignotus.

An priùs an poſteriùs inſtrumenta ſint adinventa quærere parùm intereſt. Quidquid ſit, Homerus, Virgilius ſemper inducunt vetuſtos Poëtas recitantes, quæ compoſuerant carmina, ad ſonitum citharæ. Veriſimile eſt veterem muſicam Hebræorum, cantica, carmina ſic debere ſuum ortum organis. Illis reperiebant cantus gratiſſimos, graves, & jucundiores, molliores, aut fortiores; quibus poſtea accommodabant ſermonem. Ut autem idem cantus recurreret, ſive etiam longo ſermoni con-

grueret, fermonem metiebantur quoquo modo poterant, ut conftaret membris, quorum effet idem numerus, diftinctus claufurarum fimilitudine; ficque verba canticorum confonarent citharарum & tibiarum fonis. Afaph, Idithun, & Heman, quos elegit David Cantorum præfectos, viri erant, ut diximus, Prophetæ, hoc eft, periti, qui muficis fuis inftrumentis adinveniebant cantus congruentes rebus, five lætis, five triftibus, quibus accommodabant verba congrua. Hinc quidam Pfalmi notantur in titulis cantandi à certis Cantoribus. Levitæ pro familiâ & cognatione fciebant, hi tibias inflare, illi pulfare citharam. Quique pro doctrina fua voce & inftrumentis decantabant certos Pfalmos, quorum cantus rem exprimeret. Verbi causâ cùm Dei irati flectenda erat mifericordia, & exhibenda conditio mifera Judæorum, quos premebant adverfarii; flebiles modi quærebantur. Pfallebant autem viri ad hofce cantus quafi nati.

Certum eft non iniffe minifterium fuum Levitas, nifi exercitatiffimos. Pfalmi cantabantur adhibitis inftrumentis; quorum fonus attemperabatur, ut verba diftinctè audiri poffent. Certis quidem temporibus fiebat in templo vociferatio: perfonabat templum magnis clamoribus, concrepabant tympana, cymbala: Sacerdotes perfonabant tubis. In tanto ftrepitu non poterant audiri verba, quibus pertexebantur Pfalmi. Non erat perpetuus ille ftrepitus. Fieri poterat in fine Pfalmorum, dum mactaretur holocauftum, aut magnâ aliquâ lætitiâ commoveretur Ecclefia, quam populi teftabantur iftâ vociferatione, quæ alioqui non placuiffet Deo, cujus nomine Amos compellabat fynagogam capite 5. 23. *Aufer à me tumultum carminum tuorum: & cantica lyræ tuæ non audiam.* Propheta invidiosè vocat muficam Judæorum *tumultum*, ob illam vociferationem; fed fatis indicat Deum non delectari ftrepitu lyrarum, ob malos eorum mores, & eorum facrificia illi non placere, licet ea ipfe imperaverit. Arnobius libro 7. exprobrat Gentilibus eos credere Diis fuis tinnitus æris & tibiarum fonos jucundos effe.

SECTIO III.

Edito vocis, aut alio quocumque fono, & motibus variis corporis homines teftantur mentis fuæ affectus. De variis modis quibus fonus poteft excitari.

DEo non placet quicumque cantus, vel æris tinnitus nifi fint figna animi, quem religio movet. Certum eft commotionem mentis indicare erumpentes voces ex gutture, tum exfilientium membrorum corporis infolitos motus. Sic convenit inter utrumque animum & corpus, ut hoc fequatur affectus mentis, & ipfa mens eidem imperet motus, quibus ipfa fe prodit. Cùm Laban fignificat ultrò fe dimiffurum fuiffe generum fuum Jacob, fi ei confilium de revertendo in patriam fignificaffet; *Cur*, inquit Genef. 31. 27. *ignorante me fugere voluifti, nec indicare mihi, ut profequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis?* Poftquàm Pharao perfequens Ifraëlem & mare per ficcum poft illum ingrediens, cum univerfo equitatu ac curribus fubmerfus eft, ingenti lætitiâ correpti funt Ifraëlitæ. Moyfes cecinit canticum & cum eo foror ejus. Exod. 15. 20. *Sumpfit ergo Maria Prophetiffa, foror Aaron, tympanum in manu fuâ: egreffæque funt omnes mulieres poft eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat dicens: Cantemus Domino gloriosè enim magnificatus eft, equum & afcenforem ejus dejecit in mare.* Idem verbum Hebræum

A חלל *challal* fignificat *perforare, tibiis canere, tripudiare, faltare.* Hæc omnia conjuncta funt, five invicem fe comitantur. Chorus, five turba faltantium & canentium dicitur Hebraïcè מחול *machol* ab eodem verbo *tibicinare* & *tripudiare*. Pfaltes Pfalmo 41. 5. *In voce exultationis, fonûs epulantis*, memorat choros eorum qui afcendebant in templum, de quibus alibi differuimus. Sic confuetum erat mulieribus choros ducere; ut videre eft in primo Samuelis occafione Davidis, qui interfecerat Goliath 18. 6. *Porrò cùm reverteretur percuffo Philiftæo David, egreffæ funt mulieres de univerfis urbibus Ifraël, cantantes, chorofque ducentes in occurfum Saul Regis in tympanis lætitiæ, & in fiftris. Et præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes: Percuffit Saul mille, &*
B *David decem millia.*

Inprimis animadvertendus chorus, quem ipfe ducebat David deducens Arcam de domo Abinadab in domum fuam, fecundo libro Reg. cap. 6. 5. *David autem & omnis Ifraël ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, & fiftris, & cymbalis.* Cum his canticis jungebantur motus corporis, qui eos cognatione quadam comitantur. Cantus etiam bruta animantia movet: videre eft illa fubfilientia, & quafi tripudiantia. Dicitur de David in loco proximè citato. *Et David faltabat totis viribus ante Dominum*, quem cùm vidiffet Michol filia Saul uxor ejus, *fubfilientem, atque faltantem coram Domino: & defpexit eum*
C *in corde fuo;* aiebat enim, *quàm gloriofus fuit hodie Rex Ifraël difcooperiens fe ante ancillas fervorum fuorum, & nudatus eft, quafi fi nudaretur unus de fcurris.* Refpondit ad illa verba David fignificans id à fe impetu divino factum, ut teftificaretur ingentes animi fui motus erga Deum: *Ludam & vilior fiam plufquàm factus fum: & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis de quibus locuta es gloriofior apparebo.* Sic naturæ impetu ad motum excitantur homines, & animi fui lætitiam, & religionem manifeftant; quod Poëta expreffit his verfibus Georgicorum primo.

In primis venerare Deos, atque annua magnæ
Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis,
D *Extremæ fub cafum hyemis, jam vere fereno.*
Tunc pingues agni, & tunc molliffima vina:
Tunc fomni dulces, denfæque in montibus umbræ.
Cuncta tibi Cererem pubes agreftis adoret,
Cui tu lacte favos, & miti dilue Baccho:
Terque novas circum felix eat hoftia fruges:
Omnis quam chorus, & focii comitantur ovantes,
Et Cererem clamore vocent in tecta: neque ante
Falcem maturis quifquam fupponat ariftis,
Quàm Cereri, tortâ redimitus tempora quercu,
Det motus incompofitos, & carmina dicat.

Sonus excitatur tremulo & reciproco aëris motu; quod experiri eft in omni re fonorâ. Fides, five chorda inftrumenti mufici pulfata fremit etiam
E poftquàm mota eft. « Etfi tardus quidem fuerit ac rarior motus, graves neceffe eft fonos effici ipsâ « tarditate, & raritate pellendi. Sin verò motus fint « celeres, ac fpiffi, acutos reddi neceffe eft fonos. Idcirco enim idem nervus fi intendatur ampliùs acu- « tum fonat, fi remittatur grave. Quando enim ten- « fior eft, velociorem pulfum reddit, celeriùfque « revertitur, & frequentiùs, ac fpiffiùs aërem ferit. « Qui verò laxior eft, folutos ac tardos pulfus ef- « fert, rarufque ipsâ imbecillitate feriendi, nec diu- « tiùs tremit. Neque enim quoties chorda pellitur, « unus edi tantùm putandus eft fonus, aut unam « in his percuffionem, fed toties aër feritur, quo- « ties eum chorda tremebunda percufferit. Sed quo- «

» nam junctæ sunt velocitates sonorum, nulla in- A » tercapedo sentitur auribus. Scilicet non audiuntur duo soni distincti, sed unus. *Fig. I.* Chorda valdè tensa inter A & B, cùm pulsatur, hoc est, ex C adducitur ad D it & redit. Plures, inquam, fiunt vibrationes, ita aures non semel pulsantur, & percipitur sonus, qui non adverteretur si semel tympanum auris percuteret. Illa quasi primo ictu admonita advertit sequentes, qui postea fiunt.

In genere sonus à loco soni undatim quoquo versùm fertur, & ad aures multis vicibus velut unda ad littus, allabitur. » Ut cùm aquis jactum eminùs » mergitur saxum, priùs in parvissimum orbem un- » dam colligit, utor verbis Boetii in musicâ, dein- » de majoribus orbibus undarum globos spargit, at- B » que eò usque dum fatigatus motus ab eliciendis » fluctibus conquiescat, semperque posterior & ma- » jor undula pulsu debiliore diffunditur. Quod si » quid sit, quod crescentes undas possit offendere, » statim motus ille revertitur, & quasi ad centrum » undè profectus fuerat eisdem undulis rotundatur. » Ita igitur cùm aër pulsus fecerit unum, possit a- » lium proximum & quodam modo rotundum fluc- » tum aëris ciet. Itaque diffunditur & omnium » circumstantium simul ferit auditum, atque eò est » obscurior vox; qui longiùs steterit quoniam ad » eum debilior aëris unda pervenit.

Quod diximus de fidibus licet experiri in omni re sonorâ, etiam in ponderosioribus campanis. Pul- C satæ aliquantisper antequàm omninò sileant, tinniunt & tremulus illarum motus manu apppositâ facilè deprehenditur: vibrantur, & ideò ex rotundis fiunt ovatæ. *Fig. 2.* Scilicet earum latera ad se invicem accedunt, & recedunt. Tardiores illæ vibrationes sunt in grandioribus campanis, ita gravior sonus auditur, qui acutior est in minoribus. In tympanis res aperta est *Fig. 3.* Pellis tensa quâ teguntur, percussa succutitur tremulo motu, qui repercutitur in parte concavâ hujus instrumenti. Sonus omnis receptus in locis cavis, ut in antris augetur; sunt enim multiplices ejus repercussiones. In auribus membrana est, quæ appellatur tympanum, quod motu aëris percutitur, & vibratur ut omnia quæ sonora sunt. *Fig. 4.* Aër è pulmonibus explosus in supe- D riori asperæ arteriæ parte quæ larynx dicitur, occurrit lingulæ, quâ obtegitur superius asperæ arteriæ orificium, ut videre est in descriptionibus anatomicis, hanc lingulam nominant epiglottidem; quæ impulsa ab aëre pulmonis non continuè sed subsultim aperitur, itaque per laryngis ostium, seu rimulam transiens aër iisdem subsultibus agitatus sonum edit. Ut autem vel gravior vel acutior sit ille sonus, ea laryngis rimula, seu orificium ad libitum contrahitur vel dilatatur. Hic autem sonus quasi materia est vocis, quam lingua fingit in sermonem & in cantum. Aspera arteria comparatur tibiæ. In tibiis sicut in aliis instrumentis, quæ tenui lingulâ instruuntur, aër per angustiorem aperturam, seu E lingulæ scissuram subsultim tantùm inspiratur: ex quo fit ut vicinum aërem iisdem subsultibus exagitet, qui idcircò ad aures appulsus soni perceptionem in nobis excitat.

Instrumentorum quæ aëris inflatu sonum edunt variæ sunt species, quas videre est in hodiernis organis. Quædam sunt sine lingulâ, quæ tamen sonant, quia dum inflantur, ea est dispositio ostii eorum, ut, dum vox vi immittitur, aër occurrens fissuræ tenui & acutæ accipiat tremulum illum motum, quo fit omnis sonus. Pariter in illis fistulis, quæ constant ex multis conjunctis calamis, de quibus loquebatur Poëta,

Nec te pœniteat calamo trivisse labellum.

Expulsus ex ore sonus occurrit labris calamorum, & cogitur tremere. Hac fistulâ fabri lebetum utuntur. In genere nunquam fit sonus sine tremore aliquo; nam & cùm malleatores percutiunt incudes ponderosiores omnia tremunt, incudes & totus vicinus aër, quo aures pulsantur & afficiuntur; quod etiam fit in lapidibus, in ligno, in ferro, in quacumque percussione, & casu cujuslibet rei ponderosæ. Multis modis tremere potest aër; nam cùm corpus in aliud corpus incidit, aër interceptus elabens cogitur tremere. Sic pluribus crepitaculorum, sive crotalorum speciebus sonus editur, illis præsertim quæ concava sunt, qualia vides, Lector, in tabulâ; *Fig. 5.* quod & experiri potes concavis manibus plaudendo; & in instrumento quod vernaculè nominamus *castagnetes*. Non prætermittendum est sonum etiam fieri per collisionem aëris, ut à flagello rhedariorum: quod Vossius observat adhibitum in festo Bacchi & Cybeles; & eo pro buccinis tunc temporis uti Tartaros qui Chinam invaserunt; eâ industriâ ut uno ictu tres edant sonos, qui distincti se subsequuntur & audiuntur.

Dixi qualemcumque sonum augeri figurâ corporum, quibus excipitur. In concavis multis vicibus reflectitur, & ideo sæpiùs auditur; & omnibus fidibus, cytharis, lyris adhibetur concavum corpus in quo sonus repercussus identidem resonat; hoc enim constat tabulis tenuibus, quæ & ipsæ tremere possunt, & aëri ambienti communicare suum tremorem. Fides tensæ quocumque motu pulsentur, sonum aliquem edunt, quia vibrantur; sed sonus ille augetur concavo corpore quo excipitur. Appellatur illud, quod subjicitur citharis, lyris & aliis similis speciei instrumentis, Græcè μαγὰς Hesychio & Suidæ lamina illa lignea & repanda, super quâ citharæ nervi contenduntur, pulsatis iis sonum reddens è foraminibus quibus pertusa est. Magadis est etiam species instrumenti musici. Fides autem sive nervos, sive chordas dixeris pulsabant veteres vel digitis vel plectro. Plectrum in genere est instrumentum quo pulsantur nervi, chordæ. Plectrum erat ferreum, chalybeum, vel eburneum.

Seu Chelim digitis & eburno verbere pulsas.

Nomen *plectrum* venit à Græco verbo quod significat *percutio, pulso*; ut res omnis quæ pulsare & impellere possit, pro plectro habeatur. Illud autem quo nunc pulsantur nos *violons, violes* & appellamus *archets* ignotum fuit primæ ætatis Musicis. Etenim non conveniebat fidibus, quarum nervi, chordæ, sive æneæ, sive calybeæ, sive ex quacumque aliâ materiâ in antiquis instrumentis omnes in recto plano tensæ erant; aliquas ex illis Juvenalis in Satyra tertia nominat obliquas, nimirum ob dispositionem, quales sunt in nostris harpis quæ digitis tanguntur. In illis instrumentis nullus usus potest esse hodierni plectri, quod vocamus *l'archet. Fig.* 8. Componitur arcu & rotulâ & certo pilorum equinorum numero, qui ope rotulæ tenduntur. Illi pili certo genere glutinis illinuntur, quod vernaculè dicitur *colofane*. Hoc illiti asperi fiunt & dentati velut ascia, ideò cogunt fides tremere, & subsilire, quæ equuleo suo *chevalet* quasi inequitantes hodierno plectro *l'archet* impelluntur, & tremorem accipiunt. Oculis tuis exhibetur hocce instrumentum ad quod referuntur omnia quæ nos Galli appellamus *violons, violes*. Errant Pictores qui in choris antiquis, sive Angelorum, sive hominum talia instrumenta suis lineis & coloribus describunt quasi olim cognita & usitata.

Inter instrumenta quibus sonus excitatur sunt quidem tympana. Sonant in illis pelles quæ suprà extenduntur,

Fig. 1. col. 1184.

Fig. 2. col. 1184.

Fig. 3. col. 1184.

Fig. 4. col. 1184.

Fig. 5. col. 1185.

Fig. 6. col. 1185.

Fig. 7. col. 1185

Fig. 8. 1185

col. 1186. et 1203

Fig. 10. col. 1203

Fig. 11. col. 1203

Tab. II

Fig. 1. col. 1190

Fig. 2. col. 1191.

Fig. 3. ibid.

Fig. 4. ibid.

Fig. 5. ibid.

Fig. 6. ibid.

Fig. 7. ibid.

Fig. 8. ibid.

Fig. 9. ibid.

III

Locus mactationis victimarum. Col. 952.

...tæ excoriant Victimas et in partes cædunt

Levitæ mactant victimas: Vase Sanguinem excipit Sacerdos, quod de manu in manum ne traeceret sanguis ad altare fundendus, deferetur

Uncini quibus tauri mactandi contrinsecantur

...tarum vagina

Secespita

seu Cultri col. 1141.

Secures

Simpulum. col. 1142.

Guttus col. 1144

T. ab XX.

extenduntur, quæ pistillis pulsatæ concutiuntur, A & vibrationibus suis aërem commovent. Hæ vibrationes etiam oculis, manu deprehenduntur, sicut campanarum. Magnus est eorum sonus quia concavum corpus quod subjicitur auget sonum, ut diximus, & multiplicat. Diversæ autem sunt tympanorum species ratione materiæ; alia enim sunt species lebetis, quem operit pellis; & hæc propriè dicuntur cymbala *cymbales*. Aliorum vas est in formâ cylindri lignei & concavi: hæc nos tympana appellamus, *tambours*, quorum sonus obscurior quidem sono cymbalorum, quia æs magis sonorum est quàm lignum.

Manifesta causa est cur tantus sit buccinarum sonitus. Fiunt ex auro, ex argento, & ære, ex his B metallis ductilibus, quæ materia apta est tremori. Vis accretionis cernitur in tuba quæ dicitur *la trompette parlante, ou porte voix*. Scilicet vox quæ in illam inspiratur, colligitur, nec prorsus diffunditur, sed veluti fit in aquæ vorticibus, orbes crescunt eundo, sive majores fiunt, pariter vox in tuba augetur & crescit. Tubarum autem multiplex est forma. Aliæ rectæ fiunt: sed os angustum est, postea dilatantur. Aliæ tubæ curvæ sunt, quasi boum cornua. Aliæ, sive rectæ, sive curvæ, quasi geminantur ut vox in illis diutiùs conclusa majorem vim accipiat. Quid dicam de tibiis? Imitantur omnes canalem illum quo vox conceptâ in pulmonibus, qui instar sunt follium, transiens per extremitatem hujus canalis, & vi exclusa ibi accipit tremorem, quo fit C sonitus. Non idem est in omnibus tibiis. Diversas formas accipit à longitudine suâ. In tibiâ quâ utuntur fabri lebetum, septem compactâ cicutis, vox intra illas non immittitur, sed his labra admoventur, & vox occurrens, ut ita dicam, labris hujus tibiæ scinditur & afficitur quodam tremore. Postea diversis foraminibus tibiæ pertusæ sunt; quæ prout illa digitis occluduntur vel reclūduntur diverso hoc modo sonant.

Non de instituto est enumerare omnia instrumenta, quibus sonus excitatur, qualia sistra quæ in sacro codice memorantur, quorum figuram vides, Lector, *Fig. 9.* & similium instrumentorum, satius est inquirere quâ ratione sonus possit effici gratus auribus. Afficimur voluptate, cùm animus res D percipit clarè & distinctè, & organis sensuum facilè utimur, cùm verbi causâ incedimus loco plano: cùm sonus aures ferit distinctè & sine confusione, nimirùm cùm fidium vibrationes fiunt ordine; una vibratio aliam sequitur impermixtim. *Consonantia*, inquit Boetius lib. 1. de Musica cap. 8. *est acuti soni gravisque mixtura suaviterque auribus accidens. Dissonantia verò est duorum sonorum sibimet permixtorum ad aurem veniens aspera atque injucunda percussio. Nam dum sibimet misceri nolunt, & quodammodo integer uterque nititur pervenire, cùmque alter alteri officit, ad sensum insuaviter uterque transmittitur.* Ne hoc contingat fidium vibrationes & quæcumque undulæ aëris, quibus so- E nus fit, debent per certa intervalla incipere & desinere, ut numerari possint. Sic fit omnis consonantia.

Illa omnia instrumenta quibus personabat templum propriam vim habebant, quam Isaias exprimit his verbis 24. 8. *Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ.* Tympana magis commovent, citharæ magis placent. Tubæ magis sonoræ sunt, & ideo aptæ vociferationibus, quibus magna animi lætitia & in Deo exultatio significanda erat. Plura erant polychorda, quæ digitis, pollice, plectro tangebantur. Plura vasa ænea, quæ tinniebant, plura tympana quæ pistillis ligneis, calybeis pulsabantur. Hæc omnia instrumenta quæ tangebantur, pulsabantur, & diversæ tibiarum species quæ inflabantur ingentem strepitum edebant. Quid appello strepitum: satius est dicere cantum celebratum multis vocibus & organis; neque enim erat confusa vociferatio, quæ ingrata aures percuteret, sed illæ delectatione afficiebantur; omnia enim fiebant modulatè: voces exaltabantur, & remittebantur cum exactâ observatione intervallorum. Qui cantabant religiosè observabant moras, pariter incipiebant & desinebant; sic non confusa sed modulata erat vocum permixtio. Quæ fiunt cum aliquo ordine jucundiùs percipiuntur; quod videre est in tympanis quorum sonitus non tam recreat aures, quàm obtundit, attamen cùm numerantur eorum pulsationes jucundè afficiunt auditum.

Quomodo ista numeratio fieri possit ostendam in fidibus. Cùm illæ plectro, vel pollice tanguntur, patiuntur plurimos itus & reditus; ita quasi repetitis ictibus feriunt aërem, aër percussus aures; & quidem distinctè cùm duo nervi pariter intenti sunt, & utriusque vibrationes iisdem præcisè temporibus fiunt. Æqualitas ista non displicet, modò proximè succedat varietas, quæ occurrit, si duo illi nervi, qui non ejusdem longitudinis sunt, intra idem temporis intervallum alius altero sæpiùs vibretur, & istæ vibrationes certo ordine concurrant; scilicet vel bis, vel ter vibretur, dum eodem tempore alter semel; ut sic æqualis licet, varius tamen sonus audiatur. Quamobrem si corpus sonorum, verbi causâ chorda testudinis certâ ratione dividatur, per eam divisionem reperientur omnes consonantiæ. Nam si duæ sint chordæ æqualis crassitudinis & longitudinis, ac æqualiter tensæ, eorum vibrationes erunt *isochrona*, hoc est, æquali tempore absolventur; ac proinde eæ chordæ erunt *unisona*, seu eundem omninò sonum producent. Jam si una ex iis chordis sit alterius dupla, & unam tantùm vibrationem faciat dum altera duas duo soni simul unus gravis & alter acutus audientur. Ut hæc intelligantur animadvertendum septem vocum discrimina præcipua distingui cùm viri & virgines naturaliter cantant. Virgines habent vocem duplo acutiorem quam viri, seu viri duplo graviorem. Hos gradus cùm exprimerent antiqui Musici octo chordis instruxerant instrumenta sua musica, quarum chordarum prima dicebatur ὑπάτη, id est, præcipua & summa; ultima νήτη, quasi νεάτη, id est, ultima. Sonus primæ & ultimæ chordæ cùm singularum sonus audiebatur, erant in ea ratione quæ est inter vocem viri & pueri, ut ultimæ chordæ ad primam; sive percurrendo & pulsando omnes chordas ratio ultimæ ad primam vocatur διὰ πασῶν, id est, *per omnes*. Id etiam observare est in duabus chordis, quarum una est alterius dupla, vel in una chorda comparatè ad partem mediam. Nimirùm si integra chorda A B pulsetur: deinde ope equulei seu ponticuli alii dicunt *discerniculi* nos vernaculè dicimus *le chevalet* in medium secetur in C, ac illius pars dimidia A C, vel C B stringatur, sonus qui prodibit ab integra chorda erit gravior, & totâ octavâ distabit à sono, quem reddet pars ejus dimidia. Equuleus *le chevalet* chordam cui subjicitur in duas partes dividit, sive ex unica duplicem facit.

Octava porrò seu *diapason* omnes alias consonantias continet. Nam postquàm divisa est linea A B in C, & facta est A B ad C B ut 2. ad 1, undè oritur consonantia, quæ octava dicitur seu *diapason*: si rursus c B bifariam dividatur in d, erit A B ad A d ut 4 ad 3 & efficiet consonantiam quæ vocatur quarta, seu *diatessaron*. Item A d erit ad A c ut 3

2, & ita quinta ſeu *diapente* hinc naſcetur. Quod A dicitur de chordis, deprehenditur in tibiis pro aperturâ & longitudine earum majori aut minori, ſonus major aut minor eſt ſecundùm eam rationem, quam expreſſimus numeris. In organis ſola hæc apertura & longitudo diverſos ſonos producit, ſed in tibiis quæ ore inflantur, & quæ diverſa foramina habent, prout illa foramina digitis obducuntur, vel reteguntur, fiunt dictæ quas in chordis notavimus proportiones. Cùm pulſantur bacillis tympana, modò id fiat, ita ut intervalla dictas proportiones habeant, producunt non ingratam harmoniam. Id etiam experire eſt in campanis, quarum vibrationes cùm aliquam proportionem ſervant auribus placent. Quin etiam bacilli lignei, licet ſonori non ſint, cùm eorum longitudo B conveniens eſt, percuſſi reddunt ſonum numeroſum, nempe qui numeris exprimi poſſit; ſed id in bacillis non fit, niſi ex eodem arboris trunco ſumantur, nempe ſint ejuſdem naturæ.

SECTIO V.

Proportiones harmonicæ inveniuntur; & totius muſices reteguntur fundamenta.

SOnus ſpecies eſt quantitatis, quippe qui augeri poſſit & minui, & comparari, ſecundùm exceſſum vel defectum ſuum; gradus ejus creſcunt C per additionem, minuuntur per detractionem. Hæc prima ratio duorum ſonorum dicitur arithmetica. Secunda comparatio fit, cùm expenditur ratio, quâ ſonus in altero ſono continetur, vel illum continet, an duplo, an triplo, an quadruplo. Hæc dicitur geometrica, & diverſa eſt ab arithmeticâ; nam quod excedit duobus gradibus, non ideò duplum eſt. Verbi causâ numerus 6. excedit numerum 4. duabus unitatibus, ſed non duplo major eſt.

Rationes autem in genere ſic diſtinguntur: dicuntur 1. æqualitatis, quando una præcisè in alterâ continetur, ut ſi pes cum pede comparetur: 2. inæqualitatis cùm unus pes cum tribus pedibus comparatur; & hæc dividitur in majorem & minorem. Ratio D eſt inæqualitatis majoris, cùm major numerus comparatur cum minori, ut 3 cum 2; minoris verò inæqualitatis, cùm minor numerus comparatur cum majori. Utraque hæc ratio habet ſub ſe diverſas ſpecies.

Prima dicitur *multipla*, ſecunda *ſuperparticularis*, tertia *ſuperpartiens*, quarta *multipla ſuperparticularis*, quinta *multipla ſuperpartiens*.

Ratio multipla eſt, cùm major continet certo numero minorem veluti 8 bis continet 4, quæ ratio ideò *dupla* nominatur; ratio 6 ad 2 nominatur *tripla*, ratio 8 ad 2 *quadrupla*. Numerus 6 *multiplus* eſt numeri 2.

In ratione *ſuperparticulari* numerus numerum continet, plus partem alterius, ita ratio 3 ad 2 eſt E ſuperparticularis; nam 3 continet 2 & partem ejus 1.

Rationes *ſuperparticulares* diſtinguntur ſequentibus nominibus. Vox illa *ſeſqui* denotat unitatem; ita ratio *ſeſqui altera* inter duos numeros appellatur; quæ totum alterum continet, & præterea dimidium ejus, qualis eſt inter 3 & 2; nam 3 continet 2. integrum & 1. dimidium 2. Ratio 4 ad 3 eſt *ſeſquitertia*, quia 4. continet totum 3, & tertiam partem 3. Sic ratio 5 ad 4 dicitur *ſeſquiquarta*, quia continet totum 4 & quartam partem ejus nempe 1.

Ratio *ſuperpartiens* fit quando major continet minorem unâ vice & inſuper plures partes minoris. Sic ratio 5 ad 3 eſt ſuperpartiens; quia 5 continet ſemel 3 & 2 qui non eſt pars ſed duæ partes numeri 3; ideò hæc ratio dicitur *ſuperbipartiens tertias*; ut 7 ad 4 *ſupertripartiens quarta*, quia 7 continet 4 & ter quartam partem 4.

Ratio *multipla ſuperparticularis* nominatur, quando major numerus continet minorem ſaltem bis, & inſuper partem ejus, ut 5 ad 2; nam 2 bis continetur in 5, & præterea pars ejus, nempe 1; quæ ergo ratio dicitur *dupla ſeſqui altera*; ſicut 7 ad 3 *dupla ſeſqui tertia*, & 13 ad 4 *tripla ſeſquiquarta*, quia 13 continet ter 4 & inſuper unam partem 4, nempe 1.

Ratio *multipla ſuperpartiens* dicitur, cùm major continet bis aut ter, &c. minorem, & inſuper partem ejus. Talis eſt ratio numerorum 8 & 3; nam 8 bis continet 3, & inſuper duas partes numeri 3. Ideo appellatur *dupla ſuperbipartiens-tertia*. Ratio quæ eſt inter 15 & 4, *tripla ſupertripartiens-quarta*, 15 continet ter 4, & inſuper tres partes numeri 4.

Quinque ſpecies rationis minoris inæqualitatis differunt ab enumeratis additâ particulâ ſub. Ita pro *multipla* dicitur *ſubmultipla*, *ſubſuperparticularis*. Hæc fusè expoſuimus in elementis mathematicis libro 3. ſect. 3. cap. 3. ſicut ea quæ ſpectant proportiones quas ergo hic perſtringemus.

Proportio eſt rationum ſimilitudo ſi ſint arithmeticæ illæ rationes, proportio dicetur arithmetica; ita hi quatuor numeri 1 3 5 7 ſunt arithmeticè proportionales; quia ut ſe habet 1 ad 3., ita 5 ad 7; nempe ſecundus numerus eum exceſſum habet ſuper primum, quem quartus ſuper tertium. Hæc proportio diceretur progreſſio, ſi ut primus eſt ad ſecundum, ita ſecundus ad tertium, & ſic fieret continuatio Hi numeri ſunt in progreſſione arithmeticâ 1. 3. 5. 7 9. 11. &c.

Rationum geometricarum ſimilitudo dicitur proportio geometrica. Illa occurrit inter quatuor hoſce numeros 1. 4. 3. 12. Primus continetur tot vicibus in ſecundo, quot tertius in quarto. Diceretur progreſſio, ſi primus eſſet ad ſecundum ut ſecundus ad tertium, & tertius ad quartum, qualis eſt progreſſio horum numerorum 2: 4: 8: 16: 32 &c. quorum primus bis in ſecundo, ſecundus bis in tertio & ſic deinceps, continetur.

Alia eſt proportio diverſa ab arithmeticâ, & geometricâ, ſive potiùs quæ ex utraque conſtat. Hæc dicitur harmonica; quæ verſatur inter tres numeros ſic diſpoſitos ut quæ eſt ratio maximi ad minimum, talis ſit differentia maximi à medio ad differentiam medii à minimo. Talis eſt inter hos numeros 6. 4. 3, quoniam ut 6 maximus numerus ad 3 minimum, ita differentia inter 6 & 4 ad 1 differentiam inter 4 & 3. Talis etiam eſt inter 15, 12, 10; quoniam ut 15 ad 10, ita 3 differentia inter 15 & 12 ad 2 differentiam inter 12 & 10.

In elementis mathematicis lib 8. in Theoremate tertio demonſtravimus, cùm tres numeri arithmeticè ſunt proportionales, multiplicando primum per ſecundum, & iterùm primum per tertium, & ſecundum per tertium, exſurgere ex hac multiplicatione tres numeros harmonicè proportionales. Ergo ſi proponantur hi tres numeri 6. 4. 2 arithmeticè proportionales, &, ut dictum eſt, multiplicentur, fient hi tres numeri 24, 12, 8 harmonicè proportionales. Pariter, ut vidimus in eodem libro Theoremate quarto, ſi dividatur idem numerus per diviſores in arithmeticâ progreſſione quotos numeros hujus diviſionis reipsâ fore harmonicè proportionales. Verbi causâ detur hic numerus 60 & dividatur per 1. 2. 3. 4. 5. 6 quoti numeri hujus diviſionis 60 30, 20, 15, 12, 10 erunt in proportione harmonicâ.

Notandum Muſicos duorum numerorum differentiam unius ad alterum appellare *intervallum*. Pro-

portio quidem nihil eſt aliud quam intervallum, A ſeu diſtantia inter duos numeros intercepta; differentia videlicet, qua major minorem excedit, aut minor à majore ſuperatur. Plura non dicam de iſtis intervallis quæ explicat Petrus Gaſſendus in ſuâ manuductione ad theoriam muſicæ, ex quo cætera quæ dicturus ſum in hocce capite excerpam.

Symphonia, ſive conſonantia eſt compoſitio mixturaque duorum ſonorum, alterius gravis, alterius acuti, qui aurem uno eodemque modo, ſicque ſuaviter afficiunt. Dico autem alterius gravis, alterius acuti; quoniam ſi nulla ſentitur gravem inter acutumve ſonum diverſitas, tunc non tam conſonantia, quàm uniſonantia eſt, quemadmodum ipſa corpora, quæ ſimul ſonant non tam conſona dicuntur quàm uniſona. B Intelligimus verò ſymphoniam, ſive conſonantiam idcircò debere in proportione quadam conſiſtere, quia non omnis duorum ſonorum compoſitio auribus grata eſt, ſive organo auditûs congrua; immo quædam ingrata, atque diſcrepans, eſt quam vocamus diſſonantiam. Etenim oportet duos ſonos ut ſymphoniam creent certâ ratione commenſurari, proportionemve inter ſe tueri. Diſtingui autem ſolent conſonantiæ in ſimplices & compoſitas. Simplices habentur quæ conſiſtunt in proportione duplâ aliiſve minoribus; compoſitæ quæ in majoribus duplâ. Simplices ſunt numero tres; quibus hæc nomina Græci impoſuêre, *Diapaſon*, *Diapente*, & *Diateſſaron*. Hæc nomina poſtea explicabimus. Aliæ ſunt conſonantiæ, duæ in- C frà *Diateſſaron* nempe *Ditonus* & *Semiditonus*; & duæ ſupra *Diapente* nimirum *Hexachordon minus* & *Hexachordon majus*. Sed ut ea clarè & facilè intelligantur videndum quomodo duo ſoni menſurari & numerari poſſint. Vidimus ſuprà id fieri faciliùs in chordis, quæ cùm tenſæ ſunt, ſi tangantur, eunt & redeunt, & ſonum reddunt. Vibrationes earum oculis non quidem numerantur in longitudine ſuâ, juxta quam ſonum faciunt aut graviorem, aut acutiorem. Chordæ craſſiores tardiùs moventur, & ideò ſonum graviorem habent, præterea pro longitudine ſuâ mutant ſonum. Longitudo autem chordæ petenda eſt ab initio chordæ ubi incipit motus, ſive ubi premitur, vel retinetur. Etenim verbi causâ in media chorda, quæ tenſa eſt, illigatum pondus faceret id D quod ex diviſione fit. Veteres Muſici illigabant pondera, nunc ſubjicitur equuleus *le chevalet*, quo ſic tenditur chorda, ut ſonet quaſi media pars chordæ, ſive audiantur duæ uniſonæ chordæ. Rem facilè experietur qui adhibebit inſtrumentum monochordum; de quo plura nunc ſubjicio.

Monochordum conſtat unâ chordâ extenſâ ſupra tabulam corporis concavi, igitur reſonat, & auditur ſonus quem edit inſtrumentum; & ſi duæ partes chordæ, quas aliquod pondus, vel preſſio digiti, vel equuleus fecit magis tenſas, digito tangantur aut plectro, percipietur duplex ſonus alter gravis, alter acutus; ita inter utrumque fiet facilis compa- E ratio. Vides virum muſicum qui monochordum utrâque manu attingit & pulſat. 1. *Fig.* Utriuſque ſoni proprium gradum explorat aurium judicio, ſed certiùs & faciliùs advertit, qui menſurat partes ejus. Etenim ſit monochordum primò diviſum in tres partes, ſive ſit equuleus in c; pars autem versùs A ſit dupla alterius partis c B, nempe ut loquuntur Muſici, intervallum hujus conſonantiæ ſit veluti 1 ad 2. Tunc duæ illæ partes pulſatæ reddent altera A c ſonum graviorem, altera B c acutiorem; ita rationem habebunt inter ſe quæ à Græcis dicitur διὰ πασῶν, ſive *per omnes*; duæ autem partes chordæ ſunt ad invicem ſicut unum ad duo: ſic appellatur illa ratio, ſive utriuſque ſonus eſt in dictâ ratione, quam habent duo Muſici, qui ſimul canunt, alter adhuc juvenis, alter vir. Citharæ antiquæ ſæpiùs conſtabant octo chordis, quæ cum ordine tangebantur; ſic à primâ aſcendebant, ut percurrerent omnes chordas, ab octavâ ad octavam; quæ conſonantia dicebatur *diapaſon*, id eſt, *per omnes*.

Juvat exhibere omnes conſonantias ope monochordi, diverſa quidem monochorda ſubjicimus tuis oculis, Lector; ſed pro uno & eodem haberi poſſunt, quia in illis non idem eſt locus equulei. *Fig.* 2. Nunc illud conſideramus, cujus D equuleus eſt, ſic dividens monochordum A B in D, ut A D ſit ad A B, ut duo ad tria; ſive ut loquuntur Muſici, *intervallum* ſit ut 2 ad 3. *Intervallum autem eſt*, juxta Boëtii definitionem, *ſoni acuti graviſque diſtantia.* Lib. 1. Muſ. cap. 8. *du plus haut au plus bas, ou du plus bas au plus haut.* Tunc pulſando hinc indè monochordum, ſive pulſatis chordis A D & D B producetur conſonantia dicta Græcè διὰ πέντε *Diapente*, Gallicè *la quinte*. Ratio nominis Græci ea affertur quòd ad eam conſonantiam formandam in quinque æquas partes chorda dividenda ſit in D ut duæ partes A D & B D ſint inter ſe ut A D ad A B.

Fig. 3. Sit aliud monochordum, ſive ſimile cujus equuleus ſit in E ita poſitus ut chorda diviſa ſit in ſeptem partes, quarum tres hinc occurrant, & quatuor indè, ita ut inter ſe ſint ut tria ad quatuor; tale ſit hujus conſonantiæ intervallum velut 3 ad 4, quod Græci appellant διὰ τεσσάρων *Diateſſaron, per quatuor*.

Fig. 4. Quarta conſonantia appellatur à Græcis *Ditonus*. Sit equuleus in F, & chorda A B dividatur in novem æquales partes; ſubjiciatur autem equuleus ſub F, conſonantia A F & F B erit *Ditonus*, ut Galli loquuntur, *tertia major:* habent inter ſe rationem ſeſquiquartam, nempe quæ eſt inter 4 & 5, & ea eſt ratio intervalli quod illi proprium eſt.

Fig. 5. Quinta conſonantia dicitur Græcis *ſemiditonus*, cùm integra chorda dividitur in undecim æquales particulas, & ſic illa dividitur ut intervallum illud ſit velut 5. ad 6 promoto equuleo uſque ad G, & tunc ſi utrinque pulſentur partes A G & B G audietur *ſemiditonus*, aut, ut loquimur, *tertia minor*, & uterque ſonus habebit rationem ſeſquiquintam, veluti 5 ad 6.

Fig. 6. Sexta conſonantia reperitur, quam Græci appellant Exachordum majus, nos Galli *ſextam majorem*, cùm chorda integra dividitur in octo partes, & equuleus ſtatuitur in H. Ita ut A H ſit ad H B quemadmodum 3. & 5 quod eſt ratio ejus intervalli.

Fig. 7. Septima & ultima, quam Græci nominant Hexachordum minus, nos Galli *ſextam minorem*, in illa equuleus ſtatuitur in I. Tota chorda dividitur in tredecim partes, ita ut A I ſit quinque partium, & B I octo partium ut 5 ad 8, ut loquuntur Arithmetici in ratione ſupertripartiente quinta.

Fig. 8. Tonus major habet ſuum intervallum ut octo & novem; nempe tota chorda ſic dividenda eſt ut octo ſint partes ejus versùs A L & novem versùs B; ita ut ſit A L ad L B ut 8 ad 9 quæ eſt ratio intervalli ipſius.

Fig. 9. Tonus minor habet pro intervallo 9 & 10; ita ut equuleum locando in M, & tangendo ſimul A M & B M, audiatur tonus minor.

Semitonus major habet pro ſuo intervallo 15 & 16; & totum monochordum dividentes in 31 partes, & hinc partientes 15 & indè 16, efficietur dicta ratio. Semitonus medius habet pro intervallo ſuo

128 & 135. Semitonus minor habet pro intervallo A 24 & 25.

Comma est parvulum intervallum inter tonum majorem & tonum minorem velut isti duo numeri 80 & 81.

Apotome major, est parvum intervallum inter semitonum majorem, & semitonum minorem: quam rationem exprimunt duo numeri 125 & 128.

Apotome minor, minimum est intervallum inter semitonum majorem & semitonum minorem adeò ut divisi monochordi partes sint veluti hi duo numeri 2025 & 2048.

Monochordum non ignotum fuit vetustis Musicis. Adhibebatur non tantùm ad jucunditatem, sed & ad doctrinam musices tradendam. Clarè exposi- B tum fuit à viro Matheseos perito Simone de Caus; sed simpliciùs adhuc res confici potest assumendo duas chordas æqualis longitudinis, quibus supra idem instrumentum tensis, effectisque unisonis, una tota cum variis alterius partibus pulsetur, sic enim efficientur duo soni, unus gravis chordæ totius, & alius acutus partium alterius; idcircò lubet rem declarare duabus insequentibus lineis, quarum A B intelligatur chorda integra; C D verò chorda divisa, & ipsa divisio quæ in linea C D hîc oculis Lectoris subjecta est subtus chordam in ipso organo sit notata, & chorda digito ad notam divisionis tangatur; ac suppressâ adeò parte illius versùs C, reliqua versùs D simul cum tota chorda A B pulsetur.

Ut hæ rationes intelligerentur, sufficere posset sola chorda C D; quippe ipsa tota cum suis partibus comparata, easdem proportiones habet, quas cum iisdem partibus comparata alia diversa. Verùm non possent duo soni, alter gravis, alter acutus, nisi unus post alium audiri, si quidem chorda non potest tota simul & per partes pulsari. Et quamvis duæ partes discerniculo ad divisionem composito pro duabus chordis haberi possint, si nempe hinc indè simul pulsarentur; ut si ad audiendum sonum proportionis duplæ, quæ est 2 ad 1 divideretur chorda in tres partes (quasi 2 & 1 conjunctis) & hinc duæ, hinc una pulsarentur simul, aut si ad audiendum in sesquialtera quæ est 3 ad 2 divideretur chorda in quinque partes (quasi 3 & 2 junctis) & hinc tres pulsarentur, hinc duæ, atque ita de cæteris; nihilominùs quia res præstabitur distinctis chordis longè commodiùs, ac tantò magis, quantò omnes soni acuti ex comparatione ad eundem gravem explorantur; ideò rem organo dichordo, nempe quod duas chordas habeat, repræsentare satius est.

Et quia exhibendæ proportiones non solùm consonantiarum, sed earum etiam partium, ex quibus consonantiæ sic constant, ut quamvis seorsim consonantes sint, conjunctim tamen tales evadant; eadem chorda C D ita dividi poterit, ut per ipsam omnes proportiones exhibeantur.

Exscribo Petrum Gassendum, qui theoriam Musicæ E clare & breviter explicat. Juxta monitum ejus primum, ut tam duplam, quàm minores omnes proportiones habeas; sic divide totam C D, ut C E sit dimidium, seu duarum partium altera C F triens, seu una tertia, C G una quarta, C H una quinta, C I una sexta; C K sint duæ quintæ, C L tres octavæ, C M sit una nona, C N una decima, C O una decima sexta; C P una vigesima quinta: C Q una octogesima prima; C R sint tres centesimæ vigesimæ octavæ, &c. Non vacat totum librum Gassendi exscribere; nec necesse est. Etenim de divisione monochordi loquor, non ut prorsus rem explicem, quæ petenda est ex dicto libro, sed ut cui non suppetit, saltem habeat notionem aliquam proportionum Musicæ, quas hæc monochordi divisio oculis subjicit. Has lineas cum suis divisionibus vides in alterâ paginâ sub columnis 1194 & 1195.

Nunc autem illæ omnes proportiones sonorum auribus gratæ sint, ejusdem Gassendi verbis exponam. *Cùm duabus chordis sic tensis ut totidem unus ictus reditusque ac alterius fiant, non tam duo soni, quàm unus creatur, undè & earum esse unisonantia dicitur, constat aërem ab utraque chorda pulsatum, sensoriumque auditus ferientem nihil inferre asperitatis, quoniam singuli utriusque ictus in unum coëuntes, in unum simplicem, uniformemque sonum coalescunt. Dum chordis autem ita tensis, ut una Diapason, seu octavam supra aliam creet, contingit quidem ut ubi duo ictus, ab utraque coaluerint, succedat unus insociatus; at quia tamen illicò duo coalescentes succedunt, idque semper alternis fit; indè fit, ut hæc consonantia sit gratissima omnium, quòd post unisonantiam, nulla unitior sit, auremve uniformius subeat.*

Succedit Diapente, seu quinta, ideò proximè octavam suavissima, quòd licet in illa duo ictus insociati sint, coalitio tamen fiat in quolibet tertio. Sequitur Diatessaron, in qua coalitio, nisi in quarto non fit; tum Ditonus, in quo non nisi in quinto; & semiditonus, in quo non nisi in sexto.

Diximus ex his tribus consonantiis, quæ simplices sunt, alias componi, quæ non ita suaves sunt; quod in illis sonorum coalitio sit distractior. C *Profectò eandem quoque ob causam consonantiæ compositæ non æquè videntur esse suaves ac simplices, quatenus nempe plures ictus incoalescentes interveniunt; coalitiones quippe se habent quasi lenimenta ipsam sensorii diductionem, & quasi dilacerationem consolidantia, quæ quò adhibentur frequentiùs, eò major suavitas creatur, quò infrequentiùs eò minor, donec denique insuavitas sit.*

Pergit loqui Gassendus. *At quorsùm Diapason videtur suavior unisonantia? Nempe eâ ratione, quâ post tempestatem evadit serenum jucundius serenitate continuâ; & morbi aut doloris cessatio sanitate morbi ac doloris experte. Unde & Harmonici aliquando dissonantiam interserunt, quam ut imme-* D *diatè præcedat, sic statim sequatur perfecta consonantia, quò sensorium læsionem sentiat, medica manus mox adhibita dulcorem faciat sensibiliorem. Ex quo etiam intelligis ut excipere dissonantiam consonantia illicò debet, ne auris quasi discerpatur, suavitateque harmoniæ privetur; ita debere universè coalitiones ictuum, insociatos ictus quamproximè excipere: ne si habeant longiùs, aut infrequentiores sint, organum interea discerpatur, ut illi sanando fiant impares, & pro consonantia dissonantia sentiatur.*

SECTIO VI.

De diversis Musices modis. Undè illi olim tanta vis? An illam amiserit? Hebræi musicam excoluêre.

Soni illi graves & acuti, quos continet tabula, quam protulimus ex Petro Gassendi, possunt inter se commisceri diversis modis; sive à gravibus ad acutos, ab acutis ad graves licet progredi; tantâ varietate ut à rerum initio usque in æternum possint novi cantus adinveniri. Experientia docuit proprietates harum commixtionum, quæ auribus sint ingratæ, quæ illis placeant: quæ ad hilaritatem, quæ ad tristitiam inducant, quæ sint a[illegible] ad choreas, tripudiaque: aut ad bellum excitent ani-

MONOCHORDI DIVISIONES.

B D

	Tota chorda A B est ad partes hîc adnotatas versùs D.	Proportiones, quibus tota A B se habet ad partes chordæ C D designatas versùs ipsum D.	Sonorum intervalla dicta juxta Græcos.	Juxta Latinos, & Practicos.
	Ut			
h	8 ad 1	Octupla.	Trisdiapason.	Vigesima secunda.
g	20 ad 3	Sextupla superbip. 3as	Disdiap. hexach. maj.	Vigesima major.
f	32 ad 5	Sextupla superbip. 5as.	Disdiap. hexach. minus.	Vigesima minor.
e	6 ad 1	Sextupla.	Disdiap. diapente.	Decima nona.
d	16 ad 3	Quintupla sesqui-tertia.	Disdiap. diatessaron.	Decima octava.
c	5 ad 1	Quintupla	Disdiap. ditonus.	Decima sept. maj.
b	24 ad 5	Quadrup superquadrip. 5as	Disdiap. semiditonus.	Decima sept. min.
a	4 ad 1	Quadrupla.	Disdiapason.	Quinta decima.
Z	10 ad 3	Tripla sesqui-tertia.	Diapason hexachord. maj.	Decima tert. maj.
Y	16 ad 5	Tripla sesqui-quinta.	Diapason hexachord. min.	Decima tert. min.
X	3 ad 1	Tripla.	Diapason diapente.	Duodecima.
V	8 ad 3	Dupla superbipart. 3as	Diapason diatessaron.	Undecima.
T	5 ad 2	Dupla sesqui-altera.	Diapason ditonus.	Decima major.
S	12 ad 5	Dupla superbipart. 5as	Diapason semiditonus.	Decima minor.
E	2 ad 1	Dupla.	Diapason.	Octava.
K	5 ad 3	Superbipartiens tertias.	Hexachordon majus.	Sexta major.
L	8 ad 5	Superbipartiens quintas.	Hexachordon minus.	Sexta minor.
F	3 ad 2	Sesqui-altera.	Diapente.	Quinta.
G	4 ad 3	Sesqui-tertia.	Diatessaron.	Quarta.
H	5 ad 4	Sesqui-quarta.	Ditonus.	Tertia major.
I	6 ad 5	Sesqui-quinta.	Semiditonus.	Tertia minor.
M	9 ad 8	Sesqui-octava.	Tonus major.	Secunda major.
N	10 ad 9	Sesqui-nona.	Tonus minor.	Secunda maior.
O	16 ad 15	Sesqui-quindecima.	Hemitonium maj. [sis maj.	Secunda minor.
P	25 ad 24	Sesqui-vigesima-quarta.	Hemitonium min. seu die-	Secunda minor.
R	128 ad 125	Supertripartiens 125as	Diesis minor.	
Q	81 ad 80	Sesqui-octogesima.	Comma.	

A C

mos. Verisimile est has proprietates non ignotas fuisse Patriarchis Hebræorum; quippe qui Musicæ inventores fuerint. Jubal fuit pater canentium citharâ & organo, ut dicitur in primis capitibus Geneseos. Igitur Hebræi, qui linguam & doctrinam parentum suorum, pariter cum cæteris mortalibus acceperant non ignorabant musicam, immò eam excoluerant; videre enim est Israëlitas, licet diu jugo Ægyptiorum pessumdatos, statim ac liberati sunt, & mare rubrum incolumes pertransierunt, cecinisse canticum Deo Exod. 15. 20. *Sumpsit ergo Maria Prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua: egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat dicens: Cantemus Domino.* Maria ibi dicitur Prophetissa, id est, docta, perita cantandi; ea est hujus vocis significatio. Anna mater Samuelis & canticum cecinit. 1. Sam. 1. 28. Tempore Samuelis erant Prophetarum greges, hoc est, multitudo virorum qui musicam colebant. cap. 10. 5. Dum ille Propheta monitis suis instruit Saulem, ait illi, *post hac venies in collem Dei, ubi est statio Philistinorum: & cùm ingressus fueris ibi urbem, obvium habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsosque prophetantes.* Nempe doctè & bellè canen-

A tes. Ex quo autem tempore David elegit Levitas qui canerent in templo, & certas familias huic ministerio addixit, musica ab illis exculta est; & cùm hûc omne studium conferrent, procul dubio Cantores illi experti sunt quæ cujusque cantûs, sive cujusque harmoniæ vis esset: puta qui essent hilares, qui flebiles modi; quales illi quibus apud Horatium Valgius semper urgebat *flebilibus modis Mystem ademptum.*

Græci quatuor præcipuos modos agnoscebant, Phrygium, Lydium, Dorium, Jonium. Nempe diversæ Græciæ gentes diversos musicæ modos sectabantur. *Lasciviens quippe animus*, inquit Boetius

B l. 1. Mus. c. 1. *vel ipse lascivioribus delectatur modis, vel sæpè eosdem audiens citò emollitur, ac frangitur. Rursùs asperior mens, vel incitatioribus gaudet, vel incitatioribus asperatur. Hinc est etiam quod modi musici Gentium vocabulo designati sunt, ut Lydius modus & Phrygius.* Quo enim quasi una quæque gens gaudet, eodem modus ipse vocabulo nuncupatur. Gaudet enim modis pro morum similitudine. Mollia duris, dura mollioribus non facilè adhærent.

Quâ commixtione cantûs fieri possent illi omnes modi, explicari non potest, nisi à practicis, quos non suscipiam erudiendos, quam enim quisque artem noverit, in hac se exerceat. Lucianus in

Harmonide, virum qui à Timotheo egregio Tibicine vellet artem ediscere, sic inducit loquentem. *Dic mihi, ô Timothee, quomodo arte meâ clarus evadam, & quid faciam undè me Græci omnes norint? Nam alio quidem tuo beneficio jam didici; scilicet tibiam accuratè componere, tenuem & canorum sonum in lingulam inspirare, & appositè digitos crebrò tollendo & ponendo applicare, & ad numeros progredi, modosque ad chorum consonos facere, & harmoniæ cujusque proprietates observare, Phrygiæ impetum divinum, Lydiæ furorem; Doricæ gravitatem, Jonicæ jucunditatem.* Alii aliter explicant hosce modos. Sic eos enumerat Gassendus in manuductione. *Plerique*, inquit, *primum vocant Dorium, secundum Hypodorium, tertium Phrygium, quartum Hypophrygium, quintum Lydium, sextum Hypolydium, septimum Mixolydium, octavum Hypomixolydium, nonum Hyperdorium, ac Jonium; decimum Hypohyperdorium, ac Hypoionum, undecimum Hypophrygium, ac Æolium, duodecimum Hypohyperphrygium, ac Hypoæolium. Alii primum esse Phrygium, secundum Hypophrygium; tertium Dorium, quartum Hypodorium, &c.*

De horum modorum proprietatibus sic pergit differere.

Primus itaque ad choreas, tripudiaque est comparatus; modusque lascivus *ideò dicitur.*

Secundus ex se satis latus, ob affinitatem tamen cum sexto, ita ad exprimendum affectus amatorios deflectitur, ut propterea languens lamentabilisque *dicatur.*

Tertius dicitur modus gravis, *quòd sit maximè ad res graves, seriasque exprimendas idoneus.*

Quartus quòd mœstitiæ, miseriæ, solicitudini exprimendæ comparatus sit, dicitur flebilis & supplex.

Quintus quòd rebus arduis, difficilibus, asperis, dicitur severus, austerus, immitis.

Sextus dicitur Assentator, *quòd sit maximè accommodatus ad exprimendum adulutiones, querimoniasque, & langores amantium.*

Septimus Hilaris, alacerque, *quòd mentem à curis, & solicitudinibus avocet, & ad hilaritatem, lætitiamque componat.*

Octavus Religiosus, *quòd ferè usurpetur pœnitentiæ, lacrymis, alisque pietatis verbis, affectibusque exprimendis.*

Nonus Iracundus, *quòd accommodetur exprimendis minis, mentisque emotionibus, undè ad res quoque lascivas transferatur.*

Decimus Pudicus, *quòd mixtam pudori suavitatem præ se ferat, & sedationem animi modestiamque testetur.*

Undecimus Politus, *seu comptus, quòd præ se ferat quidpiam comptum, limatum & compositum; undè & carminibus lyricis est maximè accommodatus.*

Duodecimus Luctuosus, *quòd quarto, sextoque affinis, exprimendis lugubribus, deploratisque rebus sit aptus.*

Hæc omnia fieri posse multis experimentis constat, sive certas sonorum commixtiones, prout consonæ sunt, vel dissonæ; diversos effectus producere. *Quamvis verò sonus*, inquit Vossius de Poëmatum cantu, *in omnes partes diffundatur, illud tamen præcipuè observandum, non omnia corpora, neque omnium hominum sensus æqualiter ab iis affici, sed pro ratione & differentiâ soni, variare quoque affectus, qui producuntur, cùm experientia docuerit, in ea duntaxat corpora, quæ similes tremores aut motus possunt concipere, sonum propagari, alia penitùs immota persistere. Cùm passim in aliis, tum præcipuè id videre est in chordis unisonis, quarum unam si tetigeris, illicò sonabit quoque altera, licet multæ aliæ diversæ tensionis intercedant chordæ, quas immotas perstare omnibus est notissimum.*

Vim dissonantiæ licet hoc experimento demonstrare. Vidi virum musices practicæ peritum, qui per gradus tollendo vocem; & hanc admovendo sciphо vitreo, hunc frangebat solâ voce dissonâ, nempe statim ac illam dissonam faciebat ex consonâ. Qui rem experti sunt, dicunt ex silice sciphum esse debere; & ad formam coni accedere. Quin ut scribit citatus Vossius in eodem libro: *vasta illa æramenta, quæ campanas vulgò appellant, findi, & aliquando dissilire affirmant, si inæqualiter pulsentur; & miramur animos nostros turbari, si à discrepantibus numeris perturbentur ea instrumenta à quibus nostri reguntur affectus.* Juvat exscribere, quæ dicit Petrus Gassendi causam reddens, cur in cheli *dans un luth* consonantes chordæ, etiam quæ non pulsantur, tremant, cùm dissonantes, tametsi fuerint interceptæ immotæ maneant. *Nempe dum ejus excursibus, recursibusque aër pulsatur. Compulsantur quidem chordæ omnes vicinæ; at quia solæ consonantes ita tensæ sunt, ut subire eosdem cùm ipsa excursus recursusque valeant; ideò tremorem solæ patiuntur; dissonantes enim non tremunt, quod ita sint tensæ, ut dum ipsa it, illæ redeant, dum ipsa redit, illæ eant; sicque dum itus reditibus & reditus itibus obstant, immotæ constent, nec tremorem patiantur.*

Ergo omnia quæ dicuntur de vi musices, sive quæ historici de illâ scripserunt, non licet in dubium revocare. Numeri enim servati etiam in oratione, quæ pronunciatur naturali voce, vim non mediocrem habent, quantò magis in iis quæ canuntur? In cantu vox contenditur, sive vi exprimitur, & impetum facit in aures; sed sine illo impetu oratio numerata ut carmina quando rebus numeri conveniunt, energiam habet. Malleos cyclopum audire tibi videris, dum sequenti carmine describitur eorum labor.

Illi inter sese magnâ vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe ferrum.

Gravis est & tardus spondæus constans duabus longis syllabis.

Cara Deûm soboles magnum Jovis incrementum.

Contra volubilis est dactylus.

Ferte citi ferrum, date tela scandite muros.

Olim *spondæum succinere* dicebatur pro gravi, ac sententioso modulamine alicujus aures afficere. Pythagoras videns paratos juvenes vim inferre pudicæ domui, induxit petulantiæ eorum temperamentum jubens Tibicinem mutare in spondæum cantum. *Quod cùm fecisset*, asserit Cicero rem narrans, *tarditate modorum & gravitate canentis, illorum furentem petulantiam consedisse.* A tibicine ischias forsan sanatus est: qui enim hoc morbo laborabat tantâ dulcedine potuit deliniri, ut nec de morbo cogitaret, & sic non eo afficeretur. Timotheus fidicen Alexandrum Magnum impulit cantu ut ad arma procurreret, etiam si mensæ accumberet. Omnium exemplorum sit instar quod dicit Horatius in arte poëticâ.

Silvestres homines sacer, interpresque Deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus;
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidosque leones,
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis,
Saxa movere sono testudinis, & prece blandâ
Ducere quò vellet.

Sunt qui tanquam aniles fabulas & commenta aspernantur, quæ de viribus musicæ tam splendide narrantur; sed suspecta esse non possunt, quæ ipsa Scriptura narrat de David, qui citharâ suâ sanabat Saulem. 1. Sam. 16. 23. *Igitur quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam & percutiebat manu suâ, & refocillabatur Saul, & leviùs habebat. Recedebat enim ab eo spiritus malus.* Spiritum bonum nempe lætum quasi infundit musica. Certè eum accersit; undè cùm vellet Elisæus prophetare 4. Reg. 3. 15. *Nunc autem*, inquiebat Elisæus, *adducite mihi psaltem, cùmque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini, & ait: Hæc dicit Dominus, &c.* Prædixit Regi Josaphat victoriam de Moabitis, quos & dici potest viribus musicæ debellasse; ut narratur in secundo Paralipomenorum 20. 21. *Statuit Cantores Domini, ut laudarent eum in turmis suis, & antecederent exercitum, ac voce consonâ dicerent: Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia ejus. Cùmque cœpissent laudes canere, vertit Dominus insidias eorum in semetipsos, filiorum scilicet Ammon, & Moab, & montis Seir, qui egressi fuerant, ut pugnarent contra Judam, & percussi sunt.*

Magna est sanè animæ nostræ cum numeris cognatio, ita facilè commovetur congruis affectibus quos excitat musica. Ut non loquar de instrumentis, quæ summam & raram industriam desiderant, dicam etiam inter *tympanotribas* reperiri, qui eam musicæ partem, quæ ad movendos facit affectus, longè meliùs intelligant, & exerceant, quàm ulli nostræ ætatis musici; *Est quidem tympanorum pulsus μονότονος, non tamen μονῳδής, cùm certis & rationi convenientibus adstrictus sit numeris, iambis videlicet, anapæstis, pæonibus, aliisque, quibus adeò hodierna destituitur musica, ut vix ullum audias cantum, cujus motus & numeri non sint adeò confusi, & indistincti, ut neque formam, neque mensuram, neque ullam prorsus contineant significationem. Vidi*, loquitur Isaacus Vossius libro citato, *qui adeò scitè tympanum tractarent; ut quibusvis etiam adstantibus modò bellicos, modò languidos, & meticulosos incuterent motus, alios verò versâ vice ad saltandum instigarent, idque solâ mutatione rythmi, & transferendo pulsum fortiorem à fine in principium cujusque mensuræ, mutante nempe iambos in trochæos, anapestos in dactylos, & pœones quartos in pœones primos.*

Vossius diligenter disserit de singulis pedibus artis poëticæ, sive Græcæ, sive Romanæ; in quos neglectos refundit causas ob quas musica amiserit vires. Verùm ea primaria causa est, quòd *si quis hujus sæculi audiat Cantores*, queritur Vossius, *vix decimam partem eorum, quæ canuntur, intelliget. Producendo breves, & longas contra naturam sermonis corripiendas syllabas, ac decies sæpè eadem repetendo vocabula, adeò deformant & mutilant veram & legitimam pronuntiationis rationem, ut sensum carminis penitùs deleant.* Veteres magis monodiis delectati sunt, quàm plurium vocum concentibus, *quia*, dicit Vossius, *si plures simul canent verba obruuntur, & sensus cantici nihilò magis percipitur, quàm si plures simul loquantur. Ecquis etiam hoc nostro sæculo, dummodo aures teretes & delicatas habeat, non libentius audiat vocem solitariam & singula verba ad sonum testudinis, aut citharæ distinctè proferentem, quàm integrum chorum musicorum, ubi nihil præter confusum murmur, & vix tria intelligas verba?* Diximus veteres Musicos citharis & aliis instrumentis quæsiisse aptos modos; flebiles, aut lætos, quibus deinde propria verba aptabant, pariter & vocem; ita fiebat ut rebus

A oratio, & cantus orationi consonaret. Dici etiam potest cùm pauci exercerent artem tunc fuisse magis in pretio; ab assuetis enim non fit passio: idcircò primos Musicos magis percelluisse hominum mentes, quando ipsi præcellebant cæteris in arte suâ. Præterea contingebat quod alimentis, quæ cùm ex se jucunda sunt, deteruntur condimentis, vetus musica non tantâ condiebatur varietate; sed & vim majorem faciebat, quia in eundem finem concordabant organa musica, oratio & voces ad excitandos certos affectus; nec tam blandiri auribus studebant Musici quàm movendis affectibus.

Quanquam multa dixi de vi musices, addam tamen quæ Maximus Tyrius Philosophus Platonicus
B observat in dissertatione 21. mutatam rationem musices mutasse & mores. *Ex quo*, inquit ille Philosophus in Latino suo Interprete, *Dores, qui Siciliam incolunt, simplicem illam, agrestemque musicam, quâ inter greges suos, pecudesque utebantur, domi reliquerunt, ac pro ea tibias sybariticas amare, ad Jonicas saltare cœperunt. Atque ita dementiores, ut levissimè dicam, aut ut veriùs intemperatiores facti sunt. Antiqua Atheniensium musa nihil aliud, quàm chori puerorum virorumque erant, & agricolæ tributim divisi, qui ad hanc à semente suâ & messe sordidi, incomposita quædam & extemporanea canebant carmina. Ab his cùm animus ad scenicam paulatim & theatralem artem, rem mirificæ voluptatis, deflecteret, hoc corrumpendæ fuit Reipublicæ*
C *initium.*

Antequàm finem dicendi faciam de veteri musica, observabo in illa distingui tria genera; primum dici *Diatonicum*, quod Boetius appellat *durius & naturalius.* Vox per septem discrimina ab octava ad octavam crescit, uno gradu superans alium gradum. Primum cantilenarum genus, ut puto, dictum est Diatonicum, in quo voces omnes crescerent per tonos, διὰ τόνων; ut natura fert homines; ita simplex & naturalis; qualis est, quem dicimus *plenum cantum.* Secundum genus est chromaticum; *chroma verò est*, inquit Boetius, *jam quasi ab illa naturali intentione descendens, & in mollius deci-*
D *dens. Enharmonium verò optimè atque aptè conjunctum. Chroma verò*, ait Mersennus, *minoribus intervallis, videlicet semitonio & trishemitonio constat, & est inter Diatonicum & Enharmonium; velut color inter nigrum & album, vel ut mediocriter spissum inter rarum & densum.* χρῶμα a Græcis dicitur *color.* Quidam volunt *chromaticum* cantum denominatum, quòd notas haberet minio indicatas; sed alii meliùs, quòd jucundior esset, & quasi coloratior. *Denique Enharmonium per minima intervalla procedit, nempe per Diesim*, quæ est pars quarta toni. Δίεσις *divisio*, sive *separatio*, est, apud Musicos prima tonorum differentia, quæ sensu percipi possit. Enharmonium, inquam, genus, pergit
E loqui Mersennus, procedit *per Ditonum quod tametsi intervallo maximo diatonici & chromatici generis distet, attamen non ex eo intervallo nomen aut proprietatem sumit; sed ex aliis duobus minoribus, sicut chroma denominatur à semitoniis.* Tria illa genera modulationum iterùm exponam verbis Vitruvii ex lib. 5. cap. 4. *Primum quod Græci nominant* ἁρμονίαν. *Secundum quod* χρῶμα. *Tertium* διάτονον. *Est autem harmoniæ modulatio ab arte concepta: & eâ re cantio maximè gravem, & egregiam habet auctoritatem. Chroma subtili solertiâ, ac crebritate modulorum suaviorem habet delectationem. Diatoni verò quòd naturalis est, facilior intervallorum distantia.*

Quod genus modulationum veteres Hebræi sectati fuerint, difficile est statuere. Naturam ut plu-

rimùm ducem sequebantur, & ideò sæpiùs Diatoni- A
cum genus. Quandoque autem chromaticum, cùm coloribus quodammodo exornandus cantus; & Enharmonium si exhilarandus esset. Ingentes in Deum affectus, inspirabant verba & modos. Nunc arte utebantur ut per semitonos & dieses vox ascenderet & descenderet, per minora aut majora intervalla, prout erant afficiendæ aures; quæ magis commoventur, cùm protinus vox ascendit ad remotum intervallum, aut descendit: delectantur verò magis cùm per hemitonum & diesim transit; quod à viris qui in id omne studium conferebant, facilè advertebatur.

SECTIO VII.

De instrumentis Musices, quorum usus erat in templo; & de canticorum diversis speciebus. B

JAm disserui de instrumentis musicis in genere; nunc de illis dicam quatenus pertinebant ad templum & usitata erant apud Hebræos. Horum inventorem Scriptura sacra celebrat Jubalem. *Ipse fuit pater canentium citharâ & organo.* In fonte, ipse fuit pater omnis apprehendentis citharam & organum. כנור ועוגב. His duabus vocibus volunt viri docti omnia instrumenta musica comprehendi, tum quæ fidibus constant, tum quæ inflantur. Prima vox in versione Græca redditur modò ψαλτήριον, modò Κιθάρα, modo Κινύρα, quo nomine utitur Jose- C
phus; & usitatum fuit Græcis, ut indicat verbum Κινύρομαι *lamentor, lugubri & lamentabili voce queror.* Ipsum verò nomen עוגב *ougab derivatur à* עגב *adamavit*; ita ut indicet amabile instrumentum. Diversis instrumentis utebantur Hebræi: alia habebant chordas multiplices, nempe ψηλαφητά, quæ plectro pulsabantur, vel tangebantur digitis. Alia erant, ut loquuntur Græci, πνευματικά, *inflatilia*: alia denique κρουστὰ *pulsatilia*, ut tympana, cymbala. His omnibus instrumentis decantabantur in templo hymni, cantica, psalmi, Dei laudes.

Jam ante Davidem instrumenta musices pleraque fuerant adinventa; sed primam suam originem si huicce Regi non illa debet, saltem perfectionem, D
quam assecuta erat eo tempore quo templum conditum est. Hanc illi gloriam adstruit Josephus Antiquit. 7. *Cæterùm*, inquit ille, *David perfunctus jam bellis ac periculis & in altissima pace degens vario genere carminum odas, & hymnos in honorem Dei composuit, partim trimetro versu, partim pentametro. Instrumentisque comparatis docuit Levitas ad pulsum eorum laudes Dei cantare tam sabbatis diebus, quàm in cæteris festivitatibus. Species autem instrumentorum hæ fuère, cinyra decem cordibus intenditur, & plectro pulsatur: Nablia duodecim sonos continet, sed digitis carpitur: cumque his aderant & cymbala ærea benè magna atque lata: quod sanè de prædictorum instrumentorum naturâ, ne prorsus ignorentur, dixisse sufficit.* E

De illis omnibus instrumentis diligenter disseruit Bartholoccius in sua Bibliotheca Rabbinica tom. 2. Primi generis censet quæ inflata, seu flatu, spiritu, vel vento incitata sonum emittunt, ut sunt Fistulæ, Sampuniæ, Cornua, Tibiæ, Buccinæ, Litui, Syringæ, & alia polycalama, quæ Italicè dicuntur *Organi* & *Regali*. Adjungendi Utriculi, vernaculè *la Musette*, sive fistula pastoritia; cujus non est unius generis forma. Secundi generis sunt, quæ chordis, seu nervis instructa digitis, vel pinnis, vel etiam plectris in harmonicos motus artificiosè incitantur, & sonum suavem edunt; ut sunt Citharæ, Testudines, Thiorbæ, Nablia, Harpæ, Lyræ, Violæ seu Chelys, Sambucæ, Pectides, Pandoræ, Clavicymbala, Clavichordæ, Spinetæ, Barbita, aliaque his similia, & omnis generis Citharæ. Tertii generis sunt quæ digitis aut baccillis, vel ferreâ linguâ pulsantur, & sonum reddunt, ut sunt Crotala, Gnaccari, Systra, tympana, Cymbala, Campanæ.

Ex hisce tribus generibus ad Psalmos modulandos aliquot fuisse assumpta indicat Psalmus ultimus 3. *Laudate eum in sono tubæ, laudate eum in psalterio & citharâ.* Laudate Deum in clangore buccinæ שופר *schophar*, buccina est vel tuba. Pro psalterio & citharâ, quæ sunt Græcæ voces, in fonte nominantur כנור *Kinor* & נבל *Nebel. Laudate eum in tympano & choro, laudate eum in chordis & organo.* : תוף tympanum est instrumentum tertii generis. Adjungitur מחול *Machol*, Græcis Interpretibus, χορὸς, *chorus.* Voce illâ indicitur chorea publica, ad quam canitur tibiâ, & luditur tympano. Etenim מחול *chorus* derivatur à חליל *tibia.* Ibi insuper nominantur מנים *minim* de qua voce incertum, an sit nomen instrumenti, an indicet tantummodo quemdam numerum, puta chordarum; venit enim à מנה numeravit. Significat Psaltes Deum esse laudandum omni instrumentorum specie. Interpres Latinus dicto nomine *minim* cum Græcis videtur intellexisse instrumentum multarum fidium, sive chordarum. *Laudate Deum in chordis.* Organum verò quod nominat, in fonte dicitur עגב; quod in genere est *organum*, sive instrumentum musicum, sic appellatum, quia amabile est ab עגב *hugau adamavit*, ut diximus.

5. *Laudate eum in cymbalis benesonantibus; laudate eum in cymbalis jubilationis.*

Laudate Deum בצלצלי שמע *in cymbalis sonoris.* In fonte *auditus*, id est, *sonoris*, quæ pulsant aures. Indicantur instrumenta, quæ tinniunt, à צלל *tsalal tinnire*; qualia sunt cymbala; nempe ærea vasa, ad formam cymbali conflata, quæ obducebantur pelle animalis, & deinde pulsata plectro instar pistilli, aut virgâ æneâ, aut ferreâ, tinniebant. Differebant illa à tympano, quod quidem pelle animalis obducitur, sed vas est ligneum; ita non tam sonorum. Utrumque instrumentum designat Silius Italicus lib. 17.

Circum arguta cavis tinnitibus æra, simulque
Certabant rauco resonantia tympana pulsu.

Illa cymbala sunt instrumenta tinnientia, qualia quædam polychorda ænea. Videbimus infrà à Paraphraste Chaldæo, quod instrumentum Samuel appellat שלשים *schelosch im* reddi צלצל; in Paralipomenis recenseri cum citharis & nabliis. Adhibebantur cymbala, cùm in signum jucunditatis, sive magnæ lætitiæ, fiebat magnum jubilum תרועה *terongah*, de quâ voce infra sermonem faciemus.

6. *Omnis spiritus laudet Dominum. Alleluia.* הנשמה, *halitus omnis*, nempe id omne quod spirat, debet cantare laudes Domini, à quo accepimus tot beneficia. Dum magnâ commoverentur lætitiâ Hebræi, voce & instrumentis maximum clamorem edebant. In 1. Paralip. 15. ubi David deducit Arcam Dei à domo Obededon in domum suam, inter instrumenta, præter illa, quæ multùm sonora sunt, videlicet cymbala ænea, nablia, citharas, memoratur עלמות *alamoth*, quod nomen ibi Vulgata interpretatur *arcana*, & sic reddit versum vigesimum *in nablis arcana cantabant.* Fons Hebræus: *in nablis super Ha alamoth.* Memoratur & השמינית *hascheminith.* Latinus Interpres reddit: *In citharis pro octavâ canebant epinicion.* Fons Hebræus, *In*

cineroth

cineroth super haschemininth le Natseach. Numerus octo Hebraïcè dicitur שמיני *semini.* Pro instrumento octo chordarum haberi potest; sed illud nomen derivari potest à שמן, quod est *pinguis*, ut haberi possit pro eo quod dicimus *octava*; sive pro pingui & gravi sono.

Præter ista instrumenta, sunt in sacro codice חצוצרות *chatzotzeroth*, id est, tubæ, & מנענעים *Menaaniim*, id est, sistra juxta Vulgatum Interpretem שופר *schophar*, id est, buccina: קרן *Keren*, id est, cornu. His indicabantur festa, ut neomenia, sive novilunium. Psal. 80. *Buccinate in neomenia tuba.* Clangite תקעו, id est, magnum strepitum edite buccinâ, qui tantus erat, si fidem adhibemus Mischnæ, ut usque Jericho perferretur. חצוצרות *chatzotzeroth*, erant tubarum species, longiores buccinis: fiebant non ex cornu, ut buccinæ, sed ex ære, argento, aut ex alia materia, vel etiam ex ligno oblongo, cavo & recto. Ita cùm buccina esset curva, tuba erat extensa; & habebatur nobilior. Ideò inflabatur festo die super holocaustis & victimis pacificis. Neminem latere potest quodlibet instrumentum musicum diversas posse accipere formas. Quam Artemidorus appellat sacram tubam in libro primo de Somniorum interpretatione cap. 58. dicit compositam ex osse, & ex ære; cujus ergo forma multùm diversa erat à nostris tubis. Instrumentum quod Scriptura appellat עגב fuisse jucundum, sive amabile, satis intelligitur ex suo nomine. נבל *nevel, nablum, naula* redditur à Græcis Interpretibus Κιθάρα *cithara*, sæpiùs ψαλτήριον. Itaque erat instrumentum constans fidibus, sive extentis chordis. Sunt tamen inter Hebræos, qui putent fuisse utriculum, vernacule *cornemuse*; etenim נבל *Nevel* est *uter, lagena.* Verùm Josephus in Antiquitatibus suis lib. 5. cap. 10. sic describit hocce instrumentum, ut non fuerit inflabile, sed pulsatile. *Cinyra* Κινύρα, inquit, *decem chordis intenditur, & plectro pulsatur.* Νάβλα *duodecim sonos continet, sed digitis carpitur. Nabla*, sive *Nablum* non itaque forsan discreparet à nostris citharis, & Romanorum lyris quæ pollice tangebantur, ut sequens carmen probat.

Assuetam digitis pollice tange lyram.

Diversas fuisse tympanorum species indè conjectat Bartholoccius, quod post transitum maris rubri, Hebræorum mulieres cum Mariâ canticum Domini cecinerint cum tympanis, Exod. cap. 15. 20. Neque enim verisimile est, inquit, mulieres classica tympana pulsasse, vel pulsare potuisse. Alia ergo majora, alia minora. Nunc pluribus in locis in popularibus lætitiis fit usus circuli lignei, qui unâ parte clauditur membranâ, quæ digitis percussa gratum auribus præbet sonum, Gallicè, *Tambour de Basque.* In libro secundo Samuelis cap. 6. 5. mentio fit plurium instrumentorum musicorum. *David autem & omnis Israël ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, & sistris, & cymbalis.* Ludebat, lætabatur David in lignis abiegnis עצי ברושים *atze beroschim*, nempe ex quibus pleraque instrumenta conficiuntur. Nominantur כנרות *citharæ*, נבלים *lyræ*, תפים *tympana*, præterea מנענעים *Menaaniim*, quæ vox benè à Vulgato Interprete redditur *systrum.* Græci scribunt Σεῖστρον, ἀπὸ τοῦ σείειν, quod est *quatere*, sicut nomen Hebræum *Menaaniim* derivari potest à נוע *nova*, quod idem sonat ac *moveri, agitari.* Systrum erat insigne Isiacorum, ut *cymbalum* Sacerdotum Matris Deæ. Apud Martialem est.

Hæc quatiat tenerâ garrula systra manu.

In sistro erant clavi, sive paxilli, qui dum quatiebatur instrumentum, pulsabantur, & sonum edebant. David 2. Reg. 6. 5. dicitur lusisse *in citharis & lyris, & tympanis, & sistris, & cymbalis.* Tibi, Lector, subjicimus sistri formam. Cymbala in eo loco Scripturæ dicuntur in fonte צלצלים *tzeltzelim*; quod verbum significat *tinnire.* Cymbala multùm tinniunt, quia ærea. In primo Paralipomenorum cap. 15. 19 *in cymbalis æneis concrepantibus.* Primo Samuelis cap. 18. 6. Israëliticæ virgines dicuntur exiisse in occursum Saulis & David, post interfectum Goliath, *in tympanis lætitiæ & in sistris.* In fonte תפים *tympana* & שלשים; pro quo nomine Paraphrastis Chaldaica habet צלצל. Græci interpretati sunt *cymbala*, & Vulgatus *sistra.* Nomen Hebræum שלשים ambiguum est; significat *tribunos* & *duces*, ut in eo loco Samuelis indicet virgines dictas exiisse in occursum Saulis, & Davidis cum præcipuis instrumentis Musices. Attamen satius est hoc nomen interpretari de instrumento trium chordarum שלש *tres.* Lyra antiqua non majori chordarum numero constabat. Talem repertam à Mercurio narrat Diodorus Siculus in libro primo Bibliothecæ, hanc scilicet factam ab eo τρίχορδον, dum vellet imitari tres anni tempestates. Tres enim φθόγγους tonos fecit, acutum, gravem & medium. Acutum ab æstate, gravem ab hyeme, medium à vere desumpsit. Hæc Diodorus. Cernere est in plerisque numismatibus antiquis, formam veteris lyræ; hinc inde surgebant duo brachia curva, juncta secum jugo, cui chordæ illigabantur. Quædam ex illis numismatibus, vides, Lector, in tabula. Unum ex illis ex una parte profert Homerum, ex alterâ fluvium Melem, juxta quem Poëta ille dicitur natus. Fluvius sub senili formâ, alterâ manu urceum effundit, alterâ attingit lyram trichordem. Non alterius formæ exhibetur lyra in nummo Milesiorum, ubi expressus est Apollo citharædus; sicut in alio Neronis, qui stat in scena habitu citharædi. Omitto alios complures nummos, in quibus lyræ sunt omnes trichordes; quales fuisse apud Hebræos tempore Samuelis indicat nomen שלשים.

Postea auctus est chordarum numerus, & facta sunt instrumenta ששנים *sosannim*, id est, sexti-chordia, à שש *schesch.* Undè lilium dicitur ששנים, quod nomen habet à sex suis foliis. Auctus est insuper numerus chordarum lyræ: facta est septichordis. Lucianus in dialogo Apollinis, & Vulcani, videtur primæ lyræ tribuere septem chordas. Hanc ferunt casu adinventam à Mercurio. Ille testudinem mortuam alicubi nactus, ex eâ compegit instrumentum; brachiis adaptatis, & superinducto jugo, deinde calamis infixis, & subjecto hemisphærio (μαγάδιον ὑποθεὶς) ex intentis indè septem chordis, elegantem sonum eduxit. Ibi Benedictus Interpres Luciani μαγάδιον habet pro hemisphærio, Micyllus pro fundo & dorso lyræ; sed μαγάδιον diminutivum μάγαδις, apud Suidam lamina illa lignea repanda super quâ citharæ nervi contenduntur, & eriguntur ad perpendiculum supra μαγάδιον; quâ parte lyra stare poterat erecta in pulpito, & sonabat. Etenim ex Hesychio μαγὰς est ligneum asserculum quadratum.

Mentio fit in titulis Psalmorum שמנית *schemimith*, quod habetur pro instrumento octo chordarum; qui numerus nomine isto exprimitur. Alii aliter illud interpretantur, ut videbimus cùm titulos Psalmorum conabimur illustrare. In Psalmis mentio fit עשור, quod Græci & Latinus Interpres habent pro instrumento decem chordarum. Tot chordas Josephus numerat in *cinyrâ*, & duodecim in *Nablis.* Hæc omnia musica instrumenta solent à Græcis LXX. appellari ψαλτήριον; quod nomen in genere significat instrumentum unum ex illis,

quæ nidibus conſtant. Propriè ψάλλειν eſt nervum ſeu cho dam tangere, à ψάω, id eſt, tango; ita LXX. Interpretes nominaverunt illa inſtrumenta muſica, quæ conſtabant intentis nervis, & quæ David & alii Cantores pulſabant, decantantes ſacra cantica. Sanctus Auguſtinus, & alii Doctores, cùm loquuntur de Pſalterio Davidico; deſcribunt erectum eâ formâ, quâ ſolet David depingi pſallens; eo ferè modo, quo in antiquis nummis Apollo, Arion, & alii muſici utuntur lyra. D. Hieronymus in Epiſtola de inſtrumentis muſicis ad Dardanum, aut quis alius hujus Epiſtolæ auctor, Pſalterium dicit habuiſſe triangularem formam; ita non diſſim le literæ, quam Græci appellant Δ. Videmus in dies permutari formam inſtrumentorum, quorum nunc eſt uſus. Novas fac es ſubire potuerunt illa, quæ nominantur in ſcriptoribus; ideò vera & antiqua eorum forma non poteſt definiri, niſi ſupeiſit in antiquis monumentis. In ſecundo libro Samuelis 6. 5. memorantur ligna fabrefacta in quiqus ludebat, ſive canebat David cùm Arcam deduxit ex domo Abinadab in domum Obededon, *David autem & omnis Iſraël ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris.* In fonte בכל עצי ברושים *bechol etſe berochim.* Heb æis *Beroſch abies* eſt. Per illa ligna fabrefacta intelliguntur omnia inſtrumenta muſica, polychordia, quæ ſolent fieri ex abiete, nempe tum tabula, ſupra quam extenduntur chordæ, tum ipſum concavum corpus, quod huic tabulæ ſubjicitur: faciliùs tremunt tenues ex hoc ligno aſſeres, & ideò reddunt ſonum augentque. Quæ autem fuerit forma horum lignorum fabrefactorum dicere non poſſumus: lyræ, citharæ ſunt ligna fabrefacta; ſed hæc appellatio non dicit eorum formam; ſicut nec nomen *organum*, quod uſurpatur in ſacro codice, tum Græco, tum Latino. ὄργανον Græcis idem ſonat, quod Latinis *inſtrumentum.*

Percurramus loca Scripturæ in quibus mentio fit inſtrumentorum. Plura nominat Iſaias cap. 5. 12. *Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia. & vinum in conviviis veſtris.* In fonte כנור *cinyra*, ſive cithara. נבל *nablum*, ſive lyra. תף *tympanum*, חליל *tibia.* Inſtrumentum חליל *chalil* concavum eſt, & perforatum, à verbo חלל *perforari, perfodi, tripudiare*, ut obſervatum eſt. מחל *machol* ſignificat *chorum*, in quo tibia perſonat. Tibias fuiſſe uſitatas in templo videbimus; de quibus hæc dicit Miſchna codice ערכין *Arachin* cap. 2. *Non utuntur paucioribus quàm duabus* חלילין *chalilin* tibiis, *& non pluribus quàm duodecim; & in die duodecimo anni* חליל *chalil pulſatur coram altari, dum mactatur Paſcha primum, & dum mactatur Paſcha ſecundum: in die feſto primo Paſchatis; & in die feſto* עצרת *atzereth, & in octava ſolemnitatis.* In 3. capite Danielis v. 5. memorantur illa inſtrumenta. *In hora quâ audieritis ſonum tubæ, & fiſtulæ, & citharæ, & ſambucæ, pſalterii, & ſymphoniæ, & univerſi generis Muſicorum, cadentes adorate ſtatuam auream.* Horum nomina ſunt in fonte Chaldæo קרנא *Karna*, id eſt, cornu Hebraïcè קרן. Secundum inſtrumentum eſt משרוקיתא *Maſcrokitha*, id eſt, fiſtula, à ſibilando ſic dicta, שרק *ſibilavit.* Tertium קיתרוס *Kethros*, non diverſum à *citharâ*, ſimile nomen oſtendit. Quartum סבכא *ſabecha*, ſimiliter videtur fuiſſe *ſambuca.* Quintum פסנתרין *Peſantherin*, Pſalterium eſt. Sextum סומפניה *ſumponiah*, Græcum eſt nomen *ſymphonia;* niſi potiùs habeatur pro ſpeciali inſtrumento; neque enim veriſimile eſt tempore Danielis vòces Græcas fuiſſe in uſu apud Chaldæos. In Paraphraſibus eorum quandoque legitur אבובא *Abub* pro tibia, ut in Iſaia

A cap. 5. 12. inde factum eſt אנבוב *anbub* inſerto *n*; quâ voce uſus eſt Horatius lib. 1. Satyrâ 2. & Suetonius in Nerone cap. 27. apud quos videre eſt mulieres *ambubaias*, eſſe tibicinas, ut Acron vetus Interpres Horatii aſtruit. Inſtrumentum quoddam Rabbini celebrant, dictum ab illis מגריפה *Magrepha*, quo magnus edebatur ſonus in Sanctuario. De hocce inſtrumento iterùm loquemur infrà capite ſexto ſectione primâ.

Dum diſſero de tibiis, advertam antiquitùs diverſas fuiſſe earum ſpecies. Quædam conſtabant pluribus calamis; harum inventor Pan dicitur,

Pan primus calamos cerâ conjungere plures
Inſtituit.

B Vario modo inſpirabatur illis ventus.

Unco ſæpè labro calamos percurrit hiantes.

Aliæ Phrygiæ, aliæ Doriæ, aliæ Jonicæ appellabantur. *Si quid flebile & luctuoſum exprimere velimus*, inquit Voſſius in libello de Pœmatum cantu, & de viribus rithmi, *non ſufficit ut ſonus ſit gravis & remiſſus, niſi etiam ſit rarus, & quodammodo hians & fractus. Commodè huic affectui ciendo inſerviebat tibia Phrygia, longa quidem, ſed pertenuis, & lugubrem idcircò edens vocem, præſertim ſi cornu appoſitum haberet. Hymnis verò & Deorum ſacris adhibebatur tibia Doria, & ipſa quoque gravem emittens ſonum, ſed denſum & plenum.* C *Amatoriis & jucundis affectibus explicandis Jonicæ inſerviebant tibiæ, acutam ſimul & raram emittentes vocem. Iracundiam & bellicos motus inducentes, & ipſæ quoque acutum, ſed tamen denſum & plenum formabant ſonum. Denique quot affectibus & motibus humani inquietantur animi, totidem quoque & plura ad expugnandas etiam quaſvis quantumvis refractarias mentes adhibita olim fuere organa.*

Jam breviter dicam de canticorum variis generibus, aut de iis quæ in genere ſpectant illa cantica. Nomen מזמור *Mizmor* primùm animadvertendum, quod ſæpiùs redditur à Græcis ψαλμὸς *Pſalmus*, rarò ᾠδὴ, ab Aquila μελῴδημα. Cùm inſcribatur quibuſ- D dam Pſalmis, videretur genus aliquod cantici. Nomen Hebræum venit ex זמר *zamar*, quod idem ſonat ac *putavit, præcidit;* quia pſalmus eſt oratio in breves conciſa ſententias, ſive quæ conciſis membris conſtat; ideò tali nomine Hebræo ſignificatur; nam Græcum indicat cantilenas eſſe, quæ aptantur citharæ, lyræ, quarum chordæ pollice vel plectro tangebantur. ψάλλω *tango, pulſo*, & *leni quodam motu perſtringo.* Sic dicuntur Muſici ſuas χορδὰς ψάλλειν, citharam pulſare, ut jam diximus.

Non ſatis nota eſt, ſive poëſis, ſive muſica Hebræorum, ut liceat varia diſtinguere canticorum genera. Alia genus ſuum, ſpeciem, ſive nomen proprium accipiebant ab inſtrumentis, quibus Muſici illa cantabant, aut ab ipſis Muſicis; aut à rebus, quæ E Pſalmiſtis præbuerant argumentum; aut à ſolemnitatibus per quas cani ſolebant: quæ diſtinctiones notantur in plurium Pſalmorum titulis. Conſtat numeros poëſeos Hebraïcæ, & modos muſicos Pſalmorum, à ſapientibus Cantoribus adinventos, conveniſſe cum rebus ipſis, & inter inſtrumenta alia aliis fuiſſe aptiora lætitiæ, vel triſtitiæ ſignificandæ. Tibiarum frequens erat uſus in næniis, in planctu, ut videre eſt in Evangelio apud Matthæum cap. 9. ubi advocantur tibicines cùm mortua eſt filia principis, quam Jeſus ſuſcitavit. Tubæ, buccinæ claſſicum canere poſſunt. Diverſi Pſalmi deſiderabant his aut illis cani inſtrumentis; & a certis familiis ex claſſibus Cantorum, qui illos decantare conſueverant, & ideò in illis erant exercitati. Ita non mi-

rum est si designentur instrumenta propria cuique A Psalmo, & idonei Cantores.

In aliquibus Psalmis legitur vox illa שגיון *sigaion*. Nominis hujus origo est שגה *erravit*. Unde volunt esse oden erraticam, id est, mixtam, quæ multiplici cantu poterat decantari, & diversis instrumentis. Crebro occurrit in Psalmis vox סלה *sela*, quam LXX. Græci Interpretes transferunt Διαψάλμα. Quid sit autem *Diapsalma*, non liquet. Variæ sunt sententiæ circa hujus vocis significationem. Alii volunt significari *rithmi*, sive metri *commutationem*. Alii *vicissitudinem canendi*; alii intermissionem spiritûs, juxta sanctum Augustinum ad Psalmum 4 *Diapsalma est interpositum in canendo silentium*. Alii, *alterius sensûs exordium*, alii *rithmi distinctionem*. Alii verò *cujusdam musicæ varietatis silentium*. Hæc Latini Interpretes. De *sela* multas Bibliothecæ suæ paginas complevit Bartholoccius. Colligit Rabbinorum interpretationes diversas. Juxta aliquos *sela* nihil significat, sed tantùm dirigit rationem seu concentum musicum. Erat veluti nota elevandæ, sive attollendæ vocis, quasi à סלל *extulit*, *elevavit*. Etiam deduci posset à סלה *stravit*, *prostravit*, quasi vocis sternendæ, & remittendæ symbolum; notans communem pausam, in quâ voces omnes æquabili & temperato concentu, quasi sternebantur & pausabant, non tam moderatæ respirationis, quàm gravis cujusdam suavitatis causâ. Hæc Kimchius apud Buxtorfium in lexico. Idem Rabbinus notat C *sela* idem significare juxta Jonathanem Paraphrastem quod לעולם *leolam*, id est, *in sæculum*. Aquila Interpres non dissentit. Hieronymus, & universa Synagoga accepit pro *semper*; suas preces claudens quandoque hac voce סלה *sela*. Bartholoccius subjicit omnia Psalmorum loca ubi occurrit, & monstrat his omnibus benè aptari interpretationem *semper*.

Quidquid vox *sela* significet, fuit quæpiam nota, quæ admoneret Cantores quando vox remittenda esset, & interpellandus cantus. Talis nota quovis nomine appellata sit prorsus necessaria erat, quâ carere non poterat musica Hebræorum. Etenim illa aut quælibet alia fiebat observatione certorum intervallorum, quæ distinctè numerantur. In- D ter instrumenta musica recenseri possunt omnia quibus excitatur sonus temperatus, sive capax alicujus numeri; quod experimur etiam in malleis fabrorum, qui cùm numerantur intervalla percussionum, voluptatem pariunt. Non verisimile est in acclamationibus quæ in templo fiebant, tum buccinarum, tum tympanorum, tum cymbalorum, tum omnium musicorum instrumentorum nullam observatam legem. Non audiebantur voces inconditæ, præterquam quod fiebant repetitiones quarumdam pericoparum, ut *quoniam in æternum misericordia ejus*, vel *Alleluia*, sive *laudate Deum*; quæ repetitiones factæ per certa intervalla, modò remissâ, modò contentâ voce, nunc buccinis, nunc tibiis producebant harmoniam, quàm cogitare facile est, ex- E plicare non item.

SECTIO VIII.

Musica templi, quæcumque fuerit, censenda præstantissima. Hebræis debetur origo musicæ, quam Græci tribuunt Pythagoræ.

Bartholoccius in tomo quarto Bibliothecæ Rabbinicæ contendit, Hebræos habuisse accentus quorum diversitate dabatur quædam norma, & proportio, ex qua gratus suavissimusque concentus resultabat. Hos numerat, & propriis distinguit nominibus, sed illi adnumerari possunt punctis, quæ vocalium nunc locum tenent in codice Hebræo Bibliorum; quod Massoretarum inventum est. Antiquitùs quemadmodum sine punctis, ita & sine his accentibus Psalmi, Cantica exarabantur. Musicam Hebræorum parùm notam esse omnes fatentur. Scilicet quomodo apud eos inter se acutæ & graves voces consonarent, & nervorum disparem reddentium sonum fieret concordia, forsan adhuc nos latet. Certè resonabat in templo grata symphonia, licet nostris canticis simplicior; & multò magis illâ commovebantur animi, quos diversitas cantûs cùm in varios trahat affectus, nullis potissimùm incenduntur.

Hîc ostendam originem musicæ deberi Hebræis, & nullo jure à Græcis tribui Pythagoræ. Jubal, ut vidi- B mus, pater est canentium citharâ & organo; igitur noverat diversas symphonias, quas si oportuit discere ex percussione malleorum, habebat coram se fratrem suum malleatorem. Cùm rationem symphoniarum exquireret Pythagoras; *cùmque eum frustra tantæ tamque arcanæ rei diuturna inquisitio fatigaret, fors obtulit*, inquit Macrobius in somnium Scipionis lib. 2. cap. 1. *quod cogitatio alta non reperit. Cùm enim casu præteriret in publico fabri ignitum ferrum ictibus mollientes, in aures ejus malleorum soni certo sibi respondentes ordine repentè ciciderunt: in quibus ita gravitati acumina consonabant, ut utrumque ad audientis sensum statâ dimensione remearet; & ex variis impulsibus unum si-* C *bi consonans nasceretur*. Pythagoras diversos sonos primùm putabat adscribendos fabrorum viribus; sed cùm illi mutassent malleos, & his mutatis sonorum diversitas ab hominibus recedens malleos sequeretur, animadvertit concordiam sonorum ex lege ponderum provenire. Collectisque omnibus numeris, quibus consentiens sibi diversitas ponderum continebatur, reperit symphonias omnes, Diapason, Diatessaron, Diapente, scilicet mallei illi ferrei respondebant his numeris 12, 9, 8, 6, ita ut malleus 12 librarum cum malleo 6 librarum collatus Diapason; malleus 12 librarum cum malleo 9, & malleus 8 cum malleo 6, in epitritâ ratione inventi fuerint, ac proinde verum Diatessaron; mal- D leus autem 9 cum malleo 6, & 12 cum 8, Diapente. Denique malleus 9 cum malleo 8 tonum in sesqui-octavâ ratione efformarint, ut notat Mersennus in Genesim pag. 1514.

Si vera Macrobius scripsit de Pythagora, musicæ auctor censendus est hic Philosophus sed apud Græcos; gloria autem inventionis debetur Jubali, qui multis sæculis præcedebat Pythagoram. Is florebat eo tempore quo Cyrus Babylonem cepit; & ideò cùm in ea urbe Judæi captivi essent, ante Christum natum 538, à templo condito 475; id est, post quingentos annos per quos Hebræi musicam excoluerant, & tot variis & diuturnis exemplis deprehendere potuerant symphonias fidium; quæ tamen, si credimus Macrobio, antea ignorabantur; nam E Pythagoras, ut dicit ille, *ex malleis ad fides vertit examen; & intestina ovium & boum nervos tam variis ponderibus illigatis tetendit, qualia in malleis fuisse didicerat*. Hæc quidem poterat didicisse ex suis per orientales plagas peregrinationibus, ubi occurrebant ubique Judæi, quibuscum commoratus, postea pro suis inventis venditavit, quæ statim ab initio mundi reperta erant. Jubal advertere potuerat leges symphoniarum in malleis, cùm fabri ferrum mollirent; siquidem in eodem loco Geneseos ubi dicitur pater canentium in cithara & organo, protinus additur versu 22. *Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator, & faber in cuncta opera æris & ferri*. Ita plusquàm ter mille annos ante Pythagoram Jubal potuerat experiri, quod Græci de

eo commenti sunt.

Hebræi à Patriarchis, quibus ortum suum debent, artes didicerant, ut diximus. Ipsi auctores Græci fatentur ortas scientias ex orientalibus plagis. Abraham plurimas artes si non adinvenit, saltem percalluit; quas scimus communicasse Ægyptiis, ut dicit Josephus. Scientias & artes sibi notas certè non invidit nepotibus suis, qui ut genus, ita & doctrinam traxêre à parente doctissimo.

Scholas & Academias fuisse primis temporibus Patriarcharum innuit Paraphrastes Chaldæus Uzzielides in Geneseos caput 33. 17 ubi dicitur Jacob venisse in Socoth, & ibi ædificatâ domo fixisse tentoria; quem ideò locum appellavit *Socoth*, id est, *tentoria*. Hunc locum habet ille pro Academia; dicit enim ibi Jacob ædificasse בית מדרשא *Beth midrascha*, id est, *domum doctrinæ*, sive Academiam. Satagebant Patriarchæ acceptam à patribus scientiam tradere filiis. Postquam Moyses instituit Rempublicam, ne quæ communis omnibus foret docendi functio, ab omnibus pariter negligeretur, inquit Jacobus Altingius in historiâ Academiarum in populo Hebræo, Sacerdotibus atque universæ tribui Levi, sacris mysteriis jam ante a Deo destinatæ, hanc curam peculiarem, fecit, ut studiis præessent.

Cùm à temporibus Moysis dictam successionem doctrinæ pertexuisset Altingius: *ad Samuelis ætatem veniam*, inquit, *qui collapsam Ecclesiasticam pariter atque politicam gubernationem feliciter instauravit. Sub illius enim regimine eò usque efflorerunt studia litterarum, ut publica studiosorum collegia diversis in locis extarent. Huic assertioni confirmandæ facit quod Kiriathiearimis, ubi Arca fæderis a Philistæis remissa asservabatur, fuerit* collis Dei *ad institutionem juventutis in ipsius cultu destinatus, quem cœtus Prophetarum, id est, agmen Scribarum, seu studiosorum (qui crebriùs filii Prophetarum appellantur) incolebat. Horum pensum erat musicam exercere, prophetare, hymnos componere in laudem Dei, de quo ibidem erudiebantur.*

Hæc ex viro docto protuli, qui rem diligenter prosecutus est, ut liqueat Hebræos Sacerdotes & Levitas eruditos in musicis fuisse; studia enim sua omnia conferebant ad Deum, ut solerter injunctis muneribus defungerentur. De isto colle Dei supra sermonem fecimus, ad quem Samuel dirigens viam Saulis, aiebat. *Post hæc venies ad collem Dei, ubi est statio Philistinorum: & cùm ingressus fueris ibi urbem, obvium habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tybiam, & citharam, ipsosque prophetantes.* Pro *de excelso*, in Paraphrasi Chaldaïca est *è domo consessûs*, nempe è schola, ubi sedebant Doctores. In secundo capite libri primi Paralipomenorum mentio fit gentis, quæ excoleret literas, & musicam. 55. *Cognationesque scribarum habitantium in Jabes, canentes atque resonantes, & in tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinæi, qui venerunt de calore patris domûs Rechab.* Enumerat scriptor hujus libri *cognationes*, sive familias Scribarum משפחות סופרים scilicet eorum, qui excolerent literas: qui erant doctrinâ imbuti; & ut liquet ex sequentibus, qui egregii erant Musici, quos Latinus Interpres dicit habitasse in urbe Jabes, *canentes, atque resonantes, & in tabernaculis commorantes.* Græcus Interpres habuit verba fontis pro propriis nominibus, quasi fuerint viri, qui dicerentur Θαργαθιὶμ, καὶ Σαμαγαθιὶμ, καὶ Σωχαθιὶμ, *Targasthiim, & samagthiim, & sochatim.* Latinus Interpres, qui ea habuit pro appellativis, deducit תרעתים ex תרועה *clangor, sonus, vociferatio.* שמעתים ex שמועה *auditus, sermo.* Tertium nomen *sochathim* deduxit à סכות *tabernacula.* Scilicet viri qui non habitabant domos, sed vitam agebant sub tentoriis. Duæ autem literæ ש & ס *schin* & *samec* facilè permutantur; ita שוכתים positum pro סוכתים. Nomen illud *sochatim*, ut dixêre Græci, vel *suchatim*, ut expressit Arias Montanus; de viro, qui habitaret in tabernaculo intelligendum esse ostendit, quod addit Scriptura. *Hi sunt Cinai, qui venerunt de calore*, in fonte Hebræo חמת, quod idem ac *calor* sonat, *patris domûs Rechab.* Notum est Rechabitas ex instituto paterno habitasse in tabernaculis; hi autem ut colligitur ex hocce loco musicam colebant. Cognati erant Moysis, ut adstruitur libro Judicum cap. 1, 17. Ita adjungi poterant Levitis, quibuscum licitum illis erat in templo canere. Dum igitur scriptor sacer recenseret familias Leviticas, non prætermisit Cinæos. Unde constare debet Hebræos non caruisse viris à quibus ordinata est musica templi.

Erant, ut vidimus, quatuor millia Cantorum qui distributi sunt in viginti quatuor classes, quarum singulæ serviebant in templo à sabbato in sabbatum. Quæque Cantorum cognatio destinata decantandis his & illis psalmis, voce, vel propriis instrumentis à teneris annis edocta; ut non solùm numero Cantorum, sed & peritiâ antecelleret templi musica. Magnus ejus fuit apparatus; nam Josephus Antiq. lib. 7. cap. 3 narrans quæ fuerint parata à Salomone supellectilia templi, ita scribit *Stolas autem Sacerdotales è bysso fieri curavit, cum decies mille zonis purpureis, & tubarum quales Moyses præscripsit, ducenta millia. Instrumentorum præterea musicorum, quæ Nabla & Cynyra vocantur, in usum hymnodiarum, ex electro confecit quadraginta millia.* In eo numero non comprehendit Josephus instrumenta quæ inflantur, ut tibias, fistulas, & quæ pulsantur, ut tympana & cymbala. Quid autem erat illud ἠλέκτρον *electrum* ex quo conflata naula & cynyræ, id est, lyræ, citharæ? In lexicis Græcis ἤλεκτρος vel ἤλεκτρον juxta Plinium erat metallum factum ex mixtura auri & argenti. Ex hoc electro potuit Salomon conflare tubas & alia instrumenta, quæ tinniunt. Verùm citharas & lyras faciendas curavit ex lignis pretiosis, quæ ei adducta fuerant è regione Ophir, ut narratur in tertio Regum cap. 10. 11. *Sed & classis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit de Ophir ligna thyina multa nimis & gemmas pretiosas.* 12. *Fecitque Rex de lignis thyinis fulcra domûs Domini, & domûs Regiæ, & citharas, & lyras Cantoribus. Non sunt allata hujuscemodi ligna thyina, neque visa usque in præsentem diem.* Ista ligna dicuntur in fonte in 3. Regum אלמגים *almughim*, & in Paralipomenis אלגמים *algumim.* Græci Interpretes appellant ligna πελεκητά, id est, quæ dolari & expoliri possunt, qualia sunt illa, quæ ex India ad nos deferuntur. Vulgatus dixit ligna thyina, Græcè ξύλον θύϊνον, quod numeratur in Apocalypsi cap. 18. 12 inter merces pretiosas. Ligna θύϊνα erant odorata, & ad suffimenta apta. Ex his lignis Indicis hodie ex parte aut conflantur aut ornantur pleraque instrumenta musica.

Templi musicam apud omnes ad quos fama ejus pervenerat, in multo habitam pretio, ostendunt verba Psalmi 136. Babylonii postulabant à captivis Judæis ut cantica sua coram eis canerent. 1. *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus: cùm recordaremur Sion.* Cujus urbis memoriam & desiderium renovabant interrogationes Babyloniorum; ideò tristes sedebamus juxta Euphratem, & Euphratis alveos.

2. *In salicibus in medio ejus: suspendimus organa nostra.* כנורותינו *Kinnorothenu* citharas nostras; quia has pulsare ob mærorem non poteramus. For-

ſani illi erant Levitæ, ex numero Cantorum, qui hocce inſtrumento ſolebant uti. Coram viris profanis pulſare citharas nolebant; ideo ſuſpenderant.

3. *Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum; & qui abduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion.*

Voluerunt audire Babylonii, à quibus Judæi captivi facti ſunt, modum pſallendi in noſtris ſacris; & urgebant, ſed renuebamus. *Oblivioni detur dextera mea*, ſi unquam pulſem citharam, *Adhæreat lingua mea faucibus meis*, ſi unquam canam coram profanâ gente. Decebat muſica domum Dei; in quâ omni ratione quâ fieri poteſt, Deus laudandus eſt. Id obſervatum eſt in omnibus templis circa aras; undè teſtudo, ſive lyra dicitur *amica templis*. Horat. lib. 3. Ode 11. Videre eſt apud Ciceronem in Oratione ſecunda pro lege Agrariâ, hoſtias majores ad tibicinem immolatas. Hoc innuit Seneca Tragœdus in Troadibus.

Nunc omne latâ fronde veletur caput,
Sacrifica dulces tibia effundat modos;
Et nivea magnas victima ante aras cadat.

Sic Plautus Epid. Act. sc. 3.

Mane me juſſit ſenex
Conducere aliquem ſibi fidicinem huc domum
Dum rem divinam faceret, cantaret ſibi.

Ratio aperta eſt; quam reddit Cicero in tertio de Oratore *Nihil eſt autem*, inquit, *tam cognatum mentibus noſtris, quàm numeri atque voces: quibus & excitamur, & incendimur; & lenimur, & langueſcimus, & ad hilaritatem, & ad triſtitiam ſæpè deducimur: quorum illa ſumma vis carminibus eſt aptior & cantibus, non neglecta, ut mihi videtur, à Numa Rege doctiſſimo, majoribuſque noſtris, ut epularum ſolemnium fides, & tibiæ, ſaliorumque verſus indicant.*

Supponit Macrobius lib. 2. in ſomnium Scipionis cap. 3. cælos motu ſuo mirabilem cantûs conficere harmoniam: quod *Theologi comprobantes*, inquit ille, *ſonos muſicos ſacrificiis adhibuerunt, qui apud alios lyrâ, vel citharâ, apud nonnullos tibiis, aliiſve muſicis inſtrumentis fieri ſolebant.* Indè cauſam reddit Macrobius cur tantam vim in animos haberet muſica. *Nam ideò in hac vita omnis anima muſicis ſonis capitur, ut non ſolùm, qui ſunt habitu cultiores, verùm univerſæ quoque barbaræ nationes cantus, quibus vel ad ardorem virtutis animentur, vel ad mollitiem voluptatis reſolvantur, exerceant, quia anima in corpus defert memoriam muſicæ, cujus in cælo fuit conſcia.* Supponit animam ortum ducere è cælo, quod incoluerit antequàm detruderetur in terras. *Et ita delinimentis cantici occupatur, ut nullum ſit tam immite, tam aſperum pectus, quod non oblectamentorum talium teneatur affectu. Hinc æſtimo & Orphei vel Amphionis fabulam, quorum alter animalia ratione carentia, alter ſaxa quoque trahere cantibus referebantur, ſumpſiſſe principium: quia primi fortè gentes vel ſine rationis cultu barbaras, vel ſaxi inſtar nullo affectu mobiles, ad ſenſum voluptatis canendo traxerunt. Ita denique omnis habitus animæ cantibus gubernatur, ut & ad bellum progreſſui, & item receptui canatur cantu, & excitante & rurſus ſedante virtutem. Dat ſomnos, adimitque; nec non curas & immittit & retrahit, iram ſuggerit, clementiam ſuadet, corporum quoque morbis medetur.*

Cognationem habent numeri, cum affectibus corporeis, quibus ſunt affines; nempe corporis motibus reſpondent incorporei in anima motus. Alius eſt ſanguinis motus in iracundia, alius in gaudio; ſic affectus poſſunt excitari aut renovari ſimilibus motibus. Sonus placidior movet ad miſericordiam, commotior ad iram. Pendet autem ex induſtria tum fidicinum, tum tibicinum, ſonos acutiores vel graviores edere. Gravior eſt ſonus, puta in fidibus, cùm nervorum pars longior pinſitur, & motus fit tardior: qui fieret celerior, ſi pars minor nervorum attingeretur. Igitur penes muſicos eſt quos velint edere ſonos, ſive motus, cuique affectui concordes; ſive fieri poteſt ut adjuncta inſtrumenta muſica etiam recitandis ſermonibus, metrorum lege ſolutis, congrua ſint. In tertio de Oratore adſtruit Cicero Gracchum, dum concionaretur, habuiſſe tibicinem peritum, qui ſtaret occultè poſt ipſum, inflans tibiam, ut cantu illum aut excitaret, aut à contentione revocaret. Vocis cum inſtrumentis muſicis conjunctio uſitata fuit, ut verſus ille Virgilianus indicat.

Tu calamos inflare leves: ego dicere verſus.

Viri Prophetæ, à quibus verba Pſalmorum contexta ſunt, & rithmis vincta, adhibebant eam artem ut Pſalmi eorum audiri non poſſent, quin commoverent animum omnibus affectibus, quibus decebat tum ipſos Cantores, tum Iſraëlitas ſingulos commoveri. Sic pro tempore, pro conditione, pro ſtatu rerum, videlicet in afflictionibus, ubi Deus iratus erat, videretur muſica templi lugere; in acceptis beneficiis, hilareſcere, lætari: in enarratione operum Dei, attolli, & admirari. Hæc experiremur ſi, ut habemus verba Pſalmorum, pariter teneremus numeros quibus illi tum pronuntiabantur; tum cantabantur.

Quanta vis erat tot Cantorum, tot inſtrumentorum, in eundem modum concinentium, ſine illis muſices hodiernis figuris, quæ quidem multùm placent auribus, ſed amittunt vim ſuam, ut cibi nimiâ arte conditi, proprium ſaporem? Antiqua muſica ſimplicior ſimul & efficacior fuit. Non prætermittendum inſtrumenta muſices templi conflata in aliquem peculiarem modum, ut ſcilicet redderent ſonum, aut triſtem aut lætum. Hoc olim obſervabatur, quod narrat Pauſanias in Beoticis de Pronomo tibicine. *Cùm diverſæ eſſent ob diverſa modorum genera tibiæ, & non iiſdem omninò Dorii, Lydii, Phrygii modi incinerentur, primus ejuſmodi tibias excogitavit, quæ inflatæ modos omnes eadem redderent.*

SECTIO IX.

An ſoli Levitæ canerent in templo? His adjungebantur Rechabitæ. Quo in loco ſtarent Cantores? Quo ordine, quibus temporibus ſacra cantica decantarent.

NEc virgines, nec mulieres admiſſas inter Levitas ad cantandum vidimus: an cæteris Iſraëlitis qui non erant de proſapia Cantorum liceret in templo cantare quæritur. Modò vidimus inter Cantores familiam Rechabitarum eſſe numeratam, Moyſis enim cùm cognati eſſent, ſic pertinebant ad Leviticam gentem; id autem non cæteris Iſraëlitis conceſſum. Joſephus lib. 20. Antiquit. cap. 8. dicit ſub Rege Agrippa conceſſum Levitis omnibus, qui in templo miniſtrabant, ſacros hymnos diſcere procul dubio ut decantarent; nam lectio Pſalmorum nulli prohibita erat. Interpres Latinus hanc in partem accepit verba Græca Ὁ βασιλεὺς μετὰ γνώμης τῶν εἰς τὸ συνέδριον ἐπιχειρηθέντων συνεχώρησε τοῖς ὑμνῳδοῖς ἀποθεμένους τὴν προτέραν ἐσθῆτα, φορεῖν λινῆν οἵαν ἠθέλησαν. Μέρος δέ τι τῆς φυλῆς λειτουργοῦντος κατὰ τὸ ἱερὸν, καὶ τούτοις ἐπέτρεψε τοὺς ὕμνους ἐκμαθεῖν ὡς παρεκάλουν. Πάντα δ' ἦν ἐναντία ταῦτα τοῖς πατρίοις, ὧν παραβαθέντων,

A *σὺν ἐν λευκῶν μὲν ἔχει δίκαιος ὑπηρέτειν. Rex de synedrii sententia permisit hymnorum Cantoribus, ut deposito priore habitu, lineum, ut voluerunt, sumerent. Aliam etiam ejusdem tribûs partem, addictam templi ministeriis, ipsorum precibus motus permisit sacros hymnos canendos ediscere. Quæ omnia fiebant contra instituta legis patriæ, nunquam absque piaculo violatæ.* Si non omnibus Levitis, nedum laicis, sive cæteris Israëlitis licitum erat canere in templo; ita non nisi viris peritis & exercitatis: quapropter omnia sine confusione fiebant. Attamen alia est Rabbinorum sententia: Maimonides in Kele hamikdasch c. 3. inter Cantores ponit primùm Levitas, deinde Israëlitas illustres, qui affinitate juncti erant cum Sacerdotibus. *Nemo enim*, inquit ille Rabbinus, *in pluteum Can-* B *torum ire poterat, nisi vir illustris.*

Sacrdotum proprium munus erat tubas inflare; ut in Numeris adstruitur cap. 10. 8 *Filii autem Aaron Sacerdotes clangent tubis: eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris.* In Ecclesiastico, sive in Sapientia Sirach cap. 47. inter laudes Davidis ponitur quod cantum ordinaverit, & elegerit Cantores, & statuerit suo loco 11. *Et stare fecit Cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos.* 12. *Et dedit in celebrationibus decus, & ornavit tempora usque ad consummationem vitæ, ut laudarent nomen sanctum Domini, & amplificarent mane Dei sanctitatem.* Irrepsit in versionem Latinam nomen *vitæ*, quod abest à fonte ἔδωκεν ἐν ἑορταῖς εὐπρέπειαν, id est, C curavit ut festis diebus omnia fierent decorè, καὶ ἐκόσμησεν καιροὺς μέχρι συντελείας. *Ordinavit tempora usque ad consummationem.* Intelligo sic eum ordinasse ministerium Cantorum ut singuli vicibus certis suo fungerentur munere, & unus post alium, sive una classis post alteram impleret ministerium, donec vices recurrerent. Ita consummatio συντέλεια, ibi est orbis omnium classium; in quas distributi Cantores, ut laudarent Deum ἐν τῷ αἰνεῖν αὐτοὺς τὸ ἅγιον ὄνομα αὐτοῦ καὶ ἀπὸ πρωΐας ἠχεῖν τὸ ἁγίασμα; id est, mane laudibus efferrent nomen sanctum Dei; non quòd tantùm manè canerent, sed quòd manè inciperent canere.

Locum in quo canerent Levitæ juxta Thalmudicos indicavimus in descriptione Thalmudica templi. Erat juxta Regem, vel ad manum Regis, nem- D pe ad portam orientalem atrii Sacerdotum. Ibi Thalmudistæ collocant suggestum & pluteos Cantorum. Congruebat iste locus; decebat enim proximos esse altari, ne viderentur alteri quàm Deo canere. In primo Paralipomenorum 25. 2. dicitur Asaph unum è principibus Cantorum fuisse juxta Regem. In fonte *ad manum Regis*; quod convenit loco in quo statuimus Cantores juxta thronum Regis, qui erat coram altari erectus.

Jam innuimus certis familiis demandata certa musices instrumenta, in quibus ergo pulsandis à teneris unguiculis erant exercitati. Id colligitur ex cap. 25. libri 1. Paralipomenorum 1. *Igitur David & magistratus exercitûs segregaverunt in ministerium fi-* E *lios Asaph, & Heman, & Idithun: qui prophetarent in citharis, & psalteriis, & cymbalis, secundùm numerum suum dedicato sibi officio servientes.* Qui modos adhiberent propheticis carminibus convenientes.

2. *De filiis Asaph: Zacchur, & Joseph, & Nathania, & Asarela, filii Asaph: sub manu Asaph prophetantes juxta Regem.*

3. *Porrò Idithun: filii Idithun, Godolias, Sori, Jeseias, & Hasabias, & Mathathias, sex sub manu patris sui Idithun, qui in cithara prophetabat super confitentes, & laudantes Dominum.*

Hi (quæ clarior interpretatio videtur) citharâ cantabant Psalmos, qui in Hebræo fonte ab his A verbis incipiunt, הודו *hodu*, id est, *confitemini*; & *Halleluia*, id est, *laudate Deum.*

4. *Heman quoque: filii Heman, Boccias, Mathanias, Oziel, Subuel, Jerimoth, Hananias, Hanani, Eliatha, &c.*

5. *Omnes isti filii Heman Videntis Regis in sermonibus Dei, ut exaltaret cornu, &c.*

Heman & ipse est Videns, sive Propheta Regis nempe vir peritus musices; quem David adhibebat *in sermonibus Dei*; in rebus gestis Dei, ubi enarranda mirabilia facta ejus, & efferenda laudibus; *ut exaltarent cornu*, Dei potentiam, & regni Davidici robur. Tunc sonorâ magis, &, ut ita dicam, fortiori opus erat musice; undè vox tubis attollenda; quod dicitur 2. Paralip. cap. 5. ubi enarratur B quam solemni pompâ Salomon induxerit Arcam in templum.

12. *Tam Levitæ quàm Cantores, id est, & qui sub Asaph erant, & qui sub Eman, & qui sub Idithun, filii & fratres eorum, vestiti byssinis, cymbalis, & psalteriis, & citharis concrepabant, stantes ad orientalem plagam altaris, & cum eis Sacerdotes centum viginti canentes tubis.*

Fons meliùs redditus esset: *Et Levitæ Cantores universi, & qui sub Asaph, &c.* Agitur hîc enim de Cantoribus, qui omnes erant Levitæ. Stabant illi in loco, quem eis modò assignavimus, coram altari, juxta thronum Regis ad portam orientalem atrii. Sacerdotes tubas inflâbant, dum Cantores pul- C sabant citharas, nablia, cymbala.

13. *Igitur cunctis pariter & tubis, & voce, & cymbalis, & organis, & diversi generis musicorum concinentibus, & vocem in sublime tollentibus, longè sonitus audiebatur, ita ut cùm Dominum laudare cœpissent, & dicere: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus: impleretur domus Dei nube.*

Hisce verbis Maimonides in tractatu de apparatu templi, capite tertio sic explicat Cantorum munera. « Jam singulis quidem diebus in suggesto non consistebant pauciores quàm duodecim Levitæ, « qui carmen ad rem divinam concinerent, sed his « sine fine poterant adjungi. Hi quidem carmen non « D canebant nisi voce: etenim præcipuus est in mi- « nisterio sancto vocum cantus; verùm astabant ibi- « dem alii, qui fidibus canerent. Horum erant alii « Levitæ, alii genere clari Israëlitæ, qui Sacerdo- « tibus collocarent filias. Nam in suggestum ascen- « debat nemo, nisi claro genere natus. Jam qui fidi- « bus canebant, his non poterat duodecim illorum « voce canentium absolvi numerus. Pergit loqui « Maimonides. Quibus igitur fidibus utebantur? « Nabliis, tibiis, citharis, tubis, & cymbalis. Na- « blia nec pauciora duobus, nec plura sex. Neque « pauciores duabus, neque plures duodecim tibiæ: « tubæ non pauciores duabus, nec plures quàm cen- « tum & viginti: citharæ non pauciores quàm no- « vem; sed augebantur ad infinitum: cymbalum ad- « E hibebatur duntaxat unum. «

His omnibus parem fidem non habeo. Ligfootius ex Thalmude dicit Cantores unumquemque Psalmorum divisisse in tres partes, inter quas faciebant pausas non breves. Tunc pariter cessabant voces & instrumenta, nempe nablia, citharæ, tibiæ; per hæc intervalla tubæ canebant. *In unaquaque pausa*, ut dicitur in Thalmude, *erat sonitus tubæ, & ad unumquemque sonitum prostratio.* Videlicet populus prosternebat se humi, Deum adorans. Tres autem tubæ sonitus distinguntur à Judæis. Primùm erat unius tenoris & longus; deinde fractus & tremulus; tum iterùm longus & uniformis sonitus. Non admiscebatur tuba canticis dum cantarentur, nisi in

dictis vociferationibus; ita non Levitæ uti solebant tubâ, sed soli Sacerdotes. Tuba autem singulis diebus ter audiebatur, cùm aperirentur atriorum portæ; novies in oblatione matutina, & novies in vespertina. Quibusdam verò diebus erant peculiares Psalmi & cantus, inter quos & audiebantur tubæ, ut diximus. Ligfootius ex Thalmude & aliis libris Judæorum notat qui canerentur Psalmi unâquaque hebdomadis die.: Maimonides quibus diebus tuba personaret, & canerent tibiæ. » Cunctis diebus solemnibus, & calendis, ad rem divinam Sacerdotes tubis clangebant, & canebant Levitæ carmen, quod à lege dicitur, Num. capite 10. v. 10. Si quando habebitis epulum & dies festos, & calendas, canetis tubis. De tuba in libris Judæorum hæc observare est. Omninò duodenis in anno diebus ad aram tibiis canebant: ad immolationem Paschatis primi, ad immolationem Paschatis secundi, ad primam feriam solemnitatis Paschatis, ad primam feriam solemnitatis hebdomadarum, & per octo dies solemnes scenopegiorum. Atque hæc quidem adhibebatur tibia contra legem de sabbato: pertinebat enim ad sacrificium; quicquid autem ad sacrificium pertinebat, pro sacrificio ipso putabatur. Sacrificium autem de sabbato legem elevat. Videntur Judæi tibiam pro profano instrumento habuisse, quia adhibebatur funeribus, & tibicines conducebantur, qui in illis canerent; ita inter operarios numerabantur.

SECTIO X.

A quibus auctoribus compositi Psalmi & quâ occasione. A quibus Cantoribus decantati, quibusve instrumentis musices. Hæc omnia indicant tituli Psalmorum, sed hi tituli non sunt omnes certæ auctoritatis.

REstat ut lucem aliquam afferamus titulis Psalmorum, neque enim nisi ipse qui sit vir Propheta, omnem ab illis caliginem removerit. Sanctus Augustinus eos habet pro parte codicis sacri, & credit dictatos à Spiritu sancto, sic tamen de illis loquitur Psalmo 89. *Non ergo consonat Psalmus titulo suo; & aliud portat in fronte, aliud in voce. Imò nihil aliud, sed intellectores quærit.* Sanctus Doctor & alii omnes fatentur hos titulos esse obscurissimos. Distingunt autem eos, qui leguntur in Bibliis Hebraïcis, hos credunt à Spiritu sancto dictatos; alios non item. Alii alia sentiunt, sed inter omnes Orthodoxos convenit nullâ Ecclesiasticâ lege vetitum disputare de hisce titulis, & de rebus quas continent. Indicant hi tituli, à quibus Psalmus scriptus sit, aut decantatus & quibuscum instrumentis quæ scire non multùm interest. Quid meâ refert, inquit Theodoretus, an omnes Davidis, an aliorum nonnulli sint, cùm universos Spiritûs sancti afflatu conscriptos fuisse compertum sit. Hîc dicere possumus quod Gregorius magnus de libro Job. Sunt qui disputant an auctorem habeat ipsum Job, an alium. *Cùm ergo rem cognoscimus*, ait Gregorius, *ejusque rei Spiritum sanctum auctorem tenemus, qui scriptorem quærimus, quid aliud agimus: nisi legentes literas de calamo perscrutamur?* Constat, si non omnes, saltem plurimos Psalmos à Davide scriptos fuisse; undè huic totus Psalmorum liber tribuitur. Appellatur egregius Psaltes Israël in secundo Samuelis cap. 23. 2. Christus Dominus apud Matthæum capite 22. allegans locum Psalmi 109. facit hujus auctorem Davidem; cui & Act. cap. 2. 25. tribuitur Psalmus 15. sed nullibi ita adstruitur auctor omnium, ut alteri saltem aliquem tribuere non

A liceat Sicut ergo præter Psalmos Davidis, plura alia Cantica, puta Moysis, & sororis ejus Mariæ, Deboræ, Annæ, quæ Samuelis fuit mater, fuerant cantata temporibus hujusce Regis; sic post eum alia carmina, quæ diversi auctores composuerant, fuêre in librum Psalmorum relata. Ex hoc numero censentur, qui sunt sine titulo, & velut ἀνώνυμοι. Sanctus Hilarius dicit librum Psalmorum constare diversis Prophetiis diversorum auctorum & temporum, quas collegerunt qui res Regum gestas mandaverunt literis. B. Hieronymus ad Sophronium scribit Psalmos omnes eorum auctorum esse, qui ponuntur in titulis, Davidis scilicet, Asaph, & Idithun filiorum Core, Eman Ezrahitæ, Moysis, &

B Salomonis, & reliquorum quos Esdras in primo volumine comprehendit. Moysis nomine Psalmus 89. Salomonis 71. inscribitur. Plures Asaph 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. Præfigitur nomen Idithun Psalmis 38. 61. Idithun, ut innui, non distinguendus ab Ethan, cujus nomen præfert Psalmus 88. Unus Psalmus 87. inscribitur nomine Eman; ex quo ostendam prognatos, qui appellantur filii Core, quorum legitur nomen in titulo sequentium Psalmorum 41. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 83. 84. 86 87. Horum autem Psalmorum nec Asaph, nec Idithun, nec Eman fuisse auctores, sed præcentores putat Ambrosius; & adstruit de Psalmo 38. juxta Græcos, cujus titulus est, *in finem* ipsi Idithun canticum David. « Hunc inquit Ambrosius,

C Psalmum David scripsit, & Idithun viro disciplinis Leviticis & Sacerdotalibus erudito canendum dedit; qui ante Arcam Domini Psalmorum seriem pangendi solertissimus præcinebat. Ergo quia non Idithun scripsit hunc Psalmum, sed Propheta David & Idithun viro canendi perito psallendum dedit: ideò sic inscriptus est titulus. «

Tres fuisse Cantorum principes constat, nempe Asaph, Idithun, & Heman, quorum filii divisi sunt in viginti quatuor classes. Sæpiùs mentio fit Ethan, sed, ut dixi, Idithun, & Ethan idem Cantor est. In capite 15 primi Paralipomenorum 17. *Constituerunt que Levitas Heman filium Joel, & de fratribus ejus, Asaph filium Barachiæ: de filiis verò*

D *Merari, fratribus eorum Ethan filium Casaiæ.* & postea 19 *Porrò Cantores Heman, Asaph, & Ethan in cymbalis æneis concrepantes.* Ibi non nominatur Idithun inter principes Cantorum, sed nec Ethan alio in loco. Nominantur, inquam, Asaph, Heman, & Idithun. Præterea tres familiæ Leviticæ, Meraritarum, Gersonitarum, Caathitarum habuêre una quæque suum Cantorum principem. Caathitæ habuerunt Heman, Gersonitæ Asaph, Meraritæ Ethan. Quod ergo ostendit Ethanem non esse distinguendum ab Idithun, quæ duo nomina non diversa sunt; nam ידיתון *Idithun*, positum videtur pro יד איתן *Jad Ethan*, id est, *manus Ethan.* Sæpiùs occurrit illa locutio *per manus Asaph*; undè ex *Jad Ethan* factum est Idithun

E In titulis plurium Psalmorum occurrit nomen *filiorum Core.* Filios Core puto poni pro Hemanitis, sive filiis Heman, qui in primo Paralipomenorum cap. 6. 38. numerantur inter posteros Core; quem cùm terra aperto ore suo devorasset: *factum est grande miraculum ut Core pereunte, filii ejus non perirent.* Num. cap 26. 11. Illi autem videntur evasisse in Musicos præstantissimos; dicitur enim in 2. Paralip. cap. 20. 19. *Porrò Levitæ de filiis Caath, & de filiis Core, laudabant Dominum Deum Israël voce magnâ, in excelsum.* Intelligo hos Levitas qui erant ex familia Caath, & ex filiis Core; ut ex Caathitis qui electi sunt in Cantores, ducerent ortum ex filiis Core. Amat Scriptura in memoriam

revocare celebria facinora, ſive mala, ſive bona fuerint; ita Cantores, quorum princeps fuit Heman, ſæpiùs appellat filios Core.

Hæc dicere poſſumus de Pſalmorum auctoribus, quos eorum tituli præferunt. Præter nomina autem auctorum, & Cantorum, ſpeciem cantionis tituli Pſalmorum interdum indicant. Gatakerus Anglus peritiſſimus obſervat in *Cinno ſuo* cap. 10. generatim hymnos alios altâ voce, alios ad organa muſica decantari ſolitos fuiſſe. Illos appellari שירים *ſchirim* ᾠδὰς, ἄσματα, *cantica, cantilenas*; hos verò מזמרים *mizmorim*, ψαλμοὺς Pſalmos, quales ſunt plurimi. Paulus ſcribens ad Coloſſenſes, diſtinguit cap. 3. 16. Νουθετοῦντες ἑαυτοὺς, ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς. *Commonentes voſmetipſos pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus.* Odæ ore, voce canebantur; Pſalmi inſtrumentis. Deinde cenſet Gatakerus ex Pſalmis decantatos alios vocibus prælatis; ita nempe ut in ſingulis verſiculis decantandis voces præirent, organa ſequerentur; undè שיר מזמור *ſchir mizmor*, quaſi dicas *oda pſalmi*, ut legitur in Pſalmis 29. 66. 67. 68. 75. 87. Alii organis prælatis cantabantur; ut hæc præirent, voces ſequerentur, ut מזמור שיר *mizmor ſchir*. Præit vox Pſalmi, ut in Pſalmo 47. Indè quidam hymni apud Græcos Poëtas dicebantur in cithara regnantes; nempe quando primùm pulſabatur cithara, deinde cantilenæ cantabantur.

Priuſquàm ultrà progrediar, pauliſper morabor circa vocem למנצח *lamenatzeach*, quæ ſæpiùs Pſalmis præſcribitur. Aquila & Theodotion verterunt τῷ νικοποιῷ, *ei qui victoriam præbet*; quaſi fuerint hymni εὐχαριστικοί, ſive in gratiarum actionem. Apud Symmachum eſt ἐπινίκιος ᾠδὴ, quæ canitur ob partam victoriam, canticum triumphale. Sed argumentum Pſalmorum in quibus dicta vox occurrit, hanc interpretationem refellit. Verbum נצח *natzach* ſonat quidem idem ac *vicit, ſuperavit, præfuit, urſit*, unde participium מנצח *menatzeach, victor, præfectus*, reddi poteſt. Ille ſcilicet qui muſicam curaret, regeret, magiſter eſſet ſymphoniæ, ſive excellentiſſimus Muſicus. In 1. Paralip. cap 23. 4. & in 2. Paralip. cap. 2. 18. מנצחים *menatzechim* apud LXX. Interpretes ἐργοδιῶκται, qui opus urgebant, operi inſtabant, curabant, ut diligenter fieret. In capite ſexto Danielis verbum illud in hac ſignificatione uſurpatur. Quia autem נצח *netzech* ſignificat *æternitatem*, quaſi omnia vincentem, idcircò LXX. ſolent *lamenatzeach* reddere εἰς τέλος *in finem*; quaſi Pſalmi, qui habent hunc titulum, eſſent perpetuò canendi, ſive eſſent carmen perpetuum. Dicta vox præmittitur multis Pſalmis, quibus & nomen Davidis præponitur, qui non fuit præcentor, ſive præfectus ſymphoniæ Non liquet quæ harum diverſarum interpretationum magis probanda ſit. Jam innui Aſaph, Heman, & Ethan, ſive Idithun non ſolùm cecíniſſe, ſed & forſan adinveniſſe modos muſicos, quos aptaverunt hymnis David; aut his ille hymnos ſuos. Sed modi quidam potuère eſſe difficiliores; qui ergo non canerentur niſi à viro muſico, qui vinceret cæteros peritiâ, aut à magiſtro ſymphoniæ. Pſalmis & præfigitur hæc vox משכיל *maſechil*. Id eſt, *intelligens, prudens*; ut illi Pſalmi habendi ſint pro carmine erudiente, pro Ode didaſcalias. LXX. interpretantur συνέσεως *intellectûs*. Nomen ergo illud admonet Pſalmum plenum eſſe eruditione, doctrinâ inſigni, & utili; vel non cantari potuiſſe niſi à peritioribus Muſicis. Sunt qui volunt *maſechil* eſſe nomen inſtrumenti, ſed ſine fundamento.

Quandoque titulis Pſalmorum deſignatur, quibus decantarentur inſtrumentis. Ita in quarto Pſalmo למנצח בנגינות מזמור לדוד *lamenatzeach bineghinoth mizmor le David*. Illud *neghinoth* indicat inſtrumenta, quæ manu, vel bacillis, aut plectro pulſabantur; a verbo נגן, quod idem eſt ac *pulſare*. Alia conſtabant ex tribus chordis, quæ dicebantur שלישים *ſchelíſchim*, trichorda: alia ex ſex, ideò dicta ששנים *ſoſannim*, id eſt hexachorda, ex שש ſex: alia octo chorda שמינית ſcheminith שמנה, idem ſonat ac octo, שמיני octavus, indè שמינית *ſcheminith*. Has voces, ſenes Græci quandoque interpretantur. In Pſalmo 45. *lamenatzeach*. על ששנים *al ſoſannim*, id eſt, ſuper *ſoſannim*, ſive ſuper hexachordum, vertunt ὑπὲρ τῶν ἀλλοιωθησομένων, pro his qui commutabuntur. Scilicet legerunt ששונים à שנה *mutari, variari*. Reipsâ lilia dicuntur ab Hebræis *ſoſannim*, propter ſex folia, quibus conſtant flores eorum; Pſalmum ſic inſcriptum volunt, quia decantabatur, cùm florerent lilia. & omnia læta eſſent; ut ſit amabile carmen. In fonte additur titulo שיר ידידת *ſchir jedidoth*, id eſt, *canticum amorum*. Simmachus ᾆσμα εἰς τὸν ἀγαπητόν. Totum titulum ſic verterat Interpres, *Triumphus pro floribus filiorum Core intelligentiæ.* Dici poteſt canticum in dilectum. Certe nuptiale carmen eſt, hicce Pſalmus juxta Hebræos 45. juxta Græcos 44. Veriſimile autem eſt *ſoſannim* non accipiendum pro liliis, aut alio quocumque flore, ſed pro hexachordo; ſicut in Pſalmo 49. Pariter de inſtrumento muſico interpretor titulum Pſalmi 6. על שמינית *al ſcheminith*, id eſt, ſuper octachordo. Verùm quia LXX. Græci vertunt ὑπὲρ τῆς ὀγδόης, *ſuper octavâ*, ſunt qui velint non indicari inſtrumentum, in quo eſſent intentæ octo chordæ; ſed tonum, qui à Muſicis appellatur *diapaſon*; octavum vocis diſcrimen dici poteſt, ut vidimus ſuprà. Nomen Hebræum שמינית deducunt à שמן *oleum*, ſive quod pingue eſt; ita ut tonus ille ſic dicatur, quia pinguis eſt, ſive *ſubmiſſus*, ut dicitur. Paraphraſtes verò Chaldæus habet *ſcheminith* pro inſtrumento octo fidium. Non diffitear in titulis Pſalmorum indicatum tonum, qui conveniebat eorum argumento, gravis, vel acutus. In hunc ſenſum plerique accipiunt nomen עלמות *alamoth*, quod legere eſt in titulo Pſalmi 46. qui dicitur cantandus על עלמות *al alamoth*. Interpretes, prout illud derivant ab hac & illâ origine, diverſimodè reddunt. Græci ὑπὲρ τῶν κρυφίων, id eſt, *pro abſconditis*, ſive ut in Vulgata verſione eſt, *pro arcanis*. Nempe derivant à עלם *alam*, quod eſt, *latitavit, abſconditum, occultum fuit.* Nomen autem illud accerſi poteſt ex עלמה *alma, adoleſcentula, virgo*, & tunc indicare tonum acutæ vocis, quem virgines commodè exprimunt, ut eſt Muſicorum tonus ſuperior & altus. Ita ut על עלמות *al alamoth* canendus Pſalmus dicatur altiori & acutiori voce. Quidam volunt hunc titulum denotare vel inſtrumentum muſicum, vel initium cujuſdam vulgaris cantici. Sed decet magis interpretari de tono; ſicut & על מות לבן *al muth laben*, quod habet titulus Pſalmi 9. Illud autem על מות non mihi videtur eſſe nomen aliud, quàm עלמות almoth, quod modò expoſui. Sunt eædem literæ. Inſuper conjicio לבן *laben* poſitum per tranſpoſitionem literarum pro נבל *nebel*, quod eſt inſtrumentum muſicum, ut vidimus; ita ut *al-muth-laben*, ſive *alamoth nebel* ſit inſtrumentum muſicum, quo virgines uterentur; vel cujus ſònus imitaretur acutas virginum voces. Conjecturam confirmat quod legitur in primo Paralipomenorum cap. 15. 20. ubi recenſentur Cantores, qui canerent בנבלים על עלמות *in nablim al alamoth*. In nabliis ſuper *alamoth*. Ibi Vulgatus Interpres habet *in nabliis arcana cantabant.* Scilicet ſequitur interpretationem Græcorum nominis *alamoth*. Conſtare debet ex hoc loco Paralipomenorum *al muth laben* non aliquid aliud eſſe

quàm

quàm *alamoth nebel.* Aliter tamen interpretatur Paraphrastes Chaldæus, juxta quem titulus Psalmi 9. sic intelligendus. *Ad canendum super mortem viri, qui exierat de inter castra canticum David.* In primo Samuelis c. 17. 4 Goliath appellatur איש הבנין, id est, *vir intermedius*, nempe qui se interponens inter duo castra, duello pugnam esset transacturus. In Vulgata versione dicitur *vir spurius.* Alii volunt esse canticum quod cecinerit David in morte *Nabal*, cujus nominis consonantes sunt in לבן *laben.* Alii in morte filii; quasi על מות בן Ita Symmachus. Græci verò derivantes *almuth* ab *alam*, quod est *latuit*, vertunt ὑπὲρ τῶν κρυφίων τοῦ υἱοῦ, *pro* occultis filii, ut habet Vulgatus. Theodotio ὑπὲρ ἀκμῆς, quasi committendus fuerit ille Psalmus magistro symphoniæ acutæ; ita ut hi tituli Psalmorum designent rationem modulationis eorum: tonum aut acutum *alamoth*, nempe voces virgineas; vel שמנית *scheminith*, pinguem tonum, seu gravem; vel ad medianum, sive ut mos est loquendi *contra tenorem.* Sic Gatakerus interpretatur *al muth laben*; quasi vox virginea sit, sed inter media, quia בין sonat idem quod medium.

Nomen שגיון *sigaion* apponebatur Psalmis, qui erratici dici poterant, & multiplici decantabantur cantu. Quidam etiam Psalmi erant certis instrumentis decantandi, ut diximus, qualis quintus Psalmus, cujus est titulus אל הנחילות *el hanechiloth.* Ibi אל *el* ponitur pro על *al* quod est *super.* Græci interpretantur cum Vulgato *pro hereditate* à נחלה *nachala*, id est, *possessio, hæreditas.* Paraphrastes Chaldæus interpretatur *ad canendum per choros*, id est, ut fit in choris, quia vocem quam legebat, deducebat à חליל *tibia, fistula*; unde *machol* chorus. Nempe Psalmus ille in choris tibiâ canendus erat; quod & dici potest de titulo Psalmi 52. In fonte אל מחלת *al machalath.* Græci LXX ὑπὲρ μαελεθ: Latinus *pro maeleth.* Paraphrastes *ob retributionem impiorum blasphemantium nomen Domini.* Scilicet vocem Hebræam deduxit a חלל *profanare.* Theodotio interpretatus est ὑπὲρ τῆς χορείας; Symmachus διὰ χοροῦ *per chorum*, sicut & B. Hieronymus. מחול *machol* est chorus, & חליל tibia. Ut nullus sit dubitandi locus, quin dictus titulus admoneat huncce Psalmum cani debuisse tibiâ in choris.

Psalmus octavus notatur canendus אל הגתית *al hagithith.* Paraphrastes interpretatur citharam, quam David attulerat de Geth. LXX. deducunt à גתת *torcular*, ideò reddunt ὑπὲρ τῶν ληνῶν *pro torcularibus.* Puta quia Psalmus ille canebatur tempore vindemiæ. Alii volunt *Githith* esse nomen instrumenti: alii initium cantilenæ. In Psalmo 16. vox מכתם *michtam*, quæ legitur in titulo Hebræo Psalmi obscura est. Alii volunt esse instrumentum musicum, alii tonum, alii initium cantilenæ. Paraphrasti Chaldæo, & LXX. est Στηλογραφία *inscriptio.* Videntur legisse מכתב pro מכתם a כתב *scripsit.* sed & כתם *Kethem* significat aurum purissimum, quasi dicatur aureum carmen. Existimo Psalmum 21. decantatum fuisse tempore matutino. Habet hunc titulum על האילת השחר *al ajeleth haschachar.* Paraphrastes Chaldæus: *super potenti oblatione perpetuâ auroræ.* Græci LXX ὑπὲρ τῆς ἀντιλήψεως τῆς ἑωθινῆς, *pro susceptione matutinâ.* Sola difficultas est in voce האילת. Hebræis אילה vel אילת est *cerva*; undè illi solent reddere, *auxilium super cervam auroræ.* Sed & אילות *fortitudo, virtus*, redditur. Sentiunt alii esse initium cujuspiam cantilenæ.

Dies, quibus Psalmi decantarentur, tituli eorum forsan ostendebant. Ita Psalmi 29. titulus שיר ה חנכת *schir ha chanuchat*, id est, dedicationis domûs David. ψαλμὸς ᾠδῆς τοῦ ἐγκαινισμοῦ τοῦ οἴκου τοῦ Δαβίδ. *In dedicatione domûs David.* Græci Psalmum 30. appellant ἐκστάσεως *pro extasi.* Si titulus ille conveniat Psalmo, forsan compositus est cùm fugeret David, & exiret ex urbe.

Prætermittam titulos, qui continent historias notas; qualis est titulus Psalm 56. satis apertus, nisi quòd in fonte mentio fit in titulo *columbæ mutæ*, quæ in remotis est. Videlicet David inter Philistæos se putabat similem columbæ, quæ à propriis laribus remota est. Nonnullis Psalmis præscribitur, *ne disperdas*, sive *non corrumpas.* Si non initium carminis est, potuit esse monitum datum Cantoribus, aut genus precationis. Titulus Psalmi 69. mihi videtur indicare eum decantandum, dum Sacerdotes incensum ponerent in templo. In fonte est להזכיר; quod verbum est à LXX. & Latino Interprete redditum *in rememorationem.* Verbum זכר sonat quidem *recordari*, & הזכיר *recordari fecit*, sed & *incensum posuit.* Hunc sensum sequitur Paraphrastes Chaldæus ponens, *ad laudandum per manum Davidis, ad recordandum usum thuris.* Verisimile est totum hocce tempus, quo fiebat incensum, non transactum sine precibus & cantu. In Psalmo 81. mentio fit *synagogæ.* Nescio an illum canerent Cantores, dum in synedrio judicaretur. Paraphrastes hunc inscripsit titulum: *ad laudandum pro sedentibus judicibus ordinariis, qui incumbunt testimonio legis.* Ibi nominatur סנהדרין *sanhedrin.*

Gatakerus censet non solùm modulationis rationem designatam quoad tonum, sed & quoad ordinem canendi per vices quò referendum est illud Psalmi 87. לענות *leanoth*, id est, *ad respondendum*; quod verbum usurpatur hocce sensu in Exodo cap. 15. 21. ubi legere est mulieres cum tympanis, & choris secutas Mariam, sororem Moysis, quæ ותען *& respondit* &c. Scilicet Psalmus ille erat ἀμοιβαῖος carmen *amoibæum*, quasi dialogus. Psalmus 91. canendus erat die sabbati. Psalmus 97. excitabat musicos ut nova carmina, vel novos modos adinvenirent. Psalmi à 120. usque ad 135. inscribuntur *graduum*, quod, ut volunt Judæi, cantarentur in quindecim gradibus, quibus, ut diximus in descriptione Thalmudica templi, ex atrio mulierum ascendebatur ad portam orientalem, ubi Cantorum pulpita, & totidem gradus numerabantur; sic autem Psalmos inscriptos à Davide, quia prævidebat in his gradibus decantandos. Alii sentiunt hos Psalmos Graduales appellari, quia recitabantur ab his qui ascendebant gradus templi, qui plurimi erant. At mihi viderentur sic inscripti Psalmi, quia voce magnâ, & sublatâ in sublime canendi erant. מעלה est ascensûs excellentia. David præcipiebat in primo Paralipomenorum capite 15. 16. Cantoribus ut vocem attollerent: *ut resonaret in excelsis sonitus lætitiæ.*

CAPUT V.

De ministerio Sacerdotum in templo: de muniis eorum: de classibus: de viris inter eos principibus, & de summo, qui cæteris præerat, Sacerdote.

SECTIO I.

Proprium Sacerdotum munus fuit sacrificium; quod in solo templo postquàm ædificatum est fieri potuit? Quo ritu, quâ pompâ? Nudis pedibus, & operto capite eis operandum erat.

CUm sermonem feci de Tabernaculo, exposui rationem omnem faciendorum sacrificiorum, & horum curam & ministerium asserui familiæ Aaronicæ. Hæc iisdem privilegiis potita est, ædificato templo, extra quod ex quo dedicatum est sacrificia fieri non poterant; immo si sanctiora essent extra templum, ea comedere viro Israëlitæ non licebat; si leviora extra muros Jerusalem. *Omninò sacrificia omnia*, loquitur Maimonides [de Ratione sacrificiorum 18. n. 1.] *cùm pecorum & avium, tum verò fertorum jubendo sancitum erat, ut in domo electâ fierent. Namque scriptum videmus* [Deuter. cap. 12. v. 14.] Ibique facies, quæcumque præcipio tibi. *Item & jubendo sancitum erat, ut, quisquis extra terram sanctam degens, sacrificia pecorum debebat, his inde ad domum electam agendis semetipse fatigaret. Scriptum est enim* (Deuter. cap. 12. v. 26.) Quæ autem sanctificaveris & voveris Domino, tolles, &c *Atqui id quasi per manus traditum est hoc loco agi de sacris hominis extra terram sanctam degentis, ut ille in his ad domum electam deducendis occuparetur usque. Quicumque extra atrium quid sacrificasset, jussum fecisset irritum, simul & vetitum prodidisset: scriptum est enim* (ibidem v. 13.) Cave ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris *Et quisquis ibi sacrificasset ex contumacia, pœna ejus erat keret*, id est, mors.

De carnibus sacrificiorum comedere extra Hierosolymam illicitum fuisse pariter adstruit Maimonides [in eodem tractatu cap 11 n. 5.] » Si quis, » inquit, extra atrium de carne sacrificiorum sanc» tiorum comedisset id quod oleæ magnitudini se » exæquaret, verberibus mulctaretur; quia scrip» tum est, [Deut. cap. 12. v. 17.] Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, & vini, & olei tui, primogenita armentorum & pecorum; » Nam hoc loco caveri ne quis extra atrium come» deret de carne victimarum pro peccato & pro de» licto, auditione acceperunt. Eâdemque ratione » si quis extra Hierosolymam comedisset sacrificia » minùs sancta, verberibus mulctaretur; etenim » Hierosolymæ mœnia sacrificiis minùs sanctis erant » idem, quod murus atrii sacrificiis sanctioribus. At» que ejusdem generis erat caro hostiæ pro pecca» to & pro delicto, ac reliquiæ fertorum. Caro sa» crificiorum sanctiorum si extra murum atrii por» taretur, si caro sacrificiorum minùs sanctorum » extra mœnia Hierosolymæ, temerabatur, atque » interdicta erat in perpetuum, eaque si restituere» tur in locum suum, tamen ne comederetur inter» dictum erat: tum si quis ex ea comedisset id quod » adæquaret olivæ magnitudinem, verberibus coer» ceretur.

Qui fuerint sacrificiorum ministri, satis superque significatum est; nempe solos, qui erant ex Aaronis familia, & cæteros omnes Israëlitas pro alienis reputatos. *Homo alienus*, ait Maimonides. (de Ratione adeundi templi cap. 9. n. 1.) *si in sacrificio operaretur, cùm ejus operatio profanaretur, tum etiam meruisset ut divina vis eum morte multaret: est enim in lege* (Numer. cap. 1. v. 51.) Quisquis externorum accesserit, occidetur. *Atqui in auditione accepimus pœnam hanc ei demùm irrogari, qui ad operandum accesserit, quod ne quis faciat lex alio loco monet.* [Num. cap. 18. v. 5.] Alienigena non miscebitur vobis. *Sed quis tandem erat alienus? Quisquis non esset ex tirpe Aaronis masculâ.* Sed nec omnis proles mascula Aaronis semper idonea erat ministerio Sacerdotii obeundo. Vitiis corporis & mentis impediebatur, ut suprà diximus; sed & quanquam his vitiis erant liberi, & prorsus mundi, priusquàm operarentur sacrificium facientes, tenebantur manus & pedes lavare aquâ, quæ exiliebat ex illo vase capacissimo, quod mare dicebatur. *Lavabunt ex eo Aaron & filii ejus manus suas & pedes, ut lex dicit* (Exod. cap. 30. v. 19.) Modum quo id fiebat exposuimus, cùm hujus vasis formam declaravimus. *Erant igitur homines sacrificiis faciendis non idonei*, verba sunt Maimonidis [in fine ejusdem tractatûs] *omninò duodeviginti isti: Idololatra, alienus, vitio corporis affectus, incircumcisus, immundus, de die lustratus, piaculis indigens, lugens, ebrius, egens vestibus, abundans vestibus*; nempe qui requisitas vestes omnes non haberet, aut superfluas haberet, *obsitus vestibus scissis, qui erat capite nudo, qui non ante lavisset manus & pedes, qui operando sedisset, cujus inter manum & utensile aliquid interjectum fuisset* (Nudis manibus & nudis pedibus operandum erat) *cujus inter pedem & terræ solum quid interjectum fuisset, qui manu lævâ esset operatus. Isti omnes ad facienda sacrificia non erant idonei.* Mentem adverte, Lector, ad id quod dicit Maimonides, Sacerdotem qui erat capite nudo, non idoneum fuisse suo ministerio. Sic enim locutus est *Moyses* Levit. cap. 10. 6. *ad Aaron, ad Eleazar & Ithamar filios ejus: capita vestra nolite nudare, & vestimenta nolite scindere, ne fortè moriamini.* Et cap. 21. 10. summo Sacerdoti sic per Moysem præcipit Deus: *caput suum non discooperiet, vestimenta sua non scindet.* Idcircò, ut notat Josephus in Antiquitatibus lib. 3. cap. 8. pileus Sacerdotum adaptabatur accuratè, ne inter sacrificandum dilaberetur Ἥρμοσται δ' ἀκριβῶς ὡς ἂν μὴ περιρρυῇ περὶ ἱερουργίαν. Præcipiebatur Sacerdotibus apud Ezechielem cap. 44. 20. *Caput autem suum non radent, neque comam nutrient: sed tondentes attondent capita sua.* Non radent caput, nec discooperient; nec promittent capillos, quia id hominem non decet; & ideo quâque hebdomade tenebantur tondere capillos. Consueverant Gentiles velato capite adorare & sacrificare. Inter pedem suum & terram nil interesse debebat, dum Sacerdos sacrificabat; nudis enim pedibus, id faciendum erat, ut vidimus, ex lege Dei. Propheta Ezechiel cap. 44. renovat plurimas leges, quæ Levitas omnes & Sacerdotes spectant; de lineis Sacerdotum vestibus, & nunquam laneis, quando fungebantur officio in templo; de vittis lineis in capitibus, nempe fasciis illis longis, quibus involvebant caput pro pileo: de feminalibus eorum lineis, quæ *non accingentur in sudore*. Nempe dum sudore madet corpus, &c.

Pergam enarrare veteres sacrificiorum ritus. Tenebatur quisque adducere ad templum victimam, quam Deo offerebat; quæ oblatio non ritè fiebat, nisi in ipso atrio Sacerdotum, in quod ideò tunc Israëlita omnis introibat, cùm imponendæ erant ab eo manus victimæ, quam offerebat. *Sanctius est atrium Sacerdotum atrio Israëlitarum*, inquit Maimo-

nides [de Domo electâ cap. 7. n. 19.] *In id enim Israëlitarum introeat nemo, nisi tum, cùm necessariò requiruntur, aut ad imponendas hostiæ manus, aut ad expiationem faciendam, aut ad mactandam victimam, aut ad agendum sacrum.* Idem pergit loqui (de Ratione sacrific. cap. 3. n. 2.) *Atque à viris æquè ac mulieribus, ac servis quævis sacrificiorum genera accipiebantur: à Gentilibus autem holocausta tantùm.* Sed ipsi non introibant in atrium Sacerdotum, cùm & ab atrio Israëlitarum essent exclusi. *Porrò autem holocaustis Gentilium* [ibidem n. 5.] *non imponebantur manus. Nam impositio manuum solorum erat Israëlitarum, nempe virorum, non item fœminarum.*

Ritum illum manuum impositionis explicat Maimonides (ibidem n. 13.) *Qui manus imponebat, eas capiti pecudis pro viribus applicabat:* nam quod in lege est (Levit. cap. 1. v. 4.) super caput hostiæ, *excludit cervices, lateraque: porrò nihil inter pecudem, & manus hominis intercedere oportebat. Sic igitur fiebat manuum impositio. Si hostia fuisset sanctior, sistebatur ad Septentrionem, ita ut ad Occidentem spectaret: & qui manus imponebat, consistebat in Oriente sic, ut Occidentem respiceret, positisque inter hostiæ cornua manibus peccata confitebatur: nempe super hostia pro peccato peccata, & super hostia pro delicto delicta; super holocausto confitebatur violata præcepta jubentia, item & violata præcepta vetantia, quæ in jubentia dissolvuntur. Confitens ita dicebat: Peccavi, iniquè egi, prævaricatus sum, commisi hoc & illud; ad pœnitentiam revertor, atque ecce piaculum meum. Si hostia foret pacifica, manus huic imponebatur. Quocumque atrii loco jugulatio fiebat. Ac meâ quidem sententiâ super pacificis nihil confitendum, sed hymnus erat dicendus.* Manuum impositionem non alibi fieri potuisse quàm in atrio, dicit Maimonides (ibidem n. 11.) *Eodem loco*, inquit (ibidem n. 12.) *quò fiebat manuum impositio, jugulabatur animans, & impositionem continuò sequebatur jugulatio.* Non vacat exscribere quæ fusè differit Maimonides, in tractatu suo de Sacris temeratis, circa intentionem offerentis victimam; ubi adstruere vult omni alienâ cogitatione posse temerari sacrificium.

Jam diximus (libro 3. cap. 8.) alienis, hoc est, aliis quàm Sacerdotibus licitum fuisse jugulare victimas, etiam illarum pelles detrahere; idque unum & proprium munus Sacerdotum fuisse, sanguinem excipere victimarum, & eo aram respergere. Nulla sacrificia ex Maimonide [de Ratione sacrif. cap. 4. n. 1.] fiebant nisi interdiu. Rationem mactationis & locum ille explicat. (ibidem n 8) *Hoc igitur modo res tota fiebat. Apprehendebantur signa pecudis, sunt arteria aspera & esophagus, quæ signa protrahebantur simul cum venis versùs pateram suppositam: tum signa illa resecabantur, aut ambo prorsus, aut amborum pars major, ut exciperetur vase supposito sanguis omnis. Culter autem jugulationis sursùm extollebatur, ne sanguis ex eo distillaret, sed ex gutture ipso deflueret. Qui in cultro sanguis inerat, abstergebatur in ore pateræ.* Hæc deinde subjicit Maimonides (ibidem cap. 8. n. 1.) *Exposuimus*, ait, *superiùs victimarum jugulationem ritè fieri etiam per homines alienos: Sacerdotis autem esse officium sanguinem earum excipere, & cætera porrò munia obire. cunctarum igitur victimarum sanguis excipiebatur manu Sacerdotis in vas sacrum. Locus autem jugulandi & sanguinis excipiendi non erat idem in omnibus. Victimarum sanctiorum jugulatio, item & sanguinis illarum receptio fiebat tantùm ad latus altaris aquilonare, in toto illo spatio, quod principio hujus libri definivimus.* Nempe in tractatu de Domo electa. Intelligit spatium illud circa quod erant annuli & columnæ. *Victimarum autem minùs sanctarum jugulationem, sanguinisque receptionem per totum atrium fieri licebat.*

Si quidem his omnibus non ampliùs locus est; cùm res cujus typi erant, nempe Christi sacrificium jam fiat, ritus omnes cujusque particularis sacrificii, quod Maimonides facit, supervacaneum esset persequi. Itaque ea tantùm excerpo, quæ nostra refert non ignorare. Sed quæret aliquis, quomodo juvencorum, vaccarum fieret mactatio; neque enim illæ pecudes, ut agni, injuriæ patientes sunt. In hunc usum parati annuli, de quibus sermonem libro superiori cap. 3. fecimus. Tales videntur in laniensis. Horum beneficio sic adduci poterat juvencus fune ligatus, ut frustra reluctaretur; his enim immittebatur collum ejus, & concludebatur.

Ubi sanguis victimæ fuerat exceptus, deferebatur ad altaris basim; ubi fiebat aspersio; diverso ritu, pro diversitate sacrificiorum. Pluribus partibus constabat altare; habebat cornua in summo suo vertice, crepidines, fundamentum. Cùm Sacerdos transtulisset sanguinem ad altare, cornua ejus tangebat digito, quem priùs imbuerat hoc sanguine. *Atque hic erat agendi modus*, inquit Maimonides (ibidem cap. 5. n. 7.) *Sacerdos cùm sanguinem hostiæ paterâ exceperat, eum ad altare transferebat. Hic dextræ manûs digitum pollici proximum in sanguinem intingebat: tum pollicem ad partem altaris unam, & ad alteram proximum pollici digitum applicabat, & abstergendo deducebat contra aciem cornu altaris tandiu, dum omninò omnis sanguis, qui digito inhærebat, absumeretur. Item faciebat in singulis altaris cornibus.* Unam vel plures rectas vel obliquas aspersiones efficiebat; quandoque unum altaris parietem, modò quatuor parietes, pro qualitate sacrificiorum, aspergebat. Vidimus distingui diversos gradus in altari; ut non falleretur Sacerdos aspergendo sanguinem, cujus reliquias omnes semper effundebat ad fundamentum altaris. Juxta Maimonidem cùm holocaustum è volucri fiebat (ibidem cap. 6. n. 20.) Sacerdos sanguinem corporis exprimebat ad altaris crepidinem. Paulò suprà filum, quod erat in altari medio. Inferebatur in ipsam ædem sanctam, & in Sanctum Sanctorum sanguis juvenci & hirci, qui mactabantur in die expiationis, ut suo loco dicetur.

Omninò hostiarum omnium sanguis postquàm erat aspersus altari, verba sunt Maimonidis [ibidem n. 18.] *tum denique adolebantur ipsa. Item hostiis primùm detrahebatur pellis, tum exta extrahebantur; nec detrahebatur pellis usque dum sparsus fuerat sanguis. Excipi debent hostiæ prò peccato illæ, quibus omninò pellis non detrahebatur.* Ibi Maimonides dicit victimarum sanctiorum seu publicarum seu privatarum pelles divisisse inter se omnes Sacerdotes curiæ ministrantis. Post hostia membratim dissecabatur. Huic usui paratæ mensæ marmoreæ, quas videre est in delineatione atrii Sacerdotum, & erant columnæ & uncini ex quibus suspensæ victimæ pellis detrahebatur. Aliæ partes hostiæ adolendæ erant in altari, aliæ cedebant Sacerdotibus, aliæ cuique privato, à quo oblata. Hanc partitionem diligenter explicat Maimonides: sed quid ad nos, jam melioris sacrificii participes? Hostiâ laniatâ, frusta ejus portabantur ad collem altaris, quem suo loco descripsimus. Quâ pompâ fieret frustorum hostiæ delatio ad altare Maimonides explicat; [ibidem n. 10. (« Jam membra holocausti plures ad collem altaris trans- « ferebant Sacerdotes: nempe si fuisset holocaustum « è minori pecore, transferebatur per Sacerdotes sex « Primus igitur caput hostiæ atque posterioribus è « pedibus alterum portabat. Is dextrâ tenebat caput « sic, ut nares converteret ad brachium suum, cor- «

» nua inter digitos intereſſent, & ſursùm tolleretur A » locus jugulationis, qui erat adipe opertus: Lævâ » verò de pedibus hoſtiæ poſterioribus dextrum geſ- » tabat ita, ut pars illa pedis, in qua pellis inerat, » exterior eſſet. Non vacat afferre cætera quæ ſequuntur in auctore, ubi enumerat quæ quiſque membra hoſtiæ ferret, & quo ritu. Alius erat qui ſimilam libaminum, alius qui vinum libandum portaret.

Non prætermittendum ſilentio, quod iſtam pompam ſæpiùs præcedebat, hoc eſt, in pluribus ſacrificiis, agitatio, quam explicat noſter Judæus Doctor (ibidem cap. 9. n. 6.) » Jugulabantur, inquit, » hoſtiæ, & excipiebatur ſanguis ita ut diximus. » Deinde corium erat detrahendum, atque eximen- B » da exta; tum in artus diſſolvenda caro; poſt ſe- » cernendum erat pectus, & femur dextrum. Affe- » ro in exemplum rationem certi ſacrificii, neque » enim ille ritus omnis omninò in omnibus ſervaba- » tur: & his conjuncta exta imponebantur offeren- » tium manibus, quibus manum ſuam Sacerdos ſup- » ponebat, atque omnia ante Dominum agitabat » in parte Orientis: nam quidquid agitari oportebat, » in parte Orientis agitandum erat. Qualis igitur e- » rat iſta agitatio? Nempe movebatur hùc & illùc, » ſursùm & deorsùm.

Poſt agitationem, ſale aſpergebantur exta, atque in altari adolebantur. Variæ ſtrues lignorum, ſive diverſi foci erant in ſummo vertice altaris. Porrò C oportebat, ut adſtruit Maimonides [de rebus in altari interdictis cap. 6 n. 2.] ligna quæ in altaris foco conſumebantur, ſelecta eſſe, & vermium expertia. Adolebantur in certis ſacrificiis ferta, & libamina vini & olei. De fertis & libaminibus, cùm primùm de ſacrificiis agebamus, in tertio libro diſſeruimus. Poſt libationem, ſive effuſionem liquoris oblationis, incipiebant Levitæ cantare. Eſt notiſſima inter Rabbinos, inquit Ligfooth, regula traditionis, quæ ſic ſe habet. *Nullus dicit canticum niſi poſt vinum oblationis: nemo enim canit niſi præ lætitia cordis: quapropter non canunt niſi tempore oblationis, & quidem poſt effuſionem vini, quod Deum & homines lætificat.* Olim vinum liquor erat multi pre- D tii; quia magna raritas ejus quæ addit pretium rebus. Sicut in ſacrificium eligebantur animalia pinguiora, aromata ſuavioris odoris; ita liquores, quorum uſus eſt frequentior & ſuavior. Oleum, vinum, libabantur, id eſt guttatim effundebantur. Denique poſt peractum ſacrificium abluebatur pavimentum; quod cùm marmore ſtratum eſſet aquæ facilè eluebant ſordes & tetrum odorem; quem & expellere poterat ſuffitus quotidianus, de quo ſtatim fiet ſermo.

SECTIO I.

De gente Sacerdotali: Sacerdotum integritate; & iis E *quæ eos decebant, dum inibant templum, & miniſterium ſuum.*

QUoniam præſens caput complectitur ſingula quæ de Sacerdotibus in ſacro codice occurrunt, intexendum huicce loco caput ſextum primi Paralipomenorum, quod gentem Sacerdotalem ſpectat.

1. *Filii Levi: Gerſon, Caath, & Merari.*

Solam tribum Levi addixit Deus ſuo cultui; ſolis verò Levitis, qui ex Aarone ortum ducebant, jus dedit ad ſacrificium. Levi tres filios habuit, Gerſon, Caath, & Merari; ex quibus omnes Levitæ, tam ſimplices Levitæ, quàm Sacerdotes prognati ſunt.

2. *Filii Caath: Amram, Iſaar, Hebron, & Oziel.*

Notandus inter filios Caath, Amram; cujus ſola progenies obtinuit Sacerdotium.

3. *Filii Amram: Aaron, Moyſes, & Maria. Filii Aaron: Nadab, & Abiu, Eleazar; & Ithamar.*

Nadab & Abiu interiêre, igne alieno adolentes, ut ſuo loco vidimus; ita in ſtirpe Aaronis duo tantùm filii ejus cernuntur Eleazar & Ithamar.

4. *Eleazar genuit Phinees, & Phinees genuit Abiſue.*

5. *Abiſue verò genuit Bocci, & Bocci genuit Ozi.*

6. *Ozi genuit Zaraiam, & Zaraias genuit Meraioth.*

7 *Porrò Meraioth genuit Amariam, & Amarias genuit Achitob.*

8. *Achitob genuit Sadoc, & Sadoc genuit Achimaas.*

9. *Achimaas genuit Azariam, Azarias genuit Johanan.*

10. *Johanan genuit Azariam; ipſe eſt qui Sacerdotio functus eſt in domo, quam ædificavit Salomon in Jeruſalem.*

Id eſt, in templo ſtrenuè ſe geſſit. Alii intelligunt Azariam, qui reſtitit Regi Oſiæ, volenti offerre incenſum. Alii Joiadam, qui rebus deplora- C tis, cultum Dei, & Rempublicam reſtituit.

11. *Genuit autem Azarias Amariam, & Amarias genuit Achitob.*

12. *Achitob genuit Sadoc, & Sadoc genuit Sellum.*

13. *Sellum genuit Helciam, & Helcias genu i Azariam.*

14 *Azarias genuit Saraiam, & Saraias genuit Joſedec.*

15. *Porro Joſedec egreſſus eſt, quando tranſtulit Dominus Judam & Jeruſalem per manus Nabuchodonoſor.*

Sic verſus ille redditur à Xante Pagnino. *Et Jehozadac abiit in tranſportando Dominus Jehuda &* D *Jeruſalem per manum Nebucha-Nezar.* Senſus igitur eſt, Joſedec migravit captivus, quando Dominus permiſit, ut Judæi ducerentur captivi Babylonem. Hujus filius erat Joſue, ſive Jeſus, qui cum Zorobabele templum inſtauravit; qui cùm eo in loco non nominetur, argumentum eſt huncce Paralipomenorum librum ſcriptum eſſe ante reverſionem Judæorum in patrium ſolum. Deus tam acerbè punierat eos qui Sacerdotii munera non orti ex ſemine Aaronis, ſuſceperant, ut nemo ex aliâ familiâ natus auderet hæc invadere. Ideò cùm Judæi Hieroſolymam rediêre, quotquot habiti hactenus Sacerdotes ſe Aaronicos probare non potuerunt, moti ſunt Sacerdotio, ut legere eſt apud Eſdram lib. 1. E cap. 2. 61. ubi enarrantur qui reverſi ſunt. *Et de filiis Sacerdotum: filii Hobia, filii Accos, filii Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis uxorem, & vocatus eſt nomine eorum.*

62. *Hi quæſierunt ſcripturam genealogiæ ſuæ, & non invenerunt, & ejecti ſunt de Sacerdotio.*

63. *Et dixit Atherſatha eis, ut non comederent de Sancto Sanctorum, donec ſurgeret Sacerdos doctus atque perfectus.*

Atherſatha ille erat legatus Regis, forſan ipſe Nehemias Pincerna. Nam primores Judæorum, dum agebant ſub Chaldæorum dominatu, nomen habebant aliud patrium, ſive domeſticum, aliud Chaldaïcum, ſive aulicum. Soli Sacerdotes poterant veſci panibus propoſitionis, & oblatis pro peccato & pro delicto. Itaque Nehemias delectum habuit

eorum, qui ipsius fidei crediti erant. Movit Sacerdotio ad tempus, qui scripturam genealogiæ suæ ostendere non poterant; donec instaurato cultu Dei, summus Sacerdos *doctus atque perfectus*, in fonte לאורים ולתמים, id est, *cum urim & thummim*, nempe induta illa veste Aaronica; in qua *urim & thummim*, id est, *veritas* & *integritas* eo sensu quem exposuimus, disceret à Deo an illi ex genere Sacerdotum essent. Quantam eâ in re Judæi adhiberent curam & religionem videre est in prolixo illo testimonio, quod proferam ex libro primo Josephi contra Appionem.

Cùm observasset Josephus Babylonios & Ægyptios circa conscriptiones genealogicas, usos magnâ diligentiâ, & his scribendis præpositos Sacerdotes, subjicit. » De nostris vero progenitoribus, qui eandem, quam prædicti habuerunt in conscriptionibus solicitudinem (desino dicere etiam potiorem) Pontificibus & Prophetis hoc imperantes: & quia utique ad nostra tempora cum multa integritate servatum est, & si oportet audentiùs dicere, etiam servabitur, conabor breviter edocere. Non enim solummodo ab initio probatissimos viros, & in Dei placatione præparatos, ad hæc enarranda constituerunt: sed quatenus etiam genus Sacerdotum sine permixtione purumque consisteret, providerunt. Oportet enim eum, qui Sacerdotium habiturus est, ex ejusdem gentis nasci muliere: & neque ad pecunias, neque ad honores inspicere, & genus per antiquam lineam & multis testibus approbare. Quod scilicet agimus non solùm in ipsâ Judæâ: sed ubicumque nostri generis constitutio reperitur, etiam ibi integritas ista servatur circa nuptias Sacerdotum, hoc est, in Ægypto & Babyloniâ, & quocumque terrarum orbe quilibet de Sacerdotum genere sunt dispersi. Mittunt enim in Hierosolymam conscribentes à patre nomen nuptæ, & antiquorum progenitorum, quicumque hujus rei testimonia præbuêre. Si autem bella proveniant, sicut jam crebrò factum est, dum Antiochus Epiphanes ad nostram venisset regionem, & Pompeius Magnus, & Quintilius Varus, & præcipue nostris gesta temporibus; tunc hi qui de Sacerdotibus supersunt, ex antiquis literis iterùm novas conficiunt, & probant mulieres, quæ relinquuntur. Non enim ad captivas accedunt, alienigenarum consortia formidantes. Indicium vero integritatis hoc maximum est, quia Pontifices apud nos à duobus millibus annis denominati filii a patre conscripti sunt. His autem qui prædicti sunt, si quid prævaricentur, interdicitur ne vel ad altare accedant, vel aliâ sanctificatione fungantur. Rectè siquidem, potiùs autem necessarie, cùm neque conscribendi potestas omnibus data, neque ulla sit in descriptione discordia: sed solummodò Prophetis, antiquissima quidem & veterrima secundùm inspirationem factam à Deo cognoscentibus, alia verò suorum temporum secuti sunt facta palàm conscribentibus, &c.

Nec solius generis, ubi delectus erat eorum qui ad altare accederent, ratio habebatur; sed & integritatis. Moyses, pergit loqui Josephus, *ne minimâ quidem parte mutilatos ad sacrorum curam admisit. Sed etiam si jam Sacerdoti aliquid tale accidisset, honore eum privavit.* Dum incumberemus describendo Tabernaculo, enumeravimus maculas, ob quas Sacerdotes altaris ministerio arcebantur. His quæ in sacro codice numerantur, plurimas alias Judæi addunt, quas protulimus ex Maimonide, in suo tractatu de Ratione templi adeundi, cap. 7. numerat quinquaginta vitia, quæ hominem æque & pecudem temerant, & illa sigillatim exponit. Nonaginta alia recenset cap. 7. quæ solum hominem reddunt ineptum ministerio sacro. Ita centum quadraginta agnoscit vitia, ob quæ vir Sacerdos esset altari pellendus. Ergo non his solis vitiis quæ in lege enumerantur, temerabantur Sacerdotes. Ita quæ in lege exponuntur, reliquorum veluti exempla sunt, ut dicit Maimonides cap. 6. « Sacerdotes vitiant non tantùm maculæ in lege scriptæ, sed & aliæ quæ cumque in corpore apparent. Quippe dictum est: Levit. cap 21. v. 22 *omnis qui habuerit maculam, quocumque in loco.* Maculæ autem in lege expositæ pro reliquarum exemplis proponuntur. « An hisce vitiis Sacerdos affectus esset, aut aliâ immunditie, expendebant judices ex eodem Maimonide cap. 6. « Consilium magnum, inquit ille Judæus, in conclavi lapidis quadrati sedebat. Hujus Senatores in eo potissimùm erant occupati quotidie, ut considentes cognoscerent de ordine Sacerdotum, atque eorum genera & vitia pervestigarent. Cujus in genere profani quid inveniebatur, is vestes induebat atras, quibus obvolutus ex atrio discedebat. Quisquis integer & purus inveniebatur, albis sese induebat, atque ingressus cum fratribus suis Sacerdotibus sacra obibat. « Ad hanc consuetudinem alluditur in Apocalypsi cap. 3. v. 5. *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro vitæ.* Jam ut observavi ex eodem Maimonide, Sacerdos, « cujus genus purum, corpus autem vitio affectum existebat, in cella lignorum consistens ligna diffindebat, quibus altaris focus exstrueretur. Is enim, cum suis curialibus sacra partiebatur, & cibis iisdem vescebatur. « His etiam, qui Sacerdotio moti fuerant ob grande peccatum, puta ob idololatriam, concedebatur ut comederent de oblatis à populo, quod largitus est Josias illis etiam qui idolis sacrificaverant. 4. Reg. cap. 23. v. 9 *Verumtamen non ascendebant Sacerdotes excelsorum ad altare Domini in Jerusalem: sed tantùm comedebant azyma in medio fratrum suorum.* Hi erant Sacerdotes Aaronici, qui in excelsis sacrificaverant. Noluit autem Josias eos vitæ necessariis destitui; partem ergo jussit habere eorum quæ capere solebant alii Sacerdotes.

Quæ diximus de ætate Levitarum, quâ essent idonei ministerio, etiam singulos Sacerdotes spectant. Non ministrabant nisi propriis vestibus induti; non laceris, non sordidis. Vetitum ne capillos promitterent; sed nec licebat caput omninò radere. Operabantur stantes nudis pedibus, nam ut ait Maimonides in tractatu de Ratione adeundi templi cap. 5. « Si quis sedens rem divinam fecisset, utique prophanasset, ejusque operatio tota nulla haberetur: verumtamen verberibus non multaretur, quippe Sacerdos hac de re jubendo monetur. Similiter qui in templo operabatur, in ipso pavimento staret oportebat. Si quid inter Sacerdotem & solum interesset, ut si vasis, jumento, pedibusque alterius insisteret, operatio nulla fuisset. « Hinc causa morborum, ut diximus, cùm enim pavimentum templi esset marmoreum, Sacerdotes sæpiùs torminibus cruciabantur. Calceatis ne quidem ingredi in Sanctuarium licebat. Vino abstinebant tempore ministerii, pariter & conjugio. Omnem prorsus fugiebant immunditiam, etiam quæ sine peccato est; cujus Maimonides in præfatione tractatûs Misnici Mikuaoth numerat undecim fontes. « Immunditia reptilium, immunditia morticini, immunditia cadaveris humani, immunditia ex semine ejecto oreta, immunditia aquæ piacularis, immunditia victimarum piacularium, immunditia viri fluxione affecti, immunditia fœminæ laborantis, immunditia fœminæ menstruatæ, immunditia puerperæ, »

immunditia lepræ. « Ex hisce undecim fontibus innumeri rivuli scaturiunt; quos ultrò sinimus currere. In his derivandis toti sunt Rabbini.

Ut paucis complectar omnia Sacerdotum munia, dicam eos electos ut Deo ministrarent, & populo benedicerent, sicut dicitur in Deuteronomio cap. 21. v. 5. *Accedentque Sacerdotes filii Levi, quos elegerit Dominus Deus tuus, ut ministrent ei, & benedicant in nomine ejus, & ad verbum eorum, omne negotium, & quidquid mundum vel immundum est, judicetur.* In primo Paralipomenorum cap. 23. 13. *Filii Amram: Aaron, & Moyses. Separatusque est Aaron ut ministraret in Sancto Sanctorum, ipse & filii ejus in sempiternum, & adoleret incensum Domino secundùm ritum suum, ac benediceret nomini ejus in perpetuum.* Quæ de ministerio tum quotidiano, tum menstruo, tum annuo dicturi sumus, nullam partem muniorum Sacerdotalium indictam relinquent.

SECTIO III.

De Sacerdotum in viginti quatuor familias distributione, & Ephemeridibus, sive dierum numero, per quos quæque familia ministrabat.

Sacerdotes & Levitæ erant ex eadem tribu, quippe omnes filii Levi. Ideò dum censentur tribus, Aaronitæ adnumerantur cæteris Levitis; ut in capite 26. Numerorum conjunguntur tres filii Levi, nempe Gerson, Caath, Merari. Ex filiis autem Caath unus inter alios notatur Amram, ex quo Aaron & Moyses. Omnibus enumeratis, quorum pater Levi, Moyses simul complectens tum simplices Levitas, tum Sacerdotes, sic init numerum eorum 62. *Fueruntque omnes qui numerati sunt, viginti tria millia generis masculini, ab uno mense & suprà: quia non sunt recensiti inter filios Israël, nec eis cum cæteris data possessio est.* Quapropter cùm David censuit Levitas, non debemus ab horum numero excludere Sacerdotes. In primo Paralipomenorum cap. 23. sic loquitur horum scriptor de Davide.

2. *Et congregavit omnes principes Israël & Sacerdotes atque Levitas.*

3 *Numeratique sunt Levitæ à triginta annis, & suprà: & inventa sunt triginta octo millia virorum.*

Hi omnes Levitæ; in quorum numero censentur Sacerdotes ex stirpe Aaronis, qui ipse Levita erat, filius Amram, qui fuit filius Caath, quem Levi genuerat. Josephus in Antiquitatibus lib. 7. cap. 2. ubi de eodem censu Davidico loquitur, eumdem Levitarum numerum agnoscit, scilicet virorum è tribu Levi, qui prætergressi erant annum trigesimum. Subjungit: *hos divisit in cognationes*, nimirùm omnes Levitas, sive viros, quotquot erant è tribu Levi, divisi κατὰ πατριὰς, secundùm patres suos, *Et separatis à reliquâ tribu Sacerdotibus, viginti quatuor eorum cognationes invenit.* Non separatim videtur initus numerus Sacerdotum, sed post censum factum, cùm viginti quatuor cognationes deprehendisset David in numero Sacerdotum, constituit viginti quatuor Sacerdotum classes. Verùm alibi idem Josephus multò majorem facit Sacerdotum numerum; sic enim ille loquitur in libro 2. contra Appionem. « Licet viginti quatuor classes Sacer» dotum, quarum singulæ plusquàm quinque mil» lia hominum habeant, per certos tamen dies par» ticularis fit observatio. Quibus transactis, alii Sa» cerdotes succedentes ad sacrificia veniunt, & con» vocati in templum meridie à præcedentibus, cla» ves templi, & ad numerum vasa omnia accipiunt, nullâ re, quæ ad cibum aut potum attineat, illatâ. « Ibi textus Græcus deficit; de quo ergo constare non potest an fideliter expressus sit. Si in quaque classe possent numerari Sacerdotum quinque millia, viginti quatuor classes constabant Sacerdotum centum viginti millibus; quod valdè suspectum est. Distributio autem Sacerdotalium cognationum in tot classes proponitur in 1. Paralip cap. 24.

1. *Porrò filiis Aaron hæ partitiones erant: Filii Aaron: Nadab, & Abiu, & Eleazar, & Ithamar.*

Soli, qui orti sunt ex Aarone, electi sunt in Sacerdotes. Ille unus ex omnibus Levitis factus est Sacerdos; & ex quatuor ejus filiis statim duo rejecti sunt, interfecti a Deo, quia indigni Sacerdotio.

2. *Mortui sunt autem Nadab & Abiu ante patrem suum absque liberis: Sacerdotioque functus est Eleazar, & Ithamar.*

Nadab & Abiu mortuis, superfuêre soli Sacerdotes Eleazar & Ithamar, qui susceperunt tam numerosam prolem, ut in classes distribuenda fuerit.

3. *Et divisit eos David, id est, Sadoc de filiis Eleazari, & Achimelec de filiis Ithamar, secundùm vices suas & ministerium.*

David cùm suscepit distributionem Sacerdotum in classes, filios Eleazari & Ithamari, Sadoc & Achimelec constituit harum classium capita. Pro eo quod habet Vulgatus *secundùm vices suas & ministerium*, poni potest *ad visitationem*, sive in recensione *in ministerio eorum*. Ita Pagninus vertit fontem. Nimirùm quando Sacerdotes recensuit David unà cum Sadoc & Achimelec, divisit eos juxta numerum, quem reperit.

4. *Inventique sunt multò plures filii Eleazar in principibus viris, quàm filii Ithamar. Divisit autem eis, hoc est, filiis Eleazar, principes per familias sexdecim: & filiis Ithamar per familias & domos suas octo.*

Quando David censum iniit Sacerdotum, reperit in stirpe Eleazari sexdecim viros principes, qui totidem cognationibus præerant. In stirpe vero Ithamari, non ultra octo viros cognationum principes.

5. *Porrò divisit utrasque inter se familias sortibus: erant enim principes Sanctuarii, & principes Dei, tam de filiis Eleazar, quàm de filiis Ithamar.*

Sorti committere voluit David, quæ classis prima diceretur, quæ secunda; quod sine magnâ invidiâ aliter fieri non poterat. Qui his classibus præerant, dicuntur *principes Sanctuarii*, id est, in templo. שרי קדש *schare chodesch* שרי האלהים *schare ha elohim*, principes Dei, id est, Judices. Huicce loco, ubi David dicitur auctor distributionis Sacerdotum in viginti quatuor familias, adversari videtur secundus Paralipomenorum cap. 5. v. 11. hanc tribuens Salomoni. *Egressis autem Sacerdotibus de Sanctuario (omnes enim Sacerdotes qui ibi potuerant inveniri, sanctificati sunt; nec adhuc in illo tempore vices, & ministeriorum ordo inter eos divisus erat.)* Ibi fit sermo de tempore quo templum dedicatum est, pluribus post mortem Davidis annis. Quomodo ergo divisio Sacerdotum in familias & vices à Davide facta dicitur in primo Paralipomenorum cap. 24. Ante dedicatum templum à Salomone, vices suas obire non cœperant Sacerdotes, scilicet quod constituerat David de hisce vicibus, non executioni mandatum fuit, nisi Salomonis tempore. Pergamus proferre Davidicam constitutionem.

6. *Descripsitque eos Semeias filius Nathanael Scriba Levites, coram Rege & principibus, & Sadoc Sacerdote & Achimelec filio Abiathar, principibus*

quoque familiarum Sacerdotalium, & Leviticarum: unam domum, quæ cæteris præerat, Eleazar: & alteram domum, quæ sub se habebat cæteros, Ithamar. A

Scriba Semeias sexdecim cognationes familiæ Eleazari scripsit, pariter & octo cognationes familiæ Ithamari. Harum viginti quatuor familiarum nomina misit in urnam; ex qua p out exierunt nomina, hæc aut illa familia constituit hanc vel illam classem ut subjicitur.

7. *Exivit autem sors prima Joïarib, secunda Jedei,*

8. *Tertia Harim, quarta Seorim,*

9. *quinta Melchia, sexta Maiman,*

10 *septima Accos, octava Abia,*

11. *nona Jesua, decima Sechenia,*

12. *undecima Eliasib, duodecima Jacim,* B

13. *tertia decima Hoppha, decima quarta Isbaab,*

14. *decima quinta Belga, decima sexta Emmer,*

15. *decima septima Hesir, decima octava Aphses,*

16. *decima nona Pheteia, vigesima Hezechiel,*

17. *vigesima prima Jachin, vigesima secunda Gamul,*

18. *vigesima tertia Dalaian, vigesima quarta Maaziau.*

Hæ sunt viginti quatuor classes; juxta quas ordine suo quæque familia ministrabat in templo.

19. *Hæ vices eorum secundùm ministeria sua, ut ingrediantur domum Domini, & juxta ritum suum sub manu Aaron patris eorum: sicut præceperat Dominus Deus Israël.* C

In fonte ista est *revisio eorum*, id est, cùm censuit eos, sic distributi sunt, ut in ordine vicis suæ fungerentur muniis quæ Deus mandavit Aaroni. David, ut Josephus dicit, *Instituit ut una cognatio ministraret Deo per dies octo, à sabbato ad sabbatum. Atque ita sortitio facta est omnium cognationum in præsentiâ Davidis, & Sadoci, ac Abiatari Pontificum & omnium principum, & cujus prima sors exiit, descripta est cognatio prima, & post hanc secunda, deincepsque usque ad vigesimam quartam: quæ quidem divisio durat usque in hodiernum diem.* Spatium illud temporis, per quod quæque familia ministrabat in templo, ab eodem scriptore appellatur ἐφημερία; sic enim ille loquitur in Antiquitatibus lib. 12. cap. 8 *Quidam Matthias* D *nomine, filius Joannis, qui fuit Simeonis, ex Assamonæo geniti, Sacerdos ex vice Joaribi, Hierosolymita genere.* Ἐξ ἐφημερίας Ἰωαρίβου. Hac eâdem voce usus est B. Lucas in Evangelio cap. 1. loquens de Zacharia patre Joannis Baptistæ: *erat*, inquit, *de vice Abiâ*, in Græco fonte ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά. Erat ex cognatione, sive ex classe Abiâ; ideò vice suâ cum viris hujus cognationis serviebat in templo per solitum dierum numerum.

HORUM CLASSIUM COLLATIO.

Familiæ, quæ originem ducebant ex Eleazaro.	Familiæ, quæ originem ducebant ex Ithamaro.
1. Joïarib.	17. Hezir.
2. Jedeï.	18. Aphses.
3. Harim.	19. Pheteïa.
4. Seorim.	20. Hezechiel.
5. Melchia.	21. Jachin.
6. Maïman.	22. Gamul.
7. Accos.	23. Dalaïau.
8. Abia.	24. Maaziau.
9. Jesua.	
10. Sechenia.	
11. Eliasib.	
12. Jacim.	
13. Hoppha.	
14. Isbaab.	
15 Be'ga.	
16. Emmer.	

Maimonides in tractatu *Chelim*, sive de Vasis templi cap 4. dicit Moysem Sacerdotes in octo distribuisse curias Earum erant quatuor ex stirpe Eleazari, & ex stirpe Ithamari item quatuor. « Quæ quidem partitio, inquit, mansit ad Samuelem Prophetam: is enim suo tempore simul cum Rege Davide distribuit eos in viginti quatuor curias, quarum suus cuique præerat antistes. Ex his igitur Hierosolymam operatum ascendebat singulis hebdomadibus una curia. Vices mutabantur singulis sabbatis: abibat una curia, & succedebat ei proximè sequens, usque dum ministrassent omnes; atque ad eundem ordinem perpetuò redibant. Ac jubendo sancitum est, ut ad dies solemnes sint æquâ conditione curiæ omnes; ut quicumque peregrè venerit Sacerdos, ad solemnitatem altari ministratum, cum eâ, quæ ex ordine operatur, curiâ ministret pariter, pariterque sacra participet, nec quis ei dixerit: abi, dum curiæ tuæ statum ministrandi tempus appetierit. »

Judæi opinantur, nec prorsus sine fundamento, ait Ligfootius, ex viginti quatuor classibus, tantùm quatuor rediisse ex captivitate Babylonicâ. Verùm reduces, factis viginti quatuor sortibus, inscripserunt nomina viginti quatuor capitum classium illarum; & prout una quæque ex quatuor reducibus eduxit hunc vel illum numerum sortium, constituit numerum diversarum classium. Sic restitutus est antiquus numerus classium. Non omninò conveniunt inter se Judæi quæ fuerint reduces classes. Familia Abiæ inter illas non numeratur; ideò sunt qui observant non ab Evangelistâ dictum de Zachariâ quòd fuerit ex familiâ Abiæ, sed *de vice Abiâ*, quam repræsentabat, sive vices ejus obibat illa familia, ex quâ verè ortus est Zacharias Joannis Præcursoris pater. Una autem quæque classis suum habebat Antistitem, quem Maimonides appellat ממונה *Memone* loco suprà allegato. *Ex curiarum principibus*, inquit, *suam quisque curiam in familias distribuerat, ita ut singulis hebdomadæ diebus singulæ familiæ tota deinceps rem divinam facerent. Et familiarum suum quæque habebat* ממונה Antistitem. Illi Antistites, dicuntur ἀρχιερεῖς, id est, principes Sacerdotum. Ita plures nominantur ἀρχιερεῖς, sive principes Sacerdotes. Cùm autem complura munia obeunda essent; multisque Sacerdotibus non solùm singulæ classes, sed & familiæ classium constarent, sorti committebatur, quod singuli Sacerdotes munus implerent. Id apud Lucam dicitur τάξις τῆς ἐφημερίας *ordo vicis*; quo nempe viri ex tali familiâ obibant munus, quod eis sorte obtigerat.

SECTIO IV.

E *Quæ facere tenerentur Sacerdotes & quibus abstinere tempore suæ vicis, sive ἐφημερίας*

Desinente sabbato, classis subitura locum classis abeuntis, ingrediebatur templum; intra cujus limites usque ad alterum sabbatum noctu diuque perseverabant Sacerdotes, nec indè discedebant toto tempore vicis suæ. Locus erat in quo sternebantur lecti, ibi dormiebant. Erant & pastophoria, cœnacula, ubi vescebantur sacris cibis, nempe panibus & carnibus oblatis Deo. Nam certæ sacrificiorum partes destinabantur in cibos Sacerdotum. Hoc est quod dicit Paulus 1. Corinth. 9. 13. *Nescitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt;*

& qui altari deserviunt, cum altari participant. Pos- A trema pars illa non satis exprimit fontem. Οἱ τῷ θυσιαστηρίῳ προσεδρεύοντες, τῷ θυσιαστηρίῳ συμμερίζονται. Ad verbum *& qui altari assident cum altari dividunt*, sive partiuntur. Hi Sacerdotes assidebant altari tempore vicis suæ manentes in templo; & inter se dividebant portionem victimarum; quæ illis debebatur. Victimis adjungebantur ferta, munera triticea; ut non deessent cibi necessarii ministris. Offerebatur quidem & vinum, sed libabatur, sive effundebatur; neque enim licebat Sacerdotibus, dum in templo versarentur, vinum aut quidquid inebriare potest, degustare, ut suprà diximus, cùm protulimus leges Dei in Levitico 10. & apud Ezechielem 44 quas Rabini irritas faciebant, ut videre est in B illis verbis Maimonidis tractatu de Ratione adeundi templi capite 1. » Omnis Sacerdos, quamvis a- » lioquin ad rem divinam faciendam satis idoneus, » si vinum potasset, interdictum erat in templum » ne penetraret interiùs, quàm erat altare positum: » qui si procederet ulteriùs, atque sacris operaretur, » cùm sacrificium ejus profanum fuisset, tum etiam » meruisset, ut divina vis eum morte multaret. » Nimirùm hùc spectat id quod scriptum legitur, » ne moriamini. Sic se res habebat, Sacerdos si si- » mul & semel quartarium vini hausisset meraci, & » ejusdem quadraginta dies nati. Nam si potasset » minùs quartario, aut inter potandum quartarium » aliquid intermissionis faceret: si vinum aquâ com- » misceret, impunè ferret, nec sacrificium faceret C » profanum, nec si bibisset plus quartario vini recen- » tis è torculari, quod videlicet quadraginta dies nec » dum haberet. Nam si bibisset plus quartario vini » vetustioris, licet aquâ permixti, itemque si faciens » intermissiones plus hoc paulatim sorbillasset, mor- » tem meruisset, & sacrificium faceret profanum. Hæ sunt Rabbinicæ distinctiunculæ, quæ infringebant legem, quam omninò pessumdabat id quod adjungit Maimonides. » Sacerdotum curia omninò » per suam quamque hebdomada vino licebat uti » noctu, non item interdiu: cùmque diebus singu- » lis singulæ tantùm è curiâ familiæ operarentur, » tamen & reliquæ interdiu abstinerent temeto » oportebat: fieri enim poterat ut quæ fami- D » lia vicem suam exercebat, sacris adeò oneraretur, » ut ope reliquorum è curia Sacerdotum indigeret. » Jam quæ familia vices suas obibat, huic interdic- » tum erat, ne temeto uteretur die noctuque, ne » fortè veniret usu, ut cùm noctu potasset, tum ad » rem divinam faciendam nec dum discussâ crapulâ » benè mane aggrederetur.

Nullam tamen exceptionem admittunt verba Scripturæ. Toto eo tempore, quo sacram stolam gestarent, ut loquitur Josephus *Antiquitat.* 3. cap. 10. castitatem, puritatem, & sobrietatem servare tenebantur Sacerdotes; à vino abstinere πίνειν οἶνον ἕως οὗ τὴν στολὴν ἔχωσι κεκαλυμμένοι. Sed forsan dum scriberet Josephus, obtinuerunt Sacerdotes ut tempore vicis suæ, possent, cùm exuerant sacrum amictum, bibere vi- E num, exceptâ nocte, quæ præcederet diem, quâ operaturi erant. Huic distinctioni videntur favere Josephi verba.

De castimoniâ servandâ tempore Ephemeriæ nulla est exceptio, nec controversia. Lex, ut Josesephus adstruit in secundo libro adversùs Appionem, præcipiebat, ne quis intraret in templum, & sacrificaret, nisi etiam à propriâ conjuge purus. *Purificationes quoque lex decrevit à cubili, à lecto, à congressu uxorio.* Quantò magis Sacerdotes tenebantur puri esse dum ministrarent. Gentiles etiam solemnibus diebus, quibus grata diis suis facerent, hoc observabant, licet ipsi non Sacerdotes. Post concubitum etiam legitimum, non licebat rem sacram facere nisi ante lavato & *lustrato corpore.* Jam allegavi illud Tibulli carmen.

Discedat ab aris
Cui tulit hesternâ gaudia nocte Venus.

Cum voluptate legi lectionem Hesiodeam Joannis Georgii Grævii, in quâ colligit testimonia, quibus probat Christianis olim fuisse illicitum sacris operari, si cum uxoribus habitassent; quæ castimoniæ lex servabatur etiam in quibusdam Gentilium templis. Est in Phocide templum Herculis mulierum osoris, & statutum ut Sacerdos toto anno mulieribus se abstineat. Itaque ferè senibus id Sacerdotium committitur. Hæc Plutarchus in libello de Pythiæ oraculis. Sacerdotes Hebræi tempore vicis suæ non poterant uti uxoribus, separati & intra cancellos, ultra quos non illæ perrumpebant. Ergo soluti ab omni aliâ curâ, nec illecti voluptatibus vacabant Dei ministerio; ut de illis verum sit dicere, quod Julianus Apostata forsan falsò tribuebat idolorum Sacerdotibus. Exscribam verba, quibus Interpres ejus eum inducit Latinè loquentem in Fragmentis. *Equidem sic statuo: Sacerdotem oportere noctes atque dies purum se ab omnibus & integrum servantem; tum singulis noctibus iis sa lustrationibus expiantem, quas ritus sacri præscribunt; ita demùm intra templi septa se se continere, tanto dierum spatio, quantùm leges præcipiunt. Etenim Romæ apud nos triginta præstituti sunt dies, alii aliter instituunt. Itaque per omnes illos dies in templis residere ac philosophari meâ quidem sententiâ convenit: neque interim domum petere, vel forum: ac ne magistratum quidem nisi in templis videre: tum verò cultûs ipsum divini sedulò curam capessere, & inspiciendis atque ordinandis omnibus intendere. Expletis porrò legitimis diebus, ubi alteri functione cesserit, & ad humana vitæ negotia se transdiderit, liceat ipsi cùm amicorum frequentare domos, tum, si invitatus erit, conviviis interesse, non omnium, sed optimorum.* Subjungit Julianus in eodem Fragmento. *Illud verò decere Sacerdotes arbitror, ut quandiu intra templi septa sacris operantur, ornatissimam vestem habeant; extra templum, communi neque sumptuosâ nimis utantur.* Sacerdotes veri Dei non poterant, dum morabantur in atrio interiori, exuere vestes sacras; quas deponere debebant, dum exirent in atrium exterius. Ezech. cap. 44 19 *cùmque egredientur atrium exterius ad populum, exuent se vestimentis suis in quibus ministraverant, & reponent ea in gazophylacio Sanctuarii, & vestient se vestimentis aliis: & non sanctificabunt populum in vestibus suis.* Ne populus, cui non fas est, vestes sacras tangens, noxam contrahat.

SECTIO V.

De Sacerdotum principibus: de summo Sacerdote, & ejus unctione. Vicarius illi adjungebatur.

Dignitas pontificia sibi proprium articulum vindicat; ut sicut re, ita & sermone distinguatur. Omnibus Sacerdotibus unus præerat, ergo omnium princeps ἀρχιερεύς. Diximus cujusque classis caput, sive qui primus erat Sacerdos, & nomine principis, ornatum fuisse. Ita non mirum est, cùm plurimæ essent classes, & plurimos principes numerari. Sed unus erat verè princeps, Pontifex maximus, sive magnus Sacerdos, dictus Hebraïcè הכהן הגדול *ha cohen ha gadol*, Chaldaïcè כהנא רבא *cohena rabba*, id est, Sacerdos magnus, sive princeps. Duo nomina Chaldæa Græcis literis expressit Josephus *Antiquit.* 2. cap.

3. cap. 8. *Quoslibet Sacerdotes*, inquit ille, *vocant Hebræi χαναίας*, versio Latina *Chaneas*. Nomen Chaldæum est כהנא *cohana*. *Pontificem verò ἀρχιερέα appellant ἀναρχοῦχην*. Vetus versio Rufini habet *anabarchen*, ita ille legebat ἀναβάρχην; quod Chaldaïcè scriptum est הרבא כהנא *harabba cohena*, id est, Sacerdos magnus.

Quanta esset hæc dignitas satis intelligitur ex sacro codice; eam tamen declarabo verbis Philonis ad Caium Imperatorem; Eam, inquit, Judæi, pluris faciunt, quàm Regiam, *rati quantò Deus antistat homini tantò pontificatum regno excellentiorem. Ad illius enim curam divinas res, humanas ad ejus pertinere.* Juvat audire Maimonidem, qui in apparatu templi, *chele hamikdas*, sive de vasis templi, dignitatem summi Sacerdotis extollit. Summus Sacerdos, inquit capite 5. *oportebat fratres suos superaret omnes decore, viribus, divitiis, sapientiâ, specie*; quod quî fieret fusè exponit. Non vacat totum hocce caput exscribere. Dicit domum Pontifici fuisse paratam in Sanctuario; nempe in loco sancto *hamikdasch*. Hocce nomine appellantur atria tùm Israëlis, tùm Sacerdotum. *Hoc illud est; quod conclave summi Sacerdotis appellabatur. Atque honestum & decorum erat eum in Sanctuario sedere die totâ, ex quo nusquam abibat nisi in domum suam, idque noctu tantùm, aut ad summum horam unam aut alteram interdiu.*

Maimonides in eodem tractatu cap. 4. luculenter explicat quæ de Pontifice scire interest. Cùm disseruisset de viginti quatuor curiis, sive classibus, pergit sic loqui. *Cunctis autem Sacerdotibus præfectus erat summus Sacerdos. Is inaugurabatur unctione olei sacri, & vestimento Sacerdotii magni, ut scriptum vidimus*: Levit. cap. 21. 10. Sacerdos maximus inter fratres suos, super cujus caput fusum est unctionis oleum, &c. *Quod si nullum adesset oleum unctionis, inaugurabatur solo Sacerdotii magni vestimento induendo.* Ibi vestimenta Sacerdotis magni & deinde cæterorum describit Maimonides, de quibus sermonem fecimus in libro tertio; quæ verò observat de unctione, congeram in hunc locum. Dicit cap. 1. oleum quo usus est Moyses, ungendo Aaronem, conflatum myrrhâ, cinnamomo, & casiâ; quæ aquis diluta miscebantur cum oleo. Mirrhâ intelligit Rabbinus concretum sanguinem cujusdam feræ, quæ est in India, quo delibuti homines benè olent. Cinnamomum est ligni genus, quod ex Insulis Indiæ asportatur. Casia verò costus est; nimirùm frutex exiguus in Arabiâ, Indiâ & Syriâ nascens, cujus radix eximii odoris est. In profanos usus vetitum erat pœnâ mortis hoc oleum adhibere; quo solus Sacerdos magnus, qui & dicebatur *unctus belli*, & Reges è Davidica gente ungebantur, *Jam de ungendi modo*, utar verbis Latinis Interpretis Maimonidis, *erat qui capiti Sacerdotis instillaret oleum, quod idem hic paulò suprà oculos Sacerdotis diducebat in formam chi Græci, qualis est ista figura χ quia in lege dicitur.* Levit. c. 8. v. 12. quod fundens super caput Aaron, unxit eum & consecravit. *Jam de gente Davidica Reges ungebantur in capite ad figuram diadematis.* Interpretor ad figuram coronæ, quasi figura literæ O. *Atque in his ipsis, nec alias partes corporis ungere, nec multum olei profundere licebat.*

Hæc mysterio non vacant; neque enim fortuitò factum est ut istâ figurâ fieret unctio in fronte Pontificis, & omninò desierit adveniente Christo. Scilicet Pontifex typus erat ipsius Christi, qui verior extitit Pontifex, quo mediatore accessimus ad Deum & placatum invenimus, signo crucis Christi signati; quo signo signabatur frons Pontificis Judæi. Litera enim Græca X habet formam crucis, tum & inchoat nomen Χριστοῦ *Christi*, quod idem sonat ac *uncti*. Judæi Jesum Christum repudiantes, obtendere non poterant ideò à se non haberi pro *Messiâ*, id est, pro Christo, sive pro uncto, quia naturali oleo, quod destinatum fuerat Pontificibus inungendis, non fuerat unctus; nam ab everso templo Salomonico ipsi sciebant nullum usum fuisse hujus olei. Jesus Christus erat unctus Spiritu sancto. Scilicet ideò affundebatur capiti summorum Sacerdotum unguentum, ut bono odore ad se omnes adducerent; miracula autem quæ Jesus Christus faciebat operante Spiritu sancto satis ad eum alliciebant omnes quotquot delectabantur grato odore virtutis. Pontifex Hebræus agnoscebatur sanctus Dei ex laminâ, quam præferebat frons ejus, sic inscriptâ *Sanctus Dei*. Unus ex illis qui à Dæmonibus agitabantur, videns quæ Jesus patraret, aiebat, *scio quis sis, sanctus Dei*. Marc. cap. 1. v. 24.

Omnia quæ erant Pontificis Judæi, adumbrabant Jesum, cujus morte nobis patebat reditus in cælum, à quo exulabamus; quare facilè redditur ratio hujus legis, quâ homicida qui fugerat in urbem refugii, non poterat in patriam reverti, nisi post mortem hujus qui Pontificatum exercebat. *Debuerat enim profugus usque ad mortem Pontificis in urbe residere. Postquàm autem ille obierit, homicida revertetur in terram suam. Num.* 35. 28. Solus Pontifex non sine sanguine, ut ait scriptor Epist. ad Hebræos, introibat in Sancta Sanctorum; manifestus typus Jesu Christi, qui semel mortuus, meruit per suum sanguinem introire in cælos.

Summus Sacerdos indigebat vicario; etenim munera erant certo die implenda, quæ lex divina non sinebat differri. Attamen interdum contingebat ut vel morbus, vel aliqua legalis impuritas impediret, quominùs operaretur sacris. Quapropter ne deesset minister, qui suppleret vices Sacerdotis magni, destinandus fuerat ei vicarius, quem Judæi appellant *sagan*, cujus officium & nomen non commenti sunt; occurrit enim in Paraphrasi Chaldaïca, in locis quæ de nostro instituto est explanare. In quarto Regum cap. 23. 4. Josias Rex præcepit *Helciæ Pontifici, & Sacerdotibus secundi ordinis, & Janitoribus, ut projicerent de templo Domini omnia vasa, quæ facta fuerant Baal.* Sacerdotes illi secundi ordinis in fonte Hebræo appellantur כהני המשנה *cohene hamischne*, id est, secundarii Sacerdotes. Summus Pontifex appellabatur Chaldaicè כהנא רבא *cohena Rabba*; secundarii verò Sacerdotes in Paraphrasi Chaldaïcâ סגן כהניא *sagan cohenia*, quasi dicas vicarius Sacerdotii. In ejusdem libri Regum capite 25. v. 18. ista legimus. *Tulit quoque princeps militiæ Saraiam Sacerdotem primum, & Sophoniam Sacerdotem secundum & tres Janitores.* Saraias appellatur כהן הראש *cohen harosch* Sacerdos caput, sive primus. Sophonias verò appellatur כהן משנה *cohen mischne*, id est, Sacerdos secundus. Ibi in Paraphrasi Saraias dicitur ut suprà כהנא רבא *cohena Rabba*, & Sophonias סגן כהניא *sagan cohenia*, id est, vicarius Sacerdotis magni. In eodem loco Paraphraseos, quos fons Hebræus appellat custodes הסף, id est, liminis, Græci φυλάσσοντας σταθμὸν, Vulgata verò simpliciter dicit Janitores, non exprimens quos Janitores: in Paraphrasi autem nominantur אמרכלין *immarkalin*, quod nomen Interpres Latinus reddit *custodes thesauri* Vidimus סף *saph* in genere significare *limen*, sed multis in locis Scripturæ intelligendum de limine portæ orientalis, quâ intrabatur in atrium Sanctorum, ubi erat gazophylacium, sive præcipuus thesaurus templi.

Summus quidem Pontifex indigebat vicario, qui

esset perpetuus; sed ad diem quandoque vicarius A ille instituebatur. Exemplum nobis suppeditat Josephus in 14. Antiq. cap 8. *Matthiæ Pontificatu accidit etiam alium Pontificem ad unam diem substitui, quâ Judæi populariter jejunium celebrant* nimirùm festo Expiationis. *Nam Matthias eâ nocte quæ præcedebat diem jejunii, visus est sibi per somnium cum uxore congredi; & cùm ob hoc ad rem divinam faciendam non esset idoneus, Josephus Ellemi filius adjutor vicarius propter cognationem ei datus est.* Etiam quæri posset an unus vel plures fuerint vicarii; quod colligere est ex eo quod in secundo Samuelis cap. 8 legitur v. 17. *Et Sadoc filius Achitob, & Achimelec filius Abiathar, erant Sacerdotes.* Tunc autem Abiathar erat summus Sacerdos; ita Sadoc & Achimelec vicarii ejus, sive secundi Sacerdotes. Hac distinctione primi & secundarii Sacerdotis, viri docti solvunt quod B. Lucas dicit capite 3. 2. ἐπὶ ἀρχιερέων Ἄννα καὶ Καϊάφα *sub principibus Sacerdotum Annâ & Caiphâ*, sic duos Pontifices conjungens, cùm ex lege unus esset Pontifex, & hoc tempore constet ex Josepho Caipham Pontificatum tenuisse. Annas ergo, inquiunt, Caiphæ erat sagan. Alii dicunt, violatis sub Romanorum jugo sacris Hebræorum legibus, duos summos Pontifices simul, sive alternatim etiam eodem anno fuisse. Potuit etiam Anna appellari Pontifex, quòd eam dignitatem antea gessisset; quâ licet exauctoratus, aliquam tamen auctoritatem obtinuerat ex consuetudine. C Ita Annas vel tunc erat sagan, sive vicarius Caiphæ, vel in summo honore. Diu sub Hasmonæis pontificia dignitas fuerat conjuncta cum Regia; & licet tempore de quo fit sermo, sub jugo essent Judæi, attamen jurisdictione aliquâ potiebantur; quæ forsan tunc penes Annam erat, qui ideò nominatur primus, quia erat princeps synedrii magni. Constabat synedrium ex principibus Sacerdotum & senioribus plebis: qui inter hos principes primus erat, potuit nominari cum Caipha. Denique cùm successio Pontificum tunc perturbata esset, moverentur suâ dignitate summi Sacerdotes, aut ad illam assumerentur pro lubitu Romanorum, duo haberi potuerunt pro Pontificibus.

Apud Isaiam cap. 41. v. 25. & apud Jeremiam D cap. 51. v. 57. Nomen *sagan* sumitur pro viro dignitate conspicuo; hinc cùm de ordine Sacerdotali sermo fit, *sagan* meritò habetur pro eo Sacerdote, qui post primum conspicuus est. Secundo Sacerdoti, sive sagan adjungunt Judæi socium, qui ejus vicarius esset, ut ipse sagan supplebat vices Pontificis; hunc socium Judæi appellant קתוקלין *Kathukolin*. Ille pleraque templi negotia, maximè thesauros administrabat. Alii insuper erant custodes thesauri; quos Paraphrasis Chaldaica appellat אמרכלין *immarcalin*. Horum erant & vicarii dicti גזברין *Giszbarin*. De his omnibus audiamus Maimonidem in *Kele mikdash*, sive de apparatu templi. cap. 4. n. 15. » Summum Sacerdotem creabat unus ille sena- E » tus, qui unius & septuaginta erat hominum. Summus Sacerdos non inaugurabatur olei unctione, » nisi interdiu, quia in lege est (Levit. cap. 6. v. » 20.) in die unctionis suæ. Qui si vestibus solùm » augeretur, itidem non inaugurabatur nisi de die: » & summi Sacerdotes duo simul non fiebant. Constituebatur autem Sacerdos, qui dignitate proximus esset à summo Sacerdote, sic tanquam in administratione regni est secundus à Rege. Is vicarius appellatur סגן *sagan*. Idem etiam dicebatur » Antistes ממונה *memuna*, id est, præfectus. Is igitur ad dexteram summi Sacerdotis semper adstabat, quod huic tribuebatur honoris causâ: reliqui deinde Sacerdotes erant ad manum vicarii.

» Præterea autem creabantur קתוקלין Kathukolin, subvicarii, qui sagan vicario essent idem, quod « ipse Pontifici: hi erant ad minimum duo. Porrò « אמרכלין immarcalin, id est, præfecti creabantur « non pauciores quàm septem, quibus committebantur claves atrii, cujus aperiendi potestatem omninò nullus eorum separatim habebat: sed opus « erat ut convenirent, & simul atrium reserarent « omnes. Et qui parerent hisce præfectis, creabantur « גזברין Gizbarin, id est, quæstores non pauciores « tribus. Horum munus erat ut quæcumque Deo « devota fuissent ac constituta, exigerent aut ipsa, « aut si pretio redimerentur, eorum pretium, quod « deinde rebus idoneis impenderetur. «

B Juxta Maimonidem in eodem tractatu, summus Sacerdos superare debebat cæteros omnes decore, viribus, divitiis, sapientiâ, specie; nec se levem præbere: cavere etiam ne quis eum conspiceret in balneo nudum; aut in latrinâ, aut etiam dum tonderetur offenderet. Idem nec commessationem, nec convivium publicum, quamvis sacrum inibat. Lugentes autem, si vellet, invisebat. Vestes suas non ita, ut cæteri Sacerdotes, super mortuo lacerabat; sed ei permissum vestimentorum inferiora discindere. Nunquam multam nutriebat comam, sed eam tondebat singulis sabbati vigiliis. Summus Sacerdos & judicabat ipse, & judicabatur. Unicam ducebat uxorem, eamque virginem, &c.

SECTIO VI.

Decora dignitatis pontificiæ enarrat Ecclesiasticus, laudans Simonem Pontificem Oniæ filium. De stola, quæ erat hujus dignitatis insigne; & de Judæorum circa illam veneratione.

Visum est huic loco inserere caput 50. Ecclesiastici, cui lucem afferre possunt ea quæ modò & antea diximus de summis Pontificibus. Ecclesiasticus, sive Jesus filius Sirach in primis quinque versiculis hujus capitis laudat Simonem Oniæ filium, Sacerdotem magnum, ab operibus ejus circa instaurationem templi. Hos primos versus suo loco exposuimus: prosequar sequentes à quarto usque ad vigesimum sextum.

4. *Qui curavit gentem suam & liberavit eam à perditione.*

Tunc temporis Reipublicæ administratio & regnum erant penes summos Pontifices. Curavit Simon ne gens facilè ab hoste opprimeretur. In Græco fonte: *qui firmavit urbem adversùs obsidionem*, ut scilicet oppugnationem sustinere posset.

5. *Qui prævaluit amplificare civitatem, qui adeptus est gloriam in conversatione gentis: & ingressum domûs & atrii amplificavit.*

Prima illa verba: *Qui prævaluit amplificare civitatem*, conjungenda cum superioribus *qui prævaluit*: ἐνισχύσας πόλιν ἐμπολιορκῆσαι *fortificans civitatem ad obsidendum*, id est, adversùs obsidionem. Postea in fonte est ὡς ἐδοξάσθη ἐν περιστροφῇ. *Quàm glorificatus est in conversatione gentis.* Ecclesiasticus sibi videtur videre Simonem exeuntem ex Sancto Sanctorum, & admiratur majestatem ejus cùm revertitur ad populum, & ab eo circumdatur. *Et ingressum domûs & atrii amplificavit.* Sic Vulgatus: longè abiens à fonte Græco, qui sic exprimi potest: *in egressu domûs velamenti.* Dum scilicet egrederetur ab eâ parte templi, quæ erat intra velum; nempe à Sancto Sanctorum, si quidem templum, ut vidimus, οἶκος appellabatur; & proinde οἶκος καταπετάσματος Sanctum Sanctorum designat.

6. *Quasi stella matutina in medio nebula, & quasi luna in diebus suis lucet.*

7. *Quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei.* A

Ecclesiasticus, ut dixi, sibi videtur videre Simonem redeuntem à Sancto Sanctorum; ita à consortio Dei. Ergo comparat illum sideri lucido, cujus splendorem tenebræ noctis augent, & lunæ, cùm attigit plenilunium; etiam soli: in fonte, *ut sol effulgens in templum Dei.* Ὡς ἥλιος ἐκλάμπων ἐπὶ ναὸν ὑψίστου. Intelligo solem orientem, cujus ortum templum spectabat. Sol potissimùm lucidus est, cùm oritur. Pergit Ecclesiasticus assimilare Simonem rebus omnibus, quarum aspectus jucundus erat.

8. *Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, & quasi flos rosarum in diebus vernis, & quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ, & quasi thus redolens in diebus æstatis.*

B Quasi Iris illustrans nubes, quas quodammodo reddit gloriosas. Vere novo rosæ videntur amœniores; sicut & lilia magis placent: & vividior color eorum, cùm irrigantur transitu aquarum. In fonte pro *quasi thus* βλαστὸς λιβάνου *germen Libani*, id est, thurea virga, de quâ sic Virgilius *solis est thurea virga Sabæis.* Arbos est, ex quâ thus defluebat pretiosissimum.

9. *Quasi ignis effulgens, & thus ardens in igne.*

Nempe persimilis columnæ fumi ex thure quod adoletur; cujus aspectus gratissimus erat, unde huic assimilatur sponsa in tertio capite Canticorum *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris & universi pulveris pigmentarii.* C Sicut columna fumi suffita myrrhâ & thure.

10. *Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.*

11. *Quasi oliva pullulans, & cypressus in altitudinem se extollens, in accipiendo ipsum stolam gloriæ, & vestiri eum in consummatione virtutis.*

Scilicet his rebus omnibus comparat auctor Simonem, cùm eum cogitat indutum stolâ pontificiâ cum omnibus suis ornamentis συντελείᾳ καυχήματος, id est, indutum perfectissimâ magnificentiâ.

12. *In ascensu altaris sancti, gloriam dedit sanctitatis amictum.*

D Quoties summus Sacerdos hisce vestibus indutus ascendebat ad altare, illustrabat omnem ambitum templi, gemmarum nempe fulgore. Etenim Περιβολὴ Græcis sonat quidem idem quod *amictus*; sed & significat *ambitum*; in qua significatione si accipiatur, locus apertus est. Illustrabat, inquam, Sacerdos totum ambitum atrii, in quo erat altare.

13. *In accipiendo autem partes de manu Sacerdotum & ipse stans juxta aram. Et circa eum corona fratrum: quasi plantatio cedri in monte Libano.*

14. *Sic circa illum steterunt quasi rami palmæ, & omnes filii Aaron in gloria sua.*

Differentes de pompâ sacrificiorum, vidimus oblatæ victimæ, postquàm dissecta erat, partes delatas à pluribus Sacerdotibus ad altare, & acceptas à summo Sacerdote, quas agitabat, id est, fursùm deorsùm agitabat, intuens Orientem. E Puto Ecclesiasticum alludere ad hunc morem, & intueri summum Sacerdotem hocce munere defungentem, juxta aram, ad pedem collis, quo ad focum altaris ascendebatur. Hùc afferebantur partes victimæ; quas ille agitabat, spectans Orientem. Ita conversus ad plebem se præbebat conspicuum, & circa illum stabant cæteri Sacerdotes veluti cedri in monte Libano ὡς βλάστημα κέδρου ἐν τῷ Λιβάνῳ. In quibusdam codicibus legitur, κέδρων. Nimirùm illi Sacerdotes erant veluti germina cedrorum circùm excelsam cedrum, ex quâ germinant. Vel illa Sacerdotum corona erat instar ramorum palmæ, qui illam circumdant. A *Et omnes filii Aaron in gloria sua*, summa erat gloria Aaronis, qui horum coronâ cingebatur, populo aspectante.

15. *Oblatio autem Domini in manibus ipsorum, coram omni synagogâ Israël: & consummatione fungens in arâ, amplificare oblationem excelsi Regis.*

Deferebant filii Aaron membra victimæ cum pompa, coram cœtu omnis Israel, qui intererat sacrificio; cujus consummatio fiebat in arâ, cùm super foco ejus partes comburendæ disponebantur, & omnis incendebatur adeps. *Amplificare oblationem excelsi Regis.* In fonte κοσμῆσαι προσφορὰν ὑψίστου *ad ornandum oblationem excelsi:* nempe fiebant hæc omnia, ut sacrificium magis esset solemne.

16. *Porrexit manum suam in libatione & libavit de sanguine uvæ.*

B 17. *Effudit in fundamento altaris odorem divinum excelso principi.*

Prosequitur Ecclesiasticus ordinem sacrificii. Cùm adeps incendebatur, fiebat libatio vini, quocum quasi miscebatur fumus adipis, ut esset veluti odoramentum thuris fumantis. Juxta illud Numerorum capite 18. v. 17. ... *sanguinem totum eorum fundes super altare, & adipes adolebis in suavissimum odorem Domino.*

18. *Tunc exclamaverunt filii Aaron; in tubis ductilibus sonuerunt, & auditam fecerunt vocem magnam in memoriam coram Domino.*

Non antea fiebat conclamatio in templo, nec tubæ C inflabantur, quin priùs fieret vini libatio. Suprà allegavimus ex Ligfootio hanc regulam Thalmudicæ traditionis: *Nullus dicit canticum nisi post vinum oblationis*, &c. Tubæ ductiles sunt quæ fiunt ex ære quod malleo ducitur.

19. *Tunc omnis populus simul properaverunt & ceciderunt in faciem super terram, adorare Dominum Deum suum & dare preces omnipotenti Deo excelso.*

Tunc celeriter omnes ceciderunt in faciem & adoraverunt Deum.

20. *Et amplificaverunt psallentes in vocibus suis, & in magnâ domo auctus est sonus suavitatis plenus.*

D Post conclamationem & sonitum tubarum ἤνεσαν οἱ ψαλμῳδοὶ ἐν φωναῖς αὐτῶν. Cantores, Psaltæ, laudaverunt Deum in vocibus suis; hymnos decantaverunt, quibus Dei laudes celebrabant; ita ut in templo, quod erat domus Dei, audiretur sonus suavissimus; nam citharæ & tibiæ aures sic pulsabant, ut non impedirent quominùs verba, quæ Musici recitabant, distinguerentur.

21. *Et rogavit populus Dominum excelsum in prece, usque dum perfectus est honor Domini, & munus suum perfecerunt.*

Non enim cantabat populus in templo, sed orabat usque dum Sacerdotes omni suo munere orandi, cantandi, psallendi, suffitum faciendi essent perfuncti; quæ munera ibi comprehenduntur nomine E κόσμος, quod à Latino Interprete redditur *honos*.

21. *Tunc descendens, manus suas extulit in omnem congregationem filiorum Israël, dare gloriam Deo à labiis suis, & in nomine ipsius gloriari.*

Post peractum sacrificium, summus Sacerdos descendens ex altari ad quod ascenderat, benedixit populo de more 9. 22. Levit *Et extendens manus ad populum, benedixit ei. Sicque completis hostiis pro peccato & holocaustis & pacificis, descendit.* De ista benedictione, in qua nomen Dei magnum *Jehova* efferebatur, fusè locuti sumus.

23. *Et iteravit orationem suam, volens ostendere virtutem Dei.*

Etenim non paucis verbis concipiebatur bene-

dictio illa; sed fusè prosequebatur Dei virtutem, A ut videre est in illâ benedictione, quâ Salomon post peractam templi dedicationem benedixit populo.

24. *Et nunc orate Deum omnium, qui magna fecit in omni terrâ, qui auxit dies nostros à ventre matris nostræ, & fecit nobiscum secundùm suam misericordiam.*

Excitat populum ad gratias Deo agendas ob continua sua beneficia, ut nova veteribus accumulet.

25. *Det nobis jucunditatem cordis, & fieri pacem in diebus nostris in Israel per dies sempiternos.*

26. *Credere Isaël nobiscum esse Deï misericordiam, ut liberet nos in diebus suis.*

Ἐμπιστεῦσαι μεθ' ἡμῶν τὸ ἔλεος, hoc est, excitat nos ut oremus Deum ratam facere suam erga nos benignitatem, B quam scilicet per Prophetas promisit. Hîc ἐμπιστεύειν est fidem facere, confirmando per eventum.

27. *Duas gentes odit anima mea: tertia autem non est gens quam oderim.*

28. *Qui sedent in monte Seïr, & Philistiim, & stultus populus qui habitat in Sichimis.*

Simul Pontifex magnus maledicebat Judæorum hostibus; quorum præcipui, hi sunt qui sedent in monte Seïr, nempe Idumæi, posteri Esaü qui fratrem suum Jacob persequebatur; secundi Philistiim, qui olim perpetua bella cum Israële gesserunt; denique hi qui habitant in Sichimis, nempe Samaritani, quorum metropolis Sichima. Hi non poterant reputari gens, sed colluvies multarum gentium, C quas liber Regum quartus cap. 16. v. 30. enumerat. Samaritani dicuntur stulti, quia adorabant quod ignorabant, ut illis exprobrat Dominus apud Joannem cap. 4. v. 22. Consuetum erat Judæis in synagogis suis maledicere inimicis suis; quod & hodie faciunt sub Cuthæorum nomine Christianis.

Ut absolvam quæ spectant pontificiam dignitatem, munera & decora ejus, dicam quæ esset Judæorum religio & veneratio erga pontificiam stolam; sed protinùs amovenda opinio illam fuisse quidpiam simile his stolis, quibus nunc utimur; quæ non tam amictus, quàm ornatus sunt. Stola Græcis & Latinis est genus vestis promissæ quæ ad talos demissa erat. Apud Romanos, vulgò vestis D muliebris: apud Judæos, vestis pontificia, sive propria summo Sacerdoti, cum omni suo ornatu appellatur à Josepho Στολή. De illa veste fusè locuti sumus in tertio hujusce operis libro. Ex descriptione ejus liquet illam fuisse decoram, quâ indutus summus Pontifex oculos perstringebat. Multâ curâ & religione servabatur à Judæis, & satagebant omni ratione ne sibi substraheretur. Hyrcanus Pontifex sui nominis primus, inquit Josephus, in Antiquitatibus 18. 6. ubi recipiebat privatum habitum, stolam deponebat in turri, quam opportuno loco propè templum ædificaverat. Idem mos fuit successoribus suis; & Herodes cùm hanc turrim exornavisset, quam de nomine Antonii appellavit, in eodem pariter loco voluit, ut servaretur stola pontificia, ra- E tus eò magis obnoxium se habiturum populum. Romani verò postquàm Judæam in provinciam redegerunt, ibidem & pontificiam stolam curabant servandam in cellâ ad hoc ipsum structâ, & obsignatâ sigillo Pontificum atque custodum sacri ærarii. Animadversione autem dignum est, quod narrat Josephus de ipsa religione Romanorum circa hanc stolam. Turris Antoniæ præfectus quotidie lucernam accendebat in cellâ ubi deposita hæc stola; quam septimo ante festum die exhibebat Pontifici, qui eâ priùs purificatâ utebatur sacrorum tempore, sequenti vero die rursùm reponebat in cellam, ubi antea condita fuerat. Vitellius ut genti gratificaretur, inquit Josephus, in nostrorum Pontificum potestatem tradidit hanc stolam; jubens securum esse præfectum quònam illa reponeretur, aut quando proferretur in usum Pontificum.

SECTIO VII.

De successione & catalogo summorum Pontificum ab instituto Tabernaculo, usque ad eversionem templi.

Series nobis texenda Pontificum, qui tum in Tabernaculo, tum in templo præfuêre rebus sacris. Primus omnium Pontifex, Deo jubente, Aaron à Moyse creatus est. Cùm autem, ut bona paterna, sic & Sacerdotium hæreditate perveniret ad filios; Aarone mortuo, Eleazarus, qui post mortem Nadab & Abiu evaserat primogenitus, summus Sacerdos factus est. Sic rectâ lineâ primogeniti in familia Aaronis per plures annos Pontificatum obtinuêre; sed id non fuit perpetuum, ut videre est in sequenti stemmate.

Successio summorum Pontificum.

1. Aaron.
2. Eleazar.
3. Phinees.
4. Abisue.
5. Bocci.
6. Ozi.
7. Zaraias.
8. Merajoth.

} 1. Paralip. cap. 6.

9. Heli. Ille erat ex Ithamaro oriundus (1. Reg. cap. 1. v. 9.) Ita sub illo à linea Eleazari ad lineam Ithamari transiit Sacerdotium, nec primogeniturae ratio habita est: delatum Sacerdotium huic, qui dignior videbatur, ex Aaronicâ quidem familiâ, sed non è linea primogeniti.
10. Phinees. 1. Reg. cap. 4. Ille ortus ex Heli.
11. Achitob. 1. Reg. cap. 14. v. 3.
12. Achias, vel Achimelec. Ibidem.
13. Abiathar. Ibidem cap. 22. v. 20. Ille ejectus est ex summo Sacerdotio à Salomone 3. Reg. cap. 2. v. 26. Ita à filiis Heli, sive à linea Ithamari rediit Sacerdotium ad lineam Eleazari, inter cujus posteros numeratur Amarias sequens Sacerdos magnus 1. Paralip. cap. 6. v. 7.

Amarias.
Achitob.
Sadoc. Josephus *Antiquit.* 10. cap. 11. summos Sacerdotes, qui extiterunt post extructum à Salomone templum, usque ad reædificationem ejus, sequentes numerat.
Achimas.
Azarias.
Joramus.
Iflus.
Axioramus.
Phideas.
Sudeas.
Julus.
Jothamus.
Urias.
Nerias.
Odeas.
Saldumus.
Elias.
Sareas.
Josedech, qui captivus Babylonem pertractus est.

Hi omnes, inquit Josephus, quasi per manus traditum Sacerdotium, filii parentum successores ac-

ceperunt, continuatâ generis ſerie. Hujus Joſedec frater erat Eſdras. A

In primo templo, inquit ſcriptor Thalmudis (Joma cap. 1.) *ſummi Sacerdotes miniſtrabant, filio ſemper patri ſuccedente; & illi fuêre octodecim numero: ſed in ſecundo templo conſtituebant ſummum Sacerdotem pro pecunia; & quidam dicunt eos ſe invicem interfeciſſe veneficiis, adeò ut quidam dicant fuiſſe octoginta Sacerdotes in eo ſpatio, quidam unum & octoginta, alii duos & octoginta; alii tres & octoginta, alii quatuor & octoginta, alii quinque & octoginta.* Joſephus ab Aarone uſque ad Phanaſum, quem belli tempore ſeditioſi declaraverant Pontificem, numerat octoginta tres ſummos Sacerdotes. Catalogum Pontificum à reſtaurato templo, qualem B eum exhibet Ligfooth, ſubjiciam. De illa autem ſucceſſione duos libros doctrina refertos edidit Joannes Seldenus.

1. Joſua filius Joſedech.
2. Joiakim.
3. Eliaſib.
4. Joiada.
5. Jonatham vel Johahnan.
6. Jaddua. Hujus frater Manaſſes; qui in uxorem ducens Sanaballetis filiam; occaſionem dedit ædificationi templi in monte Garizim.
7. Onias.
8. Simon, vel Simeon juſtus, quem magni faciunt Hebræi; & faciunt ultimum ex illis centum viginti viris magnæ ſynagogæ Eſdræ. C
9. Eleazar; Simeonis frater. Dicunt ab hocce Eleazaro miſſos ad Ptolomæum Philadelphum ſeptuaginta ſeniores, qui legem in Græcam linguam verterent.
10. Manaſſes Eleazari patruus.
11. Onias filius Simeonis juſti.
12. Simon filius Oniæ.
13. Onias filius Simeonis.
14. Jeſus; ſive Jaſon frater Oniæ.
14. Onias frater Jaſonis, vel Jeſu, qui ſe & Menelaum vocavit; & valedixit legibus, advocans Antiochum Epiphanem, qui evertit omnes leges ac religionem; & Judæos afflixit malis; quibus excitatus Mathathias ex claſſe Joarib defenſionem D religionis & libertatem patriæ ſuſcepit. Antea non ſolebat hic honor ſemel aſſumptus abrogari; dicit Joſephus libro 15. cap. 3. ſed primus Antiochus Epiphanes eam legem violavit, abdicato Jeſu, & ſubſtituto Oniâ fratre ejus.
16. Mathathias.
17. Judas Mathathiæ filius cognomento Macchabæus: ejus tempore quidam Alcimus geſſit nomen ſummi Sacerdotis. Ex Sacerdotali quidem prole oriundus erat; cæterùm homo impius; quo mortuo Pontificatum populus tradidit Judæ Macchabæo, ut adſtruit Joſephus libro 12. Antiquit. cap. 17. Judas autem filius erat Mathathiæ Sacerdotis, filii Joannis, filii Simeonis, filii Haſmonæi (undè domûs nomen, ut cenſet Seldenus) atque ex claſſe Sacerdotali Joarib, ut legimus in primo Macchabæorum cap. 2. v. 1. E
18. Jonathan ſucceſſit fratri ſuo Judæ.
19. Simon frater ejus ei ſucceſſit.
20. Joannes Hircanus; qui templum Gariſitanum diruit.
21. Ariſtobulus filius ejus, primus nomen Regium aſſumpſit.
22. Alexander.
23. Hircanus.
24. Ariſtobulus.
25. Alexander.
26. Antigonus.
27. Ananelus factus ſummus Sacerdos ab Herode.
28. Ariſtobulus: hunc curavit ſuffocari Herodes.
29. Jeſus filius Faventis.
30. Simon filius Boethi: hujus filiam cùm in uxorem duxiſſet Herodes, fecit hunc ſummum Sacerdotem.
31. Matthathias filius Theophili.
32. Jozarus filius Simonis frater uxoris Herodis.
33. Eleazar, factus ſummus Sacerdos ab Archelaö Rege.
34. Jeſus filius Siæ.
35. Jozarus.
36. Ananus, remoto Jozaro, factus eſt ſummus Sacerdos à Cyrenio.
37. Iſmaël, promotus à Valerio Grato, ejecto Anano.
38. Eleazar, filius Anani, pulſo Iſmaële, ab eodem Grato promotus.
39. Simon, filius Kanith, ab eodem Grato conſtitutus eſt.
40. Caiaphas, qui etiam vocatur Joſeph; hunc & promoverat Gratus.
41. Jonathan, filius Anani, factus ſummus Sacerdos à Vitellio loco Caiaphæ, quem exauctoravit.
42. Theophilus, frater Jonathanis; remoto Jonathane.
43. Simon, dictus Kanterus, conſtitutus ab Herode Agrippâ.
44. Jonathan, filius Anani, reſtitutus ab Agrippâ.
45. Matthias, ſubſtitutus Jonathani.
46. Ælionæus.
47. Joſephus, filius Kanei.
48. Jonathan, qui trucidatus eſt inſidiis Præſidis Felicis.
49. Iſmaël, filius Fabi.
50. Joſephus, filius Simonis.
51. Ananus, filius Anani; interfecit Jacobum fratrem Domini noſtri. Dictus eſt Ananias; quem non agnoſcens Paulus appellaverat dealbatum parietem.
52. Jeſus Anano ſubſtitutus eſt.
53. Matthias, filius Theophili. Atque hic cœperunt bella Judæorum, quæ tandem eos peſſumdederunt.

Joſephus [Antiq. lib. 20. cap. 8.] ſcribit numerari ab aliquibus viginti ſummos Pontifices ab Herodis principatu, uſque ad diem quâ templum & urbs incendente Tito conflagraverunt; per intervallum centum & ſeptem annorum. Circa hocce tempus, tumultus & ſeditiones tantam confuſionem induxerant in ſummum Sacerdotium; dum hic aut ille eligitur; vel exauctoratur, juxta libidinem factionum quæ potentiores erant, ut is confuſum opus, inquit Ligfootius, aggreſſurus eſſet; qui ſuſciperet ſummorum Sacerdotum horum temporum catalogum edere nec neceſſe eſt; etenim everſo templo; aut ſtatim evertendo, jam Moſaïcis Sacerdotibus cujuſcumque ordinis non ultra futurus erat locus.

CAPUT VI.

De muniis templi quotidianis. Illa Sacerdotes sortiebantur. Quâ horâ inchoabantur. De jugi sacrificio, de quotidiano suffitu.

SECTIO I.

Quomodo fieret diversorum operum in templo sortitio. Quo signo hora eorum indicabatur.

DE ministris egimus; jam de ministerio. Sermo autem inchoandus à quotidiano. Quale illud fuerit in Tabernaculo diximus in tertio libro. Ad id cum, in quo versamur, pertinent quæ propria fuere templo. Ministerium templi complectitur munia, quibus defungendum erat cuique ministro; quæ cùm essent numero propè infinita, requirebant plures numero ministros; qui sibi impedimento fuissent, si eum, cui opus incumbebat, latuisset quibus vicibus, quâ horâ, quove loco esset suscipiendum. Primò proferam testimonium Aristeæ, de dexteritate Sacerdotum in ministerio suo. Dum ille scriptor pertexit Historiam elaboratæ Græcæ versionis Scripturarum à LXX. Interpretibus, huic Historiæ tanquam ornamentum assuit descriptionem templi, & rerum quæ in eo fierent, sic loquens de ministris Sacerdotibus. » Sacerdotes verò ministeria » peragentes, omnino virium robore præstant, cum » summâ ornatûs ac silentii reverentiâ. Nam om- » nes sponte intenti sunt laboribus, licet valdè mo- » lestis. Ac suæ cuique demandatæ partes sunt curæ, » sine intermissione ministerii. Alii enim ligna, a- » lii oleum, alii similam, alii aromata in ministerio » suo curant: alii integras carnes hostiarum com- » burunt, utentes in hoc magnâ virium & inten- » tione & dexteritate. Apprehensa enim utrisque » manibus vitulorum crura, quæ singula talenti ferè » pondo habent, per vices utrâque manu sursùm » porriciunt mirâ industriâ in altitudinem satis mag- » nam: nec in iis excipiendis errant. Simili modo » porriciunt etiam ovium crura, nec non & capra- » rum, quæ mirificè & pondere & pinguedine ex- » cellunt. Nam quod jam dictum est, ita peragi- » tur, ut ad id, à certis quibus hoc curæ est, per » omnia seligantur, quæ & labe reprehensionis » omni vacent & pinguedine excellant. Ad quietem » autem habent locum certum, ubi quiescentes re- » cumbunt: atque indè usi quiete, alacres & prom- » pti excitantur, nemine ipsis ministerii officia im- » perante. Tantumque ubique silentium, ut putes » in illo loco nullum prorsus esse hominem: cùm » interim & Sacerdotum ministrantium sint circiter » septingenti, & eorum qui hostias adducunt, val- » dè magnus numerus. Ita omnia cum reverentiâ, » & ut convenit magnæ divinitati, peraguntur. Quâ fide dignus sit Aristeas suprà significatum est. Veris falsa remiscet.

In diversitate muniorum, & ministrorum multitudine, necesse erat ut ordo perturbationem expelleret. Ortus præscribebat cuique fermè omne munus proprium. Ministri omnes de gente Leviticâ distributi erant secundùm diversas cognationes, & destinati certo officio; ad quod ergo exercendum nascebantur. Sed cùm quæque cognationes constarent pluribus viris, & toti cognationi congruerent plura munia, sorti committebatur quid à singulis esset perficiendum.

Singulis diebus præfectus ille, qui sortium dice-

A batur, vocabat cunctos Sacerdotes ad jaciendas sortes. Hoc fiebat in synedrio. « Qui sortibus præsidebat, ab eo quotidie fiebat sortitio de Sacerdotibus, ut horum quisquis id quod sorte sibi obtigisset, munus efficeret. Fiebat igitur quater in « die sortitio, cujus rationem in tractatu de jugibus sacrificiis explicabo « Hæc Maimonides in tractatu de Apparatu templi. In tractatu autem de Jugibus sacrificiis dicit cap. 4 « Omninò operationes istæ quotidianæ sortitò distribuebantur omnes: « sortitionis erat ista ratio. Postquàm aurora surrexerat, cunctarum quæ erant de die operaturæ fa- « miliarum Sacerdotes in conclave lapidis quadrati « introibant omnes velati vestimentis Sacerdotali- «

B bus. Ibat cum illis una & is qui sortibus præfectus « erat: ex Sacerdotibus in orbem consistentibus a- « licui cidarim præfectus sortium de capite tollebat, « atque restituebat: hic enim erat à quo fiebat nu- « merandi initium..... Jam sortitio hoc modo fie- « bat: stabant Sacerdotes in orbem, qui iidem com- « muniter numerum aliquem proponebant, octo- « ginta, centum, mille, aut quemcumque volebant « numerum. Indè præfectus illis imperabat ut digi- « tos porrigerent; & illi porrigebant, alius unum, « alius duos: si quis porrigeret tres, tres illi nume- « rabantur. Non porrigebatur autem in Sanctua- « rio pollex propter homines fraudulentos: pollex « enim brevior est, atque facilis ad diducendum & «

C comprimendum. Si quis autem pollicem diduce- « ret, hic illi non numerabatur. Jam initium nume- « randi præfectus ducebat ab illo homine, cui prin- « cipio cidarim sustulerat: porrò autem digitos om- « nium dinumerare pergebat, ibatque in orbem tan- « diu donec numerus ille constitutus compleretur. « Cujus in digito complebatur numerus, is sorte « primus ad operandum aggrediebatur. » Numerus constitutus percensebatur in digitis, non in hominibus ipsis, quia numerum Israëlitarum recensere, nisi per res alias non licebat, ait Maimonides; scriptum enim est 1. Reg cap. 15. v. 4. *Et recensuit eos* cum agnis. « Singulis diebus, pergit loqui Maimonides, manè sortitiones fiebant quatuor. Prima « sors ducebatur de altari purgando, quod præsta- « bat is, cui purgatio altaris sorte obvenerat. Idem «

D ille rogum exstruebat, & lignorum segmenta duo « in altare portabat: porrò idem plenum ignis thu- « ribulum de altari exteriori deportabat ad altare « aureum, ad suffimentum incendendum. « Non vacat totum exscribere Maimonidem; contraham ergo. Cui secunda sors obtingebat, is sacrificium juge matutinum faciebat, adjutus tredecim ministris; de quorum functionibus agemus proximo articulo. Cui tertia sors, suffimentum adolebat. Quartâ sortitione eligebantur, ii qui de colle membra victimæ ferrent ad altare, eâ pompâ de quâ sermo fiet. Sacerdotes ita sortitos munia sua temporibus vicis suæ nos Lucas docet, narrans de Zachariâ. *Factum est autem cùm Sacerdotio fungeretur in ordine vicis*

E *suæ* ἐν τῇ τάξει τῆς ἐφημερίας αὐτοῦ. Sed maximè quod subjungit Evangelista. *Secundùm consuetudinem Sacerdotii, sorte exiit ut incensum poneret.*

Quæ Rabbini dicunt de ratione sortitionis valdè mihi suspecta sunt; requirebat enim longiorem temporis moram, quàm pateretur celeritas, quâ multiplicia munia inchoanda & perficienda erant. Verisimilius est de more fuisse conjectas sortes in urnam, sive in sinum, undè educerentur, sicut dicitur in Proverbiis 16. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* Rabbinorum commento, ut opinor, locum dedit Scriptura malè intellecta, ubi dicit populum numeratum in agnis. Quod ita interpretari licet, ut ex numero agnorum Pascha-

lium initus sit populi numerus; quod tempore Cestii, A referente Josepho, *de bello 7. 17.* factum est. Cùm esset significandum tempus cujusque muneris, ordo & decor ministerii postulabant ut id fieret congruentibus signis. Signa vel auribus vel oculis ingeruntur. Vexilla propter colorem conspicua sunt, quia extensa qualis est mappa, sive panniculus candicans, quem Prætor Romanus in signum committendorum ludorum attollebat, vel mittebat. Tali signo & Sacerdotes usos esse in templo docet nos Mischna in tractatu *Tamid*, sive de jugi sacrificio. In capite 7. sectione 3. dicitur Saganem, nempe vicarium summi Pontificis, habuisse in manu סודרין *sudarin*, quod Judæi interpretantur *velum, panniculum*, Græci σουδάριον Latini dicunt *sudarium*; B quam vocem aut illi à Syris acceperunt, aut Rabbini à Latinis, vel à Græcis. Sagan, inquam, habebat in manu sudarium, cujus agitatione signum edebat. Quando Sacerdos magnus volebat adolere, ut ibi dicitur, conscendens altare holocaustorum priùs libabat vinum, *Sagan*, sive vicarius *stabat ad cornu, & sudaria erant in manu ejus, duo etiam Sacerdotes stabant ad mensam adipum.* Maimonides & Bartenora ibi observant in colle altaris duas fuisse mensas, unam argenteam, cui imponebantur adipes, alteram marmoream, ad reponenda membra victimarum. *Et duæ tubæ argenteæ in manibus eorum, & clangebant sono æquali, tum fracto, postea iterùm fixo & æquali, & veniebant & stabant apud Ben Arsa.* Nomen est alicujus viri, qui opti- C mè tympana pulsare noverat. *Unus ad dextram, alter ad sinistram ejus: quando incurvabat se ad libandum Sagan, agitabat sudaria, Ben Arsa cymbalum pulsabat, & Levitæ dicebant canticum; ubi absolverant versum, clangebant, & populus curvabat se.* Sudaria non poterant esse conspicua nisi iis qui consistebant in atrio Sacerdotum in circuitu altaris. Signum tubarum & cymbalorum ab omnibus audiebatur.

Præterea in eodem tractatu Mischnæ de Jugi sacrificio, mentio fit instrumenti, quod appellant מגריפה *magrepha*, quo vox præconis augeri poterat, ut longiùs ferretur. *Ab urbe Jericho audiebant vocem* המגריפה. *Magrepha* erat instrumentum mu- D sicum, ait Maimonides cap. 3. sect. 8. decem habens foramina. Tum & voce signum dabat Præco. Tam valida autem erat vox Gabini cujusdam, dicit Misna, ut ab urbe Jericho audiretur. Porrò Præco hæc, si Mischnæ habenda fides, ante ortum auroræ clamabat: *Conferte vos Sacerdotes ad ministeria vestra, & Levitæ ad suggestum vestrum.*

Capite 5. sectione 6. Mischnæ de Sacrificio jugi sermo fit de ministris, qui purgationem altaris sortiti erant. *Ubi venerant inter vestibulum & altare, unus sumpsit magrepham, & aspersit illud inter vestibulum & altare: alter alterum non audiebat Hierosolymæ, propter vocem magrephæ, quæ tribus usibus inserviebat; Sacerdos qui audiebat vocem ejus,* E *scivit quòd Sacerdotes convenirent ad incurvandum, currebat, accedebat: Levita, quando audiebat vocem ejus, scivit fratres suos Levitas convenisse ad canendum, currebat & accedebat, & caput stationis constituebat impuros ad portas orientales.* Nempe leprosos, ut parati essent ad accipiendam aspersionem sanguinis sacrificii, quod suo loco dicemus. Ità dum spargebatur sonus inter vestibulum & altare, omnes ministri accingebant se ad opus, sicut & cæteri Israëlitæ parabant se ut animo & corpore interessent sacris.

SECTIO II.

In ministerio quotidiano, primùm removebantur cineres ab altari holocaustorum; & loco mundo extra civitatem reponebantur: nec deficiebat ignis, si quidem interea unus aut alter ex pluribus rogis ardebat.

SAcerdotes qui excubias egerant in *Beth-mokad*, id est, *in domo foci*, summo manè se lavabant, & vestimenta ad cultum requisita induebant. Omnibus ita paratis, expectabant Præfectum, sive Præsidem cultûs, qui hac die sacris præerat, quem appellabant הממונה *hamemuna*. Pulsabat ille fores; nullum autem tempus fixum habebat, aliquando accedens ante cantum galli, aut circiter hoc tempus, citiùs aut tardiùs. Deinde alii ministri sumptis clavibus, aperiebant valvas, & è *Beth-mokad* ingrediebantur in atrium, manibus tenentes duas faces aureas, seque in duas catervas dividebant; una petebat porticum atrii orientalem, altera occidentalem inter eundum in omnia inquirebant, & semper ulteriùs pergebant, donec sibi invicem occurrerent apud conclave illorum qui placentas coquebant. Eos excitabant, ut sartagines præpararent ad summi Sacerdotis oblationem. Visitatione peractâ, Præses eos convocabat ad sortem faciendam, ut superiori articulo diximus. Hocce ministerium quotidianum totum ex ordine exponitur in Mischna, in codice *Tamid*; quem luculentiorem fecit Maimonides, tum in glossis suis, tum *in manu forti*, tractatu *Tamidim*. Nunc Judæi satagunt antiquos ritus enucleare, ut aliquando possint citra omnem errorem observari; etenim sperant fore ut templum Hierosolymitanum aliquando excitetur. Nos verò qui scimus horum rituum praxim in æternum abolitam. Id tantùm quærimus, undè lux accedat iis, quæ dum templum staret, servata narrant sacri codices. Ita hæc omnia breviter perstringam, contrahens quæ in Mischna aut in Maimonide fusiùs dicuntur.

Ordo quotidianus explicatur in capite primo codicis Misnici Tamid. *Sacerdotes excubias agebant in Sanctuario in tribus locis, in domo Abtines, in domo Nitzots & in domo foci. In Abtines & Nitzots erant conclavia, ubi juvenes excubabant. Domus foci erat concamerata; magna domus erat, circumdata tabulis lapideis, ubi dormiebant seniores domûs paternæ, & claves atrii erant in manibus eorum.* Ibi Obadias de Bartenora notat quamlibet custodiam, sive classem in septem domos paternas divisam fuisse secundùm hebdomadis dies, & unamquamque suo die ministrasse. Seniores verò domûs paternæ in tabulis istis, sive scamnis dormiebant, dum alii nempe juvenes excubias agerent, ut dicit Misna. *Unusquisque juvenum Sacerdotum habebat tegumentum suum in terra, non dormiebant in vestibus sanctis, sed illas exuentes, duplicatas supponebant capitibus suis, & tegumentis propriis se tegebant.* Quæ suprà protulimus, leguntur in hocce capite Misnæ.

Juvat accipere à Maimonide ordinem hujus ministerii quotidiani prout in capite 6. *Tamidim* illud declarat. *Ministerii divini opera quotidiana hoc ordine efficiebantur. Paulò antequàm surgeret aurora, veniebat præfectus sortium: is sonum edebat ad atrium, atque aperiebatur illi: tum atrium explorabat totum, ac crustularii crustula efficere desinebant; Sacerdotes qui hic præsto aderant omnes, antequàm veniret præfectus sortium, jam lavati fuerant, & vestes induti Sacerdotales, conveniebant in conclave lapidis quadrati* Gazith, id est, in syne-

drium, *ac consistebant. Deinde sorte unâ & item alterâ suum cuique ducebatur opus*, sic ut suprà dictum est. *Incipiebat indè operari is, cui sors ut cinerem tolleret, evenerat.* Præceptum erat jubens ut perpetuus in altari ignis arderet; & quanquam ignis divinitùs demittebatur è cælo, tamen terrenum etiam ignem accendi jusserat Deus. Ergo præparandum erat altare, antequàm novus rogus in eo strueretur; scilicet removendi cineres. *Præceptum est jubens*, inquit Maimonides, *ut ex altari quotidie cinis auferatur; ait enim lex*: Tolletque cineres. *Ea res erat ex operationibus Sacerdotalibus una: jam in auferendo cinere Sacerdos deteriore veste vestitus erat, quàm cæteris muneribus obeundis: videmus enim in lege scriptum*, spoliabitur prioribus vestimentis, indutusque aliis, tollet cineres..... *Auferebatur cinis quotidie, nascente aurorâ: diebus autem festis, ineunte secundâ parte noctis tripartitæ: solemnitate verò Expiationum nocte mediâ.*

Ministerium templi eâ in parte aliud erat quàm Tabernaculi. Cavum enim erat altare æreum priùs, & è craticulâ descendebant cineres in basim, à quâ everrebantur. Ubi verò fixum fuit altare, ministri ad culmen ejus ascendentes verrebant illud, & auferebant cineres eo modo quem subjicit Maimonides. *Hæc igitur erat agendi ratio. Cui cineris sublatio sorte obvenerat, is in aquam sese mergebat, atque induebat vestes ad auferendos cineres apparatas: porrò lavabat etiam manus & pedes. Erat qui huic ita diceret, cave ne vas sanctum attingas, antequàm manus & pedes tuos laveris: postea capiebat thuribulum, quod ex argento erat: id in angulo sepositum erat inter collem & altare ad Occidentem collis: capiebat igitur thuribulum, atque in culmen altaris ascendebat. Hic carbones hùc & illùc dimovebat, & ex iisdem capiebat qui in medio igni erant quàm maximè exusti, atque in terram descendebat, oreque ad Septentrionem verso, ad Orientem collis ambulabat in terræ solo cubitos circiter decem versùs Septentrionem; tum quos ceperat carbones coacervabat in pavimento ad tertium circiter à colle palmum.* In isto loco deponebant viscera avium, & cineres quibus purgatum erat altare aureum. Maimonidem exscripsit Ligfootius, cujus jam verbis utar, quia perspicua sunt. Cùm Sacerdotes videbant dictum ministrum descendisse ex altari, festinabant & abluebant manus & pedes, & sumentes uncinos in eum usum destinatos, invertebant partes hesterni sacrificii, si quid nondum esset consumptum ad latera altaris; quæ si non possent illa continere, in gradibus altaris eas reponebant. Deinde undique cineres converrebant ad medium altare, congerebant eos in magnum cumulum, atque iis implebant, magnum vas, quod dimidium *Homer* continebat, & vocabatur פסכתר *Pesachthar*; deinde hos cineres amovebant, relicto tamen modico cinerum cumulo, quem vocabant *Tappuahh*. Postquàm magnum illud vas cinerum dimiserant, alii Sacerdotes in minoribus vasibus eos avehebant extra civitatem, eosque deponebant in loco ubi quàm minimè possent à vento dispergi. *Cinis extra urbem delatus*, dicit Maimonides, *deponebatur in loco, ubi non erat ventorum magna vis, neque suùm volutatio: nec ibi quidem spargendus erat. Nam quod est in lege.* Levit. 6. 10. *Et ponet eos, id significat placidè & leniter esse reponendum. Jam nullum omninò ex eo fructum percipere licebat.*

Post purgationem altaris, componebantur ligna: ignis excitabatur, primùm maximus ad comburendas victimas quem vocabant מערכה גדולה *struem magnam*, idque non nihil ad orientale latus altaris. Secundus ignis, accendebatur ad parandas prunas propter thymiama, constabatque ille tantùm lignis ficulneis, & ad angulum meridionalem extruebatur, ut quàm proximus esset loco in quo Sacerdos in gradibus altaris stabat, & prunæ commodiùs auferri possent. Tertius ignis qui porpetuus in altari conservaretur, in quavis parte altaris ex æquo struebatur. Igne similiter perpetuo, coli voluerat Diabolus à Vestalibus Romanis; quæ illum religiosè servabant, & si neglexissent, pœnas dabant. Vesta Dea, cui serviebant perpetuæ castimoniæ lege, nomen ab Hebræis aut à Chaldæis acceperat. Vesta dicebatur Græcè Ἑστία cum spiritu aspero, quem Latini exprimunt consonante V. Græca autem vox oritur ex Hebræâ אש *Esch*, aut Chaldæa אשתא *Eschtuh*, quæ idem sonat ac *ignis*; canit Ovidius 6. Fastorum qui indè causam eruit castimoniæ Vestalium.

Nec tu aliud Vestam, quàm vivam intellige flammam.
Nataque de flammâ corpora nulla vides.
Jure igitur virgo est, quæ semina nulla remittit,
Nec capit: & comites virginitatis habet.

Mandati divini de igne perpetuo alendo religiosam magis rationem reddit Philo Judæus: *Quia perennes Dei gratiæ; nec deficiunt, nec intermittuntur, sed interdiu noctuque fruendas se præbent nobis hominibus. Gratiarum actionem hæc sacra flamma figurat semper instaurandam, nequando extinguatur.*

SECTIO III.

Quis ignis ille absconditus quem cùm templum à Chaldæis incensum est, reperit Nehemias.

Locus est difficilis in secundo Macchabæorum cap. 1. qui ex præsenti observatione circa purgationem cinèrum altaris, accipiet lucem.

19. *Nam cùm in Persidem ducerentur patres nostri, Sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occultè absconderunt in valle, ubi erat puteus altus & siccus, & in eo contutati sunt eum, ita ut omnibus ignotus esset locus.*

Fons Græcus limpidior est: Λαβόντες ἀπὸ τοῦ πυρὸς τοῦ θυσιαστηρίου λαθραίως, κατέκρυψαν ἐν κοιλώματι φρέατος τάξιν ἔχοντος ἀνύδρου. Id est, *occultè sumentes de igne altaris*, nempe carbones, *absconderunt in concavitate putei, qui ordinem haberet loci sicci.* Grotius conjicit olim scriptum βάσιν ἔχοντος ἀνύδρον. *in cavo putei, in quo siccus erat fundus.* Sacerdotes autem κατησφαλίσαντο, id est, effecerunt ut securus esset locus, & à nemine deprehendi posset. Ignem & cinerem altaris esse res sanctas expressis verbis dicitur in secundo Macchabæorum cap. 13. ubi enarratur supplicium impii Menelai, qui ex altâ turri in cumulum cineris projectus interiit. 7. *Et tali lege prævaricatorem legis contigit mori. nec terræ dari Menelaum.* 8. *Et quidem satis justè: nam quia multa erga aram Dei delicta commisit, cujus ignis & cinis erat sanctus, ipse in cineris morte damnatus est.* Ne ergo res sanctas gentibus temerandas relinquerent Sacerdotes, dum abituri erant Babylonem, carbones & cinerem, qui supererant in altari, priusquàm illud everteretur, acceperunt, & in lòcum securum deportavêre, in quo non possent a vento dispergi, & à gentibus temerari. Ad hoc idoneus fuit puteus altus; de quo sategerunt ut ignotus esset, ne quis posset his carbonibus & cineribus abuti. ἐν ᾧ κατησφαλίσαντο, ὥστε πᾶσιν ἄγνωστον εἶναι τὸν τόπον.

20. *Cùm autem præteriissent anni multi, & placuit Deo ut mitteretur Nehemias à Rege Persidis: nepotes*

nepotes Sacerdotum illorum qui absconderant, misit ad requirendum ignem, & sicut narraverunt nobis, non invenerunt ignem, sed aquam crassam.

Videlicet invenerunt quasi lutum.

21. *Et jussit eos haurire & afferre sibi, & sacrificia quæ imposita erant, jussit Sacerdos Nehemias aspergi ipsâ aquâ, & ligna, & quæ erant superposita.*

Locus erat siccus; sed cùm fundus alti putei humidus sit, ex cineribus & carbonibus factum est lutum; de quo interpretor illud ὕδωρ παχύ. *aquam crassam.*

22. *Utque hoc factum est, & tempus affuit, quo sol refulsit, qui priùs erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur.*

Hic ignis excitatus est, postquàm sol refulsit, cùm priùs Nehemias sequentes preces recitasset.

23. *Orationem autem faciebant omnes Sacerdotes, dum consummaretur sacrificium Jonatha inchoante, cæteris autem respondentibus.*

24. *Et Nehemiæ erat oratio hunc habens modum. Dominus Deus omnium creator terribilis & fortis, & justus, & misericors, qui solus es bonus Rex.*

25. *Solus præstans, solus justus & omnipotens & æternus, qui liberas Israël de omni malo, qui fecisti patres electos, & sanctificasti eos:*

26. *Accipe sacrificium pro universo populo tuo Israël, & custodi partem tuam & sanctifica.*

27. *Congrega dispersionem nostram, libera eos qui serviunt gentibus, & contemptos & abominatos respice: ut sciant gentes, quia tu es Deus noster.*

Quasi dicat Nehemias nos qui sumus in dispersione, exacti ex patrio solo, dispersi per orbem protege; & miraculo (quod postea contigit) ostende te esse Deum nostrum, & te non frustra coli à nobis.

28. *Afflige opprimentes nos & contumeliam facientes in superbia.*

29. *Constitue populum tuum in loco sancto tuo, sicut dixit Moyses.*

50, *Sacerdotes autem psallebant hymnos, usque quo consumptum esset sacrificium.*

Interea dum mysterium perficeret Nehemias, & imponeret altari victimas quas postea aqua crassa ignis facta consumpsit, Sacerdotes de more psallebant hymnos; & cùm prærequisita sacrificio facta sunt; videlicet.

31. *Cùm autem consumptum esset sacrificium, ex residua aqua Nehemias jussit lapides majores perfundi.*

Cùm ritus implevisset omnes juxta quos fit sacrificium quod supererat ex illâ aquâ crassa jussit affundi lapidibus altaris ἐκέλευσε λίθους μείζονας καταχεῖν. Putarem pro μείζονας olim lectum λίθους περιζώνους, quibus scilicet cingebatur altare, crepidines, quæ erant veluti zonæ, cingula altaris.

32. *Quod ut factum est, ex eis flamma accensa est: sed ex lumine quod refulsit ab altari, consumpta est.*

Ἀντιλαμψάντος φωτὸς, contra refulgente altaris igne, quasi cætera flamma extincta est, ut scilicet more solito ignis perpetuus in culmine altaris tantùm arderet.

33. *Ut verò manifestata est res, renuntiatum est Regi Persarum, quòd in loco in quo ignem absconderant hi, qui translati fuerant captivi Sacerdotes, aqua apparuit, de quâ Nehemias & qui cum eo erant, purificaverunt sacrificia.*

Qui abducti fuerant captivi Sacerdotes in Persidem, absconderunt ignem, οἱ περὶ τὸν Νεεμίαν; phrasis Græca, id est, ipse Nehemias purificavit sacrificia ἥγνισαν τὰ τῆς θυσίας. Sanctificavit Nehemias sacrificium, nempe usus est istâ aquâ sacrificans, ut sacrificium incenderet.

Hæc Latina versio obscura est; ergo fons adeundus. Περιφράξας δὲ ὁ βασιλεὺς ἱερὸν ἐποίησε δοκιμάσας τὸ πρᾶγμα. *Circumsepiens Rex* locum, ubi fuerat ignis absconditus, *sacrum fecit, rem probans.* Nempe Rex, perspectâ rei veritate, locum in quo divinus ignis absconditus fuerat consecrans, in eo quandam Dei venerationem ac religionem esse voluit. Statuit τέμενος. Sic à Græcis dicebatur agri portio, à cæteris resecta, & circumsepta, quæ Deo alicui aut Heroi consecrabatur. Inde puteus, qui antea profanus habebatur cœpit pro loco sacro haberi.

35. *Et cùm probasset, Sacerdotibus donavit multa bona, & alia atque alia munera, & accipiens manu suâ tribuebat eis.*

Græca sic verti possunt, *& quibus gratificabatur Rex, multa eximia accipiebat & tribuebat: in fonte.* Καὶ οἷς ἐχαρίζετο ὁ βασιλεὺς πολλὰ διάφορα, ἐλάμβανε καὶ μετεδίδου. Grotius pro οἷς ἐχαρίζετο gratificabatur, legendum putat ὡς ἐχρήσατο, ut sensus sit: *& iis quorum operâ* (ad explorandam rei veritatem) *Rex erat usus, multas pecunias acceptas* (in manus suas) *elargitus est.* Per hanc vocem διάφορα *pecuniæ* intelligendæ sunt, ut & infra cap. 3. v. 6. & in Sirach cap. 7. v. 19. & cap. 28. v. 1.

36. *Appellavit autem Nehemias hunc locum Nephthar, quod interpretatur purificatio. Vocatur autem apud plures Nephi.*

Pro Νέφθαρ Grotius monet legendum Νέχφαρ *Necphar.* Hebraicè נכפר, quod à כפר *expiavit*; idem etiam sonans ac *operuit, removit à conspectu.* Indè nomen locus acceperat, quia in eo absconditus fuerat sacer ignis. A plebe, quæ vocabula solet corrumpere, locus ille dictus fuerat *Nephi*: Νεφθαεί. Hujus vocis incerta est origo. Viri docti de illa non conveniunt. Putat Relandus esse vocem Persicam; quæ significat aquam mundam. In tanti miraculi memoriam celebrandam Nehemias festum instituit, quod dicebatur *ignis.* Hujus festi mentio fit, in literis Judæorum Hierosolymitanorum ad fratres suos in Ægypto commorantes. Hortantur eos ut festum illud celebrent, simul cum scenopegia, id est, festo Tabernaculorum. Nuntiabant hisce literis mortem Antiochi, quæ in Perside contigerat; ob quam debebant gratias Deo agere Paulò ante locum quem modo protulimus ex capite primo libri secundi Macchabæorum, sic loquuntur Judæi. *Facturi igitur quinta & vigesima die mensis Casleu purificationem templi, necessarium duximus significare vobis, ut & vos quoque agatis diem scenopegiæ & diem ignis, qui datus est, quando Nehemias ædificato templo & altari obtulit sacrificia.*

SECTIO IV.

De mactatione jugis sacrificii. Quâ horâ, quâ pompâ fieret, quâ & religione, usque dum templum eversum est.

Jusserat Deus ut quotidie duo sacrificarentur agni in holocausta, quod idcirco sacrificium juge appellabatur, Hebræis תמיד *Tamid*, Græcis ἐνδελεχισμός. Unus agnus manè mactabatur, sole quidem nondum orto, sed jam illustrante totam Orientis oram. Vespertinum alterius agni sacrificium poterat fieri ubi primùm, sole recedente umbræ crescebant. Id ferè fit horâ diei juxta Hebræos sextâ & dimidiâ, & deinceps ad extremum usque diem, id est, à meridie ad vespertinum tempus. Agnus vespertinus de more jugulabatur horâ octavâ cum dimidiâ, & sacrificabatur horâ nonâ cum dimidiâ.

A nos trois heures aprés midi. Cùm autem urgeret aliqua necessitas, ut in festo Paschatis, citiùs fiebat illud sacrificium. Quæ de utroque sacrificio præcipit Moyses, explanavimus in libro tertio, quo complexi sumus quæ Tabernaculi sunt. Hùc afferenda quæ postquàm templum ædificatum est, adjuncta sunt, aut quæ jam olim facta, demum scripta sunt à Judæorum Doctoribus. Discimus ab illis agnos sex nec pauciores semper paratos fuisse, ad juge sacrificium, eosque diligenter inspectos & perlustratos in agnorum conclavi, quod intra Sanctuarium erat, inclusos fuisse. Hi agni licet perlustrati, iterum quatriduum ante immolationem admotis facibus perlustrabantur. Porrò agno de die immolando aquam in aureo poculo potandam dabant, quò faciliùs corio exueretur. Hunc non ligabant; sed hujus pedes tum anteriores, tum posteriores constringebant; eumque sic disponebant, ut caput converteret ad Meridiem, & faciem ad Occidentem.

Sacrificium matutinum juge jugulabatur in lanienæ angulo inter Occidentem & Septentrionem intermedio, ad secundum annulum: vespertinum autem in ejusdem lanienæ angulo, inter Septentrionem & Orientem medio, item ad secundum annulum: ut jugulatio contra solem fieret.

Hæc omnia excerpsimus à tractatu Tamid Mischnæ; cujus verbis prosequar ritum omnem jugis sacrificii. De sparsione sanguinis fit sermo cap. 4. *Mactavit mactator & recepit acceptor;* alius enim mactabat, sive jugulabat, alius excipiebat sanguinem. *Venit ad cornu orientale septentrionale: deposuit ad cornu orientale septentrionale, venit ad cornu occidentale Australe, reliquum sanguinem effundebat ad fundamentum australe.* Scilicet ut Michaël Arnoldi exponit. Qui spargebat sanguinem circumibat altare, incipiendo à cornu orientali, vergens ad Aquilonem, & indè pergebat ad cornu aquilonare, quod Occidente claudebatur; ibat deinceps ad cornu occidentale, quod propendebat ad Meridiem, & tandem cornu meridionale petebat, quod versùs Orientem porrigebatur, & singulis cornibus, ut ad ea propiùs accessit, sanguinem imposuit. Reliquum autem sanguinem effundebat in fossam, quâ pes altaris circumdabatur. Pergit loqui Mischna de ministro hujus sacrificii. *Non frangebat pedem, sed perforabat eum in medio curvaturæ pedis, suspendebatque eum, tum excoriabat, descendens usque dum appropinquaret ad pectus, abscindebat caput, deditque ei, cui obtigerant ea.* Secundâ ex quatuor sortitionibus, de quibus diximus, tredecim ministeria peculiaria singulis viris erant assignanda; quæ declarabo verbis Maimonidis. » Sorte verò alterâ (id est, secundâ) hominibus tredecim obtingebat aliquid, idque ex ordine, quo » prostabant: nempe edicebat illis præfectus ut digitos explicarent, atque numerabat sic, ut ante » diximus; tum qui sorte primus exiret, is sacrificium juge matutinum jugulabat; secundus qui » propter illum assistebat, excipiebat sanguinem jugis sacrificii, idemque spargebat: tertius qui secundo proximus erat, cinerem tollebat de altari interiori, quod idem altare suffimenti erat: quartus qui ad proximè superioris latus erat, de candelabro cinerem tollebat, accendebatque lucernas; quintus in collem ferebat sacrificii jugis caput, & pedum posteriorum alterum: sextus eodem ferebat pedes anteriores duos: septimus caudam & pedum posteriorum alterum: octavus pectus & guttur: nonus duo latera: decimus intestina, undecimus similam libaminum, duodecimus crustula: decimus tertius vinum libaminum. Sic omnia multo ordine & solemni pompâ fiebant. In

A loco Mischnæ, quem allegavimus, præscribitur in quas partes hostia esset secanda. Ut cuique sors evenerat, has partes in collem ferebat; & ad Aquilonem reponebat intra dimidiam collis partem inferiorem. Eorum autem sacrificiorum quæ quotidianis addebantur, membra ponebant intra dimidiam partem collis inferiorem ad Orientem; nam quæ Kalendis immolabantur hostiæ, earum membra reponebantur in summo altari inter cornua, eo videlicet in loco quem Sacerdotes terebant; hoc enim modo palam fiebat adesse Kalendas. Hìc membra aspergebantur sale; & collis quoque sale sternebatur, etiam sabbato, id adeò ne si lubricus foret, in eo conciderent Sacerdotes, dum ad rogum ligna B ferrent. Sic verbis Maimonidis, aut potiùs sui Interpretis, prosequor ordinem quotidiani sacrificii.

Postquàm fuerant in collem altaris translata membra hostiæ, coibant omnes in synedrium, ubi recitabant preces. Porrò tertia sors ducebatur & quarta; & cui evenerat ut suffimentum adoleret, introibat, adolebat: tum intrabat is cui obtigerat ut de candelabro cinerem tolleret, qui reliquas accendebat lucernas duas: deinde cum eo, qui de candelabro cinerem tollebat, excedebat simul is, qui suffimentum adoleverat, & unà cum fratribus Sacerdotibus vestibuli gradibus insistebat. Interea sonabat instrumentum *Magrepha*, de quo suprà locuti C sumus. Sono ejus excitabantur ut intelligerent fratres suos in templum introisse adoraturos, & accurrerent Levitæ ad cantandum. Tum is cui sors hoc dederat, membra de colle transferebat super altare, ad quod postquàm delata fuerant, protinùs illi qui gradibus insistebant, ex Sacerdotum precationibus unam fundentes, Dei nomen magnum ritè pronuntiabant. Subinde ferebatur simila libaminum. Post similam adolebantur crustula: post crustula afferebatur vinum ad libationem, quod cùm libaretur, tum carmen Levitæ canebant: pulsabantque Cantores citharas. Porrò autem ad carminis articulos clangores edebantur novem. Cùm daretur vinum libanti, stabant Sacerdotes duo ad mensam adi- D pum: hi duas manibus tenebant buccinas: stabat ad cornu altaris Sacerdotum Antistes, & sudaria præ manibus tenebat, tum buccinatores clangorem edebant; iidemque veniebant & astabant huic qui præerat cymbalo: remorabatur libationem parumper qui eam facturus erat. Agitabat sudaria Antistes. Hi cymbalo, illi buccinâ cantabant: concinebant Levitæ carmen, cujus ad articulum clangor edebatur, & populus omnis, qui in atrio aderat, adorabat.

Hæc sufficiunt ut intelligatur pompa jugis sacrificii, quod dum fiebat, incensum ponebatur, & componebantur lucernæ; quod munus seorsùm exponemus in articulo sequenti. Juge sacrificium Antiochus Epiphanes interpellavit. Judas Machabæus E renovavit nunquam ampliùs abolendum, nisi cum templo. In ipsa obsidione urbis à Pompeio Magno non cessavit. « Undè facilè est intelligere, ait Josephus Antiq. 14. cap. 8. quantâ pietate Deum colamus, & quàm observantes legum simus, quando quidem oppugnationis terror nihil obfuit, quominùs solemnia peragerentur sacrificia, bis per singulos dies mane & circa nonam horam super altari immolantibus nostris Sacerdotibus, ac nec in extremo quidem discrimine sacra intermittentibus. Etenim capto templo tertio demùm mense die jejunii, CLXXIX. Olympiade, C. Antonio, M. Tullio Cicerone Coss. hostis quidem irrumpens jugulabat omnes obvios: illi verò nihilominùs sacris operabantur, neque metu mortis, neque jam «

cæterorum multitudine absterriti, passuri quidquid iberet victori potiùs, quàm deserturi altaria, aut aliquid omissuri præscriptum patriis legibus.

Tempus quo mactandum erat vespertinum juge sacrificium, dicitur in fonte בערבעים Baarbaim, id est, *inter vesperas*. Josephus autem interpretatur nonam horam nempe diei, quæ nostra tertia est. Libro 7. de Bello notat τὸν ἐνδελεχισμὸν juge sacrificium hominum penuria desiisse offerri decimâ septimâ die mensis Græci *Panemi*. Hic mensis respondet huic, quem Hebræi nominant *Tammuz*; decimâ autem die mensis *Ab* proximè sequentis, templum incensum est; à quo die jam non licuit ullum offerri sacrificium cruentum, ut ipsi Judæi fatentur.

SECTIO V.

De quotidianâ thymiamatis combustione. Visio Zachariæ patris Joannis præcursoris. Quomodo pararentur lucernæ.

JUsserat Deus in Exodo 30. 7. ut singulis diebus bis Aaron adoleret in altari aureo; de quo præcepto satis superque diximus in tertio libro, quatenus id implebatur in Tabernaculo. Supersunt dicenda, quæ aut fiebant in templo, aut jam à primis temporibus facta memorant Misnici scriptores. Sors declarabat quis adoleret, & à quo aureum altare purgaretur & præpararetur, ut in eo ritè fieret suffimentum. Horam autem suffimenti notat Mischna in tractatu Joma, sive de die Expiationis, sectione quartâ. *Mane inter sanguinem & membra suffiebat, vesperi inter membra & libamina.* Scilicet suffitus matutinus offerebatur, tempore jugis sacrificii, inter mactationem agni, cùm spargebatur ejus sanguis, & *inter membra*, scilicet tempore quo membra agni deferebantur ad collem altaris & in eo deponebantur. Vespere, inter collocationem membrorum agni & oblationem libaminis vini. Jam ante agni mactationem, *qui designabatur ad decinerationem altaris interioris ingrediebatur, sumptoque vase deposuit illud coram facie suâ, tunc pugillo capiens corbi imposuit, sed postea everriculo purgavit reliquum cinerem, quo deposito egressus est.* Fiebat autem sortitio peculiaris quis suffiret. *Qui dignus habebatur ad thuribulum, sumebat thuribulum argenteum, ascendebat ad verticem altaris,* nempe exterioris, *& agitabat prunas hinc indè, accipiebat, & descendebat, & effundebat illas in medium thuribuli aurei, dispergebatur ex illo tamquam cabus prunarum, purgabat illa in fossa.* Nimirùm seligebat carbones idoneos, quos ponebat in thuribulo aureo, cæteros ponebat in fossa.

Partem illam jugis ministerii sic explicat Maimonides cap. 3. allegati tractatûs. « Hæc igitur erat suffimenti singulis diebus adolendi ratio. Cujus erat officium cinerem de interiori altari tollere, is in templum ingrediebatur cum genere quodam vasis sancti, cui טני *theni* nomen erat: erat id ex auro, & capiebat cabos duos & semissem. Deponebat theni in terram ante conspectum, & quidquid in altari medio inerat cineris & carbonis, suis ipse manibus apprehendebat, atque in theni dabat: ad extremum reliquias verrendo indebat, vas illud in templo relinquebat, exibat. Cui forte suffimentum adolendum obtigerat, is suffimento vas certum implebat; erat aptum ei vasi operculum, nomen ei acerra. Jam hanc ille acerram imponebat vas in aliud: lanx illi nomen erat: lancem istam panniculo opertam manu prehendebat atque ingrediebatur. Ingrediebatur cum eo & alius, qui thuribulum ignis manu tenebat. » Non repetam quæ ex Mischna jam protuli, & exscribit Maimonides; qui sic loqui pergit. « Ante hos ibat qui interiori ex altari cinerem sustulerat. Is theni, in quo cinis altaris interioris inerat, capiebat, adorabat, exibat. Qui thuribulum manu tenebat, is carbones super interius altare congerebat, tum orâ thuribuli expandebat, extremitate thuribuli expandebat prunas; idemque numen adorabat, & exibat. Qui ferebat lancem, acerram tollebat de lance, quam deinde suorum aut familiarium, aut propinquorum alicui dabat: tum inspiciebat ecquid esset suffimenti dispersum in lance. Eidem indè quod fortè dispersum erat, simul & illud, quod inerat acerræ, suffimenti, familiaris ille, propinquusve in pugnum dabat, protinùsque numen adorabat, & excedebat. » Diximus lib. 3. illud suffimentum fuisse siccum, ex comminutis & contusis pulveribus aromaticis; qui spargebantur super carbones, ut mox dicitur. Unus ex acerrâ depromebat partem hujus pulveris aromatici, & dabat in pugnum ejus cujus erat adolere. « Huic igitur, cujus erat officium suffimentum incendere, ita monebant; cave ne primùm incendas suffimenti id, quod est ante conspectum tuum, ne usu veniat ut uraris. » Scilicet, ùt Mischna & Interpretes ejus observant, admonebatur ne inciperet suffire ante faciem suam: effundebat suffimentum super prunas ad latus occidentale ab ipso remotum, ne surgens flamma faciem ejus adureret. Altare aureum in conspectu erat Arcæ, quam & respiciens Sacerdos, obversam faciem habebat ad occidentalem plagam; latus ergo occidentale altaris magis ab eo remotum, quippe qui in latere orientali esset. « Tum ille suffimentum incipiebat super ignem projicere leniter prò more & modo cribrantis similam usque adeò, donec suffimento omnis erat constratus ignis. Jam cujus erat adolere suffimentum, numquam adolebat quin præfectus ei priùs dixisset, adole. Qui si Sacerdos magnus esset, illi præfectus ita dicebat: Domine summe Sacerdos adole. Postquàm præfectus ita dixerat, omnis populus recedebat, & suffitor suffimentum adolebat, numen adorabat, atque excedebat. »

Quod de Zacharia narrat Lucas initio Evangelii, illustrare cœpimus, cùm de ministerii sortitionibus agebamus; nonnulla lucem accipient ab ista descriptione ministerii quotidiani circa suffimentum altaris aurei, quæ hoc in loco elucidanda servavimus.

9. *Secundùm consuetudinem Sacerdotii sorte exiit, ut incensum poneret, ingressus in templum Domini.*

De hac consuetudine suprà disseruimus.

10. *Et omnis multitudo populi erat orans foris horâ incensi.*

Eâ horâ, ut observat Maimonides loco allegato. *Cùm incendebatur suffimentum in templo, ab eo amovebatur populus omnis. Et neminem inter vestibulum & altare versari fas erat, donec is qui suffimentum adolebat, templo egressus esset.* Populus erat orans extra atrium Sacerdotum, quod interius appellabatur, orabat itaque ἔξω *foris* nempe in atrio exteriori, quod erat omnium Israëlitarum.

11. *Apparuit autem illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi.*

Zacharias operabatur in orientali latere hujus altaris, nempe adolebat. Latus occidentale erat proximum Arcæ, cui obvertisset tergum Angelus, si stetisset ad illud latus; ideò, quod decuit, adstitit à dextris altaris, nempe ad latus ejus septentrionale.

12. *Et Zacharias turbatus est videns, & timor*

irruit super eum.

Judæi statim ac viderant Angelum, incredibili metu afficiebantur, tanquam periculum mortis præsens esset. *Morior, vidi Dominum.*

13. *Ait autem ad illum Angelus. Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua; & uxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem.*

Causam visionis declarat Angelus; scilicet ut notum faceret Zachariæ, prolem illi nascituram ex Elizabeth uxore, quamquam effœta & hactenus sterili. Sequentes versus spectant Joannem, qui nasciturus erat; quem Angelus indicat Christi Præcursorem futurum: hos prætermitto, quia non pertinent ad hunc locum.

21. *Et erat plebs expectans Zachariam: & mirabantur quod tardaret ipse in templo.*

Tempus quod ponendo incenso impendebatur, neminem latebat; cùm ergo illud effluxisse adverteret populus, sollicitus erat de Zacharia.

22. *Egressus autem non poterat loqui ad illos, & cognoverunt quod visionem vidisset in templo.*

Dum Sacerdotes fungerentur Sacerdotio, & incensum ponerent, non erat insolens his apparere visiones. Id de Hircano Pontifice adstruit Josephus *Antiquit.* 13. cap. 18. Illâ ipsâ die, quâ ejus filii conseruerunt cum Cyziceno prælium, αὐτὸς ἐν τῷ ναῷ θυμιῶν, μόνος ὢν ὁ ἀρχιερεύς. *Cùm solus summum Pontificatum obtineret odoramenta adolens in templo, vocem audivit nuntiantem filiorum recentem de Antiocho victoriam: idque mox progressus renuntiavit multitudini*, quæ foris expectabat, *& paulò post certiùs confirmatum est ejus oraculum.* Juxta Mischnam, Sacerdos qui adolebat, non erat solus in templo; nec locus ille Josephi adversatur, quem malè vertit Gelenius, *Pontifex ipse solus in templo*, vertendum potiùs *cùm solus summum Pontificatum obtineret.* Non ergo dicit Josephus fuisse Hircanum solitarium in templo, sed solum in dignitate Pontificiâ. Ligfootius dicit præfectum compellasse ex atrio eum qui adoleret; ita præter eum nullus alius aderat in templo; sed ista allocutio ex atrio parùm verisimilis est.

Vidimus adolenti Sacerdoti adstitisse ministrum cum acerrâ plenâ pulvere aromatico, quem accipiens Sacerdos spargebat super carbones altaris aurei, undè lux fit huic loco Apocalypseos 8. 3. *Et alius Angelus venit, & stetit ante altare habens thuribulum aureum: & data sunt illi incensa multa*, θυμιάματα πολλά, *ut daret orationibus Sanctorum omnium super altare aureum quod est ante thronum Dei.* Scilicet quemadmodum summus Sacerdos accipit thymiamata multa ex acerrâ quam illi porrigit minister, quæ spargit super carbones altaris, & protinùs in fumum ascendunt; ita. 4. *Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.*

Maimonides quærit quantum suffimenti pondus singulis diebus incenderetur, & respondet, centum denariorum pondus; denariorum videlicet quinquaginta pondus mane, & tantumdem vesperi. De compositione hujus suffimenti copiosum sermonem fecimus suo loco; ubi præceptum Dei de quotidiano incenso conati sumus illustrare. Pertinet verò ad huncce articulum, quod Maimonides in alio libro, nempe in eo qui inscribitur *Doctor perplexorum*, dicit de quotidiano odoramento in templo cap. 45. part. 3. » Quia, inquit quotidie magnum » numerum bestiarum mactabant, carnes ibi in frus» ta scindebant, intestina, & crura lavabant, & » comburebant, odor ejus, si hoc statu illud reli» quissent, sine dubio instar macelli alicujus fuisset.

A Ideò præcepit Deus ut bis quotidie suffitus in eo « fiat, manè & vesperè, ad gratum reddendum o- « dorem ejus, & odorem vestimentorum ministro- « rum ejus. Hinc est illud quod Rabbini nostri di- « cunt, à Jericho odorabantur odorem suffitûs. Et « hoc itaque ex illis est, quæ reverentiam ac ve- « nerationem huic loco acquirebant. Nam si non « habuisset bonum odorem, sed contrarium ejus, « hoc est, malum, tum effecisset hoc quoque in a- « nimis hominum contrarium reverentiæ, hoc est, « contemptum. Sicut enim anima mirificè bono « odore delectatur, eumque sequitur, ita è contra « malum odorem detestatur ac fugit. « Idcircò eâ ipsâ horâ suffimenti adolendi componebantur lucernæ; nempe lampas oleo consumpto ex se extinguitur, & amovendi sunt ex illa cineres, ut iterùm
B accendatur, tunc enim surgit ingratus odor; quod ne fieret aromata quæ tunc incendebantur, obstabant, aut saltem non sinebant eum diu durare.

Hanc partem ministerii quotidiani quo componebantur lucernæ & illis infundebatur oleum declarabo verbis Mischnæ *Tamid* capite 3. « Qui designabatur ad decinerationem candelabri, ingre- « diebatur, quando inveniebat duas lucernas, quæ « erant ad Orientem ardentes, reliquum decinera- « bat, & in locum suum deposuit: quando inve- « niebat illas extinctas, decinerabat eas, accendebat- « que ad ardentes, & postea decinerabat reliquas. « Lapis erat è regione candelabri, qui habebat tres «
C gradus, in quibus stabat Sacerdos, quando apta- « bat lucernas: tunc deposito in gradu secundo va- « se abiit. « Hocce ministerium clariùs explicat Maimonides, « Quid est igitur, inquit, tollere de candelabro cinerem? Nempe si qua fuerat extincta « lucerna, ex eâ tollebatur ellychnium, & quid- « quid in eâ supererat olei, tum in eandem probè « extersam aliud ellychnium indebatur, item & a- « liud oleum, idque mensurâ, quæ erat dimidius « logus. Quod sublatum fuerat, abjiciebatur in lo- « cum cinerum juxta altare ad cinerem altaris inte « rioris exteriorisque: tum quæ lucerna extincta « fuerat, accendebatur. Jam accendere lucernas « hoc videlicet illud est, quod dicitur lucernas effi- «
D cere bonas. Et quæ non inveniebatur extincta « lucerna, eam tantummodò reparabant. « Antequàm ministerium suffitûs quotidiani absolvam, hîc attexam historiam Oziæ Regis Juda qui licet non ex gente Aaronicâ voluit thymiama adolere in templo. Huic restitit Azarias Pontifex, ut enarratur 2. Paralip. cap. 26.

16. *Sed cùm roboratus esset, elevatum est cor ejus in interitum suum: & neglexit Dominum Deum suum, ingressusque templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis.*

Ideò dicitur Ozias neglexisse Dominum, licet vellet ei odoramenta offerre, quia negligebat præceptum ejus, quo interminatus fuerat, ne quis ex
E stirpe Aaronis non ortus accederet ad altare.

17. *Statimque ingressus post eum Azarias Sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini octoginta viri fortissimi.*

18. *Restiterunt Regi atque dixerunt: Non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujusce modi ministerium: egredere de Sanctuario, ne contempseris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo.*

Percutiet te Deus plagâ, quæ tibi afferet pudorem. Reipsâ plagâ percussus Ozias erubuit se leprosum, & coactus est templo cedere.

19. *Iratusque Ozias, & tenens in manu thuribulum, ut adoleret incensum, minabatur Sacerdo-*

tibus, statimque orta est lepra in fronte ejus coram A *Sacerdotibus, in domo Domini super altare thymiamatis.*

In eo articulo leprosus factus est Ozias, & apparuit ejus lepra: quam cùm advertisset Azarias Pontifex, expulit Oziam; abigendi enim erant leprosi.

Dum fieret suffitus & lucernæ componerentur, intra ædem alii ministri aspergebant sanguinem agni, & illum excoriabant, dissecabant in partes, quas varii ministri quibus id muneris incumbebat ad gradus altaris deferebant, & salitas ibi relinquebant, quo peracto, redibant ad conclave Gazith, sive synedrium, quod erat illis quasi capella, inquit Ligfootius, ad fundendas preces. Hisce omnibus Sacerdotes potuisse defungi intra ma- B tutinum tempus credimus; quia plures erant numero, omnes exercitati, magnâ cum celeritate, & ex ordine operantes; ita ut non sibi obstarent, sed mi-ro consensu sese adjuvarent: parati ut alius alium exciperet, nec ullâ morâ interpellaretur ministerium, quo vix aliud concipi potest magis solemne. Quæ modo observata sunt inferunt lucem capiti sexto Isaiæ, ubi narrat visionem quæ illi obtigerat.

1. *In anno, quo mortuus est Rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum, & ea quæ sub ipso erant.* In fonte *fimbriæ* sub ipso erant, id est, in extremitate vestimenti ejus. Describit Propheta Deum tanquam summum Sacerdotem, cujus Sacerdotale vestimentum habebat fimbrias magnificas, nempe multa tintinnabula. Verbum C est divinum apparens Isaiæ; ergo Deus: sive Isaias tribuit Verbo, quod non convenit patri ut Sacerdos sit. Fimbriæ autem illæ, sive tintinnabula, *replebant templum* sono suo, quo commota est tota ædes.

2. *Seraphim stabant super illud*, nemde videbantur sub eo qui apparebat *sex alæ uni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem suam, & duabus velabant pedes ejus; & duabus volabant.* Christo serviunt Seraphim & illum adorant, quia verus Deus.

3. *Et clamabant alter ad alterum & dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus.* D

Angeli Deum prædicant Verbum quod ante incarnationem suam sæpiùs apparuit hominibus.

4. *Et commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis*, nempe Seraphim qui clamabant, *& domus repleta est fumo*, qui signum erat præsentis majestatis divinæ. Res transigebatur in templo; aut Propheta visus est sibi videre eam transactam in templo; cujus fenestræ cùm angustæ essent & forsan nullæ fumus, sive odor thymiamatis retinebatur in templo, non spargebatur per aerem sicut in altari æreo quod erat in atrio Sacerdotum.

5. *Et dixi: Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & Regem Dominum exer-* E *citum vidi oculis meis.*

Verbum quatenus Christus Rex est.

6. *Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus quem forcipe tulerat de altari* aureo. Super illud altare ex æneo afferebantur carbones ad incensum faciendum.

7. *Et tetigit os meum, & dixit: Ecce hoc tetigit labia tua.* Non incumbit nobis cætera exponere. Ut tandem quæ spectant quotidianum ministerium absolvamus, diebus singulis à summo Sacerdote offerebantur crustula. Dimidium manè cum sacrificio jugi matutino, & dimidium vesperè cum sacrificio jugi vespertino. Horum crustulorum simila extra atrium molenda erat, succernendaque.

SECTIO VI.

De cæteris quotidianis muniis templi, quæ tempori non subdebantur, sed quotidie poterant in templo fieri; de cineribus vaccæ rufæ: de sacrificiis leprosi, puerperæ, mulieris suspectæ.

PErtinet ad ministerium templi quotidianum non indictos finere certos solemnes ritus, qui quotidie perfici poterant intra templum; ita legibus temporum non subjiciebantur. Quolibet tempore comburebatur vacca rufa à Sacerdotibus, cujus cineribus purgabantur, qui cadavere aliquo polluti fuerant. Sacrificium puerperæ, expiatio pro leproso purgando, examen suspectæ mulieris, oblatio primitiarum quotidie fieri poterant; quæ visum est brevi sermone perstringere. Ducam initium à cineribus vaccæ rufæ, quorum ritus legitimi præscribuntur in Numeris cap. 19. In Mischna, & in manu forti Maimonidæ tractatus est de eâ re, qui inscribitur *Parah*, hoc est, *Vacca*. Verba sacri codicis aperta sunt, nec indigent commentariis. Idcirco sola hùc afferam, quæ observabantur à Judæis. Magnâ anxietate legebant vaccam, de quâ sermo est; cùm enim adhiberetur ad homines purificandos ex magnâ pollutione, indigebat ipsa magnâ circonspectione, & in alio negotio pluribus non utebantur cæremoniis. Sacerdos à quo comburenda, per dies septem seorsùm detinebatur in templo in conclavi, quod erat in angulo Euro-aquilonari atrii Israëlis, & appellabatur בית האבן *domus lapidea*. Scilicet præcavebatur ne ipse suspectus esset pollutionis. Idcircò scribunt Thalmudici à templo illum deductum ad montem Oliveti, ubi fiebat combustio, viâ stratâ, quæ duplici fornici imponebatur, ne sepulcrum calcaret imprudens. Quacumque viâ tenderet Sacerdos, comitabantur eum seniores populi.

Extruebatur pyra, supra quam vinctis cruribus sic collocabatur vacca, ut ejus caput respiceret Austrum, & facies Occidentem. Sacerdos stans ad latus orientale hujus pyræ, facie ad Occidentem obversâ, jugulabat vaccam manu dextrâ, & lævâ sanguinem ejus excipiebat. Erat lege præscriptum ut aspersio sanguinis ejus fieret versùs Tabernaculum testimonii, & quidem septies. Ut illa lex facilè compleri posset, dum stetit templum, eligebatur mons Oliveti ad combustionem vaccæ, quia oppositus templo; porta autem orientalis *shushan* humilior facta est, ut Sacerdos aspergens sanguinem vaccæ intueri posset in faciem porticûs templi. Aspersione sanguinis factâ, ignem ille subjiciebat pyræ, & vaccam comburebat, injiciens rogo lignum cedrinum, issopum & lanam purpuream. Colligebantur cineres, quos cribrabant, & ponderabant. Pars relinquebatur in monte Oliveto: altera pars tradebatur viginti quatuor classibus, ad aspersionem Sacerdotum: tertia reponebatur [illegible] *chel*, nempe in illo spatio intermurali, quod ambiebat atrium Israëlis: Ibi asservabatur hæc pars cineris memoriæ causâ; etenim nec singulis annis fiebat hujus vaccæ combustio solemnis. Ligfootius ex Juchasin, qui liber est historicus, dicit novem hujus generis vaccas combustas fuisse intra tempus quo primùm lex circa hunc ritum data est, & postremam templi destructionem. Una tempore Moysis, altera combusta ab Esdrâ, duæ à Simone Justo, duæ à Joanne patre Matthiæ, una ab Aliœnai filio Hakkoph, una ab Hananeele Hammizri, una ab Ismaële filio Fabi. Judæi decimam expectant diebus Messiæ.

His cineribus purgabatur homo cadavere pollutus; quem ritum intuebatur Paulus, scribens He-

A bræis cap. 9. v. 13. *Si enim sanguis hircorum aut taurorum & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis*, 14. *quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram, &c.* Porrò lex de purificatione contacti cadaveris jubebat cineres vaccæ, quibus fiebat illius purificatio, spargendos à viro qui per totam vitam se ab omni cadavere impollutum servasset. Ut talis reperiretur, erant Hierosolymæ fornices inædificati rupi, cui impositæ ædes quibus nulla subessent sepulcra; ita qui eas habitabant, certò liberi erant ab immunditia cadaverum. Atque eò, utor verbis Ligfootii, tanquam ad locum sepulcrorum expertem, quædam ducebantur mulieres gravidæ, quarum instabat partus, quæ ibi decumbebant. B Earum filii ibi perpetuò educabantur ad hoc solum officium, ut parati essent, statim ac possent, & sese offerret occasio, ad spargendos hosce cineres. Quod cùm quis facturus erat, ibat insidens dorso bovis, primùm ad piscinam Siloam, ubi descendebat in aquam, ibi enim nullum esse existimabatur sepulcrum, quod eum polluere posset, & impletâ lagenâ, indè ascendebat ad montem Oliveti, cinere aspergebat eos qui erant purificandi, & dorso bovis semper insidens ad suam cellulam redibat.

Non pertinet ad institutum nostrum differere de leprosis, nisi quatenus sanati à morbo, tenebantur se ostendere Sacerdoti, & peculiare sacrificium Deo C offerre. Quapropter de hoc solo sacrificio sermo à nobis fieri debet. Quid lepra fuerit: quod morbi genus olim, difficile est statuere, cùm hodie hocce genere morbi homines liberati sint. Contagione suâ inficiebant leprosi non solùm eos quibuscum versabantur, sed ædes in quibus habitabant, & ipsas vestes quas induebant. Lepra enim adhærebat vestimentis & parietibus. Quomodo id fieret, difficile est explicatu; sed res constat, & Moyses duris legibus subdiderat leprosos: undè adversùs Apionem argumentum ducit Josephus, illum Legislatorem non laborasse leprâ. *Leprosis enim & oppidis, & vicis interdixit, ut seorsum in lacero vestitu agant, & eum qui eos attigisset, aut sub idem* D *tectum successisset, pro impuro habet. Quin etiam si eo morbo liberari, & in pristinum statum restitui contingat, præscripsit certas purificationes, mundationes, & fontanarum aquarum lavacra, & omnium pilorum abrasiones: multisque & variis sacrificiis peractis, tum demùm sanctam urbem adeundam.* Igitur toto eo tempore, quo nondum à morbo sanus erat leprosus, tenebatur fugere hominum consortium & contubernium. Mundatus poterat repetere proprios lares, sed ante adeundus erat Sacerdos, cujus judicio declararetur sanus, & admittendus in hominum societatem, à quâ fuerat expulsus. Ruri examinabatur à Sacerdote & purificabatur; & expectatis septem diebus, iterùm se offerebat Sacerdoti, à quo sanus probatus, octavâ die ascendebat in E montem domûs, ubi primùm recipiebat se in conclave leprosorum, quod videre est in angulo atrii mulierum in istâ templi descriptione Thalmudicâ, quam suo loco subjecimus. Adducebat secum leprosus tres agnos in holocaustum, in oblationem pro peccato & delicto, & se abluebat in dicto conclavi, quod indè nomen habebat.

Eâ horâ quâ Magrepha, de quâ suprà locuti sumus, species tintinnabuli sonabat, intrabant ministri thymiamatis in templum, accurrebant Levitæ ad cantandum. Eâ, inquam, horâ, qui antea immundi fuerant, & veniebant ut purificarentur, sistebant se ad portam orientalem. Jam purificati fue-A rant leprosi; ita poterant calcare solum templi; sed nova præcipiebatur purificatio per sacrificium. Utraque purificatio, tum ruri, tum in templo, describitur in Levitico cap. 14. In primâ adhibebatur lignum cedrinum, hyssopus, & vermiculus שני תולעת *schni tholaath*, quid sit ille vermiculus diximus; species erat querceti cujus folia acuta, in quibus occurrit vermiculus, cujus sanguine tingitur purpura. Ex his tribus lignis fiebat aspergillum, quod, ut quidam sentiunt, vinciebatur funiculo coccineo. Interpretes, prolatis testimoniis ex Dioscoride, probant hæc conjuncta fuisse in medicamentis, in cutis morbis, quorum ex teterrimis fuit lepra. Vide, Lector, Clericum ad hunc locum Levitici. Neque enim vacat his tandiu immorari, quæ de insti-B tuto nostro non sunt. Nec morabor circa sacrificium puerperæ, quod explicatur claris verbis in Levitico cap. 12. sicut & cætera quæ purificationes spectant aliorum immundorum, de quibus fit sermo in cap. 15. De examine suspectæ mulieris egimus cùm enararemus miracula templi.

CAPUT VII.

De temporum mensuris apud Hebræos: de dierum, mensium, annorum initio, duratione, renovatione; ex quibus pendebat ordo ministerii sacri.

SECTIO I.

De dierum apud Hebræos initio, fine & in horas partitione. De hebdomade, sive septenario dierum numero, & horum postremo, qui sabbatum dicebatur.

UT cæteros ritus, pompam, religionem ministerii sacri, lex præscribebat; ita & tempus quo obeundum erat. Ergo inquirenda ratio, quâ Hebræi illud metiebantur, & festa singula, & in his præscripta sacrificia peragerent eâ præcisè horâ quâ jusserat Deus. Una ex duodecim tribubus, vacabat studio Astronomiæ ad quam pertinet ordina-D re, tempus, cujus siderum motus mensura est. Initio rerum, cùm homines nondum excoluissent Astronomiam, hæc mensura fiebat oculorum judicio. Ita diei principium erat ortus solis, & occasus finis; *ab ascensu auroræ donec egrediantur astra*, ut loquitur Nehemias cap. 4. v. 1. sic dies sumitur pro eo intervallo, quo homines possunt in luce operari. Dies insuper sumitur pro toto eo tempore, quo sol gyrat circa terram, complectens tum lucem diei, tum tenebras noctis; quod intervallum dicitur Græcè νυχθήμερον. Gyrum illum vulgò Astronomi metiuntur ab illo circulo cælesti, qui transit per nostrum zenith, scilicet punctum in cælo vertici nostro imminens, donec revertatur ad eundem circulum. Il-E le circulus meridianus dicitur, quia ad illum sol perveniens, jam medium suum cursum confecit. Ubi, inquam, illum attigit, media dies est; sicut media nox, quando in ejusdem circuli parte opposita versatur, depressus & latens infra nostrum horizontem.

Intervallum, quo sol unum gyrum absolvit, Astronomi partiuntur in viginti quatuor horas æquales, aut quæ æquales videntur; neque enim verè sunt æquales; pro tempestate enim anni sol terris proximior gyrum minorem habet, breviori ergo tempore absolvendum. Sed illud dierum discrimen tenue est; quod vulgus hominum non advertit, nec oculi advertunt in viginti quatuor horas diei par-

titionem. Meridiana quidem hora utcumque colligitur ex eo quod tunc sol altior sit. Sed media nox, nec aliæ horæ dignoscuntur nisi ope horologiorum. Itaque non mirum est, si istæ divisiones non fuerint primis temporibus usitatæ.

Partiebantur Hebræi & cæteræ gentes diem, ut dixi, oculorum judicio in vespertinum & matutinum tempus, quod ortus & occasus solis faciunt; indè in Genesi *vesperè & manè dies unus.* Quemque autem diem, sive tempus quo sol lucet manè & vesperè, ab ortu suo ad occasum, in duodecim horas; quod declarant illa verba Christi Joan. cap. 9. v. 9. *Nonne duodecim sunt horæ diei?* Duodenarius ille numerus constat quatuor quadrantibus, & singuli quadrantes tribus horis. Primus quadrans dicebatur hora prima. Secundus quadrans hora tertia, cùm præterierant tres primæ horæ. Ita tertius quadrans sexta; sicut & quartus quadrans nona, ob numerum præteritarum horarum. Similiter spatium noctis Hebræi dividebant in quatuor quadrantes, qui dicebantur vigiliæ, appellatione sumptâ à temporum spatio, per quod milites in statione positi vigilabant. Prima vigilia incipiebat post occasum solis; deinde vigilia secunda. Tertia mediâ nocte, quam sequebatur quarta. Primam partem, seu vigiliam appellabant caput vigiliarum, ut in Lamentationibus Jeremiæ cap. 2. v. 19. Secundam dicebant mediam, ut Judicum cap. 7. v. 19. non ideò, quòd esset media inter tres noctis vigilias, sed quod ea flueret usque ad adultam seu mediam noctem. Tertia vigilia à nocte mediâ initium sumebat, & horâ tertiâ matutinâ finem; quâ tertiâ horâ incipiebat quarta vigilia, quæ matutina dicebatur, & finem habebat ubi dies oriebatur. Quartæ hujus vigiliæ mentio fit in Matthæo cap. 14. v. 25. *Quartâ autem vigiliâ noctis venit ad eos ambulans super mare.* Hæ vigiliæ & aliis nominibus designantur in Scriptura, quæ respondent iis noctis partibus, quas quævis vigiliarum describit. Prima vocatur *ser*), secunda *media nox*, tertia *gallicinium*, quarta *manè*.

Non æqualiter singulis anni diebus sol moratur nobis conspicuus. Dies æstivi longiores sunt, noctes brevissimæ, quæ producuntur hiberno tempore, cùm dies brevissimi sunt. Attamen per totum annum dies Hebræi censebantur duodecim horarum; quæ itaque pro diversâ anni tempestate longiores aut breviores erant. Diversitas illa eò major est quo quæque regio magis removetur ab æquinoctiali circulo: idcirco non tanta in Judæa, quanta est in regionibus nostris. De Hebræis sermo est, quorum advertimus consuetudines. Nos repetimus diei initium ab eo circulo, quo incipit & finitur, aut intra quem finitur unus diurnus circuitus solis. Nempe dies noster incipit, cùm sol mediâ nocte proficiscitur à meridiano circulo; qui dies finitur, cùm rediit ad eumdem circulum. Illud initium sicut & finis non subjacent sensibus nostris. Ergo nondum arte inventâ, populus haud potuisset dies certis calculis numerare. Ortus autem solis conspicuus est, sicut & ejus occasus; ita ab uno vel ab altero dies potuêre numerari. Videretur ortus potiùs censendus initium diei; sed Hebræi, quorum menses lunares erant, ut modò videbimus, & horum exordium prima phasis, sive prima apparitio lunæ, ex quo latuerat conjuncta cum sole numeraverunt dies ab occasu solis, circa quem luna incipit apparere; quod & fecêre pleræque aliæ gentes, quod & hodie Arabes faciunt. *Voluerunt Arabes*, inquit Asfraganus Astronomus Arabs, *à vespertinâ diem auspicari, quoniam à phasi lunari incipiunt numerare dies mensium.* Pariter Athenienses, ut ex Varrone probat A. Gellius lib. 3. cap. 2. Plinius libro secundo cap. 77. enarrans quomodo dies observarent quique populi: *Athenienses*, ait, *inter duos occasus diem definiunt.* Eâ consuetudine usos Gallos discimus ex Cæsaris Commentariis.

Quidquid sit de aliis gentibus, Deus ab occasu solis dies numerandos præcipit. Sabbatum & reliquos dies solemnes voluit inchoari à vesperâ. Sic præcipit de Paschate in Exodo cap 12. v. 18. *Primo mense, quartâ decimâ die mensis ad vesperam, comedetis azyma, usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam.* Et de omni festo in Levitico cap. 23. v. 32. *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.* Nempe dies festivos, per quos debetis sabbatizare, sive cessare ab omni opere. Videre est in Evangelio, diebus sabbati, Judæos statim ac sol occidisset, attulisse ad Jesum suos ægros cum ipsis lectis eorum; & contra, ubi sol occasurus esset, adventante sabbato, parasse omnia quibus per sabbatum indigebant, quia per illud quiescere tenebantur. In genere, ubi agitur de dierum numeratione, sive de aliquo opere intra unum diem, sive intra plures perficiendo, sive affligenda esset anima jejunio, sive purganda per diem integrum, semper pro initio & fine statuitur occasus solis. Id observatum fuisse ab Hebræis in rebus sacris consentiunt omnes; aliter aliqui negant de rebus prophanis; quos confutavimus in nostris disputationibus de postremo Domini nostri Jesu Christi Paschate.

Elapsis sex diebus, ubi sexto occidebat sol, tunc qui septimus erat nominabatur *sabbatum*; nomen idem sonans Hebræis quod *quies* Latinis. Videlicet sic appellabatur, quia ex lege Dei quiescebant Judæi, vacantes ab omni opere, exemplo Domini, qui cùm sex diebus mundum creasset, septimo die quievit. Indè erga huncce diem innata omnibus gentibus religio à prima mundi creatione; quæ religio Judaïcarum antiquitatum argumentum certum est. Perpetuus, inquam, hebdomadarum recursus ubique terrarum servatus comprobat de creatione mundi doctrinam à Patriarchis traditam. *Non est*, inquit Josephus scribens contra Appionem lib. 2. *civitas Græcorum ulla usquam aut barbarorum, nec ulla gens, ad quam septimanæ in quâ vacamus, consuetudo minimè pervenerit.* Pariter Philo in libro de Creatione mundi. *In honore etiam habetur apud illustriores tam Græcorum quàm Barbarorum, qui in disciplinis versantur Mathematicis.* Joannes Philoponus de mundi creatione lib. 7. cap. 14. *In illud certè omnes consentiunt septem solos esse dies, qui in seipsos revoluti totum tempus constituunt.* Quibus deinde subjungit. *Hujus rei quam certè aliam rationem dare possumus præter illam solam, quam Moses assignavit?* Scilicet à rerum initio sibi invicem successerunt hebdomades, sive septenarius dierum numerus; qui nominibus septem planetarum postea appellati sunt. Citat Eusebius libro quinto Evangelicæ præparationis cap. 14. ex Porphyrio vetustum oraculum Apollinis, in quo legere est dies hebdomadis cognomines septem planetis, & sic semper à primis temporibus apud Ethnicos diem primum hebdomadis appellatum Solis, alterum Lunæ, tertium Martis, & sic de sequentibus. Multa in hanc rem colligit testimonia Seldenus in libro tertio de Jure naturæ & gentium. Instar omnium sit quod scriptum reliquit Dion Cassius, ubi loquitur de Judæorum sabbato, quod institutum innuit ob religionem quamdam Saturni, cui consecratur hic dies, & de ejus nomine appellatur dies *Saturni*. Sic ille loquitur per Interpretem Latinum. « Quod autem dies ad septem sidera illa, quos Planetas appellaverunt, referuntur, « id ab Ægyptiis haud ita dudum, ut paucis dicam, «

» inſtitutum ad omnes homines dimanavit. Nam A » priſcis Græcis, quantùm mihi conſtat, notus is » mos non fuit: & quando quidem is nunc, & apud » omnes homines ubique, & præſertim apud Ro» manos, uſitatus eſt; paucis quâ ratione, & quo » pacto ita inſtitutus ſit, diſſeram, de quo duos ſer» mones accepi haud ita difficiles cognitu. Duas illas rationes ſatis fusè explicat auctor: ego verò paucioribus verbis rem explicabo. In ſyſthemate cælorum antiquo, quod falſum eſſe obſervationes Copernicanæ demonſtrant, is eſt ordo ſeptem planetarum. *Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna.* Ægyptii primam horam hebdomadis ſacraverunt Soli, qui Planetarum primarius cenſetur, ſecundam Marti, tertiam Jovi, quartam Saturno, B quintam Lunæ, ſextam Mercurio, ſeptimam Veneri. Sic ex ordine ſequendo Planetas, reperietur primam horam diei ſequentis conſecrari Lunæ, tertii primam horam Marti, & ſic de cæteris diebus hebdomadis, qui nomen ſic habent à Planetâ, cui ſacra putabatur prima ejus hora. Chriſtiani primam diem, quæ ſolis dicebatur, appellaverunt Dominicam, & quæ Saturni, ſabbatum. Cæteros dies cum Ethnicis idolorum & elementorum nominibus appellant, ut loquitur B. Hieronymus, ad Algaſiam ſcribens.

Quidquid ſit hebdomades à primâ antiquitate inter omnes gentes eodem ordine ſeſe exceperunt, & concurrerunt cum hebdomadibus Hebræorum. C Semper illorum ſabbatum incidit in diem, quem Gentiles appellabant nomine Saturni. Indè Dio Caſſius ducit etymon ſabbati à Saturno; quod ante eum dixerat Tacitus, in libro quinto Hiſtoriæ, ubi agens de moribus Judæorum & de religione ſabbati, ſic loquitur. » Septimo die otium placuiſſe » ferunt, quia is finem laboris tulerit; deinde blan» diente inertiâ, ſeptimum quoque annum ignaviæ » datum. Alii honorem eum Saturno haberi; ſeu » principia religionis tradentibus Idæis, quos cum » Saturno pulſos, & conditores gentis accepimus, » ſeu quòd è ſeptem ſideribus, queis mortales re» guntur, altiſſimo orbe & præcipuâ potentiâ ſtel» la Saturni feratur: ac pleraque cæleſtium vim » ſuam & curſum ſeptimos per numeros conficiant. D » Hi ritus quoquo modo inducti, antiquitate defen» duntur. Ex hiſce teſtimoniis liquet diem ſabbati Hebraïci eumdem eſſe ac Saturni, qui in hebdomade Gentilium erat ſeptimus dies.

Itaque ſi repetendo dies ſabbaticos, ſive ſeptimos reverteremur uſque ad mundi initium, tandem incideremus in illam diem, quâ quievit Deus ab opere ſex dierum; quæ ita fuit prima omnium ſubſequentium ſabbatorum. Hæc habenda fuit ſanctior, & illâ decuit renovari memoriam beneficii, quo Deus mundum & homines creavit. Cæteris diebus homo opera exercet, quibus vita indiget; decebat autem eum unum diem impendere religioni erga Deum exercendæ. E Hoc obſervarunt viri Dei à conſtitutione mundi; ſed ſtrictis magis legibus Deus conſtrinxit Judæos, quando per Moyſen novam legem condidit; uſque dum adveniret Chriſtus. Ille patrato opere novæ creationis, quievit ab iſto opere, reſurgens primâ die hebdomadis; in quam ergo ſabbatum, hoc eſt, feſtiva quies Chriſtianorum tranſlata eſt, & hæc prima dies hebdomadis Dominica appellata eſt.

Hebræi dies Hebdomadis diſtinguebant, & appellabant ex ordine & numero ſuo; totam hebdomadam nomine ſabbati ſignificantes: *Jejuno bis in ſabbato*, aiebat Phariſæus, pro bis in hebdomade. Itaque *una*, ut loquuntur Hebræi, *die ſabbati*, ſive *una ſabbatorum*, eſt prima dies hebdomadis; quam Lunæ dicimus; *ſecunda ſabbati*, eſt dies Martis, *tertia ſabbati*, eſt dies Mercurii; & ſic de cæteris diebus. Sexta dies à Judæis Helleniſtis, id eſt, Græcè loquentibus dicebatur παρασκευὴ *Paraſceve*, id eſt, præparatio; quia illâ die paranda erant omnia victui neceſſaria ſequenti ſabbato, per quod Judæi jubebantur ita quieſcere, ut nec coquere cibos, nec etiam ignem accendere illis liceret. Dies illa *Paraſceves* ſabbati, à Judæis Hebraïcè loquentibus dicitur ערב שבת *ereb ſabbat*, hoc eſt, *veſpera ſabbati*; Paaraſceves enim proprium tempus incipiebat veſperè horâ nonâ feriæ ſextæ; quod Hebræi propriè nominant בערבים *inter veſperas*, ſive *inter duas veſperas*. Cùm ſol poſt meridiem declinare incipit, prima eſt veſpera, ſecunda cùm vergit ad occaſum. Ita nona hora eſt inter duas veſperas. Iſtâ horâ inſtante apparabant omnia Judæi; & obtinuerant ab Imperatore Auguſto decretum, ne quis eos poſt horam nonam die Veneris in jus vocare poſſet.

Ex ſeptimâ die hebdomadis, ſive ex ſabbato pendebat omne templi miniſterium; ab eo enim repetebatur hujus miniſterii ordo. Hac die quæque Ephemeria Sacerdotum inibat munus ſuum; quod exercebant à ſabbato ad ſabbatum. Sabbato amovebantur panes veteres, qui propoſitionis dicebantur; inferebantur novi.

SECTIO II.

De menſium apud Hebræos nominibus, numero, diſtinctione, initio, fine. Conſtat fuiſſe lunares.

Rerum diuturnitatem metimur comparando eas cum ſiderum motu. Plus minùſve res durare dicimus, dum cogitamus harum diuturnitatem his vel illis ſiderum reſpondere motibus, ſive certis periodis, dum res illæ ſubſiſtunt: tempus nihil aliud eſt, quàm menſura hujus diuturnitatis. Multiplici autem motu moventur ſidera, aut videntur moveri: primùm circa terram, quo totum cælum unà cum omnibus ſideribus abripitur, aut abripi videtur. Aſtronomi in ſideribus motum, quem appellant medium, ſive æqualem diſtingunt ab apparenti & inæquali. Videlicet ſidera pro ſitu modo tardiùs modò celeriùs videntur moveri; ideò motus ille æqualis quo ſupponuntur mota, dicitur medius, quia nuſquam celerior, aut tardior eſt. Menſura temporis, dum totum cælum revolvitur, nominatur dies, ut vidimus, luce ſolis & noctis tenebris diſtinctus. Menſis eſt menſura temporis quo luna curſum ſuum conficit, ſicut annus intervallum, quo ſol totum cælum emetitur. Duo autem illa ſolem & lunam poſuit Deus in cælo in ſigna, ut dicitur in capite primo Geneſeos v. 14. *Fiant luminaria in firmamento cæli, & dividant diem ac noctem, ut ſint in ſigna & tempora, & dies, & annos.* Clarè loquitur Siracides, ſive Eccleſiaſticus c. 43. v. 6. *Et luna in omnibus in tempore ſuo, oſtenſio temporis, & ſignum ævi. A luna ſignum diei feſti.* Ἀπὸ σελήνης σημεῖον ἑορτῆς.

Quidquid in menſuram adhibetur, certum fixumque eſſe debet; quod & facilè diſtinguatur. Lunæ curſus certus eſt, & diſtinctus varietate figurarum ſuarum. Latet initio & fine curſûs ſui intra ſolis radios; undè emergens conſpicua fit, & quaſi naſcitur nova. Primùm cornuta, deinde falcata, & augeſcens mediâ diſci ſui parte fulget, poſtea fit gibboſa: tandem plena totum ſuum diſcum implet, & rurſus quaſi amittens lumen, decreſcit cum iiſdem figurarum varietatibus, donec immergatur in ſolis radiis. « Diſpenſationibus hebdomadum, inquit Macrobius lib. 1. in ſomnium Scipionis c. 6. luminis

» luminis sui vices sempiternâ lege variando dispo» nit. Primis enim septem usque ad medietatem ve» lut divisi orbis excrescit, & διχότομος tunc voca» tur. Secundis orbem totum renascentes ignes col» ligendo jam complet, & plena tunc dicitur. Ter» tiis διχότομος rursus efficitur, cùm ad medietatem » decrescendo contrahitur. Quartis ultimâ luminis » sui diminutione tenuatur. Septem quoque per» mutationibus, quas phases vocant Græci, toto » mense distinguitur: cùm nascitur, cùm fit διχότομος; & cùm fit ἀμφίκυρτος, cùm plena, & rursus am» phicurtos; ac denuò dichotomos, & cùm ad » nos luminis universitate privatur. Amphicyrtos » est autem, cùm supra diametrum dichotomi est » antequam orbis conclusione cingatur, vel de or» be jam minuens, inter medietatem ac plenitudi» nem insuper mediam luminis curvat eminen» tiam.

Hominum etiam vulgus potest hisce lunæ mutationibus distinguere tempora. Quapropter allucinantur qui ex eo quòd ratio motuum lunæ primis temporibus non satis esset perspecta, concludunt Judæos non potuisse uti lunaribus mensibus; imò sine ratiociniis & calculis solâ visione possunt numerari. Idcircò Deus qui optimis moribus magis quàm scientiâ Judæos volebat imbutos esse, eam rationem distinguendorum temporum præscripserat, quæ accommodata esset viris Astronomiæ rudibus. Judæi, iterùm dicam, poterant suis oculis notare tempora, quæ observanda præcipiebat Deus, nec id arduum, ut ipsi experimur in hisce regionibus nostris, ubi luna turbidis tempestatibus, quod in Judæa rarissimè fit, frequenter occultatur. Etenim plebei etiam homines, ut agricolæ, & qui curam gregum suorum sub dio agunt, sine ulla scientia satis rectè de lunæ cursu pronuntiant; & sæpè rectiùs, quàm qui tabulis utuntur; quæ non subductæ sunt nisi juxta medios lunæ motus. In illis enim quandoque novilunia, aut plenilunia notata, præcedunt, aut subsequuntur vera novilunia aut vera plenilunia, etiam duobus diebus; quo intervallo difficile est eos aberrare, qui de lunæ cursu ex ejus aspectu dijudicant.

In illo temporis spatio, quo luna à sole digressa ad illum revertitur, videre est illam vagantem per totum cælum, nempe percurrentem duodecim signa Zodiaci. Cursus ille ejus integer appellatur, Latinè *mensis*, Græcè μὴν, à μήνη *Luna*; sic Hebræi Lunam & mensem eodem nomine appellant ירח *jareach*. Duplex autem cursus est lunæ. Primus quo orbitam suam emetitur, qui periodicus solet dici. Luna quæ sole est celerior, cum eo non progreditur, sed postquàm ab eo separata est, iterùm ad eum revertitur & cum illo conjungitur, quæ conjunctio brevis est temporis; cùm enim horum siderum motus inæqualis sit, dum luna totam suam peragrat orbitam, sol & ipse licet tardior emetitur aliquod spatium; ita ut luna, postquàm explevit orbitam suam, cùm jam sol progressus fuerit, sive non constiterit in eodem loco, necesse est ultra progrediatur, quò eum assequatur. Cursus uterque lunæ dicitur mensis. Primus, qui periodicus mensis appellatur, est dierum 27. horarum 7. minutorum 43. secundorum 7. quo motu conficit orbitam suam; Synodicus verò mensis est, quo completo, iterùm luna cum sole conjungitur. Constat ille diebus 29. horis 12. minutis 44. secundis 3. Ita trigesimâ die fit nova conjunctio, sive fit novilunium. Hæc trigesima dies erat sancta Judæis, nempe festum Neomeniæ, quam celebrabant Judæi hac trigesimâ die. Mensis periodicus non deprehenditur oculis; quapropter rerum initio, cùm omnia ordinarentur oculorum sensu, non alius mensis usitatus erat, quam synodicus. Menses, inquam, Hebræorum synodici erant. Mensis verò synodici duplex est initium, primum, in quo præcisè fit lunæ cum sole conjunctio in eadem parte cæli; aliud, cùm, postquâm latuit abscondita intra solis radios, ab eo digressa, celerius enim movetur versùs Orientem, incipit apparere. Ista prima visio lunæ, ut Græci loquuntur, *phasis*, initium est mensis, qui ex aspectu numerabatur, cùm nondum studio Astronomiæ homines dediti essent. Momentum conjunctionis duorum siderum non aliter quàm calculis definiri potest. Non oculi advertunt conjunctionem lunæ cum sole; quin prima lunæ phasis vix illis conspicua est, quippe nubibus occultari potest, & pro diverso situ siderum citiùs, aut tardiùs apparere. Idcircò labentibus sæculis, cùm peritiores Astronomi extiterunt, potiùs à conjunctione quàm à phasi sumptum est mensium initium. Retentum est tamen nomen *Neomeniæ*, sive novilunii, quo significabatur luna nascens: nunc autem usurpatur pro conjunctione. Græci & Romani à primis Reipublicæ suæ temporibus desierunt menses suos inchoare à visione lunæ.

Apud Judæos, dum Respublicâ eorum floruit, antiqua consuetudo obtinuit ut menses censerentur incipere cum nova phasi, quam Sacerdotes diligenter & religiosè advertebant; & significabant populo, consecrantes eam diem peculiari sacrificio; quod ut ritè fieret, nempe momento temporis statuto, mittebantur ad loca edita speculatores fide digni, qui referrent an nova luna apparuisset, nec ne. Si contingeret phasis post meridiem, non statuebatur mensis initium nisi die subsequenti; quo fiebat mensem unâ die vel breviorem esse, vel longiorem, prout indicabatur Neomenia. Mensis dicebatur plenus, si unâ die abundaret; cavus, si deficeret. Ab illo autem tempore, quo vivunt Judæi sine lege, sine Sacerdote, nec fit ampliùs primæ phaseos observatio, habent omnes menses suos alternatim cavos & plenos. Mensis synodicus, ut diximus, est 29 dierum, 12 horarum, 44 minutorum, & 3 secundorum. Ita duo menses faciunt 59 dies, 5 horas, 28 minuta, 6 secunda. Faciunt ergo Judæi menses alternatim cavos 29 dierum, alternatim plenos 30 dierum. Sed dum stetit templum, primus consessus, qui dicebatur synedrium, rem omnem ordinabat ex visione lunæ, scilicet statuebat an mensis cavus habendus esset, an plenus.

Diversi menses nomen ex suo ordine sortiebantur: dicebantur vel primus vel secundus; nec alio nomine primitùs distinguebantur; nisi quod mensis ille, quo segetes virescere incipiunt, appellaretur אביב *Avib* aut *Abib*, id est, *spica virens*. Mensis ille, qui sequitur fruges collectas, dicebatur אתנים *Ethanim*. Circa tempora captivitatis Babylonicæ menses Hebræi appellati sunt hisce nominibus. Primus, cui nomen olim *Avib*, dictus est *Nisan*, secundus *Jar*, tertius *Sivan*, aliis *Sivvan*, quartus, *Tamus*, aliis *Tammus*, quintus *Ab*, sextus *Elul*, septimus *Tisri*, cui olim nomen *Ethanim*. Octavus *Maresuan*, aliis *Marchesuan*, nonus *Kisleu* aut *Casleu*, decimus *Thebeth*, undecimus *Shebath*, aliis *Sebat*, duodecimus *Adar*.

Quæritur undè ille duodenarius mensium numerus: cur non pauciores, cur non plures. Non solùm diversa tempora distinguimus motu siderum, sed & ipsâ rerum diversitate. Diversæ tempestates sibi invicem succedunt; nam postquàm terra gelu constricta est, solvitur, aperit se, & herbas producit. Deinde æstuat calore, quo maturescunt segetes, & fruges ut possint colligi antequàm frigus redeat. Quatuor itaque sunt tempestates, quæ dis-

tinguntur in illo ſpatio temporis, quod annus appellatur. Has tempeſtates efficit ſol, prout accedit aut recedit, & longior vel brevior eſt mora illius ſupra horizontem. Duplici motu movetur: motu diurno, quo vertitur circa terram; motu annuo quo percurrit Zodiacum, nempe circulum aliquem in quo ſunt duodecim ſigna, quibus quorumdam animalium dantur nomina undè Zodiacus circulus appellatur; quia hæc duodecim ζώδια animalia in illo eſſe finguntur. Zodiacus non ſecat ad rectos angulos æquatorem; ex qua obliquitate oritur diverſitas dierum longiorum aut breviorum; etiam diverſitas tempeſtatum, prout ſol verſatur in ſignis Zodiaci remotioribus, a nobis magis recedit, & ad nos accedit in ſignis proximioribus; ſic periodus ſolis varias anni tempeſtates in ſe complectitur. Hæc periodus eſt 365 dierum, 5 horarum, & 44 minutorum.

Duodecim menſes lunares ſynodici faciunt 354 dies, 8 horas, 48 minuta prima, 38 ſecunda circiter. Ita in ſpatio curſus ſolaris annui non poſſunt numerari niſi 12 menſes lunares ſynodici; ita annus lunaris non cenſetur niſi 12 menſium. Verùm quoniam annus ſolaris ſuperat lunarem, eo dierum numero, qui poſt tres annos collectus facit etiam pluſquàm triginta dies, ideò tertius quilibet annus augebatur decimo tertio menſe; qui appellabatur *Veadar*, hoc eſt, *& Adar*, ſive *ſecundus Adar*. Scilicet quibus annis menſis Adar finiebatur, antequàm æquinoctium vernum fieret, inſerebatur anno lunari elabenti decimus tertius menſis. Eam cautionem adhibebant Judæi, ut eorum primus menſis Niſan concurreret ſemper cum ea tempeſtate anni, quâ novæ ſegetes vireſcunt; qui ideo in Scripturis appellatur *menſis novarum frugum*. Cùm tempus meſſis hordeaceæ nondum adventaret augebant annum uno menſe, ut menſis qui ſequebatur Adar non diceretur Niſan, ſed *Vedaar*, ſecundus Adar. Lex præcipiebat ut poſtridie feſti Paſchatis offerretur manipulus ex ſegete hordeaceâ, ſi non maturâ, ſaltem virenti. Præterea innumeri agni die Paſchatis erant mactandi, quos hyemis tempore difficile fuiſſet reperire. Igitur ſatagebant Judæi, ut menſis, quo Paſcha mactabatur, non antecederet initium veris, quod contingit, cùm ſol ingreditur ſignum arietis, & dies noctibus ſunt pares. Niſan appellatus eſt primus menſium, ſive caput anni, quia eo menſe Judæi ſoluti fuerant Ægyptiacâ ſervitute; ut adſtruit Joſephus in Antiquitatibus libro 1. cap. 4. *Moſes autem Niſan, qui Macedonibus Xanthicus, menſem primum in ſuis faſtis ordinavit, quòd per hunc Hebræos ex Ægypto eduxiſſet. Eundem etiam omnium quæ ad rem divinam pertinerent, exordium fecit.*

In hiſce omnibus videre eſt omnia populariter fieri potuiſſe; nam ex tempeſtate anni agnoſci poterat an menſe emboliſmo, ſive inſititio augendus eſſet; etiam quis primus vel ultimus anni menſis deberet cenſeri. Judæis non ſtatim Aſtronomia innotuit, ut poſſent ejus præſidio feſta ordinare. Licet enim Moyſes eruditus ſit diſciplinis Ægyptiorum, qui forſan jam cœperant excolere Aſtronomiam; attamen non dicitur tabulas aſtronomicas confeciſſe, juxta quas annis ſequentibus Kalendarium ordinaretur. Igitur menſes populares eſſe voluit, nempe quorum initium & finem populi advertere poterant. Quod iterùm juvat explicare.

Luna ideò in conjunctione ſuâ latet, quia pars ejus quam ſol colluſtrat tunc à nobis averſa eſt; & claritas, ſi quæ propria ſit alteri portioni ejus, quæ nobis obverſa eſt, hebetatur majori luce ſolis, intra cujus radios eſt. Citò ſolem relinquit, quia celerior eſt motus ejus versùs Orientem. Ubi autem declinare incipit a ſole, ſimul obvertit nobis partem â ſole colluſtratam, tunc proximior orientalibus locis. Itaque ubi ſol occidit, adverti poſſet, niſi eâ primâ horâ occasûs ſupereſſet aliqua *crepera* lux, id eſt, dubia (quæ ideo crepuſculum appellatur) quæ impedit ne portio dicta appareat, niſi jam luna omnino exierit ex illa luce. Hoc contingit, cùm notabili intervallo elongata eſt a ſole. Nam præterquam quod dum illi vicina eſt, & ipſa cito occidit, deſcenditque cum illo infra horizontem, non poteſt apparere, licet ſit ſupra horizontem, niſi jam evaſerit lucem illam crepuſculi, remota ab horizonte, quem refractiones radiorum ſolis colluſtrant hacce luce. Pro habitudine autem ſua ad ſolem, menſe quolibet poſt coitum aliter atque aliter mutata, diversè versùs Occidentem in cælo ſatis ſereno conſpicitur: idque, ſive partis quæ nobis obverſa eſt quantitatem, ſive cornuum poſituram ſpectes. Nam pro nodorum loco, ſeu latitudine ab Ecliptica, longitudine à ſole, velocitate, ſive tarditate Zodiaci, & horizontis obliquitate, poli altitudine, & quæ ſunt id genus in calculo aſtronomico, citiùs quandoque apparet, vel die à coitu proximo, vel intra ipſum coitûs diem; quandoque etiam tardiùs. Major, minorve quantitas partis nobis obverſæ, quæ primò conſpicitur: nunc inſtar tenuioris tantùm arcûs, ſeu lineolæ curvæ lucis; nunc inſtar ſegmenti ferè circuli, pro temporis, lunæque loci varietate, anguſtioris, aut amplioris. Eaſdem item ob cauſas cornua nunc inclinantur, nunc erectiora apparent. Quâ de re; inquit Seldenus, accuratiùs egere ſæculis vetuſtis Mathematici Arabes, Albatategnius ſeu Muhamedes Aracenſis, & Muhamedes ille alter Alfraganus, præter Meſſahalam. Orientalium enim plerique, quemadmodum Judæi, à prima lunæ viſione menſes auſpicari ſunt ſoliti.

De hiſce magis diligenter diſſeruimus in libellis, quos de ultimo Chriſti Paſchate edidimus, & in apparatu Chronologico ad Harmoniam Evangelicam. Scire intererat, quo die poſt æquinoctium vernum luna menſis Niſan primùm conſpicua fuerat, annis quorum chronologiam texebamus. Emerſio lunæ pendet ex remotione ſolis, & ſitu ejus: etenim pro obliquitate horizontis & certo loco ejus in Zodiaco intra idem temporis ſpatium magis aut minùs infra horizontem deſcendit; ita crepuſculum fit brevius aut longius; poſt quod luna, ſi tunc ſit ſupra horizontem, apparet ſatis à ſole remota; quæ prout perigæa vel apogæa eſt, & motus ejus velocior, brevi tempore multùm recedit à ſole. Hæc omnia non tam facilè innoteſcunt his qui ſunt planè rudes aſtronomiæ; quibus autem in locis ſol occidat, an à læva an à dextra ejus primùm debeat apparere luna vix ignorari poteſt. Lux crepuſculi lunæ moratur aſpectum; crepuſculi autem cauſa ſunt vapores; ita minimum eſt in altis montibus, ubi poſtquàm ſol occidit, ſtatim ingruunt tenebræ. Luna ergo citiùs poſt conjunctionem ſuam in montium vertice apparere poteſt.

SECTIO III.

Evincitur priſcas gentes & ideò Hebræos inchoaſſe menſes ſuos à viſione lunæ, quod & hodie faciunt Arabes.

DUodecim præfecti ſecundùm numerum menſium anni Regiam annonam procuraſſe dicuntur 3. Reg. cap. 4. & 1. Paralipom. cap. 27. per duodecim menſes anni, duodecim tribuum principes ex officio adfuiſſe aulæ Regiæ omnes ſecundùm ἐφημερίας ſuas, & menſem ſuum: ideò ſunt qui negant menſes Hebræorum fuiſſe lunares, ſi quidem

inquiunt, annus conſtabat 12 menſibus, lunaris autem interdum habebat 13. Turpiter allucinantur. etenim miniſtrabant illi præfecti, & principes per ἐφημερίας & orbes; ut Sacerdotes, qui cùm in viginti quatuor familias diſtributi eſſent, ſuâ quâque hebdomadâ operabantur: & quemadmodum prima familia incipiebat ſemper à primo menſis ſabbato; ita non eſt neceſſe eum, qui primus erat in functione ſua in aulâ Regis, à primo menſe anni incipere: ſed qui primus erat in functione menſis illius, dicebatur primus; ut in Sacerdotum ſtationibus prima hebdomadas ex 168 hebdomadibus, dicebatur hebdomas Joiarib. Nullius pariter ponderis eſt quod alii dicunt Hebræos lunarium motuum rationem non habuiſſe, quibus cæli & ſiderum obſervationes prohibitæ erant. Non alia verò ſiderum obſervatio illis prohibita, quàm quæ fiebat ab Idololatris, qui ſidera pro numinibus habebant. Fruſtra etiam eſt, quod objiciunt, lunæ mentionem non fieri iis in locis Scripturarum, in quibus feſtorum, ac ſolemnium ritus præſcribuntur. Cùm menſes eſſent lunares, qui nominabat diem decimam quartam menſis, ſimul & decimam quartam diem lunæ indicabat. Adde, quod diximus, eodem nomine lunam & menſes ſignificari ab Hebraicè loquentibus. Sed & liquidis verbis dicitur Pſalmo 103. 19. lunam præparatam ad determinandas, ſive conſtituendas feſtivitates. In Vulgatâ quidem verſione, legimus, *fecit lunam in tempora;* ſed nomen מועדים *moedim* determinat ſpeciem aliquam temporis, nempe dies ſolemnes & feſtivos. Quin etiam in libro tertio Eſdræ c. 1. dicitur Joſiam Paſcha celebraſſe lunâ 14. primi menſis; quod & dicitur de alio Paſchate cap. 8. Liber quidem iſte apocryphus eſt, ſed antiquus.

Poſſum prolatis teſtimoniis evincere non aliam fuiſſe ordinationem menſium primitùs apud Græcos & Romanos, ac apud Hebræos, tam in iis quæ ſacra ſpectabant, quàm in rebus civilibus; quod Hebræis adſtruit ſuam antiquitatem & veritatem. Vidimus lunam figurarum ſuarum varietate, dum curriculum ſuum in cælo conficit, oculis ita præbere temporis menſuram, ut fieri non potuerit quin illâ uſi fuerint priſci homines, antequam ars adinveniſſet alias menſuras, quæ ſenſibus diſtingui non poſſunt. Primùm omnes menſes lunares fuêre, ut liquet ex eo quod nomen ſuum habuêre à luna. Efficit ſol annum, luna menſes, ait Plutarchus in quæſtionibus Romanis: quod & dixerat Varro in libro quinto de lingua latina. » Menſis à lunæ motu dictus, dum ab ſole profecta rurſus redit ad » eum luna, quòd Græcè olim dicta μήνη: undè illo» rum μῆνες. Ab eo noſtri. A menſibus intermeſtris » dictus; quod putabant inter prioris menſis seneſ» centis extremos dies & novam lunam eſſe diem, » quem diligentius Attici ἕνην καὶ νέαν apellarunt, ab » eo quòd eâ die poteſt videri extrema & prima luna. In fine tertii libri Faſtorum, *luna regit menſes*, canit Ovidius. Ante natam Aſtronomiam populi non poterant ordinare menſes, niſi oculorum judicio. Menſem ergo reputabant inchoatum, cùm luna ex majoris ſideris emergens luce, fiebat conſpicua. Tunc Neomenia non accipiebatur pro conjunctione lunæ cum ſole, ſed pro eo temporis puncto quo primùm conſpicitur, cui detegendo religio diligenter intendebat, ut ſtatis diebus inſtaurarentur Deo, aut his qui colebantur pro Deo, ſacrificia.

Id innatum animis quòd Deo ſuus cultus exhibendus ſit legitimis ritibus, & præſcripto tempore. Indè pertinebat ad ſacros miniſtros ordinatio temporum, ut innuit Pauſanias in libro quinto. *Sacrorum ceremoniis, ut quæque in ſingulorum menſium ſtatores inciderint dies, iis peragendis præſunt, æditnus, augures, feciales, interpres, tibicen, præterea & lignator.* Omnia inchoabant veteres à cultu Dei; itaque initium menſium Deo ſacrum erat. Ἑλλήνες ἐν τῇ νουμηνίᾳ τοὺς θεοὺς σεβόμενοι. *Græci in novilunio diis rem ſacram faciebant.* Sive Hebræos Græci imitati ſint, ſive ab ipſis antiquioribus Hebræorum Patriarchis, nempe à filiis Noë acceperint, eadem ferè ſacra habuêre; quod ut liqueat, teſtimonium hùc afferam Gemini, qui elementa Aſtronomiæ ſcripſit, Ciceronis ſæculo. Ea omnia quæ obſervavêre Hebræi videre eſt in hoc teſtimonio à Græcis obſervata. Sic Gemini loquitur Interpres Latinus, ubi agit de menſibus cap. 6. « Propoſitum fuit veteribus, menſes quidem agere ſecundum lu- » nam, annos verò ſecundùm ſolem. Quod enim à « legibus & oraculis præcipiebatur, ut ſacrificarent « ſecundùm tria, videlicet menſes, dies, annos; « hoc ita diſtinctè faciebant univerſi Græci, ut an- « nos agerent congruenter cum ſole, dies verò & « menſes cum luna. Porrò ſecundùm ſolem annos « agere, eſt circa eaſdem tempeſtates anni eadem « ſacrificia Diis perfici; & vernum ſacrificium ſem- « per in vere conſummari, æſtivum autem in æſta- « te: ſimiliter & in reliquis anni temporibus eadem « ſacrificia cadere. Hoc enim putabant acceptum & « gratum eſſe Diis. Hoc autem aliter fieri non poſ- « ſet, niſi converſiones ſolſtitiales & æquinoctia in « iiſdem Zodiaci locis fierent. Secundùm lunam ve- « rò dies agere, eſt tale, ut congruant cum lunæ « illuminationibus appellationes dierum. Nam à lu- « næ illuminationibus appellationes dierum ſunt de- « nominatæ. « Nempe ut plenilunium dicitur dies, quo luna apparet orbem ſuum impleviſſe; ita & novilunium, quo primùm nobis lucere incipit; quod ex his quæ Geminus pergit dicere liquet.

In quâ enim die luna apparet nova νέα ἡ σελήνη « φαίνεται, ea per ſynalæphen ſeu compoſitionem « νουμηνία, id eſt, novilunium appellatur. In qua « verò die ſecundam facit apparitionem, eam ſe « cundam lunam vocarunt. Apparitionem lunæ, » quæ circa medium menſis fit, ab ipſo eventu διχο- « μηνίαν, id eſt, medietatem menſis nominarunt. Un- « de etiam triceſimam menſis diem, cùm ultima ſit, « ab ipſo eventu tricada vocarunt. His conſentanea « etiam Aratus in appellationibus dierum demonſ- « trat, cùm ſic inquit, «

Nonne vides, cum parva cornibus luna
Veſperi apparuerit, creſcentis docet
Menſis (ſignum) *inde cùm primus ſplendor diffunditur.*

Cætera videri poſſunt in ipſo Græco fonte. Petavius in Uranologio edendum curavit Geminum inter auctores qui de ſphæra ac ſideribus & eorum motibus Græcè commentati ſunt.

Apud priſcos Romanos certo certiùs conſtat morem Hebræum, quem adſtruimus, viguiſſe. Exſcribam locum Macrobii in libro primo Saturnalium capite 15. « Romulus enim cùm ingenio quidem « acri ſed agreſti ſtatum proprii ordinaret imperii, « initium cujuſque menſis ex illo ſumebat die, quo « lunam novam contigiſſet videri. Quia vero non « continuò evenit ut eodem die ſemper appareat; « ſed modò tardiùs, modò celeriùs ex certis cauſis « videri ſolet: contigit ut cùm tardius apparuit, « præcedenti menſi plures dies, aut cum celerius, « pauciores darentur. Et ſingulis quibuſque menſi- « bus perpetuam numeri legem primus caſus addi- « xit. Sic factum eſt ut alii triginta & unum, alii « undè triginta ſortirentur dies. « Ergo tunc temporis ordinabatur Kalendarium Romanum ex viſione lunæ; quod pergam declarare verbis Macrobii. Faſtorum libri appellantur, in quibus totius anni fit deſcriptio; ita ut penes quem illi libri ſint, ab exor-

dio ani i intelligat qui dies festivi esse debeant; quod A olim non patebat nisi indicatione Sacerdotum, in uno quoque mense. Et hoc est quod dicit Macrobius ibidem » Priscis ergo temporibus, antequàm » fasti à Cn. Flavio Scribâ invitis patribus in om- » nium notitiam proderentur, Pontifici minori hæc » provincia delegabatur, ut novæ lunæ primum ob- » servaret adspectum, visamque Regi sacrificulo » nuntiaret: itaque sacrificio à Rege & minore Pon- » tifice celebrato, idem Pontifex Kalatâ, id est, vo- » catâ in capitolium plebe, juxta curiam Kalabram, » quæ casæ Romuli proxima est, quot numero dies » a Kalendis ad nonas superessent pronuntiabat.

Curam Kalendarii pertinuisse ad Romanos Sacerdotes clarè ante Macrobium declaraverat Varro in libro quinto de lingua Latina. *Primi dies mensium*, inquit ille, *nominati Kalendæ, ab eo quòd his diebus kalerentur ejus mensis nonæ à Pontifice.* Plerique viri docti congesserunt varia testimonia, ex quibus licet deducere gentes omnes antiquitate celebriores mensis ineuntis & lunæ nascentis tempora sanctè & festivè duxisse. Herodotus in vita Homeri narrat hunc Poëtam in Neomeniis adiisse potentiorum ædes, ut quidpiam ab illis acciperet. Indè Spencerus contendit, sed irrito conatu, Hebræos neomeniarum religionem accepisse à gentibus. Gens enim Hebræa antiquior est; ut verisimile magis sit eam præivisse in consecrandis Neomeniis; quarum ritus, qui præscribuntur in sacro codice, imitati sunt Ethnici.

Pro commentis haberi non possunt, quæ dicunt Rabbini de consecratione Kalendarum, quasi recto judicio adversantia & impossibilia. Hæc tunc temporis observantur apud Muhammedanos, Sinas & Indos. Populi illi ad lunæ phasim suas Neomenias instituunt, & in prima lunæ phasi lætantur. Hunc morem adstruit Alfraganus Arabs, cujus elementa astronomica Arabicè conscripta Latinè interpretatus est Jacobus Golius. Sic ille Astronomus in capite primo. *Auspicantur enim Arabes diem quemque cum sua nocte, id est, civilem, ab eo momento, quo sol occidit; propterea quòd dies cujusque mensis apud illos ineunt, à prima visione lunæ; ea autem contingit circa occasum solis.* Arabum moribus imbuti Muhammedani Neomenias hodie indicant, cùm lunam primulo cornu insignem vidêre. Ex eo etiam derivatum, ait Scaliger, ut quemadmodum Christiani in apicibus turrium & templorum crucem statuunt; sic Muhammedani ponant speciem lunæ crescentis seu cornutæ in apicibus pyramidum suarum. *Apud veteres omnium mensium principia celebrabantur sicut apud Hebræos.* Inquit Isidorus lib. 5. Originum cap. 33. Ad Judæos revertamur.

SECTIO IV.

De festa die initii mensium, sive de Neomenia apud Hebræos. Prima lunæ phasis, sive visio erat dies Neomeniæ. Religio Judæorum in observanda ista visione, & hujus visionis declaratione.

IDeò de Neomeniis agimus, quia celebrabantur in templo; quod & in hunc finem Salomon ædificaverat, ut ipse innuit scribens ad Hiram Regem, 2. Paralip. cap 2. 4. *Sic fac mecum, ut ædificem domum nomini Dei mei, ut consecrem eam ad adolendum incensum coram illo, & fumiganda aromata, & ad propositionem panum sempiternam, & ad holocaumata manè & vesperè, sabbatis quoque & Neomeniis.* Decebat, ut jam diximus, statos esse dies sacrificiorum; sive ut in sacris & in quibuscumque aliis publicis rebus servaretur ordo, qui præsertim pendet ex tempore. Idcircò in dirigendis fastibus tantum studii impensum est; quos primùm oportuit esse accommodatos captui agricolarum; undè dicebat Columella in libro nono de Re rustica capite 335. *In hac ruris disciplina sequor nunc Eudoxi & Metonis, antiquorumque fastus Astrologorum, qui sunt aptati publicis sacrificiis: quia est ista vetus agricolis concepta opinio.* Rudes autem calculorum agricolæ, non poterant menses inchoare à coitu lunæ, qui deprehenditur calculis, sed à primâ visione quæ oculis advertitur; quos ut converterent Judæi in istam visionem, sive ut initium mensium adverteretur ab omnibus, Deus mandaverat ut tubis in templo significaretur, & fieret solemne sacri- B ficium; *Numer.* 10. 10. *Si quando habebitis epulum, & dies festos, & Calendas, canetis tubis super holocaustis.* In Vulgata Latina sæpiùs initium mensium, sive *Neomenia*, appellantur Kalendæ, more Romano. Sed & Neomeniæ nomine utitur Interpres Latinus in Psalmo 80. v. 4. *Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ.* Adjungebantur sacrificia, & dum fierent, clangor buccinarum edebatur. Hæc sacrificia præcipiuntur, *Numer.* 28. 2. *In calendis autem offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos septem immaculatos.* 15. *Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis in holocaustum sempiternum cum libamentis suis.* Cur in novi- C lunio fieret ista Hirci additio, Abarbanel hanc reddit causam. « Hircus oblatus est, inquit ille, Interprete Meyero, ad expiandam impuritatem Sanc- « tuarii, rerumque ei consecratarum per errorem. « Quum autem in novilunio, & solemnitatibus à « Deo indictis populus multus ex Israële veniret ad « templum, ut se incurvarent & sacrificia offerrent, « & tota turba eò accederet confusè & inordinatè, « accidere poterat ut inter eos aliquis veniret im- « mundus, qui oblitus suæ immunditiæ ingressus « fuerit templum in medium istius populi, ibidem- « que juxta cum reliquis suis fratribus comedenti- « bus, vesceretur carne pacificorum sacrificiorum. « Ideò obtulerunt hircum illum ad expiandum pec- « catum ejus, qui oblivioni traditâ suâ immunditie, « D ingressus fuerit templum. «

Vidimus & omnes Romanos ex agris concurrisse Romam Kalatos, id est, advocatos, ut discerent quâ die statutum esset mensis initium; quod ideò nomine Kalendarum appellabatur. Sunt qui opinantur, Judæos non jussos esse à Deo observare Neomenias, quasi primùm ab eo institutas; sed tantùm ritus celebrationis Neomeniarum jam observari solitarum, ab eo novâ lege sanciri. Verùm nusquam Legislator: loquitur de Neomeniis quasi nuper institutis. Præcipit certa sacra eo die fieri; nimirùm quia intererat Reipublicæ & religionis ut tempora certis distribuerentur mensuris. Gentes omnes de noviluniis rectè definiendis sollicitæ fue- E runt; & in illis sacrificia obtulerunt. Plura in hanc rem testimonia collegit Samuel Petitus in Commentariis suis ad leges Atticas. Quanta autem esset diligentia Judæorum in observando novilunio, sive in observanda prima lunæ visione referre de nostro instituto est. Prima visio Hebræis erat novilunium, ut diximus; quod tam liquidis verbis dicit Philo, ut mirum sit id à quoquam in dubium revocari. Sic ille loquitur initio libri de septenario, enumerans festos dies. *Tertius*, inquit, *dies festus est qui sequitur synodum seu conjunctionem, secundùm aliquam lunam novam, nempe novilunium.* Neomenia ergo non erat tempus conjunctionis lunæ cum sole, quoniam subsequebatur hancce conjunctionem. Definit Neomeniam, ubi de hoc festo agit. Νεομηνία

ἄρχεται φωτίζειν αἰσθητῷ φέγγει σελήνην ἥλιος, ἡ δὲ ἴδιον κάλλος A τοῖς ἀναφαίνει ὁρῶσι. *In neomenia incipit sol splendore sensibili lunam illustrare; ipsa verò proprium decus tunc patefacit spectantibus.* Tempore conjunctionis luna omninò occultatur; pars enim ejus quam sol illustrat, à nobis aversa est; ita non patefit. Non prætermittendum mensem ideò appellari ab Hebræis חדש *chodesch*, id est novitatem; quia ipsa luna, postquàm latuit, iterùm nova apparet.

Quæ diximus, omnium Judæorum testimonio confirmantur. Maimonides peculiarem tractatum composuit de consecratione Kalendarum, quem inscripsit *Kiddusch hachodesch.* Hunc Latinè interpretatus est Ludovicus de Compiegne de Veil. Indè B pauca exscribam. Neque enim vacat omnem artem, quâ olim Judæi ordinabant menses suos & annos, explicare, & quod facit Maimonides, ab Astronomia accersere scientiam, quæ ad id necessaria erat. Sic ille loquitur initio dicti tractatûs. *Menses nihil aliud esse, quàm lunæ novitates, vel ex eo cognosci licet, quod in lege est. Num.* 28. 14. *Hoc erit suum cujusque novitatis holocaustum. Et alio loco* Exod. 12. 2. *novitas ista vobis* (*esto*) *principium mensium*, &c. *Quod sapientes quidem sic interpretati sunt, ut vellent per visum à Deo lunæ novæ speciem objectam esse Mosi, atque eidem præscriptum, ut cùm similem visurus esset, eam illicò consecraret.* Visionem primam lunæ esse initium C mensis ubique adstruit. *Quâ verò nocte luna, postquàm delituit, aperitur, ab eâ mensis initium dicitur.*

Potissimùm occupatur Maimonides in his quæ observationem novæ lunæ spectabant. *Sed hæc observatio*, inquit, *lunæ non est cuique hominum commissa ac creata sic, uti septimus à mundo constituto dies, quem diem licet quisque, numeratis diebus sex, ipsemet instituat atque in otio degat. Calendas autem definire ac consecrare consilii sanedrin proprium est.* Consessus ille habebat viros eruditos, qui Astronomiam percallebant; quales fuêre viri plerique ex tribu Issachar, ut Scriptura dicit 1. *Paralipomen.* cap. 12. 32. *De filiis quoque Issachar viri eruditi, qui noverant singula tempora ad præcipiendum quid deberet facere Israël, principes ducenti.* D Ipsi erant doctores, computatores, & magistri, sive ad festivitates celebrandas, sive ad cætera. Præter illam tribum, quæ post captivitatem dissipata fuit saltem ex majori parte, potuêre quidam synedrii proceres vacare studio Astronomiæ; & in ipsa synedrii sede erant lunæ phases descriptæ. Cùm illi proceres non prorsus ignorarent motus lunæ, ubi appropinquabat tempus quo luna poterat apparere, speculatores idoneos, & testes integerrimos mittebant in editiora loca. Hi statim ac novam lunam deprehenderant, celeri cursu, nec obstare poterat religio sabbati, id referebant ad synedrium, in quo congregati Senatores expectabant hos nuntios; & diligenter examinabant ne fortè decepti similitudi- E nem novæ lunæ, non ipsam lunam vidissent. Cùm plerique ex viris synedrii nossent tempus & locum & formam phasium lunæ, poterant horum nuntiorum testimonium explorare. *Quovis enim mense synedrium ratione & viâ Astrologorum exquirebat num esset futurum, ut si luna se aperiret, ad Septentrionem vergeret, an ad Meridiem? Quàm latam aut angustam præbitura se esset? Et quorsum summa cornua conversura.*

In Misna, tractatu de Principio anni, multa dicuntur de probatione testium, qui mittebantur ad speculandam lunam. Sic interrogabatur qui visam renunciabat. *Dic quomodo vidisti lunam? Fuitne illa vel ante solem, vel post solem? Septentrionem versùs, aut Meridiem? quanta fuit ejus altitudo, & quò tendebat, quàm lata erat?* Ubi duo testes inter se conveniebant, tunc præses synedrii dicebat מקודש *Mechudas*, id est, *consecratus est* nempe novus mensis. Declarabatur mensis cœptus: acclamabat populus: *consecratus est*, iterans quod à præside pronuntiatum erat; & sequebatur clangor tubarum. Synedrium autem etsi Calendas per imprudentiam, per errorem, per vim consecrasset, nihilominus festum ratum fixumque erat. Atque ad hunc diem à synedrio consecratum, dies festos omnis Israël dirigebat. Statuebatur ex visione lunæ an mensis cavus esset censendus an plenus. Protinus autem ut innotesceret consecratio omni Judææ, statim ipso consecrationis tempore, synedrium faces curabat attollendas in montium jugis; quo signo hominibus longè dissitis illa consecratio indicabatur. Sed cum Cuthæi, id est, Samaritani, malitiosè idem intempestivo tempore facerent, decretum est ut nuntii ad illud significandum egrederentur.

Sex præsertim mensibus mittebantur viri, qui definitas à synedrio calendas nuntiarent. Primum mense Nisan, propter solemnitatem Paschæ: mense Ab, propter jejunium, quod ejus mensis die nono celebrabatur. Mense Elul, propter anni principium, scilicet ut mensis ejus die trigesimo nuntios expectarent à synedrio. Qui si rescirent calendas jam esse institutas, tricesimum mensis diem solum testium agebant: sin minus, & posterum diem celebrabant, nempe per biduum, usque dum venirent, qui mense Tisri mittebantur nuntii. Mittebantur autem mense Tisri, propter multas ac varias, quæ celebrabantur, rato tempore, solemnitates. Mense Casleu, propter solemnitatem dedicati templi. Denique mense Adar, propter solemnitatem sortium: sed enim stante templo mittebantur etiam mense Jar, propter Pascha minus, seu secundum. His autem in locis, ut docet nos Maimonides, *ad quæ definitarum nuntii calendarum perveniebant, in eo dies solemnes, ut in lege est, instituebant simplices: longinquis autem in locis ad quem calendarum nuntii aspirare nequibant, dies solemnes geminabant; quippe qui nescirentquo die essent à synedrio definitæ calendæ.*

Non suscipimus enodare difficultates, quæ occurrere possunt, cum menses inchoandi sunt à visione lunæ. Neque enim hisce Judaïcis legibus nunc astringimur, ut nostrâ referat illas exploratas habere. In Judæa purior aër est, quàm ut luna per multos dies lateat; quod si contigisset, aut error fefellisset synedros, mensem illi retexebant, nempe calculos corrigebant, ut error unius mensis non refunderetur in alterum. Non iisdem diei horis luna semper renovatur, vix apparet mane, nisi post multos à renovatione sua dies. Nam cum præcedat solem versus Orientem, cum ipsa oritur, jam sol lucet; ideò in luce ejus latet. Vesperè verò post occasum solis, aliquandiu versatur supra horizontem; ita, nisi lumen ejus sit tenue, conspicitur.

Dum stetit templum, & auctoritas synedrii magni valuit, sic definitæ sunt calendæ ex visione lunæ; sed postea nova ratio inita est à Judæis. Usi sunt calculis; & menses lunares inchoaverunt à lunæ coitu, nimirum ab ejus cum sole conjunctione. non habentes amplius rationem verorum motuum lunæ, sed mediorum, ut adstruit Maimonides. Qui verò sint medii, qui veri motus lunæ ut prorsus non lateat, animadvertendum quod pro situ suo luna modò tardius, modò celerius videatur moveri. Hanc motûs inæqualitatem debet calculis subducere, qui locum ejus verum, putà veram cum sole conjunctionem ejus assignare desiderat. Vera ejus conjunctio, est illud momentum, quocum sole reperitur.

quod modò celeriùs, ut dixi, modò tardiùs contingit, pro acceleratione vel tarditate motûs ejus. Laboriosi sunt calculi veræ conjunctionis. Inter tardiorem autem & celeriorem lunæ motum supponitur medius motus semper æqualis. Juxta illum medium motum, sive æqualem supputantur tabulæ ad usum vulgi accommodatæ, in quibus non vera indicantur novilunia, sed ea quæ fierent, si luna æqualiter semper moveretur. Illæ autem tabulæ, quæ indicant in multos annos novilunia & Plenilunia, sæpiùs inducunt in errorem, cui non obnoxia methodus quâ veteres Judæi utebantur.

SECTIO V.

Anni Hebræorum integrâ solis conversione absolvebantur. Diversa erant anni initia.

QUatuor diversas anni tempestates facit sol eo temporis spatio quo emetitur cursum suum; ita ejus conversioni, quæ cum integra est, dicitur annus, accommodari debuit Judæorum Kalendarium. Hæc ut clariora sint, iterùm advertendus duplex solis motus; diurnus quo volvitur, aut volvi videtur circa terram; alter qui annuus appellatur, quo cursûs sui orbitam absolvit. Olim annua ista solis conversio habebatur 365 dierum & sex horarum; quæ horæ collectæ quarto anno diem efficiebant, quo annus ille crescebat. Cùm, inquàm, cæteri anni statuantur 365 dierum, ille est 366, diciturque bissextilis, quo mensis Februarius, aliis annis 28 dierum, habet 29 dies. Verùm elapsis multis sæculis tandem Astronomi deprehenderunt veram anni mensuram majorem olim habitam quàm par erat, nempe undecim minutis; quo fiebat, ut initia mensium nostrorum jam non responderent iisdem anni tempestatibus Etenim Æquinoctium vernum, quod tempore Concilii Nicæni obtinebat diem Martis 21 & 22: cardo enim ille propter bissextilem diem ultrò citròque fluctuabat, ac biduum occupabat; superiori seculo incidebat in dies Martii 11 & 12; quod ut emendaretur, ex eo anno, quo emendatio Kalendarii decreta est; detracti sunt dies decem, & statutum ut quidam annus non esset bissextilis; quò æquinoctium vernum semper circa 20 & 21 diem Martii contingeret. Scilicet cùm periti Astronomi constituerint annum non tantùm 365 dierum, sed & 5 horarum & 49 minutorum; quæ quarto quoque anno non faciunt diem integrum, provisum, inquam, est ut seculo evoluto, annus qui bissextilis debebat esse, non augeretur unâ die; qui tamen hac cresceret, elapsis quatuor seculis.

Revertamur ad orbitam solis; de qua sermo faciendus, ut intelligantur quæ de anno dicimus. Hæc orbita solet dici *Eccliptica*; quæ linearis est circulus in Zodiaco in quo congeries notatur siderum, quæ visa sunt repræsentare duodecim animalia, quæ in hoc disticho continentur.

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.

Zodiacus obliquè secat æquatorem, nempe circulum inter duos polos, sive puncta, circa quæ vertitur mundus; qui circulus, cùm in duas æquas partes cælos partiatur, rectè dicitur æquator. In Zodiaco notantur quatuor puncta, quibus in quatuor quadrantes dividitur. Sol annuo suo motu progreditur in sua orbita, sive in Eccliptica, percurrens duodecim Zodiaci animalia. Ita propter obliquitatem Zodiaci, modò ad nos accedit, modo à nobis recedit; & diversæ fiunt tempestatum vices. Ex quatuor Zodiaci quadrantibus, primum illud est in quo sunt Aries, Taurus, & Gemini. Incipit ab illo puncto in quo Eccliptica solis secat æquatorem, & ad nos sol redit. Per illud quadrans durat vernum tempus. Cùm sol ingreditur in secundum quadrans, sive signa sequentia perlustrat, Cancrum, Leonem, & Virginem, æstas est. Nam punctum quod prima pars est Cancri, cæteris vicinius est nobis. Deinde his sex decursis signis, iterùm revertitur ad æquatorem; quem ubi attigit, sicut Veris initio nox diei æqualis est. Dum sol versatur in Libra, in Scorpio, & in Arcitenente, sive Sagittario, Autumnus est; & dum percurrit Caprum, Amphoram & Pisces; & à nobis fit remotior, Hiemis tempus est. Tempestates anni distinguntur, Hiems frigore, Ver floribus, Æstas calore, Autumnus vindemiâ; tum & motu solis, & situ quem habet in cælo. Neque enim ignorare licet solem hieme à nobis abesse, noctes longas esse; æstate magis imminere vertici nostro, & dies longiores esse; & initio Veris & Autumni, fieri æquinoctium.

Igitur Judæi sine multa peritia Astronomiæ potuerunt Kalendarium suum accommodare annuæ solis conversioni, statuentes ne mensis, verbi causâ Nisan vagaretur per omnes anni tempestates; sed plenilunium ejus proximè subsequeretur æquinoctium vernum, sive obtingeret cùm sol ingressus esset signum Arietis, sic Pascha quod celebrandum erat inter vesperas decimæ quartæ diei Nisan, fieret semper Vere, ut dicit Josephus in libro 3. Antiquit. cap. 2. « Mense Xantio, qui nostris Nisan vocatur, & anni principium est, die decimâ quartâ « secundùm lunam, sole tunc Arietem obtinente, « sacrificium Pascha dictum quot annis immolare « præcipit Deus. « Et Philo scribens vitam Mosis libro tertio dicit, « Primum mensium facit eum, qui sub æquinoctium est vernum. «

Quanquam tempus illud sese prodit æquinoctio suo, & arborum foliis vernantibus, difficultas tamen plerumque occurrebat in statuendo primo mense, sive in declarando, quæ esset luna primi mensis. Momentum illud, quo sol æquatorem attingit, sive illud punctum cæli, quod initium Veris est, sensibus non subjicitur. Haud enim notatur sidere aliquo conspicuo; nec singulis annis eâdem diei vel noctis horâ sol hocce punctum Veris assequitur. Potest autem fieri ut huicce adeò proximum sit aliquibus annis plenilunium, ut nisi constet de puncto æquinoctii, incertum sit an plenilunium præcedat vel subsequatur.

Difficultas illa nulla est viro, qui Astronomiam percallet; momentum enim tum æquinoctii, tum plenilunii certis calculis subducit; ita definire facilè potest quæstionem. Quomodo ergo illam solvissent Judæi, sine Astronomia? Vidimus Judæos duodecim mensibus anni unum decimum tertium addentes cavisse ne festum Paschatis ante æquinoctium celebraretur, nec bis in eodem anno; nam sine ista intercalatione inter duo æquinoctia numeratus esset duplex Nisan. Annus autem ille, qui uno mense augebatur, intercalaris dicebatur. Quî fieret ista intercalatio. Maimonides exponit in cap. 4. tractatûs Kiddus. Adducit verba Dei *Deuter.* c. 16 *Observa mensem novarum frugum*; deinde adjungit: Hujus enim mandati vis ea fuit, ut temporis ob- « servandi rationem teneret eam, quæ mensem hunc « ad messem adduceret: atqui nisi alterum anno « mensem Adar adderes, tum Pascha hibernis, tum « æstivis accederet temporibus. Tribus de causis an- « nus intercalaris instituebatur: primò propter æqui- «

» noctium; deinde propter terræ fruges: tertio propter arborum baccas. Ut si ex tabularum ratione synedrium intelligeret æquinoctium aut decimo & sexto die Nisan futurum esse, aut etiam posterius, alterum anno mensem Adar adderet, ut cùm Pascha adesset frugum maturitas. Quando æquinoctio proximum erat plenilunium, tunc ex ipsa conditione rerum judicabant de anni tempestate, si nondum hordeum haberet spicas, nec baccas arbores. Nempe tunc novum non inchoabant annum; & labentem, quoniam jam duodecim menses ejus prætererant, augebant secundo Adar, sive tertio decimo mense.

Quocumque anno labente, sive jam anno exeunte, cùm laberetur duodecimus mensis, advertebant sine multo negotio an duodecimâ lunâ revolutâ, plenilunium sequens antecederet, æquinoctium vel illud subsequeretur. Non ante finem anni intercalatio definiebatur. Judæi in Gemara Hierosolymitana, ad titulum Nidarim, capite 7. dicunt. Non intercalabant annum ante initium anni; quod si facerent, intercalatio illa planè irrita habebatur. Causas omnes intercalationis explicat Maimonides. Præter dictas tres, de quibus sermonem fecimus, hasce adjicit. » Si viæ essent deteriores, quàm ut posset Hierosolymam ascendere populus, intercalabatur; ut deficiente pluviâ, viæ repararentur: si pontes interrupti, ut intercedentia flumina non modò plebem tardarent, sed etiam in vitæ periculum vocarent. Item intercalabatur, ut pontes reficerentur. Si furnos, ubi coquerentur agni Paschales, evertisset perpetuus imber, nec haberetur aliunde ubi possent agni Paschales assari, annus itidem constituebatur intercalaris, uti furnos per otium restitui liceret, atque ante Pascha siccari: si Judæi procul exulantes viæ se commisissent, nec ad Pascha possent Hierosolymam aspirare, intercalabatur, ut daretur veniendi facultas. Hisce omnibus causis synedros verè fuisse impulsos ad intercalandum, non jurarem. Verisimilius est quod auctor subjungit. » Res verò quædam erant ejusmodi, ut ob illas quidem nullatenùs intercalaretur: sed si tum concurrerent, cùm ut annus constitueretur, vel æquinoctium, vel fruges atque reliqui fructus postulabant, his intercalandi necessitas confirmabatur. Ut si hœdi & agni nondum nati, aut rariores essent: si columbarum pulli nondum evolassent, neutiquam intercalabatur ideò, ut illos quisque ad agnum Paschalem, hos frequentes reperirent, apparentes Domino, vel sacrificium volucris debentes: sed cùm erat intercalandi necessitas, his rebus confirmabatur.

» Quovis tempore, pergit loqui Maimonides, synedrio licebat rationes secum putare, tum apud se statuere quis annorum futurus esset intercalaris: & id quidem permultos in annos: nullus autem annus renuntiandus erat intercalaris, nisi post exactam illam, quæ principium anni dicitur, solemnitatem. Nec tum quidem renuntiabatur annus intercalaris, nisi permagna ad indicandum impelleret necessitas: alioqui, mense Adar demùm renuntiabatur consequentem mensem non Nisan, sed alterum fore Adar. Indè fiebat ut præsentis temporis conditione admoniti faciliùs defugerent errorem, qui certis annis vitari non potest, cùm perpetuis tabulis festum Paschatis ordinatur.

Ecclesia Christiana diu hunc morem servavit quoad declarationem Paschatis. Singulis annis Pontifex Romanus indicabat diem, quo Pascha celebrandum esset; quemadmodum apud Judæos, postquàm statutum erat an annus esset intercalandus, undè pendebat Paschatis celebratio. Princeps synedrii per tractus & urbes terræ sanctæ, uti & alia etiam loca extera, ubi degerent plures Judæi, mittebat viros, qui edictum synedrii perferrent de intercalatione, additâ ejus causâ. « Cùm erat intercalatum à synedrio, mittebantur literæ provinciis in omnes, ex quibus longinqui cognoscerent & factum esse annum intercalarem, & quâ de causâ factum esset. Atque literæ verbis erant scriptæ principis synedrii in hunc modum. Notum vobis facio decrevisse me unà cum meis sociis, ut hic annus augeretur triginta, vel novem & viginti diebus. « Seldenus aliam hujus edicti formulam profert ex Gemarâ utrâque, nempe Babylonicâ & Hierosolymitanâ. « Fratribus nostris, filiis deportationis (Judæi græcè loquentes dicerent διασπορᾶς dispersionis) Babylonicæ, seu qui in Babylonia peregrinantur, iis etiam qui in Media sunt, & in Græciâ, cæterisque universis Israëlitis ubicumque peregrè agentibus, pacem vobis multam, seu salutem plurimam. Notum sit vobis quod cùm agni sint adhuc teneri, & pulli (columbarum) graciles (usibus sacris nimium adhuc impares) & tempus Abib seu frugum maturescentium non ita propè sit, visum est mihi & collegis meis adjicere huic anno triginta dies.

Ut absolvamus quæ annum spectant, principium ejus quærere decet. In omni periodo, quæ in se semper recurrit, diversum initium pro libitu institui potest. Alioquin gentes omnes, habitâ ratione creationis, annum ubique eodem die ordirentur, scilicet, mense Tisri, qui in Autumnum incidit; ab hac enim tempestate anni currere cœperunt. Cùm Deus sex diebus perfecit mundum, verisimile est hisce elapsis arbores maturos fructus præbuisse in escam Adæ & uxori ejus; ita ut Autumno ex manibus Dei exierit mundus. In sacro codice mensis Tisri vocatur *caput agni*. Ad illum pertinet quod legimus de festo Tabernaculorum in Exodo cap. 34. illud propriè dici חג *chagh* sive festum; & hanc solemnitatem faciendam, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur, id est, anno redeunte, initio sequentis anni. Si quidem finis anni est initium alterius anni. Hoc initium notabile erat propter æquinoctium autumnale; & propter fruges, quæ tunc collectæ recondebantur; tum & clangore tubarum. Annuntiabatur enim novus annus tubis, & solemne celebrabatur sacrificium; quippe festus dies erat, de quo agemus infrà.

Postea Nisan primus mensium institutus est, quando constituta fuit Respublica Israëlis, & exiit libera ex Ægyptiacâ servitute. Exod cap. 12. v. 1. *Dixit quoque Dominus ad Moysen & Aaron in terra Ægypti: 2. Mensis iste* quo nempe egredimini ex Ægypto, qui postea dictus est Nisan, *vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni.* Dicebatur olim Abib. Dicit Deus alloquens Israëlitas cap. 13. v. 4. *Hodie egredimini* ex Ægypto, *mense novarum frugum.* Sic igitur non ex natura sed ex instituto, propter beneficium assertæ libertatis, Nisan factus est primus mensium; non initium anni, ut loquuntur Judæi, sed primus mensium. Caput verò anni remansit in Tisri. Scilicet semper Tisri fuit initium anni civilis; nam res omnes non sacræ semper eodem temporis ordine administratæ sunt; tantùm in rebus religionis inchoatus est à Nisan; quod liquidò dicit Josephus lib. 1. Antiquit. cap. 4. « Moses autem Nisan, qui est Xanticus Macedonum, mensem primum in suis fastis ordinavit, quòd per hunc Hebræos ex Ægypto eduxisset. Eundem etiam omnium, quæ ad rem divinam pertinerent, exordium fecit: a- «

» loqui quo ad nundinationes rerum venalium, re- » liquamque diſpenſationem anni attinet, nihil de » priſtino ritu innovavit. Duplex ergo initium anni fuit apud Judæos. Illum inchoabant primùm ab eâ lunâ quæ ſequeretur æquinoctium autumnale, poſt collectas fruges, quo tempore mundus creditur conditus. Illa, inquam, luna habebatur pro primo menſe, cujus primus dies eſſet ראש השנה *roſch haſchana*, id eſt, caput anni. Alterum initium fuit prima dies menſis Niſan, quâ poſt æquinoctium vernum liberati ſunt Iſraëlitæ ex Ægypto, eâ tempeſtate, quâ aperitur terra & ſegetes creſcunt.

Annorum initia, Hebræi ſuâ linguâ appellant תקופות *Tekuphoth*, id eſt, converſiones, circuli, *evolutiones*. Præter dicta anni initia, Judæi in Miſna alia duo adnumerant. Sic Judæi loquuntur, Interprete Hortingio, in tractatu Miſnæ *Roſch haſchana*, ſive de principio anni, capite primo. » Quatuor ſunt annorum principia. Primo die men- » ſis Niſan Regum & feſtorum principium anni eſt. » Primo die menſis Elul novus annus eſt pecoris de- » cimandi. Rabbi Elieſer & Rabbi Simeon in pri- » mum Tiſri incidere ſtatuunt. Primo die menſis » Tiſri eſt caput anni ad figendos annos, & inter- » miſſiones, & Jubilæa, ſimulque novus annus eſt » plantationis omnium arborum & plantarum. Quar- » tum denique anni principium incidit in primum » menſis Sebeth, quod eſt pro arboribus, ſecundùm » ſententiam ſcholæ ſchammææ; Hillelis verò ſcho- » la decimo quinto die ſtatuit. Judæi ſæpiùs inchoant Imperatorum ac principum annos à Niſan, tametſi aliquot ab illo menſibus primum regni ſui annum iniverint, ut obſervat Petavius; quò, inquit, illa Talmudiſtarum regula pertinet: Iſraëlitarum quidem Regum annos ab antecedente Niſan oriri exterorum vero principum à Tiſri. Quod & R. Iſſachar BenMordechai in computo tradidit. Quamobrem ſi quis, exempli causâ, ultimo die menſis Adar regnum capeſſat, ſequenti Niſan ſecundus imperii illius annus numerabitur. Dies unus in fine anni pro anno numerabitur. Quod ſi quis primo die Niſan cœperit non ante vertentem annum, primus ejus annus cenſebitur. Hæc expendere Chronologorum eſt. Conſtat, quantùm ad feſta & res eccleſiaſticas, annum ab Hebræis inchoatum à Niſan; in politia, à Tiſri; quorum menſium initia concurrebant cum æquinoctiis. Alter annus inchoabat meſſem; alius incipiebat poſt collectas fruges. » A menſe Tiſri inci- » pit annus civilis, quo in contractibus ſupputan- » dis, jubilæis & annis ſabbaticis utebantur, uti & » in annis plantarum, quæ ſi modo 30. dies ante » primum diem Tiſri fuiſſent plantatæ, anno ſcili- » cet decimo, cenſebatur id ſpatium pro anno pri- » mo: dein manebat in præputio anno undecimo, » duodecimo, & decimo tertio uſque ad diem 15. » menſis Schebet. A menſe Elul incipit annus pe- » corum decimandorum, ſic ut quæ inter initium » unius alterius Elul nata eſſent ejuſdem anni fœ- » tus cenſerentur. A die 15. Schebet initium capie- » bat annus fructuum ex arboribus decimandorum. Hæc Relandus in Antiquitatibus ſacris.

Hæc diverſa annorum initia determinata fuerant, ut Dei mandatis parerent Iſraëlitæ, de decimâtum fructuum, tum pecudum. De pecudibus præcepit Dominus in Levitico cap. 27. v. 32. *Omnium decimarum bovis, & ovis, & capræ, quæ ſub paſtoris virga tranſeunt, quidquid decimum venerit, ſanctificabitur Domino.* Et frugum terræ, decimæ perſolvendæ erant, ut in eodem capite præcipitur v. 30. *Omnes decimæ terræ, ſive de frugibus, ſive de pomis arborum, Domini ſunt, & illi*

A *ſanctificantur.* Fruges in ipſa area, poma, ſive liquores, ut oleum, vinum, decimabantur in torculari, tempore meſſis & vindemiarum. Cùm decimum, quod naſcebatur ex pecude, eſſet Domini, neceſſario figendus fuit terminus, à quo numeraretur pecudis cujuſque fœtus. Pro termino poſitus eſt primus dies menſis Elul, quo numerabatur novus annus decimandi pecoris. Scilicet Judæi numerabant quot ab iſta die nata eſſent pecora, ut decimum quodque conſecraretur Deo. Primâ vero die menſis Shebet, vel quintâ decimâ die inibatur annus plantationis arborum. Ex lege enim non comedendi erant fructus ex quacunque arbore, niſi poſt tres annos, quo toto ſempore illa cenſebatur immunda. Lex ſcripta eſt *Levit.* 19. 23. B *Quando ingreſſi fueritis terram, & plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum:* Quaſi latinè dici poſſet: præputiabitis præputium fructûs eorum. Verbum ערל Judæis eſt præputiatum eſſe, vel cenſeri; etiam præputium auferre. Græcis Interpretibus ἀκροβυστεῖν *depræputiare* περικαθαρίζειν *mundare.* Senſus eſt: reputabitis fructus arboris recèns plantatæ, immundos; qualis eſt vir præputiatus, cujus conſortio non licet vobis uti. Joſephus ſic illam legem interpretatur; quaſi vis inferretur naturæ, ſi ab arbore decerpatur pomum ante quartum annum à plantatione; quæ quidem læditur, ſi dum tenerior eſt, ſinatur poma ferre. *Poma, quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis.* C Hoc eſt, abſtinebitis quaſi ab immundis. Hortulani non patiuntur novellarum plantarum poma matureſcere, ſed ea tanquam præputia removent, ne nativa eorum vis ſtatim exhauriatur.

24. *Quarto autem anno omnis fructus eorum ſanctificabitur laudabilis Domino.*

Poma, quæ quarto anno produxerit planta, offerentur Domino, cui debentur omnes primitiæ.

25. *Quinto autem anno comedetis fructus, congregantes poma, quæ proferunt.*

Ex traditione Judæi didicerant annos illos numerandos eſſe à prima vel decima quinta die menſis Shebeth; nimirùm ab iſto tempore, quo ſolent arbores ſulcis deponi, nempe toto menſe Decembri & initio Januarii, in quod Shebeth quibuſdam an- D nis cadere poteſt. Luna Shebeth proxima eſſe ſolet initio Januarii noſtri.

SECTIO VI.

De annorum hebdomadibus: de ſchemitta, id eſt, anno intermiſſionis, ſive ſabbatico; & de Jubilæo. De annorum æris Judaïcis.

ANni multiplices ſunt in ſacro codice. Primus annus ordinarius, conſtans duodecim menſibus lunaribus, vel tredecim, cùm intercalaris erat: alter ſabbatarius, conſtans ſeptem annis ordinariis; tertius denique annus ex ſeptem ſabbatariis annis. E Poſt ſex annos terra debebat quieſcere ex præcepto Dei, quod habetur *Levit.* 25.

1. *Locutus eſt Dominus ad Moyſen in monte Sinaï, dicens:*

2. *Loquere filiis Iſraël, & dices ad eos: quando ingreſſi fueritis terram, quam ego dabo vobis, ſabbatizes ſabbatum Domino.*

In fonte: terra *ſabbatizet ſabbatum*, id eſt, quietem agat; quieſcat, ut homines die ſabbati ſolent.

3 *Sex annis ſeres agrum tuum, & ſex annis putabis vineam tuam, colligeſque fructus ejus.*

Per ſex illos annos, qui agricolationi deſtinati erant, & præcipuè ſexto anno tantam colligebant & recondebant meſſem Judæi, ut trium annorum ſpatio

rio, à sexto videlicet anno usque ad nonum, vitam de fructibus repositis tolerare possent. Septimo enim anno, ut modo præcipitur, agri inculti relinquebantur. Judæi neque sementem faciebant, neque metebant; non putabant vineas, nec colligebant uvas. Quidquid sponte nascebatur, id omnibus commune erat, & indifferenter à quibusvis colligebatur, ut modo dicemus.

4. *Septimo autem anno sabbatum erit terræ, requietionis Domini: agrum non seres, & vineam non putabis.*

Ut sex diebus exactis, septimâ die quiescitis, & hac quiete significatis vos Deum colere, qui sex diebus omnia creavit; ita & exacto sexennio pariter quiescetis, ut non extinguatur memoria creationis; ut notat R. Levis, quem Clericus inducit his verbis loquentem. *Ex radicibus hujus præcepti est, ut infigat cordibus nostris, & forti imaginatione cogitationibus nostris imprimat negotium creationis mundi...... Ut igitur amoveret, evelleret, & eradicaret è cogitationibus nostris æternitatem mundi, quam credunt infideles, utque destruerentur omnes anguli ejus, & muri ejus rumperentur, tenemur excipere aliquid ab omnibus temporibus nostris, diem à diebus & annum ab annis.* Redeamus ad codicem sacrum.

5. *Quæ sponte gignet humus, non metes: & uvas primitiarum tuarum non colliges, quasi vindemiam: annus enim requietionis terræ est.*

Pro *uvis primitiarum*, plerique vertunt *uvas vineæ non putatæ*, quia in fonte est uvas *nazireatûs tui*; nempe quas non putasti, ut Naziræi non putabant, sive non tondebant comam tempore Nazireatûs sui. Indè LXX. Interpretes vertunt uvas τοῦ ἁγιάσματός σου *sanctificationis tuæ*. Palmites sunt velut comæ vitis. Scilicet possessor cujusque agri nec metebat segetes in eo sponte natas, sine ejus labore & industriâ, sicut nec uvas colligebat ex sua vite, quam non putaverat hoc anno; sed ut proventum hujus anni permittebat arbitrio omnium; ipse & comedere poterat quidquid ubique nasceretur in agris alienis.

6. *Sed erunt vobis in cibum tibi, & servo tuo, ancillæ, & mercenario tuo, & advenæ qui peregrinatur apud te.*

7. *Jumentis tuis & pecoribus, omnia quæ nascuntur præbebunt cibum.*

Videlicet promiscuum præbebunt cibum. Unicuique liceat ex cujusvis agro colligere quod in cibum sibi & pecoribus necessarium est. Sic hic annus sabbatarius revocabat eam auream ætatem, per quam, ut canit Poëta Georg. lib. 1.

.... Nulli subigebant arva coloni:
Nec signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat. In medium quærebant, ipsaque tellus
Omnia liberiùs, nullo poscente, ferebat.

Et hoc anno sabbatario, Israëlitæ qui sub jugo servitutis erant in terra Israël, dimittebantur liberi. Idcircò hicce annus appellabatur שמטה *schemitta*, id est, *intermissionis, dimissionis, remissionis,* nempe tam agrorum & terræ colendæ, quàm etiam hominum ex servitute, & debitorum. Mandatum de schemitta Deus iteravit in Deuteronomii capite 15.

1. *Septimo anno facies remissionem* שמטה *schemitta.*

2. *Quæ hoc ordine celebrabitur.*

In fonte. In hac re sita est schemitta.

Cui debetur aliquid ab amico, vel proximo ac fratre suo, repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini.

3. *A peregrino & advenâ exiges: civem & propinquum repetendi non habebis potestatem.*

Non prohibitum erat Judæis exercere usuras in Gentiles, quos, ut aiebat Ambrosius, etiam licebat interficere. Initia fuêre virtutis in veteri lege, quæ non habuerunt suum complementum nisi in Evangelio, quod omne discrimen Gentilis & Judæi removit. Hæc, inquam, lex de schemitta initium erat Evangelicæ virtutis.

4. *Et omninò indigens & mendicus non erit inter vos: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in terra quam traditurus est tibi in possessionem.*

Sensus fontis: attamen non esse deberet inter vos vir indigens, qui paupertate adigeretur pecuniam mutuare. In hocce capite Deuteronomii plurima sunt quæ ad servos Hebræorum pertinent; nec sunt de instituto nostro. Revertar ad caput 25. Levitici, quod jam cœpi explicare, ea nimirùm quæ spectant *schemittam*, sive annum dimissionis. Prosequar quæ in eo dicuntur de Jubileo.

8. *Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta novem.*

Et hac annorum hebdomade renovabatur memoria sabbati creationis, sive diei, in quo quieverat Deus post opus sex dierum; simul & beatæ conditionis, in qua homo fuerat conditus liber, nullâ re egens.

9. *Et clanges bucciná mense septimo, decimâ die mensis, propitiationis tempore in universa terra vestra.*

Mensis ille septimus erat primus anni civilis, qui postea dictus est Tisri. Hujus mensis decimâ die, quæ erat festum propitiationis, sive expiationis, mandat Deus ut per terram Israël resonet ubique buccina clangoris, ut admoneantur omnes de instante Jubileo. Primo jussu synedrii edebatur ille clangor; deinde quilibet privatus tenebatur tubâ clangere, si fidem præstamus Maimonidi.

10. *Sanctificabisque annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipse est enim Jubileus.*

Certant inter se interpretes de vero Jubilei anno; an quadragesimus nonus, an qui sequeretur, esset censendus Jubileus. Ultimum ex verbis Scripturæ inferre licet. *Sanctificabisque annum quinquagesimum*; quod non dicit de quadragesimo nono. Verùm si Jubilei celebrati fuerint sequenti anno, duo anni sabbatarii continuabantur; nam Jubilei anno quiescebat terra pariter ac sabbatario: & agricultura nulla exercebatur. Duos autem annos sabbatarios sic continuatos nullus locus Scripturæ admonet, nec hujus rei ullum in sacris & in historia Judæorum exemplum. Isto triennii spatio absque collectione frugum quomodo vitam tolerare potuissent? Præterea pugnaret etiam cum expresso Dei mandato, quod jubebat anno octavo, sive eo anno, qui annum sabbaticum sequebatur, in agro sementem fieri, fruges tempore messis & uvas in vindemiis colligi. In periodo autem septem hebdomadarum annus ultimus, qui quadragesimus nonus est, & dici potest quinquagesimus, juxta formulam loquendi, in qua, ut fieri solet, annorum, qui numerantur, terminus antecedens includitur; ut quandoque hebdomas nominatur in sacro codice octiduum, sive ipsum sabbatum nominatur octavus dies; cùm scilicet utrumque sabbatum antecedens & subsequens in summa comprehenduntur. Olimpiades, ut notum est, licet constarent tantùm quatuor annis solidis, tamen intervallum cujusque Olimpiadis dicitur à Scriptoribus Græcis & Latinis *quinquennium*. Usitatè & nos dicimus quintum quemvis annum

esse bissextilem, cùm spatium illud non sit nisi quatuor annorum.

Ergo potuit Moyses annum ultimum septimæ hebdomadis annorum dicere quinquagesimum, includens in hoc numero Jubileum, qui præcesserat. Sed qui adversantur, inquiunt: tunc cùm hæc dixit Moyses, antea nullus fuerat Jubileus, qui calculo clauderetur. Verùm ipse annus, qui antecessit calculum quadraginta novem annorum, potuit numerari, quamvis Jubileus non esset. Præterea periodum instituebat Moyses in futura tempora; quæ periodus quinquaginta annorum dici potest, ut Olimpiades quinque annorum; quatenus duo termini in summa continentur. Pentecôstes quidem celebrabatur quinquagesimâ die, nempe postquàm septem integræ dierum hebdomades præterierant; sed non ita erat de hoc festo, ac de Jubileorum periodis. Insuper adversarii allegant pro se verba Philonis & Josephi; sed illa eundem sensum capiunt ac Moysis ipsius lex. Fatendum est Rabbinos aliter sentire. Aperta est sententia Maimonidis in capite 10. de Jubileo. « Annus Jubileus, inquit ille, Interprete Josepho de Voisin, non resultat è numero annorum hebdomadæ; sed annus quadragesimus nonus est sabbaticus, & annus quinquagesimus est Jubileus. Annusque quinquagesimus primus est initium sex annorum sequentis hebdomadæ; & sic est in uno quoque Jubileo. Quod subjungit Maimonides nobis suppeditat responsum. » Postquam, inquit, in captivitatem deportata est tribus Ruben, & tribus Gad, & dimidia tribus Manasseh, desierunt Jubilei. Scilicet Rabbini non quod viderant, sed quod conjiciebant ex lectione Mosis referebant; quapropter, in omnibus pariter non digni sunt fide; tanquam si oculati testes essent. Præterea adversantur sibi & Scripturæ: nam quinquagesimus annus simul fuisset sabbaticus & non sabbaticus; si quidem unus fuisset ex sex γεωργίας, sive unus ex sex annis, per quos Deus dicit colendam esse terram. Si autem aliquis dicat post quinquagesimum annum reipsâ numerandos sex annos culturæ; ita non quinquagesimum sextum sed quinquagesimum septimum annum fuisse sabbaticum: hoc ipso præstantiores Chronologi, Josephus Scaliger, Sethus Calvisius, Dionysius Petavius probant anno quadragesimo nono fuisse Jubileum. Etenim si ille Jubileus non in septies septimum, sed in quinquagesimum incidebat, ut quovis Jubileo, quinquagesimo anno peracto, anni sabbatici inchoentur & numerentur, hoc est, quinquagesimus septimus annus sit sabbaticus, tum anni sabbatici qui in sacris literis, & in Republica Judæorum notantur, nullo modo in annos septenarios, ut debebant, incident. Etenim si quievisset terra anno quinquagesimo, quoniam, ut fatentur adversarii, sex annis sequentibus terra erat serenda, quinquagesimus septimus annus erat sabbaticus; ita septimus annus post quadragesimum nonum [quinquagesimus sextus] non sabbaticus erat. Regula autem certa est, quam tradunt Judæi, ab æra mundi abjectis omnibus septenariis, residuum esse annum præsentem hebdomadis currentis. *Abjice omnia septenaria ab æra mundi, residuum est annus Schemittæ, in quo es.* Canon est Kalendarii Judaïci; quem convenire cum his annorum sabbaticorum exemplis, quorum mentio fit in Scriptura, & in historia Judæorum, demonstrat Sethus Calvisius.

Ergo mense septimo; decimâ die mensis Tisri, anno quadragesimo nono, sive septimo anno postremæ hebdomadis, ex septies septem hebdomadibus, indicebatur Jubileus, post collectas fruges & vindemiatas vites. Ab hoc termino credo annos sabbatarios semper numeratos fuisse. *Hic est annus Jubileus.* Juxta LXX. Interpretes annus ἀφέσεως, annus dimissionis, sive remissionis. Sic illi videntur nomen יובל *Jobel* deduxisse à verbo יבל, quod quandoque reducere sonat; quia scilicet hic annus reducebat libertatem, & remissionem. Jubileus annus, ait Josephus, significat libertatem; meliùs dixisset libertatis tempus. Chaldæus verò Interpres in capite Josue sexto, versu quinto, *cornu Jobel*, interpretatur *cornu arietis*. In Mischna, in capite tertio tractatûs de principio anni, distinguunt Doctores quibus tubis utendum sit pro varietate festorum, an cornu vaccino, an arietino, aut de rupicapra; quæ animadvertere parvi refert. Clericus conjicit apud antiquos Hebræos radicem יבל significasse idem, quod clangere tubâ, aut quid simile; undè factum sit nomen *Jubalis*, qui in Genesi cap. 4. v. 21. dicitur pater citharâ & organo canentium; nempe qui citharam & organa invenit. Sunt qui negant ex cornu arietino potuisse tubam confici; sed ex Aristotele lib. 2. cap. 1. de Historia animalium *Cervo ex cornigeris uni cornua tota solida, cæteris cava quodam tenus.* Quod iterùm adstruit lib. 3. cap. 9. Prosequamur verba Levitici cap. 25.

10. *Revertetur homo ad possessionem suam, & unusquisque redIet ad familiam pristinam.*

Unusquisque prædia sua, & libertatem recuperabit, ut Jubileus imago sit ætatis aureæ. Cavebat lex ejus ne ditiores libertate & omnibus facultatibus pauperiores spoliarent. Penè eversa est Romana Respublica, quòd debitores, qui solvendo non erant, in vincula raperentur à creditoribus; & ditiores omnia latifundiis suis tenerent. Hinc flagitatæ tanto ardore à plebe novæ leges agrariæ; quod animadvertendum, ut Politia Hebræorum tanti fiat, quanti est pretii. Romæ & in Græcia olim erat modus agri, quem quisque possideret. Jubileorum lege obsistebat Deus ambitiosis; nam eò minùs invidebant possessionibus vicinorum; quòd his cedendum erat, cum Jubileus annus advenisset. Observandum autem est, licet Jubilei annus numeraretur à principio anni, servos usque ad diem expiationis non dimissos fuisse liberos ad ædes suas ex servitute Dominorum suorum; neque agros rediisse ad possessores suos. Sed servi comedebant & bibebant hilares, coronis eorum capiti impositis. Appropinquante die Expiationum, synedrium clangebat buccinâ, servi domum dimittebantur, & agri ad suos Dominos revertebantur; ut nos docet Maimonides in suo tractatu de Jubileo. Quem Latinâ linguâ donavit Josephus de Voisin.

11. *Quia Jubileus est, & quinquagesimus annus.* (sic fit in Jubileo quocumque.) *Non seretis, neque metetis sponte in agro nascentia, & primitias vindemiæ non colligetis.*

Id est, ut suprà exposuimus, non colligetis vindemias ex vite non putatâ, quæ quasi esset in Nazireatu, & ideò non tondenda. Sic annus Jubilei non diversus à sabbatico; & ideò incidebat in annum quadragesimum nonum, qui sabbaticus est.

12. *Ob sanctificationem Jubilei, sed statim oblata comedetis.*

Juxta fontem: Jubileus est, sacer vobis erit, atque ex agro sponte provenientibus vescemini. Prætermissis versibus qui non possunt negotium facessere, veniam ad vigesimum.

20. *Quod si dixeritis: quid comedemus anno septimo, si non severimus, neque collegerimus fruges nostras?*

21. *Dabo benedictionem meam vobis anno sexto,*

& faciet fructus trium annorum.

22. *Seretiſque anno octavo & comedetis veteres fruges uſque ad nonum annum : donec nova naſcantur, edetis vetera.*

Hæc ſpectant, ut liquet, non ſolùm Jubilei annos, ſed omnes ſabbatarios ; ideò ad annum Jubilei proventus trium annorum fuit neceſſarius. Primò ut poſſet ali dominus terræ à meſſe anni ſexti ad tempus meſſis ſeptimi ; ſive à Pentecoſte anni ſexti, quod erat feſtum meſſis, ad Pentecoſtem anni ſeptimi, per quem agri inculti erant. 2. ab hoc tempore, ſive ab hac Pentecoſte ad Pentecoſtem anni octavi ; quo arabantur agri. 3. Ab hac Pentecoſte uſque ad meſſem, ſive Pentecoſtem anni noni, ita videre eſt quomodo ſingulis ſabbatariis annis proſpiceret Deus, dans illis trium annorum proventum. A quo anno Jubilei annos Judæi numerare conſueverint ; & quot ab hoc tempore numerentur, in quos annos illi inciderint, Chronologorum eſt quærere. Juxta Maimonidem in capite 10. de Jubileo, primus Jubileorum terminus fuit annus vigeſimus primus poſt ingreſſum in terram promiſſionis ; indè ſtatuit Jubileum anno ſexageſimo quarto poſt ingreſſum in terram. Septemdecim Jubileos numerarunt Iſraëlitæ à tempore quo in terram ingreſſi ſunt, uſque ad tempus, quo ex ea ejecti. Tempore autem templi ſecundi nulli celebrati ſunt Jubilei ; licet quidem ſabbatiſmi numerarentur. Maimonides putat annum, quo templum excíſum eſt, fuiſſe ſeptimum exeuntem, & annum decimum quintum Jubilei noni.

Diximus à quo initio Judæi ſuos annos numerabant, ſed præter dicta initia, alia erant à quibus ordo ſæculorum pendebat. Olim quidem anni ſupputati fuêre initio ducto à morte Prophetarum aut clarorum hominum, à creatione mundi, à diluvio, à peregrinatione Abrahæ, ab exitu ex Ægypto, ab exſtructione templi, ab annis Regum ; poſtea ab initio captivitatis Babylonicæ, à Judæorum in patriam reditu ; à condito templo ſecundo. Anno autem hujus Epochæ cùm Alexander Macedo urbi Hieroſolymitanæ peperciſſet, ab eo tempore novam æram inchoarunt, quâ ultra mille annos uſi ſunt, quæque *Æra contractuum* dicitur *vel ut aliis placet Æra* principatuum, nempe à quatuor imperiis, in quæ ſciſſum fuit Alexandri regnum poſt ejus obitum.

CAPUT VIII.

De Hebræorum Kalendario antiquo & novo. De utriuſque ratione ; de diebus feſtis, & jejunii. Tum de ſabbaticis lectionibus, quæ in eo notantur.

SECTIO I.

Omnia quæ ſpectant ordinationem Kalendarii, olim pendebant ex prima phaſi lunæ. Hæc tunc oculorum judicio advertebatur, nunc Aſtronomorum calculis. Quomodo id fiat.

JAm arduum non erit explicare rationem omnem Kalendarii Judæorum ; ſed animadvertendum aliam rationem fuiſſe veteris ac novi. Novum Kalendarium adinventum eſt, everſo templo, cùm deſierunt Judæi habere ſynedrium, cujus erat indicere novos menſes, annum novum, & ferias omnes, & dare operam ut obſervaretur ſingulis menſibus prima phaſis lunæ. Hæc in rerum initio fie-

A qant quaſi oculorum judicio ; ſive judices ſyncdrii curabant ut, verbi causâ, omnibus innoteſceret quando menſis Niſan inchoaretur, & idcircò in quam diem incideret Paſcha. Nunc id ſcire nemo poteſt, niſi adhibitis Aſtronomiæ calculis. Ubi de Kalendario Judaïco veteri cujuſvis anni agitur, poſtquàm innotuit in quem annum noſtræ æræ, ſive in quem annum periodi Julianæ propoſitus annus incidit, primùm ſubducenda hora, quâ æquinoctium fieri contigit, ſive quâ ſol attigit punctum, quod eſt communis ſectio orbitæ ejus & æquatoris. Deinde ad calculos revocanda luna proximior huic æquinoctio ; quod plenilunio hujuſce lunæ non præcedatur. In his diligentiâ & ſoler- B tiâ opus eſt ; nam quibuſdam annis plenilunium Paſchale tam proximè conjunctum eſt cum æquinoctio ; ut niſi utriuſque momentum certum deducatur ex Aſtronomiæ elementis & calculis, facilè aberretur à verâ die Paſchatis.

Hujuſce lunæ Paſchalis prima phaſis quærenda eſt ex momento conjunctionis duorum ſiderum, ex hora diei & noctis, quâ hæc conjunctio facta eſt. Ex motu lunæ ſubducendus quis arcus viſionis ejus fuerit, in proximiori occaſu ſolis ; hoc eſt, quanto ſpatio luna elongata fuerit à ſole, cum ille occidit, ut cognoſcatur an fuerit tunc conſpicua an non. Luna, cùm celerior ſole ſit, poſt conjunctionem ſtatim magis versùs Orientem progreſſa eſt ; ita C cum ſol oritur, luna quæ tunc proximior eſt Orienti, latet infra horizontem, nec oritur niſi cum ſol terras complet luce ſuâ, & ideò ipſa apparere non poteſt, quia cornua ejus tenuia ſunt. Verùm cùm primùm ſol occidit poſt conjunctionem, fieri poteſt ut luna Orienti propior, poſt hunc occaſum, adhuc aliquantulum temporis verſetur ſupra horizontem ; ita portio ejus diſci, quem ſol illuſtrat, ſit ſenſibilis, & facilè oculis deprehendatur. Vir autem Aſtronomiæ peritus hæc omnia ſuis calculis aſſequitur ; nempe quis fuerit receſſus lunæ a ſole in occaſu, qui ſecutus eſt con unctionem ; & quæ tunc fuerit ea portio, quam luna oſtendebat terris illuminatam. Laborioſi ſunt illi calculi ; quip- D pe multiplices ſunt lunæ motus : varii poſſunt eſſe ſitus ejus per reſpectum ad ſolem, & ad nos. Modò apogea, modo perigea eſt ; ſive à terris modò remotior, modò his proximior. Orbita ejus non eodem modo hoc & illo tempore ſecat ſolis orbitam ; horum omnium ratio habenda eſt in ſubducendis his calculis, quorum mentionem facimus ; ſicut & dum inquiritur in tempus veri plenilunii ; ut monuimus in apparatu Chronologico ad Harmoniam quatuor Evangeliſtarum. Ibi Kalendarium Judaïcum vetus exhibuimus, collatum cum Kalendario Romano ; tum novilunia, tum plenilunia, tum tempora primæ phaſeos ſubducta calculis viri in rebus aſtronomicis exercitatiſſimi ; quibus ſperamus lucis nonnihil in hiſtoriam Evangelicam contuliſſe.

E

SECTIO II.

De novo Judæorum Kalendario : & quæ ejus ratio fuerit. Quod in eo dicitur de tranſlatione feſtorum, inuſitatum erat dum templum ſtetit.

NEutiquam ad nos pertinere videretur, novum Judæorum Kalendarium ; neque enim juxta illud agebantur feſta, dum ſtetit templum, de cujus miniſterio hîc ſuſcepimus ſermonem ; ſed cum plerique non advertant veteris & novi Kalendarii diſcrimen, & ex novo judicent de veteri, ut hujuſce certa notio habeatur, decet prorſus non ignorare quale ſit novum. Maimonides, quem ſæpius

al:gamus, utrumque Kalendarium exposuit. Cum A de antiquo sermonem fecisset, sic de novo incipit fari in capite quinto sæpius citati tractatûs *Kiddus hakodesch*, sive de consecratione Kalendarum. » Enim vero id Moysi mandatum in monte Sina fuit, » ut dum esset summum synedrium, calendæ finirentur ex visione lunæ; easdem, nullatenus de » visione lunæ novæ laborantes, dirigeremus ad rationem tabularum, quâ nunc utimur, cum ille » supremus senatus interiisset. Etenim ratione tabularum fit, ut calendæ finiantur interdum eodem, quo luna nascens appareat die, interdum » pridie ejus diei, nonnunquam etiam postridie. Jam significavimus motus siderum quosdam supponi medios, juxta quos conficiuntur tabulæ, quæ B in multos annos indicant eorum conjunctiones. Nullum est sidus, cujus veri motus sint semper æquales. Interdum accelerantur, interdum tardantur; quod & calculis suis subducunt periti Astronomi, & indicant quis etiam post multos aut ante multos annos fuerit, vel futurus sit cujusque sideris verus locus; quem non indicant tabulæ secundùm medios motus subductæ: supponunt enim sideris æquales motus; quod falsum est.

Postquàm Judæi cœperunt uti cyclo decemnovennali, & tabulis juxta medios motus supputatis, non amplius de visione lunæ fuêre solliciti, sed de ejus conjunctione cum sole, quæ tunc dicta est novilunium, sive neomenia; nec etiam veram con- C junctionem intuiti sunt, sed quam notarent tabulæ. Hebræi semper auspicati sunt diem ab occasu solis; ideo cum contingit novilunium notatum in tabulis ante Meridiem, luna dicitur prima eo die, sive celebratur neomenia. Sin post meridiem, tunc transfertur neomenia in diem sequentem. Itaque si nocte, quæ sequitur vigesimum nonum diem, fit novilunium, quia tunc mensis novus inchoandus erat, præcedens declarabatur cavus, nempe viginti novem dierum; & sic trigesimo ejus die celebrabatur neomenia. Istâ vero nocte & ante Meridiem si non fit novilunium, sive siderum conjunctio, mensis præcedens statuitur plenus, sive triginta dierum; quoniam novus mensis non incipit nisi die sequen- D ti. Itaque menses apud hodiernos Judæos sunt pleni vel cavi pro ea hora quâ fiunt conjunctiones. Ex quo synedrium interiit, qui rei præfuêre, hanc laxavêre vel coercuère, ut nec pauciores quàm quatuor, nec plures quàm octo menses pleni interponerentur. Nunc tamen medium numerum servant Judæi, ut eorum menses sint alternatim cavi & pleni; sint cavi sex, & pleni sex. Primùm vero diversis annis iidem menses non erant cavi, nec iidem pleni.

Novissimum illud Judæorum Kalendarium Scaliger dicit artificiosissimum. Sethus Calvisius post Scaligerum illud adstruit constructum fuisse ante mille & trecentos annos à Rabbi Adda & aliis Rabbinis, tempore Constantini Magni Imperatoris. E Quocirca, inquit Petavius, non mediocriter aberrant, qui ex recentiori hac methodo, mediisque lunæ motibus vetera Judæorum festa, præcipuè Paschatis, indagare student: quod Paulus Forosempronienfis anxiè nimis & scrupulosè fecit libro octavo partis secundæ Paulinæ suæ. De auctore autem computi Judaïci recentioris sic loquitur Rabbi Abraham Zacutius in Sepher Juchasin, Interprete Seldeno. » Hillel princeps filius R. Jehudæ » principis composuit rationem intercalationis seu » computum annalem juxta doctrinam astronomicam Rabbi Ada à nostris adhibendam, usque dum » venerit Messias filius David. Floruit autem tem» pore Abii & Rabba (quod & testatur Rabbi Simeon Doran in exegesi suâ monitoriâ) atque an- « no æræ contractuum 670. Neque post eum ha « bitum est unquam synedrium. « Annus ille contractuum respondet Christi anno 358. seu tempori Constantii Augusti, ait Seldenus.

Hæc ratio ordinandorum temporum, quam Judæi nunc sequuntur, novitia est; igitur illam explicamus, ne non satis perspecta nos abduceret à veritate, æstimantes fuisse olim servatam, sicut pleraque alia quæ post templi eversionem, profligatosque Judæos, adinventa sunt; verbi gratiâ, quas Judæi novissimis temporibus observaverunt feriarum translationes. Synedrium, ut diximus, definiebat neomenias; certis autem diebus illas fixas esse voluerunt auctores novi Kalendarii, ut harum ratio expeditior esset; quod & nos Christiani facimus, ordinantes Paschata *computo* perpetuo, ut singulis annis non sint adeundi Astronomi, à quibus Paschatis celebrandi tempus legitimum quæratur. *Computus* ille, quo Ecclesia Romana utitur, non semper convenit Astronomorum observationibus; ideo tamen non respuitur, quia minimè negotiosus est. *Computi* Judaïci auctores delectum dierum ad neomenias figendas habuêre. Aliæ feriæ rejiculæ habitæ sunt ab illis, aliæ probæ ac legitimæ. Statuerunt, verbi causâ, ut neomenia Tisri numquam incideret in feriam vel primam, vel quartam, vel sextam *Neomenia Tisri*, inquiunt, *non fit* אדו ADU. Litera א *aleph* feriam primam denotat, ד *daleth* quartam, ו *vau* sextam. De neomenia vero Nisan dicunt: non fit בדו BADU, hoc est, non cadat in secundam feriam, quam ב *Beth* denotat, neque in quartam, neque in sextam. Ergo rejiciuntur à Judæis neomeniæ ab iis feriis, quibus si obtingant, transferuntur in sequentem diem. Causa hujus translationis est, quod duo sabbata, sive festa mense Tisri præcipuè continuata esse nollent Judæi, mensis ille totus ferè solemnitatibus occupatus est. Nam si Tisri in feriam primam incidat, decimâ quintâ die erit scenopegia, proximè post sabbatum. Si in quartam ceciderit, scenopegia continget sextâ feriâ, proximè ante sabbatum; sic duo festa erunt continua.

Cur verò regula BADU servaretur, non ista duorum sabbatorum continuatio in causâ est; nam nihilò magis evitari poterit. Ut cùm neomenia Nisan incipit à feriâ primâ, quæ legitima est, decimâ quartâ die sabbatum est, & sequenti solemne Azimorum. Causa dictarum translationum præcipua est, quòd certis & generalibus regulis se se astringebant Kalendarii Judaïci auctores, ut Maimonides disertim dicit in allegati tractatûs capite septimo, rejectionem feriarum natam ex eo tempore asserens, quo ad medios motus, veris prætermissis, computum suum dirigere cœperunt. « Quam ob causam in hoc computo, inquit, non collocant « in feriâ primâ, quartâ, sextâ, [nempe mense « Tisri] ob id videlicet, quòd computus ille accom « modatus est ad conjunctiones solis ac lunæ, secun- « dùm medium motum illorum siderum, non ha- « bitâ ratione veri eorumdem loci, quod jam osten- « dimus. Propterea dies certos præfinierunt, qui- « bus neomenias defigerent, & alios rejiciculos, « ut eâ ratione veram conjunctionem assequi pos- « sent «

Apertum est manifestis testimoniis hujusce Rabbini, ante illud tempus, quo Christus passus est, & non paucis post annis, ex observatione phaseos lunæ & veri motûs ratiociniis neomenias declaratas fuisse. Superstitio transferendarum feriarum ferius nata est. Nullum certè similis superstitionis fundamentum est in Scriptura, vel vestigium. Dies

festorum, ut Paschatis & aliorum, præscribuntur sine ulla feriarum quarumdam exceptione; nec de illis translationibus festorum ullus fit sermo à Philone, aut a Josepho. Hi ritus inducti sunt contra legem; quæ certum diem festis celebrandis præscribit, nullâ exceptâ feriâ. Sed putant Judæi se non adversari legi, quia everso templo non amplius festa legibus præscripta propriè celebrant, sed tantùm agunt horum memoriam. Neque enim holocaustum in neomeniis offerunt, nec agnum Paschalem sacrificant, cùm non habeant templum, extra quod sacrificia legitimè fieri non possunt.

Translationes feriarum fuisse novitium inventum ostendit miraculum quod comminiscuntur Judæi ad illas comprobandas. Sic statuerunt magistri nostri, judices æquissimi, Magnates sæculi: hisce verbis Judæos loquentes inducit Munsterus, ubi exponit Kalendarium eorum. In domo Sanctuarii secundâ, cùm exstructa & consummata esset, apparuit cathedra ignea parata, & super eam Rex sæculi majestate sublimis, stans scilicet inter porticum; & accipientes coronam, apprehendentesque sigillum secretum, statuerunt & fecerunt ordinem sæculi: traditumque est in manum Rabbi Eliezer, qui major cæteris omnibus fuit, & noluit celebrari festum sortis feriâ secundâ, quartâ, & septimâ; neque festum Paschæ feriâ secundâ, quartâ, & septimâ; neque Pentecostes feriâ tertiâ, quintâ, & septimâ; neque caput anni feriâ primâ, quartâ, & sextâ; neque diem Expiationis feriâ primâ, tertiâ, & sextâ in æternum.

Sic Judæi hodierni translationes veteribus ignotas conantur confirmare fictis historiis. Novæ autem hujusce constitutionis eas rationes reddunt, eodem, quem allegavi, Interprete Munstero. Si neomenia, inquiunt, novi anni observaretur feriâ primâ, caderet festum palmarum, quod *hoschana* vocant, in feriam septimam, sive sabbatum, quod palmas & ramos portando violaretur. Sin neomenia observaretur feriâ quartâ, aut sextâ, caderet festum Propitiationis in feriam sextam, aut primam, & tunc duo continuanda essent sabbata; quia festum illud Expiationis non minùs sanctum est ac sabbatum: Judæis autem id grave est propter olera, & mortuos. Cocta olera essent servanda in tertium diem; similiter & defunctorum cadavera; quod in calidis regionibus citra periculum fieri non posset. Vana erat hæc superstitio; etenim aliis festis, præter sabbatum, lex non vetabat Judæos ignem accendere & cibos coquere. Olim celebrata festa quibusve diebus, in quos inciderent. Caraitæ, hoc est, Scipturarii consentiunt, & Talmudici, sive Traditionales, ut probat Seldenus in tractatu de anno civili veterum Judæorum. Ex quo templum eversum est, Judæi se solutos arbitrantur hisce legibus, quibus non possunt parere, dum carent templo; ita in celebrandis festis multùm sibi indulgent. Vana autem opinio est non posse, verbi causâ, in sabbato palmas portari extra templum; cùm omnia quæ in eo religionis causâ fierent per sabbata sine crimine essent; ut ipse Dominus dicebat, alloquens Pharisæos Matth. cap. 12. v. 5. *Aut non legistis in lege, quia sabbatis Sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt?*

SECTIO III.

De diebus festis Judæorum in genere: omnia enumerantur: quæ minùs erant solemnia, hic exponuntur; de solemnioribus infrà sermo fiet.

IN Kalendario Judaïco non illi tantùm dies, in quos festa incidunt, notantur, sed & illi quibus Judæi tenentur animas suas affligere, id est, jejunare, & quam sacri codicis particulam unoquoque sabbato legere debent. Quodlibet sabbatum dies festus erat. In Kalendario autem perpetuo quem in diem mensis sabbata incidant, an in primum, an in secundum, haud significari potest. Neque enim in serie sabbatorum, à mundo condito, iisdem mensis diebus contingunt. Quapropter singuli anni habent propriam sibi horum dispositionem. Quod vero Kalendarium proponimus commune est omnibus annis. Ab uno ad aliud sabbatum quæque Sacerdotum Ephemeriæ ministrabant in templo, & certa portio Scripturæ legebatur. Illæ Ephemeriæ, & lectiones illæ sacræ definiri non possunt, nisi priùs definiantur proprii dies sabbatici. Hîc in genere agam de festis, de iis quæ omnibus communia sunt, de distinctione eorum, de nomine, de numero. Perstringam hæc breviter; de solemnioribus enim festis postea fusiùs differam.

Festa omnia dicuntur in sacro codice sabbata. Sic in Levitico cap. 19. *Sabbata mea custodite.* Festum Tubarum appellatur cap. 23. Sabbatum memoriale; similiter festum Expiationis: nimirùm quia in illis cessabatur ab opere, & quies erat. *Sabbata* erant *requietionis*, ut loquitur Scriptura. Festum à Judæis nominatur יום טוב *Jom thob*, id est, *dies bonus* ימים טובים *Jamim thovim*, id est, *dies boni;* nam præcipiebatur Judæis ut lætarentur festis diebus, quibus nullum licebat facere opus servile, præter illud quod ad necessitatem cibi præparandi attinebat. In cæteris æqualis erat quies. In Mischna tractatus est qui inscribitur מסכת ביצה *masecheth Beitza*, id est, tractatus de Ovo; quia in ipso ejus limine quæritur an ovum die festo post sabbatum veniente positum, sit licitum comedere ipso die festo: solent enim Hebræi libris suis plerumque inscribere titulos à prima eorum voce, ut ait Surhenhusius in notis suis ad hunc tractatum, qui totus est de licitis aut illicitis die bono, sive festo. Ibi sarcinator Mischnæ tempus terit in minutiis, ut liquebit hocce specimine quod proferam ex capite secundo. *Tria permisit Rabbi Eleazar filius Azariæ, at sapientes vetant. Vacca illius egrediebatur cum corrigia inter cornua sua; & radunt bestiam in bono die, & molunt piper suis molis. R. Jehuda dicit, non radunt bestiam strigili die festo, eo quod excitat vulnus; sed radunt pectine: Sapientes dicunt, non radunt strigili, neque radunt pectine.* Opera quædam illicita die sabbati, licita erant die bono, sive festo; quæ diligenter persequi nullius utilitatis est viro Christiano. In genere sufficiat animadvertere inter diem sabbati, & omnem diem bonum, sive festum non esse differentiam nisi in edulibus parandis, ut statuunt Doctores in ultimo capite dicti tractatûs.

Quædam festa, ut Paschatis & Tabernaculorum, celebrabantur per septem dies; quorum primus & ultimus sanctiores erant: sed & intermedii, licet minùs solemnes, sancti reputabantur. Primo & ultimo die sabbatismus, sive quies præcipiebatur; sed & quiescendum erat per intermedios dies à quibusdam operibus, qui enumerantur in tractatu Mischnæ, qui inscribitur מועד קטן *Moed cathon*, id

est, *festum parvum*. Nimirùm dies illi intermedii censebantur parvum festum, sicque non ab omnibus quidem operibus servilibus cessandum erat, sed à quibusdam. Verbi causâ, *rigant campum siticulosum diebus festi intermediis*, ut dicitur initio hujusce tractatûs. Opera licita & illicita recensent Judæi magnâ diligentiâ, quæ non tanti est scire.

Tria festa solemnia, in quibus omnis masculus tenebatur apparere coram Deo in templo, Judæi appellant רגלים *Reghalim* à nomine רגל *reghel pes*, quia omnes Israëlitæ masculi, ubi ætatem certam attigerant, huicce præcepto parebant, ascendentes Jerosolymam pedibus suis. Vox illa רגלים *Reghalim* sonat Hebræis idem quod *vices*. Tria ergo festa solemnia nempe Pascha, festum septem hebdoma-
B dûm, sive Pentecoste, & festum Tabernaculorum, hocce nomine videntur appellata ob illud Exodi cap. 23. v. 14. *Tribus vicibus* שלש רגלים *schalosch reghalim*, ut habet fons, *per singulos annos mihi festa celebrabitis*, ait Dominus, & paulò post v. 17. *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo.*

Sunt qui dicunt de diebus festis Judæorum alios fuisse *stativos*, alios *conceptivos*. Stativi sunt, qui statis temporibus ex ipsius Dei instituto agebantur; & vel singulis hebdomadis, ut sabbatum; vel singulis mensibus, ut neomenia, sive festum Novilunii; vel singulis annis, ut Pascha. Erantque iterùm alii *verni*, alii *æstivi*, alii *autumnales*, quidam *hiemales*.
C Annui rursus dividebantur in eos qui ante & qui post captivitatem Babylonicam facti. Dicebantur *conceptivi*, quos Judæi invicem citra speciale mandatum conceperant, quales sunt quidam ex festis diebus, quorum numerum mox inibo, cùm priùs admonuero omnes illos dies celebratos à vespere ad vesperam, ut mandat Deus in Levitico cap. 23. v. 32. *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.*

Philo in libro de Septenario numerat decem festos dies, inter quos statuit pro primo festo omnem diem; ostendit enim homines si naturam secuti fuissent, ejusque constitutionibus obtemperassent,
D unum festum, idque continuum celebrare debuisse per omne tempus, quod inter ortum & interitum interjectum est: nempe quievissent à laboribus, ab avida plus habendi cupidine, & amicitiam cum omnibus colentes, & Deo vacantes, hilarem vitam sic degissent; ut omnis anni circulus festivitas esset. Certè perpetuum erat in Tabernaculo & in templo festum; singulis enim diebus offerebatur Deo mane & vespere sacrificium, quod in Scriptura appellatur תמיד *Thamid*, id est, *juge*. Juxta Dei mandatum in Numeris cap. 28.

3. *Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis: agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum.*

4. *Unum offeretis mane & alterum ad vesperam.*
E Alterum festum, juxta Philonem, est sabbatum; quod ab illo appellatur γενέθλιος τοῦ κόσμου, dies natalis mundi, quia opus creationis perfecit Deus ipso die sabbati. Huicce loco intexendum est mandatum Dei de sabbato, in Exodo cap. 20.

8. *Memento ut diem sabbati sanctifices.*

9. *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua.*

10. *Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu & filius tuus & filia tua, servus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena qui est intra portas tuas.*

11. *Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, & requievit in die septimo, idcircò benedixit Dominus diei sab-*
A *bati, & sanctificavit.*

His quæ de sabbato jam suprà diximus, solùm addam juge sacrificium duplicatum fuisse die sabbati, ut loquitur Philo; nempe præter duos agnos matutini & vespertini sacrificii, iterùm duo alii agni addebantur, ut præcipit Dominus Numer. cap. 28.

9. *Die autem sabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos, & duas decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio, & liba.*

10. *Quæ ritè funduntur per singula sabbata in holocaustum sempiternum.*

Tertium festum in ordine illo Philonis est neomenia, sive novilunium, quod est initium mensis.
B Romani appellant Kalendas. Habebat dies ille proprium suum sacrificium. De neomenia suo loco locuti sumus. Quartum festum Pascha est omnium festorum solemne magis; cujus solemnitatem, & ritus capite integro exponemus; sicut alios dies festivos, qui cum hoc festo conjuncti erant, nempe festum Azimorum; quod Philoni quintum est; & oblatio manipuli ex messe hordeacea sextum. Pentecoste, sive festum septem Hebdomadarum, septimum est festum, octavum, festum novi Anni, sive Tubarum; nonum Expiatio; decimum festum Tabernaculorum. De hisce festis magis solemnibus infrà: hic agam de cæteris minoribus festis, quæ Philo nec dignatus est numerare inter festa, quia non
C instituta à Deo, cùm legem suam dedit Moysi in monte Sinai.

Quæ verò homines instituerunt, hæc fermè fuerunt, inquit Sigonius, Encænia, festum Jephte, Judith, Esther. Encænia fuerunt solemnitas anniversaria in dedicatione templi adhibita. Est enim ἐγκαινίζειν *consecrare* ac *dedicare*. τὰ ἐγκαίνια idem sunt quod *innovatio*, & *renovatio*. Quatuor autem templi Hierosolymitani dedicationes diversis anni temporibus observatæ sunt. Prima fuit Salomonis, mense septimo. Secunda fuit templi secundi, nempe Zorobabelis, instituta a Judæis in solum patrium restitutis, mense Adar, de qua Esdras cap. 6.

15. *Compleverunt domum Dei istam usque ad diem*
D *tertium mensis Adar. Qui est annus sextus regni Darii Regis.*

16. *Fecerunt autem filii Israël, Sacerdotes & Levitæ, & reliqui filiorum transmigrationis dedicationem domûs Dei in gaudio.*

Josephus autem addit hoc factum vicesimo tertio mensis Adar, paulò ante festum Paschæ. Tertia dedicatio non templi fuit, sed altaris, cùm Judas Macchabæus altare holocausti instauravit, quod Antiochus Rex prophanaverat, idque dedicavit mense nono, ut narratur in libro primo Macchabæorum cap. 4.

56. *Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo, obtulerunt holocausta cum lætitia, & sacrificium salutaris & laudis.*
E Simul institutum est ut ista dedicatio ageretur & renovaretur singulis annis.

59. *Et statuit Judas & fratres ejus & universa Ecclesia Israël, ut agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis, ab anno in annum, per dies octo, à quinta vigesima die mensis Casleu, cum lætitia & gaudio.*

Josephus appellat hoc festum φῶτα *luminum*, in quo plura lumina accendebant; sed potissimùm quia Judæis, præter spem, hoc tam splendidum lumen exercendæ religionis apparuit. *Vocamusque*, inquit Josephus, *hanc festivitatem luminum* φῶτα, *opinor ideò quòd ex insperato nobis illuxerit tanta felicitas*. Memorat quidem ille scriptor, cùm Dei cultus instauratus est, accensa fuisse candelabra templi,

suffitum factum in aureo altari; & panes propositos supra solitam mensam. Quarta dedicatio templi illa est ab Herode facta post instaurationem ejus, ipso natali die regni sui. Josephus 15. Antiquit. in fine. *Incidit enim in hanc celebritatem absolutæ templi fabricæ, etiam dies quo Herodes cœperat regnare, quem anniversariâ hilaritate solitus est colere, ut hoc pacto conduplicaretur lætitia publica.*

Præter hæc, multi alii dies festi, ab Hebræis, prout tulit occasio, instituti fuêre, quos perstringam breviter, ordinem temporum sequens. Exeunte anno, celebratus est planctus filiæ Jephte Judicis Israël: qui cùm vovisset Domino, si victoriam reportaret de Ammonitis, in holocaustum oblaturum se quidquid redeunti obviam prodiret, offendit filiam unigenitam cum tympanis & choris; quare ille, ut voverat, fecit. Hæc narrantur in Judicibus 11. 39. postea subditur.... *Exinde mos increbuit in Israël & consuetudo servata est: ut post anni circulum conveniant in unum filiæ Israel, & plangant filiam Jephte Galaaditæ diebus quatuor.*

Judæi etiam habuêre in honore diem, quo ignis cælestis, quem extinctum post Babylonicum exilium repererunt, suscitatus est; cujus Judæi mentionem faciunt in sua ad Ægyptios epistola, quæ inserta est secundi libri Machabæorum capiti primo.

18. *Facturi igitur quintâ & vigesimâ die mensis Casleu purificationem templi, necessarium duximus significare vobis, ut & vos quoque agatis diem scenopegiæ, & diem ignis qui datus est quando Nehemias ædificato templo & altari obtulit sacrificia.*

Sic festum ignis concurrebat cum dedicatione altaris; quod festum Josephus in Antiquitatibus libro 12. cap. 11. ut modò diximus, appellat φῶτα festum luminum; non illud revocans ad ignem qui datus est Nehemiæ.

Dies etiam, quo victoria de Holoferne, Regis Assyriorum præfecto, à Judith vidua Hebræa reportata est, decreto Judæorum inter festos relatus est; ut dicitur in capite 16. 31. libri, qui gesta Judith continet. *Dies autem victoriæ hujus festivitatis, ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur & colitur à Judæis, ex illo tempore usque in præsentem diem.* In quem autem anni diem incidat hocce festum, sacer codex non innuit. A quibusdam statuitur ipsâ die vigesimâ quintâ Casleu. Non memoratur ab Hebræis; nec enim inter libros suos agnoscunt historiam Judith.

Victoria Esther adversùs Aman, qui Judæos in crucem agere constituerat, festum diem habuit ex instituto Mardochæi consultoris ejus. Nimirùm in hujus rei memoriam festivitas instituta est die 14. & 15. mensis Adar. Judæi Aman & filios ejus affixerunt cruci; quod narrat caput nonum Esther. ℣.

20. *Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, & literis comprehensa misit ad Judæos, qui in omnibus Regis provinciis morabantur, tam in vicino positis, quàm procul,*

21. *ut quartam decimam, & quintam decimam diem mensis Adar pro festis susciperent, & revertente semper anno solemni celebrarent honore.*

22. *Quia in ipsis diebus se ulti sunt Judæi de inimicis suis, & luctus atque tristitia in hilaritatem, gaudiumque conversa sunt, essentque dies isti epularum atque lætitiæ, & mitterent sibi invicem ciborum partes, & pauperibus munuscula largirentur.*

Festum illud appellatum est *Purim*, id est, *sortium*. Vox est Persica sortes significans, à sorte quam Aman, pro more Persarum & vicinarum gentium, jactari curaverat, ut exploraret tempus opportunum, quo Judæos pessumdare posset; quod adstruit sacer codex.

26. *Atque ex illo tempore dies isti appellati sunt Phurim, id est, sortium: eò quòd phur, id est, sors in urnam missa fuerit.*

Quæ hodie hocce festo observari soleant ab hodiernis Judæis, explicat Buxtorfius in capite 29. libri sui de synagoga Judæorum. Illi nihil per totum hoc biduum, etiam nunc, præter quàm ludunt, & saltant. Sunt dies lætitiæ & epularum; qualia olim erant Bacchanalia Ethnicorum. Quin in Talmud in Megilla expressè scribitur: *Tenetur homo in festo Purim eò usque inebriari, ut nullum discrimen norit inter maledictus Haman & benedictus Mardechai.* Hoc est, ut interpretatur Buxtorfius, nesciat supputare numerum, qui ex singularum vocum literis exstruitur: nam literæ מרדכי ברוך & ארור המן in Gematria eundem numerum conficiunt. Perinde est ac si diceretur, posse illos in tantum bibere, ut quinque manûs digitos numerare ampliùs non possint. Noctu candelas gaudii testandi causâ accendunt, & ædituus synagogæ volumen Esther explicat; & quoties nomen Haman auditur, omnes clamant: *deleatur nomen ejus.* Cætera videantur in Buxtorfio. Per hosce dies, aut circa, mentio fiebat victoriæ, quam Judæi reportaverant de Nicanore duce Demetrii Regis Syriæ. *Ea victoria*, scribit Josephus in Antiquitatibus lib. 12. cap. 17. *contigit decimâ tertiâ die mensis Adar, ut nostri nominant, qui Macedonibus Dystrus dicitur: eâque die festivitatem nostri per singulos annos renovant ob rei prosperè gestæ memoriam.*

Josephus numerat inter festos dies τῶν ξυλοφορίων, scilicet per quos populus tenebatur colligere & adducere ligna, ad alendos sacros ignes altaris, qui erant perpetui. In Mischna, tractatu *Thaanit*, sive de Jejuniis, capite quarto, indicantur novem dies anni, huic rei consecrati; atque id opus attribuitur novem peculiaribus familiis, ex iis quæ memorantur ex captivitate rediisse. *Tempora ligni ferendi Sacerdotibus & populo erant novem. Primâ die Nisan, filii Arah, qui fuit filius Judah. Vigesimâ Thammuz, filii Davidis, qui fuit filius Judah. Quintâ Ab, filii Parosh, qui fuit filius Judah. Septimâ ejusdem, filii Sennaah, qui fuit filius Benjamin. Decimâ quintâ ejusdem, filii Zatte, qui fuit filius Judah, & cum illis Sacerdotes & Levitæ & quicunque non noverant suam tribum, &c. Vigesimâ ejusdem mensis, filii Paath Moab, qui fuit filius Judah. Primâ Thebeth, filii Porosh id officii iterabant. Et primâ quidem Thebeth non erat statio, quia canebatur Hallel eâ die, & erat addita oblatio, & allatio ligni.*

SECTIO IV.

De diebus jejunii. Qui ritus in illis servati. In quos dies cujusque mensis illa jejunia inciderent.

Dies jejuniorum, per quos Judæi affligebant animas suas, notantur in eorum Kalendario. Dies illi dicuntur afflictionis, *angariarum*, luctûs. Hebræi jejunium appellant תענית *Taanit*, id est, *afflictio*, à verbo ענה *afflixit.* Et hoc verbum reperitur in Levitico cap. 16. v. 29. ubi præcipitur jejunium: *Mense septimo, decimâ die mensis, affligetis animas vestras.* Similiter in cap. 23. v. 27. & in Numeris cap. 29. v. 7. Ex his Scripturæ locis Judæi arripuerunt nomen *thaanith* ut significarent jejunium; de quo tractatus est in Mischna, quem Lundius Latinè interpretatus est, & eruditis notis illustravit. מסכת תענית *Massechet Taanit*, id est, tractatus de Jejunio. Ex eo autem quod die je-

junii quisque teneretur animam suam affligere, o- A riuntur ritus omnes, quibus Judæi jejunabant; non etenim solùm abstinebant cibis. Ritus jejunii deprehendimus in capite secundo Joëlis, ubi hic Propheta hortatur Judæos ad pœnitentiam.

15. *Canite tubâ in Sion, sanctificate jejunium, vocate cœtum.*

Id moris erat ex præcepto Dei, ut sono tubæ congregaretur populus. *Quando autem est congregandus populus, simplex tubarum clangor erit.* Ut dicitur in Numeris cap. 10. v. 7. In solemnibus jejuniis congregabantur populi ad supplicationes, ad preces fundendas; ut quasi factâ conjuratione compellerent Deum ad peccata sibi dimittenda. Templum erat domus orationis, ad quam Judæi sono tubæ B admoniti conveniebant. *Sanctificate jejunium.* Id est, juxta loquendi morem Judæorum, accingimini, & parate vos ut jejunetis.

16. *Congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos & sugentes ubera: egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo.*

Joël solemnem exigit & publicam professionem pœnitentiæ; idcircò præcipit ut omnes intersint publicis precibus, studeant sanctitati, corpus macerent, abstineant ab uxoribus, &c. Nullus verò, sive senex, sive sponsus, sive sponsa, sive puer sugens ubera, absit. Sponsi, inquam, & sponsæ intermissis licitis & honestis gaudiis, fleant cæteris flentibus. Et mos ille servabatur apud Ninivitas. Omnis populus sese publicitùs affligebat & orabat; ut videre est in cap. 3. Jonæ 5. *Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum, & prædicaverunt jejunium, & vestiti sunt saccis à majore usque ad minorem.... Homines & jumenta, & boves, & pecora non gustent quidquam: nec pascantur, & aquam non bibant.* 8. *Et operiantur saccis homines & jumenta & clament ad Dominum.* Diebus jejunii, quemlibet illud observare, oportebat; & ne quis intra privatos parietes genio indulgeret, omnes apparere in templo tenebantur aut in plateis, aut ædium tectis, ut cunctis essent conspicui.

17. *Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini & dicent: Parce Domine, parce populo tuo: & ne des hereditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes.* Nomine totius cœtûs Sacerdotes, qui ministrabant secundùm ordinem vicis suæ, offerebant Deo preces, quibus fundendis locus opportunus erat spatium inter vestibulum ædis sacræ & ipsum altare holocaustorum. In fonte *inter ulam*, sic appellabatur, ut vidimus, vestibulum ædis, *& inter altare.* Locus ille subdialis, occupabatur ex parte gradibus ædis sacræ. Ibi provolutis genibus coram Deo, sive coram æde Dei sanctissima precabantur.

Postquam templo caruerunt Judæi, congregabantur in platea urbis, & hùc deferebant Arcam videlicet cistam in qua liber legis servabatur in synagogis. Id discimus ex tractatu Taanit capite secundo. *Quænam est ratio cærimoniarum in jejuniis gravioribus observandarum? Profertur Arca in plateam urbis, eique cinis combustionis imponitur. Simulque capita principis, præsidis synedrii, ac singulorum cinere consperguntur. Tum qui inter eos ætate & sapientiâ præstat, ipsis verba pœnitentiæ recitat, dicens: Fratres nostri de Ninivitis prorsus dictum non est: & respexit Deus saccum eorum, & jejunium eorum; verùm quod tertio capite v. 10. habetur: & vidit Deus opera ipsorum, quòd à pravitate actionum suarum destiterunt..... In actu precandi constituti descendere faciunt ante Arcam virum senem, & in precum recitatione probè exercitatum.* Videre est hoc esse imitamentum supplicationum, quæ olim fiebant à Sacerdotibus inter vestibulum & altare, cùm præibant precibus, quas quilibet privatus Deo offerebat in pectore suo.

Deus simul præcipiebat jejunium Judæis, & ut affligerent animas suas, ab omni re læta abstinerent, ut probat Geierus in libello suo de Luctu Hebræorum. Allegat Maimonidis tractatum *Taanit*, sive de Jejunio, ubi ille Rabbinus capite tertio sic inducitur Latinè loquens. *Omnis tunc populus prohibetur à negotii, vel operis alicujus expeditione per diem illum, nocte verò concessa est ista. Prohibentur etiam à lotione corporis totius, quæ fit calidâ; permittitur verò lotio faciei, manuum pedumque: hac de causa occluduntur balnea. Dein prohibentur ab unctione; nisi istæc adhibeatur ad removendas sordes: quo in casu est permissa. Prohibentur insuper à ministerio lecti.* Id est, maritali officio. Die jejunii abstinebant se ab uxoribus. *Ab induitione sandaliorum in civitate, in itinere enim istæc est permissa. Orantque in synagogis, clamant, ac deprecantur.*

Diversi quasi afflictionis gradus in jejuniis erant. Etenim in magno jejunio festi Expiationum, ut suo loco dicemus, à vespere ad vesperam nihil omninò cibi aut potûs degustabant Judæi. Verùm in aliis quibusdam jejuniis noctu poterant comedere & vinum potare. In tractatu Mischnæ *Joma* cap. 8. hoc est, de die Expiationum: *Vetitum est edere, & bibere, se lavare, inungere, calceamenta induere, remque cum uxore habere.* Sed in illis jejuniis C quæ fiebant ut pluvia descenderet, in tractatu *Taanit* ejusdem Mischnæ capite primo, licebat edere & bibere noctu tantùm, opus quoddam facere, sese lavare, inungere, calceamenta induere, cumque uxore concumbere. Major aut minor afflictio erat, pro recordatione majoris aut minoris ærumnæ. Ita ob causas, quas modò afferemus, jejunium nonæ diei mensis Ab asperum erat, ut scribit Maimonides. *Prohibitum est tonderi, lavare vestimenta, induere levigata, etiam si fuerint linea, idque donec transierit jejunium; imò etiam lavare vestimenta & reponere, donec transierit jejunium. Etiam* D *jam adsueverunt Israëlitæ, ne edant carnem in septimana illa, nec adeant balneum.* Ibi Maimonides dicit hocce jejunium etiam à gravidis, lactantibusque mulieribus observatum. In asperis illis jejuniis induebant se saccis; vestimenti genus vile, illotum, sordidum, nec molle. Verùm an asperis caprarum pilis contextum fuerit, viri periti se ignorare fatentur. Quo sordidiores essent, sive magis afflicti viderentur, Judæi caput cinere aspergebant, cubabant in pulvere, ab omni re jucundâ abstinebant, à vino, à musica, etiam à lectione jucundissima Scripturarum. Hæc videre est in libello Geieri de luctu Judæorum, & in tractatu Taanit, quem interpretatus est Lundius, & notis illustravit.

E Causæ jejuniorum sunt infortunia publica, vel privata, vel hostis premens, vel siccitas, vel annonæ caritas, vel pestis, vel locustæ, aut illis similia, quæ Maimonides explicat. Videre est ordinata jejunia, aucta, continuata, prout tardabat pluvia, quando expectabatur. Jejunia verò ordinaria notata erant in volumine, quod ex ipsa re appellabatur מגילת תענית *Megillat taanit*, id est, volumen jejunii; cujus mentio fit in Mischna cap. 2. *Taanit*; & de illo ad hunc locum Mischnæ hæc Maimonides. *Fuit apud ipsos majores nostros volumen, quod vocarunt à jejunio, erantque in hoc descripti dies celebres, in certis mensibus, ea propter insignes, quòd in iis ipsis Deus peculiaria in populo suo miracula fecerit, avertendo ab eo grandia mala, quos dies præ reliquis*

reliquis in celebritate peregerant, ficut cùm dicitur in eodem libro; quòd fuerint patres noftri prohibiti in ipfis diebus lugere, jejunioque fe affligere; fed jam in ufu ampliùs non eft volumen illud, nec dies inibi notati, prohibiti cenfentur à luctu & jejunio.

Dum templum ftetit, dies jejunii, præter diem jejunii in fefto Expiationum, alios fuiffe præfcriptos docet Zacharias in capite 8.

19. *Hæc dicit Dominus exercituum: jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium feptimi, & jejunium decimi erit domui Juda in gaudium & lætitiam & in folemnitates præclaras.* Scilicet prædicit Propheta pro calamitatibus, quarum recordationem lugebant, Deum cumulaturum Judæos bonis; ita ut ipfi dies mœroris mutentur in dies lætitiæ. Decimâ feptimâ die menfis Thammuz, qui quartus eft anni facri, notatur jejunium propter varias afflictiones & ærumnas, quas illo die olim fubierunt Judæi, & quarum vim adhuc perfentiunt. Hoc die, inquit Buxtorfius in fynagoga fua, duæ legis tabulæ lapideæ à Moyfe confractæ funt, ftatim ac vidit conflatum ab Ifraëlitis vitulum: oblatio quotidiana ceffavit: facrum legis exemplar combuftum: idolum à Manaffe in templo erectum: urbs Jerufalem fecundâ obfidione capta fuit, & pars murorum disjecta. In poftremo capite tractatûs *Taanit* ifta leguntur. *Quinque res luctuofæ patribus noftris acciderunt die feptimo menfis Thammus, totidemque die nono Abh. Nam 17. Thammus fractæ funt tabulæ legis: ceffavit juge facrificium: urbis mœnia perrupta: lex ab Apoftemo combufta; idolumque in templo ftatutum. Nono autem die Abh, decrevit Deus de patribus noftris non ingreffuros eos in terram promiffam: defolatum eft templum & primum & fecundum: capta eft urbs Bither: diruta urbs fancta. Undè ex quo menfis Abh incipit, lætitiam imminuunt. Hebdomade, in quam inciderit nonus dies menfis Abh, prohibitum eft fe tondere, lavare. Quinto autem hebdomadis die, hæc licita funt, propter reverentiam fabbati. Vefperâ noni diei menfis Abh vetitum eft geminis diverfi generis coctis frui, carne vefci, vinum bibere.*

Judæi, ut teftatur Buxtorfius, hodie hâc nonâ die menfis Ab maximè affliguntur. Tam interdiu, quàm noctu ab omni alimento abftinent. In lecto non cubant; etiam quidam pro pulvillis lapidem capiti fupponunt, recordantes hoc die everfum templum. Die tertio menfis Tifri, qui feptimus eft anni facri, habebatur jejunium in memoriam præftantis herois & præfecti Godoliæ, qui, refiduis, qui in Babyloniam adducti non fuerant, Judæis præpofitus, miferè hoftium dolis & fraudibus circumventus interiit. Mors illa apud Prophetam Jeremiam notatur, quæ plurimarum aliarum calamitatum caufa fuit. Denique jejunium diei decimæ decimi menfis, nimirùm Tevet, inftitutum fuerat; quia illo die Nabuchodonofor cœpit Hierofolymam obfidere, & in magnas anguftias urbem redegit.

SECTIO V.

De lectionibus fabbaticis facri codicis, quæ notantur in Kalendario Hebræorum, five de fectionibus librorum legis & Prophetarum, quæ per anni fabbata legebantur in templo & in fynagogis.

IN cultu Dei pars præcipua habebatur facri codicis lectio. Eam intelligo lectionem, quæ publicitùs fieret in templo & in fynagogis diebus fabbati. Quâ pompâ, quo ordine, diximus in libro quarto hujus operis, ubi de fynagogis, & difciplina quæ in illis fervabatur, fermonem fecimus. In atriis templi vidimus fuiffe plures exedras, cœnacula, in quibus plerique Ifraëlitæ congregati legebant facram Scripturam, & de illa differebant. Cùm multiplicati funt Ifraëlitæ, ut lectioni Scripturarum commodiùs vacarent, multæ ædificatæ funt fynagogæ, tum Hierofolymis, tum in aliis locis; quæ, ut vidimus, dicebantur domus doctrinæ. Ibi à primis temporibus libri Moyfis ordine & folemniter legebantur; ut in Actis dicitur cap. 15. v. 21. *Moyfes enim à temporibus antiquis habet in fingulis civitatibus qui eum prædicent in fynagogis, ubi per omne fabbatum legitur.* Hæc Jacobus Apoftolus nomine Concilii Hierofolymitani dicebat Judæis ad removendam ab eorum animis præconceptam de Chriftianis opinionem eos Moyfis libros afpernari; quos tanti faciebant, ut, Judæorum morem æmulati, dum congregabantur die fabbati quidam ex illis *prædicarent* Moyfem. *Prædicare* κηρύσσειν eft alta voce legere, pronuntiare. Hunc Synagogæ morem fecuti Chriftiani, annuo curriculo femper in Ecclefiis fuis facros codices perlegerunt.

Apud Judæos præcipuo in honore habiti funt quinque libri Moyfis; continent enim leges Dei, quibus ordinatus eft cultus ejus, & conftituta & formata Ifraëlitica Refpublica. Quapropter ex ordine Pentateuchus integer annuo fpatio legebatur. Adjungebantur autem particulæ ex Prophetarum fcriptis; ut colligimus ex 13 v. 15. Actuum. Ubi Paulus, & qui eum comitabantur, ingreffi funt fynagogam, die fabbati. *Poft lectionem autem legis*, fic appellatur Pentateuchus, *& Prophetarum, miferunt principes fynagogæ ad eos, dicentes: viri fratres, fi quis eft in vobis fermo exhortationis ad plebem, dicite.* Hacce occafione, longum fermonem habuit Paulus; ex quo conftare debet non fimplicem Scripturarum lectionem factam fabbatis. Addebantur interpretationes: inquirebatur in fenfus occultos, & in his ducebant diem. Igitur non cenfendum eft pios Ifraëlitas veterno torpuiffe diebus fabbati; dum enim vacabat corpus à laboribus, animus operam dabat facris literis. Actiones animi nobiliores funt, & cùm Deus vetuit vexare corpora laboribus per fabbata, conceffit auguftiores actiones perficere, inquit Philo, libro de Septenario; ex quo egregium locum in hanc rem allegavimus in quarto libro, ubi de fynagogis egimus.

Ut omnia ex ordine fierent, Pentateuchus divifus fuerat in numerum fectionum, congruentem numero fabbatorum, qui per annum occurrunt. Annus folaris conftat diebus 365, aut 366; qui numerus divifus per feptem dat quinquaginta duas hebdomadas, cum uno, & quandoque altero die. Annus duodecim menfium lunarium habet 354. dies, & ideò quinquaginta hebdomadas, cum diebus quatuor; fed annus embolifmæus tredecim menfium lunarium habet quinquaginta quatuor hebdomadas. Ergo Judæi, quo commodiùs ex ordine legerent Pentateuchum fingulis annis, diftinxerant illum in portiones 54, refpondentes totidem hebdomadibus, quæ numerari poffunt per annum embolifmæum, five intercalarem. Portiones, five fectiones iftæ legales hebdomadicæ à Judæis vocantur פרשיות, in fingulari פרשה *Parafcha*, à verbo פרש *feparare*, quafi feparata ab aliis, & diftincta fectio. At cùm id nominis, ut notat Pfeifferus, etiam tribuatur minutioribus legis fegmentis, hebdomadicæ fectiones ad differentiam dicuntur *Parafchæ* majores; quæ in Bibliis Hebraïcis defignantur tribus majufculis פ פ. פ. aut per vocem פרשה *parafcha* integram in exemplaribus nonnullis. Interdum pro tribus פ ponun-

tur tria ם. ם. ם. Minores verò sectiones indicantur A per unicum minusculum פ, aut ם. Porrò sectiones notatæ literâ פ distinguuntur ab his, quæ habent præpositam literam ם Litera פ notat paraſcham esse פתוחה *apertam*, ם verò esse סתומה *clausam*. Ratio hujus appellationis desumpta est è modo scribendi, vel constituendi spatia linearum. Mirâ religione, ne dicam superstitione, Judæi describunt volumen legis, quo non utuntur in synagogis, nisi manuscripto. Id autem curiosè observant ut parascha *aperta* inchoetur ab initio lineæ, *clausa* in medio. Nimirùm sectio, quæ incipit ab aperta linea, ideò indicatur per פ minus, eo loci positum, quòd prima litera sit nominis פתוחה, id est, *aperta*. Sectio verò, in media linea incipiens, vocatur סתומה, id est, *clausa*, quia utrinque eâdem lineâ clauditur, & signifi- B catur per ם minus, quòd prima litera sit verbi סתומה. In Bibliis Hebraïcis, quæ Judæorum impensis & curâ eduntur, videre est sic quinque libros Moysis distinctos in quinquaginta quatuor magna capita, quæ ipsi vocant סדרים *sedarim*. Initialia eorum vocabula majusculis expressa sunt literis, præmisso magno spatio, in quo notatur ter פ. Circa has tricas Judaïcas immorari non vacat: si illæ placeant, consulatur Buxtorfius in Abbreviaturis ad literam פ. Paraschæ autem diversæ nomina accipiunt a prima voce, vel priorum vocum magis conspicuâ. Sic prima dicitur בראשית *Bereschit*, quæ prima vox est totius codicis Hebræi. Secunda נוח *Nohe*, quia incipit ab historia Noach. Tertia לך לך *lec-leca*, nem- C pe a verbis quibus Deus compellat Abraham, *abi tibi*. Ita de aliis paraschis.

Hisce paraschis seu lectionibus legalibus adjungebantur parallelæ lectiones Propheticæ; quæ nempe convenirent paraschis. Lectiones Propheticæ dicebantur *Haftaræ*, à nomine הפטרה, quod fluit à verbo פטר *pathar*, id est, *dimisit*; ut *Haftaræ* idem sonarent quod *missæ*. Nimirùm lectis *Haftaris* populus dimittebatur. In quarto libro vidimus Judæos harum originem accersere à tempore Antiochi Epiphanis, qui legis lectionem tam publicam, quam privatam sub capitali pœnâ prohibuerat. Quare selectæ sunt sectiones quædam Propheticæ, paraschis Mosaïcis sensu & memoriali quodam symbolo res- D pondentes, ut dicit Buxtorfius in appendicibus libri de Abbreviaturis. Veluti, inquit, pro parascha, sive sectione prima *Bereschit*, in qua de creatione cæli & terræ agitur, substituerunt lectionem Propheticam, quæ incipit: *sic ait Deus fortis creator cælorum*, apud Isaiam capite 42. v. 5. usque ad versum 11. cap 43. Pro lectione secundâ *Noach: hæ sunt generationes Noach*, substituerunt legendum; *Canta sterilis, quæ non paris, quia plures erunt filii desolatæ quàm filii conjugatæ*, Isaias cap. 54. v. 1. usque ad versum 11. Nempe sectio Mosis agit de generatione carnali Ecclesiæ, sectio Prophetica de generatione spiritali. Sectio tertia Mosis, *abi tibi*, agit de migratione Abrahami ex terra patria in terram alienam: huic substituerunt lectionem ex Isaia, quæ E continet consolationem ad Israëlitas in exilio peregrinantes. Hæc animadvertere operæ pretium est; indè enim lux accersitur locis quibusdam Evangelii. Arripiebat enim sermonis occasionem Christus Dominus, ut videtur, ex loco Scripturarum, qui præsenti sabbato legebatur; frequentabat enim synagogas diebus sabbatorum. Porrò Judæi in synagogis suis Pentateuchum quot annis legendo absolvunt, finem facientes die festo Tabernaculorum, & sequenti sabbato initium iterùm capientes. Sive annus sit communis, sive embolismæus, id est, intercalaris, totum Pentateuchum intra anni spatium evolvebant. Nam si annus erat communis, tum sectiones circa finem Deuteronomii longiores erant, & pauciores. Sin embolismæus, tum pro numero sabbatorum in plures & breviores secabantur, eâ conditione ut festo Tabernaculorum, perlectâ lege, rursùm à Genesi lectionum ordo inchoaretur. Harum dispositionem in Kalendario Judaïco subjicimus, qualem eam exhibet Ligfootius.

SECTIO VI.

Kalendarium Judaïcum, in quo notantur festa, tum à lege olim præscripta, tum postea instituta, dies angariarum, sive jejunia, & lectiones ex sacris Scripturis, eo ordine, quo legebantur in synagogis.

Præter solemnia legalia, & quæ post excidium prioris templi instituta sunt, addidimus ea, quæ ex veteribus Judæorum commentariis colligi potuerunt celebrata, sive memorata. Notantur angariæ, quas obire omnes Judæi tenebantur: erant enim quædam locales, quæ non ad universam gentem Judæorum pertinebant; exempli gratiâ, verba sunt Scaligeri, anno Christi 1171. quidam Judæi in oppido Blesensi, Carnutensis diœceseos, combusti fuerunt per calumniam quorumdam Christianorum, die vigesimâ Sivan; ob eam rem indictum est jejunium & angaria, ut refertur in Chronico Josephi Sacerdotis.

Menses Judaïci non semper concurrunt cum mensibus nostris, aut cum iisdem partibus eorum. Etenim, exempli causâ, Nisan, sive luna Paschalis, modò in Martium, modo in Aprilem incidit. Novilunium sicut & plenilunium diversis diebus cujusque mensis nostri occurrunt: modo intra unum & eundem mensem Romanum lunæ cursus absolvitur, modo uno mense incipit, & altero finitur. Itaque, ut præmonuimus, si quis velit quolibet dato anno componere utrumque Kalendarium Judaïcum & Romanum, necesse est ut ex Astronomiæ legibus deducat in quos dies mensium nostrorum potuerit incidere neomenia, sive initium mensium Judaïcorum.

Præterea advertendum dies Judæorum atque adeo festa incipere ab occasu solis, sicque cadere diem Hebræum in duos dies Kalendarii Romani. Si enim, verbi causâ, dies Paschatis, nempe dies quatuordecimus Nisan inciperet die secundâ Aprilis sole occidente, hoc festum referri posset etiam ad tertium diem Aprilis. Kalendarium Judaïcum editum est à pluribus viris doctis. Sebastianus Munsterus prævivit, qui computum Hebræorum, sive rationem omnem, quam ab everso templo secuti sunt in putandis mensibus, exposuit. Hocce Kalendarium cum Græco & Romano præmisit Genebrardus suis in Psalmos commentariis: Sigonius suis libris de Republica Hebræorum inseruit: Seldenus libello de anno civili veterum Judæorum: Ligfootius Harmoniæ quatuor Evangelistarum. Variis nominibus exprimuntur latine mensium nomina Hebraïca; hanc diversitatem proponimus.

Mensis תשרי Tisri, *aliis* Tizri, *anni civilis primus, Ecclesiastici septimus. Olim dicebatur* אתנים Ethanim. *Plenus ille notatur in Kalendario, nempe triginta dierum, cadit in Septembrem, aut in Octobrem, vel in partes horum mensium.*

1. *Rosch haschana* principium anni, nimirùm civilis. Festum Tubarum, sive clangoris. Levit. cap. 23. v. 24. 25. Numer. cap. 29. v. 1. 2.

2.
3. Jejunium Godoliæ, quia tunc occisus est Godolias filius Ahicam, filii Saphan, & Judæi qui cum eo erant in Masphа. lib. 4. Reg. cap 25. Et Jeremias cap. 41. v. 2. hoc est, jejunium, ut videtur, quod apud Zachariam cap. 8. v. 19. dicitur septimi, nempe mensis.
4.
5. Jejunium. Moriuntur viginti Israëlitæ. Rabbi Akiba filius Joseph conjicitur in vincula, ubi moritur.
6.
7. Jejunium, ob decretum in patres nostros gladium & famem, propter vitulum fabricatum.

Lectiones.

Deuter. cap. 26. v. 1. ad cap. 29. v. 10.
Isai. cap. 60. v. 1. ad finem capitis.

8.
9.
10. Jejunium Kippurim, sive Expiationis. Levit. cap. 23. v. 17.
11.
12.
13.
14.

Lectiones.

Deuter. cap. 29. v. 10. ad cap. 31. v. 1. si plures anni superfuerint hebdomades; si nullæ, usque ad finem libri lectionem producebant.
Isai. cap. 61. v. 10. ad cap. 63. v. 10.

15. Tabernaculorum festum, sive scenopegia, dierum septem. Levit. cap. 13. v. 34. 35.
16.
17.
18.
19.
20.
21. Hosanna Rabba, seu septima Tabernaculorum. ἡ ὀσχοφορία, festum Ramorum.

Lectiones.

Genesis cap. 1. v. 1. ad cap. 6. v. 9.
Isai. cap. 42. v. 5. ad cap. 43. v. 11.

22. Octava Tabernaculorum, aatsereth. Levit. cap. 23. v. 26.
23. Festivitas legis, sive gaudium legis & benedictio, quo festo recolunt testamentum & mortem Mosis Legislatoris. Dedicatio templi Salomonis absoluta est hâc die. 3. Reg. cap. 8. v. 65.
24.
25.
26.
27.

Lectiones.

28. Genes. cap. 6. v. 9. ad cap. 12. v. 1.
Isai. cap. 54. v. 1. ad cap. 55. v. 5.
29.

Lectiones.

Genes. cap. 12. v. 1. ad cap. 18. v. 1.
Isai. cap. 40. v. 27. ad cap. 41. v. 17.

30.

Mensis מרחשון Marhesvan *vel* Marchesvan, *anni civilis secundus, Ecclesiastici octavus; cavus, sive viginti novem dierum. Cadit in Octobrem, aut in Novembrem, vel in partes horum mensium.*

1. Neomenia.
2.

Lectiones.

3. Genes. cap. 18. v. 1. ad cap. 23. v. 1.
Lib. 2. Reg. cap. 4. ab initio ad versum 38. ejusdem capitis.
4.
5.
6. Hac die jejunium, ob excæcatum Sedechiam Regem Juda, & ejus filios coram ipso interfectos à Nabuchodonosor lib. 4. Reg. cap. 25. v. 7.

A 7.

Lectiones.

8. Genesis cap. 23. v. 1. ad 25. cap. v. 19.
Lib. 1. Reg. cap. 1. v. 1. ad versum 32.
9.
10.
11.
12.
13.
14.

Lectiones.

15. Genesis cap. 25. v. 19. ad cap. 28. v. 10.
Malach. cap. 1. v. 1. ad cap. 2. v. 8.
16.
17.
18.
B 19.
20.
21.
22.

Lectiones.

23. Genes. cap. 28. v. 10. ad cap. 32. v. 3.
24. Osee cap. 11. v. 7 ad cap. 14. v. 2.
25.
26.
27.
28.
29.
0.

Mensis כסליו Kisleu *vel* Kasleu, *anni civilis tertius, Ecclesiastici nonus. Ponitur plenus, sive triginta dierum. Cadit in Novembrem, aut in Decembrem, vel in partes horum mensium.* C

1. Neomenia.
2.

Lectiones.

3. Genesis cap. 32. v. 3. ad cap. 37. v. 1.
4. Abdias. Totum caput. Vel Osee cap. 12. v. 12. ad finem libri.
5.
6.
7. Jejunium, ob combustum à Rege Joachim volumen, quod scripserat Baruch, dictante Jeremiâ. Hierem. cap. 36. v. 23. Hoc jejunium institutum dicit Scaliger ob excæcatum Sedekiam & jugulatos coram eo ejus filios.
8.
D 9.

Lectiones.

10. Genesis cap. 37. v. 1. ad cap. 41. v. 1.
11. Amos cap. 2. v. 6. ad cap. 3. v. 9.
12.
13.
14.
15.

Lectiones.

16. Genesis cap. 41. v. 1. ad cap. 44. v. 18.
17. Lib. 1. Reg. cap. 3. v. 15. ad finem capitis.
18.
19.
20.
21.
22.
E 23.
24.
25. Dedicatio, sive Encænia. lib. 2. Mach. cap. 2. v. 16. Lumina, vel luminarium festum dicitur à Josepho lib. 12. Antiquit. cap. 10. Diebus octo, ob lumen Religionis à Macedonibus extinctæ recuperatum. Petitio pluviæ quæ Jore hebraïcè appellatur, prima & temporanea, item pluvia sementis. Deuter. cap. 11. v. 14. Genebrardo tunc in Judæa tempus serendi.

Lectiones.

26. Genesis cap. 44. v. 18. ad cap. 47. v. 27.
Ezechiel cap. 37. v. 15. ad finem capitis.
27.
28.
29.

30. Anno defectivo hic dies eximebatur. Nempe hic mensis ponebatur viginti novem dierum. A

Mensis טבת Tebeth, *sive* Tevet, *anni civilis quartus, Ecclesiastici decimus. Cavus, sive viginti novem dierum, cadens in Decembrem, vel in Januarium aut in partes horum mensium.*

1. Neomenia. *Lectiones.*
2. Genes. cap. 47. v. 27. ad finem libri.
3. Lib. 1. Reg. cap. 2. ab initio ad vers. 13.
4.
5.
6.
7. B
8. Jejunium, quod illo die lex in Græcum versa sit, tempore Ptolomæi Regis, & tenebræ Ægyptios occupaverint triduo. Hinc, inquit Genebrardus, Judæos Alexandriæ LXX. Interpretum memoriam coluisse anniversario festo, Philo tradit lib. de vitâ Mosis. Verùm inter Judæos Alexandrinos Græcâ linguâ utentes, sive Hellenistas, & Judæos, qui hebraisantes vocabantur, non conveniebat. Unde idem dies aliis causa mœroris fuit, aliis lætitiæ. Græcam versionem odio habent Judæi.
9. Jejunium. Non scripserunt magistri quare ea dies notata inter dies afflictionis.
10. Jejunium, quod appellatur *decimi*, quando admovit manum suam Rex Babylonis ad obsidendam & expugnandam Hierosolymam. C
11. *Lectiones.*
12. Exod. cap. 1. v. 1. ad cap. 6. v. 2.
13. Isai cap. 27. v. 6. ad cap. 28. v. 14. vel Jerem.
14. cap. 1. v. 1. ad cap. 2. v. 4.
15.
16. *Lectiones.*
17. Exod. cap. 6. v. 2. ad cap. 10. v. 1.
Ezech. cap. 28. v. 25. ad finem capitis vigesimi noni.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24. *Lectiones.*
25. Exod. cap. 10. v. 1. ad cap. 13. v. 17.
Jerem. cap. 46. v. 13. ad finem capitis.
26.
27.
28.
29.
30.

Mensis שבט Shevet, *vel* Shebet, *vel* Schebat, *vel* Sebat, *anni civilis quintus, Ecclesiastici undecimus, plenus, sive triginta dierum, cadens in Januarium & Februarium, vel in partem horum mensium.* E

1. Neomenia. Principium anni arborum.
2. *Lectiones.*
3. Exod. cap. 13. v. 17. ad cap. 18. v. 1.
Jud. cap. 4. v. 4. ad cap. 6. v. 1.
4.
5.
6.
7.
8. Jejunium, quoniam tunc mortui sunt justi, qui extiterant diebus Josue. Jud. cap. 2. v. 10.
9. *Lectiones.*
10. Exod. cap. 18. v. 1. ad cap. 21. v. 1.
Isai caput 6. integrum.
11.
12.
13.
14.
15.
16. *Lectiones.*
17. Exod. cap. 21. v. 1. ad cap. 25. v. 1.
18. Jerem. cap. 34. v. 8. ad finem capitis.
19.
20.
21.
22.
23. Jejunium. Congregati sunt Israëlitæ adversùs Benjamin ob concubinam in Gabaa violatam & propter idolum Michæ. Judic. cap. 20.
24.
25.
26. *Lectiones.*
27. Exod. cap. 25. v. 1. ad cap. 27. v. 20.
Lib. 1. Reg. cap. 5. v. 12. ad cap. 6. v. 14.
28.
29. *Lectiones.*
30. Exod. cap. 27. v. 20. ad cap. 30. v. 11.
Ezech. cap. 43. v. 10. ad finem capitis.

Mensis אדר Adar, *anni civilis sextus, Ecclesiastici duodecimus, cavus, sive viginti novem dierum, cadens in Februarium & Martium, aut in partes horum mensium.*

1. Neomenia.
Ex Genebrardo Teruma, id est, Primitiæ.
2. *Lectiones.*
3. Exod. cap. 30. v. 11. ad cap. 35. v. 1.
Lib. 1. Reg. cap. 18. v. 1. ad v. 39.
4.
5.
6.
7. Mortuus est Moses magister noster Deut. cap. 34. v. 5. 6. quare & jejunium.
8.
9. Jejunium. Schola Sammai & schola Hillel inter se contendere cœperunt. D
10.
11. *Lectiones.*
12. Exod. cap. 35. v. 1. ad cap. 38. v. 21.
Lib. 1. Reg. cap. 7. v. 13. ad v. 26. ejusdem capitis.
13. Festivitas decreta, quia Nicanor in ea interfectus est 2. Mach. cap. 15. v. 37. Genebrardus ibi collocat jejunium Esther. Esth. cap. 4. v. 16.
14. Sortium festum minus. Esth. cap. 9. v. 16.
15. Sortium festum majus. Esth. cap. 9. v. 17. In secundo lib. Mach. cap. ultimo, v. 37. hi dies vocantur Mardochæi.
In Talmude tractatu shekalim hæc leguntur; *decimâ quintâ mensis Adar sedent mensarii in urbibus, & vigesimâ quintâ sedent in templo*; ad exigendum dimidium sicli, quod tributum quisque Judæus templo pendebat.
16.
17. Dedicatio templi Zorobabelis. Facta quidem est hoc mense, ut videre est in Esdra lib. 1. cap. 6. v. 16. sed non definitur quo die.
Lectiones.
18. Exod. cap. 38. v. 21. ad finem libri.
Lib. 1. Reg. cap. 7. v. 50. ad cap. 8. v. 21.
19.
20.

21.
22.
23.
24. *Lectiones.*
25. Levit. cap. 1. v. 1. ad cap. 6. 1.
Isai. cap. 43. v. 21. ad cap. 44. v. 24.
26.
27.
28.
29.
0.

MENSIS ואדר VEADAR, id est, Adar secundus.
Locus Embolismi, sive mensis Embolismæi, nempe qui inserebatur certo anno, ut fieret tredecim mensium lunarium. B

Mensis ניסן Nisan, *olim dictus* אביב Abib, *sive* Avib, *Anni civilis septimus, Ecclesiastici primus, plenus dierum triginta. Cadit in partem Martii & Aprilis.*

1. Neomenia.
Jejunium, quòd eo die mortui sint Aaronis filii. Levit. cap. 10. v. 1.
2. *Lectiones.*
3. Levit. cap. 6. v. 1. ad cap. 9. v. 1.
Jerem. cap. 7. v. 21. ad cap. 8. v. 24.
4. C
5.
6.
7.
8.
9.
10. Jejunium ob mortem Mariæ, & puteum obturatum. Num. cap. 20. v. 1. & cap. 3. v. 4. & cap. 26. v. 21. Eligitur agnus, mactandus die decimâ quartâ.
11. *Lectiones.*
12. Levit. cap. 9. v. 1. ad cap. 12. v. 1.
Lib. 2. Sam. cap. 6. v. 1. ad cap. 7. v. 17.
13.
14. Pascha. Exustio fermenti. Post exactam inquisitionem, comburitur quidquid reperitur panis fermentati. D
15. Azima.
16. Crastinus dies sabbati, sive festi, nempe Paschatis; δευτέρα τοῦ πάσχα, secunda dies post festum Paschatis, in qua offertur Omer, sive manipulus novæ messis hordeaceæ, qui solemni pompâ deferebatur ad templum.
Ab hac die secunda post Pascha numerantur dies Pentecostes, quæ enumeratio fit religiosè singulis diebus per quinquaginta hosce dies.
17.
18. *Lectiones.*
19. Levit. cap. 12. v. 1. ad cap. 14. v. 1.
Lib. 2. Reg. cap. 4. v. 42. ad cap. 5. v. 20. E
20.
21. Solemnitas finis Azimorum.
22.
23.
24.
25.
26. Jejunium. Moritur Josue filius Nun.
27. *Lectiones.*
28. Levit. cap. 14. v. 1. ad cap. 16. v. 1.
Lib. 2. Reg. cap. 7. v. 3. ad finem capitis.
29. Notat Genebrardus hoc mense factam petitio-
30. nem pluviæ, quam *Malkos* appellant, tardam, serotinam, vernam, messi mox futuræ commodissimam. Zach. cap. 10.

A

Mensis אייר Jiar, *anni civilis octavus, Ecclesiastici secundus, cavus viginti novem dierum, cadit in partes Aprilis, & Maii.*

1. Neomenia.
2. *Lectiones.*
3. Levit. cap. 16. v. 1. ad cap. 19. v. 1.
Ezech. cap. 22. v. 1. ad v. 17. ejusdem cap.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10. Jejunium, quòd eo die obierit Heli, captâ fœderis Arcâ. Lib. 1. Reg. cap. 4. v. 18.
11. *Lectiones.*
Levit. cap. 19. v. 1. ad cap. 21. v. 1.
Amos cap. 9. v. 7. ad finem libri, vel Ezech. cap. 20. v. 2. ad v. 21.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18. *Lectiones.*
19. Levit. cap. 21. v. 1. ad cap. 25. v. 1.
Ezech. cap. 4. v. 15. ad finem.
20.
21.
22.
23. Simon Gazam capit. Ex Scaligero.
24.
25. *Lectiones.*
26. Levit. cap. 25. v. 1. ad cap. 26. v. 3.
Jerem. cap. 32. v. 6. ad v. 28.
27.
28. Jejunium. Moritur Samuel Propheta plangitur ab omni populo.
29.
0.

Mensis סיון Sivan, *vel* Sivvan, *anni civilis nonus, Ecclesiastici tertius, plenus dierum triginta. Cadit in partes Maii & Junii.*

1. Neomenia.
2.
Lectiones.
3. Levit. cap. 26. v. 3. ad finem libri.
4. Jerem. cap. 16. v. 19. ad cap. 17. v. 15.
5.
6. Pentecoste, sive festum hebdomadûm, nempe septem completarum hebdomadarum à die secunda post festum Paschatis.
7.
8.
9. *Lectiones.*
10. Num. cap. 1. v. 1. ad cap. 4. v. 21.
Osee cap. 1. v. 10. ad cap. 2. v. 21.
11.
12.
13. Hac die decimâ tertiâ Genebrardus ponit magnam celebritatem; quasi Pentecoste celebrata fuerit per octo dies, quorum ultimus, nempe Asarath, fuerit festum. Fallitur; nam ipsa Pentecoste, sive dies quinquagesima, erat quasi *aatsereth*, hoc est, conclusio Paschatis.
14.
15.

16.
17. *Lectiones.*
18. Num. cap. 4. v. 21. ad cap. 8. v. 1.
Judic. cap. 13. v. 2. ad finem capitis.
19.
20.
21.
22.
23. Jejunium, quòd decem tribus tunc desierint primitias portare Hierosolymam, diebus Jeroboam Nebathi filii. Lib. Reg. 3. cap. 12. v. 17.
24.
25. Jejunium, ob interfectum Magistrum Simeonem Gamalielis filium, & Magistrum Ismaëlem Elisæi filium, & Magistrum Haniam Saggan, sive Sacerdotem secundum.
Lectiones.
26. Num. cap. 8. v. 1. ad cap. 13. v. 1.
Zach. cap. 2. v. 10. ad cap. 4. v. 8.
27. Jejunium. Combustus est Rabbi Haninia filius Tardion unà cum libro legis. Hier. cap. 26. v. 13.
28.
29.
30.

Mensis תמוז Tammuz *vel* Tamuz, *anni civilis decimus, Ecclesiastici quartus, cavus, viginti novem dierum, cadit in partem Junii & Julii.*

1. Neomenia.
2. *Lectiones.*
3. Num. cap. 13. v. 1. ad cap. 16. v. 1.
Josuæ cap. 2. totum.
4.
5.
6.
7.
8.
9. *Lectiones.*
10. Num. cap. 16. v. 1. ad cap. 19. v. 1.
Lib. 1. Sam. cap. 11. v. 14. ad cap. 12. v. 23.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17. Jejunium quarti (mensis) ob tabulas legis fractas. Exod. cap. 23. v. 19. Itcm quia eo die desiit ἐνδελεχισμὸς sacrificium juge, & Epistemon legem combussit, posuitque idolum in templo.
18.
Lectiones.
19. Num. cap. 19. v. 1. ad cap. 22. v. 2.
Judic. cap. 11. ad v. 34.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
Lectiones.
26. Num. cap. 22. v. 2. ad cap. 25. v. 10.
Mich. cap. 5. v. 7. ad cap. 6. v. 9.
27.
28.
Lectiones.
29. Num cap. 25. v. 10. ad cap. 30. v. 2.
30. Lib. 1. Regum cap. 18. v. 46. ad finem capitis.

A

Mensis אב Ab, *vel* Abh, *vel* Af, *anni civilis undecimus, Ecclesiastici quintus, plenus, triginta dierum, cadit in partem Julii & Augusti.*

1. Neomenia. Jejunium, quòd hodie Aaron Pontifex è vita excesserit.
2.
3. *Lectiones.*
Num. cap. 30. v. 2. ad cap. 33. v. 1.
4. Jerem. cap. 1. v. 1. ad cap. 2. v. 4.
5.
6.
7.
B 8.
9. Jejunium quinti (mensis) ob incensam eo die Hierusalem, & templum primò à Chaldæis, secundò à Romanis. Item quòd Mosis principatu decretum à Deo manaverit patres nostros non ingressuros terram promissam.
10.
11.
Lectiones.
12. Num. cap. 33. v. 10. ad finem libri.
Jerem. cap. 2. à v. 4. ad v. 29.
13.
14.
15.
C 16.
17.
18. Jejunium. Extincta est lucerna vespertina diebus Achas Regis. Hanc lucernam vocat occidentalem Genebrardus.
19. *Lectiones.*
20. Deuter. cap. 1. v. 1. ad cap. 3. v. 23.
Isai. cap. 1. v. 1. ad v. 28.
21. Ex Seldeno, in hunc diem incidebat Xylophoria, quâ die portabantur ligna in templum. Aliis placet in sequentem mensem differre hoc festum.
22.
23.
D 24.
25.
26.
27.
28. *Lectiones.*
Deuter. cap. 3. v. 23. ad cap. 7. v. 12.
Isai. cap. 40. v. 1. ad v. 27.
29.
30.

Mensis אלול Elul, *anni civilis duodecimus, Ecclesiastici sextus, cavus, viginti novem dierum. Cadit in partem Augusti & Septembris.*

E 1. Neomenia.
2.
3.
Lectiones.
4. Deuter. cap. 7. v. 12. ad cap. 11. v. 26.
Isai. cap. 49. v. 14. ad cap. 51. v. 4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12. *Lectiones.*
Deuter. cap. 11. v. 26. ad cap. 16. v. 18.
Isai. cap. 54. v. 11. ad cap. 55. v. 4.

13.
14.
15.
16.
17. Jejunium. Moriuntur exploratores, qui diffamaverunt terram, nimirùm promissionis.
18.
19.

Lectiones.

20. Deuter. cap. 16. v. 18. ad cap. 21. v. 10.
Isai. cap. 51. v. 12. ad cap. 52. v. 13.
21.
22. Xylophoria, festum quo portabantur in templum ligna.
23.
24.
25.
26.
27.

Lectiones.

28. Deuter. cap. 21. v. 10. ad cap. 26. v. 1.
Isai. cap. 54. ab initio ad v. 11.
29.
0.

Finis Kalendarii Judaïci.

CAPUT IX.

De festis Judæorum solemnibus. Primùm de Paschate, quo agnus mactabatur: quo ritu, & quo tempore. De comestione ejus cum azimis.

SECTIO I.

Ter unoquoque anno omnes Israëlitæ masculi tenebantur apparere in templo, primùm die Paschatis, quo mactabatur agnus. Cur institutum hocce festum; & undè illi nomen Paschatis? Vaticinium fuit mortis Christi.

RELigio, quam per manum Moysis Deus instituerat, sic addicebatur templo Hierosolymitano, ut extra illud & sine illo prorsus exerceri non posset. Ibi solemniora festa peragenda: eo fine omnes Israëlitæ masculi ter singulis annis debebant venire Hierosolymam, & apparere coram Domino; ut loquitur Scriptura. Exod. 23. 14. *Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis.* Sequenti autem versu additur. *Non apparebis in conspectu meo vacuus;* quod Judæi sic interpretabantur, ut non sufficeret cuique Israëlitæ os in templo ostendisse; sed teneretur offerre sacrificium; quod appellant חגיגה *Chagigah*, id est, sacrificium festi. Hocce nomine tractatus inscriptus est apud Thalmudicos, in quo de triplici itione Hierosolymam agitur, nempe festo Paschatis, Pentecostes, & Tabernaculorum. Et dicebatur illud sacrificium ראיה *Reiah*, id est, *apparitionis, comparitionis:* cùm autem, fieri non posset, ut Judæi omnes, qui remotissimas plagas incolebant, ter singulis annis comparerent Hierosolymis; satis admonebantur adfuturum tempus cùm illud mandatum de triplici ad templum itione; sicut & alia pleraque non observaretur. Deus terrarum Dominus, ubique semper fuit colendus; sed placuit illi donec congruens omnibus terræ accolis cultus institueretur difficilem, qui alterius desiderium excitaret, præcipere. Præceptum ternæ ad templum itionis astringebat omnes Israëlitas. Attamen excipiebantur *mulieres*, ut Maimonides dicit in tractatu Chagiga cap. 2. *ac servi soluti erant apparendi præcepto: viri verò hoc eodem præcepto omnes astricti erant: excipe surdos, mutos, amentes, impuberes, cæcos, claudos, inquinatos, ægrotos, eos qui molles erant, & adeò teneri ut Hierosolymam pedibus ire nequirent.*

Inter tria festa illa solemnia, primum erat Pascha, quod fiebat mactando agnum, vel hœdum. Institutum est, sive mandatum à Deo ut fieret primâ vice cùm statuit educere ex Ægypto filios Israël, & Angelus transivit per omnes domos Ægypti, interficiens primogenitos. Tunc Deus præscripsit tempus, quo agni immolarentur, comedendi nocte proximâ festinanter. Scilicet eâ die Israëlitæ jussi sunt accinctis renibus, cum baculo in manu, & in pede sandaliis, agnum illum Paschalem comedere; quia Ægyptii animadvertentes primogenitos suos interfectos, expulsuri eos erant illicò regione suâ; itaque sine morâ Israëlitæ viam ingredi debebant, ne mutato concilio Ægyptii, quod exitus ostendit, eos retinere vellent. Ergo festinanter comedendum erat Pascha; propterea in azimo pane; quia præ festinatione panes non poterant fermentari. A transitu autem Angeli, qui primogenitos interfecit, festum dictum *Pascha*, à verbo פסח *pasach*, id est, *transivit:* indè *Pesach* transitus. Chaldæi scribunt פסחא *pascha*. Sic nomen hujus festi efferebatur Christi tempore. Similiter Græci Interpretes scribunt πάσχα: undè quidam opinati sunt πάσχα derivandum à πάσχω *interficio;* in quo turpiter errant. Persæpè Græci scribunt φασὲκ, unde nomen *phase*, quod & occurrit in Latina versione. Quæ in hocce primo Paschate facta sunt, postea facienda præscripsit Deus. Cœnandum erat Israëlitis, priusquàm noctu viæ se committerent; & signo aliquo, quod fuit sanguis irroratus postibus eorum, debebant postes eorum distingui, ut eos servaret Angelus, sæviens in Ægyptios. Quod, inquam, tunc factum est, postea lex fuit festi peragendi. Mandatum de Paschate celebrando continetur in capite 12. Exodi.

1. *Dixit quoque Dominus ad Moysen & Aaron in terra Ægypti.*

2. *Mensis iste, vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni.*

Mensis iste; qui currit eâ horâ; quâ ego Deus vos alloquor, erit vobis primus mensium in posterum. Sermo enim ille Dei indicat aliud antea fuisse anni initium. De illo duplici anni initio suprà locuti sumus. Quo mensis die hæc Deus dixerit, definire non possumus; certè dies decima nondum advenerat, ut liquet ex iis quæ subduntur. Rabbini dicunt Deum vesperè, cùm tenebræ inciperent; digito in lunam, quæ tunc renovaretur, convertisse oculos Moysis; & Aaronis, & præcipisse illis ut qui nunc inciperet mensis, sive luna, haberetur pro prima luna, sive pro primo mense.

3. *Loquimini ad universum cœtum filiorum Israël; & dicetis eis: Decimâ die mensis hujus, tollat unusquisque agnum per familias & domos suas.*

Ad omnium Israëlitarum aures perveniat illud mandatum; ut decimâ die hujus mensis, qui dictus est primus, unusquisque tollat, id est, seponat שה *sche*. Nomen illud significat fœtum tum ovis, tum capræ. Mandatum de Paschate poterat impleri tum in agno, tum in hœdo. Cùm Israëlitarum numerus magnus esset, agni aut hœdi à decima die investigandi erant, & parandi in decimum quartum diem, quo mactandos postea præcipit Deus. Pro familiis & domibus, in fonte *pro domo patrum*, id est, in singulas familias assumendus est agnus vel hœdus. Israëlitæ divisi erant in tribus, tribus in familias, familiæ in domos. Ibi domus patrum, in-

telligenda famili•, nempe pater & mater cum natis.

4. *Sin autem minor est numerus ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum, qui junctus est domui suæ, juxta numerum animarum, quæ sufficere possunt ad esum agni.*

Componendum erat sodalitium, à quo sine ullis reliquiis unus agnus comedi posset; de quo sodalitio postea uberiùs.

5. *Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus: juxta quem ritum tolletis & hœdum.*

Versus ille definit quid sit שה *sche*; dicitur enim in fonte: *erit autem* sche, id est, *pecus integra, mascula, filia anni erit vobis: de agnis & hœdis accipietis.* Ita illud *sche* agnus erat vel hœdus, *filius anni*, id est, qui nondum annum superaverat, quo tempore agnus aut hœdus dici potest. Spencerus & alii, qui satagunt mentem avocare à Christo, ne advertatur ad illum dirigi omnes ritus Mosaïcos, suadere conantur Pascha, sive mactandi agni vel hœdi præceptum datum fuisse ad extirpationem Ægyptiacæ superstitionis. Colebant quidem Ægyptii agnos, arietes. Verùm, ut videbimus, Pascha erat vaticinium mortis Christi; quam ritus omnes Paschatis prænuntiabant. Ideò agnus eligendus erat immaculatus, patiens injuriæ, qui adumbraret Christi mansuetudinem.

6. *Et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus: immolabitque eum universa multitudo filiorum Israël ad vesperam.*

De die & hora mactandi Paschatis differemus; simul & de ritu, quo ab omnibus Israëlitis congregatis mactabatur agnus.

7. *Et sument de sanguine ejus, ac ponent super utrumque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum.*

In libris de Paschate postremo Christi, dixi, conjectando per illas trium dierum tenebras, quibus involuti sunt Ægyptii, Israëlitas apud quos clara dies luceret, rebus suis convasatis, congregatos fuisse in uno loco; ubi Pascha mactaverunt, & post ejus esum profecti sunt ex Ægypto. Hujus agni sanguinem, ut evincemus, exceperunt pelvi, & detulerunt domum, nempe ad tabernaculum suum, eo sanguine respersuri locum habitationis suæ.

8. *Et edent carnes nocte illâ assas agni, & azimos panes, cum lactucis agrestibus.*

Omnia fieri debebant festinanter, imminente nocte, quâ arripiendum iter. Idcircò non expectandum erat, dum fermentarentur panes, coquendi in cœnam illam. Sermo de azimis panibus proprium articulum sibi vindicat.

9. *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aquâ, sed tantùm assum igni: caput cum pedibus ejus, & intestinis vorabitis.*

10. *Nec remanebit quidquam ex eo usque mane, si quid residuum fuerit, igne comburetis.*

11. *Sic autem comedetis illum: renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter, est enim Phase, (id est transitus) Domini.*

Hæc spectant unicum Pascha, quod in Ægypto celebratum est eâ horâ, quâ profecturi erant. Tunc requirebatur habitus idoneus itineri carpendo. Vestes Orientalium longiores sunt; ideò in itinere succingendæ, quod fit è regione lumborum. Ægyptii & alii populi discalceati incedebant, nisi dum peregrinabantur; ita ad habitum peregrinantium pertinent calceamenta in pedibus, sicut baculus in manu, quo in locis lubricis firmentur vestigia. Comederunt Israëlitæ primum illud Pascha, magnâ cum festinatione, dum scilicet transiret Angelus Dei per ædes Ægyptiacas, interficiens primogenitos; quæ res effecit ut ipsi Ægyptii expulerint Israëlitas quod Deus dicit.

12. *Et transibo per terram Ægypti nocte illâ, percutiamque omne primogenitum in terra Ægypti ab homine usque ad pecus, & in cunctis Diis Ægypti faciam judicia, ego Dominus.*

Per illos Deos intelligendi sunt magnates; quorum primogeniti cùm interficerentur, reveriti adhuc grandius malum, coëgerunt Israëlitas abire; horum enim Deum agnovere suis idolis potentiorem.

13. *Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus in quibus eritis: & videbo sanguinem, & transibo vos: nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti.*

Præscripserat Deus superliminaria ædium illinenda esse sanguine agni Paschalis, qui typus fuit sanguinis Christi, quo irrorati non perimus.

14. *Habebitis autem hanc diem in monumentum; & celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris, in cultu sempiterno.*

Scilicet in memoriam hujus transitûs, qui lethalis fuit Ægyptiis, & vobis lætus, quotannis celebrabitis festum diem, qui ab hoc transitu appellabitur Pascha. Per Paschatis autem dies vult Deus ut Israëlitæ vescantur azimis panibus; de quibus cùm peculiari articulo acturi simus, quæ sequuntur in sacro codice usque ad versum vigesimum primum, hîc prætermittam.

21. *Vocavit autem Moyses omnes seniores filiorum Israël, & dixit ad eos: ite tollentes animal per familias vestras & immolate phase.*

Facessite mandatum, quod nomine Dei vobis significavi de pecude mactandâ.

22. *Fasciculumque hyssopi tingite in sanguine, qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare & utrumque postem: nullus vestrum egrediatur ostium domûs suæ usque mane.*

Sumite aspergillum ex ramusculis hyssopi, & tingite illud *in sanguine qui est in limine.* Quomodo sanguis sumebatur de limine, in quo nondum erat? In fonte בסף *basaph.* Nomen סף *saph* ambiguum est; significat enim *limen* simul & *pelvim.* Verisimilius est sanguinem pecudis Paschalis exceptum pelvi; & ideò facilè in eo intinctum aspergillum; nec credere cogimur agnum Paschalem mactatum fuisse in limine cujusque domûs, sive tabernaculi; sed in publico loco, ex quo in pelvi delatus est sanguis, ad intingendos postes cujusque domûs.

23. *Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios: cùmque viderit sanguinem in superliminari, & in utroque poste, transcendet ostium domûs, & non sinet percussorem ingredi domos vestras & lædere.*

Parcet Angelus percussor iis, quorum viderit ædes sanguine illitas. Reliquum caput narrat quid reipsâ contigerit, & quomodo Ægyptii coegerint Israëlitas quàm celerrimè abire. Quæ pertinent ad ritus Paschales prosequemur sequentibus articulis.

SECTIO II.

De tempore quo Deus præceperat Pascha esse celebrandam, videlicet quo mense, quo die, quâ horâ Paschalis agnus mactabatur.

TEmpus & locus mortis Christi demonstrant eam fuisse prænuntiatam ipsâ Paschatis solemnitate; sive tempus & locum mactationis Paschalium agnorum indicasse ubi Christus esset occidendus & quando. Quod priusquàm suscipiamus demonstrandum, decet animadvertere eâ ætate, quâ passus

passus est Christus, Judæos observasse ritus Paschatis in lege præscriptos. Israëlitæ sine calculis subtilibus deprehendebant tempora solemnitatum suarum solâ visione lunæ, ut diximus, & observatione figurarum ejus, quæ oculis conspicuæ sunt: quod etiam possunt plebeii homines. Itaque etiam si constaret Judæos sideralis scientiæ non usque peritos fuisse, non indè sequeretur eos ignorasse lunæ tempora, quæ sensibus advertebant.

Attamen sunt qui contendant quandoque à synedrio malè indictas neomenias; à quibus cùm alia festa Judæorum penderent, fieri potuisse ut quandoque non in suos dies legitimos illa inciderint. » Cùm totum hoc negotium, loquitur Petavius, » perperam à stolidissimis magistratibus, & contra » majorum ritus administraretur, grassante super» stitione, corruptissimisque temporibus, verisimi» le est aliquos repertos, qui hanc ceremoniarum, » rituumque perturbationem, quatenus in ipsis erat, » emendare studerent, & quæ privatim obire pote» rant, sacra legitimis temporibus perficerent. Cu» jus modi Paschalis agni cœna fuit, quam anno pas» sionis suæ Christus cum Apostolis suis, atque aliis » etiam fortasse Judæis, pridie quàm cæteri præpo» sterè id facerent, usurpare maluit. Hæc quæ dicit Petavius, ab omni parte adversantur veritati. Etenim cùm rustici ex aspectu lunæ, initio ejus mensis, rectè statuant de noctu ejus plenilunii, cur id non potuissent viri docti? Nec causa apparet, quâ Magistratus abducerent populos à religiosâ consuetudine observandi tempora festorum. Denique fieri non poterat ut privati alio die quàm cum tota Israëlis congregatione Pascha facerent, ut infrà evincetur. Quod addit Petavius, non mirum esse si uno & altero die aberraverint Judæi à legitimo die Paschatis, cùm sæpiùs id contigerit Christianis. Hæc, inquam, nullius sunt momenti; vidimus enim hujus erroris causam fuisse cyclos, qui motus medios lunæ exprimunt, & idcircò non respondent veris. Judæi autem non in plures annos, sed singulis mensibus ordinabant ex visione lunæ tempora festivitatum. Qui negant hosce fuisse diligentes in observandis illis temporibus, & ætate Christi Domini Pascha non celebrasse legitimo die, veritatem subvertunt. Quomodo enim constabit Pascha typum fuisse Christi habitâ ratione temporis & loci, sicut & cæterarum rerum, nisi ille passus sit eâ horâ, quâ secundùm legem fiebat agnorum Paschalium occisio? Sed expendere decet quis sit ille dies, quæ hora hujus legitimæ occisionis.

Tunc primùm Pascha institutum & celebratum est, quando Israëlitis exeundum fuit ex Ægypto. Profecti sunt nocte, postquam agnos Paschales comederunt. Ergo, ne in ista profectione perturbarentur, egebant luce; quæ magna fuit. Pascha enim celebraverunt, ut præceperat Deus, die decimâ quartâ ad vesperam, ut modò dicemus; ita incipiente decimâ quintâ die agnum comederunt, nempe nocte quæ medium est mensis, & ideò luna, medio suo cursu confecto, soli opponitur, & fit plenilunium. Quod de neomeniis diximus, plenilunio accidit, ut iisdem diebus mensis & horis non fiat. Plenilunium verum illud est, cùm luna solem è diametro respicit; quod cùm contingit eo tempore, quo sol occidit, tunc necesse est ut oriatur luna pleno lumine, quoniam opposita est soli totâ mediâ parte cœli. Quando vera conjunctio fit ipso initio mensis synodici, plena est luna post quatuordecim dies & horas sex cum aliquibus minutis, ut liquet; ita plenilunium accidit decimo quinto die mensis. Verùm non iisdem temporum momentis conjunctiones fiunt singulis mensibus. Cura erat synedrii, ut sic curtarentur menses aut diebus augerentur, ut nocte, in quam incurreret dies decimus quintus mensis, luna plenior videretur; sive verum plenilunium minùs distaret à nocte, quâ agnus Paschalis comederetur. Cura, inquam, synedrii erat ut cum ætate lunæ convenirent dies mensis; nempe initio contingerent novilunia, in medio plenilunia & in fine jam ad solem luna reversa esset. His animadversis singula verba sacri codicis de tempore Paschatis celebrandi expendamus.

In Exodi capite duodecimo dies quatuordecimus celebrandi Paschatis præscribitur. Decimâ die primi mensis agnus fuit servandus usque ad decimam quartam diem.

6. *Et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus: immolabitque eum universa multitudo filiorum Israël ad vesperam.*

Hæc lex pariter declaratur in capite 21. Levitici.

5. *Mense primo, quartâ decimâ die mensis, ad vesperam phase Domini est.*

Ita & in Numeris cap. 9.

4. *Præcepitque Moyses filiis Israël ut facerent phase.*

5. *Qui fecerunt tempore suo: quartâ decimâ die mensis ad vesperam.* Et in capite 18.

16. *Mense autem primo, quartâ decimâ die mensis, phase Domini erit.*

In libro Josue capite 5. Israëlitæ in Galgala.

10..... *fecerunt phase, quartâ decimâ die mensis ad vesperam in campestribus Jericho.*

11. *Et comederunt de frugibus terræ die altero.*

Hæc indicant Pascha incidisse in mensem, quo aperta terra dabat fruges. A decima quarta die non multùm distabat luna plenior. Itaque, ut suprà declaratum est, primus mensis in rebus religionis habitus est, cujus plenilunium proximè sequeretur æquinoctium, nempe cùm incipit vernum tempus; quod gratissimum est, & itineri carpendo idoneum. Itaque mensis Paschalis, dictus Nisan, fuit ille, cujus decima quarta dies accideret, postquàm sol in signum arietis ingressus fuerat, sive pervenerat ad illud cœli punctum, per quod transit circulus æquator, sive æquinoctialis; in quo dum sol versatur, dies & nox pares sunt.

Dies Paschalis erat decima quarta. Hora ejus notatur in locis allegatis, vespera hujus diei: *quartâ decimâ mensis ad vesperam.* Vespera illa necessariò intelligenda est de fine diei decimæ quartæ. Etenim comedenda erat victima Paschalis nocte diei decimæ quintæ; & nihil de illa reservandum in diem sequentem. Itaque statim post occisionem agnum comestum fuisse verisimilius est; imò verius, nam id clarè adstruit Moyses in Deuteronomio capite 16.

6..... *Immolabis phase vesperè ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto.*

Dies Hebræorum incipiebant & finiebantur cum sole occidente; ita ea hora diei decimæ quartæ, quæ præcedebat occasum solis, erat hujus diei finis; in Vulgata versione *ad vesperam;* in fonte autem בין הערבים *Ben haharbaim*, id est, *inter vesperas.* Apud Hebræos ערב *hereb* vespera est, in duali *harbaim vespera.* Fons ergo reddi posset, *inter duas vesperas.* Quid sit illud duplex vespertinum tempus, exponit Kimchi in libro Radicum, referente Buxtorfio *A tempore inclinationis solis ad Occidentem, quod est à sextâ horâ & ulteriùs usque ad noctem. Dicit autem* ערבים, *quod notat duas vesperas. Nam à tempore, quando sol incipit declinare, ea est vespera una: post occasum solis, est vespera altera. Inter hoc tempus est illud, de quo dicitur* בין הערבים *Ben haharbaim.* Sexta hora, ibi est me-

ridies; diem enim, sive tempus per quod sol lucet, A dividebant Judæi in duodecim horas; quarum sexta est medium diei, sive meridies. Philo horam mactandi agni Paschalis dicit fuisse post-meridianam. Pariter Josephus in Bello Judaïco lib. 7. cap. 17. loquitur de Paschate θύουσι ἀπὸ ἐννάτης ὥρας μέχρι ἑνδεκάτης. *immolant ab hora nona usque ad undecimam.* Moyses videtur non intra tantas temporis angustias coarctasse tempus immolationis Paschalis. Attamen quando Christus passus est, id moris fuisse docet locus iste Josephi, tum & traditio Judaica, quam Misna explicat cap. 5. » Sacrificium juge mactabatur horâ octavâ & mediâ, & offerebatur nonâ & » mediâ, at vesperâ sabbati mactabatur septimâ & » mediâ, ac offerebatur octavâ & mediâ, tam die » profesto, quàm die sabbati. Si vespera Paschatis » incideret in sabbatum, mactabatur sextâ & me- » diâ, & offerebatur septimâ & mediâ; & deinde » Pascha. Indè liquet juxta Misnam mactatum agnum fuisse circa illam horam, quam dicit Josephus. Audiendus Maimonides, lucidus Interpres traditionum Judaïcarum. Sic ille loquitur in suo *Corban pesach*, sive in tractatu suo de Sacrificio Paschatis, capite primo » Victima Paschalis post meridiem » cædenda fuit; quæ si cæderetur ante meridiem, » temeraretur. Etenim post factum juge sacrificium » vespertinum, post vespertinam suffitionem, & post » accensas & concinnatas candelabri lucernas, de- » mùm incipiebat agnorum Paschalium jugulatio, » & continenter fiebat per totum reliqui diei spa- » tium. De hocce tempore, quo agni Paschales mactabantur, non indiligenter disserui. Ita sufficiat hîc iterare, quod fusiùs declaravi, Jesum Christum in cruce extremum spiritum duxisse eâ horâ, quâ victimæ Paschales cædebantur. Nam post sextam horam morte damnatus est, cùm Judæi pararent se Paschati; ideò noluerunt introire in Prætorium Pilati, viri Gentilis, *ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*, ut dicit B. Joannes 18. 28. & postea 19. 14. *Erat autem parasceve Paschæ.*, videlicet præparatio celebrandi Paschatis, *hora quasi sexta*, inde Jesus Christus est eductus ex urbe ut affigeretur cruci, in qua mortuus est horâ nonâ, ut dicit Matthæus 27. 46. *Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magnâ; dicens, Eli, Eli, lamma-sabacthani, &c.* & 50. *Jesus autem iterùm clamans voce magnâ, emisit spiritum.* Sic mortuus est horâ ipsâ immolationis Paschalis; ipse verum Pascha, cujus Judaïcum erat typus.

SECTIO III.

Pascha non immolabatur nisi purgatis ab omni fermento ædibus. Quando fiebat illa purgatio, & quot diebus tenerentur Judæi azymis panibus vesci.

IN profectione Israëlitarum ex Ægypto, omnia, ut diximus, debebant fieri festinanter. Dum farina subigitur, eique admiscetur fermentum, illa non statim acessit, aut fervet. Accelerata profectio non patiebatur hanc moram; idcircò jussi sunt panes absque fermento coquere, quibus in postremâ suâ cœnâ in Ægypto vescerentur, & sequentibus diebus. Hos ritus de pane azymo satis luculenter Moyses declaravit; plura autem addunt Rabbinicæ traditiones. Panis quidem absque fermento non ita sapidus est: attamen non omninò valetudini adversatur; imò Celsus lib. 2. cap. 24. illum recenset inter res stomacho idoneas; & cap. 30. inter res quæ alvum astringant. Non autem valetudini Israëlitarum his azymis consulebat Deus; sed quia festinatio, quâ omnia in primo Paschate fiebant, adumbrabat celeritatem, quâ Dominus captus, vinctus, deductus est ad diversa tribunalia, ad Annam, ab Anna ad Caïpham, à Caïpha ad synedrium, cujus sedes erat in templo, à templo ad Pilatum, à Pilato ad Herodem, & ab Herode iterùm ad Pilatum. Denique flagellatus, spretus, illusus, ductus in Calvariæ locum, ubi cruci affixus expiravit. Hæc omnia intra tam breve tempus transacta miramur. Præterea, ut non semel admonet Paulus, azymi indicabant futuram illam novitatem vitæ, quam intulit Christus; quæ vita ita nova esse debet, ut nihil habeat de pristinis moribus; sicut panis azymus omninò novus est: fermentatus enim particeps est B veteris massæ farinaceæ, quæ acida facta est.

Mandatum de panibus azymis occurrit eodem loco, in quo præcipitur mactatio Paschalis, in capite 12. Exodi.

15. *Septem diebus azyma comedetis: in die primo erit fermentum in domibus vestris: quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israël, à primo die ad diem septimum.*

Festa solemnia per septem dies celebrabantur, hoc est, per integram hebdomadem. Toto septem dierum Paschalium intervallo præcepit Deus ut Israëlitæ non vescantur nisi azymis panibus; die autem primo jam remotum esse oportuit fermentum à domibus; sic præcipit Deus, *verumtamen ipso die primo jam cessare facietis fermentum è domibus ves-* C *tris*, ut loquitur fons. תשביתו *thasch bithou*, id est, *facietis cessare*. Græci ἀφανιεῖτε, id est, facite ut non appareat. Ideò, ut postea comprobaturi sumus, initio diei decimæ quartæ sedulâ curâ omne fermentum quærebant, posterâ luce comburendum. Deus mortem intentat his qui comederint fermentatum: pro Israëlita non habebitur, delebitur ex catalogo Israëlitarum, quia morte peribit immaturâ.

16. *Dies prima erit sancta atque solemnis, & dies septima eâdem festivitate venerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent.*

Dies prima & septima sanctior erit. In fonte D מקרא קדש *mikra Kodesch*, id est, *convocatio sancta*, ἱερὰ πανήγυρις, festus populi conventus. Omnes enim populi diebus festis ad templum concurrebant. *Nihil operis facietis in eis.* Nempe claudendæ tabernæ, omne opus rusticum omittendum; sed victus parari poterit, quod die sabbati non licebat. In Misna, dies intermedii inter primum & septimum appellantur *festum minus*, per quod quædam licebant, quæ primo & septimo prohibebantur. Illud mandatum, *nihil operis facietis in eis*, de sola prima & septima die intelligi potest; nam id tantùm præcepit Deus in Levitico cap. 23.

7. *Dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque, omne opus servile non facietis in eo.... Dies autem septimus erit celebrior & sanctior: nullumque* E *opus facietis in eo.*

Hoc & adstruitur in Numeris cap. 27. 16. Revertamur ad Exodum.

17. *Et observabitis azyma: in eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de terra Ægypti, & custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo.*

Samaritanus textus pro מצות *matsoth azyma*, habet המצוה *hammitsuah*, id est, mandatum, quod secuti sunt Græci τὴν ἐντολὴν ταύτην, hoc est, *præceptum illud*, quod vobis do de azymis, quia sic renovabitis memoriam liberationis vestræ; quia hac ipsâ die quâ incipietis vesci azymis, educam exercitum vestrum ex Ægypto. Nempe vos omnes,

agmina vestra turmatim exibitis; idcirco tanti beneficii memores servabitis illud præceptum. Lectio Samaritici codicis videtur antiquior.

18. *Primo mense, quartâ decimâ die mensis ad vesperam, comedetis azyma, usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam.*

Mactatus agnus horis pomeridianis, ut dictum est, comedebatur ad vesperam; prohibuit autem Deus infrà ne mactaretur, dum esset fermentum in ædibus; ita cùm dies decima quarta pertineret ad azyma, dies octo azymorum meritò numerantur.

19. *Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris: qui comederit fermentum, peribit anima ejus de cœtu Israel, tam de advenis, quàm de indigenis terræ.*

Exterminabitis omne fermentum, ne si quidpiam fermenti occurreret, aliquis imprudens eo vesceretur. Utrumque pariter prohibebat Deus ne quis comederet fermentum, aut reservaret; ideò magnam diligentiam adhibebant Judæi in quærendo & amovendo omni fermento. Lex de azymis spectabat tam advenas quàm indigenas. Advenæ aut sunt servi, sive domi ex servo Hebræo nati sint, sive ex aliis servis, aut pretio comparati. Inquilini, etiam liberi, qui circumcisionem susceperant, hac lege tenebantur.

20. *Omne fermentatum non comedetis: in cunctis habitaculis vestris edetis azyma.*

Quo Israëlitæ se astrictos lege azymorum meliùs scirent, hanc iterat Moyses. Quod autem infrà subjicitur in eodem capite, pertinet ad azymorum continuationem, tum ex lege Dei, tum ex necessitate; cùm enim profecti sunt Israëlitæ, compellentibus Ægyptiis, secum quidem tulerunt farinam conspersam בצקו *Betseko*, id est, *massam farinaceam suam*, quam non coxerunt, nisi cùm in Socoth pervenerunt.

39. *Coxeruntque farinam, quam dudum de Ægypto conspersam tulerant, & fecerunt subcinericios panes azymos: neque enim poterant fermentari, cogentibus extrà Ægyptiis & nullam facere sinentibus moram: nec pulmenti quicquam occurrerat præparare.*

Ibi ergo adhuc comederunt panes azymos. Nullam enim aliam escam habuêre Israëlitæ, nisi panes quos sub cinere coxerunt celeriter. In ejus rei memoriam præcepit Deus esum azymorum per multos dies. Quàm solliciti essent Judæi in inquirendo & abolendo omni fermento, dicam verbis Maimonidis qui tractatum de hac re edidit, quem Latinè Ludovicus de Compiegne interpretatus est, & inscripsit *de solemnitate Paschatis*. cap. I. » Nefas est, ait Maimonides, panem fermentatum comesse die quartâ decimâ Nisan, indè à meridie, id est, ab ineunte horâ ejus diei septima: atque hominem id temporis pane fermentato vescentem verberibus coercet ipsa lex. Deuteron. cap. 16. v. 3. non comedes super eo (*nimirùm agno Paschali*) panem fermentatum. Quod per traditionem hoc explicatur modo; non comedes panem fermentatum ex ea hora, quæ sit ad agni Paschalis, qui serotino crepusculo assolet fieri, immolationem, interdiu idonea, hoc est, ex hora meridiana. Verùm sapientes interdixerunt etiam, ne quisquam panem fermentatum edat ab ineunte hora ejus die sexta; ut ne eveniat ut violetur id, quod lege sit interdictum. Itaque panis fermentatus ab ineunte hora sexta, ex sapientum decreto erit nefas & esu & quolibet usu ad extremum horæ sextæ: ab hora autem septima per reliquum diei spatium ex lege interdictus est. Nec quintâ quidem ejus diei horâ pane fermentato vesci licet, propterea quòd, nebuloso die, facilè cum hora quinta confunderetur sexta. «

Diximus duo esse Dei mandata circa fermentatos panes. Præcipit primò ne quis iis utatur per Paschatis dies, secundò ne appareant in ædibus. Mira solertiâ & diligentiâ exterminabant omne fermentum jam ab initio diei decimæ quartæ, nempe postquàm sol occiderat, die decimâ tertiâ. Loquitur Maimonides dicti tractatûs capite I. « Vel ante horam eam, quâ ne comedatur panis fermentatus interdictum est, eumdem panem fermentatum desieri lege præscribitur. Namque in ea dictum est. Exod. cap. 12. 15. *In die primo non erit fermentum in domibus vestris.* Dies ille primus traditur esse decimus quartus Nisan, cui rei argumento est id, quod in lege scriptum est, « Exod. 34. 25. *Non immolabis super fermento sanguinem hostiæ meæ.* Id est, non immolabis agnum Paschalem, dum aliquid panis fermentati superfit: immolatio autem agni Paschalis fit quartâ decimâ Nisan à meridie. Subjungit Maimonides quæ inquisitionem fermenti spectant. Atqui sapientes, inquit, sanxerunt ut quisque perquireret panem fermentatum in locis reconditis, atque foraminibus, & pervestigatum penitùs efferret à se: iidem sanxerunt etiam ut indè ab ineunte nocte, quam consequitur dies quartus decimus Nisan, lucernâ conquireretur ad destruendum panis fermentatus, cùm quia noctu suæ quisque domi est, tum quia ad perquisitionem lucerna maximè est idonea. Itaque ad extremum diei decimi & tertii Nisan, nullæ habentur scholæ; nec doctorum ullus legere quidquam cœpit, ne fortè legendo protrahatur, atque adeo a matura & tempestiva panis fermentati perquisitione deterreatur. «

Convenit inter omnes Judæos nunc & olim in fine diei decimæ tertiæ, initio decimæ quartæ, cœptam inquisitionem fermenti; quapropter cum illa dies occuparetur circa fermentum quærendum, & abolendum, & hac ipsâ die Judæi panibus azymis vescerentur à sexta hora, meritò ille dies accensetur septem aliis azymorum diebus, qui ideo octo poterant numerari Tot numerat Josephus in libro secundo Antiquitatum, in fine capitis quinti, ubi narrat quomodo Israëlitæ egressi Ægypto & solitudinem ingressi, dum nulla illis esca occurreret, præter farinam, quam secum detulerant; quâ macerata, sive conspersâ, & modico calore in panis speciem solidatâ sustentabant se, tali victu per dies triginta usi sunt; neque enim plus commeatûs ex Ægypto extulerant, atque eum ipsum parcè dispensabant ad necessitatem magis quàm ad satietatem. In memoriam hujus inopiæ, inquit Josephus, festos octo dies agimus, quos vocamus azymorum ὅθεν εἰς μνήμην τῆς τότε ἐνδείας ἑορτὴν ἄγομεν ἐφ' ἡμέρας ὀκτὼ, τὴν τῶν ἀζύμων λεγομένην. Meritò panis ille dicitur a Josepho ἐνδείας afflictionis; sicut in Deuteronomio 16. 3 *Septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem, quoniam in pavore egressus es de Ægypto.*

Id quod adstruimus diem decimum quartum mensis Nisan numeratum inter dies azymos, & horum fuisse primum, evincam Evangelistarum verbis. Matthæus cap. 26. v. 17. *Primâ autem die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Hæc dicebant die Jovis. Marcus enim cap. 14. v. 12. *Et primâ die azymorum, quando Pascha immolabant.* Similiter Lucas cap. 22 v. 7. *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha.* Ut vidimus, Pascha immolabatur decimâ quartâ die; quæ ergo dies nomine azimorum designatur ab Evangelistis. Quæ verò magna azymorum dies reputabatur, non incipiebat nisi finiente quartâ decimâ die, oriente de-

cimâ quintâ, & continuabatur feſtum per ſeptem A alios dies; de quibus interpretandum quod dicit Dominus in Exodo 23.

15. *Solemnitatem azymorum cuſtodies: ſeptem diebus comedes azyma, ſicut præcepi tibi, tempore menſis novorum, quando egreſſus es de Ægypto.*

Hocce mandatum iiſdem ferè verbis Deus iterat cap. 34.

18. *Solemnitatem azymorum cuſtodies: ſeptem diebus veſcêris azymis, ſicut præcepi tibi in tempore meſſis novorum: menſe enim verni temporis egreſſus es de Ægypto.*

Fons non exprimit vernum tempus, niſi nominando menſem *Abib*, vel *Avif*, quo terra ſe aperit; quod vix contingit antequàm ſol ad nos revertatur, ſecans æquatorem, ubi eſt initium vernæ B tempeſtatis. Indicat Scriptura per dies ſeptem comeſtos panes azymos; tunc enim his uti neceſſe erat, cùm agnus Paſchalis comedebatur initio diei decimæ quintæ. Igitur ultra ſeptem dies, per quos comedebantur azyma, alius adnumerandus dies azymorum, nempe decimus quartus, quo purgabantur ab omni fermento ædes. Jeſus Chriſtus paſſus eſt die Veneris ipſo feſto Paſchatis; ergo decimâ quartâ die: dies autem ſubſequens erat magna dies, ut loquitur Joannes cap. 19. v. 31. *erat enim magnus ille dies ſabbati.*

SECTIO IV.

Immolabatur Paſcha in templo ab omni cœtu Iſraëlitarum intra aliquot horas. Quomodo id fieri potuerit.

C

EXpurgato omni fermento & deleto, tunc Judæi aſcendebant in templum ad horam, quâ vidimus Paſcha eſſe mactandum. Locum immolationis ſicut & tempus definivit Deus, compellans Moyſen in Deuteronomio 16.

1. *Obſerva menſem novarum frugum, & verni primùm temporis, ut facias Phaſe Domino Deo tuo, quoniam in iſto menſe eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte.*

Menſe אביב *Avif*; quem Latinus Interpres re- D fert ad vernum tempus.

2. *Immolabiſque Phaſe Domino Deo tuo de ovibus & de bobus, in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi.*

Ubique Paſcha nominatur ſacrificium; ſacrificia autem, ut vidimus, non erant offerenda niſi ad altare quod ſtatuiſſet Dominus. Eo tempore quo Deus alloquebatur Iſraëlitas, nondum fixus locus, ubi altare locandum; nondum electa urbs, in qua excitaretur templum Dei: idcirco paulo poſt adjicit Dominus.

5. *Non poteris immolare in qualibet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus eſt tibi.*

6. *Sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi, immolabis Phaſe veſpe-* E *rè ad ſolis occaſum, quando egreſſus es de Ægypto.*

7. *Et coques & comedes in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, maneque conſurgens vades in tabernacula tua.*

Mactabatur agnus Paſchalis intra ipſum templum, nempe poſtquàm ædificatum eſt, ſed comedebatur extra templi parietes, ſed non extra urbem electam. Omnes ab omni plaga Iſraëlitæ debebant convenire ad Paſchatis celebrationem, quâ peractâ, licebat cuique reverti ad tabernacula ſua, ſive domum repetere. Præceperat Deus in Exodo c. 12. loquens de agno Paſchali v. 6. *Immolabitque eum univerſa multitudo filiorum Iſraël ad veſperam.* De loco occiſionis agnorum Paſchalium deprælıati ſumus non ſemel cum viris doctis; qui hoc potiſſimùm argumento nos impetebant, quòd tam brevi tempore in loco anguſto tot agni mactari non potuerint. Nunc in ipſo, ut ita dicam, templo oculis rem ſubjicere poſſumus, & evincere aream templi tot victimarum capacem fuiſſe; ſed priùs præmittendus modus, quo hæc omnia fiebant, juxta vetuſtas traditiones, quæ leguntur in Miſna in tractatu *Peſachim*, ſive de Paſchate; & in *Corban Peſach* Maimonidis, ſive de ſacrificio Paſchatis.

Ubi de ſacrificiis diſſeruimus, occiſionem victimæ vidimus fieri potuiſſe à quocumque Iſraëlita. Munus Sacerdotale erat victimæ ſanguinem excipere, deferre, & ad altaris pedem effundere. Igitur Paſchale ſacrificium, ſicut aliud quodcumque, poterat fieri à viro quolibet Iſraëlita, modò ſanguis victimæ ad pedem altaris deferretur & effunderetur à Sacerdote. Occiſio autem ejus in omnibus atriis, tum Sacerdotum, tum Iſraëlitarum licitè fiebat; ut nos docet Maimonides in tractatu *Maaſe ha corbanot*, ſive de ratione ſacrificiorum faciendorum. cap. 5. « Expoſuimus ſuperiùs victimarum jugulationem « ritè fieri etiam per homines alienos, nempe qui « non ſunt ex tribu Levitica. Sacerdotis autem eſſe « officium ſanguinem earum excipere, & cætera « porro munia obire. Cunctarum igitur victimarum ſanguis excipiebatur manu Sacerdotis in vas « ſacrum. Locus autem jugulandi & ſanguinis excipiendi non erat idem in omnibus. Victimarum enim ſanctiorum jugulatio, item & ſanguinis illarum receptio fiebat tantùm ad latus altaris aquilonare, in toto illo ſpatio, quod principio hujus « libri definivimus. Victimarum autem minùs ſanctarum jugulationem, ſanguiniſque receptionem « per totum atrium fieri licebat. «

Hæc Maimonides dixit juxta doctrinam Miſnicam; nam in Miſna, in tractatu de ſacrificiis, capite quinto, hæc legimus: « ſacrificiorum pacificorum, quæ ſunt ſancta levia, mactatio in quolibet « atrii עזרה *azara* loco ſolet fieri, & ſanguis eorum « ſpargi debet duabus aſperſionibus, quæ ſint inſtar « quatuor. Et paulò poſt: Primogeniti decimarum, Paſchatis, quæ ſunt ſancta levia, mactatio « ubique in atrio עזרה *azara* fit, & ſanguis eorum « ſpargi debet, modo ſparſerit versùs fundamentum. « Vidimus nomen illud *azara* commune eſſe atriis Iſraëlitarum & Sacerdotum; quod ergo malè tribuitur huicce portioni atrii Sacerdotum, quæ quidem arcta eſt. Eſto, Thalmudici illam ſic appellent, dum templum deſcribunt. Evicimus hujus veram diſpoſitionem ex animis eorum jam evanuiſſe, cùm poſt ducentos & ampliùs annos ab ejus everſione ſuſceperunt dimetiendum & deſcribendum in tractatu Miſnico *Midoth*. Turpiter, inquam, allucinati ſunt, cùm per azara, ſive atrium Iſraëlitarum intellexerunt ſpatium latum undecim tantùm cubitis, & longum 135; quod aream facit 1485 cubitorum. Loca ſubdialia atrii Iſraëlitarum, ſi calculis ſubducantur, dant aream centum viginti mille quadratorum cubitorum. Atrium Sacerdotum ante faciem templi habebat decem mille quadratos cubitos, in quibus licebat agnos Paſchales mactare; porrò cùm Iſraëlitæ ad agnum Paſchalem mactandum in tres turmas dividerentur, omnibus immolandis abundè ſufficiebat area 360000 cubitorum. Adjungamus porticus apertas, veſtibula, patentes cellas, in quibus forſan mactabatur agnus, aut in quibus poterant ſtare Iſraëlitæ, donec egreſſis, qui miniſterium ſuum impleverant, offerrent & ipſi victimas ſuas. Ad Orientem, atrium Iſraëlis patebat oſtio

lato. Latus tum meridionale, tum septentrionale habebat tres portas, tempore Ezechielis latas cubitos decem; forsan dum scriberet Josephus, multo latiores, ut vidimus. Ante atrium Israëlis, prætendebatur atrium gentium. Tota area, quam occupabant tria templi atria, erat plusquam 435600 cubitorum. Pleraque ædificia erant tristega. Innumeræ occultæ sub terra porticus; ut quinquies centum mille homines capi simul eo in loco potuerint. Ergo cùm diversis gradibus, scalis, portis tum ingredi tum egredi daretur; dicam audacter, nec temerè, intra pomeridianum tempus innumeras hominum myriadas potuisse templum frequentare, & rem sacram facere.

Pascha quidem ubique in atriis mactabatur sed ejus & cujuscumque alterius victimæ cùm sanguis deferendus & effundendus esset ad pedem altaris, ut hoc fieret celeriter & sine confusione, ex pede altaris, per tres portas atrii interioris, series Sacerdotum, deducebantur per diversas partes atrii Israëlitarum, ubi fiebat immolatio. In qualibet Sacerdotum serie, alii pateras sanguine plenas tradebant evacuandas; alii vero, sive alterius seriei viri sibi invicem ex ordine dabant easdem pateras vacuas, quibus iterùm excipiebatur victimarum sanguis. Id luculenter docet Maimonides in suo *Corban Pesach*, sive de sacrificio Paschali cap. 1. explicans hasce series. » Hîc Sacerdotes erant descripti ac dispositi in ordines benè multos, qui manibus pateras tenebant, quarum aliæ ex argento, aliæ erant ex auro. Non hæ promiscuè distribuebantur; sed ita, ut ordinum alius argento, alius auro totus splenderet; id adeo, ut major indè species & dignitas existeret. Non desinebant autem in latitudinem pateræ, ne forte deponerentur, & concresceret in illis exceptus hostiarum sanguis. Cædebat suam quisque victimam, cujus sanguinem patera Sacerdos excipiebat: dabat ei, qui sibi proximus erat: hic sequenti, eam ob causam, ut rei divinæ operarentur quàm plurimi, donec sanguis veniret in manus ejus Sacerdotis, qui stabat altari propior. Is simul & semel sanguinem illum effundebat contra basim altaris: accipiebat pateram sanguine plenam, reddebatque vacuam.

Hæc excerpsit Maimonides ex Misnæ tractatu Pesachim, sive de sacrificiis Paschalibus cap. 5. 5. » Pascha mactatur per tres catervas, quemadmodum dictum est, Exod. cap. 12. v. 6. *Et mactant illud totus cœtus congregationis Israël*; « (Nota) cœtus, congregatio, & Israël; si intrasset prima caterva, & impletum esset atrium, claudebant portas atrii, buccinabant, jubilabant & buccinabant. » Sacerdotes stabant in ordinibus, & in manibus suis acerræ argenteæ & acerræ aureæ: ordo qui totus argenteus erat, argenteus; & ordo qui totus erat aureus, aureus; non erant commixti, neque acerris erant fimbriæ, ne deponerent eas & sanguis coagularetur. Mactat Israelita, & excipit sanguinem Sacerdos & dat illum socio suo, & socius socio suo, & excipit plenam acerram & reddit vacuam. Sacerdos altari propior spargit eum unâ sparsione è regione fundamenti. Exibat caterva prima & intrabat secunda caterva; exibat secunda & intrabat tertia; quemadmodum opera primæ, sic etiam erant secundæ & tertiæ. Conveniebat ut pateræ, quibus utebantur Sacerdotes, non haberent fimbrias; nempe superiùs latæ essent, inferiùs angustæ, ne consistere possent in solo; sanguis enim in illis coagulatus non idoneus fuisset ad spargendum. Calore manûs pateræ quæ tenebantur, calefiebant; ita sanguis non refrigerabatur.

SECTIO V.

Numero agnorum Paschalium iniri poterat multitudo Judæorum, qui festo Paschatis deprehendebantur. Undè tot agni suppetebant.

JOsephus ex numero victimarum Paschalium dicit inire potuisse numerum eorum, qui intra Hierosolymam deprehensi sunt, cùm capta est: hunc numerum fuisse maximum probat subductis calculis & exemplo. lib. 7. de bello c. 17. « Quod autem caperet tantam hominum multitudinem civitas, certum erat ex his, qui sub Cestio fuerant enumerati. Is enim tum vires civitatis ac florem Neroni significare cupiens contemnenti nationem, à Pontificibus petiit, ut si quomodo possent multitudinem numerarent. Illi autem cùm dies festus adesset, qui Pascha vocatur, quando à nona quidem hora usque ad undecimam hostias cædunt, per singulas verò contubernia non pauciorum quàm decem virorum fiunt: solum enim epulari non licet; multi etiam viceni conveniunt: hostiarum quidem ducenta & quinquaginta sex millia & quingentas numeravêre. « Quæ sequuntur ad rem non pertinent.

Quæque hostia à cujusque sodalitii primate erat offerenda; tum & necessarii innumeri ministri; ita ut ferè cogitandæ sint ter centum mille victimæ cum totidem hominibus. Quæritur an hujus numeri capax fuerit locus templi; sicut & tempus sufficiens his immolandis victimis. Spatiosum erat templum, ut demonstratum est; in quo sic Israëlitæ conferti erant, ut plures caperet; si verum est quod dicit Ælianus in Tacticis cap. 11. « Nunc verò etiam de intervallis, quibus inter se distant Hoplitæ, id est, viri armati, tum in longitudine, tum in altitudine explicabimus. Sunt autem eorum tres differentiæ. Etenim primùm rarioribus distantiis ob usus aliquos ordinantur. Itaque simpliciter ordinatus vir cubitos quatuor complectitur. Densatus occupat cubitos duos: constipatus unum continet cubitum. « Ante & post immolationem licet cogitare Israëlitas densatos. Momento immolationis, major distantia ad hunc usum requirebatur; sed hac peractâ, quisque prout erat functus officio, cedebat locum, ut alius succederet. Ob latitudinem & longitudinem atriorum Israëlis possunt simul offerri 2000 agnorum; & quisque ex illis jugulari unius secundi minuti spatio: dico jugulari; nam effusio sanguinis requirit tempus paulò majus. Sed dum exhauriebatur sanguis unius victimæ, alia poterat mactari. Magnâ autem celeritate pateræ sanguinis plenæ poterant transferri ad altare; ita ut intra duas vel tres horas nullo incommodo perfici potuerit ter centum mille victimarum jugulatio à viris exercitatis. Multùm valet ordo, ut summâ celeritate & sine perturbatione fiant omnia. Josephus dicit Sacerdotes mactasse die Paschatis ab hora nona ad undecimam hostiarum ducenta & quinquaginta sex millia cum quingentis. Supponi potest tempus illud fuisse duarum horarum & horæ dimidiæ, sive 150 minutorum. Pariter supponi potest 2000 agnorum simul fuisse mactata in singulis minutis; ita intra 150 minuta 300000 agnorum. Ergo nec locus nec tempus defuêre huic numero 256500 victimarum, quas Josephus numerat cæsas. Quod autem dicit numeratum populum numero victimarum id videtur fuisse antiqui moris. Factum id à Saule in primo Samuelis cap. 15. v. 4. in Vulgata legimus. *Præcepit itaque Saul populo, & recensuit eos quasi agnos; ducenta millia peditum, & decem millia vi-*

rorum Juda. In fonte autem eſt בטלאים *Bathalaim*, in agnis, ut puto, Paſchalibus. Pro ב *in*, legit Latinus Interpres כ *quaſi*. Certè non inuſitatum fuit Ethnicis, ut numerum populorum eâ arte quærerent. Eam fuiſſe adhibitam à Tullio Romanorum Rege narrat Dionyſius Halicarnaſſenſis in libro quarto. » Ut autem etiam ruſticanæ multitu» dinis faciliùs iniri poſſet numerus per ſingulos pa» gos aras juſſit dedicari diis tutelaribus, quos fre» quenti cœtu, & communibus ſacrificiis quo an» nis coli voluit, inſtituto cum primis religioſo feſ» to; quæ vocant Paganalia; ſimulque ſacrorum » iſtorum leges, quæ nunc quoque ſervantur, conſ» cripſit. Ad id ſacrificium, eumque conventum » omnes paganos juſſit in ſingula capita conferre cer» tum numiſmatis genus; ſed aliud viros, aliud mu» lieres, aliud impuberes, quibus nummis per ſa» crorum præſides connumeratis, apparebat homi» num numerus, per ſexus & ætates diſtinctus. Victimarum Paſchalium numerus etiam colligi poterat ex numero pellium, quæ his detrahebantur.

Iterùm expendamus difficultatem circa immolationem tot myriadum victimarum. Primùm liquet uno momento pateram, quæ tenetur manu, effundi poſſe. Ergo opus ſit intervallo unius ſecundi minuti. Area altaris cum ſuo fundamento habebat in circuitu octoginta cubitos. Non inſiſtebant Sacerdotes labio extremo foſſæ, quæ ambiebat altare; ſic linea, in qua ſtabant circa altare, ſtatui poteſt centum circiter cubitorum. Attamen non plures quàm quadraginta Sacerdotes pono effudiſſe ſanguinem. Sic uno ſecundo minuto evacuabantur quadraginta pateræ, uno primo minuto 2400, unâ horâ 144000, duabus 288000, & duabus horis cum dimidia 360000. Ita qui rem expenderit, ultro fatebitur eum agnorum numerum Paſchalium, quem ponit Joſephus, potuiſſe mactari in templo eo temporis intervallo, quod definit. Agnorum Paſchalium certè infinita erat multitudo; undè Ezechiel cap. 36. in fine cùm vellet ſignificare quantùm gens Judæorum multiplicanda eſſet à Deo, ſic Deum loquentem inducit. *Multiplicabo eos ſicut gregem hominum & gregem ſanctum, & gregem Jeruſalem in ſolemnitatibus ejus.* Paraphraſtes Chaldæus hæc interpretatur de ſolemnitate Paſchatis.

Non ambigendum quin ad ſacrificium Paſchale tantus agnorum numerus ſufficeret. Præterquàm quod Judæa plurimos alebat, populi vicini pretio venales offerebant: quidam in tributum pendebant, cùm ſub jugum Judæorum redacti ſunt; ut de Moabitis adſtruitur 4. Reg. cap. 3. 4. *Porrò Meſa Rex Moab nutriebat pecora multa, & ſolvebat Regi Iſraël centum millia agnorum, & centum millia arietum, cum velleribus ſuis.* In ſecundo Paralipomenorum cap. 17. 11. *Sed & Philiſtæi Joſaphat munera deferebant & vectigal argenti: Arabes quoque adducebant pecora arietum ſeptem millia ſeptingenta & hircorum totidem.* Non prætermittendus locus Iſaiæ cap. 60 7. *Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabajot miniſtrabunt tibi, offerentur ſuper placabili altari meo.* Sed imprimis mens advertenda eſt ad initium capitis 16. ejuſdem Prophetæ. *Emitte agnum dominatorem terræ de petra deſerti ad montem filiæ Sion.* In Hebræo eſt *mitti te agnum dominatori terræ.* Admonet Propheta Moabitas ut agnum, id eſt, agnos, quos pro tributo Davidi olim pependerant pro pace ac tutelâ, ut legimus ſecundo Reg. 8. 2. *Factuſque eſt Moab David ſerviens ſub tributo;* & Regibus Iſraëlis ad Achabi uſque tempora, ut modò vidimus 4. Reg. 3. 4. admonet, inquam, Propheta Moabitas ut nunc everſo Iſraëlis regno, pendant legitimo hæredi Davidis, id eſt, Ezechiæ. Illa verba *de petra deſerti* indicant locum undè agni mittendi, nempe *de petra ad deſertum* meliùs quàm *de petra deſerti*: ut intelligas hæc imperari omnibus Moabitis, quorum fines a Petra ab Idumæis poſſeſſa ad deſertum Jordanis pertingebant. *Ad montem filiæ Sion*, ſcilicet Jeroſolyma in ſacrificia Paſchalia. Sic Deus providebat ut non deeſſent hoſtiæ, quas ſatagebant Judæi congregare, ut ipſi non deeſſent legi. Inquiet aliquis: ſed dum in deſertò Judæi per quadraginta annos peregrinati ſunt, non habebant multiplices greges, paſti manna cæleſti. Toto hocce tempore peregrinationis ſuæ Paſcha præter primum non celebrarunt, niſi illud quod enarrat caput Numerorum nonum.

SECTIO VI.

Exponuntur Paralipomenorum libri ſecundi capita 30. & 35. in iis quæ ſpectant Paſchata, à piis Regibus Ezechia & Joſia celebrata.

Duo integra capita occurrunt in ſecundo Paralipomenorum nempe 30. & 35. obſcura, niſi aliundè illuceſcat cognitio rituum Paſchalium. Ezechias Rex pius, quod alii Reges neglexerant, Paſcha juxta legem curavit celebrandum legitimo ſuo tempore. 2. Paralip. cap. 30.

1 *Miſit quoque Ezechias ad omnem Iſraël & Judam: ſcripſitque epiſtolas ad Ephraim & Manaſſen, ut venirent ad domum Domini in Jeruſalem, & facerent Phaſe Domino Deo Iſraël.*

Non poterat enim Paſcha legitimè fieri, niſi Hieroſolymis, in domo Domini, hoc eſt, in templo. Scripſit Ezechias etiam ad Ephraïmitas & Manaſſitas, tunc à Juda avulſos ſchiſmate, ut commoneret eos eorum officii, tum etiam quia & inter illos viri erant pii, qui non adorabant vitulos Samariæ.

2 *Inito ergo conſilio Regis & Principum, & univerſi cœtus Jeruſalem, decreverunt ut facerent Phaſe menſe ſecundo.*

Sic Deus mandaverat, ut qui impediti non potuerant celebrare Paſcha menſe primo, facerent illud ſecundo. Numer. c. 9. v. 10. *Homo qui fuerit immundus ſuper anima*, nempe quòd tetigerit cadaver: unum genus immunditiæ pro reliquis nominatur: *ſive in via procul, in gente veſtra*, nempe Hieroſolymis remotus *faciat Phaſe Domino in menſe ſecundo, quartâ decimâ die menſis ad veſperam.* Quid fuerit impedimento quominùs ſub Ezechia Paſcha celebratum fuerit menſe primo declaratur.

3. *Non enim potuerant facere in tempore ſuo, quia Sacerdotes qui poſſent ſufficere, ſanctificati non fuerant, & populus nondum congregatus fuerat in Jeruſalem.*

Indè liquet Paſcha non in privatis laribus, ut quidam ſentiunt, immolatum, ſed in ipſo templo, ubi Sacerdotum & complurium miniſterium neceſſarium erat feſto Paſchatis, ut vidimus Plures agni intra paucas horas mactandi, quorum ſanguis excipiendus & effundendus erat à Sacerdotibus. Sufficiens autem numerus Sacerdotum, qui eſſent ſanctificati, id eſt, purgati & parati, non repertus fuerat primo menſe; certum enim tempus requirebatur, ut ex immundo mundus quis evaderet Populus inſuper non congregatus fuerat, quia non potuerat illi denuntiari feſtum, priuſquàm templum eſſet planè purgatum. Videndum eſt præcedens caput 2. Paralipom. nempe 29. in quo narratur quomodo cultum Dei reſtauraverit Ezechias, purgaverit templum, curaverit ut ſanctificarentur Sacerdotes.

34. *Sacerdotes verò pauci erant, nec poterant suffi-* A *cere ut pelles holocaustorum detraherent, unde & Levitæ fratres eorum adjuverunt eos, donec impleretur opus, & sanctificarentur Antistites: Levitæ quippe faciliori ritu sanctificantur, quàm Sacerdotes.*

Quæ narrantur de illo Paschate Ezechiæ demonstrant vera esse quæ hactenus de hoc festo disseruimus. Redeamus ad caput trigesimum.

4. *Placuitque sermo Regi & omni multitudini.*

Ut differretur Pascha, & indiceretur celebrandum secundo mense.

5. *Et decreverunt ut mitterent nuntios in universum Israël, de Bersabee usque Dan, ut venirent & facerent Phase Domino Deo Israël in Jerusalem:* B *multi enim non fecerant, sicut lege præscriptum est.*

Extra Hierosolymam Phase non poterat fieri. Hanc autem plerique frequentare desierant metu Regum Israël. Sed & jamdiu festa non fuerant ritè celebrata.

6. *Perrexeruntque cursores cum epistolis ex Regis imperio, & principum ejus, in universum Israël & Judam, juxta id, quod Rex jusserat, prædicantes: filii Israël, revertimini ad Dominum Deum Abraham, & Isaac, & Israël: & revertetur ad reliquias, quæ effugerunt manum Regis Assyriorum.*

Decem tribus Israël sese absciderant à Juda, quæ sola tribus Deum Abrahæ colebat; ideò permiserat Deus ut ex terra, quæ promissa fuerat Abrahæ, in captivitatem abductæ & dispersæ fuerint inter gentes. Harum reliquias Ezechias revocat ad cultum Dei.

7. *Nolite fieri sicut patres vestri & fratres, qui recesserunt à Domino Deo patrum suorum, qui tradidit eos in interitum, ut ipsi cernitis.*

8. *Nolite indurare cervices vestras, sicut patres vestri: tradite manus Domino, & venite ad Sanctuarium ejus, quod sanctificavit in æternum. Servite Domino Deo patrum vestrorum & avertetur à vobis ira furoris ejus.*

Venite ad Sanctuarium ejus מקדשו *michdascho.* Vidimus per *michdasch* intelligendam esse ædem Dei cùm atriis ejus; quæ decem tribus à longo tempore non frequentabant, & ideò illis Deus succensebat. D

9. *Si enim vos reversi fueritis ad Dominum: fratres vestri & filii habebunt misericordiam coram dominis suis, qui illos duxerunt captivos, & revertentur in terram hanc: pius enim & clemens est Dominus Deus vester, & non avertet faciem suam à vobis, si reversi fueritis ad eum.*

Deo obedientes si revertamini ad ejus templum, ipse revertetur ad vos, & ob pietatem vestram efficiet ut fratres vestri, & filii qui in captivitate sunt, inveniant misericordiam apud eos, quorum nunc servi sunt.

10. *Igitur cursores pergebant velociter de civitate in civitatem, per terram Ephraim & Manasse, usque ad Zabulon, irridentibus & subsannantibus* E *eos.* Perstiterunt enim in schismate.

11. *Attamen quidam viri ex Aser, & Manasse, & Zabulon acquiescentes consilio, venerunt Jerusalem.*

In fonte, *quidam ex illis se humiliaverunt:* in Græco, *confusi.* Nempe agnoverunt se peccasse, quòd verum Deum deseruissent; & illi venerunt Jerusalem.

12. *In Juda autem facta est manus Domini, ut daret eis cor unum, ut facerent juxta præceptum Regis & principum verbum Domini. Deus dedit omnibus cor unum.*

13. *Congregatique sunt in Jerusalem populi multi, ut facerent solemnitatem azymorum, in mense secundo.*

In Numeris capite 11. ubi mandatum est de Paschate secundo, præcipiuntur comedendi azymi, ut in Paschate primi mensis.

14. *Et surgentes destruxerunt altaria quæ erant in Jerusalem, atque universa, in quibus idolis adolebatur incensum, subvertentes projecerunt in torrente Cedron.*

Priusquàm Pascha celebrarent, idola, idololatriam, & omnia instrumenta ejus expulerunt.

15. *Immolaverunt autem Phase quartâ decimâ die mensis secundi. Sacerdotes quoque, & Levitæ tandem sanctificati, obtulerunt holocausta in domo Domini.*

Fons habet, & versio Græca: *Et Sacerdotes & Levitæ pudore affecti erant, & sanctificaverunt se.* Dederunt operam ut hacce die & aliis holocausta offerre possent; pudebat enim eos ob immunditiem suam ineptos esse ministerio suo.

16. *Steterunt autem in ordine suo juxta dispositionem & legem Moysi hominis Dei: Sacerdotes verò suscipiebant effundendum sanguinem de manibus Levitarum.*

Omnes Sacerdotes & Levitæ steterunt in ordine suo. In fonte על עמדם *al amedam.* Nomen autem עמוד redditur à Græcis interpretibus *στῦλος columna, κίων columna, στάσις statio.* Licet ergo intelligere dispositos Sacerdotes, ut diximus, in ordine & lon-
C ga serie, à loco jugulationis ad altare holocaustorum; & constituisse quasi columnas, vernaculè *des files.* Illi suscipiebant effundendum sanguinem de manibus Levitarum. In fonte: *spargentes sanguinem de manu Levitarum.* Videlicet non ipsi Israëlitæ mactabant victimas, sed Levitæ propter rationem, quæ subjicitur.

17. *Eo quòd multa turba sanctificata non esset: & idcircò immolarent Levitæ Phase his, qui non occurrerant sanctificari Domino.*

Quilibet Israëlita poterat mactare suam victimam Paschalem; sed isto Paschate, quia pauci mundi erant, munus illud fuit exercendum à Levitis. Præterea cùm à pluribus annis Pascha non celebratum esset, vulgus Israëlitarum erat inexercitatum. Hæc omnia conveniunt cum iis omnibus, quæ suprà dicta sunt de ratione faciendi Paschatis. Cætera quæ sequuntur in capite 30. nullâ expositione indigent. Transeamus ad Pascha Josiæ Regis, quod describitur in eodem secundo libro Paralipomenorum, capite 35.

1. *Fecit autem Josias in Jerusalem Phase Domino, quod immolatum est quartâ decimâ die mensis primi.*

Factum est hoc Pascha tempore legitimo.

2. *Et constituit Sacerdotes in officiis suis, hortatusque est eos ut ministrarent in domo Domini.*

Ibi officia Sacerdotum nominantur משמרת *mischemereth*, id est, *observatio;* quod nomen significat observationem omnium munerum, quibus decebat Sacerdotes defungi.

3. *Levitis quoque, ad quorum eruditionem omnis Israël sanctificabatur Domino, locutus est: Ponite Arcam in Sanctuario templi, quod ædificavit Salomon filius David Rex Israël, nequaquam enim eam ultra portabitis: nunc autem ministrate Domino Deo vestro & populo ejus Israël.*

In fonte de Levitis dicitur המבונים *hamebonim* vel *hamebinim*, id est, à Levitis eruditos fuisse Israëlitas. Videntur Græci legisse המכינים *hamechinim* δυνατοῖς, id est, à Levitis potuisse præparari aut mundari Israëlitas; quòd eòdem recidit. Scilicet Levitarum erat erudire Israëlitas, edocere ritus, & præ-

parare, ut rite Paschalia munera exercerent. Alio- A qui in tanto numero victimarum, & victimas offerentium contigisset perturbatio. Erudiendis ergo Israëlitis Levitæ vacare debebant, & rituum & officiorum quasi magisterium exercere; jam non ampliùs subeuntes humeris onus Tabernaculi. *Ponite Arcam in Sanctuario templi, quod ædificavit Salomon filius David Regis Israël, nequaquam enim eam portabitis.* Sic interpretor. Non ampliùs cogitate de portanda Arca. *Ponite Arcam*, quasi dicat: finite quiescere. Ideò intendite tantùm animum in ministerium Domini, & populi, ut populus edoceatur cultum Dei. Nominatur populus Israël, qui schismate avulsus ritus Mosaïcos desueverat implere.

4. *Et præparate vos per domos & cognationes vestras, in divisionibus singulorum, sicut præcepit David Rex Israël, & descripsit Salomon filius ejus.* B

5. *Et ministrate in Sanctuario per familias, turmasque Leviticas.*

Hæc exposuimus, dum ageremus de ministris templi.

6. *Et sanctificati immolate Phase: fratres etiam vestros, ut possint juxta verba quæ locutus est Dominus in manu Moysi facere, præparate.*

Ipsi immolate Pascha loco populi, qui id facere non potest; & eum instruite, præparate ut ritus lege præscriptos impleat circa Pascha. Ita cùm Paschata illa Ezechiæ & Josiæ celebrata sint in templo, nullus dubitandi locus est quin extra illud celebrare esset contrarium legi. C

7. *Dedit præterea Josias omni populo, qui ibi fuerat inventus in solemnitate Phase, agnos & hœdos de gregibus & reliqui pecoris triginta millia, boum quoque tria millia: hæc de Regis universa substantia.*

Pro *& reliqui pecoris*, in fonte est *ad numerum*; nempe Josias dedit triginta millia victimarum, pro numero eorum qui reperti sunt, ut puto, non habentes aliundè victimas. Præter sacrificium agni, in septimo azymorum fiebat sacrificium *chagiga*, id est, festi, quod erat ex bove. Ad illa sacrificia & Rex suppeditavit ter mille boves.

8. *Duces quoque ejus sponte quod voverant obtulerunt, tam populo, quàm Sacerdotibus & Levitis. Porrò Helcias, & Zacharias, & Jahiel, principes domûs Domini, dederunt Sacerdotibus ad faciendum phase pecora commixtim duo millia sexcenta & boves trecentos.* D

9. *Chonenias autem & Semeias, etiam & Nathanaël, fratres ejus, nec non Hasabias, & Jehiel, & Josabab, principes Levitarum, dederunt cæteris Levitis ad celebrandum phase quinque millia pecorum & boves quingentos.*

Ex his liquet numero plures victimas Paschales oblatas & mactatas in templo. Nam Israëlitæ, qui pecoris divites erant, non acceperunt neque à Rege, neque ab illis principibus, qui nominantur. E Quomodo autem tot victimæ mactari potuerint in templo intra horas lege præscriptas, satis patet ex antedictis.

10. *Præparatumque est ministerium, & steterunt Sacerdotes in officio suo: Levitæ quoque in turmis juxta Regis imperium.*

Præparatus fuit cultus עבדה *avoda*, id est, quidquid fit in opere cultûs Dei. Suprà exposuimus particulam illam, *Seterunt Sacerdotes in officio suo.* Nempe steterunt in statione, in columna sua; pariter & Levitæ divisi sunt, ordinati sunt. In fonte *in divisionibus suis*, ut fieret agnorum occisio celeriter, & sine confusione.

11. *Et immolatum est phase: asperseruntque Sacerdotes manu sua sanguinem, & Levitæ detraxerunt pelles holocaustorum.*

Nempe Sacerdotes exceptum sanguinem victimarum deferebant ad altare, cujus fundamenta eo respergebant. Levitæ detrahebant pelles, juxta Latinum Interpretem, *holocaustorum*; sed cùm in fonte Hebræo & Græca versione simpliciter dictum sit, *& excoriabant*, latius est intelligere agnis pelles detractas à Levitis. Illi agnos excoriabant, quia plerique ex populo id facere non poterant.

12. *Et separaverunt ea, ut darent per domos & familias singulorum, & offerrentur Domino, sicut scriptum est in libro Moysi: de bobus quoque fecerunt similiter.*

Græci Interpretes videntur non percepisse sensum hujus loci, scribentes καὶ ἑτοίμασαν τὴν ὁλοκαύτωσιν παραδοῦναι αὐτοῖς. *Et paraverunt dare holocaustosim ad tradendum eis secundùm divisionem per domos familiarum filiis populi.* Fons Hebræus, *amoverunt* העלה *haola*, id est, *quod absumendum erat, oblaturi Domino.* Nempe adipes, qui omninò consumendi erant in igne altaris. Separatio illa non poterat fieri, nisi per eos qui exercitati erant, nimirùm per Levitas, qui Israëlitis tradiderunt reliquam partem Paschalium victimarum, quæ erant comedendæ in sodalitiis per domos. *De bobus similiter.* Quando scilicet Israëlitæ obtulerunt sacrificium *chagiga*, nempe festi quod fiebat de bobus, separaverunt ea quæ absumenda erant in igne altaris. *Hola* propriè significat *ascensionem*, id est, id quod ascendit ad altare, quod offertur Domino. Pars hujus sacrificii, quod dicitur *chagiga*, cedebat populo, qui lætabatur coram Domino in ipso templo, eam partem comedens. Omnia ordinantibus Levitis, quia populi non exercitati erant.

13. *Et assaverunt phase super ignem, juxta quod in lege scriptum est: pacificas verò hostias coxerunt in lebetibus, & cacabis, & ollis, & festinatò distribuerunt universæ plebi.*

Israëlitæ eo ritu, quem postea descripturus sum, asportantes agnos in domos suas, assaverunt. Quoad sacrificium *chagiga*, festi de bobus, & Levitæ coxerunt & distribuerunt populis partes, quæ ab illis erant comedendæ in templo.

14. *Sibi autem & Sacerdotibus, postea paraverunt; nam in oblatione holocaustorum & adipum usque ad noctem Sacerdotes fuerunt occupati: undè Levitæ sibi & Sacerdotibus, filiis Aaron, paraverunt novissimis.*

Ambiguum illud, *in oblatione holocaustorum*, decet interpretari ex fonte. Scilicet occupati fuerant in ascendendo, sive deferendo ad ignem altaris partes, quæ in illo omninò absumendæ erant juxta Leviticum 3. 9. nempe adipes, cauda, cum renibus, & pinguedine, quæ operit vitalia.

15. *Porrò Cantores filii Asaph stabant in ordine suo, juxta præceptum David & Asaph, & Heman, & Idithun Prophetarum Regis: Janitores verò per portas singulas observabant, ita ut nec puncto quidem discederent à ministerio; quamobrem & fratres eorum Levitæ paraverunt eis cibos.*

Dum fiebat Paschatis immolatio, canebant Cantores, inter quos præcipui Asaph, Heman, Idithun Prophetæ Regis, id est, Regiæ symphoniæ præfecti. In tanta populi frequentia, dum alii ingrederentur, alii egrederentur, ne sibi essent impedimento, & tardaretur prompta & solemnis immolatio, necesse erat ut Janitores providerent ut certo ordine ingressus & egressus fieret.

16. *Omnis igitur cultura Domini ritè completa est in die illa, ut facerent Phase, & offerrent holocausta super altare Domini, juxta præceptum Regis Josiæ.*

Pascha

Pascha ritè celebratum est.

17. *Feceruntque filii Israël, qui reperti fuerant ibi, Phase in tempore illo, & solemnitatem azymorum septem diebus.*

18. *Non fuit Phase simile huic in Israël à diebus Samuelis Prophetæ: sed nec quisquam de cunctis Regibus Israël fecit Phase sicut Josias Sacerdotibus & Levitis, & omni Juda & Israël, qui repertus fuerat, & habitantibus in Jerusalem.*

Nullus alius Rex tantas impensas fecit, suppeditans propriis sumptibus hostias.

SECTIO VII.

De detractione pellis victimæ Paschalis, adipum ejus combustione in altari, & cæteris ritibus, quibus illa victima comedebatur. Si quis peccasset in hos ritus, mors illi statim aderat.

Victima, fuso ejus sanguine ad fundamentum, sive basim altaris, excoriabatur. Modò vidimus Levitas detraxisse pelles victimæ Paschalis, cùm munus esset cujusque qui offerret id facere modò non inexercitatus, ut nos docet Maimonides in suo Corban Pesach cap. 1. sect. 14. ubi mactationis rationem explicans, pergit loqui. » Deinde victimæ » suspendebantur, suspensis corium detrahebatur to- » tum. Tum aperiebantur; proluvies & excremen- » ta depellebantur ex intestinis, extrahebantur ex- » ta, quæ in lance deposita, sale conspergebantur, » adolebanturque super altari per Sacerdotem. Quod » attinet ad rationem suspendendarum harum vic- » timarum, uti pellibus spoliarentur, hærebant a- » trii muris ac columnis infixi clavi ferrei. De his » istæ victimæ suspendebantur, suspensis pellis de- » trahebatur: quibus autem ejusmodi locus ad sus- » pendendam victimam non suppetebat, aderant » baculi minuti, lævesque, qui ponebantur in unius » & alterius hominis humeris, tum de his suspensæ » victimæ corio exuebantur. Hæc brevi temporis spatio & angusto loco vix fieri poterant, sed advertat quem rei difficultas commovet, spatia ampla fuisse in atriis templi, in porticibus, in cœnaculis, etiam in hypogæis ubi hæc omnia fieri poterant à tota congregatione eodem tempore: ut singulorum agnorum occisio perageretur quàm celerrimè; sed non pariter detractio pellis, quam ab omnibus Israëlitis fieri potuisse dicit Maimonides, & quemque excoriatam suam victimam cum pelle ejus reportasse suam domum, sed oportebat priùs exta separare ad adolendum. Vasa autem erant in templo, ut vidimus, numero infinita; ita suppetebant cuique vasa in quibus seorsum adeps propriæ victimæ reponeretur. Ministerio autem Sacerdotum portabantur lances ad altare, in cujus igne componebantur adipes totâ nocte, usque ad auroram comburendi; qui ante solis ortum debebant absumi: sicut præceperat Deus in Exodo cap. 33. v. 18... *Nec remanebit adeps solemnitatis meæ usque mane.* Oblato adipe, victima Paschalis assabatur juxta ritus traditos à temporibus Mosis; adversùs quos ne quidpiam peccaretur, Levitæ forsan in Paschate Josiæ non solùm curam adipum susceperunt, sed & carnes assaverunt, ut dicitur in his versibus capitis 35. secundi Paralipomenorum.

13. *Et assaverunt Phase super ignem, juxta quod in lege scriptum est, Pacificas verò hostias coxerunt in lebetibus, & cacabis & ollis, & festinatò distribuerunt universæ plebi.*

Plerique ignorabant legitimum ritum assandæ victimæ Paschalis, sive & quæ coquenda essent ex his victimis pacificis, quæ pro sacrificio *chagiga*, sive festi offerebantur; quæ partes Sacerdotibus, quæ Laicis cederent, quæque ab eis comederentur intra privatas ædes, vel cum agno Paschali, eâ nocte quâ comedebatur, vel sequentibus diebus; ut modò vidimus. Judæi appellant אמורין *immerin*; ut nos monet Maimonides in Commentariis suis in Misnajot tractatu de Paschate cap. 5. membra sacrificiorum, quæ comburuntur super altare. « Erant autem hæc membra sacrificii Paschatis, cauda quæ « adhæret ossibus, spinæ dorsi, & adeps qui tegit « intestina, & renes eorumque adipes, & reliquiæ « hepatis. « Cuique, ut diximus, suppetebat vas in quo hæc omnia reponeret.

Juxta autores Judæos assabantur agni in furno, in quo erigebatur veru, cui infixa victima; & circa illam accendebatur ignis. Modus ille docetur in Misna cap. 7. « Quomodo assant Pascha? Afferunt veru de ligno malogranati, infigentes il- « lud ori agni usque ad nates, & ponentes crura & « intestina illius intra eum. « Pro figmento Rabbinico habebitur ille assandi modus: sed verus & certus est; huic enim testimonium perhibet Justinus Martyr in suo dialogo cum Triphone Judæo. Demonstrat temporarium fuisse præceptum de Paschate, donec adveniret Christus. Cùm enim non liceret illud sacrificium offerre nisi Hierosolymis, & hanc urbem hostibus Judæorum tradidisset Deus; argumentum erat hoc sacrificium non esse perpetuum. « Et agnus ille, de quo ut assus totus fieret præceptum est, supplicii crucis, quod subitu- « rus est Christus, symbolum & nota fuit. Agnus « namque assus, in figuram cruci similem conformatus, ad ignem torretur, nam veru unum ab infi- « mis partibus ad caput usque adactum persigitur: « & aliud rursùm secundùm scapulas, ad quod sus- « penduntur manus agni. « In fonte est quod non expressit Interpres: Ὄρθιος ὀβελίσκος διαπερονᾶται. *Veru ad perpendiculum erectum præfigitur*, hoc situ veru illud magis referebat formam crucis. Cur autem è malogranato veru eligeretur potius quàm ex altero ligno, hanc rationem reddit Maimonides ad hunc locum, quod ex malogranato non proveniat aqua, quando incalescit. Cavendum enim erat ne aquâ coqueretur agnus; quod Deus prohibuerat in ipsa Paschatis institutione, in Exodo cap. 12. v. 9. *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aquâ, sed tantùm assum igni.* Indè causa plurium rituum, quos in assando agno servabant Judæi, ne illud præceptum infringerent. Perstringamus illos.

Ad esum victimæ Paschalis non licebat solùm epulari, ut dicit Josephus, cujus testimonium suprà adduximus, quin fiebant contubernia non pauciorum quàm decem virorum, plures enim vicini quandoque conveniebant; quia lex præcipit *Exod.* 12. 3. *Decimâ die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias & domos suas.*

4. *Sin autem minor est numerus ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum, qui junctus est domui suæ, juxta numerum animarum quæ sufficere possunt ad esum agni.*

Ineundæ ergo societates, sive componenda sodalitia ex certo numero personarum, quarum nomine unus delegatus ibat in templum & victimam Paschalem mactabat pro omni suo sodalitio. Leges societatum Paschalium explicantur in Misna; de quibus multus est sermo apud Maimonidem in suo *Corban pesach*, cap. 2 « Victima Paschalis suo quæque numero hominum duntaxat jugulabatur. « Nam ex isto legis edicto, pro sua quemque ra- « tione comedendi, subducto numero, ad istam pe- « cudem admittetis, satis intelligitur viventi pecudi «

» certum quemdam hominum numerum assignan» dum: hic scilicet, assignatus victimæ Paschali nu» merus hominum est ille, qui passim sodalitium ap» pellatur. Poterat tamen juxta illum Rabbinum unus homo sibi soli jugulare victimam Paschalem, modò huic edendæ toti par esset. Sufficiebat enim, ut quisque posset ad olivæ magnitudinem de victima comedere ipsâ nocte, quæ sequebatur immolationem Paschatis, comedenda erat victima, ut præscribitur in Exod. cap. 12. 8. *Et edent carnes nocte illâ assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus.*

Intelligunt Judæi famem fuisse exsaturandam carne victimæ, ut dicit Maimonides dicti tractatûs c. 8. » Ac præclara quidem erat hujus officii faciendi » ratio, vesci carne victimæ Paschalis ad saturita» tem: & eam ob rem, qui quartâ decimâ mensis » Nisan sacra pacifica solemnia fecerat, is vesperi » primùm ex illis comedebat aliquid, tum deinde » de carne victimæ Paschalis edebat tantùm ut sa» tiaretur: verùm enim si quis de carne victimæ » Paschalis non plus olivæ magnitudine comedisset, » tamen officio fecisset satis. Non alio autem pane utendum erat quàm azymo. Addendæ erant lactucæ amaræ; quia amaritudinis recordandum erat, sive laborum quos Israëlitæ pertulerant egredientes ex Ægypto, ut præcipitur in Deuteronomio capite 16.

3. *Non comedes in eo panem fermentatum: septem diebus comedes absque fermento, afflictionis panem, quoniam in pavore egressus es de Ægypto: ut memineris diei egressionis tuæ de Ægypto, omnibus diebus vitæ tuæ.*

Maimonides in tractatu de solemnitate Paschatis cap. 7. quinque species olerum amarorum enumerat lactucam, intybum, marrubium, atque illud *barhavina* quod vocant, & quod propriè verèque dicitur amarum olus. Notat ibidem à Judæis apponi embamma, quod nominat *charosset*, in memoriam illius luti, quo in Ægypto majores eorum exercebantur. » Fit autem embamma illud ex dac» tylis, ficubus, caricis, atque aliis fructibus ho» rum similibus, qui concussu elisi, aceto perfun» duntur & commiscentur unà cum cinnamomo, » atque aliis id genus aromatibus sic, tanquam pa» leæ miscetur lutum. Cavebant Judæi ne victimæ Paschalis ossa frangerent: qui faceret, vapulabat quadraginta verberibus, ut dicitur in Misna, ob illam legem Numerorum cap. 11. 12. *Non relinquent ex eo quidpiam usque mane, & os ejus non confringent, omnem ritum phase observabunt.* Summâ celeritate opus fuit Israëlitis egressuris ex Ægypto; ideò præceperat Deus ne morarentur, comminuentes victimam Paschalem, ossa frangentes ut educerent medullam. Hæc omnia, typi erant agni verè immaculati, cujus ossa non fracta sunt in cruce, è qua depositus est ante matutinum tempus.

Ut omnia colligam quæ pertinent ad ritus Paschales, addam hocce peculiare mandatum, quod Deus Israëlitis dedit, ut egressionis ex Ægypto semper recordarentur Exod. cap. 13. 3. *Mementote diei hujus, in qua egressi estis de Ægypto & de domo servitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco isto: ut non comedatis fermentatum panem.*

Ista recordatio pars erat solemnitatis Paschalis, per cujus dies tenebantur Israëlitæ in epulo Paschali enarrare quæ contigerant Israëlitis hac die, quâ liberati fuerant ex Ægypto.

8. *Narrabisque filio tuo in die illo, dicens: hoc est quod fecit mihi Dominus, quando egressus sum de Ægypto.*

A 9. *Et erit quasi signum in manu tua, & quasi monimentum ante oculos tuos: & ut lex Domini semper sit in ore tuo, in manu enim forti eduxit te Dominus de Ægypto.*

Israëlitæ variis modis excitant pueros hac nocte, ut de ritibus Paschalibus, quos observari vident, patres suos interrogent, & dent locum narrationi huic, quam sacra Scriptura præcipit. Illud autem imprimis animadvertendum est, antequàm de Paschate loquendi finem faciamus, Deum pœnam mortis intentasse Israëlitis qui peccarent in dictos ritus Paschatis, nisi fortè, hos ignorarent sine culpa, ut contigit in Paschate Ezechiæ. Multi non sanctificati celebrarunt, sed aliter fieri non poterat, idcirco Ezechias orans pro illis veniam impetravit; ut B narratur in descriptione hujus Paschatis, lib. 2. Paralipom. cap. 30. 18. *Magna etiam pars populi de Ephraim, & Manasse, & Issachar, & Zabulon, quæ sanctificata non fuerat, comedit phase, non juxta quod scriptum est: & oravit pro eis Ezechias, dicens, Dominus bonus propitiabitur.* Iis nempe qui non peccaverunt per negligentiam, 19. *cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum: & non imputabit eis, quòd minùs sanctificati sunt.* Preces Ezechiæ exaudivit Deus. 20. *quem exaudivit Dominus, & placatus est populo.* Deus initio Ecclesiæ Christianæ pœnas similiter repetebat ab his qui non sanctificati, id est, præparati audebant ad Eucharistiam accedere, corpus Dominicum sumere; ut Paulus scribens ad Corinthios li-C quido dicit Ep. 1. c. 11. 29. *Qui enim manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* 30. *Ideò inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Indè inter vos multi torquentur morbis, etiam morte intereunt.

CAPUT X.

Altero die Paschatis offerebatur manipulus ex hordacea messe. Indè numerabantur quadraginta novem dies, sive septem hebdomades; quibus completis, Pentecoste, id est, quinquagesima dies agebatur solemnis. D

SECTIO I.

Alterâ die Paschatis offerebatur in templo manipulus ex messe. Quæ sit ista altera dies, & quæ messis.

Ordinatis quæ festum Paschatis & dies azymos spectant, Deus sic loquitur Leviticis 23.

9. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:*

10. *Loquere filiis Israël, & dices ad eos: Cùm ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & messueritis segetem, feretis manipulos spicarum primitias messis vestræ ad Sacerdotem.* E

Hæc quæ hîc præcipiuntur à Domino tunc temporis, quo Israëlitæ egrediebantur ex Ægypto, non poterant adimpleri; neque enim in deserto seminaverunt agros. Attinebat hocce mandatum ad dies, per quos in terra promissa ararent & seminarent agros. Illud autem, *& messueritis segetem*, interpretandum, & cœperitis metere; nam quæ hîc mandat Deus fieri, facienda erant antequàm quisquam mitteret falcem in messes. In fonte non nominabantur manipuli in plurali: *Adducetis Homer initii messis vestræ ad Sacerdotem.* עמר *Homer* significat mensuram, quæ pars est decima Epha; cujus

capacitatem æſtimavimus mille pollicum; ita Homer menſura erat centum pollicum. Græci vertentes δρᾶγμα, & Latinus Interpres *manipulos ſpicarum*, intellexerunt eum ſpicarum numerum ex quo excuſſa grana implerent menſuram *Homer*, quam Græci nominant Γομὸρ *Gomer*; neque enim manipulus offerebatur ad altare cum ſpicis, & paleis, & furfuribus; ut clarè ſignificat Joſephus Antiquit. lib. 3. cap. 10. *Poſtquam manipulum ſpicarum* τῶν σταχύων τὸ δρᾶγμα *torruerunt & pinſuerunt, aceribuſque, & glumis repurgarunt, Aſſaronem ad altare offerunt.* Aſſaron eſt nomen Hebræum עשרון *iſcharon*, id eſt, *decima pars*; ſic Joſephus appellat *homer*, quod eſt pars decima Ephæ. Illud homer de quo loquimur, erat veluti ἀπαρχὴ primitiæ; in fonte ראשית *reſchit*, quod propriè initium eſt, primordium, principium. Neque enim ſolvebatur Homer jure primitiarum, ſed ut inde liceret inchoare meſſem.

11. *Qui elevabit faſciculum coram Domino, ut acceptabile ſit pro vobis, altero die ſabbati, & ſanctificabit illum.*

Non dicit Scriptura, ex qua meſſe ſumeretur manipulus ille; ſed certè non ex alia, quàm quæ tunc temporis colligi poſſet. Hordeaceam fuiſſe liquido declarat Joſephus, loco ſuprà allegato, ubi de hac iſta oblatione loquitur. ἀπαρχὰς τῆς κριθῆς *primitias*, inquit, *hordei offerunt Deo.* Præterea, ut initio, triticum initio veris, cùm celebratur Paſcha, nondum maturum eſt; hordeum verò citiùs demetitur. De vero tempore oblationis hujus lis eſt inter Judæos Thalmudicos, ſive traditionales, & Karræos, ſive ſcripturarios, nempe qui ſolo Scripturæ textu contendunt ſolvendas omnes lites, quæ circa ritus moveri poſſunt. In fonte eſt ממחרת השבת *mimachorath haſabbat*, id eſt, *à craſtino ſabbati.* Circa illud nomen ideò lis eſt, quia eſt ambiguum. Sabbatum enim uſurpatur pro omni die feſto; in propria autem ſignificatione pro ſeptimo die, quo quieſcendum erat. Karræi in hacce propria ſignificatione ibi ſumunt *ſabbath*; & diem offerendi *homer*, ſtatuunt primum illud ſabbatum, quod occurreret poſt mactatum agnum Paſchalem.

Thalmudici verò intelligunt diem feſti, quacumque die hebdomadis occurreret, ſive primâ, ſive ſecundâ, & aliaquacumque. Conſtat compluribus Scripturæ locis omnes feſtos dies, quibus quieſcendum erat, ſabbata appellari; ita cùm in eo loco Levitici agatur de Paſchate, & poſtea ſubjiciatur *à craſtino ſabbath*, non intelligi poteſt *ſabbatum creationis*, ut loquuntur Karræi, ſive ſeptimus dies hebdomadis; ſed dies feſtus, de quo fiebat ſermo, nempe Paſcha. Videlicet die hujus feſti craſtino offerendum erat Homer; ut interpretati ſunt LXX. τῇ ἐπαύριον τῆς πρώτης *craſtinâ die à prima* die azymorum. Decima quinta dies menſis Niſan prima erat ſeptem dierum azymorum; quæ appellatur magna dies, per quam vacandum erat ab omni opere; craſtinâ autem die à prima ſeptem azymorum, & ideo decimâ ſextâ die Niſan offerendum erat Homer; quod adſtruit Joſephus. Τῇ δὲ δευτέρᾳ τῶν ἀζύμων ἡμέρᾳ, ἕκτη δ' ἐστὶν αὕτη καὶ δεκάτη *ſecundâ azymorum die, quæ menſis hujus eſt decima ſexta.* Hac, inquam, die adducendum erat Homer ad Sacerdotem, *qui elevabit*, in fonte *agitabit*, nempe eo ritu, quem non ſemel expoſuimus. Offerens Deo agitabit, movebit in diverſas orbis plagas; & ſic *ſanctificabit*, in fonte, ut acceptabile ſit Deo, ſive ut ipſi ſitis Deo accepti.

12. *Atque in eodem die, quo manipulus conſecratur, cædetur agnus immaculatus anniculus, in holocauſtum Domini.*

Adjungetur huic oblationi holocauſtum ex agno immaculato anniculo.

13. *Et libamenta offerentur cum eo, duæ decimæ ſimilæ, conſperſæ oleo, in incenſum Domini odoremque ſuaviſſimum, liba quoque vini, quarta pars Hin.*

Inſuper offerendum erat *Minnecha*, id eſt, munus ſimilæ, quantùm capere poſſunt duæ *decimæ*, ſive duo vaſa, quæ ſunt pars decima Ephæ; ita quantùm capere poſſunt duo Homer, quod eſt pars decima Ephæ. Hæc ſimila permiſcenda erat cum oleo & incendenda. Inſuper vini libatio fieri debebat ex quarta parte menſuræ hin.

14. *Panem & polentam & pultes non comedetis ex ſegete uſque ad diem quâ offeretis ex ea Deo veſtro. Præceptum eſt ſempiternum in generationibus, cunctiſque habitaculis veſtris.*

Ut habet fons לחם *panem*, קלי *toſtum*, כרמל ſpicam virentem. Videlicet nullo modo deguſtabitis ex nova ſegete ante oblationem manipuli. Non conficietis ex ea panem, toſtum. קלי LXX. interpretantur ἄλφιτον *toſtum, frixum.* Ut poſtea dicemus, grana hordei olim torrebantur, ut faciliùs excuterentur acerâ & glumâ, quæ pertinaciùs hordeo quàm aliis granis adhærent. Latinus Interpres כרמל interpretatus eſt *pultes*; ſed nomen illud Hebræum ſignificat ſpicam virentem. Sed nec etiam licebat ſpicas vellere, & comedere ante oblatum manipulum. Nihil omninò deguſtandum erat ex nova ſegete. Non inconſuetum erat ſic ſpicas vellere, & ex illis fractis forſan pultes conficere. *Si intraveritis in ſegetem amici tui, franges ſpicas, & manu conteres: falce autem non metes.* Dei eſt mandatum in Deuteronomio 23. 25. Olim Romani cum molis carerent, toſtas fruges comedebant: veſcebantur pultibus, ut Plinius nos docet.

SECTIO II.

Quo ritu demetebatur manipulus ex hordeacea meſſe, & offerebatur in templo.

QUo ritu demetendus eſſet manipulus ex meſſe hordeacea, ſacer codex non declaravit. Id traditione accipere potuerant Judæi, quod docet nos Miſna in tractatu *menachot*, ſive de muneribus, ubi in capite 10. agit de dicto manipulo; undè excerpſit Maimonides, quæ ipſe dicit de eodem manipulo, in ſuo tractatu *Tamidim*, ſive de ſacrificiis jugibus, in capite ſeptimo. Quia de demetendo & offerendo manipulo erat ſtatum tempus, idcirco, ut loqui mos eſt Judæis, elevabat & ſabbatum & inquinamentum, inquit Maimonides Nimirùm etiam ſabbato & in immunditie colligi poterat. Deinde pergit ille ſic loqui (lubentiùs enim eum allego, quàm ſcriptorem Miſchnæ, quia luculentior eſt.) « Munus hoc non ferebatur, niſi de terra Iſraëlitica, quia ſcriptum eſt, feretis manipulos ſpi- « carum, primitias meſſis veſtræ, ad Sacerdotem: « hoc eſt, è proximo ferre rectum erat: quod ſi non « ſuppeteret è proximo, de quovis Iſraeliticæ re- « gionis loco petebatur. Jam hoc meti oportebat eâ « nocte, quæ erat ad decimum ſextum diem Niſan, « ſive non iſta profana foret, ſive ſabbatina. « Ea prætermitto, quæ quis jure reponat inter Thalmudicas nugas. Atque manipulum iſtum eſſe feren- « dum ex hordeo uſque à Moyſe illo magiſtro noſ- « tro traditum eſt. Jam hæc erat hujus manipuli pa- « randi ratio. De vigilia ſolemnitatis emittebantur à « ſenatu, qui fruges terræ ſolo inhærentes collige- « rent in faſciculos, quo faciliùs meterentur. Ac con- « veniebant eò proxima quæque oppida, quò meſſis « iſta majorem haberet celebritatem. Metebant igi- «

» tur tria sata hordei homines tres tribus falcibus, A
» & arcis imponebant tribus. Cùm primùm advesperasceret, messorum unus omnes astantes ita ro-
» gabat. Jam occubuit sol? Et respondebant ei, sic
» est. Hæccine falx messoria? Respondebant ei,
» sic est. Hæccine arca? Respondebant, sic est.
» Quod si sabbatum esset, idem rogabat: Estne sab-
» batum hodie? Et respondebant ei, est. Tum dein-
» de rogabat, Metamne? Et illi respondebant, me-
» te. Atque harum rogationum & responsionum
» una quæque ter repetebatur. Quorsum igitur hæc
» tam multa? Ad refellendos heterodoxos illos, qui
» stante templo secundo à communione Judæorum
» recedentes, legis illud *altero die sabbati* pertinere
» ad sabbatum creationis pugnabant. Nos autem B
» auditione accepimus hoc loco agi non de sabbato,
» sed de solemnitate Paschatis; quod idem semper
» Prophetis visum est; & synedriis cujusque æta-
» tis, qui manipulum istum ferebant decimo sexto
» die Nisan, sive dies ille communis, sive sabbatum
» foret: etenim est in lege, panem, & polentam,
& pultes, non comedetis ex segete, usque ad diem
quâ offeretis ex ea Deo vestro *Atque scriptum vi-
demus*, Et comederunt de frugibus terræ die alte-
ro (*Paschatis*) azymos panes & polentam. » At e-
» nim dixerit aliquis: Pascha illud in sabbatum in-
» ciderat; quod utique quibusdam insanis visum est.
» Quomodo verò Scriptura licentiam novarum fru-
» gum comedendarum refert ad rem minimè ne- C
» cessariam, nec certâ causâ sed casu fortuito caden-
» tem? Cùm igitur Scriptura rem constituat in po-
» stridiem Paschatis, perspicuum est posterum diem
» Paschatis demùm causam esse, quæ permitteret
» novis vesci frugibus, nec in quem illa hebdoma-
» dæ diem incideret quidquam fuisse curandum.

Jam de ratione, quâ manipulus offerretur, agit
Maimonides, enarrans quæ fierent in templo, ad
quod nova messis imposita canistris adducebatur in
atrium. » Hîc excutiebatur ac ventilando munda-
» batur, tum excussa illa grana hordeacea igni tor-
» rebantur in sartagine perforata adeò, ut ignis om-
» nia invaderet; quia scriptum est in Levitico 2.
14. *De spicis adhuc virentibus torrebis igni, & con-* D
fringes in morem farris: quo loco agi de solo mu-
» nere manipuli perpetuâ traditione acceperunt alii
» ab aliis. Expansa deinde in atrio perflabat ventus:
» confringebantur indè molâ molendinariâ, eâ vi-
» delicet, quâ ferè fabæ frangebantur. Atque ex his
» tribus satis confractis decimam similaginis succer-
» nebant cribris tredecim, reliquum pretio redime-
» batur & promiscuè comedebatur ab omnibus.
Sic Misna cap. 7. tractatûs de Muneribus, sectione
4. loquitur de manipulo. » Demetebant ipsum at-
» que in canistra reponebant, deinde ad עזרה *aza-
» ra*, id est, atrium templi ferebant, ubi ipsum ad
» ignem torrebant, ad præceptum de tosto, de ip-
» so adimplendum, sunt verba R. Meyri. Sapientes E
» verò dicunt, cannis, truncisque eum percutie-
» bant, ne comminueretur. R. Obadias de Barte-
nora dicit juxta Meyrum Homer ipsum, sive hor-
deum adustum ad ignem, dum esset in spicis; sed
juxta sapientes, priùs decussum, non ope baculi,
ut solet fieri in spicis siccis, sed cannis virentibus,
truncisque brassicæ, ne comprimeretur; postea ve-
ro præceptum torrendi in ipsô implebatur, ut dicit
scriptor Misnicus. » Postea imponebatur vasi Avubb,
» quod perforatum erat, ut ignis undique pene-
» trare posset, & ventus ignem afflare: quum in a-
» trium expansus esset; tandem molæ indebatur fa-
» bariæ, atque indè decimam educebant, cribratam
» tredecim cribris.

Hæc omnia paucis absolvit Josephus loco citato.
Spicarum manipulum igni torrent, hordeum dein- «
ce pinsunt; atque ita in alicæ mo.um fracti assa- «
ronem ad aram offerunt: indè pugillo uno in eam «
injecto, reliquum Sacerdotum usui cedit; & ex «
eo licitum sit publicas ac privatas messes metere. «
Non dicit Josephus, quæ esset quantitas manipu-
li. Dicunt Judæi ex eo potuisse impleri tria sata.
Hi & ille consentiunt assaronem unum, id est, u-
num Homer, quod est decima pars Ephæ, ad aram
delatum. Vas Homer centum pollicum erat; ita
non multò majus duobus litronibus cum semilitro-
ne, sive quinque semilitronibus, quorum capacitas
est pollicum 105 & $\frac{1}{6}$. Quomodo autem illud Ho-
mer ad altare offerretur, dicunt Judæi. « His perac-
tis decima miscebatur cum oleo & thure, atque «
postea ei affundebatur, & convolvebatur, agita- «
batur, adducebatur, pugillo colligebatur, & com- «
burebatur; reliquum verò à Sacerdotibus come- «
debatur. Pleniùs & clariùs hæc Maimonides. At- «
que eodem illo die decimo sexto Nisan decimam «
similaginis hordeaceæ, id est, quantùm capiebat «
Homer, commiscebant logo olei, & eidem sic, «
tanquam reliquis fertis, pugillum thuris adjunge- «
bant, atque ad Orientem sic agitabant: movebant «
hùc & illùc, sursum & deorsum: admovebatur «
indè cornu altaris inter Occidentem & Meridiem «
intermedio, itidem ut reliqua ferta. Tum ex ea «
Sacerdos plenum pugillum depromebat, atque a- «
dolebat. Reliquum autem comedebatur à Sacer- «
dotibus, itidem ut cunctorum fertorum reliquiæ. «
Sed quo diei tempore depromebatur plenus ille «
pugillus? Nempe postquam factum erat & sacrifi-
cium, quod eo die cæteris addebatur, & holo- «
caustum ex agno, qui cum manipulo mactabatur «
ante sacrificium juge matutinum. « Hac ratione to-
tius segetis primitiæ Deo consecrabantur. Ex sege-
te demetebatur manipulus: ex manipulo excutie-
bantur grana, quæ implere possent tria sata, sive
unum Epha; ex quo succernebatur similago, quam
caperet Homer, sive pars decima Ephæ. Sic ex se-
gete pendebantur Deo ἀκροθίνια, nempe summitates
acervi: pars exigua, sed pretiosior.

SECTIO III.

Ab oblato manipulo, sive Homer, numerabantur septem hebdomades, quæ constant diebus quadraginta novem; quinquagesima verò solemnis agebatur.

AB ista die, quâ manipulus offerendus erat, septem hebdomadas numerandas esse præcipit Deus in eodem capite 23. Levitici, ubi agitur de manipulo.

15. *Numerabitis ergo ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas.*

Numerabitis à crastino sabbati, id est, festi, à die quâ obtulistis manipulum, septem hebdomadas, sive 49 dies, quorum primus erit ipse dies crastinus festi, sive subsequens magnum diem azymorum, qui in decimum quintum mensis Nisan incidit. Primus itaque dies horum quadraginta novem erit decimus sextus Nisan.

16. *Usque ad alterum diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies. Et sic offeretis sacrificium novum Domino.*

Usque ad crastinum diem septimæ hebdomadæ, nempe usque ad diem quæ sequitur septem hebdomadas completas; & sic ipsa est quinquagesima dierum, quarum prima illa est qua offertur manipulus. Dies ille quinquagesimus Græcè dicitur πεντηκοστὴ, Pentecoste. *Porrò præceptum est etiam*, id Maimo-

nides ſubjungit his quæ de manipulo dixit, & protulimus articulo ſuperiori, *ut cum hebdomadibus numerentur & ſinguli dies, ſi quidem in lege dicitur* quinquaginta dies. *Ac principio diei numerandum eſt: itaque noctu numerandum ab nocte decimâ ſextâ Niſan.* Videtur Maimonides ſibi non conſtare, cùm dicit numerandum principio diei & noctu. Verùm apud Hebræos nox ipſa erat principium diei: nempe poſt occaſum ſolis, novus dies incipiebat. Pergit loqui Maimonides. *Si quis per oblivionem noctu non numeraſſet, interdiu numeret: jam non numerant niſi ſtantes: at ſi quis ſedens numeraſſet, tamen feciſſet ſatis. Atque hoc præcepto viri Iſraëlitæ omnes omni tempore & omni loco tenentur: mulieres autem & ſervi liberantur. Singulis noctibus antequàm numerent, Deum ita venerentur oportet.* Laudamus te Domine Deus noſter, Rex mundi, qui nos initiaſti præceptis tuis, atque præcepiſti nobis de numero manipuli. *Quanquam ſi quis, omiſſâ gratiarum actione, numeraſſet, nihilominus ſatisfeciſſet, neque deinde gratiarum actionem haberet neceſſe foret.*

Quoniam plurimum intereſt cognoſcere huncce ritum, quo ſeptem hebdomades ab altero die Paſchatis erant numerandæ, referam quod dicit Buxtorfius in ſynagoga Judaïca capite 20. de hodierna Judæorum conſuetudine in hocce mandato adimplendo. *Numerare demùm incipiunt ab altera nocte à Paſchate cum ſtellarum acceſſu, poſt peractas preces veſpertinas, decimo ſexto ſcilicet menſis Niſan. Numerationi præmittunt in principio hanc precatiunculam.* Benedictus tu Domine, Deus noſter, mundi Domine, qui nos præceptis tuis ſanctificaſti, nobiſque ut עומר *homer* dies meſſis numeraremus, præcepiſti: hodie vero dies primus. *Et in hunc modum ad diem ſeptimum uſque pergunt, quo precatiunculæ ſuæ ſubjiciunt:* hodie vero ſeptem aguntur dies, qui hebdomadam unam conſtituunt. *Octavo die dicunt.* Hodie octo aguntur dies, qui hebdomadam unam & diem unum conſtituunt; *& ita deinceps ad nonum & quadrageſimum uſque Pentecoſtes pervigilium. Quinquageſimum ipſum non numerant; quia licet dicatur:* numerabitis quinquaginta dies; *præcedit tamen ibidem,* uſque ad poſterum diem. Judæi inter ſuos libros rituales, unum habent volumen mole exiguum, quod inſcribitur סדר הספירה *ſeder haſephira*, hoc eſt, *ordo numerationis.* In hoc volumine continentur preces ſingulis diebus, per quos numeratur homer, recitandæ, dum pronuntiabatur numerus dierum qui occurreret. Habeo penes me hujus voluminis exemplar typis impreſſum.

Ex hac conſuetudine certa & indubitata deduximus quid ſit ſabbatum δευτερόπρωτον *ſecundo primum*, quod memoratur in capite ſexto Evangelii ſecundùm Lucam. De hoc ſabbato ſunt diverſæ opiniones, ut contingit circa res obſcuras. Liquebit autem quid ſit illud ſabbatum, ſi mens advertatur ad dictam conſuetudinem. Primò, cùm eo ſabbato Apoſtoli vellerent ſpicas, jam oblatus erat manipulus; ante quem oblatum non licebat ullo modo guſtare ex nova ſegete; quod ergo ſi feciſſent Apoſtoli, datum illis fuiſſet vitio à Judæis, qui eos tantùm arguebant, quod in ſabbato vellerent ſpicas, & ſic opus ſervile facerent metendo. Secundo illud, ſabbatum diſtinctum eſt ab aliis hac appellatione *ſabbati ſecundo primi.* Hæc appellatio quæ non alibi expreſſa occurrit, deduci poteſt ex ipſis rebus, ex quibus conjectare licet uſurpatam in numeratione homer à Judæis Græcè loquentibus. Hujus numerationis initium erat decima ſexta dies Niſan δευτέρα ſecunda azymorum. Repetebatur initium, ſive primus terminus numerationis, δευτέρα ſecunda dies azymorum. *Sabbatum ſecundo primum*, ſive primum à ſecunda die poſt Paſcha qua incipiebant Judæi *homer numerare*, ſive quinquaginta dies. Ita non abludit à vero hocce ſabbatum, quo Apoſtoli vellebant ſpicas, & fractas manducabant, fuiſſe primum quod incideret in ſeptem hebdomadas, quæ ab oblato manipulo numerabantur; quod ergo appellari poterat δευτερόπρωτον *ſecundo primum*; nempe primum in numeratione ἀπὸ δευτέρας. Quicquid ſit, quinquageſima dies, quæ ſequebatur numerationem quadraginta novem dierum, erat ſolemne feſtum Pentecoſtes, unum ex tribus ſolemnibus feſtis.

SECTIO IV.

Quinquageſima dies ab oblato manipulo feſtum erat unum ex tribus præcipuis. Hebræi illud appellant atzeret, ſive aſartha. Dicitur & feſtum lætitiæ, legis, & meſſis.

Quinquageſima illa dies numerata à die, quâ offerebatur manipulus, ſive Homer, feſtum erat unum ex tribus præcipuis; dictum à Græcis, & à Judæis græciſſantibus πεντηκοστή, à numero quinquaginta dierum. Judæi Hebraizantes appellant חג שבועות *chag ſcheuvot*, id eſt, *feſtum hebdomadum*, quia completis ſeptem hebdomadibus à Paſchate celebratur; ut Deus præcipit in Levitico 23.

15. *Numerabitis ergo ab altero die ſabbati, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas,*

16. *uſque ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, id eſt, quinquaginta dies: & ſic offeretis ſacrificium novum Domino.*

Similiter in Deuteronomio 16. 9. his verbis. *Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die, quâ falcem in ſegetem miſeris,*

10. *& celebrabis diem feſtum hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem ſpontaneam manus tuæ, quam offeres juxta benedictionem Domini Dei tui.*

Hocce nomine *hebdomadum* paſſim inſignitur feſtum Pentecoſtes, ut in ſecundo Machabæorum, 12. 31. . . . . *Venerunt Jeroſolymam, die ſolemni hebdomadarum inſtante.* 32. *Et poſt Pentecoſten abierunt contra Gorgiam.* Hebræi feſtum illud nominavêre עצרת *atzeret*, Chaldaicâ formâ עצרתא *aſartha*; Græcè ἀσαρθὰ, ut legimus apud Joſephum in Antiquitatibus lib. 3. cap. 10. ſed ipſe nos fallit, aut fallitur, cùm ſic loquitur de feſto. Ἑβραῖοι ἀσαρθὰ καλοῦσι, σημαίνει δὲ τοῦτο πεντηκοστήν. Feſtum hoc Hebræi appellant *aſartha*, quod nomen idem ſonat ac Pentecoſte. Nomen illud *atzeret* ſignificat *interdictum, detentionem, ſeu convocationem*, a verbo עצר *atzar, clauſit, concluſit, incluſit, continuit, detinuit, cohibuit.* Nomen illud occurrit in Levitico capite 23. ubi indicat prohibitionem cujuſcumque operis: ibi agitur de octava die Tabernaculorum. Sed quare Pentecoſte diceretur *atſereth*? Genebrardus putavit propriè dictum hoc nomine diem hujus feſti octavum Pentecoſte, quaſi illud feſtum celebratum fuerit per octo dies, quos illi aſſignat in ſuo Kalendario Hebræorum perinde ac Paſchati & feſto Tabernaculorum; ſed fallitur. Nullibi in ſacro codice & in libris Judæorum mentio fit hujus octavæ. Pentecoſte ab Hebræis & octava Tabernaculorum appellatur *aſarath*; ſed eſt ipſa dies Pentecoſtes, quæ eſt athſereth Paſchatis, id eſt, clauſula ejus, ſive concluſio. Philo Paſcha & Pentecoſtem ita jungit agens de feſtis ut ſcribat diem ſecundum Paſchatis, ſive diem manipuli, præcedere alium feſtum majorem, nempe Pentecoſtem, qui fuit finis omnium rerum quæ

Iſraëlitis contigerunt, dum ex Ægyptiaca ſervitu- A
te liberati ſunt. Idcirco enim egreſſi ſunt ex Ægypto, ut acciperent legem in monte Sinai, quod contigit quinquageſimâ die à tranſitu Domini, ſive Paſchate. Altero die poſt Paſcha, nempe decimâ ſextâ Niſan ſurrexit Dominus primitiæ dormientium: die autem Pentecoſtes deſcendit Spiritus ſanctus; quaſi concluſio Paſchatis, videlicet mortis Christi; quam ille ſubiit, ut renovaretur ſpiritus Dei in homine. Tunc & meſſis Christianorum cœpit; horum enim numerus protinùs auctus eſt; ideò dies ille verè fuit concluſio rerum veterum, quas lex prænuntiabat futuras.

Iſraëlitæ jubebantur agere Pentecoſten cum lætitia. Deus in Deuteronomio cap. 16. mandans ce- B
lebrandam Pentecoſten, adjungit.

11. *Et epulaberis coram Domino Deo tuo, filius tuus, & filia tua, ſervus tuus, & ancilla tua, & Levites qui eſt intra portas tuas, advena ac pupillus & vidua, qui morantur vobiſcum: in loco quem elegerit Deus tuus ut habitet nomen ejus ibi.*

Magna & communis erit lætitia, à qua non excludes ſervos tuos.

12. *Et recordaberis quoniam ſervus fueris in Ægypto: cuſtodieſque ac facies, quæ præcepta ſunt.*

Cauſa autem lætitiæ hujus eſt ipſa legis datio in monte Sinai, ut dicit Maimonides in ſuo more Nevochin, ſive in Doctore perplexorum parte 3. cap. 43. » Feſtum ſeptimanarum, inquit, eſt dies ille, » quo lex data fuit. Ad hujus diei honorem perti- C
» net, quòd dies à præcedenti ſolemni feſto Paſcha» tis ad illum uſque diem numerentur, quemad» modum quis optimum ac fideliſſimum amicorum » ſuorum expectans, dies & horas numerare ſolet. » Hæcque verè cauſa etiam eſt numerationis Ho» mer à die quo egreſſi ſumus ex Ægypto, uſque » ad diem promulgationis legis, quæ præcipua fuit » cauſa & finis exitus ipſorum ſicut dicit. *Et adduxi vos ad me*, vel *ut adducerem vos ad me.* (Exod. » cap. 19. v. 5.) Quia verò viſio illa magna non ni» ſi unum diem duravit, ideò & memoria ejus quot » annis per unicum ſaltem diem celebratur.

Denique Pentecoſtes appellatur feſtum Meſſis; de illa enim fit ſermo in Exodo c. 23. 16. *Et ſolem-* D
nitatem meſſis primitivorum operis tui, quæcumque ſeminaveris in agro. Ibi non fit diſtinctio meſſis hordeaceæ & triticeæ. Oblatio manipuli erat initium meſſis, quæ in Pentecoſte complebatur. Oblatio, inquam, manipuli veluti meſſem auſpicabatur, quæ fiebat ex ſpica hordei virenti. Poſt impletas autem ſeptem hebdomadas, oblationes offerebantur ex farre in horreis collecto, nempe duæ placentæ coctæ cum fermento ex novis frugibus; quæ eſſent primitiæ panis uſitati & quotidiani: ideò fermentatas illas eſſe oportebat. Ex his unam ſumebat ſummus Sacerdos, & altera dividebatur inter omnes claſſes, quæ tunc aderant; neque enim inferebatur ad altare, à quo removendum omne fermentum.

Lex inſuper præcipiebat hac die ſacrificia quæ- E
dam addenda quotidianis, ut in Levitico ſcriptum eſt cap. 23.

16. ... *Et ſic offeretis ſacrificium novum Domino.*

In fonte *munus novum*, quod dicitur מנחה *minecha*; id eſt, *novum donum*, farreum ex tritico, ut poſteà explicatur, antequàm ex illa ſegete nova quidquam deguſtaretur.

17. *Ex omnibus habitaculis veſtris, panes primitiarum duos de duabus decimis ſimilæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini.*

Illud munus debebat Deo offerri ex omni agro Iſraëlitico, ceu univerſi Iſraël nomine, ut in exiguis primitiis tota conſecraretur Deo maſſa, ſive tota accepta ab illo referretur ad eum, ideò contrà quàm fieri ſolebat in aliis placentis, quæ Deo offerebantur, illæ debuerunt eſſe fermentatæ; quæ erant in ſymbolum panis fermentati, quo uti ſolebant Iſraëlitæ. Duo autem illi panes confecti erant ex ſimila, quam duo aſſarones, ſive menſuræ, quæ appellantur decimæ, capere poterant. An duæ decimæ eſſent tantùm in duobus panibus, an in ſingulis, obſcurum eſt. Joſephus unum panem oblatum memorat triticeum ex duobus aſſaronibus, ſive decimis; ita ſenſit ille duos tantùm aſſarones impenſos duobus panibus. *Minnechas* in genere munus eſt, & ſpeciatim munus frumentaceum.

18. *Offeretiſque cum panibus ſeptem agnos imma-* B
culatos anniculos, & vitulum de armento unum, & arietes duos, & erunt in holocauſtum cum libamentis ſuis, in odorem ſuaviſſimum Domino.

Hæcce ſacrificia addenda erant quotidianis, ſimul & libamenta, videlicet quæ ſimul offerri ſolent cum animali immolato, oleum, vinum, farina, thus, ſal.

19. *Facietis & hircum pro peccato, duoſque agnos immaculatos anniculos, hoſtias pacificorum.*

Hircus in ſacrificium pro peccato, & duo agni in ſacrificium pacificorum.

20. *Cùmque elevaverit eos Sacerdos cum panibus primitiarum coram Domino, cedent in uſum ejus.*

Cùmque *elevaverit*, nempe obtulerit, de more agitans, ſurſum deorſum movens has victimas im- C
molatas ſuper panes primitiarum, ſibi ea propria ſumet; quæ ad ſe pertinent: in quibuſdam enim ſacrificiis pars concedebatur populo.

21. *Et vocabitis hunc diem celeberrimum atque ſanctiſſimum. Omne opus ſervile non facietis in eo. Legitimum ſempiternum erit in cunctis habitaculis & generationibus veſtris.*

In fonte, hæc dies *convocatio ſancta*, id eſt, feſtum ſolemne reputabitur; cujus ritum Ligfootius his verbis exponit cum Maimonide. « Sacerdos primùm agitabat agnos vivos; deinde eos mactabat, « & pelle detractâ, pectus & humeros eorum ſu- « mebat, & propè placentas ea deponebat, ſub- « miſſâque manu omnia ſimul ſurſum deorſum, « hinc & indè, & versùs Orientem agitabat. Poſtea « D
comburebat eorum viſcera, & Sacerdotes reli- « quam carnem comedebant. Ad placentas quod at- « tinet, ſummus Sacerdos unam ſumebat, & altera dividebatur inter omnes claſſes. «

CAPUT XI.

De Feſtis menſe Tiſri celebrandis; nempe de feſto tubarum in principio anni; de Expiationis, ſive jejunii die; de Tabernaculorum feſto, & in eo agendis feſtivitatibus.

SECTIO I.

De initio anni, & clangoris, ſive tubarum feſto.

Intereſt rei tum publicæ, tum ſacræ tempora eſſe ordinatiſſima & certis ſignis diſtincta, dignoſci ab omnibus. Ut id fieret provideret Deus, inſtituens formam Reipublicæ Hebræorum, & ritus religionis, juxta quos volebat coli. Vidimus quâ cautione & quâ religione inchoabantur menſes; quorum initium ſignificabatur clangentibus buccinis. Sed præcipuus clangor præcipiebatur menſe Tiſri, qui erat primus menſium, & ideò caput anni. Ille eſt menſis lunaris, cujus plenilunium ſe-

quitur æquinoxium autumnale; sicut plenilunium lunæ Nisan sequitur æquinoxium vernum. A condito primùm mundo, sive à creatione ejus cœperunt menses & anni fluere & numerari. Ergo videtur Tisri habitus primus mensium anni; quia terminus fuit, à quo computati sunt menses & anni; quia reipsâ omnium mensium primus fuit. Scilicet Judæi omnes credunt eo mense mundum creatum: quod verisimile est; potiùs enim Deus arbores creavit pomis suis maturis oneratas, quàm floribus ornatas, quæ quidem oculis placent, sed non statim prosunt. Mense Tisri autem colliguntur maturi fructus. Quidquid sit, sicut religio mensis Nisan fuit instituta in recordationem quasi novæ creationis; quia tunc Is- B raëlitæ cœperunt esse liberi, qui priùs fuerant servi: ita festum primi mensis anni ordinatum est ad recordationem primæ creationis. Thalmudici, agnoscunt, ut dixi, mundum conditum mense Tisri, & ideò caput ejus fuisse festivum, sed addunt. *In Tisri Patriarchæ nati sunt, & in Tisri quoque mortui. In Paschate natus est Isaac; in principio anni, seu in mense Tisri visitata fuit Sara, Rachel, & Anna. In principio anni egressus est Josephus è carcere; in Tisri cessavit servitus patrum nostrorum in Ægypto, quum in mense Nisan liberati sint; in Tisri per Messiam quoque liberabuntur.* Hæc R. Eliezer in codice Rosch haschana, quem Meyerus adducit ex Thalmude Babylonico. Deus autem an- C ni initium inter festa numerandum esse præscribit in Levitico cap. 23.

23. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:*

24. *Loquere filiis Israël: mense septimo, primâ die mensis, erit vobis sabbatum memoriale, clangentibus tubis, & vocabitur sanctum.*

Ibi Moyses hunc mensem, de quo fit sermo; appellat septimum, quia ipse instituerat ut Nisan esset primus, à quo cùm initium sumitur, Tisri est septimus. Mandat Deus ut prima dies hujus sit sabbatum, id est, dies festivus; per quem omne opus servile prohibetur, ut postea subjicitur. *Sabbatum memoriale*, ut puto, ob memoriam creationis. זכרון *zicron*, memoria. Græci reddunt μνημόσυνον moni- D mentum. Fiet autem recordatio illa, tubis clangentibus solemniter in templo. Doctores Misnici in tractatu *Rosch haschana*, multa dicunt de illis tubis. Statuunt omnes obligatos fuisse ad audiendum sonum tubæ; qui verò erant peritiartis buccinandi, ipsi buccinabant. *Et vocabitur sanctum.* Fons reddi potest, *& convocatio sancta.* Nempe omnes congregabuntur ad celebrandum huncce festivum diem.

25. *Omne opus servile non facietis in eo, & offeretis holocaustum Domino.*

Quiescetis, & soli Deo celebrando vacabitis; & ei offeretis holocaustum; cujus ritum magis liquidò describit Moyses in Numeris cap. 29.

1. *Mensis etiam septimi prima dies venerabilis & sancta erit vobis: omne opus servile non facietis* E *in ea, quia dies est clangoris & tubarum.*

In fonte dies תרועה *Therugna.* Quidam aiunt hocce nomine significari concitatum fractumque strepitum buccinarum. Derivatur à ריע, quod est *clangere* fracto sono propriè, & universim *vociferari.* Redditur à Græcis Interpretibus Κραυγὴ *clamor*, Σημασία *signum*, φωνὴ vox, Σάλπιξ *tuba*, Ἀλαλαγμὸς *vociferatio.* Vulgatus Interpres vertit: *dies est clangoris & tubarum*; quia illi proprium nomen non occurrebat.

2. *Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum de armento unum, arietem unum, & agnos anniculos immaculatos septem.*

Hæc immolanda erant animalia.

3. *Et in sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ* A *tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem.*

In fonte ומנחתם *& mincha eorum*; id est, farreum donarium, his victimis adjungendum, fiet ex tribus decimis similæ oleo conspersæ. Vulgatus satis hunc sensum expressit, licet paulò liberior. Cum singulis vitulis decebat offerri tres mensuras, quæ decimæ appellantur, similæ oleo conspersæ.

4. *Unam decimam per agnum, qui simul sunt agni septem.*

5. *Et hircum pro peccato, qui offertur in expiationem populi.*

6. *Præter holocaustum calendarum cum sacrificiis* B *suis, & holocaustum sempiternum cum libationibus solitis, eisdem ceremoniis offeretis in odorem suavissimum incensum Domino.*

Hæc omnia offerenda, præter illa, quæ singulorum mensium initio, quod Latinus Interpres more Romano appellat calendas, Deus præceperat ut offerrentur. Novilunium Tisri sic præ cæteris sanctum habebatur; & de eo dictum est in Psalmo 80.

3. *Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ.*

4. *Quia præceptum in Israël est, & judicium Deo Jacob.*

Equidem buccinandum erat in omnibus neome- C niis; sed videtur Psalmus ille decantatus fuisse illâ neomeniâ, in qua potissimùm clangendum esse Deus judicaverat; sive mos erat institutus à Deo ut clangeretur. משפט *Mischepath* idem sonat ac *ritus, mos*, licet & *judicium* significet. Ut Psalmum hunc vindicem festo tubarum, sive initio anni, facit titulus. In versione Græca ὑπὲρ τῶν ληνῶν, *in torcularibus.* Legerunt Græci גתות *ghittoth*, id est, *Torcularia.* Scilicet tempore vindemiæ, quæ cadit in initium Tisri, Psalmus ille decantandus erat. Nunc legitur in codice Hebræo הגתית *Gittith*, quod volunt esse nomen instrumenti musici, quod adduceretur ex Gath. Lectio Græcorum antiquior est & rei consentanea; nam neomeniam Tisri magis fuisse D observandam probat quòd eam Philo, in libro de Decalogo, nominat ἱερομηνίαν, sacrum novilunium, quod declaratur tubâ. Ibi intelligendum novilunium Tisri satis significat, si quidem statim jejunii nominat diem, qui in decimum Tisri incidebat. Id etiam clarè colligitur ex fusioribus ejusdem Philonis verbis, ubi in septenario festa ex ordine explicat. Postquàm de Pentecoste disseruit, *sequitur*, inquit, *deinceps* ἱερομηνία (sacrum novilunium) *circa quod mos est tubâ canendi in templo, cùm victimæ adducuntur; unde etiam tubarum festum verè appellatur.* Cùm de ordinario novilunio loquitur, illud simpliciter nominat νεομηνίαν. De festo autem Tubarum, dicit Tubas illas esse *commemorationem prodigiosi ac miraculosi operis, quo legum O-* E *racula promulgata sunt. Enim verò tunc vox tubæ è cælo sonitum edidit.*

SECTIO II.

De festo magni Jejunii & Expiationis, quod incidebat in mensis septimi, sive Tisri decimam diem.

J*Ejunii festum* νηστείας ἑορτὴ *post tubarum clangorem celebratur, quod maximum omnium Moyses enuntiavit, & patriâ linguâ sabbatum sabbatorum nominavit*, ait Philo. De hoc festo decet interpretari jejunium illud, quod indicat Paulus in Actis cap. 27. v. 9.... *Cùm jam non esset tuta navigatio, eò quòd & jejunium jam præteriisset.* Verba Græca perpendenda sunt. Διὰ τὸ καὶ τὴν νηστείαν ἤδη παρεληλυθέναι. Non quodvis jejunium indicatur; sed notum ac ce-

lebre. Id designat articulus ante πανηγύρεω. Tum & ipsa res, quam describit. Nam Paulus vult significatum tunc temporis navigationem fuisse periculosam; quod nautæ experiri solent in luna, quæ subsequitur æquinoctium autumnale, nempe cùm decima dies mensis Tisri jam præteriit. Præterea Paulus hacce voce utitur πανηγύρει, quâ festum, de quo loquimur, Philo nominat. Hic scriptor dicit à Moyse appellatum *sabbatum sabbatorum*; nempe in capite 23. Levitici v. 31. In Mischna, tractatus ille, in quo explicantur ritus festi, inscribitur יומא *Joma*, id est, dies, nempe per antonomasiam magnus. Quæ spectant ad huncce diem præscribuntur in capite 23. Levitici. Postquàm de principio anni & festo clangoris præcepit Deus, pergit compellare Moysen.

27. *Decimo die mensis hujus septimi, dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur sanctus: affligetisque animas vestras in eo, & offeretis holocaustum Domino.*

Septimus ille mensis est Tisri, in ordine mensium, cùm initium numerationis sumitur à mense Nisan. *Dies expiationum* in fonte הכפרים *hacbephurim*. In Græcâ versione ἐξιλασμοῦ, nimirùm dies quo propitius redditur Deus; quia quisque Israëlita dabit pœnas delictorum suorum jejunando. Ubi præcipit Deus jejunium, sic loqui solet, *affligetis animas vestras*. Id est, vosmetipsos affligetis, abstinendo ab omni alimonia.

28. *Omne opus servile non facietis in tempore diei hujus: quia dies propitiationis est, ut propitietur vobis Dominus Deus vester.*

Hac die tantùm incumbetis Deo propitiando.

29. *Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis.*

Vitam interminatur Deus omnibus, qui hac die non affligent animas suas, id est, non jejunabunt; pariter & his, qui non quiescent. In quo sita esset ista afflictio declaratur in tractatu Joma cap. 8. sect. 1. *In die expiationis interdictum est in cibo & in potu, & in lotione & in unctione, & in indutione calcei, & in ministerio lecti.* Re omni jucundâ, licet aliis diebus licitâ, abstinebant Judæi. Non utebantur conjugio. Ætate B. Chrysostomi nudi pedalia hac die observabant, nempe non utebantur calceis, ut ille Doctor indicat in homilia sua adversùs Judæos.

30. *Et quæ operis quidpiam fecerit, delebo eam de populo suo.*

Ipse ego ab anima illa pœnas repetam. Illæ pœnæ appellantur *per manus cæli*; quia Deus cæli, cui quandoque soli innotuerat culpa, ipse delinquentem puniebat.

31. *Nihil ergo operis facietis in eo: legitimum sempiternum erit vobis in cunctis generationibus & habitaculis vestris.*

Idcircò Judæi, etiam hac ætate, & in quacumque regione deprehendantur ritus hujus festi observant, qui extra templum possunt adimpleri.

32. *Sabbatum requietionis est, & affligetis animas vestras die nono mensis: à vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.*

In fonte pro *sabbato requietionis*, legimus *sabbath sabbathorum*. Quæ repetitio adstruit huic festo magnam celebritatem. Nono die mensis præcipit Deus affligendam esse animam. Scilicet toto decimo die erat omni alimoniâ abstinendum; decimus autem dies post occasum solis nono die inchoabatur. Ideò cùm à vespere ad vesperam celebranda essent sabbata; admonet Deus Judæos ut in afflictione animæ seu in jejunio festi expiationum, inchoarent illud, & perficerent intra occasum solis die nona, & occasum solis die decima. Itaque totâ istâ die Expiationum non ullum cibum Judæi degustabant.

Quæ essent sacrificia propria festo Expiationis indicat caput 29. Numerorum.

7. *Decima quoque dies mensis hujus septimi erit vobis sancta atque venerabilis, & affligetis animas vestras: omne opus servile non facietis in ea.*

8. *Offeretisque holocaustum Domino in odorem suavissimum, vitulum de armento unum, arietem unum, agnos immaculatos septem.*

9. *Et in sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem.*

10. *Decimam decimæ per agnos singulos, qui sunt simul agni septem.*

Hæc plana sunt; sed pro eo quod habet Latinus Interpres *decimam decimæ*, quasi esset intelligenda mensura, quæ appellaretur decima mensuræ, in fonte est עשרון עשרון *Ischaron Ischaron*: In versione Græca δέκατον δέκατον; quæ repetitio indicat distributionem, quâ per singulos agnos impendenda esset *Ischaron*, id est, *decima*. Re ipsâ erat mensura, quæ esset decima pars Ephæ, & ideò diceretur *Ischaron*, sed *ischaron ischaron*, ad verbum *decima decima* non decima decimæ; & sic locus vertendus, & singulas decimas per singulos agnos.

11. *Et hircum pro peccato, absque his quæ offerri pro delicto solent in expiationem, & holocaustum sempiternum, cum sacrificio & libaminibus ejus.*

Sacrificium quod dicitur in fonte חטאת, id est, peccatum, in Græca versione dicitur περὶ ἁμαρτίας *pro peccato*; describiturque in Levitico cap. 16. quod mox exponam.

SECTIO III.

Solâ Expiationis solemnis die summus Pontifex intrabat in Sanctum Sanctorum, priùs oblatis certis sacrificiis. Quomodo intelligendus factus semel hac die introitus, cùm Scriptura quaternarium innuat. Hircus oneratus maledictis emittebatur in desertum.

HÆc quæ præsentis articuli lemma proponit, explicantur in capite 16. Levitici; cujus verba omnia prosequar brevi expositione.

1. *Locutusque est Dominus ad Moysen, post mortem duorum filiorum Aaron, quando offerentes ignem alienum interfecti sunt.*

His præceptis sequentibus de non adeundo Sancto Sanctorum, nisi cum multa reverentia, occasio fuit irreverentia filiorum Aaronis, qui peccati pœnas dedêre.

2. *Et præcepit ei, dicens: Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod est intra velum coram Propitiatorio, quo tegitur Arca ut non moriatur (quia in nube apparebo super Oraculum.)*

Sanctuarium, id est, Sanctum Sanctorum, quod est intra velum, nempe quod velum separat à Sancto. Græci posuêre εἰς τὸ ἅγιον ἐσώτερον Sanctum interius. Præterea additur *coram Propitiatorio quo tegitur Arca*. Scilicet ubi est Arca cum Propitiatorio, ut alibi dicitur, scabellum pedum meorum, ubi resideo in aspectabili specie, splendida in nube quæ operiebat Tabernaculum. Proinde non debet Sacerdos ullus nisi raró ac trepidè, cùm vocatus est accedere, sacrificiis factis, quæ hîc memorantur.

3. *Nisi hæc ante fecerit: vitulum pro peccato offeret, & arietem in holocaustum.*

Hæc pro peccato proprio & familiæ suæ: alia enim

num mandantur sacrificia pro omni gente.

4. *Tunicâ lineâ vestietur, feminalibus lineis verenda celabit: accingetur zonâ lineâ, Cidarim lineam imponet capiti: hæc enim vestimenta sunt sancta: quibus cunctis, cùm lotus fuerit, induetur.*

Quæ vestimenta illa fuerint declaratum est. Hacce die luctûs & mœstitiæ, summus Sacerdos non alias vestes primum induebat quàm gregarii Sacerdotes. Utebatur tantùm lineis, quibus illi se amiciebant; sed posteà illas exuens, pretiosiores sumebat, ut dicemus ritum festi describentes.

5. *Suscipietque ab universa multitudine filiorum Israël duos hircos pro peccato, & unum arietem in holocaustum.*

6. *Cùmque obtulerit vitulum, & oraverit pro se & pro domo sua*

Pro suis & familiæ peccatis.

7. *Duos hircos stare faciet coram Domino in ostio Tabernaculi testimonii.*

Adducet ad ostium Tabernaculi; nempe ad introitum atrii, in quo victimæ mactabantur.

8. *Mittensque super utrumque sortem, unam Domino, & alteram capro emissario.*

Committebat sorti, sive potiùs sorte consulebat voluntatem Dei de electione duorum hircorum; uter Domino esset offerendus; uter in solitudinem esset abigendus. Sortes mittebantur in urnam: his autem videtur inscriptum, uni ליהוה *Lihavoh*, sive, ut nomen Dei nunc effertur, *lajehova*; alteri לעזאזל *la hazazel*, sive, ut alii pronuntiant, *Ghazazel*. Latinus Interpres secutus est LXX. Græcos, qui vertunt: τῷ ἀποπομπαίῳ *emissario*. Verbum ἀποπέμπω sonat Græcis *mitto, ablego, emitto, submoveo*. Apud eos ἀποπομπαῖοι δαίμονες erant dæmones, qui malorum depulsores censebantur. Sed de origine nominis *hazazel* agitur. Vulgò deducitur ex עז *Hez*, id est, capra, & אזל *Azal*, id est, *abiit, digressus est*. Sunt qui accersunt ex verbo Arabico *azala*, *removere*, seu *separare*. Nonnulli volunt *Azazel* esse nomen loci, sive montis, sive deserti asperi, confragosi; quam significationem & accersunt ex origine Arabica עז *hazza*, quæ vox sonat *durus fuit*. Etiam *Azala* apud Arabas significat in angustia versari. Ut sicut hircus dicebatur *Domini*, qui aræ Domini destinabatur, alter hircus diceretur præcipitii, sive loci confragosi, duri, qui in talem locum mittendus esset. Nullus Geographus meminit montis *Azazel*. Si quis fuisset hujus nominis, non eum illi tacuissent.

9. *Cujus exierit sors Domino, offeret illum pro peccato.*

Ex vasculo, in quod conjectæ fuerant sortes, cujus exierit sors inscripta DOMINO, hunc Sacerdos magnus faciet peccatum, nempe in sacrificium, quod in fonte appellatur *peccatum*; in Græca versione περὶ ἁμαρτίας *pro peccato*.

10. *Cujus autem in caprum emissarium, statuet eum vivum coram Domino, ut fundat preces super eo, & emittat eum in solitudinem.*

Cujus sors ascenderit ex vasculo, inscripta AZAZEL, id est, *capro emissario*, statuetur coram Domino vivus; in fonte: *ad expiandum super illum*; eâ ratione, quæ modò dicetur, nempe ad onerandum caput ejus maledictis, sive peccatis omnium Israëlitarum. Illud, *ut fundat preces super eo*, sic interpretandum est, ut omnia mala ei imprecaretur Sacerdos, & deinde curaret emittendum in solitudinem.

11. *His ritè celebratis offeret vitulum, & rogans pro se & pro domo sua, immolabit eum.*

Protinus faciet illud sacrificium, quo expiabit sua & familiæ peccata.

A 12. *Assumptoque thuribulo, quod de prunis altaris impleverit, & hauriens manu compositum thymiama in incensum, ultra velum intrabit in sancta.*

Inter vitulum mactatum & sanguinem ejus sparsum, videtur quibusdam intercessisse incensi oblatio in altari, quod erat coram Domino. Sed non hîc agitur de tali incenso. Accipiebat Sacerdos ex igne, qui erat perpetuus in altari holocaustorum, prunas ardentes, quas deferens secum, *ultra velum intrabit in sancta*, in fonte, *adducet* מבית *mibaith*, id est, intrinsecus, *ad velum*, id est, intrabit in Sancta, nempe Sanctorum; quorum aspectu non poterat suos oculos pascere, opplebantur enim nebulâ incensi, ut mox dicetur.

13. *Ut positis super ignem aromatibus, nebula eo-*
B *rum & vapor operiat Oraculum, quod est supra testimonium, & non moriatur.*

Sacerdos ingressurus hunc locum, volas, ut fons loquitur, suffitu aromatico contuso implebat, quem suffitum spargebat super prunas thuribuli. Indè fumus surgens impediebat quominùs locus sibi esset aspectabilis, & majestate ejus perculsus moreretur.

14. *Tollet quoque de sanguine vituli, & asperget digito septies contra Propitiatorium ad Orientem.*

Pontifex ad Orientem Propitiatorii stans, anteriorem partem ejus sanguine respergebat.

15. *Cùmque mactaverit hircum pro peccato populi, inferet sanguinem ejus intra velum, sicut præceptum est de sanguine vituli, ut aspergat è regione*
C *Oraculi.*

Eadem fit aspersio sanguinis hirci, quæ facta est vituli.

16. *Et expiet Sanctuarium ab immunditiis filiorum Israël, & à prævaricationibus eorum, cunctisque peccatis. Juxta hunc ritum faciet Tabernaculo testimonii, quod fixum est inter eos, in medio sordium habitationis eorum.*

Sic expiabit Sacerdos Sanctuarium, totumque Tabernaculum, quod fixum inter Israëlitas non vacat sordibus eorum, & ideò purgandum est.

17. *Nullus hominum sit in Tabernaculo, quando Pontifex Sanctuarium ingreditur, ut roget pro se & pro domo sua & pro universo cœtu Israël, donec*
D *egrediatur Tabernaculum.*

Ob reverentiam divinæ majestatis, tunc manifestiùs apparentis; ne quis alius Sacerdos aut Levita conjiceret temerè oculos in Sancta Sanctorum, quæ ne sibi conspicua essent etiam summus Sacerdos cavebat, excitans fumum ope suffitûs, ut dixi.

18. *Cùm autem exierit ad altare, quod coram Domino est, oret pro se, & sumptum sanguinem vituli, atque hirci fundat super cornua ejus per gyrum.*

19. *Aspergensque digito septies, expiet & sanctificet illud ab immunditiis filiorum Israël.*

Exin Sacerdos exibit, id est, accedet ad altare aureum, quod est coram Domino ante Arcam, & lustrabit illud, respergens sanguine vituli & hirci.

E 20. *Postquàm emundaverit Sanctuarium, & Tabernaculum, & altare, tunc offerat hircum viventem.*

Non immolando, sed vivum sistendo coram Deo. In fonte: Tunc *faciet appropinquare hircum*.

21. *Et positâ utrâque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israël, & universa delicta, atque peccata eorum: quæ imprecans capiti ejus, mittet illum per hominem paratum, in desertum.*

Recitabit peccata filiorum Israël, & his onerabit caput hirci, sive orabit Deum ut transferat pœnas peccatorum Israëlis in hocce caput.

22. *Cùmque portaverit hircus omnes iniquitates*

eorum in terram solitariam, & dimissus fuerit in deserto.

Volunt Judæi hunc è rupibus præcipitem actum. Josephus dicit missum εἰς ὑπερόριον ἐρημίαν *in desertum extra fines.*

23. *Revertetur Aaron in Tabernaculum testimonii, & depositis vestibus, quibus priùs indutus erat cum intraret Sanctuarium, relictisque ibi.* In eo loco, in quo eas exuit.

24. *Lavabit carnem suam in loco sancto, induetur que vestibus suis.*

Deponet lineas vestes, in quibus priùs ministraverat, quæ communes erant inferioribus Sacerdotibus; & postquàm abluerit carnem suam, induet vestes sibi proprias, quæ pretiosiores sunt.

Et postquam egressus obtulerit holocaustum suum ac plebis, rogabit tam pro se quàm pro populo:

25. *Et adipem qui oblatus est pro peccatis, adolebit super altare.*

Mutatis vestibus summus Sacerdos debebat sacrificium perficere.

26. *Ille verò, qui dimiserit caprum emissarium, lavabit vestimenta sua & corpus aquâ, & sic ingredietur in castra.*

Tactus enim capri emissarii censebatur huncce virum polluisse, ita tanquam immundus removebatur castris, donec abluisset se & sua vestimenta.

27. *Vitulum autem & hircum, qui pro peccato fuerant immolati, & quorum sanguis illatus est in Sanctuarium ut expiatio compleretur, asportabunt foras extra castra, & comburent igni tam pelles, quàm carnes eorum, ac fimum.*

Id significat omnem memoriam illorum criminum à Deo longè projectam. Adeps vituli & hirci comburebatur in ipso altari æneo; ipsi verò, nempe carnes eorum, pelles, fimus projiciebantur extra castra, ut res immundæ, & igni adolebantur juxta legem, quæ habetur in capite 4. Levitici in quo agitur de vitulo qui offerebatur pro peccato Sacerdotis & multitudinis per ignorantiam peccantis. Hujus adipibus combustis in ipso altari æneo, carnes ejus, pelles & fimus efferebantur extra castra & comburebantur. 21. *ipsum autem vitulum* Sacerdos *efferet extra castra atque comburet.*

Alter verò Hircus nempe qui dicebatur emissarius ἀποπομπαῖος mittebatur extra fines; ubi, ut dicit Josephus, comburebatur ἐν τοῖς προαστείοις ἐν τόπῳ καθαρωτάτῳ, *in suburbio in loco mundissimo.*

28. *Et quicumque combusserit ea, lavabit vestimenta sua, & carnem aquâ, & sic ingredietur in castra.*

Etenim nisi hæc faceret, pro immundo habendus, quem lex non sinebat intra castra versari.

29. *Eritque vobis hoc legitimum sempiternum: mense septimo, decimâ die mensis, affligetis animas vestras, nullumque opus facietis, sive indigena, sive advena, qui peregrinatur inter vos.*

Ista, quæ enumerata sunt, complenda erant ipsâ die decimâ mensis septimi, qui ideò appellabatur *Expiationis*, quâ die erat jejunandum.

30. *In hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris: coram Domino mundabimini.*

Hocce ritu fiet expiatio.

31. *Sabbatum enim requietionis est, & affligetis animas vestras religione perpetuâ.*

In fonte, *sabbatum sabbatorum est*, id est, sabbatum potissimum, quo vacandum est ab omni opere, ut totus dies impendatur Deo.

32. *Expiabit autem Sacerdos, qui unctus fuerit & cujus manus initiatæ sunt ut Sacerdotio fungatur pro patre suo: indueturque stolâ lineâ & vestibus sanctis.*

A

Expiatio illa fiet per Aaronem Sacerdotem, aut eo mortuo, per eum qui unctus fuerit ut succedat.

33. *Et expiabit Sanctuarium & Tabernaculum testimonii, atque altare, Sacerdotes quoque & universum populum.*

Non alius quàm summus Sacerdos implebit illud munus.

34. *Eritque vobis hoc legitimum sempiternum, ut oretis pro filiis Israël & pro cunctis peccatis eorum semel in anno. Fecit igitur sicut præceperat Dominus Moysi.*

Hocce festum Expiationis semel quotannis celebrabitur; quo festo summus Sacerdos, & non alio

B

tempore, ingrediebatur in Sanctum Sanctorum, ut dicit scriptor Epistolæ ad Hebræos cap. 9. *In priori quidem Tabernaculo semper introibant Sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes: in secundo autem semel in anno solus Pontifex, non sine sanguine, quem offert pro sua & populi ignorantia.*

Expendenda illa verba semel in anno ἅπαξ κατ' ἐνιαυτόν. Pontifici non licebat ingredi sæpiùs sed semel quotannis, & cum sanguine, quæ & dicit Philo referens Epistolam Regis Agrippæ in Epistola ad Caium Imperatorem. Ibi semel tantùm intrasse in Sanctum Sanctorum quotannis Pontificem maximum scribit, & si eodem die ter vel quater intrasset, mortem meruisse. Philo autem libro de Somniis hac die non dubitat ei dignitatem inter Deum & reli-

C

quos homines mediam tribuere; verùm male id confirmat, ut Relandus observat verbis illis sacri codicis, quem suprà protulimus: *nullus hominum sit in Tabernaculo quando Pontifex Maximus Sanctuarium ingreditur.* Non dicit sacer codex *quum Pontifex maximus ingredietur in Sanctum Sanctorum homo non erit*, sed homo non sit in Tabernaculo, quando Pontifex ingredietur. Relandus ostendit Pontificem magnum in hunc locum illo die quatuor vicibus intrasse. « Primò quidem post mactatum juvencum suum & sanguinem ejus Sacerdoti traditum ne concresceret, prunas ab altari exteriori desumptas & vasi aureo impositas unà cum vasculo aureo suffitûs intulit in Sanctum Sancto-

D

rum, & deposito vase inter vectes Arcæ, vel stante templo secundo supra lapidem fundationis, suffitum super prunas congestum adolevit. »

« Secundò intravit in Sanctum Sanctorum cum sanguine juvenci sui, ut antequàm pro populo intercederet se expiaret, & inter vectes Arcæ constitutus semel sursum supra operculum, septies deorsum, digito sanguinem sparsit, & vasculum in Sancto deposuit. »

« Tertiò cum sanguine hirci unius ex duobus piacularibus, quorum alter, hic scilicet sorte Deo erat designatus, alter secessioni, ἀποπομπαῖος & in desertum emittendus... Postquàm igitur juvenci sui sanguinem in Sanctum Sanctorum intulisset, mactavit hircum & sanguinem illius eò quoque tu-

E

lit, & similes octo sparsiones peregit. Dein regressus in Sanctum juvenci sanguinem accipiebat, & contra velum octies eum spargebat: atque ita similiter sanguinem hirci. Postea sanguine hirci & juvenci commixto cornua altaris interioris adspersit, initium ducens à cornu euroboreali, & partem ipsius superficiei altaris in summo ad latus meridionale septies; reliquumque sanguinis effudit ad basim altaris exterioris, & manibus impositis hirco emissario, editâque confessione, illum emisit in desertum: quo eum pervenisse ex lingua coccinea in templo portæ pronai affixa didicisse dicuntur, quæ tum solebat albescere, exceptis annis quadraginta ante templi secundi excidium, id

» est, circa tempus passionis Christi.

» Quartò in Sanctum Sanctorum intravit ad repetendum thuribulum. Sunt qui putent quatuor hosce introitus Pontificis M. in S. Sanctorum adversari verbis Mosis *Levit.* 16. 34. *Exod.* 30. 10. ubi semel quotannis, non quater, ingredi S. Sanctorum Pontifex jubetur. Verùm vix uno introitu omnia peragi potuêre, quæ *Levit* 16. peragi in S. Sanctorum jubentur; & post sparsum in S. Sanctorum juvenci sanguinem legitur & mactabit hircum, & sanguinem ejus inferet in Sanctum Sanctorum, & sparget uti sparsit sanguinem juvenci; videnturque distincti introitus commemorari *Levit.* 16. 15. 16. 18. sed ut ostendit Relandus omnes illi introitus perinde ac unus censentur, quod & exemplis confirmat.

SECTIO IV.

Quos Judæi in Misna dicunt servatos ritus die festo Expiationis, licet non indicentur in sacro codice, non ideò omnes reputandi sunt fictitii.

Ritus est animadversione dignus; cujus mentio fit in Misnico tractatu *Joma*, cap. 4. sect. 2. Summus Sacerdos die festo Expiationis *alligabat linguam coccineam ad caput hirci emissarii, & sistebat eum ad locum, undè erat emittendus.* Laneus erat pannus, tinctus colore rubro; dicebatur *lingua*, quia formam linguæ referebat. Huncce verò ritum non commentitium esse, sive reipsâ observatum, ex antiqua traditione acceptum probat Epistola sancti Barnabæ; quæ multùm antiquior est Misnicâ collectione. S. Barnabas demonstrat Jesum Christum fuisse manifestè præfiguratum cæremoniis veteris legis; præsertim hirco emissario. *Attendite*, inquit, *quo pacto figura Jesu manifestetur. Et conspuite illum omnes, ac lancinate, imponite lanam coccineam circa caput ejus: & sic in desertum emittatur.* Hæc videbat Barnabas à Judæis observari; neque enim legerat in sacro codice: undè colligebat hunc hircum verè fuisse figuram Christi; cui Judæi maledixerant, quem lancinaverant. Cæremonia, inquam, illa hirci maledicti, qualis observabatur à Judæis, graphicè expresserat passionem Christi; ut & Tertullianus notavit lib. 1. cap. 14. contra Judæos; loquitur de duobus his hircis. *Unus autem eorum circumdatus coccino, maledictus, & consputatus, & convulsus, & compunctus à populo, extra civitatem abjiciebatur in perditionem, manifestis notatus insignibus Christi passionis, qui coccineâ circumdatus veste, & consputatus, & omnibus contumeliis afflictus, extra civitatem crucifixus est.* Hocce, inquam, exemplum demonstrat omnia quæ dicunt Misnici Doctores ab illis non adinventa.

Præparationem, quam summus Sacerdos adhibebat, ut ministerio hujus diei non ineptus esset, explicat Misna in tractatu Joma; sed clariùs Maimonides loquitur cap. 1. sect. 3. » Ante diem Expiationum, inquit ille, summus Sacerdos dies septem à domo sua seclusus tenebatur intra conclave illud quod in templo ipsi paratum erat, in conclave פרהדרין *parhedrin*; id verò nobis à magistro nostro Moyse traditum est. Porrò per universos hos dies septem segregabatur ab uxore sua, ne fortè usu veniret ut illa menstrualis reperiretur hoc temporis spatio, atque summus Sacerdos inquinaretur in dies septem; adeòque die Expiationum sacris operari nequiret. Eidem coaptabatur & alter summus Sacerdos, qui si temeraretur il-
A le, munus ejus iniret. Cùmque temerebatur ille, seu ante sacrificium juge matutinum, seu postea quàm fecerat sacrificiorum aliqua, vicarius ejus non erat initiandus, sed operatione ipsâ initiabatur. Et ubi superior finem, initium operandi faciebat alter. Exacto die Expiationum, prior ad suum munus redibat; alter iste sacrificabat quidem, cunctisque tenebatur summi Sacerdotii præceptis: verùm enim non sacrificabat sic tanquam summus Sacerdos: Quanquam si contra fas ita sacrificasset, sacrificium ejus legitimum fuisset: & cùm prior ille mortem obiisset, hic alter in ejus locum substituebatur. «

Intra septem hos dies summus Sacerdos aspergebatur vaccæ rufæ cinere; tertio videlicet secessûs
B die, & septimo, qui idem erat vigilia solemnitatis Expiationum; id adeò, si fortè funestus evasisset ignorans. Quod si sabbatum incideret aut in tertium, aut in septimum diem, ejus aspersio proferebatur. His septem diebus totis exercebatur in rebus divinis, in aspergendo sanguine, suffimento incendendo, accendendis lucernis, & jugis sacrificii membris super altare adolendis, quo foret exercitatior in sacris faciendis ad diem Expiationum. Ac dabantur illi quidam è sanedrim & è senatu majores natu, qui prælegerent & traderent ei rationem sacrificandi ad diem Expiationum & ordinem. Omninò per hos septem dies cibum & potionem ei non deducebant: Verùm enim
C vigiliâ solemnitatis Expiationum vesperi non sinebant eum capere cibi multùm: multus enim cibus somnum affert: arcebatur autem somno, ne secundùm quietem pateretur fluxionem seminis... Totâ nocte illâ, quam consequebatur dies Expiationum, Pontifex, si quidem homo doctus erat, sedens de lege divina disputabat: qui si fuerit tantùm auditor doctorum hominum, hi cum illo de lege disserebant. Idem si solitus erat legere, legebat: sin minùs, alii coram ipso legebant eò, ut a somno deterreretur. «

Mutabat sæpiùs vestes suas hac die Pontifex; antequàm illas indueret corpus totum abluebat quinquies, & decies manus & pedes. Quo hæc ordine
D fierent fuso sermone declarat Maimonides (cap. 2.) quæ diligentiùs dicere non refert. Propria operatio diei Expiationum erat jugulatio juvenci, quem propriâ pecuniâ comparabat summus Sacerdos; & delectus duorum hircorum, quorum alter mactabatur in templo, alter emittebatur in desertum. Denique suffimenti intra Sanctum Sanctorum incensio. Pontifex tres faciebat Deo confessiones, unam pro seipso, alteram pro se simul & pro reliquis Sacerdotibus, se suosque declarans nocentes; atque ad hanc duplicem confessionem manus superponebat uni & eidem illi juvenco, quem propriâ pecuniâ comparatum immolabat in hostiam pro peccato. Tertia confessio fiebat pro universo populo Is-
E raëlitico, per quam confessionem manus super emissario ponebat hirco. In unaquaque confessione gloriosum Dei nomen ter pronuntiabat; tuncque Sacerdotes & populus in atrio consistentes, cùm audiebant illud sanctum nomen, flexis genibus incurvato corpore procidebant in faciem.

Sic de sortibus duorum hircorum loquitur Maimonides. « Erant, inquit cap. 3. fortes duæ, quarum in una scriptum erat DOMINO: in altera AZAZELI. Has ex quacumque materia fieri licebat, e ligno, lapide, metallo; « sed oportebat pares esse. Conjiciebantur in pixidem, quæ dicebatur קלפי *Kalpi*, & ponebatur in atrio ad Orientem, & ad partem altaris aquilonarem. « Hîc constituebantur hirci duo, quorum facies ad Occidentem, «

» & ad Orientem poſteriora convertebantur. Adveniebat eò Pontifex, cujus à dextra vicarius incedebat, & Antiſtes familiæ miniſtrantis à ſiniſtra. Ante Pontificem erant hirci duo, unus ad dextram & alter ad ſiniſtram. Quatiebat arculam, & duorum hircorum ſortes duas duabus manibus ducebat, ſaperiebatque manus..... Tum hircis illis duobus has duas ſortes imponebat, dextram dextro, lævo lævam.... Porrò Pontifex coccinum, quod duorum ſiclorum pondus exæquaret, & haberet linguæ formam, ad hirci caput emiſſarii alligabat. Tum hircum iſtum conſtituebat ad locum illum, ex quo emittebatur. Et alligabat etiam ejuſmodi coccinum ad jugulum hirci mactandi, atque immolabat juvencum ſuum in hoſtiam pro peccato, item & hircum illum, cui obvenerat ſors inſcripta DOMINO. Idem horum ſanguinem in templum inferebat; nam ex amborum ſanguine per diem iſtum aſperſiones fiebant tres & quadraginta, in Sancto Sanctorum, inter binos vectes Arcæ, contra velum, contra Propitiatorium ſurſum deorſum. Poſtea commiſcens ſanguinem juvenci & hirci, quatuor aſperſiones ex eo contra quatuor cornua altaris aurei & ſeptem contra ejuſdem altaris medium faciebat, toties digitum ſanguine intingens, cujus reliquum effundebatur in altaris exterioris fundamento, quâ ſpectabat Occidentem.

» Exinde vivum hircum Pontifex emittebat per hominem eum, qui ad hircum iſtum in ſolitudinem abducendum delectus erat. Atqui ad abducendum illum omnes erant idonei ſcilicet; ſed Pontifices certum quemdam hominem ad hanc rem deligebant, & iidem non ſinebant ut eum abduceret Iſraëlita. Jam ab urbe Hieroſolyma ad ſolitudinis initium per viam conſtituta tuguria, quorum in uno quoque quietè ſedebat unus aliquis, aut plures: hi eum qui hircum abducebat in ſolitudinem, comitabantur à tuguriorum uno ad alterum..... Poſtremi tugurii habitatores ad extremum iter ſabbati conſiſtebant, atque procul obſervabant hominem quid rerum ageret. Quid ille verò? Nempe coccinum illud, quod linguæ reddens ſpeciem, erat hirci cornibus alligatum, dividuum faciebat: dimidium ejus ad ſaxum deligabat, & dimidium inter hirci cornua: retrudebat hircum ut deorſum volveretur. Et vix dum hircus ad medium montem revolutus erat, cùm membra ejus diſſipata cernerentur: indè reverſus homo ſub poſtremo illo tugurio manebat ad veſperam: ac paratæ erant ſpeculæ, ex quibus ſublata ſudaria ſignificarent hircum attigiſſe ſolitudinem.

Alterius hirci, & juvenci, quorum ſanguinem aſperſerat, eximebat exta Pontifex, & in altari adolebat; carnem verò in fruſta concidebat, & cum pelle curabat deportandam in certum locum, ubi cremabatur. *Ubi primùm hircus emiſſarius pervenerat ad ſolitudinem, Pontifex in atrium mulierum exibat: hic aſtantibus de lege prælegebat aliquid: atque interea dum ipſe legebat, juvencus & hircus cremabantur ab aliis ad receptaculum cineris.* Eo ſcilicet in loco, in quem altaris cineres deferebantur.

Erat iſte legendi modus, pergit loqui Maimonides, *ſedebat in atrio mulierum Pontifex, cujus in conſpectu populus omnis ſtabat in pedes. Æditus volumen legis depromebat, & idem illud tradebat vicario, & vicarius demùm Pontifici: Pontifex accipiendo volumini aſſurgebat, idemque ſtans legebat ex eo totam illam ſectionem.* (Levit. cap. 16. v. 1.) *cujus principium eſt*, Poſt mortem. *Et è ſectione illâ, quæ eſt de diebus ſolemnibus* (ibidem cap. 23. v. 27.) *legebat à verſu* Decimo die, *ad finem ejus rei: tum volumen convolvebat, & in ſinu ſuo repoſitum tenebat.* Fundebat preces quas recitat Maimonides, deinde totum ordinem miniſterii diei Expiationum enarrat (cap. 4.) qui notus eſt ex ſacro codice.

Adjungam ex Miſna deſcriptionem ritûs, quo ſummus Sacerdos intrabat in Sanctum Sanctorum. Sic Miſna in tractatu Joma cap. 5. « Deprompſerunt ei cuppam, thuribulumque: plenum pugillum ſuum accepit, & in cuppam infudit, magnus juxta magnitudinem ſuam, & parvus juxta parvitatem; & ſic erat menſura. Thuribulum dextrâ accepit, & cuppam ſiniſtrâ. In Sanctuario ibat, donec inter duo vela pervenerat, quæ inter Sanctum & Sanctum Sanctorum dividebant, & cubito inter ſe diſtabant. R. Joſe dicit, unum duntaxat erat velum; quia dicitur, & dividet velum vobis inter Sanctum & Sanctum Sanctorum. Exterius duplicatum erat à meridie, interius à Septentrione. Ibat inter ea donec ad Septentrionem pervenerat; cùm ad Septentrionem perveniſſet, facie in Meridiem verſâ, ſiniſtrorsùm ibat propè velum, donec ad Arcam pervenerat; cùm ad Arcam perveniſſet, thuribulum inter duos ejus vectes collocabat. Super prunas ſuffimentum congerebat, & tota domus repleta erat fumo, exibat retrorſum. « Ita non poterat oculos ſuos paſcere aſpectu Sanctuarii.

SECTIO V.

Deſcribuntur ritus ſervati Tabernaculorum feſto. De tempore, duratione, lætitiâ, cauſis hujuſce feſti, & nominibus ejus.

FEſtum Expiationum excipiebat feſtum Tabernaculorum, durans per octo dies, per quos Judæi habitabant ſub tabernaculis; undè hoc feſtum nomen ſuum deduxit. Hebræis dicitur סוכה *ſuccah*, id eſt *tabernaculum, tugurium*: Græcis σκηναὶ *umbracula*, & σκηνοπηγία *ſcenopegia*, nimirùm feſtum quo compinguntur umbracula. Inchoabatur decimâ quintâ die ſeptimi menſis, hoc eſt, Tiſri. Dies octava incidebat in vigeſimam ſecundam. A prima die Judæi incipiebant eſſe ſub tabernaculis; & extra illa non licebat edere, bibere, aut dormire. Conſtabant illa ramis arborum implexis, & in horum conſtructione, quo-ad altitudinem, latitudinem, locum, formam attinet, multam religionem adhibebant Judæi; quam exponit tractatus Thalmudicus *ſucca*, ſive de Tabernaculis. Celebrabatur hoc feſtum factâ vindemiâ, collectis frugibus; ut ipſe Dominus præcipit *Exod.* 23. 16.... *Solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro.* Ibi exitus anni Eccleſiaſtici intelligendus; vel ibi annus ponitur pro eo tempore, per quod ſeminatur, creſcunt, matureſcunt, horreo conduntur fruges; cujus temporis exitus eſt autumnus. Indè Judæis cauſa lætitiæ per feſtum Tabernaculorum, & religionis; nam poſt omnium fructuum maturitatem, decet grates agere Deo, ad perfectionem omnia adducenti. Indè, inquam, feſtum Tabernaculorum hilare & jucundum erat populo univerſo; ſoletque appellari ſimpliciter חג *chag*, hoc eſt, *feſtum*, quatenus illud nomen hilaritatem notat. Die primo, fructus arboris pulcherrimæ, ſpatulaſque palmarum, & ramos ligni denſarum frondium, & ſalices de torrente ſumebant, & lætabantur coram Domino, ut ipſe præceperat *Levit.* 23.

Diſputatio eſt inter Phariſæos & Sadducæos, cui fini hi rami & frondes præciperentur. Sadducæi exiſtima-

bant ramos cum frondibus designarant ad constructionem tabernaculorum, sed Pharisæorum sententia erat fuisse ramos & fructus arborum designatos, ut hocce festo manibus gestarentur; eosque reipsâ gerebant. Itaque primâ die festi parabant ramos palmarum, salicum, myrtorum, eosque colligabant funiculis aureis, aut argenteis, vel aliis vittis, & totâ primâ festi die manibus gestabant. Mane quilibet ædibus exiens habebat suum *lulab*; sic hunc ramorum fasciculum vocabant: nec ullo tempore, seu oraret, seu esset in synagoga, eum manu dimittere licebat; nec reliquis festi diebus unquam sine eo ad templum veniebat.

Quaque die hujus festi cum hisce ramis circumdabant altare lætantes; quæ lætitia, ut opinor, repræsentatur in Apocalypsi cap. 7. ubi sancti palmas in manibus habent, & circumeunt thronum Agni, videlicet altare.

9. *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: stantes ante thronum & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.*

10. *Et clamabant voce magnâ dicentes: salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno.*

Illa verba, *salus Deo nostro*: ἡ σωτηρία τῷ Θεῷ ἡμῶν, ipsa sunt quæ festo Tabernaculorum die cantabantur ab ipsis Israëlitis, dum agitarent palmas; ut videre est in tractatûs Misnæ *succah*, cap. 11. sect. 9. *Ubi movebant?* Nempe ubi agitabant palmas, fasciculos ramorum? *Ad confitemini Domino, in principio & in fine*, nempe cùm caneretur hic Psalmus; *& ad quæso Domine salva nunc*. Cautabant Psalmum 117. Juxta Hebræos 118. ubi in versu 15. *Vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum.* Azaram, sive atrium ingrediel antur Israëlitæ, & circumeuntes altare protendebant ramos suos, dum interim clamarent *hosanna*. Unde, ut docet nos Buxtorfius in magno lexico, Judæi hoc nomine, nempe *hosanna* appellant festum Tabernaculorum; septimum autem octo dierum, per quos celebrabatur, *Hosanna Rabba*, id est, *hosanna magnum*. Deum orantes crebrò clamabant, *serva, salva*, salutem, opem confer nunc. Hæc est significatio vocis *hosanna*, quæ à Græcis redditur ἡ σωτηρία τῷ Θεῷ ἡμῶν Salus nostra a Deo est. Hæc verba, ut dictum est, occurrunt in Psalmo 117. cujus partem, quæ potissimùm pertinet ad festum de quo agitur, exponam.

24. *Hæc est dies, quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea.*

Idcirco in signum gaudii ramos protendebant & agitabant Israelitæ.

25. *O Domine salvum me fac, ô Domine benè prosperare.*

Clamabant אנא יהוה הושיעה נא *ana Jehova hosciana*. Id est, obsecro Domine serva nunc. Ex *hosciana*, factum *hosanna*; quod nomen populi iterabant.

26. *Benedictus qui venit in nomine Domini. Benediximus vobis de domo Domini.*

Hæc respexisse Christum venturum docent quæ contigerunt, cùm Dominus Hierosolymam ingressus est. Scilicet cùm in lætitia & exultatione Tabernaculorum Israëlitæ recordarentur Messiæ adventuri, qui ut prosperè & citò adventaret, rogabant Deum; ideò cùm pro Messia Jesum habuêre, concinuerunt huncce hymnum, benè omnia ei apprecantes. *Benediximus vobis de domo Domini.* Fausta de vobis ominamur: optamus ut sitis benedicti, Deum laudantes in domo ejus, nimirùm in templo, quod domus est ejus.

27. *Deus Dominus & illuxit nobis. Constituite diem solemnem in condensis usque ad cornu altaris.*

Lux in sacris literis ponitur pro lætitia. Deus se præsentem testabatur magnâ luce, cùm apparebat in gloria; ideo dicitur illuxisse, id est, præsentiâ suâ recreasse, auxiliatum esse. Ideo Psalmista hortatur ut agatur solemne festum Agite diem festum *in condensis*, id est, cum ramis densis & perplexis. Quisque decerpat, liget ramorum fasciculos. Vox עבתים *avotim*, quam hebraizantes hodie interpretantur *funes*, eo in loco accipi debet pro *ramis condensis*, prout illam accepit Nehemias cap. 8. v. 15. de hoc festo agens. Redditur à Græcis Interpretibus πλοκὴ *contextura*, ἐμπλόκιον, *innexio*, Κρόσσος, *catena*, δάσυς, *densus*, Καλώδιον, *funis*. Hæ significationes conveniunt fasciculis colligatis.

Illud autem *usque ad cornu altaris* sic intelligendum censemus. Psalmista hortatur Israëlitas ad tot victimas colligandas, sive conjungendas, ut ab introitu areæ ad altaris cornua pertingant; vel significat *cornua altaris* circumeunda esse. Alii sic exponunt, quasi admonerentur Israëlitæ, ut alligarent agnos cornibus altaris; quod vix fieri potuisset, cùm illa altiora essent. Idcircò verisimile magis est hoc spectare ritum, quo festum Tabernaculorum celebrabatur. Primâ die festi, ramos in templum inferebant Judæi; ibique relinquebant in sequens matutinum tempus, eos infigentes peristyliis, quæ montem domûs ambibant. Indè totus ille mons & ædificia ejus florebant palmarum ramis. Ut omnibus anni diebus lætitiam hujus festi exprimeret, Salomon voluit ubique esse expressas palmas. Omnes Architecti fructus & flores, quibus ornabantur sacræ ædes diebus solemnibus, similiter studuerunt effingere in ligno, in saxo; ut hujus solemnitatis perpetua objiceretur oculis memoria. Inde natum illud genus ornamenti quod dicitur ἔγκαρπος *encarpos* vernaculè *feston*, *guirlande*. Revertamur ad altare, quod dum circumiretur, interim tuba canebat; & septimâ die septies circuibatur altare; quæ circuitio dicebatur *magnum hosanna*. Quotidie autem, cùm abibant, clamabant: *Pulchritudo tibi, ô altare, pulchritudo tibi, ô altare*, ut adstruitur in Misna in succah cap. 4. Judæi unâ manu ramum, alterâ malum citreum gestabant; interpretantes illud Levitici *sumetis fructus arboris pulcherrimæ*, de malo citreo; quæ interpretatio est Chaldæi Paraphrastis.

In his omnibus magnam præferebant lætitiam cuncti Israëlitæ, sed potissimùm in haustu & effusione aquæ; qui præcipuus ritus erat festi Tabernaculorum. Sacerdos quispiam cum aureo cantharo ibat ad fontem, vel piscinam Siloë, eumque implebat aquâ. Redibat in atrium per eam portam, quæ vocabatur porta aquæ. Ascendebat collem altaris, ubi erant duæ lances, in quarum alterâ erat vinum; in alteram verò effundebat cantharum, ac postea miscebat vinum & aquam. Deinde libabat, sive sensim effundebat, statim post peractum juge sacrificium matutinum, & victimæ membra imposita altari. Interea melodia & symphonia incipiebat, & cantabatur τὸ *Hallel*, hoc est, magnus hymnus. In allegato tractatu succah cap. 4. ritus quo fiebat haustus, & effusio aquæ, enarratur. *Effusio aquæ quomodo se habeat? Amphoram auream, quæ tres logos implebat e Siloach afferebant; dum perveniebant ad portam aquæ, buccinabant, clangebant, & buccinabant; ascendebant gradus*, In fonte בכבש, id est, in collem, nempe altaris; *& vertebant se ad sinistram; duæ pelves argenteæ illic erant. .... Et perviæ ut foramina duo, unum erat latum, alte-*

rum angustum, ut ambo eodem tempore consumerent. A
Ad hunc locum Mischnæ R. Obadias de Bartenora notat unum fuisse foramen in qualibet pelvi, per quod aqua infusa difflueret & libamen super tectum aræ. Ideò autem distincta foramina, quia vinum quod crassius erat, non potuisset simul cum aqua diffluere, nisi per latius foramen. *R. Jehuda dicit: unum logum omnes octo dies fundebat, & ei qui fundebat dicebant*, leva manum tuam, *nam aliquando fundebat super pedes suos. Et totus populus eum petebat citreis suis.* Maimonides in Commentariis suis in Mischnam ad hunc locum observat hanc fusionem aquæ esse traditionem Mosis de Sinai, & comprehendisse allusiones in lege occultas; & illos, qui, ut Sadducæi non credunt legi Oraculi, non credidisse libamen aquæ. B

Liquet ad istam effusionem aquæ respexisse Jesum, & ad has occultas allusiones quas comprehendit, dum festo scenopegiæ, sive Tabernaculorum versaretur in templo; apud Joannem capite 7

37. *In novissimo autem die magno festivitatis stabat Jesus & clamabat dicens, si quis sitit, veniat ad me, & bibat.*

Initium capitis ostendit festivitatem illam fuisse scenopegiam, sive Tabernaculorum festum. Ad quod Jesus statim non ascendit, sed tantùm venit in templum novissimo die, nempe octavo; qui, ut vidimus, dicebatur *hosanna Rabba.* Evangelista eum appellat magnum diem. C

38. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.*

Quasi diceret Christus: Hæc effusio aquæ denotat quod si in Christum credatis, fluent ex vobis aquæ vivæ.

39. *Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.*

Aquæ significabant abundantiam gratiarum. Ista non latebant plerosque Israëlitas; idcircò.

40. *Ex illa ergo turba, cùm audissent hos sermones ejus, dicebant: Hic est verè Propheta.*

Hùc convertebat animos Jesus, ut attenderent ad significationem effusæ aquæ, quam alioquin sciebant portendere dona accipienda à Christo; undè D
incredibili perfundebantur lætitiâ, cùm aqua libabatur; ut dicitur in tractatu *Succah* cap. 5. *Qui nunquam vidit hilaritatem haustionis aquæ, nunquam vidit hilaritatem omnibus diebus suis.* Omne frænum lætitiæ laxabant, etiam senes saltabant, tripudiabant in atrio mulierum, donec lassitudo & somnus imponerent finem festivitati. Hujus lætitiæ causam solus novit, cui non ignotum est antiquos & veros Israëlitas de spe venturi Messiæ solitos fuisse gaudere; cùm scilicet cogitabant dona ejus plurima. Ipsi nunc Judæi de hac lætitia interpretantur locum illum Isaiæ cap. 12. v. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Nec dubito quin illi qui Jesum pro Christo habuerunt, cùm Jero- E
solyma ingressus est, ideò præciderint palmas, ramos pari lætitiâ affecti, quâ festo die Tabernaculorum, non jam sperantes sed intuentes verum Messiam.

SECTIO VI.

Exponuntur loca Scripturæ, in quibus agitur de festo Tabernaculorum.

Conclusio operis.

QUotidie populus veniebat cum ramis ad templum: Hillel, sive magnus hymnus canebatur, hauriebatur aqua ex Siloë, in altare effundebatur cum vino, circumibant altare, canebant Hosanna, & nocte lætabantur propter haustum aquæ. Septimâ die septies circumibant altare. Die octavâ iidem redibant ritus: comedebant sua mala citrea, quod antea non licebat; festumque magnâ hilaritate in atrio mulierum concludebant. Hæc Judæi; quod & præcipit sacer codex *Levit.* 23.

33. *Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens:*

34. *Loquere filiis Israël: A quinto decimo die mensis hujus septimi, erunt feriæ Tabernaculorum septem diebus Domino.*

Hisce diebus septem tenebantur Judæi habitare in tabernaculis סכות *succoth* propriè sunt umbracula; undè à Græcis festum illud appellatur σκηνοπηγία. Durabat hocce festum per octo dies. Sed octavo licebat domi cubare, edere, bibere extra tabernacula, quæ compingebantur maximè ex arborum ramis. Nam infrà versu 42. non præcipitur in illis manere nisi per septem dies. Vera falsis remiscet Plutarchus, loquens de hocce festo Judaïco in lib. 4. Symp. prob. 5. *Maximæ & perfectissimæ Judæorum solemnitatis & tempus & modus cum Bacchi sacris congruit. Quod enim ipsi vocant jejunium* τὴν μεγίστην νηστείαν, *id sic celebrant, ut maximè fervente vindemiâ proponant mensas, in quibus expositæ sunt omnis generis fruges: & sub tabernaculis desident, potissimum è palmitibus & hederâ, quæ contexuntur; & diem quæ festum antecedit, tabernaculariam nominant.* Festum Athenis celebrabatur in honorem Bacchi: dicebatur ὀσχοφόρια, quo pueri lætantes ferebant palmites. Revertamur ad sacrum codicem.

35. *Dies primus vocabitur celeberrimus & sanctissimus: omne opus servile non facietis in eo.*

Dies primus convocatio sancta: quilibet tenetur apparere coram Domino in templo.

36. *Et septem diebus offeretis holocausta Domino, dies quoque octavus erit celeberrimus atque sanctissimus, & offeretis holocaustum Domino: est enim cœtus atque collectæ: omne opus servile non facietis in eo.*

Ergo per octo dies agebatur ista solemnitas. Octava dies ibi in Interprete Vulgato dicitur *cœtus atque collectæ:* in fonte עצרת הוא *azereth hu.* Græci interpretantur ἐξόδιόν ἐστι *Exodium est.* De ista voce suprà disseruimus, & vidimus hanc propriè significare *conclusionem, clausulam.* Scilicet ista octava dies claudebat festum; & per illam omne opus servile interdictum fuit. Vulgatus voluit tantùm indicare hac die, sicut cæteris, populum convocandum & colligendum fuisse in templo.

37. *Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis celeberrimas atque sanctissimas, offeretisque in eis oblationes Domino, holocausta & libamenta, juxta ritum uniuscujusque diei.*

38. *Exceptis sabbatis Domini, donisque vestris, & quæ offeretis ex voto, vel quæ sponte tribuetis Domino.*

Hoc est, sacrificiis jam faciendis die sabbati, addetis sacrificia propria cuique festo.

39. *A quinto decimo ergo die mensis septimi,*

quando congregaveritis omnes fructus terræ vestræ, celebrabitis ferias Domini septem diebus, die primo & die octavo erit sabbatum, id est, requies.

Festum illud agebatur, ut diximus, post collectas fruges.

40. *Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & lætabimini coram Deo vestro.*

Sumetis vobis ramos ex arbore decerptos cum fructu. Paraphrastes Chaldæus intelligit malum citreum. Fons indicat הדר עץ, id est, lignum decoris, illustre. Græca versio ξύλον ὡραῖον. Paraprastes per lignum densarum frondium intellexit myrtum. Ex harum arborum ramis collectis parari poterant tabernacula; sed Hebræi sentiunt hîc significari fasciculos, quos Judæi gerebant manu, euntes in templum. Hujus cæremoniæ Judaïcæ mentionem facit Plutarchus loco, quem suprà citavimus. Sic loquitur de Judæis. *Est etiam solemne apud eos festum* κρατηροφορία (legendum, ut puto, κραδηφορία, nam ramus Græcè κράδη) καὶ θυρσοφορία. Thyrsus est hastula frondibus vestita. *Ingrediuntur in templum*, pergit loqui Plutarchus, *quid intus faciant ignoro; credibile est Bacchi ab iis sacra peragi. Nam & tubis exiguis, sicut Argivi in Bacchanalibus, utuntur ad evocationem numinis: & alii progrediuntur citharis ludentes, quod ipsi Levitas appellant.* Josephus in Antiquitatibus libro tertio cap. 10. describens Judæorum festa, postquàm dixit de festo Expiationis ad diem decimam Tisri, de festo Tabernaculorum hæc adjungit. *Ejusdem mensis decimâ quintâ, tempore jam in hibernum vergente, tabernacula compingere jubentur per singulas familias.* κατὰ οἰκίαν ἕκαστον. Interpretor *quemque in domo sua*; ut liquet ex hodiernâ consuetudine Judæorum, quæ tempore Esdræ obtinebat. *Feceruntque*, inquit Esdras, *sibi tabernacula unusquisque in domate suo.* Hunc locum modò afferam integrum. Subjungit Josephus paratas has tabernas contra ventura frigora, quæ annus senescens afferre solet. Sic Gelenius interpretatur verba Græca Josephi. Τὸ κρύος ὑφορωμένους ἐπὶ φυλακῇ τοῦ ἔτους. Illa versio non mihi videtur carere aliquâ mendâ. Quid enim est φυλακὴ τοῦ ἔτους? Sensus hujus loci est, Judæos in his tabernaculis compingendis elegisse arbores densarum frondium, ut se defenderent à frigore noctis, quia per illud festum non habitabant in ædibus. Ergo conjicerem legendum ἐπὶ φυλακῇ τῆς νυκτὸς. *per vigilias noctis.* Sicut dicit Lucas cap. 2. v. 8. Pastores custodientes vigilias noctis φυλάσσοντες φυλακὰς τῆς νυκτὸς, id est, noctem transigentes in agris, dum pascebant oves. Josephus deinde narrat quid facere Judæi deberent. » Quin & in » patria tandem constituti, accedere in eam urbem, » quam propter templum caput regionis sint ha- » bituri, & octo dies festos ducere, victimas- » que Deo solitas incendere, & simul pro gra- » tiarum actione sacrificare, manibus interim gestan- » tes ramos myrti, salicis (& palmæ σὺν κράδῃ φοίνικος » ex quibus mala persea dependeant. τοῦ μήλου τοῦ τῆς περσ- » έας προσόντος. Prosequamur verba codicis sacri.

41. *Celebrabitisque solemnitatem ejus septem diebus per annum, legitimum sempiternum erit in generationibus vestris, mense sptimo festa celebrabitis*

Quorum ritus præscripti sunt.

42. *Et habitabitis in umbraculis septem diebus. Omnis qui de genere est Israël, manebit in tabernaculis.*

Per septem dies, ut observavimus.

43. *Ut discant posteri vestri, quòd in tabernaculis habitare fecerim filios Israël, cùm educerem eos de terra Ægypti. Ego Dominus Deus vester.*

Ut refricetur memoria peregrinationis filiorum Israel in deserto. Fortè locus, in quo primùm castra posuerunt Israëlitæ, egressi ex Ægypto propterea סוכות succoth dictus est, quia sub frondeis tabernaculis egerunt.

Quæ offerenda essent sacrificia dicto festo præcipiuntur in Numeris cap. 29. simul & pleraque, quæ Leviticus habet, repetuntur.

12. *Quintâ decimâ verò die mensis septimi, quæ vobis sancta erit atque venerabilis, omne opus servile non facietis in ea, sed celebrabitis solemnitatem Domino septem diebus.*

13. *Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulos de armento tredecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim.*

14. *Et in libamentis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per vitulos singulos, qui sunt simul vituli tredecim: & duas decimas arieti uno, id est, simul arietibus duobus.*

Libamenta illa sunt dona farrea. *Duæ decimæ in unum arietem; duobus arietibus*, nempe sic faciendum duobus arietibus.

15. *Et decimam decimæ agnis singulis, qui sunt simul agni quatuordecim.*

Jam observavi pro *decimam decimæ*, potiùs vertendum *decimam unam singulis agnis.*

16. *Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno & sacrificio & libamine ejus.*

Non ideò minùs statuta sacrificia perennia offerenda. Illa præscribuntur verbis claris, quæ nullo indigent commentario; idcircò non exscribam, sed attexam quæ habentur in Nehemia de celebratione festi Tabernaculorum in cap. 8. lib. 2.

14. *Et invenerunt scriptum in lege præcepisse Dominum in manu Moysi, ut habitent filii Israël in tabernaculis in die solemni mense septimo.*

Cùm Esdras audiente populo, legeret legem, & tunc septimus mensis esset, omnes facilè animadverterunt instare festum solemne Tabernaculorum.

15. *Et ut prædicent & divulgent vocem in universis urbibus suis, & in Jerusalem dicentes: Egredimini in montem, & afferte frondes olivæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti & ramos palmarum, & frondes ligni nemorosi, ut fiant tabernacula, sicut scriptum est.*

Non distinxit Nehemias, quæ parabantur ad tabernacula compingenda, ab iis quæ manu decebat gestare, ut vidimus. Latinus Interpres עץ עבת, quod alibi reddiderat *lignum densum*, ibi nominat *lignum nemorosum*, nempe variis frondium ordinibus constans; qualis est quædam species myrti, quam appellant exoticam. Quærebantur arbores umbraculis faciendis magis aptæ.

16. *Et egressus est populus, & attulerunt. Feceruntque sibi tabernacula, unusquisque in domate suo, & in atriis suis & in atriis domûs Dei, & in plateâ portæ aquarum, & in platea portæ Ephraim.*

Doma est tectum ædium גג *gag*, quod in Judæa ferè planum est. Ubique autem licebat Israëlitis tabernacula figere, modo sub dio degerent.

17. *Fecit ergo universa ecclesia eorum qui redierant de captivitate tabernacula, & habitaverunt in tabernaculis: non enim fecerant, à diebus Josue filii Nun, taliter filii Israël usque ad diem illum, & fuit lætitia magna nimis.*

Quæ lætitia pars erat solemnitatis. Antea hoc festum celebratum fuerat, sed non taliter; neque enim legitur populum unquam tam generaliter congregatum fuisse in Jerusalem, tamquam virum unum.

18. *Legit autem in libro legis Dei per dies sin-*

gulos à primo usque ad diem novissimum, & fecerunt solemnitatem septem diebus, & in die octavo collectam juxta ritum. A

Et in die octavo fecerunt עזרת *athsereth.* Sic Vulgatus appellat *collectam*, quod ibi in fonte Hebræo dicitur *atsereth.* Græci nominant ἐξόδιον, id est, exitum. Vidimus vocem Hebræam designare ipsam solemnitatis clausulam. Reipsâ, ut loquitur Philo, festum Tabernaculorum omnium festorum anni erat συμπέρασμα conclusio, complementum. Nomen *collecta*, prout illud accipit Vulgatus, significat apud Scriptores nostros idem, quod σύναξις. Collecta sacrum est Missæ sacrificium, ad quod Christiani coire & colligi solent. Usus ergo est hac voce Interpres noster hocce in loco, & in capite 23. Levitici v. 36. Ubi in fonte est, *die octavo convocatio sancta erit vobis.* Nomen מקרא *mikra*, sonat Hebræis *convocatio, cœtus, collecta*; sed *atseret*, ut vidimus, significat *clausulam* finem solemnitatis, quam significationem non liquidò satis exprimit *collecta, convocatio.* Hæc annotatio sit clausula operis nostri, in quo quantùm potuimus veram & præclaram templi Hierosolymitani notionem dedimus. Casus ejus nulli Christiano lugendus est. Quidpiam enim majus in cælo paratum est. Joannes ut solaretur Christianos, cùm eversum est templum Hierosolymitanum, imaginem in Apocalypsi subjicit urbis, quam vocat cælestem Jerusalem, de quâ inquit, *Templum non vidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens templum illius est & Agnus.* Apocal. 21. v. 22. scripsit Joannes Apocalypsim sub Domitiano, aliquot annos post eversionem urbis & templi Hierusalem.

Finis Libri septimi.

INDEX

LOCORUM OMNIUM SACRÆ SCRIPTURÆ IN HOC Volumine relatorum, qui vel ex profeſſo, vel obiter explicantur, vel ex proximorum interpretatione illuſtrantur, aut ſaltem in probationem adducuntur.

MONITUM.

In hoc Indice non integros Scripturæ verſus, ſed eorum tantùm initium expreſſimus. Cùm duo cohærentes verſus in eadem columna allegantur numeros eorum ſimul conjungimus, & primi initium à fine ſequentis punctis interpoſitis diſtinguimus. Cùm verò tres aut quatuor, &c. verſus inter ſe connexi in eadem columna elucidantur, aut exſcribuntur primum & ultimum numerum punctis inter utroſque inſertis notamus, ſic 1. . . . 5. quod non ſolùm primum quintumque Capitis allegati verſum, ſed ſecundum, tertium & quartum ab autore in eadem pagina exponi deſignat: tuncqueprima vcsûs primi verbi & quinti ultima referimus.

EX GENESI.

EX LIBRO EXODI.

EX LEVITICO.

EX LIBRO NUMERORUM.

EX LIBRO DEUTERONOMII.

EX JOSUE.

EX LIBRO JUDICUM.

EX LIBRO RUTH.

EX LIBRO REGUM I.

EX LIBRO REGUM II.

EX LIBRO REGUM III.

EX LIBRO REGUM IV.

EX LIBRO PARALIPOMENON I.

INDEX.

EX LIBRO PARALIPOMENON II.

EX LIBRO ESDRÆ I.

EX LIBRO NEHEMIÆ.
qui & Esdræ secundus dicitur.

EX LIBRO TOBIÆ.

EX LIBRO JUDITH.

EX LIBRO ESTHER.

EX LIBRO JOB.

EX LIBRO PSALMORUM.

EX LIBRO PROVERBIORUM.

EX ECCLESIASTE.

EX CANTICO CANTICORUM.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

EX ECCLESIASTICO.

Cap. 43

INDEX.

EX DANIELE.

EX OSEE.

EX JOELE.

EX AMOS.

EX JONA.

EX MICHÆA.

EX HABACUC.

EX SOPHONIA.

EX AGGÆO.

EX ZACHARIA.

EX MALACHIA.

EX LIBRO MACHABÆORUM I.

EX LIBRO MACHABÆORUM II.

NOVUM TESTAMENTUM.

EX EVANGELIO SECUNDUM MATTHÆUM.

EX EVANGELIO SECUNDUM MARCUM.

EX EVANGELIO SECUNDUM LUCAM.

EX EVANGELIO SECUNDUM JOANNEM.

EX ACTIBUS APOSTOLORUM.

EX EPISTOLIS B. PAULI APOSTOLI.

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

EX EPISTOLA AD CORINTHIOS I.

EX EPISTOLA AD CORINTHIOS II.

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES

EX EPISTOLA AD COLOSSENSES.

EX EPISTOLA AD TIMOTHEUM I.

EX EPISTOLA AD TIMOTHEUM II.

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

EX EPISTOLA I. B. PETRI.

EX EPISTOLA I. B. JOANNIS.

EX APOCALYPSI B. JOANNIS APOSTOLI.

FINIS.

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

Nota Arithmetica indicat columnam. Litteræ verò A. B. C. D. E. denotant partem columnæ.

A

INDEX.

INDEX.

B

C

INDEX.

Cherubim,

INDEX.

D

E

INDEX.

E

F

G

H

K

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

V

Valvæ

FINIS.

DE TEMPLO SALOMONIS
HISTORICO-CRITICA DISSERTATIO.

DUm, sudante prælo, doctiſſimi viri Bernardi Lamy opus poſthumum de Templo, Scripturæ ſacræ, Joſephique Hiſtoriarum varia loca evolvo, nonnullæ animum meum ſubierunt conjecturæ quæ ad elucidandos aliquot ſacræ Scripturæ locos, ad Templi aut vaſorum ejus majorem cognitionem nonnihil conducere mihi viſæ ſunt. Has uti doctorum hominum attentione prorſus indignas alto premere ſilentio animus erat: verùm haud inutile putavi ea quæ toto hoc volumine continentur brevi ſermone includere, parvaque veluti in tabella Templi Salomonis effigiem delineare, ut quæ ſcitu digniora ſunt, ſtatim in memoriam ſuam Lector revocare poſſit: Meam itaque ſententiam nonnullis in locis inſerui, ut ipſa rei novitas attentum Lectorem reddere, illiuſque animum multiplici ejuſdem rei lectione feſſum recreare poſſet. Tanta eſt Scripturarum fœcunditas, ut nulli mirum videri poſſit, ſi poſt doctiſſimos viros, quos veluti magiſtros amplector ac veneror, novi aliquid afferam, non eis contradicendi ſtudio, ſed ejuſdem, quam indagati ſunt, veritatis amore.

2. Reg. 6. 1. Par. 13. Dum transferret David arcam fœderis de Gabaa juxta Cariath-jarim, ubi in domo Abinadab quieſcebat in Tabernaculum, quod ad eam excipiendam in civitate ſua, id eſt, in monte Sion prope Regium palatium, paraverat, mortem inflixit Dominus Ozæ, eò quòd titubantem arcam manibus impuris tangere auſus eſſet. Terribile hoc divinæ ultionis exemplum tantum Davidi timorem incuſſit, ut arcam in domo Obededom ſervandam deponeret. 2. Reg. 6. 12. Verum audiens quod *benedixiſſet Dominus Obededom, & omnia ejus propter arcam Dei, adduxit* eam *in civitatem* ſuam. Motus dein pia religione David & beneficiorum à Deo ſibi collatorum memor, 2. Reg. 7. 12. cùm *dediſſet* ei (*Deus*) *requiem undique ab univerſis inimicis ſuis*, dolens, quod dum ipſe habitaret *in domo cedrina arca Dei poſita* eſſet *in medio pellium*, ad Templum ædificandum ſe accinxit. 1. Paralip. 28. 8. Verum Deus, *quòd multum ſanguinem effudiſſet & plurima bella bellaſſet*, Davidem conſilium ſuum perficere per Nathan Prophetam vetuit, immo præcepit ei ædificationem Templi Salomoni filio ſuo derelinquere. Dei ergo juſſis obtemperans ab ædifi- Ibid. 14. cando quidem Templo abſtinuit, ſed *præparavit impenſas domus Domini auri talenta centum millia & argenti mille millia talentorum*, id eſt, juxta Eiſenſchmidium 11832. *milliones librarum Turonenſium.* Quæ ſumma utpotè immenſa probat vel in numeros mendam irrepſiſſe, vel vocem talentorum ab amanuenſibus fuiſſe additam: ſiquidem c. 29. ejuſdem libri v. 4. David Salomoni *tria* tantum *millia talenta auri de auro Ophir & ſeptem millia ta-* Antiquit. l. 7. c. 11 *lentorum argenti probatiſſimi* dediſſe dicitur. Joſephus verò decem tantùm millia auri talenta com- 1. Paral. 22. 28. & 29. memorat, & tria millia ad Cherubim arcam obumbrantia. David etiam æs, ferrum, ligna & lapides quæ in tantum ædificium neceſſaria videbantur congeſſit. Tandem morti proximus filium ſuum coram regni ſui magnatibus advocans, futuri ædificii formam illi ſervandam præſcribit quam à Deo ipſo acceperat. Siquidem autor lib. 1. Paralipomenon poſtquam dixiſſet, *dedit autem David Salomoni filio* XXVIII. 11. *ſuo deſcriptionem porticus, & Templi, & cellariorum, & cœnaculi, & cubiculorum in adytis, & domus propitiationis, &c.* addidit v. 19. *Omnia, inquit* (*David*) *venerunt ſcripta manu Domini ad me, ut intelligerem univerſa opera exemplaris.* Deinde cap. XXIX. Davidem Principes & magnates alloquen- v. 7. tem inducit, hortantemque ſingulos ut ſuis quique opibus filium ſuum juvarent, & ſtatim, inquit, *dederunt in opera domus Dei auri talenta quinque millia, & ſolidos decem millia: argenti talenta decem millia, & æris talenta decem & octo millia: ferri quoque centum millia talentorum, inſuper & lapides pretioſos.*

Supremum diem vix obiit David, cùm Salomon ad mandata Patris exequenda accingitur. Itaque *nu-* II. Paral. II. 2. & 18. *meravit ſeptuaginta millia virorum portantium humeris, & octoginta millia qui cæderent lapides in montibus, præpoſitoſque eorum tria millia ſexcentos.* Eadem etiam leguntur 3. Reg. c. V. v. 15. *Fueruntque Salomoni ſeptuaginta millia eorum qui onera portabant, & octoginta millia latomorum in monte: abſque præpoſitis qui præerant ſingulis operibus numero trium millium & trecentorum præcipientium populo, & his qui faciebant opus.* Mendam irrepſiſſe in v. 16. c. V. l. III. Reg. apparet ex integro numero advenarum ſeu proſelytorum qui recenſiti fuerunt tam ſub Davide quam ſub Salomone juxta II. Paralip. c. II. v. 17. ubi hæc leguntur, *numeravit igitur Salomon omnes viros proſelytos, qui erant in terra Iſraël, poſt dinumerationem, quam dinumeravit David pater ejus, & inventi ſunt centum quinquaginta millia, & tria millia ſexcenti.* Namque veriſimile non eſt eumdem ſcriptorem tribus vicibus in eodem capite, eoque perbrevi, in re notiſſima errare potuiſſe. Joſephus autem neque cùm autore libri Regum, cui tamen propiùs accedit, neque cùm autore libri Paralipomenon conſentit, L. 8. antiq. c. 2. ſiquidem ter mille ducentos præſides numerat. Verùm cum ſupradicti operæ ſeu fabri, quippe inter eos cæſores lignorum, aut fabri lignarii non numerantur, haud ſufficerent; immo ligna ad tale ædificium neceſſaria Judæa non ſuppeditaret, ad Hiramum Regem Tyri legatos miſit Rex Salomon, qui 3. Reg. v. Paral. 2. 9. 16. ab eo ligna cedrina & arceutina & pinea ad faſtigia & laquearia Templi neceſſaria obtinuêre, quæ partim à Tyriis, partim à Judæis in Libano cæſi ſunt, ut patet ex 3 Regum cap. 5. v. 6. & 13. Obtinuere etiam ab eo Hiram Tyrium peritiſſimum artificem, *qui noverat operari in auro & argento, ære & ferro, & marmore & lignis, in purpura quoque & hyacintho, & byſſo & coccino: & cælare omnem ſculpturam, & adinvenire prudenter quodcumque in opere neceſſarium eſt. Elegitque* (poſtea) *Rex Salomon operarios de omni Iſraël; & erat indictio triginta millia virorum. Mittebatque eos in Libanum decem millia per menſes ſingulos viciſſim.* Ex allatis Scripturæ teſtimoniis colligere licet, 1. omnium omnino proſelytorum, hoc eſt, advenarum in regno ſuo commorantium operâ ad ædificium Templi abſolvendum uſum fuiſſe Regem Salomonem; huicque nullos Iſraëlitas ſeu Judæos manum admoviſſe,

exceptis fabris lignariis triginta millibus, qui ex Iſraëlitis ſorte ducti fuiſſe videntur. 2. Mitius actum eſſe cum Iſraëlitis, qui per unum tantum menſem ligna cædebant, & per duos menſes in domibus ſuis quieſcebant, quàm cum advenis qui continuam narrantur operam præſtitiſſe.

Ex hactenus dictis æſtimare licet futuri illius ædificii non magnitudinem modo, ſed & magnificentiam, & conjicere quodammodo quale, quantumque futurum erat Templum, cujus ipſemet Architectus Deus in cujus honorem & cultum erigebatur, cui ædificando centum & octoginta artificum millia abſque præpoſitis operum, per annos ſeptem & menſes ſex inſudarunt, & in quod præter ingentes quas recenſuimus auri & argenti ſummas tum à Davide, tum ab Iſraëlitarum principibus viris collatas, quæ omnem ferè fidem ſuperant, innumeras ipſe Salomon divitias impendit. Sed auguſti illius ædificii partes ſingulas introſpicere juvat, eaſque quantum fieri poterit ipſius Scripturæ verbis deſcribere.

2. Paral. III. 1. Omnibus, ut ſupra narravimus, diſpoſitis, *cœpit Salomon ædificare domum Domini in Jeruſalem, in monte Moria, qui demonſtratus fuerat Davidi patri ejus, in loco quem paraverat David in area Ornan Jebuſæi. Cœpit autem ædificare menſe ſecundo*, (ſcilicet menſe Zio, qui Aprili noſtro correſpondet) *anno quarto regni ſui* (3. Reg. 6. 1.) *quadringenteſimo & octogeſimo anno egreſſionis filiorum Iſraël de terra Ægypti.*

Cum verò mons Moria haud ſatis amplum ad ædificandum Templum ſpatium ſubminiſtraret, aggeſtâ humo dilatata eſt montis area; ne verò humus deflueret, & ita ædificiorum fundamenta ſubverterentur, muris firmiſſimis, & à meridionali Templi parte quadringentos cubitos altis, id eſt, ſexcentos & ampliùs pedes, ſi Joſepho id lib. 8. Antiquit. c, 2, referenti, credimus, tam à meridie quàm ab occidente, mons cinctus eſt, ita ut area exterior ſolum Templi interius adæquaret. Veriſimile non eſt murum 600. pedes altum aggeſtam ad eam altitudinem terram ſuſtinere potuiſſe. Cui incommodo ut obviaret R. P. Lamy aggeres aggeribus, fornices fornicibus ſuperimpoſitos fuiſſe contendit, ita tamen ut inferiores ſuperioribus, æquâ ſemper proportione ſervatâ, eſſent latiores. Hac veriſimili conjectura murorum firmitati non conſulit ſolùm, ſed & impenſis in futurum parcit. Siquidem aggere uno, alterove dehiſcente, cæteri immobiles perſeverare poterant. Huic veriſimili conjecturæ alteram haud ita veriſimilem adnectit. Iſraëlitas ſcilicet in Templum à meridionali parte per ſcalas, ſeu gradus duplices in ipſa murorum craſſitudine efformatos adſcendiſſe. Cum verò nullus omninò hominum tam firmis præditus ſit pulmonibus, ut mille ducentos gradûs abſque ſpiritûs defectione poſſit ſuperare, fingit varias contractiones inferiores aggeres à ſuperioribus recedendo efformaſſe, quæ ad recipiendos ſpiritus inſerviebant. Unico è contra adeoque continuo muro, quem erismæ ſeu pilæ adpactæ fulcirent, latus utrumque montis fuiſſe defenſum putavit Villalpandus; cui favere videtur Joſephus, ſiquidem antiquit. l. 15. c. 14. hæc habet. *Nam cum vallis in immenſum dehiſceret* (ſc. à meridionali parte) *deſuper extructa erat prææalta porticus, cujus tecto conſcenſo, ſi quis utramque altitudinem* (porticus ſc. & vallis) *conjunctam contemplaretur, abſque vertigine id non poterat, viſu deficiente ob nimiam profunditatem, priuſquam ad imum pertingeret.* At quidquid ſentiat Joſephus, fateor murum ſexcentos pedes altum aggeri æqualis altitudinis ſuſtinendo imparem videri. Certè nec murus, nec agger diu ſtare potuiſſent. Opportunè itaque à Patre Lamy excogitata fuere diverſa mœnia, diverſis ſubſtantia fundamentis, quæ cùm abnormem altitudinem non haberent, & inferiora ſuperioribus prominentiâ ſuâ eriſmarum vicem præſtarent, firma & integra diutiſſimè ſtare potuerunt. Non ideo tamen concedimus ex meridionali parte ab ima valle ad Templum per gradus mœnibus appoſitos Judæos adſcendiſſe. Etenim contractiones & gradus, quos doctus autor contra omnem veriſimilitudinem adhibet, muris non tam ſtabiliendis quàm ſubvertendis inſerviiſſent, quippe pluviæ ibi commorantes arenam quâ lapides cohærebant paulatim diluiſſent, unumve ab altero divulſiſſent. Satius eſt itaque has contractiones lapidibus declivibus paululumque ultra murum prominentibus tegere, ut ingruens pluvia non penetret, ſed ſtatim diffluat, & muri ſerventur incolumes. Quin gratis conficti illi gradus nullo unquam uſui apti fuiſſent. Quis enim non potius quingentos circiter paſſus eſſet emenſus, quàm mille ducentos gradus ſuperaſſet, quantumvis animos inter aſcendendum libuerit recipere inſiſtendo in ſpatiis planis. Adde etiam quod per anguſtos hos gradus Templum à paucis ſimul hominibus adiri potuiſſet. Taceo pericula quæ aſcendentibus imminebant: quis enim abſque vertigine tantam altitudinem conſpexiſſet. At portæ erant à latere meridionali? Fateor, ſed quid inde. Mons circuibatur, ſcilicet area extabat, ſeu via ante exterius Templi ædificium quæ obibat totum montem, & muro finiebatur, ne caſûs periculum incurrerent per eam gradientes, ut innuit Villalpandus, per hanc in Templi latus meridionale patebat acceſſus.

Porro tota quanta erat montis area triplici quadrato ædificio columnarum occupabatur. Primum, ſeu extimum ædificium interiori porticu cingebatur, triplici ordine diſtincta. Proinde in qualibet porticu, ſi auſtralem excipias, duo erant deambulacra quindecim cubitos lata pro diſtantia columnarum, quarum interiores ſeu muro proximæ ab ipſo muro ſic intercipiebantur, ut intervacua columnarum ſpatia eo clauderentur. Joſephus porticui meridionali quatuor columnarum ordines attribuit, & proinde tria deambulacra quorum medium duobus aliis duplo altius erat & latius. Has porticus excipiebat area ſubdialis quinquaginta cubitos lata, quæ *atrium gentium* vocitabatur. Admittebantur nempe in illud gentiles, ſeu idololatræ Deum Iſraëlis veneraturi. Bernardus Lamy primi illius ambitûs longitudinem undequaque definit ſexcentorum ſexaginta cubitorum, Joſephus vero quingentorum, ſiquidem unumquodque latus ſtadium occupaſſe dicit. Joſepho conſonat Propheta Ezechiel cujus verba doctiſſimè interpretatur R. P. Lamy l. 5. c. 7. ſect. 5. ubi ea nititur in ſuam ſententiam detorquere; ſed fruſtra. Siquidem poſtquam dixit Propheta ℣. 17. *Et eduxit me ad atrium exterius*, cui cum Joſepho cubitos quingentos longitudinis tribuit; addit verſu 28. *& introduxit me in atrium interius*, cujus deinde dimenſiones refert. Quæ magnitudo, cùm ipſa ſit immenſa, mihi videtur veriſimilior. Ut quid enim Joſephus, qui ſtupendum iſtud ædificium ultra modum extollit illius magnitudini ducentos cubitos detraxiſſet? Cumque ibi ab exſcriptoribus vitiatos fuiſſe codices ſacros R. P. Lamy ipſe fateatur, Joſephi teſtimonio velit, nolit, procul dubio reſtituendi ſunt. Porticus orientalis, ipſâ etiam Chriſti ætate, Salomonis Regis

Antiq. l. 15. c. 14.

Regis nomine donabatur ; ſola forſan ex omnibus ædificiis ab eodem Rege conſtructis integra remanſerat. Hæc uti & ſeptentrionalis unicam portam habebat, meridionalis duas, occidentalis verò quatuor. In angulis exterioris hujus ædificii culinas Sacerdotum amandamus cum Ezechiele, quas in angulis ædificii interioris, invito Propheta, ſtatuit R. P. Lamy. Porro atrii iſtius ædificia non à Salomone, ſed à Regibus ejus ſucceſſoribus, ſi porticum orientalem, quæ urbem ſpectabat, cum adjacentibus illi ædificiis excipias, conſtructa fuere. Lorica lapidea ſeu ſepes cancellata; à porticu Iſraëlitarum decem cubitis diſtans, eam ab atrio gentium diſcriminabat. Hæc teſte Joſepho cubitum unum ſeu duos circiter pedes alta erat ; non vero tres cubitos ſeu quinque pedes, ut alibi innuere videtur. Siquidem, quantumvis reticulata, viſum gentilibus ademiſſet, nec ſiviſſet eos quæ agebantur in atrio Sacerdotum aſpicere. Ex ea lorica certis intervallis exurgebant columnæ, ſeu baſes lapideæ, litteris Græcis & Latinis inſcriptæ, forſan & Hebraicis, quæ gentiles, immo Judæos impuros ſub pœna capitis vetabant illam tranſilire.

Cap. 46. v. 21. & ſeq.

L. 6. de bello Jud. c. 6.

Atrium Iſraëlitarum, uti atrium gentium, porticibus & ædificiis undequaque concludebatur. Hoc ſeptum quingentos cubitos quaquaverſum obtinebat juxta Bernardum Lamy, qui his interioribus ædificiis eas tribuit dimenſiones quas exterioribus convenire Prophetæ Ezechielis & Joſephi teſtimonio ſupra evicimus. Ego verò atrium cum ædificiis quadringentorum cubitorum longitudinem quaquaverſum obtinuiſſe definio. Per hæc ædificia ſeu porticus, tam à latere meridionali quàm à ſeptentrionali, portis quatuor ab atrio gentium in Iſraëlitarum atrium dabatur acceſſus, duabus verò à latere orientali. Joſephus non quatuor januas ſed tres tantùm ad meridiem & ſeptentrionem ſtatuit; unam verò ad orientem. Forſan duæ erant ad Auſtrum & ad Aquilonem, una ad Eurum, quæ cum immenſæ eſſent in duas valvas ſeu fores dividebantur. Hæ fores, ſi orientales quæ ære Corinthio vel conſtabant, vel ſaltem contectæ erant, laminis aureis ornatæ fuerunt. Porta orientalis cæteras decore ſuperabat : hinc dicitur in Actis *ὡραία ſpecioſa.* Atrii Iſraëlitarum fores quindecim cubitis patebant, triginta verò altæ erant in templo Herodis, teſte Joſepho. Verùm in templo Salomonis, latitudinis decem & altitudinis viginti tantùm cubitos obtinebant. Ad eas gradibus octo aſcendebatur. Inde deducere licet ſolum atrii Iſraëlitarum ſex cubitis ſolum atrii gentium ſuperaſſe, ſiquidem quatuor gradibus, uti jam diximus, aſcendebatur ad ſepem cancellatam, quæ Iſraëlitas à gentibus, ſeu ſanctos à prophanis dirimebat, & octo gradibus ad atrium Iſraëlis. Porro ſinguli gradus dimidium cubitum altitudine ſua æquabant. Hæ porticus, ſicut & illæ quibus atrium Sacerdotum cingebatur, maxima ædificia, eaque triſtega fulciebant ad ſexaginta cubitorum altitudinem ſurgentia. Juxta Villalpandum & Bernardum Lamy hæc ædificia non ſupra porticus erant erecta, ſed ſolo hærebant, atque ante ea ædificatæ erant porticus, in quas, ad ſolis ingruentis, vel pluviæ vim vitandam, Judæi inter orandum ſecedebant. Hæc de ædificiis & porticibus toti templo extimis & atrium gentium circumdantibus vera eſſe concedimus; de ædificiis verò & porticibus, ſeu atrium Iſraëlitarum, ſeu atrium Sacerdotum cingentibus, negamus. Quippe nec gentiles, nec ipſi Judæi ſacrificiorum pompam aut Sacerdotum miniſterium obſervare potuiſſent tot muris iiſque firmiſſimis obſtantibus ; quod uſui ad quem templum ædificatum fuit omnino repugnat ; immo falſum demonſtrari poteſt vel primo Lucæ cap. v. 21. ubi legitur : *& erat plebs expectans Zachariam ; & mirabantur quod tardaret ipſe in templo*, hoc eſt, in ſancto. Quem itaque ingredientem in ſanctum viderant, egredientem vidiſſent, qui preces in templo fundebant ſive Judæi, ſive Gentiles. At qui id potuiſſent, ſi gentilium duplicibus ædificiis, Judæorum uno ſaltem, eoque latiſſimo & muris firmiſſimis cincto, viſus impediebatur. Hæc igitur atria porticibus tantùm ſeu duplici columnarum à ſe invicem pari intervallo diſtantium ordine diſtinguebantur. Harum columnarum baſes erant inter ſe continuæ, & ad quatuor cubitos ſeu ſex circiter pedes exteriùs ſupra atrii inferioris ſolum eminebant, interiùs verò aliquot tantùm digitis extra ſolum atrii ſuperioris exurgebant, vel forſan ſolo æquabantur: nullibi enim vel apud ſcriptores ſacros, vel apud Joſephum, dicuntur Judæi vel Sacerdotes ex porticibus in atria ſua deſcendiſſe.

Antiq. l. 15. c. 14.

Ez. c. 40. 15. & ſeq.

L. 15. antiq. c. 14.

Cap. 3. v. 2. & 10.

L. 15 antiq. c. 14.

Porro baſes iſtæ ſeu ut ita dicam ædificiorum fundamenta ad ſex circiter pedes ſupra ſolum atrii inferioris ideo prominebant, ne ſcilicet ex uno atrio in aliud undique pateret acceſſus; quod eveniſſet ſi columnarum baſes non fuiſſent continuæ, ſed à ſe invicem diſtantes, ut columnæ, quæ in eas incumbebant, vel uno tantùm aut altero pede è terra erupiſſent: nec altius ſurgebant, ne orantes viſu altaris & ſancti prohiberentur. Fateor Ezechielem ad utrumque latus cujuſcunque veſtibuli tres thalamos ſeu exhedras numerare. Verùm forſan loquitur de veſtibulis ſuperioribus quorum latitudo tribus thalamis, ſeu parvis cubiculis utrimque terminabatur, licet cæteri thalami, ſeu conclavia omnia integram ædificii latitudinem occuparent. At demus thalamos ſex cubitorum longitudinem ex utraque parte valvarum obtinuiſſe, ſaltem per totum reliquum ſpatium nulla erant inferiora ædificia, ſed porticus tantum, ſeu columnæ à ſe invicem longo intervallo remotæ, eæque rotundæ, quæ adſtantibus rerum ſacrarum viſum non intercipiebant. Id juxta vulgatam interpretationem innuere videtur Propheta Ezechiel, dum ait : *& fecit frontes per ſexaginta cubitos : & ad frontem atrium portæ undique per circuitum.* Quis ſit hujuſce loci ſenſus non eſt quod amplius inveſtigem; ſiquidem, quod ipſa ratio per ſe probat, minimè neceſſe eſt teſtimoniis comprobare.

Cap. 40. v. 10.

C. 40. v. 14.

Atrium Iſraëlitarum excipiebant porticus quibus atrium Sacerdotum cingebatur. Atrii iſtius area centum cubitos longa & lata, perfectè quadrata erat. Verùm ejus porticus ab oriente verſus occidentem longius protendebantur. Illud claudebant à parte occidentali Sanctum & Sanctum Sanctorum, & collateralia ipſis ædificia. Per totidem januas in illud intrabatur ac in atrium Iſraëlitarum : ſed porta orientalis magnitudine cæteras longè ſuperabat. Ad eam juxta Ezechielem octo gradibus aſcendebatur, quindecim verò juxta Joſephum, qui illi tribuit altitudinis cubitos quinquaginta, & quadraginta latitudinis. At valvæ ſeu fores triginta pedes latæ, quinque & ſeptuaginta altæ nullo prorſus uſui fuiſſent. Tantam itaque altitudinem aut latitudinem illi tribuendam non cenſeo. At veram illius menſuram penitus me fateor ignorare. Ut ut ſit, eam certè aliis excelſiorem, proindeque latiorem fuiſſe multis in locis Scriptura ſacra videtur innuere.

C. 46. v. 34.

Lib. 6. de bello c. 6.

In atrii hujus meditullio ſitum erat altare holocauſtorum, ad quod clivo viginti cubitos longo

ascendebatur, non gradibus ut vult Villalpandus, si quidem id vetuerat Deus, Exodi 20. v. 26. *Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudo tua.* Clivus iste non ab oriente ad occidentem, ut censuit Villalpandus, sed à meridie ad septentrionem surgebat, ut probat R. P. Lamy. Altare holocaustorum ex lapidibus impolitis calce & arena illitis fabricatum, cavum intrinsecus, ænea craticula ad emittendos cineres desuper coopertum, altitudinis cubitos decem, viginti verò latitudinis & longitudinis obtinebat: siquidem 2. Paral. 4, v. 1. legitur: *Fecit quoque altare aneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis.*
Cap. 43. Nec his mensuris repugnat Ezechiel, cujus interpretationem, & altaris delineationem pete ab ipso B. Lamy lib. 6. cap. 3. sect. 4.

Altare loricâ lapideâ cubitum aut duos pedes altâ & à porticibus atrii Sacerdotum cubitis undecim ab orientali latere, meridionali & septentrionali distante, protectum erat. Hanc transilire nefas erat Judæis si Levitas & Sacerdotes excipias. Inter eam & porticum orientalem ad latus septentrionale situs erat thronus Regius 4. Reg. 16. v. 18. *Musach sabbati* nomine indigitatus. Rex scilicet in interiori atrio sedebat, sed extra loricam. Judæi etiam qui victimas seu sacrificia offerebant intra hoc spatium admittebantur ut victimis suis manus possent imponere; cæteri verò extra porticum in atrio secundo consistebant, aut etiam statis horis per certos quosdam dies genua flectebant; etenim Judæi ferè stantes orabant.

Inter altare & Sanctum versùs meridiem situm erat vas æneum semi-sphericum, ob capacitatem mare dictum. Vas illud immensum *super duo-*
2. Par. IV. *decim boves* (æneos) *impositum erat quorum tres*
4. 5. *respiciebant ad aquilonem, & alii tres ad occidentem: porro tres alii meridiem, & tres qui reliqui erant orientem, habentes mare superpositum: posteriora autem boum erant intrinsecus sub mari... Capiebatque tria millia metretas.* Verùm juxta 3. Regum 7. 26. *Duo millia batos capiebat.* Batus & metreta ejusdem sunt capacitatis: nec tamen inter se pugnant autores sacri, sed dum autor libri tertii Regum maris ænei tantùm, autor libri Paralip. tam maris quam basis ejus, seu pelvis, quæ illi ad aquas ex eo variis canalibus emergentes recipiendas subjacebat, capacitatem dimetitur. Porro batus seu metreta mille pollices æquabat: proindeque mare æneum centum quadraginta quatuor aquæ modiorum capax erat, & pelvis illi subjacens duorum & septuaginta. Maris ænei circuitus, seu perimeter fuit pedum sexaginta trium; altitudo verò septemdecim, Ex mari per duodecim ora, seu epistomia in subditam pelvim aqua erumpebat, ita Sacerdotes duodecim eodem tempore sese aquâ purâ poterant abluere. Præter mare æneum decem luteres æreos conflari fecit Rex Salomon ad victimarum carnes lavandas. Horum delineationem vide supra l. 6. c. 6. verbis sacræ Scripturæ sat consentaneam, nisi quod Cherubim stantes repræsentat, quos super oram basis sedentes exhibere debuisset. De his siquidem dicitur l. 3. Regum c. 7. 34. *Nam & humeruli illi quatuor per singulos angulos basis unius ex ipsa basi fusiles & conjuncti erant.* Seu potius his verbis innuitur non integram fuisse Cherubim effigiem, sed tantùm à capite ad pectus quod nos gallicè vocamus *un buste.* Hinc minor evadit luteris à base distantia, qui proinde aptior lavandis victimarum carnibus efficitur. Singuli luteres octingentas triginta tres mensuras, quas nos Galli *pintas* vocamus, continebant. Quinque ad latus atrii meridionale, quinque ad septentrionale positi sunt.

Hactenus extima templi loca lustravimus, nunc sanctiora ineunda sunt, Sanctum scilicet, & Sanctum Sanctorum. Ast, antequam in Sanctum penetremus, decet nos in illius vestibulo paululum immorari. Ad illud gradibus duodecim ascendebatur. Horum quisque dimidium cubitum habebat altitudinis; adeoque vestibuli solum sex cubitis, seu pedibus decem altius erat areâ, seu solo atrii Sacerdotum. Decem cubitorum erat illius latitudo, longitudo verò, quæ latitudini Sancti & Sancti Sanctorum correspondebat, seu meridiem & septentrionem versùs extendebatur, viginti cubitorum. Ostium illius, quod quadraginta cubitos altitudinis, viginti latitudinis obtinebat, nullis foribus, seu valvis claudebatur, sed velo multicolore, hyacintho, bysso, cocco, & purpura variegato, cœlum, aerem, ignem, mare, terram, nec non flores varios, & columnas opere Phrygio, seu Babylonio refe- Matt. 27.
rente. Velum illud, moriente Christo, *scissum est* 51.
in duas partes à summo usque deorsum. Suspensum erat pretiosum illud velum trabi aureæ quæ, si Jo- Antiq. l.
sephi testimonium recipitur, auri solidi minas tre- 14. c. 12.
centas, seu septingentas quinquaginta libras pondebat. Ex ea poteris cæteras templi divitias æstimare. Decorabatur *frontispicium* vestibuli vite aurea ex qua racemi hominis staturam æquantes pendebant. Laminæ aureæ quatuor digitis crassæ, sed intus vacuæ vestibuli muros ita tegebant undique, ut nec ligna apparerent, nec lapides. In illius limine videre erat duas columnas æreas miro artificio elaboratas. Duodecim cubitorum, seu pedum viginti erat earum perimeter. Diameter verò, sive modiolus quatuor circiter cubitorum, altitudo verò octodecim, seu pedum triginta. Non solidæ erant, sed intus cavæ, & quatuor tantum digitos crassæ: ad nullum siquidem onus ferendum, sed ad decus tantùm & ornamentum erectæ fuerant. At inquient architecturæ periti, quæ ratio perimetri & altitudinis? monstrum dicenda est talis columna, non ornamentum. Ultro fateor architectonices, seu proportionis regulas in harum columnarum perimetro & altitudine minimè fuisse servatas; sed res non vacabat mysterio; erectæ scilicet fuerunt à Salomone in symbolum, quo significaretur Deum semper servaturum, immo firmaturum esse ædem sacram: quod adhuc clarius significabant indita illis nomina, siquidem quæ à dextris erat vocata est *Jachin*, id est, *confirmet:* & quæ à sinistris *Booz*, id est, fortitudo. His pro capitello impositum fuit opus æneum reticulatum vasis quodammodo figuram referens, ex quo lilia procedebant. Vasa duobus, lilia tribus cubitis alta erant; ac proinde columna cum epistylio ad tertium supra vigesimum cubitum adsurgebat. A vase dependebant ex catenulis, seu annulis duæ series malogranatorum quæ à vento agitata fremitum edebant, quo aves ab ingressu vestibuli arcebantur.

Ex vestibulo in Sanctum intrabant Sacerdotes per ostium viginti cubitos altum, decem latum, quod valvis auro undique circumtectis claudebatur. Hæ valvæ erant plicatiles, de his siquidem 3. Reg. dicitur: *Fecitque* Salomon *in introitu templi* C. 9. v. 33.
postes de lignis olivarum quadrangulatos, & duo 34.
ostia de lignis abiegnis altrinsecus: & utrumque ostium duplex erat, & se invicem tenens aperiebatur. Nimirum hæc ostia similia erant his quæ nos Galli vocamus *portes pliantes à deux battans.* Au- L. 2. adv.
ro sic onusta erant, ut si Rabbinis & ipsi Josepho Appion.

fidem adhibeamus, vix ea homines ducenti aperire poterant aut claudere, & eorum stridor non solum extra Jerosolymorum pomœria, sed & usque Hiericuntem audiebatur. At hæc delirantium Judæorum commenta referre, explodere est. Sanctum ab Hebræis *hekal*, à Græcis ναός, id est, templum vocabatur. Quadraginta cubitorum fuit illius longitudo, latitudo viginti, altitudo vero triginta. Sanctum à Sancto Sanctorum muro intergerino duorum cubitorum sejunctum erat. Sancti sicut & Sancti Sanctorum parietes & testudo, seu tholus ligno cedrino tecta erant: lignum verò solidis auri laminis contectum. Clavi etiam quibus aurum ligno affixum fuit & ipsi aurei erant, singuli centum & octo *Ludovisiorum* valorem æquantes, ex libri secundi Paralip. c. 3. v. 9. in quo legere est: *sed & clavos fecit aureos, ita ut singuli clavi siclos quinquagenos appenderent.* Vulgatæ consentit textus Hebræus quem verisimile est ab amanuensibus, qui pro *chamesch quinque, chamischim*, id est, *quinquaginta* scripserunt, corruptum fuisse, ut doctè conjicit Bernardus Lamy lib. 6. cap. 9. sect. 3. Porro sicut nullum aliud sanctius templo Salomonis toto orbe fuit ædificium, solum siquidem vero numini, cætera idolis sacra erant, ita nullum majoribus divitiis refertum fuit, & omni ex parte magnifi-
2. Paral. 3. centius, si quidem, uti jam diximus, *Domum*
. & seq. *quoque majorem*, id est, Sanctum, *texit tabulis abiegnis & laminas auri obrizi affixit per totum. ...... fecit quoque domum Sancti Sanctorum .... & laminis aureis texit eam, quasi talentis sexcentis .... cœnacula quoque texit auro.* Talenta sexcenta auri pendunt viginti septem *milliones librarum Turonensium.* Si tanta summa in Sancto Sanctorum impensa fuit, æstimare licet Sanctum & cœnacula multo pluris constitisse. Laminæ aureæ, quibus loca hæc sacra obtecta sunt, non læves erant, sed sculptæ variis extantibus figuris, palmarum vide-
C. 6. 9. licet & Cherubim: legitur enim lib. 3. Reg. *& omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis & torno. Et fecit in eis Cherubim & palmas & picturas varias quasi prominentes de pariete & egredientes.*

In Sancto erant candelabra aurea decem, quorum singula habebant septem lucernas ex totidem stipitibus, seu calamis procedentes. In spatio itaque cubitorum quadraginta lucernæ septuaginta perpetuò lucebant. Inde conjicere est nullas tam in Sancto quam in Sancto Sanctorum fenestras extitisse, vel saltem tum ob earum angustiam, tum ob ædificia quibus sacra ædes, ut mox videbimus, cingebatur, minimam eas lucem admisisse. Undecim in eo mensæ erant, quarum duæ omnino aureæ, cæteræ laminis tantùm aureis obtectæ. Earum una, eaque elegantissima, in medio Sancti prope fores Sancti Sanctorum posita fuit ad adolendum thymiama: Unde altare thymiamatis vocabatur. Super eam bis die quolibet mane scilicet & vespere thus incendebatur,
Exod. 30. seu fiebat suffitus, juxta illud Dei præceptum; *& a-*
v. 7. & 8. *dolebit incensum super eo Aaron suave fragrans, mane quando componet lucernas, incendet illud, & quando collocabit eas ad vesperum, uret thymiama.* Id nimirum præcepit Deus, ne aliquis ingratus odor efflaretur ex lucernis, aut ex victimarum, quæ his horis immolabantur cruore, aut combustione: siquidem ex Sancto, in quo incendebatur thymiama, vapor illius effundebatur versus atrium Sacerdotum, in quo hostiæ cremabantur: itaque non infestabat nares teter carnium ambustarum odor, sed grato potius thuris vapore voluptate afficiebantur non minimâ. Nec alia videtur hujus suffitûs assignanda ratio; saltem si ipsius Scripturæ testimonio res definiatur, quidquid sentiant in contrarium autor libri elegantissime scripti, cujus titulus: *Du veritable esprit de l'Eglise dans l'usage de ses ceremonies*: & R. P. le Brun Oratorii Gallicani Sacerdos in libro quem inscripsit: *Explication litterale historique & dogmatique des prieres & des ceremonies de la Messe.* In alia mensa aurea offerebantur panes propositionis forsan novem reliquæ ad ornatum solummodo positæ fuerunt, seu quod probabilius, aucto Sacerdotum & populi numero, non jam duodecim panes, sed centum viginti Deo offerebantur. Phialas etiam aureas centum dedit Salomon, quæ juxta panes super has mensas reponerentur. Phialæ replebantur odoramentis exquisitissimis, quæ, licet his non subderetur ignis, odorem nihilominus spargebant gratissimum.

Sanctum Sanctorum totius Judaicæ religionis Sanctuarium à Judæis *devir*, id est, oraculum: à Græcis ἄδυτον, id est, secretum, inaccessum, quod scilicet semel tantùm per singulos annos in festo nempe Expiationis, quod decimo die mensis *Tisri*, qui in menses Septembrem & Octobrem coincidebat, celebrabatur, in illud intraret summus Pontifex. Sanctum Sanctorum viginti cubitos longitudinis totidemque latitudinis & altitudinis obtinebat.
In eo collocata fuit arca fœderis *subter alas Che-* 2. Reg. 6.
rubim. Siquidem Cherubim expandebant alas super 20.
locum arcæ, & protegebant arcam & vectes ejus Paral. 3. 8.
desuper. Ita Cherubim non inhærebant arcæ, nec 3. Reg. 7. 6. 7.
etiam parietibus oraculi, sed *erectis pedibus sta-* 2 Paral. 3.
bant, extendentes alas suas, quarum unâ parietem 13.
contingebant, alterâ super arcam extentâ se mutuo jungebant. Hunc situm verbis non obscuris depinxit Autor libri tertii Regum quem hîc operæ
pretium est exscribere. *Et fecit*, inquit Salomon, C. 6. 21.
in oraculo duos Cherubim de lignis olivarum, decem 23. & seq
cubitorum altitudinis. Quinque cubitorum ala Cherub una, & quinque cubitorum ala Cherub altera; id est, decem cubitos habentes, à summitate alæ unius usque ad alæ alterius summitatem. Decem quoque cubitorum erat Cherub secundus: in mensura pari & opus unum erat in duobus Cherubim .... posuitque Cherubim in medio templi interioris: extendebant autem alas suas Cherubim, & tangebat ala una parietem & ala Cherub secundi tangebat parietem alterum: alæ autem alteræ in media parte templi se invicem contingebant. Texit quoque Che-
rubim auro. Eadem refert Autor libri secundi Para- C. 3. v. 10.
lip. Deinde uterque Autor dicit allatam fuisse ar- & seq.
cam & positam *subter alas Cherubim*, qui collo- 3. Reg. 8.
cati proinde fuerant in Sancto Sanctorum ante- 6. 7.
quam in illud inferretur arca, à qua omnino se- 2. Paral. v.
juncti erant. Fatendum tamen est in libro Exodi. 7. 8.
Cherubim depingi velut inhærentes operculo arcæ,
seu *Propitiatorio.* Ibi siquidem hæc præcipit Deus C. 25. 18.
Moysi: *Duos quoque Cherubim aureos & productiles* & seq.
facies, ex utraque parte oraculi. Cherub unus sit in latere uno, & alter in altero. Utrumque latus Propitiatorii tegant, expandentes alas & operientes oraculum, respiciantque se mutuo versis vultibus in Propitiatorium quo operienda est arca .... loquar ad te supra Propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam testimonii. Dicendum est igitur quod præter duos Cherubim qui secundum Dei jussum arcam seu propitiatorium tegebant, unumque veluti corpus cum ea efficiebant, duos insuper alios sculpi fecerit Salomon qui arcam & ipsos etiam Cherubim super eam insidentes alis suis cooperirent. Porro Cherubim cum duabus tantum alis tam in libris Regum & Paralipomenorum quam in Exodo depinguntur;

plures itaque illis affingere non deberent Pictores & Sculptores, saltem dum arcam cælo vel penicillo exprimunt. In hunc etiam errorem scriptores magni nominis impegerunt, quos & ipse Bernardus Lamy secutus est. Ansam huic errori præbuit visio Ezechielis, dum Cherubim arcæ & Sancti Sanctorum ad eam formam componunt quam se vidisse refert Propheta Ezechiel, licet eos aliter effigiatos fuisse verbis expressissimis declaret Scriptura. Quæ fuerit autem species seu forma Cherubim non facile est divinare. Moyses & Salomon illis duas pennas & vultum unum tribuunt; & quos vidit Ezechiel quatuor facies habebant, & pennas totidem, forsan octo manus, sed certè quatuor cum totidem pedibus humanis in plantam vitulinam desinentibus. Verba Prophetæ hic attexo:
Ezech. 1. 5. & seq. *In medio ejus*, ignis scilicet & turbinis *similitudo quatuor animalium & hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis. Quatuor facies uni: & quatuor pennæ uni. Pedes eorum pedes recti, & planta pedis eorum quasi planta pedis vituli ..... & manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus: & facies & pennas per quatuor partes habebant.... Similitudo autem vultus eorum: facies hominis & facies leonis à dextris ipsorum quatuor; facies autem bovis à sinistris ipsorum quatuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor. Facies eorum & pennæ eorum extentæ desuper: duæ pennæ singulorum jungebantur: & duæ tegebant corpora eorum: & unumquodque eorum coram facie sua ambulabat.* Ex his ultimis verbis inferunt nonnulli unam tantum faciem habuisse Cherubim, sed nihil aliud innuit Propheta nisi eos recta via incessisse, nec gradum vertisse, siquidem addit: *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur cum ambularent.* Nullibi itaque certam Cherubim formam tribuit Scriptura. Verum ex illius contextu conjicere est unumquemque Cherub hominis simul, bovis, leonis, & aquilæ, quasdam partes habuisse forsan leonis jubam, aquilæ pennas, plantam vitulinam. Cætera verò hominis; ut scilicet symbolum esset vexillorum quatuor præcipuarum tribuum Israëlis, inter quas Ruben hominem, Judas leonem, Ephraim bovem, Dan aquilam præferebat. Nihil in arca reconditum fuit præter duas tabulas lapideas in quas Dei præcepta decem scripserat
Exod. 25. 3.Reg 8.6. 2. Paral. 5.7. Antiquit. l. 8. c. 3. Moyses. Id libri omnes veteris Testamenti & Josephi historia testantur. Sed ad latus arcæ positum fuit vas aureum coopertum in quo servabatur manna; quod vas in pluribus nummis Samariticis visitur. Prope arcam etiam collocata fuit virga Aaron, quæ floruerat, non verò intra ipsam arcam recondita. Nec contrarium sensit Paulus Apostolus, scri-
Cap. 9. 3. 4. bens ad Hebræos: *Post velamentum autem secundum, Tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum: aureum habens thuribulum, & arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ testamenti:* Dummodo cum Bernardo Lamy non legatur *in qua* sed *in quo*: siquidem illa verba Græci textus ἐν ᾗ *in qua* non ad τὴν κιβωτὸν *arcam*, sed ad τὴν σκηνὴν Tabernaculum, videntur esse referenda. Ante arcam, ut infertur ex allatis Apostoli verbis, ponebatur acerra, seu vas aureum thure aut quibusvis aromatibus refertum, quod ibi per annum integrum remanebat, donec, novo inducto, vetus à summo Sacerdote auferretur in festo Expiationis, quo tantum die illi in oraculum introire licitum fuit. Nec tum sacra hoc in Sanctuario recondita curiosis oculis credendus est perlustrasse, in illud siquidem non introibat, nisi prius in thuribulum aureum prunas injecisset cum aromatibus quorum vapore locus omnis ita replebatur fumo, ut oculi ejus obtenebrarentur caligine. Id sub pœna mortis præceperat Deus Levitici cap. 16. v. 12. 13. his verbis: *assumptoque thuribulo, quod de prunis altaris impleverit, & hauriens manu compositum thymiama in incensum, ultra velum intrabit in Sancta: ut positis super ignem aromatibus, nebula eorum & vapor operiat Tabernaculum, quod est supra testimonium,*
& non moriatur. Hinc illa Prophetæ Regii verba: *Psal. 96. 2.*
Nubes & caligo in circuitu ejus. Hinc aiebat Salomon: *Dominus pollicitus est ut habitaret in caligine.* & Isaïas: *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.* *Par. 6. 1.* *Isai 14.15.*

Supra Sanctum & Sanctum Sanctorum ædificatum fuit cœnaculum altum quadraginta cubitos, latum viginti, longum sexaginta. Totum ædificium ad centum cubitos exsurgebat, & juxta librum 2. Paralipom. ad centum viginti. Cœnaculi *Cap. 3. 4.*
etiam parietes laminis aureis obducti fuere. Ante ostium illius, quod solem orientem respiciebat, erat solarium seu area decem cubitorum, scilicet vestibuli tectum: Judæorum siquidem tecta non erant declivia, sed plana, ita ut in eis spatiarentur, & frigus captarent. In cœnaculum ad orationem conveniebant Judæi, in illud per postica templi ascendentes. In eo probabile est tum congregatos fuisse Christi discipulos, cum, ipso die Pentecostes, in eos illapsus est Spiritus sanctus.

Sanctum & Sancta Sanctorum tam à parte australi quam ab aquilonari ædificiis tristegis, seu trium contignationum ad sexaginta cubitos, sive ad cœnaculum usque surgentibus, circumdata fuere. In quinque thalamos seu cellas dividebatur unaquæque contignatio: ac proinde thalami seu cellæ quindecim meridiem, totidem septentrionem spectabant. Talmudistæ triginta & octo thalamos numerant, siquidem volunt ædificia constructa fuisse versùs occidentem, tresque thalamos primæ & secundæ contignationi attribuunt, duos tantum tertiæ. Quidquid fit de his octo thalamis, nihil certe absurdi continet Talmudistarum opinio. Horum ædificiorum nullam prorsus mentionem facit Autor libri secundi Paralipomenon; at de his loquuntur Ezechiel & Autor libri tertii Regum verbis quidem intricatissimis, sed quæ extricare, atque enucleare conabimur. Hæc ædificia Autor libri tertii Regum his verbis depingit: *Et ædifica-* *Cap. 6. 5.*
vit super parietem templi tabulata per gyrum, in parietibus domus per circuitum templi & oraculi, & fecit latera in circuitu. Scilicet ædificia tristega non incumbebant in ipsos parietes templi, sed in erismos quibus templum fulciebatur, qui erant pars quædam parietum templi. Porro ædificia inter erismos templi constructa erant veluti costæ & latera templi. De erismis seu lateribus templi hæc habet Ezechiel c. 40. v. 6. *Latera autem*, hoc est, erismi, seu anterides *latus ad latus, bis triginta tria: & erant eminentia, quæ ingrederentur per parietem domûs, in lateribus per circuitum, ut continerent, & non attingerent parietem templi.* Quibus verbis innuere videtur Propheta Ezechiel erismos fuisse arcuatos instar fornicis, ita ut illorum cacumen, seu pars erismi superior ingrederetur quidem per parietem ut illum contineret, sed pars inferior ab eo recederet, nec deinceps attingeret eum. Hujusmodi fulcris seu erismis in summitate arcuatis & summo tantum cacumine parietes quos sustinent contingentibus, multæ nostrates basilicæ fulciuntur. Quod non minorem firmitatem, at elegantiam

elegantiam præstat majorem quàm antes, seu pilæ muris incumbentes. Ad caput 6. libri 3. Reg. revertor, ubi legitur v. 6. *Tabulatum quod subter erat quinque cubitos habebat latitudinis, & medium tabulatum sex cubitorum latitudinis, & tertium tabulatum septem habens cubitos latitudinis.* Scilicet latitudo thalamorum eadem erat ac distantia erismorum inter se. Porro erismi circa fundamenta erant firmiores; ac proinde crassiores; itaque thalamus solo proximus, seu intimus quinque tantùm habebat cubitos latitudinis, sed thalamus medius, seu inter primam & secundam trabeationem latus erat sex cubitis, quod muri erismorum ad altitudinem viginti cubitorum perducti dimidii cubiti crassitiem utrinque deperderent, & proinde à viginti ad quadraginta cubitorum altitudinem spatio sex cubitorum à se invicem distarent, sicque thalami inter eos ad eam altitudinem intercepti sex cubitorum latitudinem occuparent. Eadem erat ratio thalamorum superiorum, seu inter secundam & tertiam contignationem, qui septem cubitos latitudinis obtinebant, quod erismorum crassitudini à quadraginta cubitorum altitudine ad altitudinem sexaginta cubitorum adhuc cubitus unus decederet, qui thalamorum latitudini accedebat. Addit sacer textus: *Trabes autem posuit in domo per circuitum forinsecus ut non hærerent muris templi.* Quod his verbis expressit Ezechiel: *Et latitudinem per parietem lateris forinsecus quinque cubitorum: & erat interior domus in lateribus domus.* Ultima hæc verba, quæ superius diximus, mirum in modum illustrant, & evincunt trabes in quas thalami templo collaterales incumbebant non inhæsisse muris templi, sed anteridibus seu erismis quibus templum fulciebatur. At penitius rimanti mihi verba sacri codicis, fictitii prorsus, planèque inutiles visi sunt erismi ad mœniam firmitatem à R. P. Lamy excogitati. Sensus itaque Scripturæ is est. Trabes quibus ædificia Templo collateralia fulciebantur, super ipsum parietem Templi incumbebant, at eum minimè penetrabant. Igitur ea omnia quæ de erismorum muris diximus, ipsis Templi parietibus apprimè congruunt: nempe ad vigesimum quemque cubitum altitudinis, parietis crassities integro cubito minuebatur, ac proinde fiebat retractio in quam incumbebant trabes quibus ædificia mœnibus sacris contigua fulciebantur; cumque superiori cuique contignationi accederet cubitus qui mœnibus templi decedebat, Thalami superiores inferioribus cubito latiores evadebant. Hæc sacræ Scripturæ loca diverso planè modo interpretatus est R. P. Lamy lib. 6. cap. 2. sect. 1. 2. & 3. Utrum hæc feliciùs exposuerim tuum est, candide Lector, dijudicare: ultrò palmam concedam, dummodo in tuam utilitatem meus qualiscunque labor cesserit. Vale.